

[illegible]

R. P.

MICHAELIS ALFORDI

ANNALES

ECCLESIASTICI

ET CIVILES

BRITANNORVM,

SAXONUM, ANGLORUM,

TOMIS QVATVOR

COMPRÆHENSI.

FIDES REGIA
BRITANNICA, SAXONICA, ANGLICA.
UNA ILLA, EADEMQUE
SANCTA · CATHOLICA · ROMANA.
SIVE
ANNALES
ECCLESIASTICI
IN QUIBUS
BRITANNORUM, SAXONUM, ANGLORUM;
ORTHODOXA FIDES:
A CHRISTO NATO, AD ANNOS 1189,
historicâ demonstratione deducitur, atque probatur.

TOMUS PRIMUS.

FIDES REGIA
BRITANNICA
SIVE
ANNALES
ECCLESIÆ BRITANNICÆ.
UBI POTISSIMUM
BRITANNORVM
CATHOLICA, ROMANA, ET ORTHODOXA
FIDES
PER QUINQUE PRIMA SÆCULA:
E REGVM, ET AVGVSTORVM FACTIS,
Et aliorum Sanctorum rebus è virtute gestis, asseritur.

TOMUS PRIMUS.

AUCTORE
R. P. MICHAELE ALFORDO aliàs GRIFFITH,
Anglo Societatis IESV Theologo.







LEODII,
EX OFFICINA TYPOGRAPHICA JO. MATHIÆ HOVII,
Ad insigne Paradisi Terrestris. M. DC. LXIII.

SVPERIORVM PERMISSV.

SVMMO, ÆTERNO, IMMENSO,

NVMINI

VNI TRINOQVE

DEO

OPTIMO MAXIMO,

PATRI SÆCULORUM CONDITORI

ANNALES BRITANNIÆ VETUSTISSIMOS,

VERBO DIVINO VERITATIS PRINCIPI

ANNALES VERI SEQUACES,

SPIRITUI-SANCTO OMNIS SANCTITATIS FONTI

ANNALES SACROS:

DAT DICAT CONSECRATQVE

MICHAEL ALFORDUS

Societatis JESU.

Jerem. c. 6. v. 16.

Hæc Dicit Dominus: State ſuper vias, & videte, & interrogate de ſemitis antiquis; quæ ſit via bona? & ambulate in eâ.

AD

AD LECTOREM DE AVCTORE.



DE totius operis instituto amplißimè præfatus est Auctor, nec ultra quidpiam videtur addendum. de Auctore pauca subjungo. Pater MICHAEL ALFORDUS, aliàs GRIFFITH, nobilis utroque Parente, in Comitatu Surriæ, vel ut volunt aliqui, Londini natus est. Non deerunt fortè, qui Cambro-Britannum velint: & nomen Griffith ansam præbet, opinandi saltem, quòd è Cambria duxerit originem familia. Nullam hanc de re litem instituo, judicet Lector, an Cambro-Britannus sit vocitandus, quia forsan inde Majores descenderint, vel Anglus potiori jure, quia in Anglia primò productus in lucem, ibiq; nutritus, & commoratus est, ad annum ætatis suæ undecimum, quo Salutis nostræ 1596. Octobris 15. Audomarum venit, ibi in celebre Iuventutis Anglicanæ Seminarium admissus, humanitatis ac literarum absolvit studia: cumq; Philosophiæ stadium alibi percurrisset, ætatis 22, & Servatoris 1607, Societatem IESV est ingressus: in hac emissis quatuor votis, ob doctrinam non minùs quàm virtutem, variis laudabiliter perfunctus est muneribus; Pœnitentiarii ad aliquot annos apud S. Petri Basilicam; Socii Magistri Novitiorum, Superioris, & Rectoris, Romámque bis ob publica Ordinis negotia, Procurator, & Elector petiit; cumq; rem Catholicam 33. Annis in Anglicanâ Missione strenuè promovisset, Audomari, quo se receperat, ut Annales hos absolutos, & paratos prælo mandaret, Salutis nostræ 1653. & ætatis 66. anno, vitam hanc, in meliorem, ut speramus commutavit. Admonitus de morte, quis dies esset hebdomadæ, inquisivit; quem ut intellexit, in unum è vulneribus Christi se retulit: etenim hunc à multis Annis morem tenuerat, quotidiè in unum ex illis ingrediendi, quæ in singulos hebdomodæ dies distribuerat. I.

Hæc succinctim de Authoris vitâ: Vtinam Deus diuturniorem concessisset, vel ut prosequi, quos inchoarat Annales, vel saltem quos perfecerat, edere potuisset: quos perfecerat, inquam, etenim Tomos hos ita limatos ad prælum reliquisse videtur, præsertim Tres Primos, accuratâ cum Chrono- II.

logiâ, Indice perfecto Sanctorum, & Apostolicorum Virorum Controversiarum Epitome per quodlibet Sæculum, ut nihil addi, desiderarive possit. Quarti Tomi, non composuerat Chronologiam, nec Indicem morte præreptus: huic adjectus est Index, omissâ Chronologiâ, tum quia paucorum Regum vitas exhibet, tum quia ab adventu Normannorum, mutatis Episcoporum sedibus, ingressus, & egressus illorum, vix ritè colligi valet, ut ad amussim Chronologiæ aliorum Tomorum, alia in quartum respondeat. contexet melius, si quis Ecclesiasticos hos Annales prosequi velit; cum non sit, cur tale opus aggredi quispiam reformidet: siquidem & sequentium Sæculorum gesta enucleatiùs ab Historicis tradita sunt, & quietiora tempora sperari possunt, ab illis persecutionum procellis libera, quas Author hic, dum in Angliâ componeret Annales, perpessus est; ita ut mirum videri debeat, unde quietem, tempus, & imprimis adeò selectam, & copiosam librorum repererit supellectilem: & sanè reperisse videtur, cum vix nominari queat, qui res Ecclesiasticas Angliæ pertractet, quem non revolverit, & penitiùs examinarit.

III. *Atque ut mens Authorum legentibus pateat, profert semper illorum verba, & sententias: quippe non tam suis verbis, & ingenio historiam concinnatam, quàm ipsis Authorum verbis illustratam dare voluit; ita ut Lector ob oculos habeat, quod ipse vel approbet, vel improbet, nec ad alia recurrere volumina cogatur, cum hic, ut affirmare licet, bibliothecam rerum Angliæ Ecclesiasticarum præ manibus teneat; aliorum fortè judicium decernet meliùs futurum, si compendiarum magis opus edidisset, omissa citatione verbali Authorum, præsertim cum plures idem dicent: sed voluit consensu multorum sua stabilire, præcipuè cum varia in medium producat, quæ in controversiam veniunt; & hæc apud illum frequentia sunt, qui incidentes in quodlibet Sæculum quæstiones Fidei, & perdoctè observat, & clarè elucidat, imitatus magnum Annalium Conditorem, (ut vocitat) Eminentissimum Cardinalem Cæsarem Baronium, à quo discedit rarò, & nunquam sine honore tanti Scriptoris, & quasi petitâ veniâ, ut quod hic pro totâ Ecclesiâ præstitisset, ipse in his Annalibus, pro Britannicâ & Anglicanâ Ecclesiâ, oculis legentium perfectum exhiberet. qua in re verum se Filium Romanæ Ecclesiæ comprobat, simulq; minimè genuinos esse luculenter ostendit, qui suam Fidem ab Oriente, vel aliunde, non ab hac Ecclesiarum omnium Matre derivare frustra laborant. cum igitur ita se fidelem præstiterit Ecclesiæ, & Lectori, ut ipsamet Authorum verba, & sententias oculis subjecerit, nolui, vel hæc omittere, licet subinde hiulca redoleant antiquitatem, vel ipsius immutare phrasim, & stylum, qui gravis, & Ecclesiasticus est: utcumque semper Ciceronianum non*

sapit, & fortè Romanus Orator, si res Ecclesiæ tractasset, Ecclesiastici, non Romani fori terminis usus fuisset.

Curavi ergo, Lector, quantum efficere potui, ut haberes Authorem ipsum, genuinum. Fortasse aliquibus displicebit: nec optimi cibi cuilibet gustui arrident, & mirum est cum nihil sit jucundius, gratiúsve historica rerum Scriptione, obviam tamen offensionis, & displicentiæ materiam suppeditat, præcipuè si incidat in tempora, quibus inter tot & tam discrepantia hominum judicia, etiam in rebus ad Fidem spectantibus, placere omnibus est difficile. Voluit Author omnibus placere & prodesse, corrigantur errores, & vitia, nemini displicebit, & non proderit. Si verò quis omnes orthographiæ nævos emendatos minimè repererit, Typographis, & Revisori, qui assiduè prælo adesse non potuit, ignoscat: promovisse juvat, ut Annales in lucem ederentur, atque ita ab interitu, cui inter civiles belli tumultus, erant proximi, vindicarentur. Plurimum laudis & gratiarum, Nobilissimæ, & Catholicè pientissimæ Dominæ Smith è stirpe Marcam, & matri Vice-Comitis Carington debetur, quæ ad hos Annales imprimendos concurrit, sicq; sibi & familiæ perenne pietatis in patriam monumentum hîc in terris erexit, & ut speramus in Cœlis æternæ gloriæ pondus sibi comparavit, in visione Dei Trini, & Vnius. IV.

Huic Sanctissimæ & Individuæ TRINITATI suas Author lucubrationes consecrare voluit, cujus Fidem primò dictatam Apostolis magisterio, Filii, *dein ab his, virtute* Spiritus Sancti *diffusam in Gentes, à veridica demùm Romanâ Ecclesiâ, in latissimum terrarum Orbem propagatam, & propagandam, defendere, atque ab omni erroris, & hæresis injuriâ propulsare collaborat: quamobrem mentem Authoris secuti, Patroni, quem elegit, Operis fronti præfiximus imaginem. Illud Esai.* 40. *cui similem fecistis Deum, aut quam imaginem ponetis ei, audire mihi videor objectari: nè diutiùs controversiæ immoremur, quam plurimi Scriptores expedierunt, satis nobis erit, quòd non alias Divinis Personis appingamus imagines, quam ipsas sibi Sacra paginæ, testantur assumpsisse. Cum Deus corporeâ specie Adamo se exhibuerit, & Prophetis, Filius in humana forma cum hominibus conversatus sit, nec in cœlo eam deposuerit, Spiritus Sanctus instar Columbæ, & Ignis in Christum & Apostolos descenderit: & quamvis nil suppeteret aliud, consuetudo Ecclesiæ, quæ ut eruditè Eminentissimus Bellarminus discutit, hujuscemodi toleravit imagines pingi, nobis sufficeret: placere siquidem debet, quod huic non displicet, nec inter errores numeranda est consuetudo, quam suo calculo comprobat. Occupet ergo absque minima* V.

Gen. 3. & 18. Esai. 6.

erroris suspicione DEI Trini *&* Vnius, *imago frontem libri. Deipara inter Divinas Personas coronanda conspicitur; quam coronabundam omnigenus Sanctorum, & Sanctarum, quem protulit Anglia, numerus, Regum, Reginarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Doctorum, Virginum, ut Edoardi, Adilburgæ, S. Albani, Bonifacii, Vrsulæ, VValburgæ comitari debuerat: sed pagella non admisit. inter innumeros igitur, hi delineantur, qui vel ut Pontifices Summi, huic Insulæ in re Fidei invigilarunt, vel ut Apostoli prædicarunt, vel ut Reges primò Fidem Regiam susceperunt. Inter Pontifices primum locum tenuerunt S. Petrus, cui adjunximus S. Paulum, socium in morte (& quem in Anglia prædicasse gravißimorum fert opinio) S. Eleutherius, Gregorius Magnus, Alexander II. Inter Reges, Lucius Brito, Eleutherius Saxo, Guilielmus primus Normannus, illi prædicantibus Apostolis, SS. Fugatio & Damiano, missis ab Eleutherio, S. Augustino, à S. Gregorio delegato, Fidem didicerunt. Guilielmus eandem Fidem tuebatur Alexandro II. moderante, qui omnes imitati Constantinum & Helenam hic propè Crucem delineatos, ut qui amplexandam omnibus illam suo exemplo præmonstrarunt, eandem Catholicam, Romanam Fidem, tenuerunt, & defenderunt, atque ad posteros genuinam propagarunt, quam hi sartam, & tectam Romano Pontifici, Christi Vicario, & D. Petri Successori uniti, usque ad Henrici VIII. oberrantia tempora, ut constantißimi patroni, & acerrimi tutores defensabant. Vnde meritißimè* Fides *hæc* Regia *vocari potest, quâ tot Reges, Insulam, depictam inferiùs bearunt. Hæc Dotem se Mariæ profitetur. Si dies suos optet sicut in Principio renovari, peroptat tantùm, ut* Fides *illa* Regia *Catholica Romana, quam tot docuerunt Pontifices, Episcopi, Reges propugnarunt, Nobiles cum toto populo amplexati sunt, in suis rursus incolis efflorescat. Faveat votis Pater, Filius Genitrici Dotem restituat, Spiritus Sanctus, suum emittat Austrum, perflet hortum hunc, & fluant Aromata Fidei veræ, & Charitatis antiquæ.*

APPRO-

APPROBATIO ORDINARII.

HIc liber, cui titulus, *Fides Regia*, ſive *Annales Eccleſiaſtici Britannorum*, *Saxonum*, *Anglorum*, à R.P. MICHAELE ALFORDO Soc.tis JESU conſcriptus, & in IV. Tomos diviſus, cum à quatuor Theologis ejuſdem Societatis probatus fuerit ob exactam ac reconditam eruditionem, & plenam Fidei uniformis, cum Sacra Romana Eccleſia per omnes ætates probationem, dignus nobis omnino viſus eſt, qui in lucem prodeat. Leodii 13. Julii 1662.

IO. ERNEST. DE SURLET,
Can. & Vicarius generalis Leodien.

EDUARDUS

EDUARDUS KNOTTUS SOC. JESU,

PROVINCIÆ ANGLICANÆ

PRÆPOSITUS PROVINCIALIS.

CVm P. Michalis Alfordi noſtræ Societatis librum, cui titulus, *Fides Regia*, ſive *Annales Eccleſiaſtici Britannorum, Saxonum, Anglorum*, quatuor ejuſdem Soc.[tis] Theologi, quibus id commiſſum fuit, recognoverint, ac in lucem edi poſſe probaverint, poteſtate accepta ab Admodum Reverendo Patre Noſtro Goswino Nickel ejuſdem Soc.[tis] Præpoſito Generali, facultatem concedimus, ut typis mandetur, ſi ita iis ad quos pertinet videbitur. In quorum fidem has literas manu noſtra ſuſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus. Leodii 26. Septembris 1655.

EDVARDVS KNOTTVS.

QUORSUM

QUORSUM

ECCLESIASTICIS ANNALIBUS

PRÆFIGITUR TITULUS

FIDES REGIA?



CRITER ſatis in Angliâ, ante annos triginta, de Fide litigatum eſt: quando quæſtionis ſumma in eo cardine vertebatur; ceſſuram illis victoriam, qui Fidei ſuæ profeſſores, à Chriſto nato, per quindecim ſæcula, in unâ ſemper, eâdemque religione conſtantes, promitterent. Id facili manu ab Orthodoxis præſtitum; frequentibus ſuper eo ſcriptis, impreſſiſque libris. Hetorodoxi contrà, cum aliquot ſæculorum fæces, & ulcera collegiſſent; tam inter ſe, quàm cum veritate, pugnantia; Proteſtanticæ Eccleſiæ infantiam; periténe dicam, an imperitè, prodiderunt. Ego interim, in horum Annalium meditatione defixus; cum Lucios, & Conſtantinos, Britannorum ſæculo, vidiſſem; non ſolùm Orthodoxæ Fidei eximios cultores; ſed primos, in eo genere, & Principes viros. Cum inde, in Anglo-Saxonum heptarchiâ, obſervaſſem Ethelbertos, in Cantio; Edwinos, & Oſwaldos, in Northumbriâ; Sebertos, in Trinobantibus; Inas, in Occidente; Offas, in Merciis: & alios innumeros, illuſtriſſimos Reges: & omnium ſæculorum ſuffragio magnos. denique cum porrò ad Monarchas deſcendiſſem, Ethelwolfos, Alfredos, Edgaros, Edoardos, quorum ſinguli, ad orthodoxæ Fidei aſſertionem ſufficerent. Cum, inquam, inſpectis excuſſiſque horum Regum actis; inveniſſem eos, cum Lucio, & Conſtantino, in ſperandarum rerum ſubſtantiâ, concordes; Deo, Cruci, Sanctis, & Romæ, ſupplices: denique in omni religionis apice,

unanimes. illis accommodavi calamum: & eorum Fidem, Orthodoxam, Romanam, Catholicam; quâ æternùm beati sunt; quidni vocarem *FIDEM REGIAM?* & sic per omnia sæcula stipularer veræ Fidei testes Regios?

Divinior tamen impetus, traxit me, opinor, ad illam Epigraphem: cum enim, post plures annos, Protestanticæ Ecclesiæ faciem intuerer, vario fuco, versicolorem, & pro Comitiorum vertigine, versipellem: Statui penitiùs contemplari; unde illa religionis inconstantia; & ingens, in unam *REGIAM FIDEM*, conspiratio? & vidi illam, à vulgo hominum, & imperitâ plebe; nec aliunde uniformiter deformiter descendere. Id hoc sæculo turbulento eminentissimè cernitur; cum presso Rege (cujus tamen Filius Divinâ providentiâ ad miraculum reditum disponente Coronam & jam Sceptrum totius Regni gaudio & pace obtinuit, & eadem favente diu fæliciter gerat) exauctoratis Episcopis, & silere jussis Academiarum Doctoribus; plebs, pro tribunali, sedet Fidei artifex, judex, & arbiter. Vnde cusa Fides, in illâ officinâ; propriè dici debet *PHEBÆA FIDES*; cum *REGIA FIDE*, è diametro pugnans. Benè igitur Fides illa; quam Christus Apostolos, Apostoli sequentia sæcula docuerunt; illa, inquam, Fides, vulgo hominum major; quæ Reges, & Augustos; quæ Episcopos, & omnem ordinem, ac sexum, per quindecim sæcula, beavit; cujus splendorem, ac majestatem cæcutiens hæc ætas, & plebis officina, ferre non potest; benè, inquam, appellatur FIDES REGIA.

PRÆFATIO AVCTORIS AD LECTOREM,

AD

PRIMUM ANNALIUM TOMUM.



IDIT hæc ætas satis, opinor, multos, qui Britanniæ statum, incolas, mores, & civilis Reip. prospera, & adversa dixerunt: paucos, qui antiquæ Ecclesiæ faciem, Fidem, & illius Reip. arcana scrutati, avita religionis adyta penetrarunt. Operosè multi quæsierunt; unde Britannorum nomen? unde primævi parentes? an ab eversâ Troiâ, an aliunde? Ego curiosum hominis ingenium non accuso. Benè patriæ militat; qui antiqua tepetens, quæ tenebris, & pulvere obsita, profert in lucem; & majorum vel præclarè factis, nepotes ad gloriam acuit, vel terret adversis. Cæterùm ego, illa Antiquitatis monumenta libentiùs semper legi; quibus vitam meam ad sanctiorem normam componerem, & majorum vestigiis pressiùs inhærendo, veræ Fidei, virtutis, ac pietatis venam indagarem. Illa imprimis in Deum Fides, illa semper Religio placuit; quæ antiquo descripta charactere, altiùs defossa; obscurari fortè aliquando potuit; obliterari nunquam. Video sæpè multorum hominum solertiam; qui nescio qua gloriæ imagine, aut fuco pietatis, omnes omnino tabulas evolvunt, monumenta perquirunt, nullum non movent lapidem; ut sancitæ jam olim nobilitatis originem, longâ retrò natalium serie, repetant. Sed eos semper putavi beatiores, qui veri honoris æmuli, ambitiosiùs quærunt parentum Fidem, quàm sanguinem; & illâ certiùs gloriantur. Nemo enim sanctiùs majoribus parentat; quàm qui assertæ, à majoribus, Fidei, & Religionis, est hæres. I.

Hanc ob causam, cùm aliquot jam annos advertissem, mentes hominum in Fidei negotio, opinionum varietate distrahi, differentes esse, & plerumque vacillare: cùm insuper scirem Insulam hanc, fortunatam olim, & pietatis opinione beatam, fuisse: facturum me putavi operæ pretium, si antiqua repetens, ad prima & puriora sæcula conversus; illorum temporum Ecclesiam, mores, Fidem denique, indagarem. Cùm enim illa sint Christô proxima, & à nuperâ lite remota: pollicebar inde mihi, non solùm in dubiis firmitatem aliquam: sed facilè etiam controversiarum compendium. Quid enim hodie evenire potest; aut in cœlo prodigium, aut in terrâ novum, aut in homine vitium; quod aliquando, in primâ Ecclesiæ conditione, & deinceps, non acciderit? In rebus humanis, sæcula quidem, & personæ intereunt: sed causæ, & eventa eadem recurrunt; possuntque posteriores curæ prioribus erudiri. In humano II.

corpore; conditione suâ morbis, & corruptioni obnoxio; si intemperies nascitur, si humorum diffidium est, si sanies erumpit; cur nova pharmaca quærimus, illis relictis, quæ olim præscripta, multo experimento salutaria probantur? Eadem humanæ mentis miseria est, quæ corpori immersa, abit quandoque à primâ, puráque conditione: nimium, heu nimium, mancipata sensibus, & novâ quidem curatione opus, sed non novo medendi genere, aut novâ specie medicinæ. Recipe tantùm, quod primo, puróque tempore factum; oracula cœlo fusa, cum ludum erat, scita Patrum, & Doctorum, quos *Christus dedit in consummationem Sanctorum:* & sic, quidni? curabitur omne cacoëthes?

ad Ephes. c. 4. v. 12.

III. Antiquum hoc inventum est, & è cœlo dictatum. Nam Hieremiâ teste: *Hac dicit Dominus: State super vias, & videte; & interrogate de semitis antiquis; quæ sit via bona? & ambulate in eâ.* Quod Deus Israël, tunc præscripsit; cùm ille, à vero exerrans, medicâ quidem, sed indoctâ manu duceretur. *Et curabant contritionem filiæ populi mei cum ignominiâ, dicentes: Pax, pax; & non erat Pax. Confusi sunt, quia abominationem fecerunt: quin potius confusione non sunt confusi, & erubescere nescierunt.* Nos in similia tempora nascimur. Errat Britannia, & plurimum exerrat à majorum Fide, atque sanctitate; ut possimus cum Prophetâ dicere: *Deducant oculi mei lacrymam per noctem, & diem; & non taceant, quoniam contritione magnâ contrita est Virgo, filia populi mei plagâ pessimâ vehementer.* Et tamen errorem nolunt agnoscere, qui maximè erant: dicunt illi quidem: Nos leviusculis, in ritibus nuper inventis, nec olim introductis, à Majoribus dissentimus: in Fidei substantiâ, & fundamentis omnibus, convenimus. Sic curant contritionem filiæ populi mei, cum ignominiâ, dicentes: Pax, Pax, & non est Pax. Et interim confusi sunt, quia abominationem fecerunt; quin potius, confusione non sunt confusi, & erubescere nescierunt. Si adhuc obstinare volunt mentem: stemus super vias, interrogemus de semitis antiquis; quæ sit via bona? & ambulemus in eâ, nec dextrorsum, nec sinistrorsum declinemus. *Interrogemus generationem pristinam, & diligenter investigemus Patrum memoriam, hesterni enim sumus & ignoramus;* inquit Iob. Quasi diceret Spiritus Sanctus: Quorsum verborum, & opinionum tanta varietas? Cur in immensum crescunt lites, de Fide, ritibus, & Ecclesiâ? cum petito à Majoribus suffragio, illisque diligenter inspectis, decidi possit omnis controversia?

Jerem. 6. v. 16.

Ibidem v. 15.

Idem c. 24 v. 17.

IV. Cum itaque viderem à novis ingeniis arietari hodie Rom. Ecclesiam, & quæsitis undique argumentis peti: Imo antiquam hujus Insulæ faciem, in factionem illam violenter, & injuriâ trahi: denique quâ Scripturas, quâ *Cæsarem appellando,* contentionis funem porrò protendi: relictis Scholarum argumentis, in hoc probationis genus descendi; quod toties, & tam sanctè, sacræ literæ commendarunt. Statui, inquam, curiosiùs explorare; quid olim gestum, à Patribus; quid innocenter creditum à Majoribus; quid usurpatum à sæculis, quæ diu ante fuerunt, quàm quæstiones de Fide nascerentur. Inde delineans mihi semitam, ut ambulem, in eâ, excutiam facta, quæ alios beaverunt, & investigabo Ecclesiam, quam illi coluerunt. ita tenenri prementique vestigia, quæ me præcesserunt; facilior erit ad immortalitatem via. Volo etiam sæcula priora posterioribus conferre; Ecclesiæ incrementa, atque decrementa; Fidem illustratam & sæpè impetitam; ulcera enata, & sanata: ut nova Protestanticæ religionis facies, ad antiquum

Ecclesiæ speculum composita, genuino colore depicta, sine fuco videatur. Sic fictio, in rebus Fidei gravissimum malum, faciliùs detegetur: & complicato sipario, larvisque detractis (benè enim dixit Arbiter: *Vniversus orbis exercet histrioniam*) nudi vultus meliùs apparebunt. Solvetur, inquam, nodus, quem imperitè quidam nexuerunt, de antiquâ Britannorum Fide, & Ecclesiâ: quam Lutherus, vel certè Calvinus, aut reformasse, aut deformasse, dicuntur. Hunc solvet quisquis, patrium studia distinguens, æquâ lance librabit momenta singula. Si enim summariè tantùm, & in cortice, hunc cardinem vertis, implicas magis, quàm explicas statum controversiæ: & nihil clarè cernitur, aut excernitur, ubi omnia miscentur.

Nostrates ita frequenter peccant, cum dogmata sua, non à Saxonum, sed Bri- V.
tannorum Ecclesiâ derivantes; Christum ita dividunt: ut aliter à Britannis, aliter à Saxone cultum, rudi populo persuadere conentur. Sic nullo argumento fortiùs pugnant in Rom. Fidem; quàm eo, quo revera; si fracto cortice, veritatis nucleum invenire cupis; Romana Fides subsistit, & illustrissimè cernitur. Dicunt enim Sectarii nostri, & secessionem suam ita tuentur. Olim Britanni, Græco more Pascha celebrarunt: olim Clerici, Græco more nuptias contraxerunt: Ex Asiâ ergo, & Oriente illo, Fidem, & imperia accipientes; nihil Romano cœlo, nullamque illi soli lucem debuerunt. Et nos antiquis illis Majoribus nostris, non Saxoni, à Gregorio nuperiùs docto, conjungimur; cum illis dextram, Fidemque componimus: ab illis denique in Urbem, non ab Urbe stamus. Ad hunc sacrum montem confugiant, non nuda plebs solum, & è communi grege, viliores: Sed quirites ipsi, quod mirere, arietes, inquam, * καὶ ποιμένες λαῶν: * & Pastores populi.
& quis non putaret, solidè constanterque dici, quod Senatus, populusque communi suffragio, ex utroque subsellio, tam * ῥητῶς pronuntiant? Quis non crederet Insulam hanc, Græciæ & Orienti debere omnia, Romæ & Occidenti nihil? * certè.
ac proinde à Majorum vestigiis recedere, qui Fidei anchoram, ad illam petram alligantes, Romana sacra venerantur.

Qui primis oculis videt hunc corticem, & Protestanticæ Fidei medullam intùs VI.
inclusam contemplatur, poterit forsan opinari, eos in Fidem perduelles esse, & degeneres in hac Insulâ, qui Græcorum ritibus neglectis, aut posthabitis, Latinæ nimiùm Ecclesiæ blandiuntur. Verùm si secundis curis corticem lustraverit, & enucleaverit quod intus est: facilè inveniet debili fundamento malè materiatam molem imponi: & non in foraminibus petræ, sed in cavernâ maceriæ habitare illos, qui ponunt has tenebras, latibulum suum, & os in Rom. cœlum, Græcâ Fide dogmata nundinantes. Ob hoc, fateor, cupido me incessit Majorum vestigia revelandi, ut rupto cortice argumenti hujus, Protestanticæ religionis veritas, vel vanitas appareret. Enimvero, si illi benè subsumunt; qui Orientem Solem adorantes, inde Fidei radios, primámque Christianæ religionis auroram, ad hanc Insulam derivant: Cur factionis, aut defectionis arguuntur, qui religiosè colunt primos parentes? Verùm si excussis testibus, inspectis authoribus, & implorarâ Fide publicâ omnium sæculorum, constiterit Britanniam in primo Fidei beneficio, Romæ obligatam; inde sacra, ritus, & omnem religionis lucem, Fideíque apicem excepisse: nihil omninò ex Oriente, non imperia, non Paschatis ritum, non nuptias Clericorum: Quis dubitat eos perduelles esse, & cum extremâ fortunâ confligere; qui tam immani fugâ, ab extremo Occidente, in remotissimum Orientem, se causamque suam dehonestant.

VII. Sed quâ ratione; quo, inquam, modo, majorum vestigia repræsentare poteris, quæ pulvere obsita diu latuerunt? Historiæ ea laus est; quæ nos ludentes passim in rebus obviis, ducit retrorsum; & Antiquitatis monumenta eruderans, pandit abdita, scrutatur ima, quærit, invenit, lustrat omnia. Mira vis! quæ sub canâ vetustatis favillâ latebant, eruuntur; & pulchro satis spectaculo, rebus obsoletis, nova lux, nova species, nova majestas accedit; quæ curiosum hominem, & suâ dignitate pascit, & sæpè trahit, sæpè terret, exemplo. Hac duce, hac luce, ad majorum sepulchra accedo; non illa, quæ barbari, aut infideles struxerunt: sed illa solùm, quorum nomina scripta sunt in libro vitæ. Nam quia de Fide quæstio erit, & Christi Ecclesiam recenseo, quæ à primis sæculis, in posteriora descendit; vivos tantùm politosque lapides, in structuram seligo: ita tamen, ut rudera interdum, præsertim cum in imo sum, ad aliorum firmitatem, injicere sit animus; quia sine scapo grana non subsistent. Hæc, licet rudia, ad amussim ita compono, & inde tempora, annos, rerumque gestarum seriem, metior; ut concinniùs surgat ædificii moles, & constantiùs firmetur: atque ita dicendorum ordo, Regiæ Fidei aurora, & meridies; hæresum ortus, & progressus; Ecclesiæ incrementa, & decrementa; denique rerum hodie controversarum status, & peristales, meliùs illustrantur. Quæ omnia ab historiâ, & majorum sepulchris petenda. Sunt enim illa, si penitiùs intueris, magnarum veritatum argumenta, ad virtutem stimuli, ad immortalitatem semina. Iterum, parentum cineres, si religiosè accedis, sunt felix nepotibus hæreditas, ingens posterorum gloria, multarum controversiarum finis, purioris doctrinæ certissimi indices: &, si placet, arbitri.

Lætis hunc N mina rebus Crescendi posuêre modum. Lucan. 1.

VIII. Quamobrem meritò quis indignari posset, ad infœlicitatem illius sectæ; quæ omnino non potest stare; nisi facta majorum omnium concidant; nisi convellantur sepulchra, & dehonestentur cineres: nisi, inquam, impietatis, superstitionis, tenebrarum arguantur, damnenturque priora, & puriora sæcula. Qui enim ita cum mortuorum umbris velitantur, & nescio quò fugiunt, ut argumenti vim effugiant; vel ludere in rebus seriis, vel causæ suæ diffidere, vel si seriò agunt, insanire videbuntur. Ita peccaverunt Quatuorviri illi, qui Centurias Magdeburgi scripserunt. Dum enim profitentur, revelaturos se Ecclesiæ faciem; quæ à primâ ejus conditione, & deinceps fuit; è Patribus, Doctoribus, & Majoribus suis: illos ipsos, pro libito arguunt, vexant, atque dilacerant; quoties fuco, quem ipsi, Fidei, & Ecclesiæ induxerunt, adversantur. Et quis non videt repræsentari non posse genuinam Ecclesiæ faciem; si pictoribus istis, poëtarum licentia; hoc est, quid libet audendi potestas concedatur. Nec primus sum, qui culpo hos criticos: Richardus Montacutius, Norwicensis dictus Episcopus, ab antiquâ & Romanâ Fide satis aversus; cum cætera Magdeburgicos laudasset, hoc tamen, læsæ in illis majorum Fidei crimen non excusat; sed ita de eo opere: *Illud minùs censemus tolerandum*, inquit, *quod cum deberent esse nudi rerum gestarum narratores; ac velut Notarii, ac Amanuenses, & à Commentariis Sanctis vetustis Patribus primitivæ Ecclesiæ: vel potiùs viatores & accensi; qui Patribus antiquis, augustissimis Ecclesiæ Dictatoribus, fasces præferrent, populi turbas summoverent: de viâ decedere, assurgere, submittere se, quoscumque* * μεταγενεστέρους *admonitos compellerent: quasi rerum vicibus, & naturâ mutatis; illi ipsimet insurgerent, & intercederent, obnuntiarent, loco dejectos, sellâ motos, in ordinem cogerent, majorum gentium Patricios illos, vel sermones potiùs sanctos, & capite, dignitate, imperio imminutos,*

R. Montacut. in Præfat. ad Apparat. num. 51.

**postnatos, vel posteriores.*

censoriâ

censoriâ notâ sæpiùs, & animadversione perstringerent. Indignum planè facinus, nec communibus hostiis expiandum: eò imprimis, quod quicquid fixum olim fuerat apud Majores nostros, communi hominum usu receptum, & confirmatum; fruitione, usu captum, & retentum per multa retrò sæcula; novitii homines, nuper nati, de nescio quibus hypocaustis prodeuntes; pro arrepto, & usurpato imperio; antiquare, & in ordinem pro libito redigere, auderent; si non penitùs damnatum profligatumque obolere. Intoleranda planè audacia; illud ipsum proterere, & conculcare; quod post regulam salutis ordinatam, adhiberi debuerat ante omnia, in dijudicandis dogmatibus Fidei controversiæ. Hæc omnia Montacutius.

Si omnes, ut ille monet, ad Majorum sepulchra reverenter accederent; & Doctoribus, Proceribusque Ecclesiæ qui ante fuerunt, ita assurgerent; detumesceret ad modum ille litium Oceanus, qui magnam Europæ partem, & Britanniam imprimis inundat: nec factionibus hodie Orbis impleretur. Sunt enimvero aliqui nimium suo cerebro fidentes; qui sacræ Scripturæ cortice contenti, Patres, Doctores, sæcula, palam aversantur. Hi pessimè in Scripturam peccant; cum illam maximè revereri videntur. Scriptura enim centies jubet, clamat, præcipit; Ecclesiam, Majores, Patres audire. Alii mitiùs insolescunt, & multis verborum phaleris Antiquitatem appellant, Patrum testimonia invocant; quo Calviniastas premant. Sed illi ipsi, quoties in Romam pugnant, & Fidem illam, quæ olim Britanniam beavit: vel Calvinistarum more desipere debent; vel omninò causâ cadere. Sit verbo exemplum. Montacutius ipse, qui suprà, scripsit *Origines Ecclesiasticas* (ita librum vocat) in quo quisque sibi polliceri poterat, earum rerum notitiam, atque scientiam; quæ Fidem, ritus, & sacra spectarent; non ab heri, & nudiustertius; sed ab ipsâ Ecclesiæ primâ conditione. Et si controversia aliqua inciderint, petito à sæculis suffragio componi posse: maximè cum ipse ita pronuntiet: *Eò jam tandem æquanimitatis est utrimque deventum; ut suas controversias dirimendas, lites, & dissidia componenda, ad Tribunal utrique* (Orthodoxos intelligit & Protestantes) *deducere, & sistere velint Antiquitatis. Cum bono ergo Deo, nos consilio isti faveamus; & sententiam rogemus Antiquitatis. Sententiæ, & decisioni stemus Antiquitatis: & cum Nicænis, sanctissimis Patribus, tanquam ab oraculo profectum exosculemur illud:* * Τὰ ἀρχαῖα ἔθη κρατείτω. *Eo autem animo, in istum finem evolvenda sunt, & adeunda monumenta vetustiorum; ut quodcumque inveniatur secundùm hanc, vel illam partem, apud proceres Ecclesiæ vetustiores, pronuntiatum rectè & commendatum; non dissimuletur, non incrustetur, non pervertatur. Meipsum quod attinet; ita me amet, qui Veritas est; non certè repugnabo, non recalcitrabo, manum autem sum daturus, herbam porrecturus, fasces submissurus, sententiæ subscripturus, prærogativam promoturus Antiquitatis.* * πᾶν γὰρ ἀρχαῖον, *eo ipso quod antiquum sit,* * αἰδέσιμον. *noviter autem introducta; sunt ipsa novitate suâ suspectiora.*

IX. — Montac. sup. n. 77. — * Antiquæ Consuetudines serventur. — * omne enim antiquum. — * venerandum.

Quis non amaret hunc hominem, tam humiliter, & reverenter majoribus parentantem? Sed est aliud verbis, aliud re agere: & aliquando, nulli jactantiùs fidem suam obligant; quàm qui maximè violant. Quæramus enim de Cruce Christi, primo in Anglorum alphabeto, Christianæ professionis charactere: quæramus, inquam; colendáne sit, an non? Orthodoxi, & cultam olim, & colendam asserunt. Negant Novatores, & omnes paradoxi. Deducamus hanc litem ad Tribunal Antiquitatis, evolvamus monumenta vetustiorū; nihil dissimuletur, aut pervertatur. Patres, ab Orthodoxis sunt; adstipulantur prima sæcula, primi X.

Britanniæ Martyres, primi Christiani Principes, & Augusti, id sanguine & multo facto contestantur; ut toto hoc opere, multis in locis, probatur: & tamen Montacutius, *Cæsarem appellans*, hunc cultum Idololatriam vocat, & superstitionem pessimam. Ita ille ambidexter est; unâ manu, pro Majoribus pugnat, & repugnat alterâ. Quamobrem, nec Magdeburgensium *Centuriæ*, nec *Origines* Montacutii, ad Antiquitatis tribunal, cum citantur, consistere possunt: quia, vel apertâ sententiâ illud declinant, vel in speciem tantum & verbosiùs, quàm veriùs appellant. Cæterùm antiquorum Fides, è Factis metienda est; & facta, nec dissimulari, nec incrustari, nec perverti debent; sed nudè simpliciterque narrari; & inde sacrorum rituum Ecclesiasticæ Origines petendæ. Quod illustrari potest memoratæ Crucis exemplo.

Montacu. Appel. Cæsar. c. 27.

XI. Romano-Catholici, Christi Crucem, non solùm hodie usurpant; illâque se, frontem, pectus, omnia muniunt: sed venerabundi sæpè ad illam procumbunt, orant; & in die Parasceves, solenni cærimoniâ, supplici corporis cultu, eandem reverentur. Cedo religiosi hujus ritus antiquam originem. Si enim noviter introductus est; suspectior esto, novitate suâ; & per me licet, è memoriâ hominum deleatur. Sin antiquus: quidni dicam, πᾶν ἀρχαῖον, eo ipso, quod antiquum, αἰδέσιμον: adeoque retinendum. Nos itaque ad Antiquitatis tribunal producti, ita pro ritu illo stipulamur primò: In ultimâ Britanniæ conversione, Saxonum Reges, & Monarchæ primi, devotissimè Crucem coluerunt; illam in oratorio erexerunt, & flexis genibus venerati sunt: ab Augustino eorum Apostolo ita docti, ante annos mille, & quadraginta. Hoc omnes fatentur, negat nemo: sed excipit Matthæus Parkerus, in Cantuariensem Sedem ab Elizabethâ Reginâ intrusus Episcopus; agnoscit Crucem argenteam Augustini, Cantuariensis Sedis primi fundatoris; sed illam numerat inter *triviales nugas*. & illum vocat *cærimoniosum* potiùs, quàm *religiosum* hominem; *sanguinarium* denique & *superbum monachum*. Ita loquitur de gentis Apostolo, & dignitatis suæ parente primo, novæ fidei Episcopus.

Beda l. 3. c. 2.

Antiquit. Britan. fol. 46. & 36.

XII. Verùm si Augustini minor est authoritas, & Gregorii illam mittentis: transeamus à Saxone, ad Britannorum Remp. priorem; quò factiosi libenter fugiunt, ut negativa sua dogmata tueantur: & videamus, ut illi, in Crucis cultu se gesserint, priusquam Augustinus in Insulam legaretur. Enimvero si in eo genere religiosi quoque fuerunt; antiquior est cultus Crucis, quàm Fides contra Protestantium. Helena Augusta, Britannæ fœmina, ducentis ampliùs annis præcedit M. Gregorium: illa Crucem piè quæsivit, inventam religiosè coluit, & colendæ, in ævum, templum extruxit. Crucis partem Macario Hierosolymorum Episcopo misit, ut ibi in æde sacrâ, *solicitâ veneratione* servaretur. quam quotannis in Paschate ostendi solitam, & à Clero populóque adorari; testis est sanctus Paulinus, ita scribens: *Ecclesia Hierosolymitana, arcano positam sacrario, Crucem servat: Quam Episcopus Urbis ejus quotannis, cum Pascha Domini agitur, adorandam populo, Princeps ipse venerantium promit.* En habes ad literam, quod etiamnum faciunt Orthodoxi in die Parasceves, morem antiquum, à doctis probatum, ab Ecclesiæ proceribus usurpatum, multâ jam sæculorum serie ratum. Vide annum Christi 326. Sed & ante inventam Crucem, M. Constantinus Crucis imaginem veneratus est; eamque ab omni ordine coli mandavit. Vide annum Domini 312. Sufficere hæc possent ad idololatriæ suspicionem amovendam; cum primi Imperatores & Augusti, putáque illa sæcula,

Paulinus 4. p. st.

pro

pro Crucis cultu, tam vocaliter locuta sint. Sed religio hæc priora habet argumenta, & antiquiorem adhuc originem. Quod enim Constantinus & Helena fecêre; longè priùs factum à fidelibus: & Christus non aliud Constantino dictavit; quàm quod priùs Apostoli, & eos secuti Ecclesiarum præsides, docuerunt. Prodeat in medium Albanus sanctus, illustrissimus restis, Britanniæ proto-martyr; qui procumbens ad Crucem, eoque signo pro Christiano habitus; post sex mensium carceres, in arenam descendens, pro Christo & Cruce ejus, certavit usque ad mortem. Vide an. 286. & sequent.

Nec unus Albanus ita faciebat; quotquot eo sæculo Christum colebant; ut ab eo cultu, Christicolæ; ita à Crucis cultu, Crucicolæ vocabantur, ut ante nongentos annos dixit Aldelmus sanctus, Schirneburnensis Episcopus. Christiani ergo, Christicolæ, & Crucicolæ, Synonima erant, cum Ecclesiam Fidemque Diocletianus persequeretur. Et Crux hæc *sæpè causa præcipuè*, inquit Lactantius) *justitiam persequendi malis Regibus fuit.* Quasi diceret; quod decem persecutores, in Christianos, carnificinam exercuerint; illud imprimis in causâ fuit; quòd contempto Iovis cultu, ad Crucis cultum transierint. Sed quando tandem cœpit cultus hujus origo? Nam curiosus Ecclesiasticarum rerum observator, scire volet; quâ demum ratione, Crux Christi, quo tempore, & à quibus coli cœperit. Et digna certè inquisitio, spectansque maximè ad Ecclesiæ Annales. Dico igitur. Quamprimum Christus consecravit Crucem sui Corporis, & Sanguinis tactu, cœpit illa, à Christianis in honore, cultuque esse. Tunc primum, & deinceps semper, ad Crucem religiosè accesserunt, fuderunt preces, & illam supplici corporis cultu, venerati sunt: imò à Iudæis terrâ obrutam, & in imo latentem, studio orandi frequentarunt; nec ullis minis, terroribus, suppliciis, ab eo pietatis genere avelli potuerunt; donec Iudæorum, & infidelium conspiratione, & mandato Hadriani tunc Imperantis; turpissima Veneris statua in loco illo erecta, Christianos immanè terruit, nolentes Veneris, in superficie, cultum, cum Crucis cultu miscere. Vide annum Christi 125. Tunc desirum à Christianis ad Calvariæ montem suppliciter accedere: non desirum tunc, nec priùs, Crucis signum formare; illud circumferre, eoque Christi fidem profiteri. Testis Britannia, quæ Iosephum ab Arimathiâ peregrinum excepit, & cum illo *Figuram nostræ redemptionis.* Vide an. Christi 64. n. 12. XIII.

Adelm. de laude Virg. c. 17.
Lactant. l. 4. Instit. c. 27.

Hic habes Ecclesiastici ritus antiquum usum, ortum, primamque ejus originem, & eadem indagine manifestè patet, quinam fuerint, in adversariâ classe, * σταυρόμαχοι, & inimici Crucis Christi: cujus, inquam, generis & speciei. Sunt quidem aliqui, qui Calvinum, Bezam, & alia hujus ultimi sæculi vitia, principes faciunt: sed reverà, licet illi in eo genere tragicè se gesserint; præcesserunt tamen alii, qui duces fuerunt, & Calvino illustriores: Præcessit Iulianus Apostata; qui Crucem à Constantino solenniter fixam, mago ducente, dæmone docente, refixit: Crucisque cultum Christianis exprobravit. Vide annum 362. Præcessit Diocletianus, & decem Inferorum portæ; quæ nunquam magis patuerunt, nec hodiéque patent; quam ubi eminet odium Crucis. Sed quid? infideles ergo & Apostatæ, fuerunt primi qui in Crucem Classicum cecinerunt? Non opinor. Iudæi, qui Christum oderunt usque ad mortem, mortem autem Crucis; primi inter mortales, duces fuerunt; illique à dæmone, nullo mediante, quamprimùm Christus Crucem consecravit, docti sunt, illam abjicere, atque pessundare: ut *quasi RADIX & FUNDAMENTUM Ecclesiæ tolleretur*, XIV.

* Impugnatores Crucis.

inquir S. Severus Biruricensis Episcopus. Sic habes breviter omnem Epocham, cultæ & incultæ Crucis.

XV. Si omnem Ecclesiæ Oeconomiam; ritus & sacra hodie controversa, hoc modo, ad sua principia reduci possent; haberenr omnes, vel fidei suæ, vel perfidiæ speculum; legerentrque satis distinctè; quid probatum à Majoribus, pro Orthodoxâ fide tenendum: quid contra, reprobum, & excernendum foret. Et ingentem laudem meruisset Montacutius, si *Ecclesiasticas Origines* ita digessisset. Sed ille, cum Cæsaris Baronii vestigia sequi, & persequi cœpisset: in * προπυλαίοις hærens; an porrò Ecclesiam ingredi, & arcanorum penetralia investigare, & eruere debeat; scepticus est, ut ipse in fine operis profitetur: addens, *sibi soli*, *solitario, seni, sine cortice natandum*, si vastissimum illud Pelagus intret. Videt, opinor, oculatus vir, difficultatem operis; & nudam protestantium Ecclesiam, investes parietes, nuda Sacramenta, primorum sæculorum lucem ferre non posse quod est certissimum. Contentus ergo se pararum ostendere, & ni alia obessent, in arenam descensurum; hujus argumenti gloriam cedit aliis. Et sic Antiquitatis tribunal, quod toties appellaverat, honestè ipse declinar.

* *vestibulo*

Mont. par. poster. tom. I.

XVI. Successit illi Iacobus Usserius, Armachanus nuncupatus Episcopus; & eodem anno, quo Montacutii pars posterior tomi primi in lucem prodiit, prodiit ipse quoque, & librum inscripsit. *Britannicarum Ecclesiarum Antiquitates; sive de Britannicarum rerum primordiis.* in quo multa, magno labore, industriâque congerit, quæ primorum sæculorum Fidem illustrent: quæ tamen ipse non eo fine; sed obiter tantùm, & pro Ecclesiarum antiquitatis assertione, profert: ideoque ita profert aliquando; ut fidem pro re natâ, vel accommodet, vel suspendat, vel omnino elevet: adeo intellectus noster, qui affectum ducere, lumenque ad electionem præferre deberet, ducitur; & affectu suæ causæ; hoc est, cæco plerumque impetu; seducitur atque captivatur. Revelari non possunt Britannicarum Ecclesiarum primordia; nisi centies impingas in nomen Deiparæ; in ejus, & Sanctorum cultum; in Monasteriorum, & Monachorum sanctitatem, in sacrarum ædium dedicationes; & miracula interdum illa testantia: Hæc, quia æger stomachus nauseat, Usserius cum supercilio legens; *somnia, fabulas, monachorum lacunas*, appellat. Quo (quis non videt?) omnium Ecclesiarum primordia, & fundamenta concutit, atque convellit. Si enim pro libito quisque, & ad suæ factionis genium, flectere possit, Majorum acta & monumenta; quidlibet ex quolibet facilè eruitur: & Veritas, quæ in primis quærenda; in ultimis relinquitur. Quod si inaccuratè, & oscitanter aliqui, antiquorum facta componentes; miracula interdum, dubiâ, vel nutante fide, recensent: debent doctores, qui racemos post vindemiam colligunt; in rerum delectu, majore curâ incumbere: nè nimium congerendo, aut somnia causando; reliqua in dubium vocent. Fecisset ergo utilissimam Britannicis Ecclesiis operam Usserius; si ingenii vires, & variæ lectionis studium; æquè ad res seligendas excutiendas, & dirigendas, ac ad congerendas, posuisset.

XVII. Hæc omnia, præ cæteris observasse videtur Cæsar Baronius; qui insigni methodo, stilo masculo, acri rerum omnium libramine; pro Ecclesiâ, Fideique veritate, dixit, scripsitque. Nec Casaubonus, Montacutius, aliique adversarii, aliud in eo causantur; quàm quod Romanæ Fidei nimiùm adblandiatur. Verùm, ut lippienti oculo, lux omnis, & Solis præsertim meridies; officit: ita

nihil mitum, tenebris assueros, clarirare, quâ produntur, offendi, offundique. Si quod ille pro universâ Christi Ecclesiâ, elaboratè præstitit: hoc ipsum, Germani, Galli; aliique, ubi in Fide lingium, & differentia est; pro suis quique provinciis, eâdem industriâ præstare conarentur; & suarum Ecclesiarum primordia, Origines, sacra, ritus, primogenio colore describerent; minor hodie foret sectariorum numerus; Orthodoxa Fides ubique illustrior, & nuperæ factionis infania appareret. Interrogentur enim nationum Apostoli, primi Ecclesiarum fundatores, primi Principes, subditique: excutiantur illarum ætatum dicta, scripta, factáque. Inquiratur in sequentium sæculorum Traduces; quam Fidem, quæ sacra, quo ore, manuque acceperint: conferantur posteriora sæcula, dogmata, ritus; prioribus sæculis, dogmatibus, ritibus; & eminebit statim, quod defæcatum est; subsident fæces, & scoria omnis, hoc lydio lapide: probabitur.

Est & aliud purioris doctrinæ Fideique argumentum singulare; quod suppeditat historia, ab adversario petitum. Contemplari, qui, & quorsum, primis sæculis, & omni post sæculo, persecurores appellati sint. ut in Ecclesiam illi, magno, sed irrito conatu, surrexerint: ut benè credentes pessimè habuerint; Christumque in illis, & omnia quæ Christum loquebantur, oderint. Ex illo tormentorum, & Martyriorum Oceano, colligi possunt, non solùm Christianæ religionis aliquot tabulæ: quæ vi tempestatis solutæ, felicissimè portum tenuerunt. Sed navis ipsa fluctibus major ad petram alligata, furentes undarum impetus innoxiè excipere videbitur. Ibi ergo prudens quisque anchoram figet; nec quæret aliam notam Ecclesiæ characteristicam; quam illam à Christo traditam, cum petram nominavit Ecclesiæ fundamentum; in quam portæ inferi prævalere non possent. Et certè vix ulla (si Fidem & controversia spectes) utilior jucundiorque contemplatio est: quam cernere omni ævo, hæreses, schismata, aliaque humani cerebri vitia, nasci, tumescere, circumferri: & demum ad illam petram allisa frangi, subsidere & denasci. Sic optimo consilio permisit pater-familias, in agro suo lolia crescere: Et eleganter Paulus dixit: *Oportet & hereses esse; ut & qui probati sunt; manifesti fiant in vobis.* XVIII. ad Corint. c. II. v. 19.

Uti hoc probationis genere, ad Fidem asserendam; aliud non est quam Majores nostros de Fide sciscitari; eorum acta relegere, monumenta excutere, sepulchra revereri. Quod si ubique Christianæ provinciæ præstare vellent; & primos Fidei radios, auroram, ortum, meridiem denique describere: & reprobati olim hæretici, & fideles qui probati sunt, manifesti fierent in nobis, ut monuit gentium Apostolus. Præcessit Baronius pulcherrimo exemplo, & antiquam Ecclesiæ faciem revelavit. Si matrem ac parentem Romam spectes; nihil omisit, quod nativum ejus colorem, pulchritudinemque referret. Possunt ex hoc Archetypo, aliarum Ecclesiæ provinciarum describi; & facili post eum cõpendio, matri ac parenti assimilari filiæ, quæ eò legitimæ magis & genuinæ probabuntur, quò propiùs prototypi vultum referent, & lineamenta singula. quoque magis abeunt ab eâ venustare; eò magis spuria esse virulamina, & à primâ conditione recedere, nec ullo alio argumento melius ostenditur. Utinam doctissima, quæ hodie per Orbem sparsa sunt, omnium nationum penicilla, in hoc opus incumberent; & patriæ, & parentibus, eo pietatis genere litarent: possent enimvero, non modò Fidem & Ecclesiam illustrare; sed eâdem etiam operâ, errores, si qui sunt, & nata post scandala, novâ spongiâ oblirerare, atque dispungere, quod magnum hoc tempore operæ pretium est; quando Virgo Fides, nuperâ factione trahitur, distrahitur, & miserè laceratur. XIX.

Hanc autem, vel inter Idolorum ſordes, vel hæreſum feces, vel perverſas hominum libidines; illæſam, incorruptamque à primâ Fidei plantatione, ad ultima ſæcula deducere; eſſet ſine dubio utile provinciæ ornamentum; nec opus arduum, iu tantâ ingeniorum fælicitate; in multa librorum & Manu-ſcriptorum frequentiâ: in doctâ demum authorum, qui quotidie prodeunt, multitudine.

XX. Hæc mihi animo ſæpè verſanti, ſpectantique magnam, in Britanniâ, avitæ religionis echlipſim, occurrerunt aliqua, quæ me currentem ad patriæ ſalutem, impellerent; ſi non Baronij induſtriam imitari, quod nunquam mihi arrogabo; conari tamen ad aliquid; quo veterem Britanniæ Eccleſiam, in memoriam hominum revocando, reſtituendo, excutiendo; pro poſſe meò, & decori patriæ, & Orthodoxæ Fidei, & proximorum ſaluti conſulerem. Sed plura, fateor, currentem ſtiterunt; temporum iniquitas, miſera hic Catholicorum conditio; eorum præſertim, qui ſtare pro domo Dei, & pro Eccleſiâ loqui deberent. Eos inter, ego, qui omnem juventutem foris egi; & nunc per triginta annos ἄπολις, aquâ, ut dicitur, & igni interdictus, procul à bibliothecarum pluteis; nec ullâ librorum ſupellectile inſtructus, impar labori (quis dubitat?) videbar. Perrupit tamen hanc difficultatum nubem, cauſæ æquitas, amor recti, illuſtriſſimus ubique Fidei meridies; in quo lucere Solem infantiſſimus quiſque probare poteſt, nullo negotio, nec multo opus apparatu biblico; Majores noſtros, Reges, Principes, Epiſcopos, ſanctitate magnos & orthodoxos oſtendere; in quo tamen potiſſimus rerum controverſarum cardo vertitur. Nam ſi orthodoxi illi: illi qui contra ſentiunt, contra faciunt, contradicunt; paradoxi eſſe facilè convincuntur.

XXI. Cum itaque cernerem novam ubique Fidei ſcenam, ab antiquâ differentem, atque degenerem; cum novus occurreret rerum aſpectus, cœli, ſiderum, denique hominum: cum Eccleſiæ cauſa ageretur, & de *ſperandarum rerum ſubſtantiâ*: cum de omnium Majoribus controverſia eſſet, & ingens contentio: omnium intereſſe putavi, qui Chriſtiani militis nomine cenſentur; aliquid in communis cauſæ ſubſidium conferre. Et cur non ego, inermis licet, & ad ſarcinas reſidens, inter illos ſymbolum darem? Do igitur; & eo lubentiùs, quòd videam hoc novum cœlum, nova ſidera, novis hominibus in deliciis eſſe, fingi neſcio quæ idola Fidei; & illa aliquando coli tam imperitè: ut infideles, qui omnino in Numine erraverunt, videantur venialiùs peccaviſſe. Quid enim, ut à ſummis ordiar, Scripturarum illa Majeſtas, niſi cœlum eſt; quæ medio lumine & cœleſti calore, divinam imaginem in mentibus noſtris, cælat, animátque? Quid antiquos Patres, niſi ſidera vocabis: qui è magno Sole mutuantes lumen, pulcherrimè nataverunt in Scripturarum Oceano; & porrexerunt nobis, dubiis in rebus, non dubiam lucem? Hoc cœlum, hæc ſidera, illi mutaverunt; qui aliam Eccleſiæ faciem, alium Scripturæ ſenſum induxerunt; antiquato eo, qui terrarum Orbem, & hanc imprimis Inſulam, per quindecim ſæcula, fœliciſſimè beavit. Unde nil mirum, naſci alium rerum ſtatum, influxus alios, genium alium; adeoque homines novos, tam ab antiquis differentes; quàm differret hic Orbis, ſi novo cœlo, novo Sole, ſideribuſque clauderetur.

ad Hebr. c. 11.

XXII. Sed unde hoc naturæ vitium, atque inconſtantia? unde, inquam, cum cœlum reverà ſemper idem ſit: mentes tamen hominum ſint adeo variæ; ut quod olim pulchrum, rectum, & ſuis numeris abſolutum videbatur: idem nunc turpe,

obliquum,

obliquum, imperfectum, constanti tamen rerum veritate, censeatur? Dicendum enimvero; ut mortalium corpora, abiverunt modò à primo robore, nervisque qui egregiè aliquando compaginabat artus; & magis sunt enervia: ita *mens* interdum, ni sedulo caveas, fastigio suo excidit; nimium, heu nimium mancipata sensibus. Et illa tunc, quæ olim ducebat corpus, movebat membra, moderabatur omnia; nunc servit, & omnibus ancillatur. Interim *Ratio*, quæ Numinis instar dictabat facienda, & Fide illustrata, credenda proponebat; amisit imperii arcem, & unà cum mente majestatem exuit, *Opinionum* vanitatibus obnoxia. Ita animatum hoc cœlum: mens, inquam, hominis; quæ præesse debuit, & inferiori mundo lucere, succubuit sensui; non ratione ducta, sed opinione; hoc est vanissimâ imagine, umbrâque Rationis. Hinc secuta tempestas nupera; quæ sanctiorem Britanniæ Remp. turbavit; cum tributum, quod veritati debebatur, errori persolvitur: & non vera illa, & olim credita Scripturarum oracula; sed nescio quæ cerebri idola coluntur, in Majorum nostrorum Fidem peccantia.

Conabor igitur, hodiernarum opinionum nubem perrumpens, & rectò legens ætates ac tempora; sudum illud, ac serenum cœlum ostendere, sub quo Magnæ Britanniæ Reges populique, beati sunt. ubi monstrato Sole veritatis, ac Fidei, evanescent fortè moderna vitia, quæ clauso cœlo egredi audent, & tenebris tantum ac erroribus saginantur. Pauci, opinor, sunt, qui primorum sæculorum, non tangantur aliquâ saltem reverentiâ: imò nostrates aliqui contentiosè satis ad antiquos Britannos provocant. Sed illi ipsi aliquando, cum antiqui in quæstione nominantur, obliti provocationis, ab illis, magno cum supercilio, ad Scripturas appellant. Quod si id modestè, & sine Patrum ac Doctorum injuriâ facerent advolarent illico Orthodoxi, nec alium controversiæ judicem postularent. Verum, eludi antiquorum sensa, & nova succedere, mentita imagine pietatis, ac Scripturarum etiam læsâ Majestate: id enimverò impatienter ferunt, & meritò adversantur. Nam inde fiet (quod hodie factum lugemus) ut quot sunt homines; tot sint futuræ Scripturæ sensus: & ita idola nascentur plura, quam olim coluit infidelis Orbis illustrati illud potest hoc exemplo. XXIII.

Lis est de Christi Corporis veritate, in Sacramentorum omnium augustissimo. Nos ibi Deitatem reverâ, & humani corporis veritatem reveremur. Obstrepunt alii, & quicquid sensu metiautur agnoscunt; aliud nihil. Nos à sensu, ad Fidem provocamus, sensu majorem, & captivamus intellectum in obsequium ejus. Si pergunt esse contentiosi; invocamus Patres, & omnium sæculorum Fidem imploramus. Quid illi ad hoc? Nimirum, non prostituemus, inquiunt, ad quælibet hominum suffragia, fidem nostram: nec in re arduâ, tam debili nitimur argumento: Scripturam appellamus, & veritatem illam, quæ prima est, & errori non obnoxia: & illi tantummodò adolemus. Quis non putaret hoc genus hominum, ab opinionum vanitate alienissimum esse, qui ita scrupulosè loquenti Deo inhærent, & anxiè in ejus unius verba jurant, ut Angelos quoque aversentur, & Doctores omnes, quos constituit Christus *in consummationem Sanctorum?* Sed latet anguis in herbâ. & si ignem admoveas, aut Lydium lapidem; non est aurum, sed ferri scoria: opinionum, inquam, Oceanus, quod pro auro, & veritate vendıtur. Orthodoxi enim, cum Scripturæ ab adversariis nominantur; ad illam Majestatem venerabundi accurrunt: caput, cervicem, & sensum omnem inclinant. Tum explicant volumina, scrutantur Evangelia, & XXIV.

ubique Christi corpus, Caro, Sanguis, propinantur. Pergunt porrò, & adstipulatur Gentium Doctor, Paulus Apostolus. Denique veritati illi, verba, sententiæ, apices singuli suffragantur: nihil obscurum, involutum nihil, aperta sunt omnia: nec lucet Sol clariùs in meridie. Hic hostes capiuntur constantissimâ luce, & eo argumento, ad quod religiosè in speciem appellabant. Itaque ad figuras, tropos, & tenebras currunt. Fingunt in Eucharistiâ esse non Corpus Christi, sed imaginem ejus; non verum Sanguinem; sed aliquid simile: nihil Christi, aut Sacerdotis ore confectum; sed Fide sumentium.

XXV. Itáne verò tenebriones isti, ideo ad Scripturas provocarunt; ut post explosa Doctorum sensa, Conciliorum decreta, suffragia Sæculorum; cum illâ quoque Majestate luderent? Et in primo, ac principe Sacramento; quod veluti Fidei elementum simplicissimè tradi debuit; figuras, & obscuritatem quærerent: & definirent tandem; è Scripturâ scilicet: non Corpus esse, non Sanguinem; quod Christus, disertis verbis, pluribus in locis, constanti semper sermone, suum CORPUS, suum SANGUINEM affirmavit. Nihil hoc aliud est, amice Lector, quàm in gravissimis rebus ludicra sequi, & ad cujusvis stomachum, pro arbitrio coquere divina dogmata. Si Corpus non est Corpus, his Magistris; sed umbra tantum, & figura Corporis. Quid evinci potest, ex ullo Scripturæ loco, quod dirimat aliquando nascentes lites? Dicent enimvero Ariani, & quidni? Christum in Scripturis Deum quidem dici: sed non propriè Deum-hominem; sed hominem Deo similem esse. Et eâdem licentiâ Christus dici poterit, è Scripturâ scilicet; non homo esse, sed in humanâ tantum figurâ, non Corporis substantiâ: quod Tertulliano teste Valentinus affirmavit. Est ergo, errorum omnium, ac hæresum origo, tacentem literam, ad cujusvis cerebri intemperiem, vocalem facere. Ita enim tot nasci possunt idola Fidei, quot ingenia sunt hominum, & sub velamine Scripturarum, infinita somnia. Nec procul sunt exempla. Illa ipsa Christi sacro-sancta verba: HOC EST CORPUS MEUM, à novis his interpretibus tam immanè distracta sunt; ut Hercules sit, qui eorundem sensus, & latentes Cacos inveniat.

Tertul. de Præf. c. 49

XXVI. Iterum ergo hos homines eruimus è latebris; circumcidimus hanc vagandi libertatem in verbis: & producimus in publicum, ad *Civitatem supra montem positam*, ad *Columnam & firmamentum Veritatis*; denique ad *Petram*, super quam ædificatur Ecclesia, fundaturque hoc oraculo: Nullus opinionum Oceanus, nec portæ Inferi prævalebunt adversus eam. Hic pallent factiosi, & duo respondent. Vel Civitatem obscurari, Columnam cadere, moveri Petram aliquando posse; ut garriunt Calvinistæ: vel certè, Ecclesiam quidem audiendam esse, & antiquos Doctores; sed illos omnes Protestantes fuisse, ut alii mentiuntur paulò modestiùs. In horum gratiam Britanni prodibunt, antiqui illi, & primi temporis fideles; eorum facta producentur in mediam, & è Factis, eruetur Fides. Si dubium aliquod & obscurum nascitur; egredior Insulam, & alias inviso provincias; quæróque, quid tunc in Galliis, Germania, Italiâ creditum: & quia Sectarii interdum Occidentem nauseant, & procul sæpè in Orientem fugiunt; illos sequor, & Orientis sacra, cum Occidentis compono; ut Britannorum Fides illustrior, omnium provinciarum suffragio, roboretur. Quod ideo faciam libentiùs: quia hoc genere argumenti, Sectarii ipsi fatentur, firmari maximè Fidem. Bellarminum laudat Montacutius, & meritò; quia controversa omnia, & methodicè digerit, & doctè componit: putat tamen Baronii industriam Rom. Fidei

subsidium

subsidium majus attulisse: Quia *illabuntur facile*, inquit, *quæ ducuntur ab exemplis* [a] *νουθεσίαι*. & addit: *In rebus Fidei litigiosis; declament licet in Scholis ad ravim, & raucedinem, controversarum quæstionum tractatores: pugnent* [b] *ἀποδείξεων*, *ut videtur ipsis, adamantinis: testimoniis Scripturarum agant gnaviter: operam tamen plerumque ludent, oleum perdent; si consuetudo popularis, & antiqua, authrix ex adverso prætendatur. Quocirca, fatendum est non tantum roboris ac præsidii futurum fuisse in illis Bellarmini* [c] *διαβοήτοις*, *nec immerito, controversiarum voluminibus, si non ad partes accessisset confirmandas, per Annales suos Ecclesiasticos, Cæsar Baronius.*

Montac. In præfat. ad Apparat. n. 60. a Admonitiones. b Demonstrationes. c Divulgationes.

XXVII. Cum igitur frequentes prodeant, qui Scholarum argumentis, sua tueantur; pauci qui majestate factorum: non abs re putavi, in Britannorum Regum facta inquirere; ex illis, & aliorum rebus olim præclarè gestis; in Regiam hujus Insulæ Fidem descendere: & inde concludere, Orthodoxam fuisse. Hinc statui Annales scribere, Majorum cineres invisere; priora sæcula posterioribus conferre: atque ita Veritatem, quam latentem in puteo ille quærebat, quærere in sepulchro. Quoniam vero Baronius arguitur, Urbicam magis, quàm Catholicam Fidem illustrasse. Ego Britannorum Ecclesiam, ritus, sacra; ita è Romano cœlo, & Romanâ manu, in hanc Insulam deducam: ut non Urbicam solum fuisse; sed Catholicam, & totius Christiani Orbis Fidem ostendam. v. g. Si Lucius, Constantinus, Albanus, Crucem coluerunt, Româ docti; nolo factum illud Catholicum, & Orthodoxum esse; nisi in Oriente etiam, & quaquà patet Christianus Orbis, cultam probavero. Sic Montacutii ferula, quâ Baronium ferire putat, aërem verberat.

XXVIII Habitâ Britannorum Fide Regiâ; sequenti tomo transibo ad Saxones; quos cum Gregorii Magni operâ, & Augustini manu, baptizavero; conabor demonstrare, in novâ gente, non novam Fidem: & corruet aries ille, quem centies admovent in Romam Sectarii: aliter Eleutherium, Britanniam docuisse; aliter Saxonem, M. Gregorium. Si enim invenero Augustinum, porrigentem Saxoni Missæ sacrificium, Crucis & Reliquiarum cultum, Primatum Urbis, aut dogma aliud, Britannis ignorum: jungo me sectariis, Gregorio irascor, & Augustinum nolo Apostolum. Quid si Britanni hæc omnia docti sunt priusquam Gregorius nasceretur: si Rom. Urbis primatum, si cultum Crucis, & Reliquiarum, Britanniarum Apostoli (quos Sectarii agnoscunt Apostolos fuisse) sæpiùs & constantiùs tradiderunt: misereri potero Novatorum infantiæ; non potero irasci. Tertio invisam Monarchas, qui post heptarchiam fuerunt; quos ad Normannorum tempora productos, & de Fide probatos; opponam factioni nuperæ. Et concludam à Christo nato per annos mille; inter rerum, & regnorum inconstantissimas vices; mansisse tamen in hac Insulâ, unam, candem, & Virginem Fidem: quæ tunc demum, nec priùs, in coronâ defecit, quàm factum est uno impetu, duplex divortium, uxoris, & Fidei.

XXIX. Cæterùm cum debeam, in hac narratione, omnem ferè Insulam, ad Romanam servitutem obligare; fidelem, inquam, & infidelem: dicam hoc primo tomo paulò uberiùs, quid factum utrobique: sive cum Cæsares explicuerunt Aquilas, sive cum melior Roma aperuit sinum. Sic ad sacra ascendens, religiosè Insulam circumeo, noto cærimonias, & sacra omnia, vel cùm idola, vel cùm Deus unus colebatur. Ubique videre est Insulam, Romæ obnoxiam, valde tamen differenter. Cum longè nobiliùs obligata fuerit fidelis illa, quam infidelis:

cum

cum doctiùs in illam pugnaverint Insulæ, quam Aquilæ: cum demum melior fuerit, devotiorque filia patenti, quam fuerat olim subdita Dominæ: Accuso passim nuperum divortium: quo paucorum factione valedictum est Romæ, & novo scelere iterum

——— *Toti diducta Britannia mundo,*

ad petram alligari noluit; sed rupto rudente, undis & Oceano permissa, certissimo naufragio tamdiu exponitur; quamdiu periculosè homines fluctuant, in opinionum eurypo, & feruntur sine pondere, & saburrâ Fidei.



ANNALES. ECCLESIASTICI INSVLÆ BRITANNICÆ.

SIVE

FIDES REGIA BRITANNORVM.

PROOEMIUM: *sive ingressus ad Annales.*

I.

CUNOBELINUS BRITANNIÆ REX.

Dio l. 60.

REGUM BRITANNIÆ INITIA.

CHRISTO nascente in humani generis salutem, & tegente majestatem suam cilicio infirmitatis nostræ, regnabat in Urbe Augustus Cæsar: cùm in Britannia rerum summa potiretur Cunobelinus Rex, quem antiquiores græci Κυνοβελλῖνον, scriptorum vulgus Cimbelinum, vel Kimbelinum vocant. Ejus Pater Theomantius successerat olim Cassibelano, noto homini, & Julii Cæsaria victoriâ insignito. Nec altiùs repeto Regum principia, quia ingentis operæ, & nullum pretium operæ est, ad Brutum ascendere, ac inde Britanniæ nomen appellationemque emendicare: quod aliqui tamen, nescio qua fide, tentaverunt, monstra nominum succenturiantes, Regum titulo, qui tamen Cæsarum ferè tempore, nec priùs, in hac Insulâ innotuit. Ego malo, ut Britanniæ, sic horum Regum nomenclaturam, aut non inquirere, aut non curare, quàm, præter historiæ dignitatem, sequi incerta. Præstiterunt hoc alii abundè, & pro rerum obscuritate, feliciter: mihi de Britannorum Ecclesiâ, de majorum nostrorum Fide, de Sanctorum gestis & pietate scripturo, satis ad gloriam erit, Alpha, & initium Christus, à quo, si sanctitatem, Fidémque Britannorum, in sequentes ætates deduxero, ornavi affatim nostram Remp. Præsertim si unam, eandem & Virginem Fidem, mansisse, inter rerum inconstantissimas vices ostendero: quod primum præcipuumque scriptionis hujus argumentum est. Quid enim, aut ad orthodoxæ Fidei præstantiam illustrius; aut ad Insulæ laudem ornatius dici potest: quàm recepta cælitus oracula, doctrinam dico à Christo dictatam, inter infidelitatis tenebras, inter hæresum & errorum monstra, in varia & alternante fortuna, atque Remp. illæsam omnino, puramque per plura sæcula servavisse. Hoc eò mirabilius erit, quò à Fidei fonte remotior Insula; nullo tamen terrarum tractu; nullâ Oceani violentiâ, nullis undarum fluctibus, misceri, infici, coinquinari potuit. Quod quia probandum suscepi: & occurrent assertioni huic impedimenta gloriæ, homines, inquam, nec à Deo docti, nec patriæ fideles, qui nubes in cælo, in sole maculas, in fide fæces causabuntur, moras mihi injicient, ad illustrandam fidem & Ecclesiam currenti: cogentque ostendere, nubes, maculas, fæces, aranearum telas esse, & impuri pectoris, ad illaqueandas animas, recrementa. Quod factu facilè, nuda rerum gestarum narratione probabitur.

ANNALIUM SCOPUS.

II.

ROMANORUM AMBITIONI SERVIT BRITANNIA.

CÆSARIS EXPEDITIO, PRINCIPIO INFAUSTA.

Dio l. 39.

Ordior hanc telam ab altera Rep. cujus status hic erat, cùm Christus nascebatur, vel paulò antè adventum ejus. Romano populo cùm Orbis unus non sufficeret, ambivit alium: & omnibus ubique terrarum domitis, cùm nihil cupiditati ejus par esset, respexit Oceanum: primúmque duce Cæsare, Britanniam petiit, anno fere, ante natum Christum, quinquagesimo-quinto. Insula, tot olim assueta fluctibus, exuere ad primum impetum ferociam noluit: sed Cæsarem, uno, alteróque prælio fractum, docuit, faciliorem esse terrâ, quàm mari victoriam. Μηδὲν ἐκ Βρεττανίας, inquit Dio, μήτε ἑαυτῷ, μήτε τῇ πόλει προσκτησάμενος πλὴν τοῦ ἐστρατευκέναι ἐπ' αὐτὴν δόξαν. quasi diceret: præter trajecti Oceani laborem, & vanæ ostentationis argumentum, nec sibi, nec Reip. Romanæ, Julii Cæsaris expeditio profuit. Ille tamen, cùm tertio irruisset, ad vincendum obstinatus, mitiorem Oceanum expertus, territis hostibus, & Cassibelano (cui in magna animorum perturbatione, rerum summa commissa) ad tributum coacto, potitus est litore. Scio Cæsarem de se speciosiora scribere, devictos à se populos, subditas provincias, damnatasque ad tributum, plures etiam Reges superatos. Sed & Romæ creditum, inventum ea expeditione novum orbem, & imperio adjunctum, decretamque ibi viginti dierum supplicationem, refert Dio, qui addit: Καὶ αὐτὸς ὁ Καῖσαρ ἰσχυρῶς ἐσεμνύνετο, καὶ εἶχον

CÆSARIS GLORIATIO OB DEVICTAM INSULAM.

Dio suprà.

Ῥωμαῖοι θαυμαστῶς ἐμεγαλύνοντο. Et Cæſar facta ſua verbis exornabat: & Romani mirificè extollebant Britanniæ victoriam. Verùm audio Tacitum modeſtiùs de expeditione illa loquentem. *Primus*, inquit, *omnium Romanorum, D. Iulius, cum exercitu Britanniam ingreſſus quanquam proſpera fortuna terruerit incolas, ac littore potitus ſit, poteſt videri oſtendiſſe poſteris, non tradidiſſe.* Amiſerunt tamen cives libertatem; & Reges, quà interniis diſſidiis, quà externo terrore fracti, cæpere primùm Romæ ſervire. Non omnis Inſula, ſed illa pars tantùm, quà Galliam proſpicit: remotior enim, & Mediterranea, nec Cæſarem vidit, nec ſenſit imperium. Imò facit ad dignitatem Inſulæ, gloriatio Cæſaris; ſive difficultatem pugnæ ſpectes, ſive cauſas pugnandi. Nam vectigalem quidem Romano Imperio provinciam, ſed magnâ demum induſtriâ, dixit Corvinus Maſſala. *Gallia*, inquit, *& Britannia, novem annorum Iulii Cæſaris labor fuere, tributaria demum facta.* Sed & Sextus Rufus, non niſi decimo anno ſubjugatam Inſulam ſcribit, in Breviario. Infeliciter etiam aliquando à Cæſare pugnatum, ipſe Cæſar affirmat: nimirum occiſum primo impetu, à Britannis, Labienum, tribunum militum, aliosque armaturà graviores, quàm qui in incolas pugnare ſine periculo poſſent. Silurt quidem ipſe ſuorum fugam, ſed non Poëta, qui dixit:

Tacit. in vita Agricol. — *Corvi. Meſſala in progenie Auguſti.* — *Sext. Rufus in Breviario.* — *Lucanus.*

Territa quæſitis oſtendit terga Britannis.

III. CUR CÆSAR BRITANNIAM AGGRESSUS.

Jam verò ingreſsûs ejus, trajectique Oceani, ſi cauſa quæritur: una erit, & ſufficiens, Julii Cæſaris indoles, ad magna, & Orbis imperium, aſpirantis. Hinc gloriæ appetitus acuebat animum, & ardor explicandi Aquilas, ad extrema terrarum. Hinc vindictæ impetus ac iracundia, propulſans impedimenta gloriæ, quam in Gallorum ſocietatem vocati Britanni morabantur. Hinc peregrinarum rerum cupido, & *Spes margaritarum*, inquit Suetonius, *quarum amplitudinem in Britanniâ morabatur.* Ancillabatur ambitioni ejus, peſtis illa rerumpublicarum, Civilis diſcordia, & Britannorum Principum factio externo nomini faventium. Ita enim fiebat, ut dum privatis rebus ſtuderent, negligerent publicas: & dum ſinguli pugnarent, Univerſi vincerentur. Imperati ſunt à Cæſare obſides, & pecuniæ: Caſſibelanus Rex, ad tria librarum millia, in annos ſingulos, condemnatus, liberam Provinciam, & antea ſervitutis expertem, Romanorum cupiditatibus ſubſtravit: ſorte quidem infelici, ſi naturam conſideres; ſed ingenti commodo, ſi rationes æternas, & Numen illud contempleris, quod humana omnia conſtantiſſimè moderatur, dirigitque in fines ſuos. Etenim cùm Deus immortalis reficere demum opus ſuum, mutaréque in melius ſtatuiſſet: & inſtaret tempus, quo novus conditor, novâ conditione naſceretur, debuit mundus, in immenſum undequaque diffuſus, ad unius loci imperium colligi: ut inde faciliùs in univerſum terrarum orbem primò morum præcepta deſcenderent, tum pietatis & Fidei.

Sueton. in Cæſar. c. 47. — CUR DEUS ID PERMISERIT.

IV. ROMA PRINCEPS, ET QUARE?

Roma in hanc rem deſignata eſt Princeps: ſive ob ſitum ſuum, quæ Africæ imminens, nec procul ab Aſia, pulchrè è ſuis collibus deſpectat Europam: hinc mari munita, hinc montibus, undique ad imperium fortis. Sive ob religionem loci quò jam olim omnia Deorum ſimulacra confluxerant, & inani ſpecie ſefellerant multos; facturos enimverò melius, ſi divinior impetus adfuiſſet. Optimè in eam rem ſanctus Proſper: *Credimus*, inquit, *providentiâ Dei, Romani regni latitudinem præparatam: ut nationes vocandæ in unitatem corporis Chriſti, priùs jure unius conſociarentur imperii.* Eminebat in eâ Urbe, inter idolorum ſordes, neſcio quis humanæ vitæ cultus, & morum, quàm alibi, major elegantia, quæ legibus adjuta, longè diſſitas provincias, tam tenebat in fide, quàm metus & imperium. Eam ob cauſam, undequaque Principes viri Romam advolabant, luſtraturi oculis gentium Dominam, & veneraturi ſua ſponte, quàm priùs horrebant. Ita Mandubratius in Britannia, regius adoleſcens, vel ut alii Androgeus Theomantii frater, cùm in Caſſibelanum ſurrexiſſet, Romanorum partes ſecutus, Cæſarem in Urbem comitatus eſt, relicto in Trinobantibus Theomantio, qui Caſſibelano tandem mortuo ſucceſſit. Et fuit hic Cunobelini parens tenentis nunc ſceptrum avito jure, ſed tributis obnoxio.

Proſp. lib. 2. de Voca. gen. c. 16. — *Cæſar l. 5.* — *Beda l. 1. c. 2.*

V. BRITANNIA ROMÆ FIDELIS.

Lucæ 2.

Itaque Britannia ſerviebat hanc ſervitutem, *cùm exiit edictum à Cæſare Auguſto, ut deſcriberetur univerſus orbis*; & divino prorsùs factum eſt conſilio, ut orbis hic noſter, cum orbe cætero cenſeretur: quo diſceret Romam colere, & formaretur, eo tyrocinio, ad cultum ſanctiorem, qui omni poſt tempore, Urbem illam venerari debebat. Quod revera ab Inſula integerrimè præſtitum, ſive ſacram, ſive civilem Remp. ſpectes, ut hoc opere demonſtrandum ſuſcepi. Sumpto itaque exordio à Cæſarum victoriis, qui Britanniam ſubdiderunt, inde gradum faciam ad Romanorum Pontificum, qui alio armorum genere pugnaverunt, acies explicandas. Et ſanè fideli Romæ meliùs, quàm infideli ſervivit Inſula, plus infulas, quàm aquilas venerata: quia illæ doctiùs, quàm iſtæ pugnaverant. Enimverò quod Cæſares armorum vi, terrore & majeſtate nominis ſui; hoc ſanctior Roma præſtitit humanitatis viſcera explicando, & pietatis ſinum: quia Chriſtum prædicabat, vel poſitâ, vel preſsâ majeſtate, humanâ naturâ indutum. Quamobrem Annales iſti ita texendi ſunt, & temporum ſeries ordinanda, ut quamdiu Inſula Romanis Principibus paruit, nimirum per annos omnino quadringentos, tamdiu Romanorum Imperatorum nomina Annalibus præfigam, & conatus, expeditionesque in Britannia, ſervato quoad potero annorum ordine, exponam. Tum fidelis Romæ ubera aperiam, quæ Britanniam, omni tempore, pientiſſimè lactaverunt. Nec enim, ut Cæſares, qui ſe ſuáque tantùm quærentes, oppreſſam Remp. & opis indigentem, laceram, nudamque hoſtibus permiſerunt: ſed illa conſtantior, non ſolùm in cunis vagientem fovit, nutrivit, adoptavit in filiam; ſed adoleſcentem educavit, adultam roboravit, vacillantem confirmavit, ægram erexit, ſanavitque; denique per omnes ætatis gradus, ad ſummum ſanctitatis & gloriæ culmen evexit: quærens ubique, non quæ ſua ſunt, ſed quæ JESU Chriſti. Hinc factum, ut ſæpè Cæſarum & Auguſtorum jugum Britannia excuſſerit, Romani Pontificis nunquam, niſi cùm libidini, avaritiæ, & ſui cerebri idolis, ſine fræno ſervire & ſacrificare placuit. Prætenſo quidem Regum jure in omnia Reip. membra, & Eccleſiam, & illi majeſtati blandiendo: ſed triſti poſtmodum experientia conſtitit, inimicum impetum fuiſſe, & omni majeſtati injurium: nam preſſi demum Reges, & regni proceres, exauctorati Præſules, & omnis demum ſoluta ſubjectio, ſeditioni civilique bello viam aperuit. Non eſt animus nuperi tumultus cauſas indagare, aut

UTRAMQUE REMP. COLIT. — DIFFERENTER TAMEN. — CÆSARES, QUÆ SUA SUNT, QUÆ CHRISTI ROMANI PONTIFICES QUÆSIVERUNT — UNDE SOLUTA SUBJECTIO.

gradus

gradus inquirere, quibus in calamitatis oceanum descensum est: libet tantùm meminisse quid Romani scriptorea de suâ Republicâ dudum tradiderunt: *Seditionum omnium causas* (inquit Florus) *Tribunitia potestas excitavit: quæ specie quidem tuenda plebes, cujus in auxilium comparata est, re autem dominationem sibi acquirens; studium populi, & favorem agrariis, frumentariis, judiciariis legibus aucupabatur. Inerat omnibus species æquitatis. Quid enim tam justum, quàm recipere plebem jus suum à Patribus; ne populus extorris atris ac focis ageret? Quid tam æquum, quàm inopem populum vivere ex ærario suo? Quid ad jus libertatis æquanda magis efficax; quàm ut Senatu, regente provincias, ordinis equestris authoritas saltem judiciorum regno niteretur. Sed hæc ipsa in perniciem tendebant, & misera Respublita in exitium suum merces erat.* Ita Florus.

Flor. in epit. lib. 3. c. 13.

VI. Britannia Romam colit, cum Christus nascitur.

Verùm Romanam Rempublicam composuit sacrosancta Christi nativitas: cùm pax Orbi restituta, cùm auctior Urbis potentia: cùm adjuncta Imperio regna & provinciæ: cùm Augustus Cæsar, posito fastu, edicto vetuit se Dominum appellari; nimirum cùm brevi nasciturus esset Princeps pacis, Rex Regum, & Dominus Dominantium; in regnorum omnium, & provinciarum salutem: earum præsertim, quas Roma in suum sinum collegerat, & vectigales fecerat. Eas inter Britannia censum persolvit cùm descriptio universi Orbis coegit Virginem matrem, Bethleem proficisci. Nec enim illos audio, qui dicunt Cunobelinum Regem, nullum Augusto tributum solvisse. Equidem divini consilii rationem evertunt, qui Britanniam nolunt Romæ paruisse; cùm Christus Dominus Romanum imperium natali suo illustravit, & voluit ipse se illius Urbis civem, censu profiteri. Quod ea mente factum, ut sparsæ undique provinciæ, sub unius imperii jugum collectæ, ad suavius nobiliúsque jugum, faciliùs pararentur: & nemo subjectionem sperneret, quam Christus majestate sua consecrârat. Hoc divinæ mentis consilium probaturus, repetam ab exordio, quid gestum in Britanniâ, vel cùm Cæsares explicuerunt Aquilas, vel cùm sanctior Roma aperuit sinum: utrobique ostendam parentem Urbi Insulam, ita tamen ut Christianam magis, quàm ethnicam, & multo constantiùs devotiúsque sacram Rempublicam, quàm alteram, coluerit: nec unquam à cultu destiterit, quamdiu sana & orthodoxa Fides beavit Insulam.

Io. Spedus l. 5. c. 6.

ANNUS URBIS CONDITÆ. 752.

ANNUS CHRISTI 1.

CUNOBELINI REGIS 15.

AUGUSTI CÆSARIS 42.

I. Nomen JESU Christo imponitur.

Cum Christus Dominus octavum diem natalis sui, fuso sanguine, consecrasset, & eo hieroglypho innuisset, se humanum genus suo sanguine redempturum; omni merito consecutus nomen, quod est super omne nomen, JESUS appellatus est: verè oleum effusum, nomen illud; & effusum in omnes gentes. Unde Gentium primitiæ Reges in Oriente per stellam, divinæ mentis interpretem, tracti in odorem unguenti, ad nati Christi cunas prostraverunt se, & duodecim dierum infantem adorârunt: præludentes Occidenti, & Britanniæ Regibus, ut primi sequerentur. Et fuit ex voto: nam inter Europæos Principes, Britanniæ Rex, in eo pietatis genere, primus eminuit, Cunobelini, nunc regnantis, è filio pronepos, Lucius.

II. Annus Christi natalis.

Agebat Cunobelinus, cùm nascitur Christus, regni annum decimum quartum: & nunc decimus quintus numerari incipit, cùm Augustus Imperator, annos duos & quadraginta regnasset. Nec tamen errasse dicendi sunt qui paulò scrupulosiùs tempora supputantes, primum nascentis Christi annum in Augusti quadragesimum primum retulerunt: Circumcisionis annum, à natali & Incarnatione distinguentes. Ego claritatis causa, & contentionis vitandæ, Baronium sequutus, primum Christi annum sic consigno; ut natum illum, circumcisum, & à Regibus adoratum includat, sub Augusto decimum tertium, & Plautio Silvano Consulibus. & aio Britanniam, illam, inquam, Insulæ partem, Galliæ objectam, à Cæsare olim domitam, Romæ & Augusto servivisse, & Cunobelinum Regem, servitutem illam, tributi solutione professum. Quod multo argumento probari potest. Priùs tamen eximendus est scrupulus, quem aliqui movent non immeritò: Qui fieri potuerit, ut domitâ Britanniâ, & in provinciam redactâ, Regum tamen mentio, sibi invicem hereditario jure succedentium, fiat? Baronius hunc nodum ita solvit in notis ad Martyrologium: *Ne mireris,* inquit, *si redacta jam Britannia in provinciam, Regibus extinctis; ut author est Suetonius, & Tacitus iterum in Britanniâ, Lucium regnare audias. Nam & aliis sæpè provinciis, id fuisse concessum invenies. Iudæa enim, postquam redacta est in provinciam, habuit Reges ac Tetrarchas. Armenia etiam concessione Adriani Imperatoris, Regem habuit; ut tradit Spartianus. Sunt & de his alia exempla; quæ brevitatis causa prætermisimus. Quin & ipsam Britanniam redactam jam in Provinciam invenies, tempore Neronis, habuisse Regulum. Is erat Prasutagus.* Hæc Baronius: qui idem probat in Annalibus.

Quomodo Britannia Reges habuit sub Romanis.

Baron. in notis ad 26. Maii.

III. Reges sub Romanis fuerunt.

Verùm difficultas hæc, & objectio, non multa solutione indiget: cùm extinctos, à Romanis, in Britanniâ Reges, nemo dixerit. Tacitus enim, & Suetonius, tantùm dicunt, victum aliquando Regem atque triumphatum, & in ejus locum successisse alium; imò & à Romanis quandoque substitutum. Brevis ergo & facilior solutio erit, si Romanorum mores consiliúmque inspexeris: *Qui vetere, ac jam pridem recepta consuetudine, Reges habebant instrumenta servitutis,* inquit Tacitus. Etenim, quo indomitam & fluctuantem plebem, in officio, sine armis, aut cum exiguâ militum manu Roma contineret, putavit operæ pretium, permisso Regum titulo, libertatis imaginem dare, quò fortiùs premeret, & indulgentia in unum, frænaret omnes. Sic Cæsar Cassibelanum vicit, permisítque regnare. Nec Regio titulo majestas deesse, aut ullum majestatis insigne consueverat. Nam Livius scribit, Scipionem, ascenso tribunali, Massinissam Regem appellasse aureâ paterâ, aureâ coronâ, sellâ curuli, scipione eburneo, togâ pictâ, & palmatâ tunicâ donatum. Quod diu pòst à Romanis observatum; teste Tacito, qui ita Ptolomæum Regem inauguratum scribit:

Tacit. in vita Agricola.

Livius l. 30.

Tacit. l. 4. Annal.

Cognitis dehinc Ptolemai, per illud bellum. studiis repetitum ex vetusto mos, missusq; è Senatoribus, qui scipionem eburneum, togam pictam, antiqua Patrum munera darent, Regémque ac socium atque amicum appellarent. Nec deerat nobile capitis ornamentum, diadema: quod conceptâ verborum formulâ, ambitiosiùs impositum Armeniæ Regi, à Nerone, scribit Dio: ἃ γάρ σοι οὔτε ὁ πατὴρ κατέλιπεν, &c. *Nam quæ neque pater tuus tibi reliquit, neque fratres quæ dederant, servaverunt; ea nunc tibi ipse do: Téque Regem Armeniæ facio:* Ut tu atque illi simul intelligatis, in mea esse potestate, regna dare, & adimere. Hæc cùm dixisset, jussit eum ascendere in sedem, quæ ante tribunal ob eam causam parata fuerat. *Tum Tiridates ad pedes Neronis consedit, eiq; Nero diadema imposuit.*

Dio l. 63.

IV. Et Regibus cives parebant.

Par etiam erat subditorum conditio: nam integrè parebant suis Regibus, fidémque etiam illis Sacramento spondebant & omne obsequium. Ita factum à Judæis, hoc anno, cùm Herodi Regi juramentum præstiterunt, & omnimodam servitutem: ut refert Philo, vel author certè libri de temporibus, sub Philonis nomine, qui factum id dicit anno regni ejus trigesimo primo. Stetit ergo Regis nomen ac majestas cum Romano imperio. Nec Suetonius adversatur, aut dicit Reges à Romanis extinctos: nam ita de Augusto: *Regna,* inquit, *quibus jure belli potitus est, præter pauca, aut eisdem quibus ademerat reddidit, aut alienigenis contribuit: Reges socios etiam inter semetipsos, necessitudinibus mutuis junxit, promptissimus affinitatis cujusque atque amicitiæ conciliator, & fautor.* Nec putandum, inter pauca quæ Suetonius excipit regna, Britanniam fuisse. Nam Tacitus, cùm suprà nominasset Reges, *instrumenta servitutis:* exemplo id confirmat Cogiduni Regis, in Britanniâ: *Redacta,* inquit ille, *paulatim in formam provinciæ proxima pars Britanniæ, addita insuper veteranorum colonia: Quædam civitates Cogiduno Regi donatæ. Is ad nostram usque memoriam fidissimus mansit: vetere ac jam pridem recepta populi Rom. consuetudine, ut haberet instrumenta servitutis & Reges.* Quicquid ergo priùs factum à Cæsare; quicquid posteà à Claudio gestum: & quantumvis Britannia Romæ servierit, Regem tamen habuit, & regiam illi majestatem.

Philo l. 2. de Temp.

Sueton. l. 2. c. 48.

Tacit. in vita Agricol.

V.

Hos inter Cunobelinus, Græcis Latinísque scriptoribus notis. Vixerat ille Romæ Augusto Cæsari charus: unde authores aliqui putaverunt socium illum potiùs, quàm vectigalem fuisse. Verùm amicitia, societásque cum tributo stabat: & subactæ provinciæ, census solutione Dominicam Urbem agnoscebant. Quod certum est Cunobelino Rege factum: ut cusa sæpiùs numismata testantur, in quibus tributi expressa mentio: & ecce unum, Regis nomen & servitutem significans.

Io. Speedus l. 5. c. 6. n. 6.

Britannia tributum Romæ solvit.



Camd. numism. n. 5.

VI.

Argenteum esse nummum suadet epigraphe: quantumvis Cæsar in Commentariis dixerit: *Britanni utuntur nummo æreo, aut annulis ferreis.* nam ut id verum fuerit, in mutuo, communíque commercio; Romanorum tamen census erat elegantior, nec ære, aut ferro solvendus. Cæterùm numisma hoc, numisma census fuisse; & à Cunobelino Rege Romæ solutum, quoties Romani orbis descriptio, cultum, obsequiúmque postulabat, incisi characteres vocaliter loquuntur: nam præter Regis nomen, & nominis omen, quod in primâ facie cernitur, Tasc, quod in aversâ legitur, non aliud quàm tributum signat: quæ notio etiamnum manet: nam Taske hodiéque pensum (ut taxatio) significat: & olim ita dictum. doctè Camdenus infert in notis ad antiqua Britannorum numismata. Effigies illa fœminæ, quæ in eâdem nummi facie prostat, Britanniæ symbolum est, factæ sub tributo. Obscurior vox illa NOVANE: nisi fortè Novantum, vel Trinobantum Urbem, Britanniæ Principem, velis accipere.

Cæsar de bello Gall. l. 5.

Numismatis sensus.

Quod in adversâ parte visitur, Apollo cytharam pulsans, & Cunobelini nomen: devotum Regem significat illi numini, unde & nomé ceperat. Enimverò quod Hebræis, Chaldæis, Syris, & toti fermè Orienti, Baal, Bel, Belus erat: hoc idem Occidenti nostro Belinus. Licèt autem vox illa, non tam definitum Deum aliquem, quàm vagum numen, aut potiùs communem Dominum signaret, ut & Hebræum בָּאל Norici tamen, Galli & Britanni, Phœbum & Apollinem, Beli seu Belini nuncupatione colebant. Et plerumque principes viri, idolo illi faciebant, tam religiosâ cæremoniâ, ut inde sibi nomen appellationémque, in boni ominis præsagium, acceperint. Ita à Sole aliquando (& idem est Phœbus & Apollo) Heliogabalus Imperator; Ita Cascibelinus (ita enim aliquando scribitur) & Cunobelinus noster, Occidentis more, à pietate in Apollinem nuncupati. Nec mirum illud: nam cùm scribat Cæsar, Gallos Apollinem colere, de Britannis, qui Gallorum sacra tunc sequebantur, intelligi quoque debet. Ausonius Gallus, cultum à Gallis Apollinem, sub Beleni nomine testatur illis versibus, cùm de professoribus Burdigalensibus scribit:

Cunobelini nomen unde?

Belinus in Occidente colitur.

Nec reticebo senem,
Nomine Phœbicium:
Qui Beleni æditnus,
Nil opis inde tulit.

Auson. in Profess. Burdiga.

VII.

Ab hoc idolo manarunt alia minorum Gentium, & per Britanniam colebantur. Sic in Brigantibus & Cumbrorum provinciâ visitur ara Belatucadro Deo, in hunc modum incisa:

DEO
SANCTO BELA
TVCADRO
AVRELIUS
DIATOVA *ARÆ
X VOTO POSVIT
LL MM.

*pro Aram ex.

Mutabo hæc nominum monstra, hunc regium cultum, atque provinciarum, melioribus sacris, cùm Sol justitiæ nobis illuxerit: & ostendam, ut abolitâ plurium deorum vanissimâ superstitione; Britannia uni Deo vivo & vero, devotissimè adhæserit, illi aras ex voto posuerit. Et demum non Belum, non Apollinem; sed Petrum, Apostolici agminis Principem, religiosè coluerit: illi, post Christum, aras, templa, urbes, omnem denique

Insulam

Insulam submiserit. Enimverò à Cæsaris ingressu licèt domita fuerit, & armorum vi servire coacta: jugum tamen aliquando, quod invita subierat, sive murorum suorum fiduciâ, sive amore libertatis, excussit. Ita sub Augusto Cæsare, cùm Roma civili incendio in partes, & varia studia traheretur: His Bruto & Cassio, illis Aotonio Pompeioque faventibus, rebellavit Insula. Verùm Urbe composita, decretáque in Britanniam expeditione, per Augustum, trigesuno ferè anno ante natum Christum (quò respexit Poëta cùm ait:

Horatius.

Serves iturum Cæsarem in ultimos
Orbis Britannos.)

Britanni ad officium, fidem, & tributi pensionem, sine prælio redierunt. Unde factom, ut in descriptione Romani orbis, Britannia censeri potuerit, & Cunobelinus tributum solvere. Verùm ubi semel Petri nomen, & principarus, Britannis innotuit; adeò suavissimo Christi jugo collum lubentes submisserunt, ut missionem, libertatemque numquam petierint, donec nuper stupente mundo, & etiamnum indignante, factum est, ut dixi, ono impetu duplex illud divortium, uxoris & Fidei.

ANNUS URBIS CONDITÆ 753.
ANNUS CHRISTI 2.
CUNOBELINI REGIS 16.
AUGUSTI IMP. 43.

I. SEQUITUR Christi annus, à nativitate secundus, quo censentur Cornelius Lentulus & Calphurnius Piso Coss. quem aliqui ab ejusdem Incarnatione tertium numerant. Unde authorum, quos infrà citabo differentia, & annorum dissidium oascitur. Sed multò majus in Cunobelini Regis, regnique anuis supputandis. Ego citra pertinaciam affirmo, & consequentèr ad suprà dicta, hunc anoum pono regni decimum sextum. Ao toti Insulæ imperaverit Cunobelinus, an uni tantùm aut pluribus provinciis, hæreo: quia sparsim infrà, per Britannism Principes nominabo, pari fortè cum Cunobelino jure regnantes. Sed quia ille cæteris notior, & ab antiquis authoribus Rex appellatus, & quia ab eo, rectâ nascentium serie, Lucium Britannorum Regem deducimus; qui sequenti sæculo, Insulam, Ecclesiam, & Annales nostros illustrabit: Ideò missis aliis, nisi quando historiæ ratio aliud postulat, unius Cunobelini filios recenseo, & ubi potissimùm regnaverit ostendo. Multa sunt, quæ cogunt credere, Cunobelinum io ea Britanniæ provincia regnasse, quam J. Cæsar, à Trinobantibus habitatam refert io Commentariis, quæque à Saxonum ingressu, Orientalium Saxonum principatum contineiat. Amœna regio, quæ meritò Romanorum avaritiam solicitare, & eorum ambitioni sufficere poterat. Quod verò ibi Regiam fixerit, tumultus ibi nati, qui Romanos primùm in Insulam vocaverunt, & eorundem narratio, à Cæsare digesta convincunt.

CUNOBELINI REGNUM, QUALE?

II. Turbarum ioitium fuit Imanuentius Rex, à Cassibelano interfectus, & Mandubratius ejus filius, regno extorris, qui ad Cæsarem in Gallias profectus ejus opem imploravit. Quo tempore, Trinobántes, per Legatos, ut Mandrubarium ab injuria Cassibelani vindicaret, Cæsarem rogaverunt, atque illum in Civitatem mitteret, qui præesset, imperiúmque obtineret: ita ferè Cæsar, per *Civitatem*, populum intelligens eodem jure utentem. Tunc *Trinobantum firmissima Civitas* (loquitur Beda) *cum Androgeo duce, datis quadraginta obsidibus, Cæsari se dedit. Quod exemplum sequuta urbes aliæ complures, in fœdus Romanorum venerunt.* Cassibelano mortuo Cunobelinus successit, & Trinobántibus imperavit; pulso Mandubratio, quem Eutropius, Beda suprà & Recentiores historici, Aodrogeum vocaverunt. Quo in loco fixam sedem Cunobelinus habuerit, sola conjectura, nullo certo authore, assequi possumus: Nec etiam qoid *Firmissimæ civitatis* oomine Beda intellexerit. Nam Urbium io illa provincia princeps, quam Tacitus, Ptolomæus & Antonius, Londioium appellarunt, posset intelligi, nisi Beda in sequeotibus dixisset: *iisdem demonstrantibus, Cæsar oppidum Cassibelani, inter duas paludes situm, obtentu insuper silvarum munitum, omnibusq; rebus confertissimum, tandem gravi bello cepit*; quâ ultimâ clausulâ, Britanniæ Emporium describi videtur: & meritò quis existimare poterit, Cassibelani successorem Londini sedisse: præsertim cùm urbs illa, inter alia nuncupationis nomina, Dinas Belin, hoc est, Belini urbs appellata sit; & Tacito, Paoegyristæ, & Ammiano Marcellioo, oon civitas, sed oppidum solummodò vocetur, ut notat in ejus urbis descriptione Camdenus. Verùm certius est, Camalodunum in Trinobantibus, & Essexiensi agro, Cunobelini statam sedem fuisse: nam à Dinne disertè dicitur, τοῦ Κυνοβελλίνου βασίλειον. libro 60. cùm Claudius Imperator, urbem illam triumphavit, ut infrà. Interim oummum inspice, ubi Cuno & Camo, satis innuunt Camalodunum, Cuoobelini Regiam fuisse.

Beda in hist. l. 1. c. 2.

Beda suprà.

Camd. in Trinoban.

CUNOBELINI REGIA, CAMALODUNUM.

Num. apud Camd. n. 2.



III. Hic Cunobelini primores literæ Regem Britannorum dialecto (nam hodie Cynoc idem) significat, & Janos bifrons mutatæ in melius Reip. hieroglyphicum est: quod humano consilio ad Romanorum commercium, divinâ mente, ad natum Christum, vel brevi nasciturum referri potest. Insula scilicet dimissâ paulatim barbarie, cultior esse ac nitere magis cæpit hoc tempore; quod effigie illa monstratur, quæ tunc incidi nummis solebat, cùm homines è feris, barbarisque moribus, ad cultæ & civilis vitæ institutum transibant: testatur id Plutarchus in vita Numæ: *Ianus, inquit, inter antiquos, sive dæmon, sive Rex, urbanus fuit & perbenignus, à ferina & agresti vita dicitur homines ad aliam meliorem revocasse. Quare eum bifrontem effingunt, tanquam alteram ex altera vivendi ratione instituerit.* Potest & alia, si tamen alia, ratio assignari bifrontis Jani, nostróque instituto magis propria. Nam Romulus & Tatius, inito fœdere, Jano templum ponentes, duas illi facies effinxere: quo duorum Regum & populorum coitionem, & unitatem corporis innuerent. Cunobelinus itaque eo argumento, voluit ostendere, Britanniam Romæ conjunctam, & illius Imperii provinciam esse. Omen enimverò optimum & futuri præsagium: nimirum Britannos è barbaris ad Romanos, à Romanis ad Christianos transituros. Quod revera factum, nam humanitatem Roma Insulam docuit, cultioris vitæ instinita porrexit, &

NUMMUS EXPONITUR.

ita demum polivit incolarum mentes; ut Christianæ fidei præcepta, & faciliùs exciperet, & altiùs retineret: ut Annales hosce percurrenti constabit.

IV. In adversa nummi facie Camu legitur: quod passim authores nostri ad Urbem referunt Cunobelini Regiam: quam licèt Plinius, Dio, & alii communiter Camalodunum vocent: Ptolomæus tamen & Antoninus Camulodanum appellant: quod fortè rectiùs effertur, præsertim si verum est, locum illum ita dictum à Camulo Deo, quem cives ibi, & Cunobelinus coluisse putantur. Martem ita dictum putat Camdenus, probatq; eâ inscriptione quæ visitur in ædibus Collationis ad hunc modum.

CAMULO DEO SANCTO ET FORTISSIMO.

Favet huic conjecturæ nummus alter, inter Britannorum numismata, apud eundem authorem: ubi, cum voce Camu, effigies est humani capitis galeâ tecti. Unde Britanniam, Marti addictam, devotamóne opinari non immeritò possumus. Noli Lector fastidire hæc nomina, aut ægrè ferre, quod locum in Annalibus occupent: nam animus est Britannicæ Ecclesiæ fundamentum jacere; movenda igitur, & amovenda est terra, egerendæ sordes, purganda rudera, quæ supposit ædificio, & servire ad firmitatem possunt: impiarum etiam superstitionum pellendæ sunt tenebræ: ut tenebræ luci, falsa numina Deo vero cedant, & idola veritati. denique infideles Principes facient locum Christianis sanctisque Regibus. Quod sequentibus sæculis observabitur, servata, quoad potero, annorum serie. Quam tamen ægrè servare potero; nisi primis his sæculis rudera congessero, quæ vel per Consulum nomina (quod fecit Baronius) vel per Imperatorum res gestas contexta, rationem temporis, & annos metiantur.

ANNUS URBIS CONDITÆ 754. ANNUS CHRISTI 3. CUNOBELINI REGIS 17. AUGUSTI IMP. 44.

Ad tertium Christi annum, Baronius Consules nominat Ca. Cæsarem Augusti filium, & & L. Æmilium Paulum, qui in fastis nostris post Malmesburiensem collectis, superiori anno assignantur; sed ille, opinor, Incarnationis annos, Baronius à nato Christo, supputat. Sæpiùs tamen varietas hæc, in rerum gestarum narratione confunditur. Sic Matthæus Westmonasteriensis, Joannis Evangelistæ natalem consignat, ad Incarnationis Christi annum tertium, qui rectiùs ad hunc nati Christi annum tertium rejicitur. Licèt enim valde controversa sit Joannis ætas, & teste Baronio, nemo antiquiorum vitæ ejus annos distinxerit. Tamen cùm Baron. anno tot. num. 8. ipse affirmet, & solidè, more suo, probet, mortuum anno primo sequentis sæculi, & à Passione Christi sexagesimo octavo: cùm nonagiota & octo annorum esset, non malè, hoc anno natalem ejus consignamus, ex mente saltem authorum nostrorum: nam Beda libro de sex ætatibus, ita de illo: *Ioannes Apostolus sexagesimo octavo post Passionem Domini, ætatis autem suæ nonagesimo octavo, Ephesi placida morte quievit.* Hunc authorem Matthæus supra sequutus, benè collegit sub initium hujus sæculi Joannem natum, & Christo Domino triennio juniorem. Unde triginta annorum erat, cùm Sacerdos à Christo consecratur, quam ætatem olim præscriptam esse Sacerdotio fungentibus, tradit Hieronymus. Hæc placuit adnotare pro historicorum nostrorum consonantia: & pro nobili structura muri, quem molior, habentis *duodecim fundamenta, & in ipsis duodecim nomina Apostolorum Agni.* inter quæ nobilem locum Joannes occupat.

JOANNES EVANGELISTA NASCITUR.

Beda lib. de sex ætatib. tom. 2.

Apoc. 21. v. 14.

ANNUS URBIS CONDITÆ 755. ANNUS CHRISTI 4. CUNOBELINI REGIS 18. AUGUSTI IMP. 45.

Quarto Christi Domini anno, Consules assignantur, Vinucius Nepos & Alfinius Varus, quem cùm Baronius nominasset: *Licèt*, loquit, *nihil dignum reperiatur, quod inseratur Annalibus: tamen ut in serie temporis, cujusque anni ratio habeatur: necessariò, prout in fastis adscripti habentur, suo locuper singulos annos, describendos eos esse putavimus.* Quod & mihi eandem ob causam duxi faciendum.

ANNUS URBIS CONDITÆ 756. ANNUS CHRISTI 5. CUNOBELINI REGIS 19. AUGUSTI IMP. 46.

Cum Christus quinquennnis esset, Consulatum Romæ iniverunt Ælius Lamia, & M. Servilius Geminus: quando Cunobelini Regis filiorum mentio in nostris authoribus primùm legitur. Matthæus, qui à floribus cognomen habet, Westmonasteriensis monachus hunc annum, licèt ab Incarnatione numeret, videtur expressisse, cùm dicit: *Anno divinæ Incarnationis 5. Kimbelinus Rex cum m.* (lege 19.) *annis Britanniam tenuisset, genuit duos filios, Guiderium scilicet, & Arviragum: quorum primogenitus Guiderius, defuncto patre, regni gubernacula suscipiens, cum gaudio & pace subjectum sibi populum tractavit.* Ita ille, Cunobelini liberos nominat. Cæterùm Romani, Græcique scriptores, & ex illis recentiores nostri: missis nominibus illis, alia nomina indiderunt. Primogenitum filium Adminium; secundo-genitum, Togodumnum; tertiogenitum, Cataracum vel Caractacum appellant. Adminius Patri, patriæque perduellis, ad Romanos fugit; cùm Caius Caligula vanissimo apparatu Britanniam tentavit, ut infrà. Pulsus ergo à patre in regnum non successit, sed Togodumno locum, & Insulæ imperium cessit. Et ille opinor, vulgo Guiderius dicebatur. Sicut Arviragum Romani Caractacum, Græci Latacratum appellarunt: sic puto Britannos scriptores cum externis conciliari posse: quod magis infrà patebit, è rerum gestarum collatione: licèt, fateor, videntur interdum acta, & nimium à Britannia, quæ illi pro patriæ defensione præstiterunt, efferantur. Nec mirum videri debet binominea fuisse, cùm id Romanis familiare fuerit, externos in novum nomen adoptare. Sic suprà, quem Beda Androgeum, alii Mandubratium appellarunt. Hæc præfari libuit, quia sæpè in sequentibus, Guiderii & Arviragi mentio, & Taciti, Dionis, Suetonii authoritas coget me, è Romanorum dialecto, illos aliter nominare.

Floril. his

CUNOBELINI PROLES.

ANNUS URBIS CONDITÆ 757. ANNUS CHRISTI 6. CUNOBELINI REGIS 20. AUGUSTI IMP. 47.

Sexto Ælio Cato & C. Sentio Saturnino Coss. Tiberius Nero ab Augusto adoptatur, cui etiam in Imperio successit: quod ideo notatum cupio, quia infra vir doctissimus; quo Constantinum

ADOPTIONIS USUS.

tinum Bithynum non Britannum faceret, dubitavit adoptionis usum tunc in more fuisse. Sed Velleius Paterculus, & Dio Cassius disertè affirmant adoptatum ab Augusto Tiberium. Imò de Octaviano ipso, ita Dio: *Deinde secundùm institutum majorum in Cæsaris familiam adoptatus est, nomenq́, mutavit.* & alibi de Tiberio: *Augustus Tiberium adoptavit, ac Tribunitia potestate ad annos decem data, in Germaniam ablegavit. Veritus tamen ne is aliquando, animo elatus, novas ad res consurgeret; Germanicum Drusi fratris filium, ei adoptandum dedit, quanquam ipsi Tiberio natus fuerat filius.* De Hadriano quoque Imperatore, ita scribit Spartianus: *Adoptavit Ceionium Commodum Verum, invitis omnibus, eumque Ælium Verum Cæsarem appellavit.* Nullum ergo dubium de adoptandi more moveri debet, etiam eo & sequenti sæculo, quo nascitur Constantinus, ut infra ostendam; nihil enim hoc more frequentius. Nam cùm Ælius Verus ab Hadriano adoptatus, vivente adhuc Hadriano moreretur; subdit statim Spartianus adoptionem alteram. *Sed mortuo, inquit, Ælio Vero Cæsare; Hadrianus, ingruente tristissimâ valetudine, adoptavit Arrium Antoninum, qui postea Pius dictus est; sed ea demum lege, ut ille sibi duos adoptaret, Annium Verum, & Marcum Antonium.*

Dio l. 46. — *Dio lib. 55.* — *Sparti. in Hadri. c. 23.* — *Idem sup. c. 24.*

ANNUS URBIS CONDITÆ 758.
ANNUS CHRISTI 7.
CUNOBELINI REGIS 21.
AUGUSTI IMP. 48.

CONSULES fuerunt ad septimum Christi annū L. Valerius Messalla, & Cornelius Cinna. Hunc annum intellexit Paulus Orosius ita scribens: *Anno Imperii Cæsaris 48. adeò dira Romanos fames consecuta est; ut Cæsar, Lanistrarum familias, omnesq́, peregrinos, servorum quoque maximas copias; exceptis medicis & præceptoribus, trudi Vrbe præceperit.* Quod sequitur de Jano patefacto, & terrinis *terrarum extremis terminis*; cùm de Britannia exponi debeant: & turbæ illæ, paulò ante Augusti mortem excitatæ sint: de iis commodiùs intrà ad an. 13. n. 1. 2. & 3. agendum.

Orosius l. 7. c. 3.

ANNUS URBIS CONDITÆ 759.
ANNUS CHRISTI 8.
CUNOBELINI REGIS 22.
AUGUSTI IMP. 49.

I. SEQUITUR octavus Christi annus, M. Æmilio Lepido, & L. Arruntio Nepote Consulibus notatus: Christi reditu ex Ægypto, & Herodis infanticidæ Regis morte illustrissimus: nec enim vivente impio beari potuit Palæstina, Christi præsentia: eo amoto, *Ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph in Ægypto dicens: Surge & accipe puerum & matrem ejus, & vade in terram Israël.*

REDIT CHRISTUS IN PALÆSTINAM. — *Matth. 2.*

II. Sunt qui Christi Ecclesiam, quam verbotenùs venerantur, in hisce ejus cunis venantur: quo paucis constantem, visibilem tamen, probent. Ita nuper, è factiosorum grege unus, Protestanticæ Ecclesiæ nuditatem & nullitatem potiùs, quàm orthodoxi meritò objiciunt, tegere conatus; cùm jussus promere suæ sectæ professores, per ætates singulas, à Christi cunis incipiens, Christum nominavit, & Mariam. Sed arduum est, errantes animorum impetus, ad rectum cogere, aut virtutis medium: abundabunt enim vel deficient. Olim sectariorum loquacissimi, Ecclesiam Christi ab hominum conspectu abdebant in tenebris; ut ita licentiùs sua dogmata venderent imperitis. Nunc horum nepotes, argumentorum luce convicti, conspicuam illam faciunt omni tempore, tam effusè, ut visibilem Ecclesiam velint esse priùs quàm esset Ecclesia. Quis enim Ecclesiam, de qua quæstio, quæsivit unquam, Christo puero: cùm ipse vir factus, promiserit tantùm, dixeritque *Ædificabo Ecclesiam meam.* Habeant ergo sectarii Synagogam suam, nec Christi promissum expectēt. Ibi per me licet fidem ædificent, classicos nominent, & paradoxa nundinentur. Ego fundaturus hujus Insulæ Fidem Regiam, expectabo Christi adultiorem ætatem; petram ab eo in ædificii fundamentum præparatam: & super illam statuam pedes meos, pro Britannicæ Ecclesiæ structura; nisi enim ita fundamentum posuero, sine dubio portæ inferi prævalebunt adversus eam.

NUM IN CUNIS CHRISTI, ECCLESIA FUERIT?

ANNUS URBIS CONDITÆ 760. 761.
ANNUS CHRISTI 9. 10.
CUNOBELINI REGIS 23. 24.
AUGUSTI IMP. 50. 51.

CONSULES habuit nonus Christi annus A. Licinium Nervam Silanum, & Q. Cæcilium Metellum Silanum; & sequens Furium Camillum, & Sextum Nonium Quintilianum Consules: cùm Orbis universus decennalis Christi jure optimo celebrare & venerari debuisset.

ANNUS URBIS CONDITÆ 762.
ANNUS CHRISTI 11.
CUNOBELINI REGIS 25.
AUGUSTI IMPER. 52.

VNDECIMUS Christi annus, per Q. Sulpitium Camerinum, & C. Poppæum Sabinum distinguitur, & innotescit: quando Augustus, Reip. Romanæ misertus; dum nudatam viris Urbem, quà civili, externóque bello, quà fame nupera cerneret; legem tulit conjugio faventem, vitamque cælibem, pœnarum metu prementem. Dio Cassius, cùm supradictos Consules nominasset, Augusti concionem ad populum refert, effusè nuptias probantem, acritérque cælibes stringentem, & demum ait: *Postquam ad hunc modum, cum utrisque fuisset locutus, liberos deinde habentibus præmia adauxit: & multa maritos à cælibibus secrevit, annuo spatio præstituto; intra quod, qui ejus jussis parere cæpissent culpa vacarent. Cúmque lege Voconia mulieribus prohiberentur, ne qua majorem centum millibus nummûm hæreditatem posset adire: ea quoque lege quasdam solvit. Et iis qui perpetuam virginitatem servarent, eadem quæ matribus præmia largitus est. Inde lex quoque Pappia Poppæa, à M. Pappio Mutilo, & Quinto Poppæo Secundo lata est, qui parte ejus anni Consules: uterque neque uxorem, neque liberos habebat. Quo ipso deprehendi potuit, quam ea lex necessaria fuisset.* Hæc ideo è Dione refero, quia Constantinus noster legem hanc Ecclesiasticæ puritati, Christique consiliis injuriam, primus refixit: & quantumvis Augustus pro nuptiis oraverit, ut eum nuper sequuti Calvinus & Lutherus: Virginitatem tamen perpetuam, omni lege majorem & eximiam voluit, quod illi non fecerunt.

Dio lib. 56 — *CÆLIBES PUNIUNTUR.*

ANNUS URBIS CONDITÆ 763.
ANNUS CHRISTI 12.
CUNOBELINI REGIS 26.
AUGUSTI IMP. 53

CONSULIBUS P. Cornelio Dolabella & C. Junio Silano: Remansit puer JESUS duo-

dennis in Hierusalem, & cùm à parentibus quæreretur, inventus est io medio Doctorum, sedens, audiens, interrogans, & suspensos tenens oniversos morum suavitute, & veiborum modestâ elegantiâ; sed onndum ædificans Ecclesiam. Hunc annum signat Westmonasteriensis, licèt ab Incarnatinoe numeret. Unde quantumvis præcedat aliquando authores alins, vix tameu ab illis, si annorum fractiones demas, dissentit. dicit ergo: *Anno divina Incarnationis duodecimo Puer JESVS remansit in Ierusalem, post parentes suos: & post triduum inventus à parentibus suis; & mirabantur super prudentia & responsis ejus.*

Westmon. hic.

ANNUS URBIS CONDITÆ 764.
ANNUS CHRISTI 13.
CUNOBELINI REGIS 27.
AUGUSTI IMP. 54.

I. CONSULUM nomina fueruot anno Christi decimo-tertio, M. Æmilius Lepidus, & T. Statilius Taurus. Quu tempore motus aliqui in Britannia fuerunt. Cùm enim superiore anno, Germani in Legatum surrexissent, & Romanum ibi militem opprimentes, libertatem aliquam sibi asseruissent, ansam Britannis se servituti subducendi dedisse videntur. Quin & Augustr Cæsaris ætas, jam admodum ingravescens, quietis erat quàm belli amantior, & remotas, dissitasque pruvincias dudum neglexerat. Cognitâ verò Britannorum secessione, expeditionem parat, missisque in Germaniam Tiberio & Germanico, qui superioris anni motum componerent; adeo Britannorum animos fregit, ut statim detumuerint. Cæsaris conatum apparatumque in Britanniam & Britannorum deditionem Horatius expressit ita:

TVMVLTVS IN BRITANNIA.

Cælo Tonantem credidimus Iovem,
Regnare. Præsens Divus habebitur
Augustus: adjectis Britannis,
Imperio, gravibúsque Persis.

Horat. l. 3. car. Ode 5.

II. Hoc votum Poetæ fuit, Victoriam Augusto ominantis; sed ille illubenter ad bellum processerat, ratus imperii vires, bello potiùs, quàm pace fatiscere. Hoc impulit Tacitum de illo ita scribere in vita Agricolæ: *Longa oblivio Britannia, etiam in pace.* Consilium id D. Augustus vocabat, & Tiberius *præceptum*, & alibi l. 1. Annalium: *Addiderat consilium Augustus coërcendi intra terminos imperii, incertum metu, an per invidiam.* Hinc Britanniæ oblivio, & per Augustum neglecta. Cujus mentis consilium, Julianus in Cæsaribus, ipsum Augustum loquentem, & sua facta efferentem introducens, exponit in hunc modum: ὀυ γὰρ ταῖς ἀμέτροις ἐπιθυμίαις εἴκων, &c. *Nec enim immoderatis cupiditatibus morem gerens, omnia undique parare & dominio ejus adjungere suscepi; sed duos imperio nostro limites, tanquam a natura fixos & datos, Istrum & Euphratem statui. Deinde repressis & domitis Thracum, & Scytharum gentibus, vobis mihi largientibus imperii tempus satis diuturnum: non bellum aliud ex alio sum commentatus; sed in juris descriptione, & eorum quæ bellis civilibus depravata erant, correctione, otium traduxi. Quæ in re ita me gessi, ut non deteriùs me publicæ utilitati consuluisse existimem, quàm quisquam alius eorum, qui ante me fuerunt.*

Tacit. in vita Agricol.

BRITANNIAM AUGUSTUS NEGLEXIT. ET QUARE?

Iulian. in Cæs.

III. Quod dicit author: *Imperii terminos ab Augusto statutos, Istrum & Euphratem;* rectè monet Justus Lypsius, & instat: *Sed qui termini, sive limites Romani imperii sub Augusto? Duos nominat Iulianus: Istrum & Euphratem, quibus adde Rhenum & Oceanum.* Ergo quæ ultrà, Augustus neglexit, & multò magis Tiberius: ut suprà innuit Tacitus cùm dixit, *& Tiberius præcipuè.* Ad quæ verba, ita Lipsius notat & corrigit: *Valdè*, inquit, *blanditur mihi correctio: Tiberius præceptum; hoc sensu: Abstinere à Britannia Augustus consilio visus, Tiberius præcepto, atque id uterque præseferebat. Hoc Augusti consilium Tiberius, qui omnia dicta factáque ejus, vice legis observabat, habebat ut præceptum sive interdictum. Causa porrò ipsa hujus consilii, in Strabone sunt l. 4. justa & ex mente, ni fallor, Augusti. Ait enim Principes contentum fuisse, amicitiam cum Britannis colere, & tributi loco nescio, quid minutarum rerum accipere.* Ita Lipsius. Sed præstat audire Straboem, amicam Britannorum subjectionem, levia servitutis onera describentem: *Familiarem*, inquit, *Romanis totam penè Insulam redegerunt Reguli Britannici: ut vectigalia tolerent jam non difficilia, è rebus quæ a Gallia, & Britannia ultrò citróque vehuntur: sunt autem eburnea frena, & torques, & electrina atque vitrea vasa, aliáque id genus viles ac promiscua merces.* Itaque nullo ad eam Insulam opus est præsidio. *Requireretur enim ad minimum una Legio, & aliquid equitatus, si tributa inde essent auferenda. Atqui tributum æquarent sumptus in præsidium faciendi: Necessariò enim vectigalia imposito tributo minuerentur, & vi facta, aliquid impenderet periculorum.*

Lips. in notis ad l. 1 Ann. Tacit.

Idem in not. ad vitam Agricol.

Strabo l. 4.

IV. Hoc consilium, hæc prudentia Augusti fuit, cur Britanniam neglexisse videretur: omnirum ut Romanorum vis unita fortior, firmiorque persisteret: quò enim divisæ magis ac dissitæ, distractæque res, eò languere magis, & variis naturæ casibus obnoxias esse, necesse est. Id paucis expressit ipse Augustus, cùm Remp. adamantinam à se factam gloriatur apud Julianum. Dicit enim ibi, vel certè ingeniosè dixisse fingitur: *Bellis civilibus sæpè numero in extremum discrimen adductam eam Romanam sic composui firmavíque; ut in posterum, ô Dii, nostrâ operâ adamantina fuerit.* Sed satis de mente consilióque Augusti, quod Britanniam non fortiùs presserit: sed indulserit potiùs. Cæterùm quod refert è Tacito Paolus Orosius, ad annum Augusti Imperatoris quadragesimum octavum, de Jano aperto, opinor intelligit expeditionis apparatum, quem hoc anno fecisse dicitur cùm Britanniam terruit. *Sene Augusto*, inquit, *Ianus patefactus, dum apud extremos terrarum terminos, nova gentes, sæpè ex usu, & aliquando cum damno quæruntur, usque ad Vespasiani duravit imperium.* Porrò quamvis Jani apertio bellum portenderet; nihil tamen hoc tempore hostile molitus est Augustus, nec ejus in imperio successor Tiberius: quod satis innuit in sequentibus Orosius: *Igitur*, inquit, *etsi sub extremis Cæsaris temporibus, apertus est Ianus, tamen per multa, ex eo tempore, quamvis in procinctu esset exercitus nulla bella sonuerunt.*

ROMA BRITANNIS INDULGENTIOR.

Iulia. in Cæsa.

Orosius l. 7. c. 3.

ANNUS URBIS CONDITÆ 765. 766.
ANNUS CHRISTI 14. 15.
CUNOBELINI REGIS 28. 29.
AUGUSTI IMPER. 55. 56.

ANNO Christi decimo-quarto Consulatum gesseruot T. Julius Germanicus & Fonteius Capito; & sequenti C. Silius Nepos & L. Munatius Plancus. Ubi nihil Annalibus proprium occurrit.

ANNUS URBIS CONDITÆ 767.
ANNUS CHRISTI 16.
CUNOBELNI REGIS 30.
AUGUSTI IMPERA. 57.

I. SExto-decimo Christi anno, qui Urbis conditæ numeratur septingentesimus sexagesimus septimus, Sextus Apuleius & Sextus Pompeius, Consules fuerunt. Quo tempore, cùm Augustus complesset Imperii annos sex & quinquaginta, vivendi finem fecit; morbóne, an Liviæ conjugis invidiâ, ne Agrippa succederet, dubitatum. Cæterùm morientis Augusti, hæc postrema verba referuntur à Dione: Τὴν Ῥώμην γηΐνην παραλαβὼν, λιθίνην ὑμῖν παραλείπω. *Terream Romam accipiens, lapideam relinquo.* quæ verba non-malè commentatur author qui refert, cùm subdit: Τοῦτο μὲν, &c. *Non ædificiorum elegantiam, sed firmitatem imperii innuere voluit.* quæ Augusti consilium, de neglecta Britannia, & quæ suprà è Juliano de Roma adamantina, benè illustrant.

Dio l. 56.

AUGUSTUS MORITUR.

II. Augusto succedit Tiberius Nero, quem dudum adoptaverat, & moriens testamento hæredem scripserat, in hæc verba: *Quoniam sinistra fortuna Caium & Lucium filios mihi eripuit: Tiberius Cæsar, mihi ex parte dimidia & sextante heres esto. Tiberius trahi potius, quàm duci ad imperium visus est, dictitans nescire homines, quanta bellua imperium esset. Sed cunctandi causa erat, metus undique imminentium discriminum,* inquit Suetonius. Admisit tamen, multa causatus, se Reip. tractandæ imparem, Senatus forsan consilio parem fore. Certè de proferendo Imperio, aut partis tuendis, non admodum laboravit; Augusti *consilium*, vel (si Lipsium audis) *præceptum*, sequutus. *Nam biennio, post adeptum imperium* (scribit Suetonius) *pedem portâ non extulit. Sequenti tempore, præterquam in propinqua oppida, & cum longissimè, Antio tenus, nunquam abfuit.* Hinc quietæ res in Britannia, quantumvis Romanorum Legiones in Germania, audita Augusti morte, in mutuas cædes, magno tumultu, & Urbi formidando surrexerint.

TIBERIUS IMPERAT.

Sueton. in Tiber. c. 23.

Idem c. 24.

Idem c. 25.

Idem c. 38.

ANNUS URBIS CONDITÆ 768.
ANNUS CHRISTI 17.
CUNOBELINI REGIS 31.
TIBERII IMP. 1.

DRusus Cæsar & C. Norbanus Flaccus Consulatum inierunt, anno Christi decimo-septimo, quo nihil in Rep. nostra actum, ab authoribus memoratur.

ANNUS URBIS CONDITÆ 769.
ANNUS CHRISTI 18.
CUNOBELINI REGIS 32.
TIBERII IMP. 2.

CHristi annus decimus-octavus Consules habuit Statilium Taurum & L. Libonem. Quo tempore patuit Britanniam benè cum Romanis convenisse, quando disjectam laceramque, Oceani tempestate, classem, humaniter excepit, refectamque in Urbem remisit: quod solito fusiùs à Tacito narratur in hunc modum. *Æstate jam adulta, Legionum aliæ, itinere terrestri, in hibernacula remissæ: plures Cæsar classi impositas per flumen Amisiam Oceano invexit. Ac primò placidum æquor mille navium remis strepere, aut velis impelli. Mox atro nubium globo effusa grando, simul variis undique procellis, incerti fluctus prospectum adimere, regimen impedire: milésque pavidus, & casuum maris ignarus, dum turbat nautas, vel intempestivè juvat: officia prudentium corrumpebat. Omne dehinc cælum, & mare omne in Austrum cessit, qui tumidis Germaniæ terris, profundis amnibus, immenso nubium tractu validus, & rigore vicini Septentrionis horridior, rapuit, disjecítque naves in aperta Oceani, aut Insulas saxis abruptas, vel per occulta vada infestas: quibus paulum ægréque vitatis postquam mutabat æstus, eodem quo ventus ferebat, non adhærere anchoris, non exhaurire irrumpentes undas poterant. Equi, jumenta, sarcina, etiam arma præcipitantur, quo levarentur alvei * manantes per latera, & fluctu super urgente. Quanto violentior cætero mari Oceanus, & truculentia cœli præstat Germania; tantum illa clades novitate & magnitudine excessit, hostilibus circum litoribus, aut ita vasto & profundo, ut credatur novissimum, ac sine terris mare. Pars navium hausta sunt, plures apud Insulas longiùs sitas ejecta, milésque nullo illic hominum cultu, fame absumptus, nisi quos corpore equorum, eodem elisa toleraverant. Sola Germanici triremis, Chaucorum terram appulit; quem per omnes illos dies noctésque, apud scopulos & prominentes oras, cùm se tanti exitii reum clamitaret, vix cohibuere amici quò minùs eodem mari oppeteret. Tandem relabente æstu, & secundante vento, claudæ naves, raro remigio, aut intentis vestibus, & quædam à validioribus tractæ revertere: quas raptim refectas misit, ut scrutarentur Insulas, collecti ea cura pleraque: multos Angrivarii nuper in fidem accepti, redemptos reddidere. Quidam in Britanniam capti, & remissi à Regulis.* Hæc omnia Tacitus.

Tacit. Ann. lib. 2.

LACERA ROMANORUM CLASSIS.

* fluitantes.

IN BRITANNIAM APPULSA REMITTITUR.

ANNUS URBIS CONDITÆ 770. 771.
ANNUS CHRISTI 19. 20.
CUNOBELINI REGIS 33. 34.
TIBERII IMP. 3. 4.

SEquens annus, qui numeratur Christi decimus-nonus, Consules habuit C. Cœlium Rufum & L. Pomponium Flaccum, quem alii Pompeium vocant: nihil Britannorum Annalibus exhibet memoria dignum: sicut nec Annus Christi vigesimus, qui Consules habuit Tiberium Augustum, tertiùm; & Germanicum secundò.

ANNUS URBIS CONDITÆ 772.
ANNUS CHRISTI 21.
CUNOBELINI REGIS 35.
TIBERII IMP. 5.

CHristi annus vigesimus primus creavit Consules, Julium Silanum, & Norbanum Flaccum. Turbatæ res in Britannia, cùm Cunobelinus Rex in primogenitum filium animadvertens, eum è regno, regníque successione, quæ natalibus debebatur, pulsum, aqua & igni interdixit. Tacent hoc historici nostri; sed docemur ab externis. Suetonius in Caligula, Adminium nominat, dicitque à Cinobellino patre, Britannorum Rege pulsum; cum exigua manu, junctum

ADMINIUS A PATRE CVNOBELINO PROSCRIBITVR.

Sueton. in Calig. c. 44.

postea

postea Caligulæ, cùm Britanniam ille comicè magis, quàm tragicè terreret. Causam proscriptionis nemo recitat, nec tempus exilii. Sed quia à patre pulsus dicitur, ante Cinobelini mortem debuit contigisse; & qoia sequenti anno ille moritur, ideò ad præsentem refero.

ANNUS URBIS CONDITÆ 773.

ANNUS CHRISTI 22.

TOGODUMNI REGIS BRITAN. 1.

TIBERII IMP. 6.

MORITUR CUNOBELINUS.

VALERIO Messalla, & Aurelio Cotta Coss. cùm Christus Dominus ageret ætatis annum vigesimom secundum, moritur Cunobelinus Britannorum Rex, & successorem accipit secundo genitum filium, quem supra binominem, à Britonis Guiderium, à Romanis Togodumnum appellatum dixi. Britanoos sequutus Westmonasteriensis, ita scribit: *Anno divina Incarnationis vigesimo secundo, in Britannia mortuo Rege Kimbelmo, cujus temporibus natus est Dominus, successit Guiderius filius ejus: qui Romanis tributum consuetum reddere contempsit: quod nullus antecessorum suorum, à tempore Iulii Cæsaris, ausus fuerat attentare.* Verùm quia Guiderium hunc antiquiores Togodumoum appellarunt, id illi inposterum nomen erit, cùm infrà in Romanos pugnabit infeliciter. Ioterim, cognitâ Tiberii inertiâ, & accisis in Germania Romanorum viribus; Romano imperio Britanniam subdi noluit. Patienter id tulit Tiberius, memor Augusti, qui Romani imperii limitem fixerat Oceanum; quem transgredi oporteret, si juris in Britannia ditionem habere vellet. Quid factum postea à Caligula, cùm Adminius, Cunobelini primogenitus se dedidit, dicam suo loco inferiùs.

Westmon. hic.

TOGODUMNUS SIVE GVIDERIVS SVCCEDIT.

. ANNUS URBIS CONDITÆ 774.

ANNUS CHRISTI 23.

TOGODUMNI REGIS 2.

TIBERII IMP. 7.

SEQUITUR Christi annus vigesimus tertios, quo Consules fuerunt Tiberius Imp. quartùm, & Drusus secundùm. Non importuna fuit Britannorum secessio à Romano imperio: nam Tiberius Regium ubique oomen, & dignitatem perosus, plures provincias à Regibus administratas, demptis Regibus io provinciæ formam redegit. Quod Westmonasteriensis ad hunc annum refert: & Suetonius ita narrat: *Reges infestos, suspectosq́, comminationibus magis & querelis, quam vi repressit. Quosdam per blanditias atque promissa extractos, ad se, non remisit: ut Maraboldunm Germanum, Thrascypolim Thracem, Archelaum Cappadocem: cujus etiam regnum in formam provinciæ redegit.* Ista forsan Togodumnum perpulere, ut Tiberii mandata cootemneret. Licet Adminius frater, Romanorum opem, pro regni acquisitione, implorasset: nam edoctus Imperator superiorum annorum clade, & irâ Oceani; nihil io Britanniam tentandum ratus, bello abstinuit, deboitque Adminius audacioris Principis imperium expectare.

Suetom. in Tiber. c. 37

ANNUS URBIS CONDITÆ 775. 776.

ANNUS CHRISTI 24. 25.

TOGODUMNI REGIS 3. 4.

TIBERII IMP. 8. 9.

HIs duobus annis, Christi vigesimo quarto, & vigesimo quinto Consulatum inierunt 1. C. Sulpicius, & D. Haterius: quos sequuti sunt C. Asinius, & C. Antistius: qui distinguendis anoorum spatiis, nec aliâ re, Annalibus inserviunt.

ANNUS URBIS CONDITÆ 777.

ANNUS CHRISTI 26.

TOGODUMNI REGIS 5.

TIBERII IMP. 10.

CORNELIOS Cethegus, & Visellius Varro, Consules fueruot, cùm Christus Dominus sex & viginti annorum, necdum voluit mundo mirabiliter innotescere; sed tegens humilitate divinitatem suam, maturiorem ætatem, redemptoris officio designavit.

ANNUS URBIS CONDITÆ 778. 779.

ANNUS CHRISTI 27. 28.

TOGODUMNI REGIS 6. 7.

TIBERII IMP. 11. 12.

ANNO Christi vigesimo septimo, Cossus Cornelius & Asinius Agrippa, sequenti verò anno, C. Lentulus Getulicus & C. Calvisius Sabinus Consules nominantur. Sub his ultimis Coss. Pontius Pilatus, Judææ præfecturam accepit, tenuitq́ue magistratum illum, ad annos decem. Nec flos ille, in Florilego nostro placet, aut veritatem redolet, qui Pilati iocunabula repetens, eum è Pila, molitoria cujusdam (cui oomen Atus) filia, quem Tyrus Rex compresserat, oatum, & à matris aviq́ue nomine, Pilatum dictum affirmat, ad annum Christi vigesimum octavum: dixisset meliùs Pilati primordia, vel tanti non esse, ut Annalibus inserantur, vel omnino ignorari.

PILATUS JUDAÆ PRÆFICITUR.

Westmon anno 28.

ANNUS URBIS CONDITÆ 780.

ANNUS CHRISTI 29.

TOGODUMNI REGIS 8.

TIBERII IMP. 13.

VIGESIMO nono Christi anno, Coosules ponuntur, M. Licinios & L. Calphurnius: annus, ruina Amphitheatri, & Fidenatum clade memorabilis: viginti millia eo casu periisse Suetonius & Orosius affirmant, Tacitus & Baronius, ad quinquaginta millia, vel mutila, vel occisa. *Nondum ea clades exoleverat, cum ignis violentia Urbem ultra solitum adfecit deusto monte Cælio, feralemque annum ferebant, & omnibus adversis susceptum Principis consilium absentia: qui mos vulgo, fortuita ad culpam trahentes, ni Cæsar obviam isset tribuendo pecunias ex modo detrimenti.* Ita Tacitus. Ego verò omen non adversum, sed prosperum accipio, nimirum incendium illud, portentum esse ignis illius, quem brevi Christus mittet in terram, & volet vehementer accendi.

AMPHITHEATRUM ROMÆ CORRUIT.

Tacitus l. 4. Annal.

VRBIS CONFLAGRATIO.

ANNUS URBIS CONDITÆ 781.

ANNUS CHRISTI 30.

TOGODUMNI REGIS 9.

TIBERII IMP. 14.

IUNIUS Silanus, & Silius Nerva, Consules fuerunt, cùm Christus ingreditur ætatis annum trigesimum. An tunc à Joanne baptizatus sit, meritò hic quærunt Ecclesiasticarum rerum tractatores.

DE CHRISTI BAPTISMO.

tractatores. Quod ad nostros attinet, qui Tiberii Imperatoris annos, statim ab Augusti excessu numerarunt, hunc Christi annum, Tiberii imperantis annum decimum-quintum vocant, & Lucam sequentes Evangelistam, ad hunc annum, Christi baptismum referunt. Ita Florilegus, & Florentius Wigorniensis: idemque sentire videtur Beda (licèt à Baronio aliter citetur) dicit enim: *Evangelia, manifestè significant, decimo-quinto Tiberii anno, Præcursorem Domini, prædicare cœpisse: ipsumq; mox inter alios baptizasse IESVM, incipientem jam fieri quasi triginta annorum.* Wigorniensis, cùm Junium Silanum & Silium Nervam Coss. dixisset, de Christi baptismo disputans, Lucæ verba sic expendit: *Et ipse IESVS incipiens erat quasi triginta annorum. Hoc est*, inquit, *non plenus triginta annorum, mensium duodecim; sed secundum Hieronymum, & Lucam, incipiebat triginta, quando baptizatus est in die decima-tertia incipientis anni sui trigesimi, die dominica Epiphania: secundùm solares autem annos tunc incipiebat annum trigesimum primum*: quæ ultima verba nescio an pugnantes inter se sententias uniant atque concilient. Timidè etiam Florilegus, & sine aliorum præjudicio sententiam suam firmat.

Beda de ratio. temp. c. 45.

Wigornien. hic.

II. Porrò cùm nos Tiberii Imp. annos, ut & nati Christi, ooo eódem, quò aut ille imperavit, aut iste nascitur, inceperimus: & simus adhuc in Tiberii Imp. anno decimo-quarto; Evangelio multò consonantius erit, affirmare Christum à Joanne baptizatum esse, initio sequentis anni: qui procul omni dubio erit Tiberii Imperatoris decimus-quinnis: & hanc Chronologiæ rationem sequitur Baronius, ductus inter cætera, authoritate S. Ignatii, qui Christum in carne noverat: & in Epistola ad Trallianos ita scripsit: Καὶ τρεῖς δέκαδας ἐτῶν πολιτευσάμενος ἐβαπτίσθη ὑπὸ Ἰωάννου: quæ verba reddi mavult Baronius: *Et expletis tribus annorum decadibus baptizatus est à Ioanne;* ut modò in magna Patrum bibliotheca legitur: quàm ut olim legebatur: *trigesimo ætatis suæ anno baptizatus est.* Sed cùm græcum πολιτευσάμενος, expletas annorum decadas potiùs significet: sicut & recens versio, vel aotiqua potius, ab homine recentiore edita, non malè habet: *Et triginta annos agens baptizatus est.* quod melius de completo annorum, quàm de paucorum dierum numero, capiendum. Sic intellexit S. Bernardus cùm dixit: *Cùm jam Christus triginta annorum tempus exegisset in carne; qui secundum divinitatem idem ipse est, & anni ejus non deficiunt; inter populares turbas, ad baptismum Ioannis venit.* Igitur oon hoc, sed sequenti anno Christus baptizatur.

Ignatius Epist. ad Trallian.

Bernard. Serm. 1. in Epiphan.

ANNUS URBIS CONDITÆ 782.

ANNUS CHRISTI 31.

TOGODUMNI REGIS 10.

TIBERII IMP. 15.

I. Cum Christus Dominus noster complesset vitæ annos triginta, & sequentem ingrederetur, Rubellio & Fusio geminis Coss. *Venit Ioannes Zacharia in omnem regionem Iordanis, prædicans baptismum pœnitentiæ.* Sequitur præeuntem Christus, seu auroram Sol. Et ecce aperti sunt ei cæli, vocéque inde facta, magno oraculo demonstratur declaraturque Filius Dei. Omen enimverò optimum, cælorum apertio, nam thesauri infiniti infinitæ sapientiæ & scientiæ Dei, qui ibi latebant, mundo innotescent, cùm Christus, quà rerum è virtute gestarum gloria, quà miraculorum majestate, ad se hominum oculos animosque convertit. Tunc prædicatio cœpit, vocati Apostoli, & demum ædificandæ Ecclesiæ facta promissio: quam hic exequor, quia Britannorum Fidei fundamentum erit. Cùm enim illi inter primos Christi Ecclesiam audiverint, & superædificaverint super fundamentum illud, quod Christus ipse collocavit, consecravitque, valdè refert, & oppidò necessarium est nosse, quid illud, cujus naturæ atque conditionis, quo denique modo, quo charactere, quibus signis non errantibus surrexerit, & ab omni alio distinguatur: nam error in fundamento, ruina ædificii.

ECCLESIA CHRISTI ÆDIFICANDA PROMITTITUR.

II. Andreas à Bethsaida, ut primùm Christum vidit, credens aliquid majus homine, Simonem fratrem ad videndum pellexit: *Invenimus*, inquit, *Messiam, quod est interpretatum Christus, & adduxit eum ad IESVM. Intuitus eum IESVS dixit: Tu es Simon filius Iona, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.* Mutari profectò debuit nomen facilè, quod Simon notat, & durius à Christo indi; quia difficili operi, cui nec inferorum portæ prævaliturae erant, nec Andreas frater, naturalis inquam fortitudo suffectura, parabatur. Et quale quæso opus, Ecclesiæ fundamentum, & primus lapis! Sed necdum ad id muneris consecratur: cùm id evenerit post unum aut alterum probationis annum, pro ejus prærogativa, in vulpes pugnabo, quæ demoliuntur vineas, & quotum possunt radicitus exstirpant. Interim Ecclesiæ rudimenta colligam, & prima incunabula aptando fundamento.

APOSTOLORUM VOCATIO.

Ioannis c. 1. v. 41.

ANNUS URBIS CONDITÆ 783.

ANNUS CHRISTI 32.

TOGODUMNI REGIS 11.

TIBERII IMP. 16.

Longino & Quartino Consulibus, Christus agens annos ætatis trigiota duos, Ecclesiæ œconomiam inchoaturus, ascendit in montem, & novo quod moliebatur operi viros seponit, è vulgo quidem lectos, sed divina manu poliendos, atque roborandos, quos & Apostolos nominavit. Cæterùm primo loco Simonem elegit, quem cognominavit Petrum, & Andream fratrem ejus, aliosque undecim. Nec vacat mysterio, quod Petrus primò nominetur. S. Hieronymus illud exponit, scribens in Jovinianum: *Propterea*, inquit, *inter duodecim Apostolos, unus eligitur: ut capite constituto, schismatis occasio tollatur.* Unam hoc electionis Sacramentum, notitiáque ejus ad ætatem hanc nostram descendisset, & in Britannia, quæ per quatuordecim sæcula, ut fusum cælo oraculum credidit, semper intemerata mansisset: non enim tot schismata, tot opinionum monstra, tot cerebri idola, quot hodie cernimus, fidelissimam olim Insulam infecissent. *Sed oportet hæreses esse, ut & qui probati sunt, manifeste fiant in vobis.* Sed necdum Petrus gregi præficitur: primus quidem, & ante alios nominatur, sed necdum in alios principatum accipit, aut procurationem aliquam.

PETRUS APOSTOLORUM PRINCEPS.

Hieronym. in Iovinianum.

1. ad Corint. c. 11. v. 19.

ANNUS

ANNUS URBIS CONDITÆ 784.
ANNUS CHRISTI 33.
TOGODUMNI REGIS 12.
TIBERII IMP. 17.

I. ANNO Christi trigesimo-tertio, cùm Tiberius Augustus nonum, & Ælius Sejanus Consulatum essent sortiti, Venit Christus in partes Cæsareæ Philippi; interrogat discipulos, quem dicunt homines esse filium hominis? Et qui primus in Apostolorum numero, cæterorum interpres Petrus, respondit: *Tu es Christus filius Dei vivi. Respondens autem* JESUS, *dixit: Beatus es Simon Barjonas quia caro & sanguis non revelavit tibi: sed pater meus qui in cælis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam: & portæ inferi non prævalebunt adversus eam: Et tibi dabo claves regni cælorum: & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cælis.* Nihil dici potuit, aut ad Ecclesiæ nooonem explicatius, aut ad excernendas hæreses, sectasque omnes, distinctius, aut denique ad Petri prærogativam, constantius. Unde ludunt factiosi, quotquot divini Consilii rationem evertentes, dicunt, nuncupatione Petræ, Christum intelligi. Quasi verò, Simon in Petram transire debuit, ut Christus esset Petra; aut fortè non est dictum Syriacè: Tu es Cephas; & super 'l' Cephas ædificabo Ecclesiam meam. Quorsum ergo mutatum nomen? Quorsum prælatus cæteris, & Andreæ fratri, natu, & vocatione majori? & quorsum illi (postea) pascendi gregis cura commissa? Quorsum denique laudata Confessio, hoc ingenti præmio; *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* nisi super eum, cui hæc dicta, constituenda esset Ecclesia?

Matth. 16.

II. Ita Christum intellexit S. Cyprianus Epistola 55. *Petrus*, inquit, *super quem ædificata fuerat Ecclesia, unus pro omnibus loquitur.* Et iterum: *Petrus, cui oves suas Dominus pascendas tuendásque commendat, super quem posuit & fundavit Ecclesiam.* Tertullianus antiquior: *Petrum invenio solum maritum, per socrum; monogamum præsumo per Ecclesiam, quæ super eum ædificata*, &c. Et alibi, omnes Ecclesiæ perduelles, & imprimis nostri temporis sectarios alloquens: *Qualis es*, inquit, *evertens, atque commutans manifestam Domini intentionem personaliter hoc Petro conferentem: Super te, inquit, ædificabo Ecclesiam meam.* Benè etiam in eundem sensum S. Hieronymus, ad Damasum Petri successorem. *Beatitudini tuæ*, inquit, *hoc est, Cathedræ Petri, communione consocior. Super illam Petram ædificatam Ecclesiam scio: Quicumque extra domum hanc agnum comederit, profanus est.* Et alibi, in Pelagium pugnans, Petrum ex hac prærogativa, Apostolorum Principem vocat: *Sicut ille*, inquit Aristotelem intelligens, *princeps Philosophorum: ita hic* (Petrus) *Apostolorum fuit; super quem Ecclesia Domini stabili mole fundata est; quæ nec impetu fluminis, nec ulla tempestate concutitur.* Da veniam Lector, si testes urgeo, quia Regum Britannorum causa agitur; qui primi fuerunt in cultu sedis, quam Petrus erexit; & suo exemplo, Saxonum & Anglorum Reges, omnemque provinciam duxerunt; ut fidei anchoram, omni tempestate, ad Petram illam alligarent: ne variis undarum fluctibus, in syrtes & brevia raperentur, & cum naufragii periculo frustra currerent, aut cucurrissent.

Cypri. Ep. 55.
Idem de habitu Virginū
Tertul. de Monoga.
Idem lib. de pudicitia.
Hieron. Epist. 17.

Hanc ob causam ædificium Ecclesiæ, cujus hoc loco meminit Christus, morosiùs contemplari consilium est. Ubi loci fundatum, quæ ejus indoles & conditio sit: qua ratione surrexit, quibus denique prærogativis perfectum atque absolutum. Frustra enim laudavi Britannorum Ecclesiam, Fidem atque sanctitatem; nisi illos & illam, in Fidei & sanctitatis Petra solidos firmosque stabiliam. Frustra contendo Insulam, ubique piam, si in principiis erro, & pietatis fundamento. Quid quod præcipua hodie quæstio est, & mirè controversa. Quæ, qualis, & ubinam Christi Ecclesia, quam sibi, ut olim, & omni pòst sæculo, hæretici, & paradoxi, quantumvis inter se diversi, vendicant. Sed quia una revera est, & vestis Christi inconsutilis, si in sectas scinditur, aut pro ingeniorum varietate & prurigine distrahitur, perdit revera nomen Ecclesiæ. Ideo unam ego definiam, in quam Reges colligam, Episcopos, & omnem Insulam, nec aliam, quàm ipsius Christi definitione, & expressâ notâ conspicuam. Etenim mirari soleo, non inde peti veram Ecclesiam, ejusque constantes notas; undè illam & illas, à cæteris distinxit Christus.

IV. Cùm itaque Simeonem Christus nominâsset Petrum, dedissetque præ aliis fundamenti dignitatem, asseruit hæc Ecclesiæ suæ certissima argumenta: *Portæ Inferi non prævalebunt adversus eam. Tibi* (Petro) *dabo claves regni cælorum. Quodcumque ligaveris super terram erit ligatum & in cælis. Et quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis.* En Christi Ecclesiam: en notas, dictante Christo, certissimas. Ædificari super Petram, habere constantiam, fluctibus quibuscunque adversis adeò esse immersabilem, ut ipsis inferorum portis prævalitura sit. Habere claves regni cælorum, aperiendi, claudendi, ligandi atque solvendi potestatem. Nec plura definio. Ergo super hanc Petram vestigia figam. Hìc Britanoorum Ecclesiam fundo, & fidem omnem quæ Insulam beavit. Inde contemplabor ingentes omni sæculo tempestates, in Ecclesiam ferri, frangique; imò inferorum portas, patentes semper ad injuriam, sed inutiliter conantes. Tum dispiciam, ubi cælorum claves: ubi ligandi & solvendi potestas: & ibi concludam Britannorum Ecclesiam. Nec erit, opinor, ullus qui litem movebit de summa quæstionis. Erit fortè, qui Petrum exauctorabit, negabitque fuisse fundamentum. Erit, inquam, Magus aliquis qui Petro se opponet. Erit Diotrephes qui amabit primatum gerere. Erit satanas qui Petram cribrare conabitur: sed illi tot Patrum suffragiis abundè vapulant: & iste ipsius Christi oraculo securus: Portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Erit etiam, qui ligandi, solvendique potestatem torquebit ad nescio quem inanem, & non revera solvendi aut ligandi sed declarandi sensum. Sed hi apertè potestatem & claves enervant, & illud Christi miraculum, ubi Scribis & Pharisæis redargutis, qui ajebant: Quis potest dimittere peccata nisi solus Deus? Christus id homini possibile asserens, ait: *Ut autem sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, ait paralitico: Tibi dico surge: tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.* Qua sententia, aut homini potestatem asseruit, aut lusit plebem, aut denique solam declarandi potestatem intellexit, non erat opus miraculo. His ergo prætermissis ad surgentem Ecclesiam redeo: cui promissa hæc tantùm, nondum concessa.

ECCLESIÆ NOTÆ.
ÆDIFICARI SUPER PETRAM.
CLAVES HABERE CÆLORUM.
SOLVENDI LIGANDIQUE POTESTAS.
Luc. 5. v. 24.

ANNUS URBIS CONDITÆ 785. ANNUS CHRISTI 34.

TOGODUMNI REGIS 13. TIBERII IMP. 18.

ECCLESIÆ CONSUMMATIO.

CN. Domitio Ænobarbo, & Vitellio Nepote, vel certè, Camillo Scriboniano Coss. compleverat Christus Dominus trigesimum tertium ætatis annum: & quartum inchoverat cùm Ecclesia, superiori anno fundari cœpta, nunc demum perfecta & consummata est. Enimverò magnæ molis erat, nec nisi pretiosissimo Christi sanguine ferruminanda, ejus præceptis munienda, & denique ejusdem morte perducenda ad fastigium. Quod hoc anno factum. Inde Sacramenta suam vim, potestatem Petrus, ioteritum Synagoga habuere. Ibi conditum testamentum, vero Christi sanguine confirmatum: & ita declaratus heres, cui ligandi solvendique potestas olim promissa, post triduum tradita. Sequitur Evangelicæ legis in Pentecoste promulgatio, quando missus è cælo spiritus sanctus, indulta Apostolis, ne erraret Ecclesia, omnis veritas; essetque semper sine ruga & macula: & ita demum perfecta. nam qui prius in fidei professione errare poterant, & verò erraverunt; pòst sancto igne calefacti, donati linguis, & illustrati spiritu veritatis, acceperunt credendi docendique inconcussam, & nunquam nutabundam firmitatem, juxta illud: *Ego confirmavi columnas ejus.* (Psal. 74.) Ita nihil ad novæ Reip. integritatem, constantiam, ornamentum & perfectionem defuit. nam & præcipere poterant Apostoli, & parere fideles tenebantur, adeo, ut qui Ecclesiam tunc, & deinceps non audiret, sicut ethnicus & publicanus haberetur, & esset: Hæc est *Civitas* illa *super montem posita*: hæc *columna & firmamentum veritatis*: (Mat. 5. 14. 1. Timot. 3. 15.) hæc petra nullis Oceani evertenda fluctibus. In hanc pugnabunt portæ inferi: Nerones, Diocletiani; Apostatæ insurgent externi hostes: intestini etiam & domestici, hæretici, schismatici, & sectariorum colluvies rebellabunt. Sed illa stat, infallibili spiritus sancti præsidio munita, usque ad consummationem sæculi: & ita ab errantibus Synagogis, & omni sectariorum congregatiuncolâ manifestò distinguitur.

ANNUS URBIS CONDITÆ 786. ANNUS CHRISTI 35.

TOGODUMNI REGIS 14. TIBERII IMP. 19.

I.

PERSECUTIONE CLARESCIT ECCLESIA.

SEQUITOR Christi annus trigesimus quintus, Sulpicio Galba, & Cornelio Sullâ Coss. Tunc visibilitas Ecclesiæ, ejusque constantia, contra inferorum portas illustrissimè apparuit: cùm impii in illam pugnare, nec infantem licèt, ac veluti in cunis vagientem, expugnare potuerunt. Cùm, inquam, lapidato Stephano, ex Hierosolymitana Urbe pelluntur omnes Christum Dei Filium professi; quos ultra quindecim millia fuisse conjectat Baronius. Hi omnes hoc anno, in varias dispersi provincias, Christi nomen in immensum diffuderunt. *Hinc in orbem terrarum discipuli currere cœperunt* (loquitur Gregorius Nyssenus) (Nyssen. orat. de S. Stephano.) *& agitati à Iudæis, alius aliò gentium per orbem terrarum dispersi sunt undique per mysteriorum doctrinam diabolum exturbantes. Hinc Ægyptii, Syri, Parthi, & Mesopotamitæ, Itali, Illyrici, Macedones Christum agnoscunt, & omnes absque gentes sermo percurrens ad fidem adducit.* Hæc ille de calente adhuc Christi sanguine, & animante primitias Fidei. Sed ego in Britanniam propero; & transito orbe cætero, admodum cupio Christum ibi prædicari, ut impleatur illud: *In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*: (Psalm. 18.) quod propiùs in Britanniam cadit.

II.

UT BRITANNIAM CHRISTI FIDES PERVASERIT.

Favet justissimo desiderio, Historicorum princeps, Cæsar Baronius, ad hunc annum quintum & trigesimum ita scribens. (Baron. hic.) *Insuper colligere possumus, hoc quoque tempore Lazarum*, Mariam Magdalene, *Martham & Marcellam pedissequam, in quos Iudæi majori odio exardebant; non tantùm Hierosolymis pulsos esse, sed unàcum Maximino discipulo, navi absque remigio impositos, in certum periculum mari creditos: quos divinâ providentiâ, Massiliam tradunt appulisse. Comitemque, ferunt ejusdem discriminis Josephum ab Arimathæa, nobilem decurionem: quem tradunt è Gallia in Britanniam navigasse, illicque diem clausisse extremum.* Ita Baronius. Verùm quod ad Josephi ingressum in hanc Insulam spectat: ut certus ille, & planè indubitatus, ita longe posterior fuit; de quo agemus, ad annum Christi sexagesimum tertium. Interim volunt aliqui, Tiberio imperante, in primo Christianæ fidei ortu, Britanniam in Deum credidisse, & Christum ejus; argumento è Gilda sumpto, ita scribente, in Britanniæ excidio: (Gild. in excidio.) *Interea glaciali frigore rigenti Insulæ; quæ velut longiore terrarum secessu, soli visibili non est proxima; verus ille, non de firmamento solùm temporali, sed de summa etiam cælorum arce, tempora cuncta excedente. universo orbi præfulgidum sui lumen ostendens Christus, suos radios, id est, sua præcepta indulsit, tempore, ut scimus, summo Tiberii Cæsaris: quo absque ullo impedimento, ejus propagabatur Religio.*

Hinc colliguot aliqui jaci cœptam Fidei sementem sub hæc tempora. Ita Matthæus Parkerus in Antiquitatibus, Joannes Spedus, Ioannes Foxius, & alii. Sed nimiùm properant: nullus enim in historiis nominatur qui Fidem porrexerit. Si quæras, cur ergo tam seduli tamque officiosi fuerunt suprà memorati authores, ut voluerint, Tiberio regnante, Evangelicæ veritatis radio amicuisse in hac Insula? In promptu causa est: Nolunt expectare Petrum Romæ sedentem: ne forè sedi illi beneficium debeatur; & omnis Insula cogatur Petri cathedram venerari: quam illi ubique Petram non minùs quàm Nautæ scopulum exhorrent. Verùm cùm dixerim superiùs Ecclesiam Christi supra Petram fundatam esse; cùm Petrus passim audiat fundamentum ejus: cùm Reges hujus Insulæ, præeunte Lucio, Petrum, Petrique successores, omni sæculo venerati sint: ingenti crimine veritatem prodo, & læsæ majestatis reus ero, si aliunde Fidem, fideique Sacramenta derivo. Nec Gildas factioni favet: qui de Britannorum Ecclesiis loquens, *Sedem Petri, Petri Cathedram nominat*: planè significans, inde, non aliunde beneficium descendere: & posse, debereque posteros illi sedi fideles esse: & votivam grati animi tabulam, ad Petri aram suspendere.

Quid ergo Gildas de Tiberio? aut quorsum de Britannorum Fide mentio, eo Imperante? (Gildæ mens expenditur) Respondeo: obscurè, more suo, innuit quod paulò superiùs à me dictum, Tiberii Imperatoris tempore, & statim ab assensu Redemptoris nostri, Evangelium promulgari cœpisse, in orbe passim: *ut scimus*, inquit, nimirum è scriptura docti. Itaque de re testatissimâ loquitur, nimirum Christum

ſe mundo oſtendiſſe, ac præcepta reliquiſſe inſulæ, & orbi terrarum, tempore Tiberis Cæſaris. Sed de Gildæ mente infrà copioſiùs. Hic tantùm adverto, Gildam Euſebii ſententiam, ſenſumque ſolùm exprimere: & ille, cùm Tertullianum recitaſſet, in Apologetico loquentem ita: *Tiberius cujus tempore, nomen Chriſtianum in ſæculum introivit, annuntiatum ſibi ex Syriâ Palæſtinâ, quòd illic veritatem illius divinitatis revelaverat, detulit ad Senatum, cum prærogativa ſuffragii ſui. Senatus quia non in ſe ipſe probaverat, reſpuit. Cæſar in ſententia manſit, comminatus periculum accuſatoribus Chriſtianorum.* Hæc verba cùm Euſebius retuliſſet, mox addit: *Quod quidem ſine dubio, cæleſtis & divina providentia, nutu ſuo, commodè ejus animo injecerat: quo ſermo Evangelicus, qui jam inchoatus erat, liberè & abſque impedimento ubique terrarum pervaderet.* Hoc ipſum, non aliud Gildas intellexit.

V. anno 46. 5.

Tertul. in Apolo. c. 5.

Euſeb. in hiſtor. l. 2. cap. 2.

ANNUS URBIS CONDITÆ 787
ANNUS CHRISTI 36.
TOGODUMNI REGIS 15.
TIBERII IMP. 20.

TRIGESIMO ſexto Chriſti anno Conſules fuerunt Paulus Fabius Perſicus, & Lucius Vitellius Nepos: cùm Apoſt. Paulus divino oraculo converſus, Doctor gentium conſecratus eſt. An, quando, quomodo Britanniam docuerit, dicam ſuo loco inferiùs.

PAULI CONVERSIO.

ANNUS URBIS CONDITÆ 788. 789.
ANNUS CHRISTI 37. 38.
TOGODUMNI REGIS 16. 17.
TIBERII IMP. 21. 22.

ANNO Chriſti trigeſimo ſeptimo, Conſulatum Romæ geſſerunt, C. Ceſtius Gallus, & Servilius Rufus: & ſequenti, Quintus Plautius Plautianus, & Sex. Papinius Gallienus: quo biennio nihil occurrit, quod ad alterutram Remp. ſpectet, his Annalibus proprium.

ANNUS URBIS CONDITÆ 790.
ANNUS CHRISTI 39.
TOGODUMNI REGIS 19.
CAII CALIGULÆ 1.

CONSULES fuerunt, anno Chriſti trigeſimo nono, C N. Proculus, & Pontius Nigrinus. Quando Tiberius Imperator, imperii, vitæque finem fecit, & locum Cajo Caligulæ, Germanici (quem ſupra Tiberius adoptaverat) & Agrippinæ filio. Hic nihil egit præclarum, aut Romano Principe dignum: quem *natura videbatur edidiſſe*, inquit Seneca; *ut oſtenderet quid ſumma vitia in ſummâ fortunâ poſſent.* Huic monſtro ſervire noluit Britannia: licet ille famæ quàm gloriæ cupidior, domare inſulam ineptiſſimè moliretur. *Agitaſſe illum* (loquitur Tacitus) *de intranda Britannia ſatis conſtat: ni velox ingenio, mobilis pœnitentiâ, & ingentes contra Germaniam conatus fruſtra fuiſſent.* Cauſa expeditionis in Britanniam, Caligulæ avaritia, & Togodumni conſtantia fuit. Enimverò cùm primis Imperii annis, ærarium Romanum variiſſimis impenſis exhauſiſſet: *vectigalia nova atque inaudita* (ſcribit Suetonius) *primùm per publicanos; deinde, quia lucrum exuberabat, per centuriones tribunoſque prætorianos exercuit, nullo rerum, aut hominum genere omiſſo, cui non tributi aliquid imponeret.* Tum deficiente Italia; Germaniam Britanniamque poſtremis imperii annis, eiſdem artibus expilare ſtatuit. Noti erant Togodumno Regi, Caligulæ impuri amores, & projecta ad omne flagitium vita: noluitque tributi penſione, majeſtatem colere, quam infamis libido, & turpiſſimi mores inquinaſſent. Hæc cauſa ſeceſſionis: quam auxit Imperatoris inertia, qui licèt in caſtris vel natus vel enutritus, nihil tamen militaris animi habere poterat, quem crapula Venuſque enervarant. Quid demum à Caligula tentatum, dicam inferiùs. nam hoc, & ſequenti anno Romam & Italiam fœdans, modò popularem, modò hiſtrionem, modò tyrannum, nunquam benè Principem agit.

TIBERIUS MORITUR.

Anno 6.

SUCCEDIT CALIGULA.

Seneca l. de conſolat.

Tacit. in Agric.

CUI BRITANNIA SERVIRE NOLUIT.

Sueton. in Caligula cap. 40.

ANNUS URBIS CONDITÆ 791.
ANNUS CHRISTI 40.
TOGODUMNI REGIS 20.
CAII CALIGULÆ 2.

SEQUITUR Chriſti annus quadrageſimus, quo Conſulatum geſſerunt M. Aquitius Julianus, & Publius Nonius Aſprenas. Cùm quieta adhuc Britannia, Caligulam, unàque Romanum imperium palam averſata eſt.

ANNUS URBIS CONDITÆ 792.
ANNUS CHRISTI 41.
TOGODUMNI REGIS 21.
CAII CALIGULÆ IMP. 3.

AD annum Chriſti quadrageſimum primum conſignantur Conſules Cajus Auguſtus iterum, & L. Apronius Cæſianus. Ita conſules nominat Dio: Cæterum ideo Cajus Auguſtus dicitur iterum Conſul, quia priùs per menſes tantùm duos magiſtratum geſſerat; qui conſulatus ſuffectus potius, quàm ordinarius dicebatur. Sunt qui ad hunc annum volunt Occidentem noſtrum, Apoſtoli Iacobi prædicatione, Evangelica Fide illuſtratum eſſe. Pro Britannia ita loquitur Flavius Dexter, vel author ejus libri, qui authorem illum præfert. *Anno Chriſti quadrageſimo primo rediens Jacobus Gallias inviſit, ac Britannias, ac Venetiarum oppida, ubi prædicat: ac Hieroſolymam revertitur, de rebus graviſſimis conſulturus Beatam Virginem & Petrum.* Intelligit Zebedei filium, Joannis Evangeliſtæ fratrem, quem Freculfus etiam Lexovienſis plane aſſerit in Occidente prædicaſſe, ſere Britanniam nominans: & ita loquitur: *Jacobus filius Zebedei, frater Joannis, quartus in ordine, duodecim tribubus, quæ ſunt in diſperſione gentium ſcripſit; atque Hiſpaniæ & Occidentalium locorum populis Evangelium prædicavit, & in occaſum mundi lucem prædicationis infudit.* Sed obſcura hæc, & incerta. nec enim Jacobus Zebedæi putatur duodecim tribubus ſcripſiſſe, ſed alter Jacobus, Alphæi dictus, & Chriſti frater, ſive ἀδελφόθεος. Cæterùm malo primordia Fidei in Britanniâ doctâ, certioribus argumentis aſſerere. Porrò hoc anno turbata Inſula bellico ſtrepitu, incommodè potuit inter arma doctrinam aut docentem excipere.

I.

JACOBI PRÆDICATIO IN OCCIDENTE.

Fla. Dexter ad anno. 41.

Freculf. tom. 2. l. 2. c. 4.

Vide Cornelium à Lapide, in Epiſtolam Iacobi. Proœmio.

II. Enimverò Caligula Imperator, cùm jam biennio gravis Italiæ Urbique fuiſſet: & opes ibi ad luxum non ſufficerent; in Occidentem deſcendit: quo plenius & ambitioni ſuæ, & cupiditati faceret ſatis. Ibi provinciæ, Principem deteſtatæ, ſervitutis jugum excuſſerant. Itaque in Germaniam primò, deinde in Britanniam ſe profecturum jactat. Apparatum ejus ex Urbe diſcedentis ita narrat Dio. *Jam omnes*, inquit, *in Italia Romæque abſumptæ erant pecuniæ: unde omnino quicquam haberi potuiſſet.*

CALIGULÆ CONATUS IN OCCIDENTEM.

Dio l. 59.

ſet. Neque ibi præ: rea ulla pecuniæ conquirendæ ratio, quæ alicujus momenti eſſet, reperiri poterat; urgentibus interim vehementiſſimè ſumptibus. Igitur Cajus in Galliam abiit, obtentu Germanici belli uſus; quod is populus aliquid novi motus dediſſet: ipſe revera in animo habens, Gallias quoque opibus florentes, & Hiſpaniam expilare. Abitum ſuum non palam prius oſtendit: ſed in ſuburbium progreſſus; inde ſubito diſceſſit: abductis ſecum multis ſaltatoribus, gladiatoribus, equis, mulieribus, ac reliquo luxus famulitio. In Galliam cùm veniſſet; hoſtium terram nullo maleficio infeſtavit: ultra tranſitum à ſe Rhenum parumper progreſſus; inde ſtatim reverſus. Tum quaſi in Britanniam iturus, motis caſtris ab ipſo Oceano rediit: iratus etiam Legatis, ſi quid res geſſiſſent. At ſubditos, fœderatos, civeſque mirum in modum afflixit. Horum alios, quòd locupletes eſſent, quacumque excogitatâ causâ, pecuniis ſpoliabat; quum dona ei tamen à privatis ac civitatibus ultrò maxima ferrentur: alios novarum rerum, aut inſidiarum ſibi paratarum inſimulatos necabat; eratque omnibus iis commune crimen, divitiæ. Ita Dio de primo Imperatoris impetu, umbraticoque conatu io Britanniam.

III.
ITEM IN OCEANUM.

Sed non ibi ſtetit Caligulæ ambitio, voluit etiam in Oceanum ipſum pugnare, & titulis ſuis inſerere *Victoris Oceani* cognomen: quod hactenus nemo meruerat. Ambitionis ſomes Togndumni frater natu major, qui pulſus regno à Patre, ut ſuprà dictum, ſe cauſamque ſoam Caligulæ ſubmiſit; ratus Romanorum viribus & potcutia, jnreqoe natalium, ſe fratre fore potiorem. Sed fruſtrà. Nec aliud ſibi quàm proditoris patriæ oomen peperit. Quod ad transfugam hunc ſpectat, corrigendus eſt Genebrardus, ita ſcribens: *Adminocius, Bellini Batavorum Regis filius, in deditionem* (à Caligula) *acceptus eſt*. Nam indubiè legendum: Adminius Cunobelini Britannorum Regis filius in deditionem &c. Corrigendus ad eum modum noſter Sariſburienſis lib. 8. de nugis Curialium, ubi Adminium vocat Bellinum Britannorum Regis filium: & Oroſius l. 7. c. 5. Mynocybelinum Britannorum Regis filium. Optimè de nomine & re Suetonius ita pronunciat, & vaniſſimi militis oſtentationem depingit. *Adminio*, inquit, *Cynobellini Britannorum Regis filio (qui pulſus à Patre, cum exiguâ manu transfugerat) in deditionem recepto; quaſi univerſâ traditâ Inſula, magnificas Romam literas miſit, monitis ſpeculatoribus, vehiculo ad forum uſque & curiam pertenderent: nec niſi in æde Martis, ac frequenti Senatu, Conſulibus traderentur.*

Geneb. anno. 45 l. 2.

Sarisb. l. 8. cap. 18.

Oros. l. 7. cap 5.

Sueton. in Calig. cap. 44.

Mox deficiente belli materia, paucos de cuſtodia Germanos trajici, occulique trans Rhenum juſſit; ac ſibi poſt prandium, quàm tumultuoſiſſimè, adeſſe hoſtem nuntiari. Quo facto proripuit ſe cum amicis, & parte equitum Prætorianorum, in proximam ſilvam, truncatiſque arboribus, & in modum trophæorum adornatis, ad lumina reverſus; eorum quidem qui ſequuti non eſſent, timiditatem & ignaviam corripuit: comites autem, & participes victoriæ, novo genere, & nomine coronarum donavit; quas diſtinctas ſolis & lunæ ſiderumque ſpecie, exploratorias appellavit. Rurſus obſides quoſdam abductos è literario ludo, clamque præmiſſos, deſerto repente convivio, cum equitatu inſequutus, veluti profugos ac reprehenſos in catenis reduxit. In hoc quoque mimo præter modum intemperans. Repetita cænâ, renuntiantes coactum agmen, ſicut erant, loricatos ad diſcumbendum adhortatus eſt. Monuit etiam notiſſimo Virgilii verſu, durarent ſecundiſque ſe rebus ſervarent. Atque inter hæc, abſentem Senatum, populumque, graviſſimo objurgavit edicto: quod Cæſare præliante, & tantis diſcriminibus objecto, intempeſtiva convivia, Circum & theatra, & amœnos ſeceſſus celebrarent. Hæc Suetonius.

IV.
OBSIDES A ROMANIS FORMANTUR.

Obſervo proboque Romanorum morem; obſides è literario ludo eductos formandis ad Remp. quod ipſis in more poſitum, omnibus provinciis & Britanniæ imprimis magno commodo fuit. Sic enim teneræ mentes & ingenia, è nativa barbarie, in aliud cultiuſque ſolum tranſlata, ad morum vitæque elegantiam formabantur. Hujus moris meminerunt Tacitus & Marcellinus: Gruterus etiam in hunc locum Suetonii: qui addit dubitare ſe, laudandáne magis ſit æquitas, an calliditas Romanorum; quòd obſides imbuerint humanioribus diſciplinis, quia utrique Reip. utiles evadebant. Hoc certè ſenſit Britannia, quæ ſepè Principes viros in Urbem miſit, non ſolùm ad firmandam cum Romanis amicitiam: ſed ut eorundem commercio, in omni vitæ genere evaderent doctiores. Sed reviſamus Caligulam, qui in Oceani litore expeditionem in Britanniam parat, eamque terret, apparatu ſcilicet bellico. Quod Suetonius ita proſequitur. *Poſtremo Caligula, quaſi perpetraturus bellum, directâ acie, in litore Oceani, ac baliſtis, machiniſque diſpoſitis, nemini gnaro, aut opinante, quidnam cœpturus eſſet. repentè ut conchas legerent, galeaſque & ſinus replerent, imperavit: ſpolia Oceani vocans, Capitolio, palatioque debita. Et in indicium Victoriæ, altiſſimam turrim excitavit: ex qua, ut ex pharo noctibus ad regendos navium curſus, ignes emicarent. Pronuntiato militi donativo, centenis viritim denariis, quaſi omne exemplum liberalitatis ſupergreſſus: Abite, inquit, læti; abite locupletes. Converſus hinc ad curam triumphi; præter captivos & barbaros transfugas, Galliarum quoque proceriſſimum quemque, & ut ipſe dicebat ἀξιοθριάμβευτον, ac nonnullos ex Principibus legit ac ſepoſuit ad pompam. coëgitque non tantùm rutilare, & ſubmittere comam; ſed & ſermonem Germanicum addiſcere, & nomina barbarica ferre. Præcepit etiam triremes, quibus introierat Oceanum, magna ex parte terreſtri itinere Romam devehi. Scripſit & procuratoribus, triumphum apparare, quàm minimâ ſummâ: ſed quantus nunquam antea fuiſſet quando in omnium hominum bona jus haberet.* Hactenus author, & ſimilia habet Dio, qui addit: *His partis ſpoliis (conchylia prius nominaverat) animum ſuſtulit: quaſi ipſum Oceanum ſubegiſſet: donatiſque liberaliter militibus, conchylia hæc Romam attulit, ut ibi quoque prædam ſuam oſtentaret.*

Tacit. in Agric. Marcel. l. 18. c. 15.

Sueton. in Calig. l. 4.

CALIGULA BRITANNIAM VANISSIME TERRET.

Dio l. 59.

ANNUS URBIS CONDITÆ 793. ANNUS CHRISTI 42.
TOGODUMNI REGIS 22. CALIGULÆ IMP. 4.

I.
CALIGULA ROMAM REVERSUS OCCIDITUR.

ANnus Chriſti quadrageſimus ſecundus, uno conſignatur Conſule, Cajo Auguſto tertiùm. Nam mortuo collega, & rebus ibi turbidis, alius non potuit ſubrogari. ſortè nemo voloit ſcenico Principi ſociari: qui Romam hoc anno tendens, & nihil præter triumphum ſomnians; ut Imperatores omnes fatoitate & arrogantia ſnpergreſſus eſt, ita honores præ illis ampliſſimos ambivit. Sequutus eſt illum, in Urbe, Adminius transfuga: & quia Regis frater & filius, ſine dubio ἀξιοθριάμβευτος, ad triumphi gloriam & incrementum parabatur. Sed noluit Senatus, orbi ludibrium eſſe, & Vrbis majeſtatem tam turpi victoriæ monſtro fœdari. Vitato igitur triumphi nomine, quod illuſtrioribus factis ſervabatur; Ovatio tantùm Se-

natus-consulto decernitur, ne Britanni Romanorum triumphos exploderent. Sensit id Caligula, & irarum plenus, io Senatum exeanduit, quia non triumphum modò, sed divinos sibi honores deberi, animo præceperat. Ita Dio cùm scenicum belli apparatum narrasset, & Imperatoris animum ad triumphum aspirantis: *At Senatus*, inquit, *neque ut quiesceret; cùm eum magnificè de ea re sentire audiret: neque rursus, ut eum laudaret, certus animi esse. Quippe magnæ laudes, honoresque immodici, nulli, aut exiguæ certè res gestæ tributi, traducere eam modò, ac sugillare existimantur. Ut in Vrbem Cajus advenit, parum abfuit, quin universum Senatum necaret; quia non divinos ipsi honores decreverant.* De ejus in Vrbem ingressu ita Suetonius. *Omisso*, inquit, *vel dilato triumpho, ovans Vrbem, natali suo ingressus est.*

Dio l. 59.

Sueton. in Caligul. cap. 49.

Verùm qui opinione sua inter Deos esse, & cum illis honorari cupiebat; aliorum opinione, nec inter hominea vivere, tam tetrum humanæ naturæ portentum merebatur. Unde post quartum à reditu mensem, homo esse desut, qui Deo parem se putabat: à Cassio Cheræa, & Cornelio Sabino, Prætorianorum militum tribunis percussus. Illoa Suetonius intellexit, cùm dixit: *Ita bacchantem atque grassantem, non defuit plerisque animus adoriri sed una alteraque conspiratione detecta: aliis per inopiam occasionis cunctantibus; duo consilium communicaverunt, perfeceruntque, non sine conscientia potentissimorum libertorum, præfectorumque Prætorii.*

Idem l. cap. 56.

ANNUS URBIS CONDITÆ 794. ANNUS CHRISTI 43. TOGODUMNI REGIS 23. CLAUDII IMP. 1.

CLAUDIUS IMPERAT.

ANno Christi quadragesimo tertio, Consulibus Cajo Augusto quartùm, & Sentio Saturnio: Caligula Imperator, Kalendis Februarii, ut suprà, occiditur, ætatis anno vigesimo nono, & cùm imperasset anniatribus, mensibus decem, & diebus octo. Suffectus est in ejus locum Tiberius Claudius Drusua, suffragio Prætorianorum militum. Qui Julii Cæsaris virtutem felicitatemque æmulatus, Britanniam elegit argumentum gloriæ. Eò penetravit ipse, ibi pugnavit: eam denique per se suosque vicit, ac de eâ triumphavit. Felix ille triumphus fuit, & Insulæ salutaris: quia Britannia ad fidem rediit, & commercio cum Romanis nsa, ut olim cultos mores, nunc Christi fidem docetur. Quod quomodo factum servata annorum serie, & præmisso in Insulam Claudio, dicendum est.

ANNUS URBIS CONDITÆ 795. ANNUS CHRISTI 44. TOGODUMNI REGIS 24. CLAUDII IMP. 2.

I. DE TEMPORE ADVENTUS CLAUDII IN BRITANNIAM. *Vi'estmonast. hic.*

CHristi annus quadragesimus quartus Consules habuit Claudium Augustum iterum, & C. Licinium Largum. Quo tempore Claudium Imperatorem in Britanniam solvisse, Britannicarum rerum scriptores affirmarunt. *Anno gratiæ*, inquit Florilegus, *quadragesimo quarto Tiberius Claudius in Britanniam transvectus, quam ante Iulium Cæsarem, nec post quisquam attentare ausus fuerat; in civitate Kaerperis, quæ nunc Portcestria appellatur, applicuit.* Eundem annum consignant Fasti, post Malmesburiensem collecti, Jacobus Gordonius, Spedus, & alii. Tamen Paulua Orosius, & eum sequutus Beda, ita scribunt de adventu Claudii. *Claudius quarto imperii sui anno, cupiens se utilem Reip. ostendere Principem, bellum ubique, & Victoriam undecunque quæsivit. Itaque expeditionem in Britanniam movit.* Verùm hæc duorum annorum differentia ita componitur, si dixeris hujua expeditionis initium cœpisse hoc anno quadragesimo quarto, cùm Aulus Plautius Britanniæ præfecturam accepit, ad motus sedandos, tributique solutionem à Claudio missus iu Insulam: & finem accepisse post annoa duos: quod Beda videtur innuisse, dum Orosium sequutus, ita initium à fine distinguit. *Hoc bellum Claudius, quarto imperii sui anno complevit.* Eusebius etiam in Chronico ad annum quadragesimum sextum, scribens, Claudium de Britannis triumphasse, satis significat exordium belli ad priora referendum. Iam quæ belli causa fuerit, videamus.

Orosius l. 7. cap. 6. Beda hist. l. 1. cap. 3.

Beda l. 1. cap. 3.

II. CAUSA BELLI CUM ROMANIS. *Vi'estmon. hic.*

Florilegus suprà, vult Claudium tributi solutionem petiisse; sed Britannorum Regem recusasse. *Guiderius* (inquit, & Togodumnum intelligit) *Britannorum Rex tributum Romanis consuetum, à multo tempore reddere contempserat. Unde* Claudius *indignatus illud repetere cogitavit.* Suetonius tamen, & eum sequuti Orosius, Beda, & alii aliud causantur; nimirum non redditos transfugas: hoc est Britannoa quosdam, qui rerum novandarum studio, vel declinando supplicio quod meriti fuerant, ad Romanos secesserant. Hos Togodumnus reddi postulaverat: & quia Roma illos protexerat, Rex injuriam interpretatua, & ipse ultra tributum solvere constanter recusavit: sic utrobique belli causa componitur, & tam transfugarum retentio, quàm tributi, Claudium ex Vrbe in Britanniam vocavit. Sed quinam illi transfugæ belli causa ac materia? Opinor illi, qui nuper ad Caligulam in Oceani litore ludentem transierant, Adminium inquam, Togodumni fratrem, Bericum, & alioa, qui Romanum exercitum in Britanniam armaverant. Hoc Togodumnum à Romania avertit, ideoque tributum negat. Hinc pro tributo à Claudio pugnatum, Eutropius planè significat, vel certè metaphrastes ejus græcus, in Romanæ historiæ Breviario, ut infrà patebit. Quamobrem Claudius, cùm imperii initia, insigni aliquo facinore consecrare decrevisset, & prædecessoris ignominiam præclarè factia obliterare, Britanniæ campum elegit, rudimentum gloriæ: velificaturus ibi & existimationi nominis sui, & Reip. amplitudini atque majestati.

III. FACTIOSI ORIENTEM SOLEM PERVERSE ADORANT.

Verùm prius quàm classicum cano, aut Romanum Imperatorem ad bellum induo: sanctioris militiæ principem deducam io Occidentem, in Vrbis & orbis imperium altiùs illic, & illinc, Britannicæ Ecclesiæ incunabula ornaturus. Suot, sat scio, inquieta ingenia, & Romam cùm oomino, nauseantes; qui per syrtes, & brevia, in Orientem dudum navigarunt: & inde potius, quàm è Romano cælo, Britannorum fidei principium derivant. Sequior naturæ impetus, plebea factio, & iniqua secessio, hunc sacrum montem petit. Sed reprimamus hunc impetum, dicamus certiora, & Christianam Insulæ fidē, è vicino, & meliore fōte, petamus. Enimnerò ut Christi cultores primi, Christiani vocati sunt, & inde, sine alio addito, Ecclesia: sic surgente postmodum fœcundissima fidelium segete: cum sub eorum umbra zizania crescerent, placuit Doctori gētium Paulo; quo triticum à paleis, vitiisque distingueret; *Romanam Fidem* appellare illam, quæ purior, quæ sine ruga, & macula annuntiabatur in universo mundo; adeoque annuntianda erat in Britanniâ. Cur ergo aliò imus, certo discrimine,

compeodio

compendio nullo? Præsertim cùm omnes Britannorum, Saxonum, Anglorum Reges, quotquot catmi fuerunt, nomeque apud posteros meriti; Romanæ sedi sciuntur semper fuisse ad dictissimi. Quod, si alia deessent, argumentum est, primam Britannicæ Ecclesiæ faciem, primos Fidei radios; non aliundè, quàm è Romano cœlo lucem, splendorem, pulchritudinémque accepisse. Esto igitur illius sensus prærogativa singularis; quod omnem Occidentem Christianæ religionis rudiment docuerit: quod Britanniâ, & omi in ejus angulum, in Fide formaverit. Id e quentibus fiet manifestum.

IV. PETRUS IN OCCIDENTEM VENIT.

Itaque hoc anno Christi quadragesimo quarto, Petrus Apostolorum Princeps, ab Angelo liberatus è carcere, in Occidentem descendit, venitque divino prorsus consilio Romam, ut idolorum primum & maximum superstitionis domicilium expiaret, ipse Apostolorum maximus. Ibi Christum Petrus docuit: indéque latiùs per universum Orbem Evangelicæ prædicationis sonum diffudit. Hic litem movebunt, & indignabuntur aliqui, quod Petro & Romæ nimis adblandior. Firmandum est igitur quod assero, constantibus argumentis. Nam si ceterum asserui Ecclesiæ fundamentum: & inde derivare conor Britannorum Regiam Fidem: Petrus debet Romam venire, ibi sedem figere, inde Fidei dogmata, sperandarum rerum substantiam dictare. Quod licèt sectarii negent: *Communis tamen omnium sententia est* (inquit Baronius) *Petrum hoc anno quadragesimo quarto Romam venisse*; testatur id Eusebius in Chronico, S. Hieronymus, & denique antiqui omnes Græci Latinique. Nec facilè inveniret est aliquid tanta antiquorum authoritate, tanto fidelium sensu, & sæculorum consensu ac suffragio confirmatum. Sed quoniam, nescio qui factiosi id negant aut controvertunt; qui hoc nupero sæculo graviter in fidem peccantes, Urbis imperium declinarunt, reformationis obtentu: revera autem, ut eversa Ecclesiâ monarchiâ, monarchiam alteram pessundarent nec hone prætendere possent, si P us Apostolici agminis Princeps Romam, & O cntem nostrum, cum imperio docuit: quia Fidei perduelles facilè probantur. Ideo scilicet os frontémque in omnium sæculorum authoritatem obstinarunt: nolo oscitanter Petri in Urbem a tum Patrum suffragiis stabilire; quo certiu Britannorum Ecclesiæ in Fidei petra solidentur. Nam eo argumento, non solum Britanniæ in caploro; sed Regum omnium, Provinciarum, atque populorum f nium expono, qui Romanam fidem omni sæculo constantissimè v nerati sunt.

Baron. hîc.

V. Lactant. l. 4. Instit. cap 21. PRO ROMANA PETRI SEDE ARGUMENTA.

Lactantius vir antiquissimus, ita de primo sæculo scripsit: *Discipuli per Provincias dispersi, fundamenta Ecclesiæ ubique posuerunt, facientes & ipsi nomine magistri Dei, magna & penè incredibilia miracula: quia discedens Christus eos instruxerat virtute & potestate, qua posset nova annuntiationis ratio fundari, & confirmari. Sed & futura aperuit illi omnia, quæ Petrus & Paulus Romæ prædicaverunt: & ea prædicatio in memoriam scripta permansit.* Ita ille. paullò antiquior Arnobius in eandem sententiam, incredibilia illa miracula, recensens, dicit eorum virtute disseminatum esse Christi nomen, in omnem terram, & Britanniam ferè nominat. ait enim. *Inaudita illa virtutum, quæ vel ab ipso Christo fiebant palam; vel ab ejus præconibus celebrabatur in Orbe toto, ad unius credulitatis assensum, mente una concurrere gentes, & populos fecit, & moribus dissimillimas nationes. Enumerari enim possunt quæ in India gesta sunt apud Seras, Persas, &c. Insulis pro-*

Arnob. l. 2. contra gentes.

vinciis omnibus, quas Sol Oriens & Occidens lustrat. Ipsam denique apud Dominam Romam: in qua cùm homines sint Numa Regis artibus atque antiquis superstitionibus occupati, non destiterunt tamen patrias linquere, & veritati coalescere Christianæ. Viderant enim currum magi Simonis, & quadrigas ignias Petri ore difflatas, & nominato Christo evanescere. Hoc argumento Arnobius ante annos mille trecentos, idolorum vanitates impugnavit, nec contra Gentilium ullus excepit. Unde jure mirari quis poterit eos, qui sui cerebri idola tuentur eo uti adminiculo, quo infidelis non vetebatur negando Petrum Romæ fuisse.

VI. Ægesip. c.

Ægesippus firmat supradicta in hunc modum: *Erant tunc temporis Romæ Petrus & Paulus Doctores Christianorum, sublimes operibus, clari magisterio.* Aurelius etiam Prudentius, vir consularis, ita S. Laurentium, ad Christum è craticula exclamantem facit, dicentémque Petrum Romæ fuisse.

Prud. περὶ στεφ. Hym.

Da Christe Romanis tuis
Sit Christiana Civitas
Per quam dedisti, ut cæteris
Mens una sacrorum foret.

& paullò infrà narrat, cur unitatem Fidei è Romana arce descendere spes certa sit, & inquit:

Et jam tenemus Obsides
Fidissimos hujus spei.
Hic nempe regnant duo
Apostolorum Principes.
Alter vocator Gentium
Alter cathedram possidens:
Primus recludit creditas
Æternitatis januas.
Discede adulter Jupiter
Stupro sororis oblite,
Relinque Romam liberam
Plebemque jam Christi fuge.
Te Paulus hinc exterminat
Te sanguis exturbat Petri.
Tibi id, quod ipse armaveras,
Factum Neronis officit.

Hæc P ucem, & reliquos Patres, idem affirmantes, nemo sanæ mentis existimabit, cùm tempus, annum, ibi gesta, mortem denique & miracula enumerent tam certò, tam dilucidè, tam constanter, ut nihil excogitari possit, nius ad vertendam ctionem nuperam ius ita loquitur: *Anno secundo Claudii Petrus Apostolus, cum primum Antiochenam fundasset Ecclesiam, Romam proficiscitur: ubi Evangelium prædicans, viginti quinque annis ejusdem Urbis Episcopus perseverat.* Ita græcus homo, & Romani splendoris, fideique hostis. Accedat Hieronymus testis sanctior: *Petrus*, inquit *post Episcopatum Antiochenæ Ecclesiæ, & prædicationem dispersionis eorum, qui de Circumcisione crediderunt, in Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia & Bithinia; secundo Claudii anno, ad expugnandum Simonem Magum, Romam pergit. ibique viginti quinque annis cathedram Sacerdotalem tenuit, usque ad ultimum Neronis annum.* Sed cur paucis eni in randis immoramur? cùm nubem tel ium objicere possimus. nam præter dictos hoc idem affirmant Irenæus l. 3. c. 1. Tertullianus de Præscriptionibus. Cyprianus libro de unitate Ecclesiæ, ubi f ionis genuin eleganter aperit Principis imperi ideo de linantis, ne legi subsit ante Ecclesiæ. Optatus contra Parmenianum Ambrosius sermone de nativitate Petri & Pauli, Augustinus natali eorundem: Severus Sulpitius lib. 2. histor. Philastrius de hæres. c. 1. Prosper de Prædi . l. 4. c 13. Maximus Tautic is f 1.

Euseb. in Chron.

Hieron. de script. Eccl in Petro.

de Apostolis. Petrus Chrysologus, sermone de natali Apostolorum. Arator in Acta Apostolorum. Leo Magnus, sermone 1. de natali Apostolorum. Nec aliud affirmant Orientalis Ecclesiæ lumina, quibus hac in re maximè credendum: Papias apud Eusebium l. 2. c. 13. Caius apud eundem l. 2. c. 24. Dionysius Corinthiorum Episcopus, Petrus Alexandrinus Canon 3. Chrysostomus homilia de Petro & Paulo. Cyrillus Alexandrinus Epist. ad Cælestinum. Theodoretus l. 1. hæreticarum fabularum, in Simone, & Epistola ad Leonem Sozomen. l. 4. cap. 14. *Ac denique ne in re toto cælo perspicua laboremus*, inquit Baronius, *ipsum sacro-sancta œcumenica Synodi, idem etiam Romani Pontifices suis Epistolis, Imperatores suis edictis, ac (ut unico tantum verbo cuncti absolvam) sancta de Petri Romam adventu memoria, omni scriptorum genere meruit consecrari, adeo, ut nec cujusque perfricta frontis hæreticus, vel schismaticus, eorum qui ante nostrum sæculum vixerint, ausus fuerit de eo, vel leviter quidem, dubitationem movere.* Hæc ille.

Baron. hoc.

VIII. Cent. 1. l. 2. cap. 10. OBJECTA SOLUNTUR. Sed obstrepunt aliqui, & causantur: *Hæc si ita se habent* (inquiunt Magdeburgici; nec enim sunt ausi apertè negare) *cur Lucas non facit ejus rei mentionem? Deinde constat, sexto Claudii, Christi verò quadragesimo octavo Synodum Hierosolymis celebratam esse, cui interfuit Petrus: neque fit ibi mentio, Petrum Româ Hierosolymam advenisse.* Id quod Lucas haud dubie, si ita factum fuisset, non intermisisset. Respondeo non erat opus; nec olim credebatur, inventum iri aliquos ita duræ cervicis, ut nihil nisi è cælo dictatum possent, aut vellent accipere. *Porro ad illud, quod constat sexto Claudii, & quadragesimo octavo Christi anno Synodum Hierosolymis celebratam esse;* Dico constat omnino contrarium. nam Paulum (interfuit is Synodo) quatuordecim à conversione annos, Hierosolymam cum Barnaba ascendisse: & tunc, nec prius, Hierosolymis Synodum celebratam esse, ut probat Baronius Cum igitur suprà diaerim, Pauli conversionem, ad annum Christi trigesimum sextum referendam esse, constat nimium falli Magdeburgicos, qui ad sextum Claudii annum Hierosolymitanam Synodum consignarunt ut Petrum hoc anno Romæ non fuisse probarent.

Ad Gal. 2.

Baron. anno 51.

IX. Cent. 1. fol. 502. Sed iterum objiciunt Quatuorviri: *Quod Paulo venienti Romam, nullus Apostolus, nedum Petrus obviam venit: & scribens ex urbe Paulus, circiter decimum tertium annum Claudii, Christi verò quinquagesimum quintum, quo sane oportuisse Romæ fuisse Petrum, multos mediocres Christianos expresso nomine salutat de Petro autem (quem alias columnam Ecclesiæ, una cum aliis quibusdam nominavit) verbum nullum profert.* Hæc sunt sectariorum argumenta. In arietes: quos si ad scholarum morem in unum colligeris, ita concludunt. Lucas & Paulus non dicunt Petrum Romæ fuisse, aut [illegible]: ergo quicquid dixerint Patres, quicquid G[illegible] que scripserunt: quicquid orbis, & omnia sæcula crediderint, uno Pauli & Lucæ silentio, in dubium vocabitur, & unà Petri Romana sedes. Ego futilia hæc tela, sola rerum à Petro gestarum narratione frangam: & Petrum, Occidentem ferè omnem lustrasse, ac Britanniam quoque invisisse, cùm Paulus Romam venit, aut Româ in Orientem scripsit; dicam tam probabiliter ut ariete illi non aliud, quam aerem terere, vel ægri capitis vitium esse facile perspiciantur. nam si ostendero Petrum in remotissimo occidente, in ipsâ, inquam, Britanniâ fuisse, sub id tempus, cùm ad Urbem Paulus accessit: excusabo eum vecordià morbanitatis oocam, quòd obviam Paulo non prodierit; excusabo & Paulum, quòd literas in Occidentem dictans, & plures in illis salutans, nullam Petri mentionem fecerit. Et nescio in quid contra factiosi referre queant. nam ipsissimum eorum argumentum in ita potest in illos retorqueri. Cùm Paulus Romam venit, Petrus non ivit obviam: nec Petrum Paulus salutavit, cùm in Orientem literas scripsit. Ergo nec Petrus Romæ erat, qui prodiret obviam, & à quo salutem mitteret: nec in Græciâ, aut Oriente, qui posset à Paulo salutari. Unde non malè concluditur, in Occidente fuisse, & procul Urbe, cùm Paulus eò venit, aut literæ scriberentur. Etenim si prope Urbem fuisset, aut procul in Oriente cùm nobilissimis Ecclesiis, ad quas Paulus ex Urbe literas misit; cur non fecit Petri mentionem? Si verò, quod infrà ostendemus, in Britanniâ fuit, eo ipso tempore; mirum non erit si Paulus nullam illi salutem miserit, qui nunquam scripsit in Britanniam. Ita solvitur aranea uni tela, quam nup nihil omines in Petri & Romanæ Sedis invidiam texuerunt.

Nec Patres solùm Romanam Petri profectionem, & moram in illâ Urbe commemorant: sed idem à Scriptura sacrâ non obscurè colligitur. Petrus Epistolam primam Romæ dictavit, ut Græci pariter & Latini constanter colligunt è verbis Epistolæ: *Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone.* Eusebius id disertè affirmat. *Constat*, inquit, *Petrum Marci mentionem facere, in priore Epistolâ, quam Romæ texuisse dicitur. Quam quidem Epistolam ibi perscriptam ostendit, dum Civitatem illam, verbi translatione, Babylonem appellat.* Idem habet S. Hieronymus: *Meminit hujus Marci*, inquit, *Petrus in Epistolâ suâ, nomine Babylonis, figuraliter Romam significans. Hujusce appellationis causam dedit reddit S. Augustinus. Ne multis morer*, inquit, *condita est Roma velut altera Babylon, & velut prioris filia Babylonis.* Ubi pluribus ostendit tunc conditam Romam esse, cùm regnum Assyriorum interciderit; adeoque in nomen ejus successisse. Denique Orosius rationem addit, cur eo nomine sit usus Petrus, & ait. *Nec verò me impendentes facere existimo, si hic addiderim, Petrum non esse usum proprio urbis nomine, quod Hierosolymis fuga lapsus è carcere, ubi ageret ab omnibus percipi non vellet.* Et alibi: *Similis Babylonia ortus & Romæ: similis potentia, similis magnitudo. similia tempora; similia bona, similia mala.* Nec verò potuit Petrus alteram Babylonem intelligere, unde Judæos omnes pulsos esse, Caio Augusto imperante, tradit Josephus. His adde: factiosissimum quemque concedere Babylonis nomine, cujus in Apocalypsi meutio, Romam intelligi: imò in illa se putant de Româ triumphare. Sed miseri non advertunt, utrobique Romanam Remp. quæ tunc omni idolorum & superstitionum sordè fætebat, significari, non fidelem, credentémque Ecclesiam. Quod eleganter ipse Petrus distinxit ita: *Ecclesia quæ est in Babylone:* nimirum inter infideles. Nota hic fictionis genium ad scripturas in re controversa appellantis: & illam pro libidine ad factionis suæ sensum trahentis. Si an Romam pugnat, aut Fidem ejus; Babylonis nomine Roma venire debet: si de Petri sede aut prærogativa disputatur Roma Babylonis nomine venire non debet. O pudor! maneat ergo ratum firmumque Petrum Romæ sedisse, & tantorum Patrum authoritas, scripturæ majestate confirmetur.

X

1. Pet. c. 13.

Euseb. l. 7. cap. 14.

Hieronym. de Script. in Marco.

August. de Civit. Dei Lib. c. 22.

Oros. l. 7. cap. 2.

Idem l. 2. cap. 2.

1 Petr. c. 4. 13.

Restat, ut quiramus divini consilii causam, cur XI.

Cur Petrus Romæ sederit.

Petrus in Occidentem venerit: cur in Urbem iverit: quid demum ibi fecerit, ut Occidentalis Ecclesiæ fundamentum penitùs cognoscatur. Qua in re placet admodùm quod Petri successor, Leo I. cognomento Magnus eleganter scripsit: *Cùm duodecim Apostoli*, inquit, *accepta per Spiritum Sanctum omnium locutione linguarum, imbuendum Evangelio mundum, distributis sibi terrarum partibus, suscepissent. Beatissimus Petrus, Princeps Apostolici ordinis, ad arcem Romani destinatur imperii; ut lux veritatis, quæ in omnium gentium revelabatur salutem, efficaciùs se ab ipso capite, per totum mundi corpus effunderet. Cujus autem nationis homines, in hac Urbe non essent, aut quæ unquam gentes ignorarent, quæ Roma didicisset. Hic conculcandæ Philosophiæ opiniones; hic dissolvendæ erant terrenæ sapientiæ vanitates: hic confutandus dæmonum cultus: hic omnium sacrilegiorum impietas destruenda: ubi diligentissima superstitione habebatur collectum, quicquid usquam fuerat vanis erroribus institutum. Ad hanc ergo Urbem, tu Beatissime Apostole Petre, venire non metuis; & consorte gloriæ tuæ Paulo Apostolo, aliarum adhuc Ecclesiarum ordinationibus occupato, silvam istam frementium bestiarum, & turbulentissimæ profunditatis Oceanum constantior, quàm cum super mare graderetis, ingrederis. Nec mundi Dominam times Romam, qui in Caiphæ domo expaveras sacerdotis ancillam. Nunquid autem judicio Pilati, aut sævitia Judæorum, minor erat, vel in Claudio potestas, vel in Nerone crudelitas? Vincebat ergo materiam formidinis vis amoris: nec æstimabas terrori cedendum, dum eorum saluti consulis, quos susceperas diligendos.* Ita Leo. Et hanc divinæ mentis œconomiam, alii Patres similiter exponunt. quæ omnia sectarii conantur eludere. Sed vel sepeliri debent antiquorum monumenta omnia: vel si loqui permittantur, omnino credendum erit, Petrum Romæ fuisse, vixisse, sedisse, mortuum esse.

Leo Serm. 1. Natal. Apost.

XII. Longior sum in hoc argumento: quia sequenti sæculo, Lucii Regis causam defendendam suscipio: qui omnium in Europa Christianorum Principum primus, præterita Gallia, Hispania, Germania, & orbe cætero, Romá tantum Fidei Sacramenta petiit, *ut Christianus efficeretur*, inquit Beda. Illum etiam in eodem pietatis sensu sequuntur Constantius, Ethelbertus, & omnes Saxonum & Anglorum Reges, Romanæ sedi, non ob aliud devotissimi, quàm quòd ibi certo orbis suffragio, constantique sententia, Petrus Apostolorum Princeps, & Ecclesiæ fundamentum, sederit. Hos autem omnes, in gravissima re lusos esse, quis crederet? Et valde mirandum, Occidentis alumnos contrà niti, cùm Orientis Ecclesiæ id nunquam controverterint. Ingloriam fortè putant Principes suos, & Ecclesias omnes in primo & verbis Christi consecrato fundamento stabiliri: & malunt à Græcia, ab Oriente, à nescio quibus doceri. Hos fidei solœcismos, & in Latinam Ecclesiam peccantes, notabo infrà. nunc satis sit, omnis hæreseos, schismatis, & factionis originem detexisse. Nam si Capiti debitus honor, ac reverentia in omni Rep. daretur, vel nulla omnino factio, vel non diuturna foret, & nunquam sectarii in Petrum, & Urbem tam obstinatè peccavissent. Nunc historiam prosequamur.

XIII. Pudens Senator Petrum excipit.

Pudentem hominem illustrem, & ordinis Senatorii virum primum Petri hospitem Romæ fuisse, constans authoritas est. Et valdè cupiunt aliqui, conjugem ejus, Britannam fœminam, Marthæ officio functam, Petro ministrasse. Quod si verum, nemo mihi indignabitur, si operosè conatus sum Petrum Romam deducere. Cæterùm nolo adhuc Britanniæ adblandiri; nec affirmare alterum sexum Romæ fuisse, hoc anno, cùm venit illuc Petrus, Adminius, & Bericus, aliique transfugæ, quos Caligula nuper, in spem triumphi, comites habuit, Romamque perduxit; in Urbe fortè fuerunt, cùm venit Petrus. sed nullum, opinor, illis cum Petro commercium. Post aliquot annos in Claudii Imperatoris laudibus ponam, Britannam fœminam, in Urbem conductam, illustrem illam, & senatorio viro dignam, quam Pudens duxisse putatur. Quænam illa, & quisnam Pudens, dicam statim. Interim de Petri primo hospite ita Baronius: *Majorum firma traditione præscriptum est, domum Pudentis Romæ fuisse primum hospitium S. Petri Principis Apostolorum; illicque primum Christianos convenisse ad synaxim, coactam Ecclesiam, vetustissimum omnium titulum, Pudentis nomine appellatum.* Manet adhuc hujus rei argumentum: ipsa nimirum Ecclesia, & inscriptio ibi uncialibus literis lapidi incisa in hunc modum: IN HAC SANCTA ANTIQUISSIMA ECCLESIA TITULO PASTORIS, A S. PIO PAPA DEDICATA, OLIM DOMO S. PUDENTIS SENATORIS, ET HOSPITIO SANCTORUM APOSTOLORUM: TRIA MILLIA BEATORUM MARTYRUM CORPORA REQUIESCUNT. QUÆ SANCTÆ CHRISTI VIRGINES PUDENTIANA ET PRAXEDES SUIS MANIBUS SEPELIEBANT.

Baron.

XIV. Pudentis conjux Claudia.

Ad Pudentis conjugem, quod attinet: si illa fuerit, quam S. Paulus ad Timotheum scribens illâ sententiâ nominat: *Salutant te Eubulus, & Pudens, & Linus, & Claudia*: Britanni cur non illam vendicabunt? cùm Britannam fœminam, Pudenti Romano nuptam, nemo inficias iverit: & omnino affirmet Martialis, dum canit de nuptiis epithalamium ita;

2. Timoth. 4.

Claudia, Rufe, meo nubit peregrina Pudenti,
Macte esto tædis, ô Hymenæe, tuis.
Tam benè rara suo miscentur cinnama nardo
Massica Theseis tam benè vina favis.
Nec meliùs teneris junguntur vitibus ulmi
Nec plus lotos aquas, litora myrtus amat.

Mart. l. 4. Epig. Epig. 13. vel 10.

Hanc Claudiam, Britannam fuisse, in confesso est apud omnes, & idem Poeta id disertè affirmat, cùm alibi Claudiæ speciem, formæque elegantiam, conjugalem fidem, dotésque alias enumerat, hoc versu:

Claudia cæruleis, cùm sit Ruffina Britannis
Edita: cur Latiæ pectora plebis habet?
Quale decus formæ! Romanam credere matres
Italides possunt, Atthides esse suam.
Dî benè, quod sancto peperit fæcunda marito,
Quot sperat generos, quótque puella nurus:
Sic placeat superis, ut conjuge gaudeat uno:
Et semper natis gaudeat illa tribus.

Idem l. 11. Epist. 54. 50.

XV. Quænam illa?

Quid de hac Claudia dicendum, non immeritò dubitatur. Nostrates aliqui officiosè satis advocant, Romæ primo quoque tempore statuunt: Christianam affirmant: verùm non a Petro, sed à Paulo doctam affirmant: & sic Petrum effugiunt. Ita Matthæus Parkerus primus Pseudo-Cantuariensis Episcopus: *Quamquam Paulus* (inquit) *ipse ad hanc Insulam profectus non sit, tamen Claudia Ruffina nobilissima Britanna, & Græcis Latinisq; literis instructa, Christianam Re-*

Antiq. Britan. fol. 2.

nem suasisse perspicuum est. Ita ille. Sed si Petrus Romanam Ecclesiam priùs fundavit, quàm Paulus accederet: si in Pudentis domo, hospitio exceptus, & Pudens ab eo Fidem accepit: cur conjugem in Fide non adjungimus? Dicamus ergo, quod verius est, & omni maligno impetu procul; Pudentis domum Christianæ doctrinæ præceptis à Petro imbutam, priùs quàm Paulus in Urbem veniret. Et tunc, si Pudens Claudiam duxerat (quod necdum affirmo) non tantùm Claudia; sed Claudiam (equuti plures Britanni, cum Petro commercium, & ab eo fidei Sacramenta habuerunt. Verùm curiosior Lector, inveniet facili negotio dubia aliquot, si Claudiam tam citò Pudenti conjungimus. Præsertim si dixero, Britanniam Claudiam Senatori Pudenti nuptam hoc anno quadragesimo quarto, cùm Petrus in Urbem venit. Martialis enim, qui de nuptiis scripsit, longè posterius, nec nisi post annum Christi sexagesimum, epithalamium cecinisse creditur. Iterum cùm Novatus & Timotheus, & sorores Virgines, Pudentiana atque Praxedes, qui Pudentis & Claudiæ Liberi putantur, mortui legantur, post sequentis sæculi annum sexagesimum: ægrè hoc anno Pudens, & Claudia, conjuges esse potuerunt. quod avidè Sectarii nostri arripiunt. quo Claudiam faciant non Petri, sed Pauli discipulam: & illa scilicet, non Petrus Britannis porrexit Fidem. Ita Parkerus, Godwinus, & alii. Sed ad rem.

XVI. Dubia de Claudia nec tacenda: nec côstanter asserenda.

Respondeo, antiquis hisce, & remotissimis rebus, tenebras ubique fugere, & omnem sibi lucem polliceri, non est hujus vitæ, quæ solum videt per speciem in ænigmate. Nam qui volet morosius scrutari singula, inveniet (quis dubitat?) certitudini pauca, opinioni plurima obnoxia esse. Quid ergo? sunt levi calamo percurrenda omnia, tacendáque quæ nequeas astruere argumento? An potiùs dubia à certis distinguendo, probabilia asserenda probabilius conjecturis? Est enim, ut mihi videtur, paulò rigidior & nimis universalis, illa doctissimi Raderi censura, qua Camdenum nostrum, & alios stringit: ac inter fabulas indistinctè rejicit, quæ illi de Claudia scripsere. Fabulantur illi quidem, Britannos à fœmina Fidem doctos; & alia habent controversa, fateor, & dubia. quædam habent de Pudente & Britanna Claudia, quæ everti solidè nequaquam possunt: & illa fabulis non sunt miscenda. Sunt permulta interdum ab authoribus dicta, quæ facilius in dubium vocâris, quam correxeris & in quibus difficultatem citiùs moveris, quam amoveris. Cæterùm ego quæ Britannorum Rempub. & Ecclesiam spectant, ita in Annalibus digeram: ut quoad potero, pretiosum à vili distinguendo, spuriaque excernendo; nihil tamen omittam, quod prima Britannicæ Ecclesiæ fundamenta spectet. quæ malè materiata, & parum solidè starent, si in Claudia, aut imbecilli sexu locarentur. Nolo igitur hoc primo tempore, aut Claudiam Pudenti conjungere, cum ille Petrum in Urbe excepit; aut matrem facere N[illegible] Timothei Pudentianæ, atque Praxedis licèt [illegible] aliqui affirment quia horum quatuor S[illegible]orum alia mater, non Britanna, aperti[illegible] Si [illegible] vellem ambitiosus esse, & Britannos [illegible] e B[illegible]na matre: aut Claudiam nostram binominem [illegible] quod sanè frequentissimum occurrit qui[illegible] illud solidè constanterque evert[illegible]?

Rader. in Martial. in ejus vita, cap. 1.

XVII. Claudiæ mater quænam?

Si dixeris, in Bedæ Martyrologio, quod Ado Viennensis, aut Trevirensis, aliique sequuntur, non Claudia, sed Sabinella scribitur Pudentianæ & Praxedis mater. Respondeo ita esse. Sed & Baronius, non Claudiam, non Sabinellam, sed parentem aliam nominat. Sic enim ille: *Erant hi quatuor fratres Pudente Senatore, & Priscilla clarissima fœmina geniti. Quos omnes Apostolorum prædicatione eruditos, se suaque omnia, Christianorum obsequio mancipasse constat.* Itaque ille, ad annum Christi centesimum quinquagesimum nonum, & iterum ad annum centesimum sexagesimum sextum: *Timotheum putamus germanum Novati fratrem, Pudentianæ, atque Praxedis; filium verò Pudentis Senatoris, atque Priscillæ.* Sed nec ipse Baronius satis sibi constare videtur. Nam in notis ad Martyrologium, de Sancta Priscilla agit, *quæ se suaque Martyrum obsequio mancipavit*, hæc habet, ad diem decimum sextum Januarii. *Plures fuerunt Priscillæ, sanctæ mulieres: quarum illa antiquior, cujus mentio habetur in Actis Apostolorum, capite decimo-octavo, & à Paulo, primo ad Corinthios decimo-sexto.* & paullò infrà: *Agitur*, inquit, *de Seniore Priscilla, quæ & fuit Apostolorum discipula, mater verò Pudentis Senatoris, ut acta Pudentianæ, quæ habemus manuscripta testantur.* Putavi aliquando, exerrantis calami vitio ita scriptum, & matrem pro conjuge positam. Ita enim Baronii notæ cum Annalibus convenirent. Sed videtur è mente ejus scriptum. Nam iterum in Notis ad octavum Julii ita loquitur: *Fuit item Romæ nobilissima matrona, Priscilla nomine, mater Pudentis Senatoris, avia Pudentianæ & Praxedis Virginum.* Dico igitur, antiqua hæc abstrusa esse, & tenebris obsita; nec tamen annumeranda fabulis, quæ accurati homines ad illustrandam Ecclesiam congerunt. Hanc fortè ob causam, affirmarunt aliqui Britannam Claudiam, binominem fuisse, & Priscillam quoque appellatam. de quo infrà.

Baron. tom. 1. anno 156.

Idem anno 166.

Idem in notis ad 16. Ianuarii.

Baron. in notis ad 8. Iulii.

XVIII.

Quamobrem cùm historiæ series, & rerum dicendarum ordo postulat, nulla impietas est illustrium personarum mentione facta; illas probabilibus argumentis eo trahere, quò Majores nostri, & consensus populorum easdem trahere conati sunt. Quæ licet evinci omnino non possint; dicendum tamen est aliquid necessariò; ne silentium urgeatur in causæ præjudicium. Porrò pietatis fideique professio est; religionis nostræ incunabula ab Apostolis petere, eorumque discipulis. Cum igitur constet, ut suprà dixit Baronius, quatuor fratres Apostolorum prædicatione eruditos esse, ad eos libenter Britanni scriptores provocant, quo Fidei puritatem altiùs repetentes, integriùs Christum colant. Si dixeris incerta esse omnia, nec Ecclesiasticam historiam dicere quæ nequeunt certò constanterque affirmari: appello terrarum orbem, ubi vix regnum aut Provinciam invenerus: quæ si altiora tempora, & Apostolis proxima, pro Ecclesiæ fideique rudimentis repetat, tacere non debeat, & silentio premere, quæ fusè tamen & cum laude dixerunt. Quid, quod non sunt incerta omnia, quæ Britanni scriptores, de Claudia tradiderunt: nam Claudiam cum Pudente conjunxit Gentium Doctor Paulus suprà. Certum quoque est, sub illud ferè tempus extitisse par conjugum, quorum altera dicebatur Claudia, peregrina fœmina, & denique Britanna, Pudenti nupta, viro illustri. Nihil ergo admodum peccatur, cum dicitur, uxorem Pudentis, qui Petrum Romæ religiosè excepit, Britannam pro-

babiliter fuisse, & fortè matrem quatuor filiorum Pudente patre.

XIX. Porrò quod aliqui ob nescio quos metus, & incommoda, duos Pudentes Claudiasque conantur cudere; declinatio magis, quàm solutio difficultatis est. Nam esto Pudens, Petri hospes, & à Paulo nominatus, Senator fuerit, & laticlavius: illi autem, quem nominat poëta, è bello redeunti adprecetur *pili præmia* illo versu.

Et referes pili præmia clarus eques.

Martial. cap 6. Epist. 58. vel 59.

non videtur certè novi hominis fingendi sufficiens argumentum. Quasi verò, aut nequeat Senator ad bellum proficisci, aut non potuerit poeta redeunti fausta, & summos honores precari; quales communiter Primipilis dabantur: de quibus ita Suidas: *Primi-pilarius maximam inter milites dignitatem habet apud Romanos.* Magis refert, & difficiliùs solvitur, quod Martialis, Pudentis memoierit impuri hominis. Pudens autem in Scriptura nominatus, longè alius fit, & ab omnibus commendetur. Nam inde Pudentes duos asserere possumus, non ita Claudias necessariò fingimus. quia una utrique Pudenti nubere potuit; non uno, sed alio tempore & posteriùs. Hoc, inquam, dici, nec illi manifestè contradici potest. Sed quia inferiùs de Britanna Claudia, plura dicemus, cùm Romam venerit: hic tantùm de Pudente repeto: *Majorum firma traditione constat (inquit supra Baronius) domum Pudentis Romæ, fuisse primum hospitium S. Petri.* Repeto etiam Novatum, Timotheum, sororesque duas, Pudentis filios Apostolorum prædicatione eruditos. Porrò cùm Britanni scriptores & externi etiam, qui nihil Britanniæ blandiuntur, dicant Britannos Romæ à S. Petro doctos, cum primis in Christum credidisse; quidni pro Pudentis domo, & consequenter, pro conjuge familiaque ejus, disputent. Sed quia durum est, Claudiam illi conjungere, hoc anno quadragesimo quarto junctam fuisse: quia necdum clarissimam fœminam, & Regio sanguine ortam, in Vrbem deduxi, ideo de illa paulo posteriùs inquiram; num mereatur, si non hospitii prærogativam, jus saltem trium quatuorve liberorum.

Suidas apud Lipsium de milit. Rom l. 2. dialog. 8.

Baron. in notis ad 19. Maii.

XX. Certum est hoc tempore Britannos Romæ fuisse; vel obsides olim pro Britanniæ servitute: vel transfugas nuperiùs, qui insulâ relictâ Romanis adhæserint, nunc tumultuum, & belli causâ: & quoniam inter eos illustrissimi viri Adminius, & Bericus, à Suetonio, & Dione numerantur, de fœminis nulla facta mentione: cumque non à Cajo Caligula, sed à Claudio Imperatore, Claudia Britanna appellationem acceperit: ideo ad Claudii triumphum illam reservo: & nunc de bello, quod anno sequenti cœptum, postea Claudium in Britanniam, & Claudiam in urbem traxit, agendum. Quod enim Florilegus ad hunc annum refert Claudiam in Britanniam trajecisse; Lælium Hamonem nescio quem, Romanum genere, sed Britannum dementientem, Romana calliditate Guiderium obtruncantem; inde ab Arvirago occisum, nomen reliquisse Hamonis portui, nunc Hamptoniæ, in Belgarum nostrorum tractu: Hæc, inquam, multò rectiùs à Romanis, græcisque auctoribus, & ratione temporis, & nominum rerumque veritate ad annum sequentem consignantur, nam omnis ejus narratio vacillat: & quem Lælium Hamonem vocat, *militiæ Imperatoris Principem*, sine dubio Aulus Plautius debet intelligi: vel legatus ejus Vespasianus: ipse enim Plautium in Britanniam sequutus est, *quod*

BRITANNI, ROMÆ HOC TEMPORE.

initium venturæ mox fortunæ fuit: & ita monstratus fatis Vespasianus, inquit Tacitus. Quod de Guiderio Rege occiso narrat, Togodumnum: intelligo: & ille reverâ sequenti anno occiditur: quis illi successerit, aut quo demum nomine vocari debeat, hæreo. Arviragum Annales nostri communiter vocant, Cunobelini filium, Togodumni, vel Guiderii fratrem. Sed qui Romanorum Imperatorum acta describunt, de Arvirago nihil; de Cataracto, vel caractaco, Cunobelini filio passim loquuntur. Hunc ergo in demortui Togodumni locum substituo: licèt omnino putem binominem fuisse, ut infrà dicam.

Tacit. in vita Agricolæ.

ANNUS URBIS CONDITÆ 796.
ANNUS CHRISTI 45.
PETRI PRIMUS.
TOGODUMNI REGIS 25.
CLAUDII IMPER. 3.

SEQUITUR Christi annus quadragesimus quintus, Claudio Augusto tertiùm, & L. Vitellio Coss. Hujus anni initium Petrus Apostolus, erectâ Romæ Episcopali cathedrâ, consecravit, decimo quinto Kal. Februarii. Manet hujus rei æterna memoria, non in una tantùm Vrbe, sed in omni orbe, qui anniversaria solemnitate sedem illam veneratur. Sed & olim in Romana Ecclesia ita canebatur dicto die: *Omnipotens sempiterne Deus, qui ineffabili Sacramento, Apostolo tuo Petro Principatum Romanæ Vrbis tribuisti: unde se Evangelica veritas per tota mundi regna diffunderet: Præsta quæsumus, ut quod in orbem terrarum, ejus prædicatione manavit, universitas Christiana devotione sequatur.* Plura de Sedis erectione habet Baronius: & opinor innuit, in Pudentis domo erectam; nam disertè affirmat Pudentis domum in sacrorum usum translatam esse. *Eo ipso tempore, inquit, quo Fides Christi Romæ est prædicata, Ecclesiæ ibidem esse cæperunt.* Quod nimirum hoc anno factum probat Cathedræ erectio, tum Ecclesias enumerans, ita primo loco: *Constat*, inquit. *Pudentis Senatoris Petri discipuli domum in Ecclesiam ad sacra obeunda esse mutatam.* Et sane plurima fidelium messis, prius collecta, quàm Paulus veniret, arguit necessariò horreum fuisse, ubi electa Christi grana in unum cogerentur, nec aliud opportunius domo Pudentis: ubi Apostolorum Princeps solenni cæremonia primam in Occidente sedem intravit: & ubi paulo posteriùs Britannorum aliqui Christum docebuntur. Sed debent illi qui Romanum jugum excusserunt, illud priùs induere, & tum demum Petro, & per Petrum, Christo famulari. I.

PETRUS ROMÆ CATHEDRAM SEDEMQUE FIGIT.

Baron. hic.

Baron. anno 57.

Adminio, qui olim ad Romanos è Britanniâ pulsus confugerat, nuper Bericus Britannus accesserat, vir seditione infamis, & ideo factus extorris. Ille Claudium sollicitat, ut rebellem Provinciam, & servitutis impatientem compescat. Claudius, Berici oratione incensus, Aulum Plautium in Britanniam amandat militiæ Principem, Proprætoris munere functurum; & in mandatis dat, si dubium & difficile prælium viderit, mittat è vestigio moneatque Senatum: tum enimverò venturum se pollicitus. Plautius ex Vrbe profectus, militem è Gallia in Britanniam ducere conatus, diu frustra laboravit. Rem omnem, & moræ causam Dio Cassius exponit in hunc modum, cùm prius annum expressisset U. C. II.

AULUS PLAUTIUS PROPRÆTOR IN BRITANNIA.

septingentesimum

ſeptingenteſimum nonageſimum ſextum, & Claudium tertiò Conſulem. *Eodem ferè tempore,* inquit, *Aulus Plautius, Senator, vir clariſſimus, in Britanniam exercitum duxit, Berico, qui per ſeditionem Inſulâ exturbatus fuerat, Claudio ita perſuadente. Plautius tum Prætor, difficulter exercitum è Gallia abduxit, indignè ferentem, quòd extra orbem terrarum bellum eſſet gerendum, multumque temporis cunctando extrahentem. Aſt ubi Narciſſus à Claudio miſſus, tribunal Plautii aſcendere, & exercitum alloqui inſtituit: tum majori indignatione milites accenſi, conclamaverunt confeſtim tritum illud: Io Saturnalia (mos enim eſt Saturnalibus, ut id feſtum habitu Dominorum ſervi celebrent) ſtatimque volentes, Plautium ſequuti ſunt.* Hæc Dio. Fuit Narciſſus è libertis Claudii, illique præ cæteris charus, cujus auream imaginem inter lares coluit: de quo Suetonius ita: *Ante omnes libertos Narciſſum ab Epiſtolis ſuſpexit: quem decreto quoque Senatus, non præmiis modo ingentibus, ſed & quæſtoriis, prætoriiſque ornamentis honorari paſſus eſt.* Hunc libertum ægrè tulit Miles è tribunali loquentem: nec ipſum, ſed Plautium ſequi voluit.

Dio l. 60.

Sueton. in Vitellio c. 2

Sueton. in Claudio cap. 28.

III.

PRODIGIUM LUCIS ROMANOS ANIMAT.

Claudianus Miles ita ad naves & trajectionem coactus; cùm diu adverſo mari, ventiſque contrariis uteretur, tandem cælesti prodigio erectus, potitus eſt litore. Prodigium narrat Dio, neſcio quam lucem ab Oriente in Occidentem protenſam, quæ fluctuantem in Oceano claſſem & vacillantium militum mentes erexit in ſpem Victoriæ. De quo ita Dio. cùm claſſem ordinaſſet. *Copias,* inquit, *in tres partes diſtractas, ne uno loco appellentes prohiberi litore poſſent; retroacti à vento, in tranſmiſſione nonnihil moleſtiæ ſenſerunt. Animo tamen recepto; quia fax ab ortu ſolis ad Occidentem, qua navigabant, diſcurriſſet, Inſulam advecti ſunt, nemine prohibente.* Romani hac face (græca Lampadem vocant) animati, portendi ſibi imperium Inſulæ indubiè ſperabant: in eo falſi, quod crederent cælum eorum ambitioni ac cupiditatibus famulari. Sanctior ergo lucis interpretatio eſt, aperiendum brevi cælum, lucemque Evangelicæ prædicationis Româ, è Romana, inquam, Sede, in Occidentalem Inſulam effundendam: Claudio viam aperiente, Romæ novum jugum, & ita Chriſto. Effectum hujus prodigii, ſenſumque ejus infrà legemus; nunc proſequamur reliqua, quid geſtum à Romanis in Inſula, quid Britanni ab eis paſſi. quæ quia authores noſtri, confusè, & ad popularem plauſum referunt; è Dione, qui diſtinctè præ cæteris omnia narrat, illa petamus. Ita ergo ille ad ſupra dicta conſequenter.

Dio l. 60.

IV.

Dio l. 60.

PLAUTIUS BRITANNOS FUGAT, PUNOITQUE.

Britanni cùm Romanos non adventuros credidiſſent, non convenerant; ideoque non congreſſi in paludes ſe ac ſilvas abdiderunt, ſpe Romanos mora extrahendi, ut re infecta diſcedere cogerentur, ſicut Iulio Cæſari acciderat. Proinde Plautius in indagandis multum laboris exhauſit. Poſtquam invenit (erant autem non liberi, ſed Regibus diverſis ſubjecti) primo Cataratacum, poſt Togodumnum, Cynobellini filios vicit, Patre ante mortuo. Fugientibus his, partem Bodunnorum in Fidem accepit, qui Catuellanis parebant: Præſidioque ibi relicto, ad fluvium quendam progreſſus eſt: quem quia barbari ſine ponte à Romanis tranſiri non poſſe credebant, ſocordiùs in ultera ejus parte caſtra habebant. Igitur Plautius Germanos miſit, ſolitos etiam rapidiſſima flumina facilè in armis tranare. Hi hoſtem inopinatum invadentes: neminem virum ſauciarunt: equis tantùm, qui currus traherent, vulneratis. Quibus turbatis, ne ſeſſores quidem conſtare valebant. Tum Flavium Veſpaſianum (qui ſummo poſt imperio potitus eſt) hujuſque fratrem Sabinum legatum miſit. Qui ipſi trajecto amne, permultos barbaros interfecerunt. Neque verò reliqui fugæ ſe dederunt: ſed iterum poſtero die, prælium incerta victoria conſeruerunt, donec Cajus Sidius Geta, cùm prope in hoſtium poteſtatem veniſſet, ita eos vicit, ut ei propterea honores triumphales, quanquam Conſul non fuiſſet, dati ſint. Hæc omnia Dio.

V.

DIONIS SENSUS EXPONITUR.

Juvat hic paululùm Romanorum veſtigia legere, ubi claſſis appulſa, ubi pugnatum à milite: ubi demum Togodumnus Rex (nam hoc anno moritur) cecidit. Sed quia diviſa Romanorum acies, nec uno loco appulit, nec uno pugnavit; non admodum facilè conjectare eſt, ubi Plautius, & ubi legatus ejus Veſpaſianus, Britannos vicit fugavitque. Imprimis quod ad Reges attinet, à Dione nominatos, Cataratacum, & Togodumnum, quos victos à Plautio ſuprà dixit: id ita intelligendum, ut fuſi ſint eorum milites; ſed ipſi fugæ præſidio evaſerint. Nam Togodumnus paulò poſt, Romanorum impetum declinans, in mortem incurret. Cataratacus) quem nos cum Tacito Caractacum appellabimus) diu ſuperſtes, ſtrenuè pro patria in Romanos pugnabit. quem quia Cunobelini filium conſtat fuiſſe; unum eundemque eſſe cum eo, quem Britanni ſcriptores Arviragum vocant, non ſine cauſa conjicio. Cæterùm quod ad exſcenſionis locum attinet, claſſis quæ Veſpaſianum vexit, in eam Belgarum regionem appuliſſe videtur, ubi modò Hamtonienſis eſt ager. Sic Florilegum intelligo multa indiſtinctè miſcentem, nec annos benè ſupputantem: Cùm ait; *Anno gratiæ quadrageſimo quarto Tiberius Claudius in Britanniam tranſvectus, quod ante Julium Cæſarem, nec poſt, quiſquam attentare auſus fuerat, in civitate Kaërperis, quæ nunc Porceſtria appellatur, applicuit.* Hæc, inquam, ad Plautii claſſem refero. Nam ſequitur de Guiderio, (qui & Togodumnus,) quod Romanis fortiter reſtiterit, *commiſſoque prælio ad naves fugere coegerit.* quem tamen, ante Claudii adventum, mortuum eſſe è Dione mox conſtabit. Porceſtriam ergo appulit una claſſis, quæ Veſpaſianum opinor vexerat. nam ille, ad Vectam Inſulam, quæ Hamptonienſi agro adiacet, fortiter pugnavit, expugnavitque. Quò aliæ Romanorum copiæ appulerint (nam in tres diviſas partes habet Dio) non poſſum conjectura aſſequi: ſed quia ad Tameſim fluvium Britanni ſe receperunt paulò poſteà, Romanos loca Tameſi contermina occupaſſe oportuit. nam ſequitur in Dione.

Westmon. anno 44.

VI.

Dio l. 60.

Inde ſe Britanni ad fluvium Tameſin; qua is ſe in Oceanum exonerat, eoque affluente ſtagnat, receperunt: cumque facilè tranſierunt, locorum, quæ firma & pervia eſſent, gnari. Eos Romani inſequentes, periclitati ſunt. Mox cùm iterum Germani tranaviſſent: ac ſuperiori loco, per pontem quidam tranſgreſſi eſſent; undique Britannis circumfuſi magnam ſtragem ediderunt. Reliquos verò inconſultiùs conſectantes, in paludes invias inciderunt, multoſque ſuorum amiſerunt. Inter hos, vel à Germanis fuſos, vel paludibus hauſtos, occiſum Togodumnum, vel mortuum eſſe, neceſſum eſt affirmare: quia ſequitur in authore: Britannos ex clade irritatos, tam acriter in Romanos exarſiſſe, ut opus fuerit Claudium ex Urbe

TOGODUMNUS REX MORITUR.

in

CLAUDIUS IN BRITANNIAM VOCATUR.

in ſuppetias vocare. Sic enim hiſtoriam Dio proſequitur. *His de cauſis, & quia Togodumni interitu, non modò nihil remiſerant Britanni; ſed acrius ad vindicandam ejus cladem, bellum parabant, Veritus Plautius ultra non proceſſit: ſed cuſtodiâ eorum quæ tenuiſſet poſitâ, Claudium acceſſit, juſſus id facere, ſi quid violentius eveniret.* Facilè perſuaſum Claudio, ad triumphum anhelanti, Britanniam petere: nam triumphalibus ornamentis, ſeu ovatione, non contentus, juſto triumpho æquare Cæſares voluit, ne cum Caligula inſanire videretur. Notavit hoc Suetonius, cùm ait, de Claudio. *Expeditionem unam omnino ſuſcepit, eamque modicam: cùm decretis ſibi à Senatu ornamentis triumphalibus, leviorem majeſtati principali titulum arbitraretur, velletque juſti triumphi decus; unde acquireret, Britanniam potiſſimum elegit, neque tentatum ulli poſt Divum Julium, & tunc tumultuantem, ob non redditos transfugas. Huc cùm ab Oſtia navigaret, vehementi Circio bis pæne demerſus eſt, prope Liguriam, juxtaque Stoechadas Inſulas: Quare à Maſſilia Geſſoriacum uſque, pedeſtri itinere confecto, inde tranſmiſit, ac ſine ullo prælio, aut ſanguine, intra pauciſſimos dies, parte Inſulæ in deditionem recepta, ſexto quam profectus erat menſe Romam rediit, triumphavitque maximo apparatu.* Ita ille expeditionem Claudii paucis abſolvit, nulla temporis facta mentione.

Sueton. in Claudio cap. 17.

VII. CLAUDIUS IN BRITANNIA QUID FECERIT. Dio l. 60.

Dio rem totam accuratiùs expendit, diſtinguit tempora, & expeditionis victoriæque annum, ab anno triumphi: denique pugnatum à Claudio & fuſum ſanguinem narrat ita. *Ad Britannicam expeditionem, cùm multa parata erant, tum elephanti contracti. Claudius accepto nuntio res Urbanas, ac milites etiam Vitellio collegæ ſuo (cui Conſulatum itidem ut ſibi ad ſex menſes dederat) mandavit: ipſe ab Urbe Oſtiam devectus eſt navigio. Inde Maſſiliam, reliquoque itinere partim terra, partim mari facto, ad Oceanum venit, tranſmiſitque in Britanniam, & ad Copias, ad Tameſin ſe expectantes, perrexit. Quibus ad ſe receptis, tranſgreſſus fluvium, cum barbaris qui ad ejus adventum convenerant, ſignis collatis dimicavit, victoriaque potitus eſt, & Camalodunum Cynobelini regiam cepit: multoſque inde vi, alios deditione in ſuam poteſtatem accepit. Ob hæc Imperator aliquoties dictus eſt, contra inſtitutum Romanorum. Neque enim ſæpiùs, quàm ſemel, licèt uno de bello id nomen aſſumere. Porrò Britannis Claudius arma ademit, Plautioque eos regendos, ſubigendóſque reliquos mandavit. Ipſe Romam contendit, generis ſuis, Pompejo & Silano, cum nuntio Victoriæ præmiſſis. Senatus, rebus geſtis cognitis, Britannici cognomentum ei, triumphum, ludos annuos, arcum trophæa ferentem in Urbe, & alium in Gallia, unde in Britanniam trajecerat: filio idem cognomen, ut quaſi proprio ſuo nomine Britannicus diceretur: Meſſalinæ primum in conſeſſu locum, ut Liviæ quondam, utque carpento veheretur, decreverunt. Contra Caii memoriam (Caligulam intelligit) ægrè ferentes, omne æreum numiſma, quod ejus memoriam haberet, conflari juſſerunt.* Hæc omnia Dio ad hunc annum. Ceterùm quid actum, cùm Claudius in Urbem rediit, & quomodo ibi triumpharit, ad geſta pertinent anni ſequentis. His breviter noto, quid Romanis in Britannia acceſſerit hac Claudii victoria. quæ, quia procul ab Urbe, & quaſi in orbe altero, ingens viſa eſt Romanis procul poſitis.

BRITANNIS ARMA ADIMIT CLAUDIUS COGNOMENTO BRITANNICUS.

FILIO DATUM IDEM COGNOMEN. UNDE PROPRIO NOMINE BRITANNICUS AUDIIT.

VIII. Imprimis ſtatuo, quod ſupra dixit Suetonius, partem tantùm Inſulæ à Romanis receptam, quantumvis Claudius, quaſi omni Britannia potitus, ſibi filioque Britannici nomen acquiſiverit. Ad partem quod attinet: illa Trinobantum portio, quæ hodie audit Eſſexia, & ubi Cunobelini Regia Camalodunum, Romanis acceſſit, & fere quicquid ad Tameſim fluvium utrimque jacebat, quod Romano militi opportunum erat, eoque nomine Claudius à poeta laudatus eo carmine:

QUID ROMANIS HAC VICTORIA ACCESSERIT.

Ea quæ Britannis oræ Tamiſis primus poſuit jugū:
Ignota tantis claſſibus texit freta.

Seneca in Octavia Vide Lipſium Senecam in illum verſum. Ea qui Britannis.

Errant, qui legunt: *Tanais primus poſuit jugum:* nam doctè J. Lipſius, *Tamiſis* legi jubet, non *Tanais*; quò Claudii ambitio non perrexit. Iterum, ex ea parte, ubi Veſpaſianus in Britannos pugnavit: quam modò Hamtonienſem provinciam eſſe putamus: Romani agros, urbeſque poſſediſſe, ideo probabile, quia ſæpe cum Britannis velitatio, & juſta aliquando prælia eo loco fuerunt. Præſertim ſi verum eſt quod habet Suetonius: *Claudio Principe, Veſpaſianus in Britanniam tranſlatus, tricies cum hoſte conflixit, duas validiſſimas gentes, ſuperque viginti oppida, & Inſulam Vectem, Britanniæ proximam in deditionem redegit; partim Auli Plautii conſularis Legati, partim Claudii ipſius ductu. Quare triumphalia ornamenta, & in brevi ſpatio duplex Sacerdotium accepit. Præterea Conſulatum, quem geſſit, per duos noviſſimos anni menſes.* Ita ille, non quòd hæc omnia, hac cum Claudio expeditione perfecerit. Nam diu manſit in provincia, Legioni Secundæ aliquando præpoſitus, Auſtralem ergo Britanniæ partem Claudius Imperator invaſit, & quâ Plautii induſtria, quâ Veſpaſiani virtute, quà terrore nominis ſui, in provinciæ formam, non uno impetu prælióve, ſed paulatim & nullo Romano ſanguine, redegit.

Sueton. in Veſpaſ. cap. 4.

Manſêre tamen, etiam in illa Britanniæ parte, qui Britannorum animos ad libertatem erigerent: cùm mortuo Togodumno, Cunobelini filius alter in principatum ſucceſſerat; tam à Romanis averſus, quàm ad tuendam dignitatem Regiam, civeſque animatus. Eum Britanni ſcriptores Arviragum vocaverunt, Romani Caractacum, Græci, ut ſuprà monui, Cataracatum. Nec alium putamus ab eo, quem nummus antiquus Arivog nominat. Cogor hæc nomina confundere, & unum eundemque facere Arviragum atque Caractacum: quia major fides adhibenda Latinis, Græciſque auctoribus, qui olim Romanorum Principum acta digeſſerunt: quàm eis qui poſtea labantem patriam erigere conantes, eidem applauſerunt. Iſti, nulla facta, aut Togodumni, aut Caractaci mentione, duos Cunobelini filios alio nomine, Guiderium & Arviragum appellant. Ego non inficior illos ita dici potuiſſe: malo tamen in latinum orbem prodiens, Latinorum uti dialecto. Nec me terret eorum opinio, qui Arviragum volunt poſteriùs vixiſſe, nimirum ſub Domitiani Imperatoris, cui Juvenalis poeta abblandiens, dixit: IX.

Omen habes magni clarique triumphi;
Regem aliquem capies, aut de temone Britanno
Excidet Arviragus.

Juven. l. 1. Sat. 4.

Non moveor, inquam, hoc argumento. Quis enim neſcit, poëtarum more, & præſertim Satyricorum, propria nomina καταχρηστικῶς plerumque uſurpari: & proſpera vel adverſa, ita obſcuris rerum nominumque umbris tegi, ut ſciri tamen palparique poſſint. Doctè igitur poëta, nomine Arviragi, qui dudum in Britannia regna-

rat,

rat, fortiterque pro patria, in Romanos, pugnaverat, vaticinari potuit, Principem aliquem à Domitiano debellandum. Quin & posteriùs apparebit teste Tacito, quantum negotii Arviragus hic, quem Cataractacum vocat, Romanis dederit, cùm ait. *Fama ejus evecta Insulas, & proximas provincias pervagata, per Italiam quoque celebrabatur: avebantque visere, quis ille, tot per annos opes nostras sprevisset.* Maneat ergo Togodumni successor Caractacus, in Plautium, Romanosque pugnet, adeò feliciter, ut strenui militis, invictique Principis, ac Romanis formidandi, existimationem famamque obtineat. Quod si è Trinobantibus & paterna domo, quam Claudius hoc anno cepit, extorris fiat; inveniet tamen inter Silures & Dimetas imperium, quo Romanorum ambitionem regnandique cupiditatem, aut frangat, aut sistat.

Tacit. Annal. l. 2.

ANNUS URBIS CONDITÆ 797. ANNUS CHRISTI 46. PETRI 2. CARACTACI REGIS 2. CLAUDII IMP. 4.

I. CLAUDIUS DE BRITANNIIS TRIUMPHAT.

SEquitur Christi annus quadragesimus sextus, Cajo Crispino secundum, & Tito Statilio Coss. Claudii Imperatoris triumpho nobilis: & Britannorum subjectione, quæ sequuta est, longè celeberrimus atque felicissimus. Etenim Romanorum jugo vix australis Britannia collum aptaverat: cùm mitius Christi jugum & onus leve lubens meritoque subiit. Quod ad tempus attinet Claudiani triumphi, suprà illud è Beda firmavi: hunc etiam annum Eusebius consignat in Chronico, & denique Dio, cùm annum Urbis Conditæ septingesimum nonagesimum septimum, exorditur. *Cæterum Britanniæ parte aliqua subactâ, Romam rediit Claudius C. Crispo II. & Tito Statilio Consulibus: sexto quam discesserat mense, sedecim tantùm dubus in Britannia actis: triumphavitque: cum reliqua pro more agens, tum per gradus in Capitolio genibus ascendens, levantibus eum utrinque generis. Tribuit autem non consularibus modò, qui ea in militia affuissent, sed senatoribus quoque aliis triumphalia ornamenta, solitus hoc etiam in minimis rebus profusè agere. Rubrio autem Pollioni præfecto suo, imaginem quoque ac sedem inter Senatores, quoties ipsum in Curiam comitaretur, concessit. Ac ne novum id facere videretur, dixit Augustum hoc idem Valerio cuidam Liguri tribuisse. Laconem, qui priùs Vigilibus præfuerat, tum Galliam procurabat, his iisdem, ac consularibus præterea honoribus, ornavit. Deinde ludos triumphales edidit. Hi ludi in duobus simul theatris exhibiti sunt. Ac sæpiùs ipso à spectaculis digresso, alii ea curarunt. Equorum certamina tot promisit, quot dies ille admitteret. Plura tamen quàm decem non fuerunt. Nam inter equorum cursum, ursæ cædebantur, athletæ certabant; Pueri ex Asia evocati pyrrhicam saltabant. Alios propter hanc Victoriam ludos, artifices scenici fecerunt, cùm Senatus id concessisset. Hæc propter triumphum Britannicum acta. Ac quò libentiùs reliqui se dederent, decretum est, ut omnia pacta, quæ Claudius, aut ejus Legati icissent, rata essent quasi à Senatu Populoque Romano facta.* Hactenus Dio.

Dio l. 60.

Illustrissimam Romani censuerunt hanc Victoriam; & Claudius militi multa donavit. Licinio Crasso Frugi, Equo phalerato, & veste palmata ipsum triumphantem sequi permisit. C. Gavio, torques, armillas, phaleras, coronamque auream dedit. Cujus rei argumentum Taurini adhuc visitur, ubi in antiquo marmore hæc legitur inscriptio.

C. GAVIO. L. F.
STEL. SILVANO
PRIMIPILARI LEG. VIII. AUG.
TRIBUNO COHO. II. VIGILUM
TRIBUNO COH. XIII. URBAN.
TRIBUNO COH. XII. PRÆTOR.
DONIS DONATO A DIVO CLAUDIO
BELLO BRITANNICO
TORQUIBUS, ARMILLIS, PHALERIS.
CORONA AUREA
PATRONO COLON.

Cusi quoque nummi memoriam Britannicæ victoriæ perennarunt, Et ecce unum Claudii effigie, & triumphi specie insignem, licèt ex adjecta Tribunitia potestate IX. non hoc anno, sed posteriùs cusus videatur.



Apud Camdenum inter nummos Romanorum. Nummus 1.

Et quoniam suprà è Dione dictum, eodem Senatus consulto, quo Claudio honores decreti, filio etiam ejus Britannici nomen inditum; ecce nummum, nomen ejus, & fortè Metropolim Adminii, qui Cunobelini Regiam Camalodunum, patre mortuo vendicabat, præferentem, licèt græci Characteres Etiminium Regem propiùs exprimant.



Num. III apud Camdenum suprà.

Nolo pluribus Claudii trophæa explicare. Adverto tantùm: Asiam, & omnem penè Europam, triumphi spectatricem, in Britannici nominis existimationem, & magnæ virtutis famam, erectam esse: cùm regnorum & provinciarum Domina Roma, tantâ ceremoniâ Victoriam celebraret. Unde poetæ spartam nacti, Claudii nomen, & Romani imperii decus extollendi, illam egregiè ornaverunt. Sic antiquorum unus de hac Victoria.

Polta apud Camd. in Rom.

Oceanus jam terga dedit, nec pervius ulli
Cæsareos fasces, imperiumq; tulit.
Illa procul nostro semota exclusaq; cælo,
Alluitur nostra victa Britannus aqua.
Quam Pater invictus Nereus vallaverat undis:
Quam fallax æstu circuit Oceanus.
Brumalem sortita plagam, qua frigida semper
Præfulget stellis Arctos in occiduus:
Conspectuq; tuo devicta Britannia Cæsar
Subdidit insueto colla premenda jugo.

IV. Interim Britannia, captiva licèt, & sub jugo posita, cantare tamen cum Davide poterat: *Bonum mihi, quia humiliasti me, ut discam justificationes tuas.* (Psalm. 118. v.) Enimverò Deus Opt. Max. qui humilia respicit, misertus Insulæ, vice jugi, quod nuper subierat, indulsit libertatem maximam: libertatem, inquam, filiorum Dei: quod quomodo factum, nunc dicendum. (PETRUS IN OCCIDENTEM MITTIT DISCIPULOS.) Opportunè ad hunc annum ita scribit Cæsar Baronius, quem in omni re Ecclesiastica Ducem sequor. *Anno quadragesimo sexto, Caio Crispino II. & Tito Statilio Tauro Coss. stabilita jam sede Romana, Petrus Apostolus, cui universi gregis cura à Domino commissa erat, ad cæteras Occidentales orbis partes admovens oculos, ut apud omnes prædicatio Evangelica lucesceret, discipulos quos habebat, in diversas provincias amandavit. Veluti enim à sole radij, & è fonte rivi, à sede Petri, longè lateq; Christiana fides diffusa, ubique est feliciter propagata.* (Baron. hic.) Ita ille. Et hic devotissimè certant omnes provinciæ, quænam prima, vel inter primas, Petrum docentem fidem audiverit in Occidente nostro. Quænam prima ipsum, vel ab ipso missos exceperit: ratæ omnino magni beneficii loco ponendum, ab Apostolorum Principe, fidei mysteria edoceri. Ecclesiamq; illam meritò gloriari posse, quæ super constantissimum fundamentum, à Christo Domino consecratum, proximè in Apostolicæ firmitatis Petra solidatur. Ita Capua, Neapolis, & vicinæ civitates Priscum & Asprenum præsumunt: Sicilia Pancratium: Germania Eucharium: Hispania Torquatum, Gallia Martialem, omnes Petri discipulos, Christumq; ex Petri ore prædicantes, religiosè audiverunt, & eo imprimis nomine meritissimè gloriantur. Sola Britannia, olim Petro addictissima: nunc nescio quo impetu, impinguata, incrassata, dilatata recalcitrat: Britannia, inquam, quæ prima provinciarum omnium Petri sedem venerata est, solenni Regiaque legatione, prima quæ Regem, regnumq; ad Petri successoris pedes abjecit, prima quæ Augustum & Imperatorem dedit, Petro, Romanæq; Ecclesiæ publicâ cæremoniâ supplicem. Hæc, inquam, Britannia nunc conversa retrorsum, nec Petrum habere doctorem vult, nec ejus discipulos. Mavult orienti, Apostolo nescio cui, homini innominato, addo & fœminæ, quàm Romano Pontifici provinciam obligare. Si causam quæris hujusce aversionis, multa causatur, prætensum Imperium Urbis in orbem, incerta, falsa corrogat; & denique quod factiosis omnibus solemne est, authoritatem declinat, & non vult subesse.

V. (GILDÆ VERBA EXPONUNTUR.) Dixi suprà è Gilda quosdam colligere Tiberii Imperatoris tempore, Britanniam accepisse fidei rudimenta. Et ita cum Petrus in Occidentem eo tempore necdum descenderit, salvam putant Remp. suam, & Romæ non obnoxiam. Gildæ sensum tunc aliter exposui, nunc addo, si verba capienda sunt de tempore, quo radii lucis Evangelicæ in Britannia fulgere cœperunt, ad Tiberium Claudium potiùs quàm ad alterum referenda sunt. Unde opus non erat, Britannos in Orientem mittere, ad Petrum Antiochiæ sedentem, (ut nuper fecit orthodoxus quidam Ri: B.) ab eo scilicet ibi instituendos. (Ric. Broughton. cent. 1. c. 5.) nam Claudius prænomen habuit Tiberius, in edictis omnibus, ubi *Tiberius Claudius Cæsar*, appellatur. Illum ergo, si ullum, Gildas intellexit. Unde nihil huic Insulæ, cum Oriente commune, nullum cum illo commercium. Quare longè verosimilius, Britannos Romæ Petro cognitos hoc tempore, cùm nupera victoria, & triumphus, Britannorum nomen in ore Romanorum omnium vocalissimum esset. Dicamus itaq; quod est constantius, cùm Germania, Gallia, Hispania, & ipsa quoq; Italia, Tiberii prioria tempore jacerent in tenebris & cultu idolorum. Unà cùm illis jacuisse Britanniã: expectavitq; lucem, quam Isaias promiserat eo capite: *Audite Insulæ, & attendite populi de longè.* (Isaiæ c. 49.) & mox: *Ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ. Hæc dicit Dominus redemptor Israël, sanctus ejus ad contemptibilem animã ad abominatam gentem, ad servum Dominorum.* Britanniam intelligo *Insulam, & populum de longe extremum terræ, contemptibilem & servum Dominorum*: nimirum hoc anno à Romanis triumphatum atq; pessundatum. Lucem intelligo eum qui dixit: *Viri fratres vos scitis, quoniam ab antiquis diebus, Deus in nobis elegit per os meum audire gentes verbum Evangelij & credere.* (Act. 15. 7.) Cur ergo Antiochiam imus, aut in Oriente peregrinamur; cum idem propheta Ecclesiæ fundamentum, in vertice montium ponendum præviderit: & inde Insulas esse docendas: *Habitatores Petræ de vertice montium clamabunt, inquit ille: ponent domino gloriam, & laudem ejus in Insulis nuntiabunt.* (Isa. c. 42. 11.)

VI. Benè ergo dixit Cæsar Baronius ad hunc annum quadragesimum sextum, cùm descendisset ad Ecclesias à Petro erectas in Italia, Germania & reliquo Occidente, pro Britannia stipulatus ad hunc modum: *In Britanniam etiam, Petri opera, Evangelium penetrasse tradunt. Haud mirum. Ea enim Insulâ, superiore anno à Claudio subjugatâ, ad prædicationem Evangelij patuit aditus.* (Baron. hic. DE PETRI ACCESSU AD BRITANNIAM.) Quid ergo? dicemúsne hoc anno, aut Petrum venisse, aut discipulos misisse in Britanniam? Non affirmo, nec faciendo conjecturã violabo historiæ dignitatem. Habebit ille annum suum, tempusq; profectionis, post annos decem. nec enim eos sequor, qui præcipiti sententia, parvo rerum, aut temporum delectu, in patriæ (ut ipsi putant) laudem feruntur, inimico, & sibi nimiùm blãdiente impetu. Illum, inquam qui factiosissimè scripsit: Petrum, si unquam venit in Britanniam, eò priùs quàm Romam venisse. (Thea. Mag. Brit. l. 9 c. 9. §. 5.) Quod non modò est præter authoritatem omnem, sed rationem quoque ac sensum. Qui enim Palæstinæ regionem, vel Antiochiam, semel in tabula depictam vidit, una facilè videbit, vel nullum inde in Oceanum ingressum: vel ingentia operæ, ac itineria esse, in Britanniam inde trajicere. Quod si mediterraneum mare, quod omnino dicendum, devehendæ fidei, ut olim Christo, & Deiparæ servivit: Deus bone! quàm longinqua & inutili navigatione tempus trivit, cui pascendi gregis, ac totius mundi commissa est præfectura, nam si Insulam nostram primùm in Occidente petiit, debuit Siciliam, Italiamq; prætergredi, & omnem Africam, tum ad Occidentem flectere, & per Gaditanum fretum in Oceanum trajicere, circumnavigare Hispanias, & ita omnibus neglectis in Britanniam demum appellere. Quod si à Petro factum, amavit indubiè Insulam Apostolus: & si reliqua esset vel minima humanitatis scintilla; Insula Petrum redamare deberet. Verùm hac

io re potior est antiquiorum opinio; qui Petri itinera relegentes, primò Italiam, deinde Britanniam nominant. Ita Simeoo Metaphrastes, qui *Metaph. 29 Iunij.* octingentis ab binc annis floruit, priorem se citans: *Eusebius Pamphili,* ioquit, *dicit Petrum viginti tres annos transegisse Romæ, & in Britannia, & in civitatibus quæ sunt in Occidente.* Petrus ergo primùm in Italia, & in principe Imperii Urbe sedit: atque inde fidei semina dispensavit in reliquum Occidentem; divino prorsus consilio, ut inde, ceu è principe loco, Christi nomen to omnem Europam faciliùs navigaret; & Romanorum Victoriis Christiana fides succederet. Ita factum in Britannia, ut in sequentibus apparebit.

ANNUS CHRISTI 47.
PETRI 3.
CARACTACI REGIS 3.
CLAUDII IMP. 5.

I. *AN. V. C. 798.*

CHRISTI annus qoadragesimus septimus Consules habuit M. Vinucium secundum, & Titum Statilium Corvinum. Multorum assertio est Simonem Cananæum cognomento Zelotem *DE SIMONE APOSTOLO. Apud Usser fol 741.* Christi fidem in Britannia seminasse, & ioter eos Nicephorus Callistus consignat annum Christi quadragesimum septimum. Et sanè Apostolorum aliquem ibi prædicasse vix dubium, si in nominando Apostolo non esset contenno. Nam Eusebius *Eusebr. Pamp. l. 4. Niceph. l. 1 c. 1.* Pamphili l. 4. de Evangelica demonstratione planè affirmat, ex eorum numero aliquos, ὑπὲρ τὸν ὠκεανὸν παρελθεῖν, ἐπὶ τὰς καλουμένας Βρεταννικὰς νήσους. nimirum perrexisse ad Insulas, quæ Britannicæ vocantur. Unde benè dixit Nicephorus Callisti, agens de Apostolorum dispersione: Αἴγυπτον, inquit, καὶ Λιβύην ἄλλος ἐκληρώσατο· τὰς δὲ ἐσχάτους τοῦ ὠκεανοῦ, καὶ τὰς Βρεταννικὰς νήσους ἐδέξατο ἕτερος. *Ægyptum & Libiam sortitus est alius: extremas verò Oceani regiones, & Insulas Britannicas alius obtinuit.* Idem author alibi. Apostolum nominat, qui in Britannia prædicavit, cùm ait: πρὸς ἑσπέριον ὠκεανὸν ἐλθὼν, καὶ τὰς Βρεταννικὰς νήσους εὐαγγελισάμενος. *Niceph l. 2 c 40.* Ita ille de Simone Zelote, quem ad Occidentalem Oceanum & Britannicas Insulas missum significat. Addit Dorotheus, io Synopsi, Simonem hunc in Britannia crucifixum, occisum, & sepultum. Quod eoam in Græcorum menologio ita exprimitur. ὕστερον δὲ ἐν Βρεταννίᾳ γενόμενος, καὶ πολλοὺς τῷ λόγῳ τοῦ εὐαγγελίου φωτίσας, ὑπὸ τῶν ἀπίστων σταυρωθεὶς, καὶ τελειωθεὶς, θάπτεται ἐκεῖ. *Menolog. 10 Maij.* Ita illic ad decimum Maij.

II. SIMONIS PRÆDICATIO IN BRITANNIA REJICITUR. *Baron. an. 44.*

Sed oon festioo, nec his assentior: Baronio potiùs, ita de Simone scribenti: *Simon Chananæus, qui & Zelotes, in Mesopotamiam profectus, populis illis Evangelium annunciavit. In Persidem etiam tandem abijsse tradunt. Addunt alij, Ægyptum, Africam, & Britanniam; ut Nicephorus & Dorotheus: quos sequi visi sunt Græci in suo ipsorum Menologio. Sed hæc prædicti, absque aliquo antiquorum testimonio.* Et verò, quod ad mortem martyriumque ejus spectat, constat hallucinatos esse, qui illud in Britannia recensent: cùm passim omnia *Martyrol. 28. Octob. Brev. 28 Oct.* Martyrologia, Romanum, Bedæ, Usuardi, atque Adonis; quibus & Romanum Breviarium astipulatur; Simonem hunc in Perside mortuum affirment.

Sed nec Simonem in Britannia prædicasse, aut Ecclesias fundasse, è scriptis Innocentii Romani Pontificis, eo nomine, primi, clarè colligitur. Qui ad Decentium scribens, ita pro Petri prærogativa disputans, ejus unius decretos standum esse prounuat ita. *Innocen. Epl. 1. ad Decent.* *Quis enim nesciat,* inquit, *aut non advertat, id quod à Principe Apostolorum Petro traditum est, & nunc usque custoditur, ab omnibus debere servari: nec superinduci, aut induci aliquid, quod aut authoritatem non habeat, aut aliunde videatur accipere exemplum: præsertim cùm sit manifestum, in omnem Italiam, Gallicas, Hispanias, Africam, & Siciliam, Insulasq; interiacentes, nullum hominum instituisse Ecclesias, nisi eos, quos Venerabilis Apostolus Petrus, aut ejus successores constituerunt Sacerdotes.* Pergit inde docere (quod valde notandum est) neminem Apostolorum in Occidente nostro docuisse: Non Philippum in Galliis, noo Simonem in Britannia: Paulum fortè, quia extra ordinem, numerumque fuit, noo intelligit. *Idem sup.* *Legant,* inquit, *si in his provinciis, alius Apostolorum invenitur, & legitur docuisse, Quod si non legunt, quia nusquam invenitur, oportet eos hoc sequi, quod Ecclesia Romana custodit: à qua eos principium accepisse, non est dubium: ne dum peregrinis assertionibus student, Caput institutionum videantur omittere.* Ita ille, ante annos mille, & ducentos.

III. PARKERUS ARGUITUR. *Antiquit. Brit fol. 6.*

Ille ergo peregrinis assertionibus studuit, qui misso Institutionum Capite, à fœmina factus Cantuariensis Episcopus, ita Innocentii testimonium elevat: *Quod Innocentius in Epistola quadam contendit, omnes Africanas & Occidentales Ecclesias, vel à Petro, vel ab ejus & successorum suorum discipulis, in Christo fuisse generatas; præterquam quod hoc ineptum, & falsum arguunt Magdeburgensis historiæ authores, ac gloriolæ, mundanæque acquirendæ potentiæ spe, potiùs quàm à veritate profectum, ex ipsis indubitatæ fidei scripturis certum est, Paulum illum Doctorem gentium, Occidentales Ecclesias & Hispaniam ipsam, ab Oriente remotissimam, peragravisse.* Ita ille, qui Antiquitates Britannicas scribens, quatuor Magdeburgicos, heri, & è nupera factione, oatos, antiquissimo Innocentio opponit & præfert. Innocentius probare voluit Occidentales Ecclesias, in sortitione Apostolorum, in Petri unius sortem ita cecidisse, ut ipse, non alius, è duodecim, Ecclesias ibi, cum Sacerdotum Episcoporum successione fuodaverit: & ideo cogendas omnes illas, ad Petram, unde surrexerant, in dubiis recurrere. De Paulo, qui sortem inter duodecim non accepit, nihil proountiat: Et verò, licèt Paulum Innocentius intellexisset, id solùm voluit (quod est verissimum) extra ordioem ita fuisse, & velut alterum Mosen, cui in munere Sacerdotali, successio nulla deberetur. Denique factiosus homo conatur Paulum à Petro divellere, cùm uterque sciatur, ita ad Romanæ Ecclesiæ fundationem, unanimes concurrisse, & eandem sanguine consecrasse; ut successionis sedisque dignitas in uno Petro remaneret. Alii ergo Apostoli, definitas regiones provinciasque sortiti; ita fixarum stellarum more sedes erexerunt, ut continuus perennisque pastorum ordo succederet: Paulus planetarum iostar illustràvit universum orbem, & nullibi sedem cum successionis jure fixit. Quis enim Pauli Ecclesiam, aut sedem nominavit? aut eò in dubiis recursum habuit. Benè ergò dicit Innocentius: Occidentis Ecclesias custodire debere, qood Romana servat Ecclesia, *à qua eas principium accepisse non est dubium.*

Inno-

IV. *Hincma. de Divortio, in princ.* ROMANÆ ESSE DEBENT OMNES OCCIDENTIS ECCLESIÆ FIDEM.

Innocentium ita intellexit Hincmarus Rhemensis Archiepiscopus, cùm ait: *In omnibus dubiis, vel obscuris, quæ ad rectæ fidei tenorem, vel pietatis dogmata pertinent; Sancta Romana Ecclesia, ut omnium Ecclesiarum Mater, & Magistra, nutrix & doctrix, est consulenda, & ejus salubria monita sunt tenenda, maximè ab his, qui in illis regionibus habitant, in quibus divina gratia, per ejus prædicationem, omnes in Fide genuit, & Catholico lacte nutrivit, quos ad vitam præordinavit æternam.* Inde citatum Innocentii testimonium recitat, eoq; firmat quæ dixerat. In eandem sententiam scripsit Carolus secundus eonomine Imperator, ad Joannem Octavum Romanum Pontificem ita. *De appellatione præsbyterorum intelligimus, & intelligi à Rectoribus transalpinarum Ecclesiarum didicimus; quatenus ab hujus sanctæ sedis authoritate, nostra sana, ut credimus, intelligentia confirmetur; à qua fidei & religionis sumpsit exordium.* Sic Gallia, sic Germania sensit de Occidentis Apostolo. His accedit Regium ex Anglia suffragium. Jacobus nuper Magnæ Britanniæ Rex, licèt Romanæ fidei hostis, dixit tamen aliquando in publico conventu: Romam, Ecclesiarum omnium Matricem esse. Et iterùm scripsit. Si oriens denuo & Occidens, pro loci & Sedis prærogativa, ut olim, concurrerent, se pro Roma & Occidente staturum. Censuit ergo nos Româ, è Petri, non alterius Apostoli, sede, Sacramenta fidei accepisse. Qnocirca castigandus est ille, qui ita scripsit, auspicatusque est Antiquitates Britannicas. *Primam Christianæ Ecclesiæ originem, & institutionem in Insula Britannica reperiemus, non à Romana sede, ut Pontificij contendunt, & plerique imperitè autumant, & initia duxisse & accepisse incrementa.* Imperitos vocat Innocentium Sanctum, & Reges omnes. Imò Patres, & Orientis simul & Occidentis Provincias, quæ, ut infrà patabit, cum ad Lucii Regis conversionem descendero, Romanæ sedi prærogativam illam dederunt.

Apud Hincma. Ep. 9.

Antiq. Britan. in princ.

V. CARACTACUS AD TUTIORA INSULÆ LOCA SECEDIT.

Quod ad alteram Remp. spectat; ubi Caractacus, diminuto per Romanos Imperio regnat, & cum Auln Plantio, sed frustrà, contendit. In Occidentem Insulæ, ad montes, & asperiora Insulæ videtur secessisse. nam ibi post annos aliquot reperiemus illum Romanis gravem, conantemque jugum exuere. An hoc anno, novæ suppetiæ à Claudio submissæ sint in Insulam, satis pendeo. licèt Jacobus Malbrancq in Indice Chronologico ad annum Christi quadragesimum septimum scribat Vespasianum Legatum Legionis in Germania Inferiore, in Britanniam transfretasse, Dionem & Miræum pro eo citans. Sed meliùs, opinor, id vel ad priora, vel ad posteriora referendum. Dio eum suprà pugnantem facit, cùm Plantius primùm in Britanniam venit, & iterum ejus meminit, & Titi filii, ad annum Urbis conditæ octingentesimum, quando parenti in extremo periculo versanti adfuit, & strenuè pro illo pugnavit. de quo nos infrà.

V. AN. 45. n. 4.

ANNUS CHRISTI 48.
PETRI 4.
CARACTACI REG. 4.
CLAUDII IMP. 6.

AN. V. C. 703

ANNO Christi qnadragesimo octavo Consules fuerunt, C. Valerius Asiaticus, & M. Valerius Messalla. Aliud quod ad Annales nostros spectet, nihil occurrit.

ANNUS CHRISTI 49.
PETRI 5.
CARACTACI REGIS 5.
CLAUDII IMP. 7.

I. AN. V. C. 800. PLANTIO TRIUMPHALIA ORNAMENTA DECERNUNTUR.

SEQUITUR Christi annus qnadragesimus nonus notatus Consulibus, Claudio Augusto quartùm, & Lucio Vitellio tertiùm: qui est Urbis conditæ octingentesimus, quo Aulus Plantius, præfecturâ defunctus, Romam revertitur; cùm priùs Vespasianus in Britannos pugnans, Tito vitam debuit, cui dederat vitam. Ita rem paucis narrat Dio, cùm Claudium IV. & Vitellium III. nominasset Consules. *In Britannia*, inquit, *circumdato à barbaris Vespasiano, & in extremo periculo versante, Titus filius ejus, Patri metuens, coronam hostium incredibili audacia disjecit, fugientesque insecutus cecidit. Plantius ob Britannicū bellum quod egregiè id gessisset, confecissetque, à Claudio laudatus est, ac triumphavit.* Ita ille. Tacitus honorem illum moderatus, ovasse tantùm dicit. & eo modo loquendi utitur Suetonius, ita tameu ut triumphalia ornamenta Plantio Claudius concesserit. Sic enim loquitur. *Triumphalia ornamenta multis concessit: Aulo Plantio etiam ovationem decrevit. Ingressoque Urbem obviam progressus, & in capitolium eunti, inde rursus revertenti latus texit.* quod Paulus diaconus per triumphum expressit, ita de Claudio: *Tam civilis*, inquit, *circa quosdam amicos extitit, ut etiā Plantium, nobilem virum, qui in expeditione Britannica multa egregiè fecerat, triumphantem ipse prosequeretur, & conscendenti Capitolium lævus incederet.*

Dio l. 60.

Sueton. Claudio c. 24.

Paul Diaco l. 8. c. 2.

II. *Tacit. l. 13. Annal.* POMPONIA GRÆCINA FÆMINA PLAUTII UXOR.

Tacitus l. 13. Annalium, obiter de hoc agens, hæc habet. *Pomponia Græcina, Plantio (qui ovans se de Britannis retulit) nupta, superstitionis externæ rea, mariti judicio permissa, isq; prisco instituto, propinquis coram, de capite famaq; conjugis cognovit, & insontem nuntiavit.* Porrò, quia similius vero est Pomponiam hanc, ob Christi cultum, fideiq; professionem, in jus vocatam esse, & Plantii judicio permissam. Ideo officiosi admodum sunt nostrates aliqui, qui eam asserunt, Christianam fidem in Britannia didicisse, atq; ita non Petro, sed Pomponiæ fœminæ debet Insula felicitatem suam, & fidei primitias. Vel saltem volunt, Christi nomen, fidemq; ejus, dudū in Britannia priusquā Petrus eò descenderet, doctam. Sed errante impetu feruntur, & invidia in Romanam sedem, quæ revera eò illustrior est, quò magis ab adversariis impetitur. Nos damus libentissimè Pomponiam Græcinam, Christianam fuisse: sed putamus Italia nunquam egressam, Britanniam nunquam vidisse. Nec enim moris erat sexum alterum militem comitari, ob rationem illam, quam in Senatu peroravit Severus Cæcinna, refertq; Tacitus in hunc modum. *Haud frustrà olim placitum, ne fæminæ in socios, aut gentes exteras traherentur. Inesse mulierum comitatus, quæ pacem luxu, bellum formidine morentur, & Romanum agmen in similitudinem barbari incessus convertant, non imbecillem tantùm, & imparem laboribus sexum: sed si licentia adsit, sævum, ambitiosum, & potestatis avidum* & paulò suprà dixit, *Severus*

Tacit. l. 3. Anna.

Idem sup.

Cæcinna censuit, ne quem Magistratum, cui provincia obvenisset, uxor comitaretur. Hujusce antiqui moris meminit Suetonius in Augusto: *In re militari, inquit, & commutavit multa, & instituit, atque etiam ad antiquum morem nonnulla revocavit. Disciplinam severissimè rexit, ne Legatorum quidem cuiquam, nisi gravatè hibernisque demum mensibus, permisit uxorem revisere.* Licèt ergo Germanico Agrippina, & Augusto Livia, comites ad bellum fuerint: Legatum tamen aliquem in remotissimam provinciam, & alium quasi orbem, uxorem eduxisse, nullum est exemplum. maneat ergo Pomponia Romæ, & ad Petri pedes fidem discat multò melius, quàm inter lituos, tubas, turbasque militares.

Idem sup.

quod & factum, vel inde colligitur, quia Tacitus de illa non tacuit ejus vitæ institutum, cùm ait: *Longa huic Pomponiæ ætas, & continua tristitia fuit, nam post Juliam, Drusi filiam, interfectam dolo Messallinæ, per quadraginta annos, non cultu nisi lugubri, non animo nisi mæsto egit. Idque ei, imperitante Claudio, impunè, mox ad gloriam vertit.* In illo ergo quadraginta annorum silentio, luctuque, Christianæ humilitatis exempla dare, docentem Petrum audire potuit.

III. MANSUETUS BRITANNUS ROMÆ A PETRO CONSECRATUR.

Certior tamen Petri discipulus Romæ, Mansuetus, Britannus homo, fuit; qui hoc anno à Petro Romæ consecratus Episcopus ad Lotharingos & Tullensem Urbem mittitur. De eo ita scribit Guilielmus Isengrenius. *Sanctus Mansuetus, natione Scotus, ex nobili prognatus familia, Simonis Barionæ, Apostolorum Coryphæi discipulus, socius Beati Clementis Episcopi Metensis, à Petro, Leucorum in Urbe Tullensi Primus Episcopus consecratus est, anno Christi quadragesimo nono, Tiberio Claudio Cæsare Augusto.* Arnoldus etiam Mirmannius in Theatro, ad eum ferè modum: *Tullenses habuere Apostolum, suæq; in Christum fidei primum Antistitem, Sanctum Mansuetum Sancti Petri discipulum, Sancti Clementis collegam, origine Scotum.* Eadem fere habet Gallicanum Martyrologium ad tertium Septembris, ubi texitur ejus elogium infrà, cùm moritur anno octogesimo nono recitandum. Interim hic dubia exsurgunt, quæ taceri non debent. Quis iste, & cujas? quo tempore Christum induerit & infulam? Cur aliò, non in patriam missus.

Isengren. cen. 1. par. 1. dist. 3.

Arnold. Mirman. thea. Coni.

IV. MANSVETI PATRIA

Authores supra dicti, Mansuetum dixere origine Scotum: quod avidè hauriunt Septentrionales nostri, eoque ornant patriam. Accedunt alii, ac inde è Tertulliano, & Petro Cluniacensi probant, Scotos in Christiana fide Britannis priores fuisse. Denique insurgunt Hiberni, & Scotos omnes antiquos, postliminii jure vendicantes, & ipsi Britannos in suscepta Fide volunt præcedere, Componere has controversias, & mederi omnium cupiditatibus, hoc uno in loco, non possum. Dicam, ut res tempusque ferent, quomodo, quo sæculo, quibus authoribus Scotorum notio natioque innotuerit, & quando demum pervaserit Angliam. Interim dico liquidæ veritatis esse, nullam adhuc Scotorum mentionem in probatis classicisque authoribus, nec in hac Insula, nec in vicina nobis Hibernia, quod de Albiensibus Scotis certo certius est, nam unus erat Britanniæ populus, nec prius in partes scissus, quàm Romanorum dominandi libido unitatem violavit: Tum duce Cæsare imminuta libertas, secessionem paulatim effecit, quæ Claudio triumphante, in duorum populorum studia factionemque surrexit, his Romæ, his patriæ studentibus, communi tamen Britannorum nomine: nisi quòd qui ad septentrionem erant, ad aliorum discrimen Caledonii interdum dicerentur. Sed & illi, sine ullo dubio, propriè ac genuinè Britanni censebantur, ut Quintum Ovidium docuit Poëta Martialis, eo carmine.

Quinte Caledonios Ovidi visure Britannos.

Mart. Ep. lib. 10. ep. 44.

V. PICTORUM, ET SCOTORUM NOMINA, QUANDO INNOTESCUNT.

Ita diu mansit appellatio distinctioque Provinciarum; donec Romanis invalescente, & plures in Britannia provincias occupante, nec Caledoniis Romanorum impetum sustinentibus; è vicina Insula, auxiliares Copiæ ad Caledonios trajecerunt. Tunc novarum gentium accessione, nova nomina ab authoribus inventa: populum in suam quemque classem distinxerunt. Tunc primum nota est Pictorum appellatio, quæ Britannum hominem, necdum à Romanis domitum, aut civilis vitæ institutum amplexum; sed barbarum pingendi morem retinentem signabat. Accessit postea Pictis, ex Hibernia populus, qui nec hoc, nec sequenti adhuc sæculo, Scotus audiebat, licèt postea, & populus ille, Scotus; & Insula, Scotorum patria, propriè diceretur. Jam vero ad eruendam Mansueti Patriam: quamvis Hiberni pleniùs quàm nostrates Scoti pro illo advocare possint: spectatâ tamen hujus sæculi dialecto, quo Scoti nomen necdum cusum, aut ab antiquo aliquo authore usurpatum, infirmo sanè argumento, Scoti nomen, aut ad septentrionalem Britanniæ populum, aut ad vicinam ei Insulam nec nisi violenter trahitur. Solidiùs multò, pro Mansueto stipularentur, si è probatis authoribus, utervis Scotus, commercium sibi hoc sæculo, cum Romanis, aut amicitiam intercessisse, probare possent, aut ipsos Romam in triumphum ductos. Verùm si nusquam hactenus Scoti nomen auditum: si nulla Hibernos inter, & Romanos, negotiorum morumque communio: si nec Romani in Hiberniam, nec Hiberni adhuc Romam profecti; si in Romanis scriptoribus, qui ambitiosè satis, aliarum nationum fœdera, odiaq; recensent, summum hactenus Hibernis silentium est, modestiùs facerent Hiberni, si cùm lucere in orbe incipiunt, & ab antiquis sub Scotorum appellatione nominari; tunc demum, nec priùs, pro Sanctis pugnarent, qui Scoti nuncupantur.

VI.

Dico igitur, si pressè hic agatur quinam propriè hoc primo sæculo Scoti vocentur; responsum facilè esse: nec Hiberni, nec ullus in Britannia populus, intelligi possunt, quia ante Constantini Magni tempora, qui quarti sæculi est, Scotorum nomen è scriptoribus erui non potest, inquit Camdenus, qui operosissimè Scotorum originem, & appellationem investigat. Sed & Hiberni, qui in Scotorum indagando nomine maximè sudarunt, ad Hieronymi ætatem, & quartum sæculum primùm appellant. nam infirmum valdè est, quod Josephus Scaliger conjectat, ad Claudii triumphum Scotos nominari, vel saltem substitui posse, in illo Senecæ versu, de Claudio

apud Camd. in Scotis.

Ille Britannos ultra noti Littora ponti
Et cæruleos Scuta Brigantes dare Romuleis
Colla catenis jussit: & ipsum nova Romanæ
Jura securis tremere Oceanum

Hic Scaliger censoriam virgam arripiens, legi vellet, *Scoto-Brigantes*, sed multò rectiùs, si corri-

gendi

gendi libido fuisset, dixisset Cærulæos cute Brigantes, ut suprà monui. Maneat ergo Scoti appellatio primo saltem & secundo sæculo inaudita, & qui à mediæ ætatis scriptoribus ita vocantur, hoc primo sæculo, æquali fere jure, ab Hibernis, & Britannis asseri possunt, nam scriptores illi indistinctè passim ad posteriora respicientes; ut Lucium Anglorum Regem ideo vocaverût, verè quia Angli Britanniam, quam ille regebat, occuparunt: Ita Scotos vocant, ibi natos, ubi Scoti postmodum fuerunt. Hac arte, Britanni, qui in otravis Rep. illustriores fuerunt, hisce primis sæculis, si in septentrione Insulæ, quem tunc Britanni soli insederunt, vel nati, vel defuncti sunt, vel si Romanorum tyrannidem pugnando declinarunt; à Scotis officiosè quidem, sed nimis importunè, Scoti nominantur, eo solùm argumento, quod solum illi nunc occupant, quod illi illustrarunt. nec procul sunt exempla. Caractacus Rex, quem Latini, græciq; antiqui scriptores, Cunobelini in Trinobantibus regnantis filium scribunt, quem Tacitus (ut infra) inter Silures in Romanos præliantem describit, quique septentrionem nunquam invisit, à Scotis in novam Scotiam trahitur, eo solùm nomine, quòd bellum cum Romanis fortiter gesserit; ot factum ab Hibernis, qui postmodum septentrionem Insulæ incoluerunt. Hoc accipiendi genere frequentes utuntur; vel certè usi sunt, cùm sanctos coluerunt, tunc enim Ninianum, Kentigernum, & innumeros alios; sanctitate magnos, ideo suos esse contendunt, quia in Northumbriæ regno nati sunt, cujus regni partem illi post aliquot sæcula delibarunt.

VII. Num Scoti Britannos in fide præcesserint

Hoc posito pro Mansueti patria fundamento: Dico, cùm ille vel alius, hoc sæculo, Scotus appellatur, κατάχρησις est: quia nulli in rerum natura Scoti tunc tempore debet, ergo eò trahi, quò constantiùs cogunt argumenta. Et quoniam inter Britannicas Insulas (Hiberniam hic amplector) sola Major Britannia, cum Romanis, & contra stetit: illam solùm authores nominant, cùm prælia recensent: eo solùm Romanus miles, & Augusti navigarunt: Denique illam solam Roma triumphavit: Inde transfugas, inde obsides, & captivos excepit: Longè probabilius est, Mansuetum, quantumvis in septeotrione natum; nonnisi Britannum propriè & genuinè vocandum esse. Quod si Buchananus aliquis recalcitret, edat authorem hujus vel sequentis ævi, qui Scoti alicujus mentionem faciat, aut vocem illam usurpet, & herbam ego, & Mansuetum, porrigam. Interim imperitè satis hinc sibi Scoti adblandiuntur, quod Britannos in Christiana fide præcesserint: imperitè etiam Tertullianum citant, qui tertio demom sæculo vivere desiit, scripsitq; post Donaldi Principis baptismum, dixitque quod verum est. *Inaccessa Romanis loca Christo subdita.* Sed ante Donaldum, Lucius Britannorum Rex, fidem, baptisma, & alia fidei mysteria dudum didicerat, Petri sedem solenni veneratione veneratus. Cæterùm illi magis peccant, qui è Petro Cluniacensi contendunt, Scotos in fide Britannis priores esse, ut nuper Broughtonus orthodoxus, quem Magdeburgenses fefellerunt. Cluniacensis hæc habet Epistola 17. ad S. Bernardum; probans non lædi charitatem, cônsuetudinû diversitate, alioquin nulla foret in Ecclesia pax, ubi infinita est morum ritûmq; varietas, & ait. *Cùm nec apud Antiquos, ipsius Paschalis temporis dissonantia; nec apud modernos, ipsius sacrificii Christiani, inter Græcos, & Latinos, nota varietas; charitatem lædere, vel schisma aliquod unitatis gignere potuerit. Testes sunt præcedentis rei Patres sancti, & eorùm quos Ecclesiæ reliquerunt approbati libri, quod alio tempore Oriens, alio Occidens, alio in eadem Britanniæ Insula Angli, alio Scoti, Christiani scilicet antiquorum, Pascha Domini celebrabant.* Ita ille, Scotos cum Anglis componens, non Britannis. Et Scotos Anglis antiquiores esse, est Lippis notum. Cæterùm Britanni, & Scotos, & Anglos, in Fide præcesserunt.

R. Broughtô cent. 1 c 7. Magdeb. cen 2. fol. 6.

Petr. Venerab. l. 4. Ep. 17.

VIII. Mansuetus quanto ad fidem conversus?

De tempore, quo Mansuetus fidem docetur, est aliqua difficultas. Arnoldus Mirmannus signat annum Domini quadragesimum, eumque sequitur Richardus Brougthonus. *nec refert*, inquit iste, *si dixeris Petrum necdum Romam venisse: quia potuit Mansuetus Antiochiam ivisse; ibiq; à Petro doceri.* Sed magnum est iter, nec necessarium. Isengrenius expedivit breviùs, expectavitq; cum reliquo Occidente, Petrum Romæ sedentem, docentem, & dispensantem Insulas. Quî enim remotissima Insula, &, si Mansuetus septentrionalis fuit, inculta Britanniæ, videre potuerunt, & adorare Antiochiæ sedentem; quem nulla adhuc Occidentis Provincia senserat? Vidimus suprà, satis constare Petrum, è Romana arce, Occidentem illuminasse: Mansuetum & plures alios, è Britannia, vel transfugas, vel obsides, vel captivos facilè Romam, quotannis deducimus: & Româ io Lotharingos, expeditum est iter. Dicamus ergo Mansuetum è Britannia solvisse; sive cùm Adminius à parente proscribitur; sive cùm Bericus Romæ Claudium in Insulam vocavit: sive cùm Claudius, in Urbem redux, de Britannis triumphavit, quando, quis dubitat, ad triumphi dignitatem, Britanni, iique non pauci, servierunt. Hæc facilia sunt, cætera tenebris obvolnta.

IX. Cur ad Lotharingos mittitur?

Restat difficultas: quorsum Tullenses habent Episcopum, Britannum hominem, & nullum adhuc habet Britannia? Forè id in causa fuit, quòd Lotharingi illum petiissent, aut quia Lotharingia Romæ propinquior; & propinquiora loca sol prius irradiat, & inde ad remota se diffundit. Addo plures Romæ fuisse è Britannis, qui dudum in Patriam regressi, excitare potuerunt sociorum mentes, Christique nomen personare: quod factum mox ostendam. Denique reverentiùs erat, & primam sedem, fideique Majestatem decebat magis, Petro priùs preces, pro majori Sacerdotio porrigere, quàm illud non petenti ingerere. Et quoniam Britannia præ cæteris provinciis Romanæ Ecclesiæ servitura erat; debebat etiam eo pietatis genere aliis prælucere, & sedem illam, ceu Principem, prima appellare. Etenim illius Ecclesiæ constans est illa & illustris prærogativa; quòd eò, in dubiis fidei, velut ad tutissimum portum appellet orbis, nt sequentibus sæculis ubique factum. Et si Reges spectes, præcessit omnes Lucius Britannorum Rex: si fidelem populum, non facilè reperies, hac Insulâ, in publica permissaq; fidei professione priorem. Hactenus id nemo fecit; vel quia oovitia sedes erat, & parum nota: vel quia novitiæ mentes vix didicerant dubitare.

X. Britannia ad Petrum legationem decernit:

Cæterùm appellavit sub hæc tempora, in dubiis fidei Romam, & sedentem ibi Petrum, Britannia cùm quidem re & nomine Beatus, à provincialibus Romam missus, oobilissimâ ad Petrum legatione fungitur, & fidei rudimenta petit, eo prorsus modo, quo sequenti sæculo dicemus fecisse Lucium. Fatentur hoc, quod jure mireris, factiosorum aliqui, cæteroquin Romæ infensi: Qui cùm annum quadragesimû nonum lustrant, hæc habêt, inter cætera.

Sub hoc tempus, ut B. Rhenanus in suâ historiâ, Pantaleon, & alii referunt: Suetonius quidam, nobilis viri filius, in Britanniâ, conversus ad fidem à primis prædicatoribus hujus Insulæ, & post baptismum Beatus dictus, à fratribus hinc Romam missus est, ut meliùs in fide ab ipso Petro instituueretur. Omittunt hi authores, quod in eadem historiâ legitur, missum hunc virum *ad Petrum Apostolorum Coryphæum*: qua voce tamen Britannorum hujus sæculi fides eleganter exprimitur, & Roma Princeps. Non ergo leviter prætereunda est hujus Beati mentio; quem Beda, Usuardus, Molanus, Isengrenius, & quod instar multorum est, Romanum Martyrologium, inter sanctos posuerunt.

BEATUS ROMÆ A PETRO DOCTUS CONSECRATUR.

Summa igitur Legationis ejus fuit, Britannos illi commendare, cui Christus commiserat omnem orbem: Orare patrem, ut eò teneriùs amet supplicem pro Fide Insulam; quò procul illa erat à parentis sinu, & quasi in alio orbe posita, periculis & erroribus præsentior. Veniat ergo & Apostolica pietate foveat: vel alumnos mittat qui obstetricante manu educãt infidelitatis colubrũ doceatq; Britannos, in omni re sacra, quid credendum. Præstitit hoc compendio Sanctus Petrus: & Beatum oratorem, Christianæ religionis mysteria perfectiùs docuit: doctum ad Sacerdotium admisit, remisitque in patriam, ut magister esset provincialibus suis. An hic in Britanniam redierit, non ausim dicere. Nam diu Evangelium in Helvetiis prædicasse, ibique mortuum, plures affirmant. Interim quid Germani scriptores de illo referant, videamus.

XI.

Tollendus imprimis eorum error, qui Beatum, à S. Barnaba, in Scotia scilicet prædicante, doctum dixerunt, apud Thomam Dempsterum qui de Beato hos versus recitat Libro 2. historiæ suæ.

Dempster l. 2. hist. Eccles. Scot. c. 2. n. 139.

Hic vera Helvetiis ostendit numina, Petri
Unctus erat dextrâ: Barnabæ alumnus erat.
Nomine reque Beatus, amans deserta: beatum
Solum, qui solus viveret, esse ratus.

Rectiùs de hoc sancto scripsit Petrus Mersæus Cratepolius in libello de sanctis Germaniæ: *S. Beatus*, inquit, *ex nobilibus ortus parentibus in Britannia, Romam profectus, & cum religionis veræ esset cupidus, à Beato Petro Apostolo in fide instructus est, & baptizatus, inde Christianis annumeratus est, & doctrinam quam susceperat aliis imperturi summopere advigilavit. Cum jam proposuisset redire in suam Patriam, in Helvetiis substitit: & incolas ibi in vera fide instruxit. Sub oppido Undesivem construxit habitationem, & Christi meritum, ac peccatorum indulgentiam omnibus, cum magno fructu animarum, proposuit.* Addit Franciscus Guillimanns Lib. 1. rerum Helveticarum, hunc virum, apud Helvetios sanctitate & miraculis claruisse, & ita loquitur. *Beato, antequam sacris Christianis initiaretur, Suetonius fuit nomen. Multæ pietatis & sanctimoniæ miraculisque clarus, diu apud Helvetios, præcipuè pago Aventico, & Urbigeno, Apostoli Christi munere defunctus est. Ultimò se in solitudinem recepit apud Interlacenses pagi Urbigeni locum nactus, cùm inde draconem sævissimum, & nocentissimum, Crucis signo, expulisset: eam quam tenuerat rupem, & speluncam pro tecto usurpavit. Ibique longa ætate confectus vitam deposuit, sub initium imperii Trajani.* Plura de ejus morte inferiùs, eo anno quo moritur.

Mersæus l. de Sanctis German.

BEATUS HELVETIIS PRÆDICAT

Guilliman. l. 1. rerum Helvet. c. 15.

XII.

Pantal. de viris illust. par. 1.

His addo Henricum Pantaleonem, Romanæ fidei satis infensum: qui libro de viris illustribus, ita narrat: *Beatus, nobilibus parentibus natus, ex Britanniâ Romam profectus, ut à S. Petro in vera fide rectiùs institueretur. Cùm autem in humanioribus literis optimè profecisset, atque Suetonius diceretur, Christianis dignus visus est, qui doctrinam veram susciperet, atque eandem ubiquè disseminaret. Itaque baptizatus, ab adepta felicitate, & spe vitæ æternæ, Beatus dictus: is in patriam rediens, in Helvetia substitit, atque ejus regionis incolas in vera Fide instruxit. Cùm autem verbum Dei plures avidè amplecterentur, apud Helvetios permanere, & Christum docere voluit. Propterea non procul à lacu Thunense sub oppido Underseven habitationem fixit, omnia bona pauperibus distribuit.* hæc ille. Didicit ergo à B. Petro, quod erat perfectissimum: nimirum Evangelica consilia, cùm omnia bona sua distribuit pauperibus. Hoc enim Christianorum primitiæ fecerunt Ierosolymis: quando *quotquot erant possessores agrorum & domorum, vendentes offerebant pretia eorum quæ vendebant, & ponebant ad pedes Apostolorum.* Nemo igitur miretur singulis postmodum ætatibus monachorum & regularium examina surrexisse in Britannia, cùm Petri manu jacta sementis, tam citò in segetem fructumque surrexerit.

Act. 4. 34

XIII.

BRITANNIA À PRINCIPIO DIDICIT ROMANAM SEDEM COLERE.

Habemus itaque in hoc sancto, non solùm Christianæ Fidei, sed Evangelicæ etiam perfectionis primitias, Britannũ Romæ doctum, Romanamque Fidem, & sacra, in Germaniis docentem. Ipsum in hac Insula præcesserant alii, qui Beato Christum, Fidemque ejus, suggesserant; sed doctorem Insula non habebat. Unum sanè didicerat, eratque prima quasi litera, in Christianæ religionis alphabeto, in fidei rebus pulsandam esse Petram illam, quam Christus dixerat Ecclesiæ fundamentum. Hoc Beatum impulit ad Romanum iter, & pedibus addidit alas. Unde valde factiosos oportet esse illos, qui Româ neglectâ, Orientem petunt, & inde sacra, à Romanis sacris scilicet diversa, derivant. Quis fuerit, hac in re, sequentium sæculorum sensus & consensus, facilè Lector perspiciet, cùm infrà leget Magnæ Britanniæ Reges, Romæ addictissimos: cùm audiverit Civium facta, Fidem, pietatem: cùm viderit ingentia templa in singulis provinciis Petro consecrari Apostolorum Principi. Interim agnosco Dei summam in nos charitatem: quod Britanniæ indulserit, non solùm cum primis in Christum credere: sed voluerit eandem etiam Galliarum & Germaniarum populis, in ipsa nascentis Ecclesiæ aurora, fidem porrigere, his Beatum, Mansuetum illis emittendo: utrumque sanctum, utrumque Petri discipulum, utrumque Britannum. Sequuta est hoc exemplum sequentibus sæculis Britannia, cùm sæpe Apostolicos viros in Germaniam misit, Bonifacium, Willibrordum, Suibertum, & innumeros alios, suo loco nominandos. Primum locùm inter eos, & suo merito, Regio nomine, & prærogativa temporis habebit Britannorum Rex Lucius, ad quem servata temporum serie propero.

ANNUS CHRISTI 50. 51.
PETRI 6. 7.
CARACTACI REGIS 6. 7.
CLAUDII IMP. 8. 9.

Annus Christi quinquagesimus Consules habuit A. Vitellium, & L. Vissanium: &

sequens

AN. V. C. 803.

sequens annos, quinquagesimus primus, C. Pompenium & Quintum Verannium. Quo biennio nihil actum in Britannia, aut pro utravis Rep. scriptum reperio. Illud tamen ad Annales spectare videtur, quod factum à Claudio his postremis Consulibus: cùm Judæos in Urbe persecutus, ejecit: & unà Apostolorum Principem, Petrum, quod nobis initium fælicitatis fuit. Suetonius author est, *Judæos tumultuantes*, impulsore Chresto, causam edicto dedisse. Baronius aliiq; passim, Christum, & eum colentes, intelligi volunt: quod omnino dicendum, non enim accedo illi qui nuper scripsit, non Christum sed Chrestum Consulem, impulsorem fuisse, *cujus consulis*, inquit, meminere Zosimus, Dio, Xiphilinus, Aurelius Victor, *& alij*: nam licèt authores illi Chrestum nominent, Alexandri Severi tempore, sub annum Domini ducentesimum vigesimum quartum: quomodo tamen eo impulsore tumultuarentur Judæi anno Domini quinquagesimo primo, non dixerit Oedipus. Adde, quod Chrestus ille nunquam consul fuit, nec illum supradicti authores consulem vocant.

PETRUS ROMA PELLITUR. *Suetonius in Claudio c. 25.*

Resp: Broughton cent. 1. c. 15.

ANNUS CHRISTI 52.
PETRI 8.
CARACTACI REGIS 8.
CLAUDII IMP. 10.

I. AN. V. C. 805. *Publius Ostorius in Britannia Proprætor.*

ANno Christi quinquagesimo secundo Consulatum inierunt C. Antistius, & M. Suillius, quando missus in Britanniam Publius Ostorius, in locum successit, Proprætoris officio & potestate functurus. Cujus res gestas, domitos Silures, repressos Icenos, Brigantes fusos, evictum denique triumphatumque Caractacum Regem, pluribus narrat Tacitus: quem volo exscribere, quia plurima habet, memoriâ & lectione digna, præsertim quæ antiquitatem spectant, & Remp. alteram quam statui ita cum fide & Ecclesia conjungere, ut Christi virtus Romanorum fortitudine major appareat: nimirum qui nullo strepitu subdidit Insulam quam Romani multo milite, & immanibus factis subjugare omnino nunquam potuerunt. Quod ad tempus attinet, omnia refert Tacitus Mardo Suillio Rupo, & Cajo Antistio Consulibus: hoc nimirum anno 52. quæ tamen uno anno vix fieri potuerunt: si sub finem anni turbarum initium fuit, quod author velle videtur, & ecce illum.

II. *Tacit. Anna. l. 12.* BRITANNI TUMULTUANTUR.

In Britannia Publium Ostorium Proprætorem turbidæ res excepere, effusis in agrum sociorum hostibus, eo violentiùs, quòd novum Ducem, exercitu ignoto, & cœpta hieme, iturum obviam non rebantur. Ille gnarus primis eventibus metum aut fiduciam gigni; citas cohortes rapit, & cæsis qui restiterunt, disjectos consectatus, ne rursus conglobarentur; infensaque & infida pax, non Duci, non militi requiem permitteret, detrahere arma suspectis, cinctosq; castris Antonam & Sabrinam fluvios cohibere parat. Equorum fluviorum nominibus fere colligitur; ubi à Britannis in Romanos pugnatum, nimirum ad Occidentem Insulæ. Ibi Sabrina, notum nomen, Dobunos, & Cornavios, hoc est Glocestrensem & Wigorniensem agrum alluit. Antona nomen ignotius, & Camdenus noster, diligens Britanniæ perambulator, *Ausona*, non *Antona* legit, putat Northamptoniensem provinciam indicari, ubi Noo fluvius, & Antona coeunt. Hinc forte Lipsius in notis ad hunc locum, Antonam putat civitatem esse, scribit ita: *Antona sane civitas videtur; manetque hodie Northamtona, quasi dicas septemtrionalis Hammonis civitas: nam Ton priscis Britannis, semper civitas.* non assentior, & verius puto australem urbem Southamptoniam castris munitam: Ibi enim fluvius, aliquando Terstans, sed antiquitus Ant, vel Anton, (ut Camdenus fatetur) hodie vulgus Test appellat. Ducor, quod ibi Vespasianus militem exposuit, cùm primùm appulit, ut suprà; ac inde in vicinam Insulam pugnavit, eamq; expugnavit. Hæ duæ aquæ ferè includunt, quod Saxonum tempore regnum Occidentalium Saxonum dicebatur. Sed pergit Tacitus, de Icenis loqui (sunt modò Suffolcienses, Norfolcienses, Cantabrigenses, & Huntindonenses) quo modo parere quidem Romanis, sed castris cingi, hoc est, servire noluerunt.

Lips. in notis

III. *Tacit. l.* OSTORIUS IN ICENOS PUGNAT.

Quod primi (inquit) Iceni abnuêre (nimirum Castris cingi,) valida gens, nec prœliis concussa, quia societatem nostram volentes accesserant, hisque auctoribus, circumjectæ nationes locum pugnæ delegere. Septum agresti aggere, & aditu angusto, ne pervius equiti foret. Ea munimenta Dux Romanus, quamquam sine robore Legionum sociales copias ducebat, perrumpere aggreditur, & distributis cohortibus, turmas quoque equitum ad munia accingit. Tum dato signo perfringunt aggerem, suisq; claustris impeditos turbant. Atq; illi conscientia rebellionis, & obseptis effugiis, multa & clara facinora fecêre. Qua pugna filius Legati Marcus Ostorius servati civis decus meruit. Cæterum clade Icenorum compositi, qui bellum inter & pacem dubitabant, & ductus in Cangos exercitus, vastati agri, prædæ passim actæ, non ausis aciem hostibus; vel si ex occulto carpere agmen tentarent, punito dolo. Ad Cangos quod attinet, merito à doctis dubitatum, ubinam ille populus sederet. J. Lipsius in notis ad hunc locum, Camdenum judicem petit; & ab eo cupit doceri. Sed illa modestè detractat, & tandem ita scribit. *Cangos veteres Britanniæ populos, diu multumq; quæsitos, an in hoc Cestrensi agro collocarem, diu multumque subdubitavi. Ita enim suis velis obtendit vetustas, ut nullis hactenus vestigiis indagari potuerint. Quamvis autem flos ille hominum Politiorum I. Lipsius me hic judicem capit, ego ingenuè fateor, nihil habeo, quod judicem, & malim illam judicandi provinciam cuivis rogare, quàm mihi assumere, nihilominùs si Ceangi & Cangi iidem fuerint, & quidni? satis probabile sit, eos in hoc tractu Cestrensis agri insedisse, Dum enim hæc recognovi; à fide dignis accepi, viginti massas plumbeas, hic in ipso litore erutas fuisse, forma oblongiori, sed quadrata, in quarum superiori parte, in concavo, hæc legitur inscriptio.*

CANGI QUINAM?

Camd. in Cornavils

IMP. DOMIT. AUG. GER. DE CEANG.

Quod monumentum erectum videtur ob victoriam *in Cangos.* Ita ille, qui rem acu tetigisse videtur, & conjectasse feliciter, quia à Ptolomeo ponitur, promontorium τῶν καγγάνων in Britannia; & Camdenus illud locat in Cestrensis agri litore, nec refert, quod nulla nominis supersint vestigia, cùm varius populus, Britannus, Saxo, Danus, Normannus, omnia perverterint. Porro est in eo tractu vetustum oppidum, ab Antonino memoratum, quæ forte Cangorum Urbs appellata, diciturque hodie Congleton. Sed quæ in Tacito sequuntur, conjecturas has magis illustrant: ita enim prosequitur.

IV. *Tacit. An. l. 12.* SILURES PREMUNTUR DUCTA CAMALODUNUM COLONIA.

Silurum gens (sunt australes Cambri, in quinque hodie provincias distincti) non atrocitate, non clementia mutabantur, quin bellum exerceret, castrisque legionum premenda foret. Id quo promptius veniret, Colonia Camalodunum, valida Veteranorum manu deducitur in agros captivos, subsidium adversus rebelles, & imbuendis sociis ad officia legum. Colonia Camoludunum hoc anno deducta, fuit è decima quarta Legione, quæ gemina, Martia, Victrix, & inde Colonia Victricensis appellata, cujus alibi Tacitus meminit, vocatque illam Domitorem Britanniæ. Illustre vestigium Coloniæ hujus visitur in antiqua inscriptione, quam refert Camdenus in Trinobantibus, & est hujusmodi.

Exstat hæc inscriptio apud Seldenum in Originibus fol. 120. Ubi plura de Camaloduno, ubi nam gentiū in Britannia fuerit.

CN. MUNATIUS M. F.
PAL. AURELIUS.
BASSUS PRO.
AUG.
PRÆF. FABR. PRÆF. COH. III. SAGITTARIORUM PRÆF. COH. ITERUM. II. ASTURUM. CENSITOR CIVIUM ROMANORUM COLONIÆ VICTRICENSIS QUÆ EST IN BRITANN. A CAMALODUNI.

Expressit hanc Coloniam nummus etiam ille tunc cusus, quando Claudius post Victoriam appellatus est decimum octavum Imperator, nimirum anno ejus Imperii duodecimo, de quo nos infra. Interim Vincentem Romanum militem spectemus, & Caractacum Regem frustra conantem Romanorum jugum, & servitutem solvere. Ea tamen fecit, & adversa pertulit tali constantia; ut Romanorum oculos in admirationem crexerit, & Scotorum manus ad præclarorum virorum assuetam sibi rapinam. Sunt enim qui volunt Caractacum hunc Scotum fuisse, Regemque Scotorum. Quod ego in meliorem sensum traherem (ut supra in Mansueto Sancto) si vel semel illum ad septentrionem pugnantem adspexissem. Sed cùm semper, vel inter Silures aut Dunetas, vel inter Ordovices, Cambriæ populos; vel in Trinobantibus, & Camaloduni, in paterna domo, illum invenerim; cogor dicere, immanè falli, quotquot Scotiæ, (quæ nusquam hactenùs in Britannia, aut visa, aut audita, aut lecta) Regem creaverunt. Fuit ergo Cunobolini Filius, ut suprà è græcis latinisque probatum, ab eis recta regnantium serie descendens; qui in Romanos Britanniæ incubantes fortiter olim & animosè surrexerunt. Quod ipse statim testabitur cùm militem ad pugnam accendens, invocat nomina majorum suorum qui Dictatorem Cæsarem pepulerunt, qui nunquam in Scotos pugnavit. Caractacus itaque, ante annos octo, è Trinobantibus pulsus, ad Silures sedem & Imperium fixerat, Romanis formidandus; qui ideo, castris nuper ad Sabrinam positis, populum illum à Romana provincia distinxerant. Nunc ad arma militemque, Tacito classicum sonante ita.

CARACTACI REGIS LAUS.

VI. *Tacit. l. 12 Annal.* CARACTACUS CUM OSTORIO CONGREDITUR.

Itum inde in Silures super propriam ferociam Caractaci viribus confisos, quem multa ambigua, multa prospera extulerant, ut cæteros Britannorum Imperatores præemineret; sed astu tum locorum fraude prior, vi militum inferior, transfert bellum in Ordovicas, additisque qui pacem nostram metuebant, novissimum casum experitur; sumpto ad prælium loco, ut aditus, abscessus, cuncta nobis importuna, & suis in melius essent. Tunc montibus arduis, & si qua clementer accedi poterant, in modum valli saxa præstruit. Et præfluebat amnis vado incerto, catervæque nationum, pro munimentis constiterunt. Ad hoc gentium ductores circumire, hortari, firmare animos, minuendo metu, accendenda spe, aliisque belli incitamentis. Enimverò Caractacus huc illuc volitans, illum diem, illam aciem testabatur, aut recuperandæ libertatis, aut servitutis æternæ initium fore: vocabatque nomina Majorum, qui Dictatorem Cæsarem pepulissent. Quorum virtute, vacui à securibus, & tributis, intemerata conjugum & liberorum corpora retinerent. Hæc atque talia dicenti, astrepere vulgus, gentili quisque religione obstringi, non telis, non vulneribus cessuros. Obstupefecit ea alacritas Romanum Ducem, simul objectus amnis, additum vallum, imminentia juga: nihil nisi atrox & propugnatoribus frequens, terrebat. Sed miles prælium poscere, cuncta virtute expugnabilia clamitare, præfectique ac tribuni paria disserentes, ardorem exercitus incendebant.

VII. *Tum Ostorius, circumspectis, quæ impenetrabilia, quæve pervia, ducit infensos, amnemque haud difficulter evadit. Ubi ventum ad aggerem, dum missilibus certabatur; plus vulnerum in nos, & pleræque cædes oriebantur. Posteaque facta testudine, rudes, & informes saxorum compages distractæ, parque cominus acies: decedere barbari in juga montium. Sed eo quoq; irrupere ferentarius, gravisque miles. Illi telis assultantes; hi conferto gradu, turbatis contra Britannorum ordinibus, apud quos nulla loricarum galearumve tegmina, & si auxiliaribus resisterent, gladiis ac pilis Legionariorum, si huc verterent, spatiis, & hastis auxiliarium sternebantur. Clara ea victoria fuit captaque uxore & filia Caractaci. fratres quoque in deditionem accepti. Ipse (ut fermè intuta sunt adversa) cùm fidem Cartismanduæ Reginæ Brigantum petivisset, vinctus, ac victoribus traditus est, nono post anno, quàm bellum in Britannia captum.*

VIII. CARTISMANDUA CARACTACUM PRODIT ROMANIS. TEMPORIS RATIO EXPENDITUR. *Lipsius in notis hic.*

Nescio cur Lipsius hanc ultimam clausulam vexet, & oscitantiæ arguat authorem suum, cùm *non nono pòst anno*, sed septimo pòst anno legi vellet. Cæterum nos supra, Claudiani belli initium ad annum Christi quadragesimum quintum retulimus. Ita ergo ipse, in notis. *Atqui, inquit, bellum cæpit Claudio tertium & L. Vitellio Coss. ut Dio clarè tradidit, nec inde ad hunc diem, plus annos septem numeraveris, ut suspicio jure numeralis mendi sit. Pugnant etiam hæc, cum iis, quæ tertio histor. scribuntur: Cartismandua (inquit Tacitus) Brigantibus imperitabat, pollens nobilitate, & auxerat potentia, postquam capto, per dolum, Rege Caractaco, instruxisse triumphum Claudii Cæsaris videbatur. Num triumphus Claudii aliquot annis anterior, nec in eo hercle ductus iste Caractacus. Ut nihil dici possit, quam Tacitum in historiis, aut memoria fefellerit, aut provexerit calor quidam scriptionis.* Ita ille. Quibus duo notantur: & error in Chronologia, cùm septem tantùm annis bellum duraverit: & Caractacū non instruxisse Claudii triumphum, quem nos suprà consignavimus ad annum Christi quadragesimum sextum. Ad primum quod attinet, absolvo Tacitum, quod nono post anno, ab inchoato bello, captum traditumque Romanis Caractacum tradat. Nec erravit Lipsius, belli initium referendo ad Claudii Cæsaris tertium consulatum. nos enim suprà ita distinximus, & nominavimus Christi annum quadragesimum quintum. A quo anno, ad præsentem, rectè anni octo numerãtur. Jam verò, si memoriā repetis, quod suprà dixit Tacitus; Ostorium, cæpta hieme, militem armasse C. Antistio, & M. Suilio Coss. nimirum hoc anno quinquagesimo secundo, facilè cernitur tantum belli apparatum, tot aggeres & munimenta, tantum in utraque

parte pugnandi ardorem, fugam Caractaci, & Cartismanduæ Reginæ imploratam fidem, ejus fæminæ, cum Romanis, de tradendo Rege pactum, plurium mensium opus fuisse: & tunc sperte sequitur, & sequente hunc anno, Caractacum Romanis traditum; & Tacitum, reum non esse, dicentem, *nono pòst anno* debellatum. Aliud, quod Tacito imponitur, Caractacum non instruxisse triumphū Claudii, cùm dudum ille triumphaverit. Dico: Auxit sine dubio Caractacus Imperatoris gloriam, & in ejus, quis dubitat, laudibus ponenda est Victoria: Unde in fastis nostris post Malmesburiensem collectis, ad C. Antistium & collegam ejus hæc nota adjicitur: *Claudius* ex bello Britannico Imperator XVII. XVIII. XIX. XX. XXI. appellatus re bene gesta à P. Ostorio. Et quis non dicet fecisse hoc ad Claudii triumphum, qui præcesserat, & Victoriæ illius complementum? ut è dicendis magis apparebit, cùm Caractacus Romam ducitur. quod ad sequentem annum exponetur.

IX. LOCUS CERTAMINIS. *Camden.*

Interim juvat quærere, ubinam gentium à Romanis pugnatum, cùm Caractacus vincitur, cùm uxor & filia, fratresque in deditionem accepti, & commodum locum consignat Camdenus in Cornaviis, & Salopiensi agro, ubi Colunus, & Temdus, duo fluvii miscentur. Quem ita describit. *Ubi Colunus*, inquit, *Temdo confluit, inter vada incerta, intereminet antiquæ admodum memoriæ collis, quem Caër Caradoc vocant, eò quòd circa annum salutis quinquagesimum tertium, Caractacus Britannus Rex, in hoc tractu clarissimus, saxorum vallo præstruxerit: & obfirmato animo cum suis contra Ostorium, & Romanorum Legionarios defenderit, donec Romani, destructa rudi illa Saxorum compage, cujus reliquiæ etiamnum supersunt, irrumpens, Britannos inermes, in juga montium decedere coegerit. Ipse tamen, uxore, filia, & fratribus captis, fuga evasit. Sed postea (ut res adversæ nusquam tutæ) à Cartismandua Regina, cujus fidei se commiserat, Ostorio traditus Romamq; deportatus est.* de quo statim.

X. Ad hunc annum spectat nummus ad honorem Claudii cusus, ubi eques inter duo trophæa, & hi Characteres in arcu triumphali DE BRITANN. cum Claudii tribunitia potestate nona. Unde domitos tunc Silures & pressos Icenos colligo, nam inde Claudius hoc tempore decimum sextùm appellatus est Imperator, ut videre est in nummo quem suprà posui ad annum Christi 46. Quò etiam pertinet oblonga plumbi lamina, regnante Henrico VIII. aratro casu eruta in agro Somersetano, sic inscripta TI. CLAUDIUS CÆSAR AUG. P. M. TRIB. P. VIII. Imp. XVI. DE BRITAN. Referenda sunt hæc ad hujus anni exordia, cùm necdum Imperii curreret annus decimus.

ANNUS CHRISTI 53.
PETRI 9.
CARACTACI REGIS 9.
CLAUDII IMP. 11.

AN. V.C. 804 *Fasti Saviliani* CARACTACI REGIS CAPTIVITAS.

AD Christi annum quinquagesimum tertium ponuntur hi Consules: Claudius Augustus quintùm, & Cornelius Scipio Orfitus, quibus Consulibus, inquiunt fasti Saviliani, *Colonia Veteranorum Camalodunum deducitur. Caractacus Rex Silurum, perfidiâ Cartismanduæ Brigantum Reginæ, vinctus Romanis traditur.* Hoc nimirum est, quod suprà monui; Ostorium; victoriam non absolvisse, ante præsentis anni quinquagesimi tertii initium, & tunc demum Caractacus in Romanorum potestatem venit, ductusque est Romam; ut Claudii de Britannis triumphum renovaret. Quod à Tacito refertur in hunc modum.

I. *Tacit. Lib. 12.*

Fama ejus (Caractaci Regis) *evecta Insulas, & proximas provincias pervagata, per Italiam quoque celebrabatur. Avebantque visere Quis ille, tot per annos, opes nostras sprevisset? Ne Romæ quidem ignobile Caractaci nomen erat. Et Cæsar dum suum decus extollit, addit gloriam victo. Vocatus quippe, ut ad insigne spectaculum populus: stetere in armis Prætoriæ cohortes, campo qui castris præjacet. Tunc incedentibus regiis clientelis, phaleræ, torquesque quæ externis bellis quæsierat, traductæ: mox fratres, & conjux, & FILIA. postremò ipse ostentatus. Cæterorum preces degeneres fuere ex metu. At non Caractacus aut vultu demisso, aut verbis misericordiam requirens, ubi tribunali astitit, in hunc modum locutus est.*

CARACTACI ORATIO

Si quanta nobilitas, & fortuna mihi fuit; tanta rerum prosperarum moderatio fuisset, amicus potiùs in hanc Urbem, quàm captivus venissem. Neque dedignatus esses, clarum majoribus ortum, pluribus gentibus imperantem, fœdere pacis accipere. Præsens sors mea, ut mihi informis, sic tibi magnifica est. Habui equos, viros, arma, opes: Quid mirum si hæc invitus amisi? nam si vos omnibus imperitare vultis; sequitur ut omnes servitutem accipiant. Si statim deditus traderer, neque mea fortuna, neque tua gloria inclaruisset, & supplicium, mei oblivio sequeretur. At si incolumem servaveris, æternum clementiæ exemplar ero.

PLURIBUS GENTIBUS CARACTACUS IMPERAT.

Ad ea Cæsar veniam, ipsique & conjugi, & fratribus tribuit. Atque illi vinculis exoluti, Agrippinam haud procul alio suggestu conspicuam, iisdem quibus Principem laudibus, gratibusque venerati sunt, novum sane, & moribus veterum insolitum, fœminam signis Romanis præsidere. Ipsa semet parti à majoribus suis imperii sociam ferebat. Vocati posthac Patres, multa & magnifica, super captivitate Caractaci disseruere. neque minus id clarum, quàm cùm Siphacem P. Scipio, Persen L. Paulus, & si qui alii victos Reges populo Romano ostendêre. Censentur Ostorio triumphi insignia, prosperis ad id rebus ejus, mox ambiguis. Sive quod amoto Caractaco, quasi debellatum foret; minùs intenta apud nos militia fuit, sive hostes, miseratione tanti Regis, acrius ad ultionem exarsere. Hactenus de Romanorum victoria Tacitus.

II. CAPTIVITAS REGIS BRITANNORUM ECCLESIÆ FAMULATUR.

Viso Romanorum de Britannis triumpho, ad Fidem Christianam transeo: collecturus inde, quod & antea feci, messem aliquam, & spiritè opima spolia. Quod si victoria hæc in Dei Opt. Max. gloriam decusque, in Christianæ religionis augmentum cessit; nemo miretur, si Lectorem hactenùs detinui, narratione Taciti, & captivitate Regis. nam hæc & hujusmodi rudera jacio, dum Sacræ Reip. & Britannorum Fidei fundamentum molior. Est igitur operæ pretium, inter Captivos quærere, quinam Caractaci fratres, quæ filia, quæ conjux, quos Roma spectavit vinculis indutos & exutos? Suprà dixi divini consilii rationem fuisse, orbem pene omnem, & imprimis Britanniam, orbis extremum, Urbi submittere, ut Christum faciliùs, defecatiusque doceretur. Id factum hoc loco, Caractaci filia argumentum est, quæ Romam hac occasione veniens, ibique sedem figens, Ro-

mano-

manorum animis illabitur; & ejus pectori, Fides Christi, in magnum Britanniæ Ecclesiæ emolumentum, Fideique compendium. Nam virgo elegantis formæ, Regia proles, Romano illustri nupta, in nomen crevit, familiamque magnam. Ab Imperatore Claudio, quod captivis erat honori, Claudia, à Rufo viro Ruffina appellatur. Utinam ita constaret, quænam Caractaci uxor, quinam fratres fuissent, nam major fortè ex illis fidei messis, & illustrior esset Britannorum Ecclesia. Sed quoniam illorum nomina, tam externi authores, quàm domestici siluerunt, de illis nihil solidè dici potest. non sum tamen nescius Caractaci uxorem ab aliquibus nominari, sed admodum imperitè. Matthæus cognominato Florilegus fabulam veriùs, quàm historiam narrans, hæc habet de Caractaci conjuge, cùm Claudius adhuc in Britannia prælia-retur. *Claudius interea, inquit, viribus resociatis; Kaerperis, id est, Porcestriam viriliter oppugnans, muros diruit & cives subegit. At Arviragus (sic Caractacum ubique vocat) hostiliter insequitur jam Wintoniam ingressum. Deinde civitatem obsidens, diversis Machinamentis illam opprimere attebatur. Claudius verò valvis apertis, ad præliandum cum suis egressus est. Sed antequam acies convenissent, per internuntios, talem concordiam inierunt, quod videlicet Claudius filiam suam Arvirago maritaret, & Arviragus regnum Britanniæ à Romanis sub tributo teneret. Paruit Arviragus, & consilio suorum Cæsari subjectionem fecit. Mox Arviragus propter filiam suam misit, & interim Orcadas Insulas auxilio Arviragi, suæ potestati submisit. Emensa deinde hieme, redierunt Legati, cum filia, nomine Genuisa; & Arvirago lege maritali copulata est. At Arviragus in honorem Claudij & tantarum nuptiarum memoriam, ædificavit urbem, quæ de nomine ejus Kaerglou, id est, Civitas Claudij, & nunc Glocestria nuncupatur. Deinde Claudio Romam reverso, regimen provincialium Insularum Arvirago cessit.* Hæc omnia Westmonasteriensis.

CARACTACI FILIA CLAUDIA.

Westmo. an 44.

IV. Habeo hîc Caractaci conjugem, sed è fide Bardorum. Quis enim credet, Claudium, filiam ex Urbe in Britanniam evocasse? aut P. Ostorium vincula Imperatoris filiæ injecisse? aut Tacitum aliosque Romanarum rerum scriptores, Genuisam, si talis fuisset, tacuisse. *Liberos Claudius* (inquit Suetonius) *ex tribus uxoribus tulit. ex Urgulanilla Drusum & Claudiam. Ex Petina, Antoniam. Ex Messalina, Octaviam, & quem primò Germanicum, mox Britannicum cognominavit*, Nec aliud de Claudii liberis scitur. Nihil etiam de Caractaci fratribus legitur. nam tres tantùm Cunobelini filii ab antiquis nominantur, Adminius, Togodumnus & Caractacus. Unde quos Florilegus nominat, Guiderium & Arviragum, hos duos posteriores, nimirum Togodumnum, & Caractacum, magnis ducti conjecturis, eosdem esse putamus. Notissima tantùm est Caractaci filia, quæ hoc anno captiva Romam ducta, & à Claudio vinculis absoluta, ab eodem dicta est Claudia. Hæc illa est, quam Martialis postea, à forma, à patria, à literis commendavit. Hæc potuit ab Apostolis Romæ doceri, & Paulus ejus meminisse, scribens ad Timotheum, post annos plures à Claudiæ in Urbem adventu. *Salutant te Eubulus, & Pudens, & Linus, & Claudia.* Quæ verba, si Paulus scripsit in secundis vinculis ut S. Chrysostomus, Theophilactus, Theodoretus, & Anselmus, affirmant, paulò ante mortem, quæ in annum Christi sexagesimum nonum incidit, Claudia nostra à Petro Romæ doceri, & provectæ fidei esse potuit, cùm Timotheo per Paulum salutem misit. nec hic est ulla difficultas: Sed, fuerit ne Pudenti Senatori nupta; illi, inquam, quem Paulus nominat, docti aliquando, & adhuc dubitant: nec properè aut præcipitanter illud affirmo.

Sueton. in Claudio c. 27.

V. Audio tamen libenter, quid externi scriptores ea de re censeant. & ecce unum, qui nuper eruditè tractatum scripsit, inscripsitque. *Ecclesiæ Christianæ veteris Britannicæ incunabula Regia; sive de Claudia Ruffina, regia Virgine, eademque A. Pudentis Senatoris Romani sanctissimi sanctissima conjuge, sanctorumque parente Syntagma.* Ubi luculenter ostendit Claudiæ genus à Regibus hujus Insulæ, & inter cætera hæc habet. *Rogabis unde, eo sæculo, virgo Britannica Romæ? Certè bello Britannico, quod Claudij Imperatoris auspiciis, à Publio Ostorio Proprætore gestum Cornelius Tacitus tradit, captiva Romam advecta sit necesse est. Et quidem in Claudij ipsius Victoris præda, in cujus familiam & nomen, libertate donata, deinde transierit: & Aulo Pudenti Senatori Romano nupserit.* Plura infert, quæ non exscribo. Licèt nolim illud omittere, quod Claudiam, quatuor Sanctorum, Timothei, Novati, Pudentianæ, atque Praxedis parentem, disertè affirmet. Quod obviis ulnis amplecterer, si id cum aliorum authorum, & sacrorum dypticorum honore possem. Sed quia tenebræ sunt, in eorum parente altera, pendeo. & satis mihi Britanniæque erit Claudiam Pudenti Senatori paulò posteriùs nuptam esse: quia cum Senatoria illa domus, Christianorum hospitium, & Seminarium fuerit, spem futuræ messis, Britannis eò confluentibus, & inde Britanniam repetentibus, facit. Observavit hoc Moncæus suprà, cùm dicit. *Ab hac Pudentis domo (quæ ut primùm Apostolo Pontifici in hospitium cesserat, ita posteà fratribus in Christo undecunque, maximè verò è Britannia, religionis ergo Romam adventantibus, pro xenodochio fuit) cœpto velut incendio videtur Christianæ pietatis flamma, non solùm viminalem, in quo sita ea erat, verum etiam totas vicinas Esquilias, aut certè nobiliores montis utriusque domos pervagata.*

Moncæus Atrebas. in Syntagma.

Moncæus ing.

VI. Hæc ideo à me allata sunt, non ut Claudiam asseram fidem Britanniæ porrexisse, quod admodum cupit Parkerus: sed ut inferam Britannos plures, vel ipsam, vel Caractacum Regem comitantes, Fidem Christi in eadem schola didicisse, qui non solùm in Britanniam, sed in alias etiam provincias eandem fidem propagare poterant, ut suprà de Mansueto, & Beato, diximus. Sed instat Parkerus, & neminem vult Claudia priorem, in seminandâ fide: *Claudiam*, inquit, *ad fidem conversam, non minus est verosimile Christiana dogmata ad Britannos misisse suos, quàm ante acceptam Fidem, epigrammata Martialis.* Ita ille quasi Claudia primùm Martiali, deinde Christo studuerit. Apagè ergo prophanam vocem, spurcissima carmina, cum fide componentem. Missa quidem sunt in Britanniam Martialis carmina, paulò pòst, juxta illud ejusdem poëtæ

BRITANNI PLURES ROMÆ HOC TEMPORE.

Antiquit. Britan.

Dicitur & nostros cantare Britannia versus.

Martialis

Sed absurdum est inde colligere Claudiam, Britannam fœminam, & in Viminali Apostolorum discipulam, nugas illas in patriam misisse quas Pudens reprehenderat, & poëtam propterea castigaverat: ut innuit ipse Martialis eo carmine.

Cogis me calamo, manuq; nostra
Emendare meos, Pudens, libellos.
O quàm me nimium probas amasq;

Mart. l. 7. Epi. 10.

Qui

Qui vix archetypas habere nugas.

Maneat ergo Romæ tacens Claudia: quia si Pauli discipula, quod avidè arripiunt Sectarii, audiverit illum docentem. *Mulieres in Ecclesiis taceant, non enim permittitur illis loqui, sed subditas esse, sicut lex docet.* & iterum: *Docere autem mulieri non permitto.* Maneat, inquam, illa, & mittantur in Britanniam viri: veniat demum suo tempore Apostolorum Princeps Petrus: quia si loquatur nobis fœmina, licèt fuerit Maria Magdalene, aut Joanna, aut Maria Jacobi, quid putans futurum? persuadebunt fortè? *Visa sunt*, inquit, Lucas, *sicut deliramentum verba, & non crediderunt illis.* Ita nimirum firmiorem sedem manet illa provincia prædicandi Evangelium. Et ego longè melioribus conjecturis manuducam Petrum in Britanniam, quàm alii Epigrammata Martialis transmissa per fœminam. nam Petrus potest, & quidni debet, commissum sibi gregem, ad extremum usque terræ visitare.

1. Corin. 14

VII. Ad Caractacum redeo Romæ captivum, parentem Claudiæ: quem Claudius libertati, & regno etiam restituisse videtur, quia post plures annos in Britannia moritur, nullâ, quod sciatur, re gestâ illustris. nam Romanorum jugum non solùm patienter tulit: sed Romam deinceps, & Imperium illud amavit. Unde illum sine dubio Florilegus intellexit, cùm dixit, ad annum Christi quinquagesimum secundum. *Cœpit deinde Arviragus senatum diligere, tantamque largitatem & probitatem habere, ut per totam Europam, ipsius fama divulgaretur.* Itus in urbem, reditusque in patriam, & sparsa per Europam ejus facinora, nomen illi laudemque conciliaverant, adeo ut Juvenalis postea de illustri Principe locuturus, de Domitiano dixerit.

Westmon. an. 52.

Omen habes magni clariq; triumphi
Regem aliquem capies, aut de temone Britanno
Excidet Arviragus.

Juv. l. 2. Sat. 4.

Cum Caractaco etiam in Britanniam redierunt, quos Tacitus fratres vocavit. quorum unus fortè Cogidunus dicebatur: de quo idem Tacitus in vita Agricolæ, ubi Romanorum gesta in Britannia compendio relegens, hæc habet. *Consularium primus Aulus Plautius præpositus, ac subinde Ostorius Scapula, uterque bello egregius: redactaque paulatim in formam provinciæ proxima pars Britanniæ. Addita etiam veteranorum Colonia. Quædam civitates Cogiduno Regi donatæ. Is ad nostram usque memoriam fidissimus mansit, vetere, ac jam pridem recepta populi Romani consuetudine, ut haberet instrumenta servitutis & Reges.*

Tacit. in Agric.

VIII. E quibus verbis colligo duo, primùm, Caractacum videri regno suo, Britanniæq; restitutum: licèt enim Silures iterum surrexerint in Romanum militem ut infrà: id tamen, vel absente eo factum, cùm Romæ esset: vel si reverso, cum Romanis in Insula conjuncto, nec volente apud Silures, quos Claudius oderat, regnare. Aliud elicio è Taciti sententia: nimirum non omnem Britanniam, sed australem tantùm Insulæ partem, à Romanis domitam, redactamque in formam provinciæ. poëtarum ergo licentiâ dictum est de Claudio:

CARACTACUS REGNO RESTITUITUR.

NON OMNIS BRITANNIA A ROMANIS DOMITA.

Ille Britannos
Ultra nota
Littora ponti
Et cæruleos
Scuta Brigantes
Dare Romuleis
Colla catenis
Jussit, & ipsum
Nova Romanæ
Jura securis
Tremere Oceanum

Seneca.

Ægesippus etiam quasi tota Britannia Romani potirentur ita loquitur. *Testis est Britannia extra orbem posita, Romanorum virtute in orbem redacta: quos ætas superior ignoravit, didicit Romanorum victoria: serviunt & ipsi, qui quid esset servire ignorabant. soli sibi nati, & semper sibi liberi, qui à superiorum potentia, interfuso Oceano secreti, metuere non poterant quos nesciebant.* Hinc nata opinio Claudium etiam Orcadas Romano Imperio adjecisse. Ita Orosius: unde & Beda sumpsit, quod L. de sex ætatibus, & in historia expressit in hunc modum. *Claudius Imperator ab Augusto quartus, cupiens se utilem Resp. ostentare Principem, bellum ubique & victoriam undecumque quæsivit. Itaque expeditionem in Britanniam movit: quæ excitata in tumultum propter non redditos transfugas videbatur. Transvectus in Insulam est, quam neque ante Julium Cæsarem, neque post eum quisquam adire ausus fuerat: ibiq; sine ullo prælio ac sanguine, intra paucissimos dies, plurimam Insulæ partem in deditionem recepit. Orcadas etiam Insulas, ultra Britanniam in Oceano positas, Romano subjecit Imperio.* Ita ex Orosio Beda. Uterq; ex Eusebio hoc refert, qui in Chronico ita loquitur. *Claudius de Britannis triumphavit, & Orcadas Insulas Romano adjecit Imperio.*

Ægesf. apud Camd.

Orosius l. 7. c. 6. Beda de 6 ætat. ad annum mundi 4007. & l. 1. c. 3. histo.

IX. Negant hoc authores nostri, & Camdenus ita Lectorem suum monet. *Ne credas*, inquit, *Eusebio, ejusque sectatoribus, qui Claudium Orcadas Insulas in suam potestatem redegisse falsò scriptitant.* Et sanè, Dioni, Tacito, Suetonio, qui Claudii trophæa numerantes, de Insulis nihil dixerunt, credendum potiùs. Et Tacito suprà, per Plautium & Ostorium affirmanti, solùm proximam Britanniæ partem, in provinciæ formam redactam: Unde satis insinuat remotissimam Britanniæ oram intactam fuisse. Quin etiam idem author, cum Agricolæ labores & itinera commemorat, & commendat, Orcadas Insulas, omni Claudij Imperatoris tempore, incognitas fuisse scribit. *Hanc oram*, inquit, *novissimi maris, tunc primùm (nimirum Vespasiani Imp. tempore, qui Agricolam in Britanniam miserat) Romana classis circumvecta, Insulam esse Britanniam affirmavit. ac simul incognitas ad id tempus Insulas, quas Orcadas vocant, invenit, domuitque.* Incognitas vocat Romano militi, quia necdum Imperio accesserant Orcades: Cæterùm Pomponio Melæ, qui tunc vivebat, notæ erant: & earum apud eum mentio. Addo Juvenalem poëtam, qui sub Hadriano Imperatore scribens, tunc primùm Orcades à Romanis captas innuit eo versu.

ORCADES INSULÆ A ROMANIS INTACTÆ. Camden. in Rom. in Britan.

Tacit. in Agric.

Arma quid ultra
Littora Juvernæ promovimus, & modò captas
Orcades, & minima contentos nocte Britannos?

Juvenalis.

X. Cæterùm nullo meliùs argumento probatur, non omnem Britanniam, sed proximam solùm Romanis Insulæ partem, à Claudio & Ostorio domitam esse, quàm Britannorum ubique motibus: qui à Romano milite, injuriis pulsati, illi etiã quos domuerant frequẽtes turbas cierunt: aliàs fortè quieturi. nam benè de Incolis observat Tacitus: *Ipsi Britanni*, inquit, *delectum, ac tributa, & injuncta Imperij munera impigrè obeunt, si injuriæ absint: has ægrè tolerant, jam domiti ut pareant, non ut serviant.* Ita hoc anno Silures quantumvis priùs domiti, animos tamen & arma in Romanos resumentes, Ostorium nuper triumphalibus insignibus ornatum, in

Tacit. in Agric.

Principis sui contumeliam, non tulerunt. Remanserat ille in Britannia, & silurum provinciæ imminens, præsidia ad eos coercendos per opportuna loca collocaret. Hoc Silures servitutem interpretati, & ægrè ferentes, Romanum militem vexaverunt. Dicat hoc Tacitus in Annalibus.

Tacit. l. 12. Annal. *Censentur, inquit, Ostorio triumphi insignia, prosperis ad id rebus ejus, mox ambiguis, sive quod amoto Caractaco, quasi debellatum foret, minus intenta apud nos militia fuit: sive hostes miseratione tanti Regis, acriùs ad ultionem exarsere. Præfectum castrorum, & legionarias cohortes, extruendis apud Siluras præsidiis relictas, circumfundunt. At ni citò vicis & castellis proximis subventum foret; copiæ tunc occidione occubuissent. Præfectus tamen, & octo Centuriones, ac promptissimus quisq; manipulus, occidere. Nec multo post, pabulantes nostros, ipsasq; missas ad subsidium turmas, profligant. Tum Ostorius cohortes expeditas opposuit: nec ideò fugam sistebat, ni Legiones prælium excepissent. Earum robore æquata pugna: dein nobis pro meliore fuit. Effugere hostes tenui damno; quia inclinabat dies. Crebra hinc prælia, & sæpius in modum latrocinij, per saltus, per paludes, ut cuique sors, aut virtus, temere provisa: ob iram, ob prædam, jussu, & aliquando ignaris ducibus. Ac præcipua Silurum pervicacia, quos accendebat vulgata Romani Imperatoris vox. Ut quondam Sugambri excisi, & in Gallias trajecti forent: ita Silurum nomen penitus extinguendum. Igitur duas auxiliarias cohortes, avaritia præfectorum incautiùs populantes, intercepere: spoliaq; & captivos largiendo; cæteras quoq; nationes ad defectionem trahebant.* Hactenus ille.

IX. Tacit. 2. Quod ad rationem temporis spectat: licèt hæc omnia Tacitus, ad Antistii & Suilii consulatum referat: fatetur tamen inferiùs, ea pluribus annis gesta; ideoque illa conjunxisse; *ne divisa, perinde ad memoriam sui valerent.* Ego in duos annos distinxi: tum qoia res ipsa petebat: tum quia fidelissimi Fasti, post Malmesburiensem collecti, eodem modo distinguentes, notant ad hunc annum Christi quinquagesimum tertium: *Prælia quædam dubio eventu gesta ab Ostorio.* Et sine dubio intelligunt suprà dicta. Porrò quod in Tacito sequitur, de morte Ostorii, de suffectione Auli Didii in locum ejus, de Manlii Valentis cum Siluribus congressu; necessariò in sequentes annos referends sunt, ut etiam Fasti illa retulerunt.

Fasti hic.

ANNUS CHRISTI 54.

PETRI 10.


CARACTACI REGIS 10.

CLAUDII IMP. 12.

I. AN. V. C. 805. QUINQUAGESIMUS quartus Christi annus, Consules habuit Faustum Syllam, & Salvium Othonem, quo tempore Claudius duodecimum Imperii annum auspicatus; ob dubia licet prælia, & aliquando atiam infeliciter gesta, decimum octavum appellatus est Imperator: milite suum & Claudii decus efferente. Tunc etiam Colonia, quæ Camaloduni sederat, & vario oomine victoriam designante audiebat, etiam Augustæ appellationem accepit: quæ omnia cuso nummo, quem exhibeo indicantur, & ecce illum.

COLONIA (MALODUNI AUGUSTA APPELLATUR.

Num. apud Camd. inter Romanos, 4.





II. NUMMUS EXPONITUR. Ex Claudii tribunitia potestate XII. colligo percussum boc anno nummum: cùm ille duodecimum in Imperio annum ageret. oam tribunitiæ potestaos numerus, gesti tot annos Imperii argumentum est. Quod in aversa parte cernitur, coloous, Gabino ritu succinctus, aratrum ducens; morem notat Romanorum, Coloniam designantium. Ubi etiam AUG. oovum Coloniæ cognomentum significat. Hinc crevit Romani militis animus, & elatus est adeo, ut magno fastu passim in Britannia erexerit Victoriarum trophæa, aliqua ambitiosæ mentis monumenta, & quasi nullus hostis superesset, scripserunt illa Æternitati, quo rudem populum percelleret Romani Imperatoris reverentia. Hanc ob causam templum Claudio statuunt, & inibi, *aram æternæ Dominationis* inscribunt: electi etiam Sacerdotes, dictiq; Augustares, qui spe religionis, Britannorum pecunias effundebant. Consecratum denique Victoriæ simulacrum: & miles, qui in Coloniam mittebatur, Britanniæ Domitor nuncupatus. Ad Romanorum idola, Britannorum aliquos, quà metu, quà religione ductos procubuisse, oec dissimulare volo, nec possim. Imò adeo itum in superstitionem, ut ipsum Claudium pro oumine adorarint. Hanc labem Insulæ Seneca propalavit, cum in Claudium ludens, ioter cætera scripsit. *Quod in cubiculo suo (Claudius) faciat nescio, etiam cæli scrutatur plagas, Deus fieri vult, parum est, quod templum in Britannia habet, quod nunc barbari colunt, & ut Deum orant.* Civitatem etiam in Britannia, Britannos io honorem ejus ædificasse multi putaverunt. Quod si verum; illi non erraverunt, qui Glocestrian in Dobunis urbem Claudiocestriam appellarunt, quò inclinat Malmesburiensis Monachus, ita scribens: *Gloncestria est civitas super flumen Sabrina posita: putatur ejus à Claudio nominata; qui secundus Romanorum Imperatorum, post Julium Cæsarem, Britanniam adyt, denique Britannicè vocabatur Airchalu. meminit quoque Seneca, libro de mortè Claudij, Barbaros in Britannia, eum pro Deo colere, & in honorem ipsius civitatem ædificare.* Hæc Malmesburien.

TEMPLUM CLAUDIO ERIGITUR.

Senec. de mor. Claudii.

Malmesf. de pont. l. 4 fo. 28.

III. ARA NON FUIT ÆTERNA. Cæterùm quod ad templum attinet, & Aram æternæ Dominationis, egregiè falsus est, qui illam inscripsit. oam paucos tantùm annos stetit, eversa est etiam Colonia Vitricensis, Idola corruerunt, & Romanus miles, Domitor Britanniæ, à fœmina profligatus. Sed hæc paulò posteriùs. Hoc ipso etiam anno, quantumvis sibi in Trinobantibus, & fortunæ suæ, Roma applauderet: alibi tamen, illis in hac Insula cessit infeliciter, nam Manlius Valens, Legioque ejus, cum Siluribus pugnans, insignem cladem accepit, quàm Romanus scriptor paucis transit, & ea solùm effert, quæ Insulam premuot. Enimverò pugnacissims gens Silurum, comperta Ostorii Proprætoris morte, externi militis jugum exuere festinabant; & sanè exoissent, nisi novi Legati adventus spem elusisset. Quod factum anno

sequen-

sequenti. Nec enim Ostorii mors Romæ innotescere, & successoris electio, protectioque citiùs expediri poterant. Igitur Aulus Didius, quem Claudius hoc anno Ostorii successorem dixit, nonnisi sequenti anno in Britanniam appulsus, Silurum animos motusque composuit.

ANNUS URBIS CONDITÆ 806.
ANNUS CHRISTI 55.
PETRI 11.
CARACTACI REGIS 11.
CLAUDII IMP. 13.

Aulus Didius Proprætor.

D. Junius, & Quintus Haterius Consules fuerunt, anno Christi quinquagesimo quinto: quando Aulus Didius, Britanniæ Proprætor in Insulam appulit: restituturus ibi Romanam Remp. Silurum insolentia periclitantem. nam illi paulo antea, Manlii Legionem, & Romanorum præsidia, civibus incubantem fregerant, teste Tacito ita scribente. *Cæsar cognita morte Legati, ne provincia sine Rectore foret, A. Didium suffecit. Is properè vectus, non tamen integras res invenit, adversa interim Legionis pugna, cui Manlius Valens præerat, auctaq; & apud hostes, ejus rei fama, quò venientem exterrerent. Atque illo augente audita, ut major laus compositis; vel si duravissent, venia justior tribueretur. Silures id quoque damnum intulerant, lateq; persultabant, donec accursu Didii pellerentur.* (Tacit. l. 12. An.) Hæc Tacitus. Sed majus è Septentrione malum, & insolentior motus Romanos exercuit. cum Britanni inter se digladiantes, diuturni odii seminarium fuerunt. de quo anno sequenti.

ANNUS URBIS CONDITÆ 807.
ANNUS CHRISTI 56.
PETRI 12.
CARACTACI REGIS 12.
CLAUDII IMP. 14.

I. Venutius in Romanos insurgit.

SEQUITUR Christi annus quinquagesimus sextus, creatis tunc Consulibus Marco Asinio, & Marco Acilio. Tunc motus in Septentrione fuerunt, ubi maritus & uxor inter se dissidentes, traxerunt alios in partes suas, & dum singuli pugnant, universi vincuntur: Romanoque militi aperitur campus proferendi imperii. Rem ita narrat Tacitus. (Tacit. supr.) *Post captum Caractacum, præcipuus scientia rei militaris Venutius, è Brigantum civitate, fidusq; diu, & Romanis armis defensus, cum Cartismanduam Reginam matrimonio teneret; mox dissidio, & statim bello, etiam adversus nos hostilia induerat. Sed primò tantum inter ipsos certabatur, callidisq; Cartismandua artibus, fratrem ac propinquos Venutii intercepit. Inde accensi hostes, stimulante ignominia, ne fœminæ imperio subderentur; valida, & lecta armis juventus, regnum ejus invadunt Quod nobis prævisum, & missa auxilio cohortes, acre bellum fecere: cujus initio ambiguo, finis lætior fuit.* Nec plura ibi refert author de civili discordia: & tacet dissidii causam; alibi tamen libro tertio historiarum illam aperit in hunc modum.

II.

Romanorum discordia & crebris belli civilis rumoribus, Britanni sustulere animos, authore Venusio; qui super insitam ferociam, & Romani nominis odium, propriis in Cartismanduam Reginam stimulis accendebatur† Cartismandua Brigantibus imperitabat, pollens nobilitate, & auxerat potentiam, postquam capto per dolum Rege Caractaco, instruxisse triumphum Claudii Cæsaris videbatur. Inde opes, & rerum secundarum luxus Spreto Venusio; is fuit maritus; armigerum ejus Vellocatum, in matrimonium, regnumq; accepit. Concussa statim flagitio domus. Pro marito, studia civitatis; pro adultero libido Reginæ & sævitia. Igitur Venusius, accitis auxiliis, simul ipsorum Brigantum defectione, in extremum discrimen Cartismanduam adduxit. Tum petita à Romanis præsidia & cohortes alæq; nostra, variis præliis, exemere tamen periculo Reginam. Regnum Venusio, bellum nobis relictum. (Tacit. l. 3. histor. — Origo tumultuum. — †Cartismanduæ Reginæ nequitia.) Ita Tacitus, unde colligo, plurium annorum hoc dissidium fuisse. nam si hoc anno quinquagesimo sexto cæptum, durasse videtur, ad Vitellii Imperatoris tempora, & annum Christi septuagesimum primum: quo cum eodem hoc Authore hæc ipsa repeto.

III. Moritur Claudius Imperator.

Dum Didius Silurum motus componit; & *ambiguo initio*, in Venusium & Brigantes pugnat; moritur dolo Agrippinæ conjugis Claudius Imperator, vir rerum gestarum famâ, quàm gloria illustrior. Britanniam domuisse, satis illi ad laudem fuit. nec aliud egit memoria dignum. Seneca mortem ejus luget simul ridetque illis anapæstis, quos suprà posui: (V. an. 53. 8. Seneca in mort. Claud.) & nunc vacat illos excutere; & quærere, Cur *Brigantes* vocaverit, vel *cute*, vel *scuto* cæruleos nam ridenda illa crisis, & lectio *Scoto Brigantes*: quam nescio qui ad probandam Scotorum antiquitatem emendicant. Dico igitur Brigantes dici *cute cæruleos*, ad reliquorum Britannorum discrimen, qui dudum, quà Romanorum commercio, quà civilis vitæ studio, avitum morem exuerant pingendi corpora: nam Britannos omnes eo modo fecisse, in confessu est; & ipsum gentilitium nomen, ut aliqui volunt, idipsum innuit. nam Brith olim omne pictum, & coloratum dicebatur. (Unde Britanniæ appellatio?) Cæterum inter colores, ille Britannis magis familiaris erat, qui ad cæruleum accedebat propiùs. & inde passim ab authoribus *Britanni cærulei* nominantur, quemadmodum Claudiam, à Cæruleis Britannis editam, supra dixit Martialis. Nec omittendum quod habet Cæsar de modo, & causa pingendi. *Omnes Britanni* (inquit) *se vitro inficiunt, quod cæruleum efficit colorem: atque hoc horribiliore sunt in pugna aspectu.* (Cæsar de bello Gallico l. 5.)

IV.

Verùm quod Cæsar Vitrum appellat, Pomponius Mela, aliique Glastum dixerunt. Erat autem herba tingendis cæruleo colore vestibus opportuna, quæ alio nomine Isatis dicta. Porro pingendi mos, tunc inter Britannos desiit, cum ad civilem vivendi rationem, Romanorum societate traduci cæperunt, præsertim in Oriente Insulæ. nam Brigantes, & qui ad Septentrionem populi; ut duriores ad Romanum jugum induendum; ita barbaris moribus addictiores fuerunt. Hinc illis, cum longiùs in Septentrionem pellerentur, & muro à Romana provincia distingui inciperent, mansit, cum illa barbarie, Pictorum nomen. (Pictorum origo.) De quibus * infra frequens mentio. (*V. an. 210. 3.) Hic solum observo Pictorum originem, non è Thracia, non è Germania, nec è Scythia, ut aliqui putaverunt, sed ab hac ipsa Insula meliùs, propiusque petendam: nunc exolevit hic pingendi mos in omni Britannia. Forte migravit aliò,

in ſexum, ô pudor! alterum: fæminas dico, quæ vultus elegantiam fuco mentientes, poſſunt cum noſtris olim barbaris componi, dicique Pictarum natio: in eo à noſtratibus pictis diverſæ, quòd illi draconum ſerpentumque formidandas ſpecies corpori imprimebant, ad terrorem hoſtium ut ſupra dixit Cæſar: hæ contra, ſe ad luxum libidinemque proſtituunt, ut blandiùs fallant, feriantque. Quicquid ſit, Claudius in Britannorum triumpho felix, in conjuge infelix fuit. Unde mortuum poëta ſic deplorat:

Senec. in Octavia.

En qui Britannis primus impoſuit jugum:
Ignotá tantis claſſibus texit freta,
Interq́; gentes barbaras tutus fuit,
Et ſæva maria: conjugis ſcelere occidit.

V. Nero Imperator.

Elato Claudio, ſucceſſit Nero, Agrippinæ filius, Senatuſconſulto, & rogatione populi, adoptatus antea in familiam Claudiam: cum Claudii filiam, Octaviam, uxorem accepiſſet. Britannicus quidem ſupererat ex altera conjuge, Claudii filius. Sed dolo Agrippinæ antepoſitus eſt filio privignus: & monſtro ceſſit natura, obſtetrice fæminâ. Nero Imperii exordia implevit ſpe bonæ frugis: & modeſtè aliquamdiu habenas continuit, Judæis favens: poſtmodum laxavit illas ad omne flagitium. Quod Deus in bonum vertit. Cum enim Britannicum, jure ad imperium potiorem, è medio ſuſtuliſſet, & pergeret porro in optimos ſævire: Apoſtolorum Princeps Petrus, qui prius Orientem luſtraverat, hac occaſione uſus, in ultimum Occidentem deſcendit, implevitque vaticinium illud, quod neceſſum erat impleri: *In omnem terram exivit ſonus eorum: & in fines orbis terræ verba eorum*: quod nunc accuratiùs exponendum: ſervata ubique annorum ſerie.

Prima Perſecutio, ſub Nerone. — *Pſal. 18.*

ANNUS URBIS CONDITÆ 808.
ANNUS CHRISTI 57.
PETRI 13.
CARACTACI REGIS 13.
NERONIS IMP. 1.

Romani Britannos premunt.

ANNO qui ſequitur quinquageſimo ſeptimo, conſulatum inierunt Claudius Nero, & Lucius Antiſtius: quando Legio Romanorum, quæ Britanniam frænabat, vario eventu in provinciales pugnavit. nam Aulus Didius Proprætor, *ſenectute* gravis, *& multâ copiâ honorum* (ſunt verba Taciti) *per miniſtros agere, & hoſtem arcere ſatis habebat*: tum addit id, quod ſupra adduxi pro firmanda ratione temporis. nam author, omnia quæ Britanniam ſpectabant, in unius anni anguſtias congeſſerat; nimirum ad annum U. C. octingenteſimum tertium: quando M. Antiſtius, & M. Suillius Conſules fuerunt: ait ergo: *Hæc quanquam à duobus Oſtorio. Didioq́; Proprætoribus plures per annos geſta conjunxi, ne diviſa perinde ad memoriam ſui valerent.* Ego faſtos noſtros ſequutus, reſtitui ſingula ſuis locis; & hunc ſub Naſica motum ad hunc annum repoſui. ſequentur meliora: & ſtatim in Britanniam veniet, qui Britannorum mores menteſque, ſine ſtrepitu, componet.

Tacitus Ann. l. 12. — *Tacit l. 12. Annal.*

ANNUS URBIS CONDITÆ 809.
ANNUS CHRISTI 58.
PETRI 14.
CARACTACI REGIS 14.
NERONIS IMP. 2.

I.

Petrus in Britanniam penetravit: et quando? — Baron. hic.

CHRISTI annus quinquageſimus octavus Conſules habuit Quintum Voluſium & Cornelium Scipionem. Quo tempore, Romam, Neronis ſcelere quaſi peſte afflatam B. Petrus Apoſtolorum Princeps reliquit, & porro in Occidentem deſcendit: qui non uni Urbi, ſed Orbi Univerſo à Chriſto præfectus fuerat. Et hac mente Petrus in Britanniam etiam penetravit. de tempore, & anno nunc quærendum. Itaque Baronius ad hunc Chriſti annum hæc habet. *Petri muneris erat, ut qui jam complures Orientis provincias prædicando Evangelium peragraſſet: jam quod reliquum eſſe videbatur, luſtraret orbem Occidentalem: & uſque ad Britannos, quod tradunt Metaphraſtes & alii, Chriſti fidem annuntians penetraret.* Sanè, ſi Chriſti vocem attendimus dantis Petro, paſcendi gregis curam; ſi Petri ſenſum expendimus dicentis. *Elegit Deus per os meum, audire gentes verbum Evangelii & credere.* Si ejuſdem Petri itinera legimus, & diuturnam ab Urbe abſentiam. nemo jure mirari poterit, ſi Petrum in Britanniam uſque profectum dixero. Clemens Romanus Pontifex, in Epiſtola prima, dicit Chriſtum juſſiſſe Petrum *obſcuriorem Occidentis plagam illuminare.* Quod ſi verum, Britanniam intellexiſſe, & Petrum paruiſſe, par eſt credere. Ceterùm veniſſe eum Hieroſolymis Romam, & inde in Britanniam, ibique exercuiſſe quæ ſunt primi Paſtoris, teſtatur his verbis Metaphraſtes: *Petrus Romam redit, ex qua venit Mediolanum, & Photicen. quæ ſunt civitates in continente. In quibus cum conſtituiſſet Epiſcopos & Presbyteros, venit in Britanniam. Quo in loco, cum longo tempore fuiſſet moratus, & multas gentes non nominatas attraxiſſet ad fidem Chriſti, Angelicam aſpexit viſionem, quæ dicebat. Petre, inſtat tempus tuæ reſolutionis: & oportet te ire Romam: in qua, cum mortem per crucem ſuſtinueris, recipies mercedem juſtitiæ. Cum ergo propterea Deum glorificaſſet, & egiſſet gratias, & apud Britannos manſiſſet dies aliquot, & verbo gratiæ multos illuminaſſet, & Eccleſias conſtituiſſet, Epiſcopoſq́; & Presbyteros, & Diaconos ordinaſſet, duodecimo anno Cæſaris Neronis, rurſus Romam revertitur.* Hæc omnia Græcus author ante annos octingentos. Et cur non fidem merebuntur?

Actor. 15. — *Clem. Epiſtola 1.* — *Metaphr. 29. Iunii.*

II.

Petri expeditio expenditur.

Verùm acriore indagine neceſſum eſt hanc Petri expeditionem exponere, & firmare tempus, annum, circumſtantias itineris, ſocioſque profectionis: quia rebellis nunc Inſula, Petrum conatur excludere, quam infidelis olim reverenter exceperat. Igitur cum Nero, in fratrem Britannicum peccaviſſet, & Chriſti fidem cepiſſet perſequi; Petrus opportunitate uſus in Occidentem deſcendit; & difficilem provinciam, quantumvis ab Urbe remotam (quod verè Apoſtolicum eſt) per ſe inviſere, & barbaram licet gentem, Chriſtianâ doctrinâ polire, ſui muneris eſſe putavit, ne latiùs Cæſarum avaritia, cupiditas, ambitioque, quàm Romanis Pontificis, primique Paſtoris cura vagaretur. Et ſanè qui vim Spiritus Sancti, ejuſque primitias, ignemque ſacrum qui

in

in Peotecoſte deſcenderat in Apoſtolos, ritè perpenderit; nullo negotio cenſebit, Petrum qui plus cæteris amavit, ideoq́ue paſcendi gregis præfecturam accepit; plus etiam cæteris laboraſſe. Nec magnum putabit, aut fidem ſuperare, Petrum ab Oriente in extremum Occidentem deſcendiſſe: cum viderit ætas noſtra, à Petri ſede legatum Xaverium ab Occidente noſtro, in remotiſſimum Orientem, ad populum barbarum ad gentes efferas, per infinita terrâ mariq́ue pericula penetraſſe. de quo ſtatim. ut verè dicere liceat, *Chriſti caritas urgebat* utrumque

III. Quando venit in Britanniam.

Quod ad annum ſpectat profectionis Petri in Britanniam, major eſt difficultas. Licet enim cum Baronio putem, eum hoc anno Româ diſceſſiſſe, luſtraſſeq́ue Italiam, iterq́ue in Britanniam deſtinaſſe; non eſt tamen veroſimile, eodem anno illuc appulſum. Sic enim Italiam, Germanias, Gallias, magna myſtici corporis membra minùs animaſſet: & par erat Caput in viciniora priùs, quàm remotiora influere. Quod igitur aliqui dicunt Petrum in Britanniam veniſſe, eo anno, quo Paulus ad Romanos ſcripſit Epiſtolam, nimirum Chriſti quinquageſimo octavo, ad hunc ſenſum trahi debent: Petrum cum Urbe diſceſſit, Linumq́uo ſuo loco fidelibus præfecit, conſilium profectionis ſuſcepiſſe uſque ad extremum Occidentis, & ut à Romano milite nuper dictum, in alium orbem. Sic intelligo doctiſſimum Paulinarum Epiſtolarum interpretem Cornelium à Lapide, qui in argumento Epiſtolæ ad Romanos hæc habet. *Scripta eſt hæc Epiſtola, cum jam S. Petrus juſſu Claudii Româ abiiſſet in Britanniam. Tunc nimirum Paulus, Romanos paſtore deſtitutos, & inter ſe de quæſtionibus tumultuantes confirmavit, docuit, & in concordiam redegit. Unde mirum non eſt, quod Paulus hac Epiſtola Petrum, utpote Roma abſentem, non ſalutet.* Hoc conſilium profectionis Petri in Britanniam, adeò omnibus innotuit, ut Paulus ejus fortè meminerit, in dicta Epiſtola. Quorſum enim poſt laudatam Romanorum fidem, quòd annuntiaretur in univerſo Orbe, conſtanter dicit impletum quod olim promiſſum: *In omnem terram exivit ſonus eorum: & in fines Orbis terræ verba eorum.* Quæ verba cum multi explicent, *in omnem terram, Romanis*, ſcilicèt, *ſubjectam*: conſtetq́ue è dictis, auſtralem ſaltem Britanniæ partem, à Romanis in provinciæ formam nuper redactam; & è Romanorum dialecto, Inſulam cenſeri, *fines Orbis terræ*: juxta illud Horatii

Cor. à Lapide in argumen. Epiſtolæ ad Romanos.

Serves iturum Cæſarem, in ultimos
Orbis Britannos.

Horat. l. 1. Carm. ode 35.

Quorſum, inquam, hæc? niſi certò conſtitiſſet Petrum Roma diſcedentem, Britanniam cogitaſſe. Cæterum quando eò pervenerit jam dicendum. nam ex Urbe non ſtatim in Britanniam itur, cum regna aliquot, provinciæ plurimæ, & maria etiam ſuperanda ſint.

ANNUS URBIS CONDITÆ 810.
ANNUS CHRISTI 59.
PETRI 15.
CARACTACI REGIS 15.
NERONIS IMP. 3.

ANnus ſequens quinquageſimus nonus Conſules habuit, Neronem iterum, & Calphurnium Piſonem: cum Paulus in Urbem venit, invenitq́ue abſentem Petrum, & fundantem Eccleſias in Occidente. Quò tamen, hoc anno iverit; hoc eſt, an Alpes verſus, an in Africam, præcipiti conjectura aſſequi nequeo, nedum definire. Licet eò etiam Petrum aliquando perrexiſſe non dubitem, cum Magnus Gregorius ad Epiſcopos Numidiæ ſcribens, eos ab Apoſtolo Petro accepiſſe ordinationum initia teſtetur. Quò ſine dubio reſpexit Tertullianus, cum Romam nominans dixit: *Unde quoque nobis authoritas eſt.* Quando tamen eò iverit, hoc anno, priùs, an poſterius, dubium eſſe poteſt. Sed quia Metaphraſtes affirmat, ipſum ex Africa Romam, & Româ Mediolanum conceſſiſſe; veroſimilius, eum hoc anno, tranſitis Alpibus in Germania hæſiſſe, indeq́ue ſequenti anno in Britanniam trajeciſſe.

Tertull. de Præſcr. c. 36.

ANNUS URBIS CONDITÆ 811.
ANNUS CHRISTI 60.
PETRI 16.
CARACTACI REGIS 16.
NERONIS IMP. 4.

I. Petrus hoc anno in Britanniam venit.

ANnus Chriſti ſexageſimus, Nerone Imperatore tertiùm, & Valerio Meſſalla Coſs. fuit adventu Petri, Britanniæ feliciſſimus. Supra vidimus Latinis, Græcisq́ue, externis teſtibus, ipſum Britanniæ præſentiam ſuam indulſiſſe: reſtat dicendum quo modo, qoo comite, in Inſulam deſcenderit, quid ibi rerum egerit, Deo fidus Apoſtolus, & dæmoni terribilis. Et ſanè qui res Romanorum in Britannia geſtas inſpexerit, deductas eò colonias, miſſas cohortes, ſubmiſſa auxilia, Legiones plures, multum militem, Legatos illuc miſſos, & amotos, ſuffectosq́ue illis alios: facilè Petro trajiciendi opportunitatem inveniet hoc omni tempore. nam ut mittam cætera: hoc ipſo anno ſexageſimo: cum Didius Gallus, *parta à prioribus continuiſſet*, loquitur Tacitus, *paucis* aliquot caſtellis in ulteriora promotis, per quæ fama aucti officii *quæreretur*, munere functus eſt; neſcio an vita. nam addit author: *Didium Verannius excepit. Isq́, intra annum extinctus eſt.* Hunc annum fuiſſe Chriſti ſexageſimum affirmant Faſti, & Verannio ſtatim ſucceſſit Suetonius Paulinus. Hæc nimirum navigandi, trajiciendiq́ue opportunitas, Petrum in Britanniam, ſanctioribus ſine dubio armis pugnaturum, traxit. Jam verò ſi Romanas Legiones, quæ in Inſula fuerunt Veranii tempore, contempleris, vix erit dubium, potuiſſe Petrum, multo comite ad illas deſcendere. Erant tunc omnino Legiones quatuor. Legio ſecunda, cui præerat Veſpaſianus, & poſt eum Pænius Poſthumius. Nona, cui Pætus Cerealis. Quarta-decima, quæ Martia, Victrix, & Auguſta. denique Vigeſima, quæ & Britannica Valens, quibus alii præfuerunt. Hoc vicarium quotidianumq́ue commercium qui conſiderat; & Petrum in vicino litore laborantem: facilè deducet, Petrum potuiſſe & voluiſſe iterum laxare retia ſua ad capturam: & eò Chriſtum proferre, quò Romanus Miles protulerat Aquilas.

Tacit. in Agric.

Verannius Proprætor Didio ſuccedit.

Legiones quatuor in Britannia.

II. Petri adventus in Britanniam firmatur.

Quod si divini consilii rationes ingredimur, æternas illas & humanæ salutis reparatrices: ideo Deus permisit Urbi Orbis imperium, misitque eò Vicarium suum, ut Christi nomen, cum Cæsarum & Romani populi majestate, universum mundum pervaderet. Quemadmodum nuper, hujus rei simulacrum aliquod ætas nostra devotissimè spectavit, cum remotissimum Orientem novæ Aquilæ penetrarunt. Enimvero potentissimi Hispaniarum Reges, Indias, & alium ultra Indum orbem invenerunt, viceruntque. Cur id voluit Deus? nimirum ut eo instrumento, Christi nomen in illis mundi finibus, quorum ne nomen quidem nostro orbi innotuerat, personaret. Eò itum à Xaverio ob hanc causam. Et Deus bone! quàm procul, ad quot gentes, ad quot Insulas ab eo itum! non sufficiebat illi pectori, comitari Aquilas; prætergredi voluit, & infinitum populum, barbariem maximam, monstra hominum docere Christianum nomen, qui Hispanum nomen nunquam didicerant. Si hoc verum, in Apostolorum minimo: quid dicendum de Apostolorum maximo? Indubiè Britanniam penetravit, & Occidentem nostrum, Christumque in Septentrione Insulæ, quò Romanorum dominandi libido non pervaserat, prædicavit: & Tertulliano dedit ansam scribendi, *Britannorum inaccessa Romanis loca, Christo subdita fuerunt.* Decebat hoc Christi Vicarium: nam Christo olim dictum est ab Æterno Patre: *Postula a me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam: & possessionem tuam, terminos terræ.* Hæc hæreditas, hæc possessio, hi termini terræ, in Petrum successionis jure descenderunt.

Tertul. contra Iudæos. Psal. 2.

III. Britannia Petro in sortem cecidit.

Non solùm successionis jure, Petro debebantur termini terræ, sed etiam sortitionis jure, eosdem accepit. * sic Nicephorum Callistum intelligo, cum dixit Αἴγυπτον, καὶ Λιβύην ἄλλος ἐλάγχανε· τοῖς δ' ἐσχάτοις τοῦ ὠκεανοῦ καὶ ταῖς Βρετανικαῖς νήσοις ἐφίστατο ἕτερος. Ægyptum & Lybiam sortitus est alius: extremas Oceani Britannicas Insulas alius obtinuit. non alius certè, quàm Simon Petrus, ut Eusebius Pamphili attestatur, dicens: *Eum duodecim annos versatum esse in Oriente, viginti autem & tres annos transegisse Romæ, & in Britannia, & in civitatibus, quæ sunt in Occidente.* Petro igitur, in suprema ovium præfectura, legitimo Christi successori, relicta hæreditas, & illi commendati termini terræ. Quod & prædixisse videtur Evangelicus Propheta Isaias, insigni illo vaticinio vocationis gentium. ubi, cùm capite 42. dixisset: *Iudicium gentibus proferet.* Mox adjungit: *Et legem ejus Insulæ expectabunt.* Has Insulas deinde invitat ad laudandum Deum, ita: *Cantate Domino Canticum novum: laus ejus ab Extremis terræ. Qui descenditis in mare, & plenitudo ejus, Insulæ & habitatores earum.* Sed quinam sancte Propheta, Christum in Insulis prædicabunt? Unde venient? E qua Urbe? nam si Roma venerint, ex Urbe illa in montibus sita, eleganter in Petrum omnia cadent. Ita est. nam sequitur. *De vertice montium clamabunt: ponent Domino gloriam, & laudem ejus in Insulis nuntiabunt.* Ecce qui Romæ Christum clamabunt, illi eundem nuntiabunt in Insulis. Et hoc Metaphrastes supra reddidit: *Petrus Romam redit, ex qua venit Mediolanum. & Phœnicem: in quibus cùm constituisset Episcopos & Presbyteros, venit in Britanniam.*

*Nicephor. l. 2. histor. c. 1.

Apud Metaphrast. 29. Iunii.

Isai. c. 42.

IV. Isaiæ vaticinium in Britanniam cadit.

Nec tacuit Isaias tempus, quo Insulæ Occidentis, Christiana doctrina forent beandæ: nimirum statim à Christi passione, quam elegantissimè Vindemiam appellat; & ascensione ejus, quam glorificationem vocat: & beandæ à paucis illis, qui vindemiæ superfuerant: & ita loquitur. *Hæc erunt in medio terræ, in medio populorum. Quomodo si pauca olivæ, quæ remanserunt, excutiantur ex olea: & racemi cum fuerit finita vindemia. Hi (racemi) levabunt vocem suam atque laudabunt. Cum glorificatus fuerit Dominus, hinnient de mari. Propter hoc in doctrinis glorificate Dominum: in Insulis maris nomen Domini Dei Israël. A finibus terræ laudes audivimus, gloriam justi.* In quo oraculo illud advertendum, quod *hinnient à mari*, ab aliis, nec malè, redditur hinnient ab Occidente. Cum enim mare magnum sit ad plagam Occidentalem, hebræum ים, inquit Pagninus, capitur pro Occidente. Quamobrem cum Occidentis Insulas habeamus, & finem terræ, in quibus post Christi glorificationem, Apostoli levabunt vocem, & de vertice montium clamabunt: nemo nisi juratus Britanniæ Fideique hostis, negabit aliquem, è paucis oleis, racemisque, in Occidentalium Insularum maxima Christum prædicasse, fidemque ejus. Et præter Apostolorum Principem, qui hactenus in Occidentem venerit, non est invenire.

Isaias c. 24. 13.

jam.

V.

Accedit his magnorum virorum, multarum provinciarum, regnorum æque populorum consensus, Petrum Occidentis Ecclesias fundasse. Innocentius suprà testatus est hoc esse *manifestum*: sequentes eum Romani Pontifices, de Britanniarum Ecclesiis id disertè affirmant. Joannes Papa eo nomine quintus, ante annos nongentos, ita loquitur ad Ethelredum & Alfridum, Anglo-Saxonum Reges. *De vestra quidem religionis accessibus, gratia Dei cooperante gaudemus, fervorem fidei cernentes in vobis, quam ex prædicatione Principis Apostolorum, Deo vestros animos illuminante percepistis, & efficaciter tenetis.* Hoc ipsum semper agnoverunt Britanniæ Reges; ideoque Romanam Sedem eximiè venerati sunt, eique obedientiam & obsequium præstiterunt. Sic Kenulphus Merciorum Rex, in Epistola ad Leonem III. anno Domini septingentesimo nonagesimo sexto ita scripsit. *Nos quoque meritò, quos extremitas orbis tenet, eodem modo pro cæteris gloriamur; quod illius sublimitas, nostra salus; illius prosperitas, nobis perennis exultatio. Quia unde tibi Apostolica dignitas, inde nobis fidei veritas innotuit. Quapropter opportunum arbitror tuis sanctis jussionibus aurem obedientiæ nostræ humiliter inclinare; & quæ tuæ pietati ritè nobis sequenda videantur, toto nisu implenda.* Unde meritò Nicolaus Papa, scribens ad Edoardum Angliæ Regem sanctum, & cognomento Confessorem, ait Anglorum Regum devotionem erga S. Petrum, divinis frequenter beneficiis compensatam esse. nam ita loquitur. *Beatus Petrus sit vobis custos, & adjutor in omni tribulatione. Claret enim Anglorum Reges, pro reverentia & devotione, quam exhibuerunt B. Petro, gloria & honore floruisse, ac ipsius patrocinio famosos triumphos obtinuisse.*

V. an. 47. n. 2.

Apud Malmesb. l. 3. de Pontif. in Eboracens.

apud Baron. an. 796.

V. infrà sd an. 1060. n. 11.

VI. Britannia Petro devota.

Jam verò, si hujus Insulæ provincias lustrare placet, & regna, quæ Saxonum tempore plura fuerunt: ubique invenire erit sacras ædes, numero multas, magnitudine & splendore eximias, Petro Apostolorum Principi sacras: omni ævo Monasteria illi dicata: denique Urbes & oppida ab illo nuncupata. Quæ omnia cum superadictis composita, manifestè arguunt, Insulæ Petrum

ingentia beneficia contulisse: & die illa omnia compendio: Quia Christum in Britannia primus prædicavit, primus ibi fundavit Ecclesias, & primus exposuit Sacramenta Fidei: quo nihil excogitari potuit ad devinciendos provincialium animos illustrius. Petrum etiam erga Britanniam eximiè animatum fuisse, multa sunt argumenta. Illud unum & celebre est, quod post annos à morte sua quingentos, cum inter Saxones Christi Fides reviviſceret, ipse Ecclesiam solenni sacrorum cæremonia, mirabiliter consecrarit. quod quantumvis Moderni, qui omnia oderunt,
V, an. 610. n. 4. & 24. fabulam vocent; ego infra magnis testibus, & omni exceptione majoribus firmabo. Interim visitur moles ad Occidentem Londinensis Urbis, quæ tacentibus aliis, eloquenter miraculi veritatem asserit: locus, inquam, ille qui Petro sacrosanctus, à situ, Westmonasterium appellatur, meritò inter orbis præcipua numerandus. Ubi etiam Petrum, adhuc in carne viventem, titulum fixisse, sacrificium obtulisse, & ibi tunc dæmones illud horruisse, statim ostendam.

VII. Quamdiu Petrus in Britannia laboravit.

Si quæras quid Petrus egerit in Britannia? & quot annis ibi fuerit? supra id dixit Metaphrastes: nimirum longo ibi tempore commoratum, multas gentes non nominatas ad Christi Fidem traxisse: Angelicam visionem ibidem aspexisse: illâ monitum, Romam redire. priùs tamen multos verbo gratiæ illuminasse: denique quod Apostolici muneris imprimis erat, Ecclesias fundasse, ordinatis Episcopis, Presbyteris, atque Diaconis. Et quidem quod ad Angelicam visionem attinet, videtur ipse Petrus illius meminisse his verbis. *Iustum arbitror, quamdiu sum in hoc tabernaculo, suscitare vos in commonitione: certus quod velox est depositio tabernaculi mei, secundum quod & Dominus noster IESVS Christus significavit mihi.* Ad quæ verba citat Cornelius à Lapide Metaphrastem de Britannia loquentem: & in argumento Epistolæ, vult illam scriptam esse paulò ante Petri martyrium. Unde probabiliter satis evincitur, Petro in Britannia Visionem factam.

2. Petri 1. 1.

VIII. De Episcopis Britanniæ.

Dicendum superesset, quos Episcopos, quas Ecclesias Petrus in Britannia consecrarit. Sed in hæc particularia descendere, & κατὰ μέρος distinguere, nec variæ inconstantesque rerum vicissitudines, nec tot sæculorum series permittunt. Quamobrem in hac Ecclesiarum infantia, magnum Episcoporum & Archiepiscoporum numerum colligere nec mearum est virium, nec ad prima fidei fundamenta necessarium. Nam in maxima superstitionum cæcitate, sub Rege infideli, & Rep. bello tumultibusque plenissima, Ecclesiæ gloriam splendoremque quærere, est velle solem nocte lucere. Sponsa Christi describitur primò, pulchra ut Luna; deinde electa ut Sol; & demum terribilis, ut castrorum acies ordinata: Luna principio minor est, nec nisi tractu temporis πανσέληνος. Non ergo putandum, Archiepiscopos, Episcopos, totum Cleri ordinem, cum omni potestate, gloriaque, his primis temporibus fuisse: cum pauci admodum, & satis obscurè Christum colerent. Expectabo ego meliora tempora, incrementum fidei, populorum numerum, Regem Pium, Sanctum Lucium: tum enimvero pulsis tenebris aurora succedet, & demum sol orietur. Tunc adstabit Regina à dextris Dei, in vestitu deaurato, circumdata varietate: tunc distincti ministrorum ordines, Episcopis suus locus & dignitas: quâ, quia in rebus sacris nulla major, micabit illa post ortum solis multò illustrius.

IX. Aristobulus a quo ordinatus Episcopus?

Existimo tamen primam divini verbi sementem, Apostolica manu jactam, pro dignitate rigatam esse: ideoque Petrum per provincias ordinasse Episcopos qui sacerdotale munus aliis conferrent: sed silentio hi magis exemploque quàm imperio Fidem populis instillarunt. Inter hos Aristobulus legitur; qui fortè Petrum comitatus est in nostrum Occidentem. nam Dorotheus in Synopsi, Britanniæ Episcopum vocat. Sed à quo consecrationem acceperit, dubitatur. cæterùm quòd in Britanniam missus sit, omnes conveniunt. Græcorum quidem menologium, ad decimum quintum Martii hæc de Aristobulo: *E septuaginta Discipulis erat hic unus, sequutus est autem S. Paulum, prædicans Evangelium, & ubique terrarum ministrans illi, à quo & Episcopus ordinatus est in Britannorum regionem.* Ita ibi. Idem tamen menologium, ut à Gulielmo Cardinale latinè redditum Henricus Canisius inseruit Antiquæ Lectionis tomo secundo, ad eundem diem Martii legit, non ab Apostolo Paulo, sed à Barnaba ordinatum. sic enim ibi, *Commemoratio Sancti Aristobuli Episcopi Britanniæ, fratris Beati Barnabæ Apostoli, a quo cum esset ordinatus Episcopus ad Britannos missus, illic Christi Fidem prædicans, & Ecclesiam constituens martyrium assecutus est.* Ceterum in fragmento, quod Halecæ Augustani Episcopi nomine habetur editum, Petri, non Pauli discipulus ita describitur. *Britannus celebris est memoria multorum Martyrum, præcipuè Sancti Aristobuli unius de septuaginta discipulis, qui dictus est etiam Zebedæus, (Pater Iacobi & Ioannis, maritus Mariæ Salome) qui cum Petro Romam petivit. Inde relictis domesticis suis, missus in Angliam Episcopus occubuit Martyr in secundo anno Neronis Imperatoris sævissimi.* Verùm quod ad annum mortis, modumque ejus, & cur Martyr appelletur, plura inferius ad annum Christi nonagesimum nonum, quo mortuum esse communior est opinio. & fortè anno secundo Neronis in Britanniam navigasse dicendus est, potiùs, quàm eo anno mortuus.

Menolo. 15. Martii.

Menol. ubi su.

Apud Usserium fo. 9.

X. Apostoli quotidie sacrificium offerebant.

Idem de Ecclesiis, à Petro fundatis, omnino affirmandum est, & plures videlicet ab ipso, & discipulis ejus, ad fidem conversos, quorum nomina scripta sunt tantùm in libro vitæ. In eorum domibus administrata Sacramenta, oblatum Sacrificium, adoratum Deum. nam Apostolos penè quotidiè, incruentè Deo sacrificasse facilè sibi persuadebit, qui Proclum leget Constantinopolitanum Episcopum. *Majori*, inquit ille, *rerum divinarum, & Sacrificii sacrosancti studio, ac desiderio flagrabant Apostoli, & illud prolixè amplectebantur: quod in memoria semper haberent illud verbum Domini dicentis: Hoc facite in meam commemorationem. Et, Hoc est corpus meum: Et qui manducat carnem meam & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo. Quare contrito spiritu multas preces decantabant, divinũ Numen impensè orantes.* & paulò infrà, quid in Sacrificio fieret, ejusque ritum exponit in hunc modum. *Per has* itaque *preces, Spiritus Sancti adventum expectabant; ut ejus divina præsentia, propositum in Sacrificium panem & vinum, aqua permixtum, ipsum illud corpus & sanguinem Servatoris nostri IESV Christi efficiat. Qui quidem religiosus ritus observatur ad hoc usque tempus, & ad finem usque sæculi manebit.* Hæc omnia Proclus, ante annos mille ducentos. Ita ergo Petrus in Britannia faciebat, eo silentio, quo

Procl. in tradit. divi. Liturg.

Romæ aliisque in locis fecerat: & qoomodo nunc orthodoxi in Anglia, ab Ecclesiis quas fecerant, exturbati coguntur facere. Et jam non miror ultra modernam in Anglia factionem, quæ Petrum verebatur hoc primo sæculo in Britannia excipere; quia cum eo certò certiùs, incruentum hoc Sacrificium, quod dudum explosserunt, excipere debuissent. Malunt quidem factiosi, quo Sacrificium fugiant, in Græciam ire: sed nihil promovent factionem suam. Nam Proclus magnus Antistes, Petri & omnium Apostolorum argumento illam & illos elidit atque confundit. Sed videndum, qui, hoc tempore, Sacrificium in Britannia horruerint; ut habeant paradoxi factionis socios.

XI.

Narrat Dio Cassius, græcus homo, sed Consul Romæ cum Alexandro Severo Augusto, sub annum Christi ducentesimum trigesimum: narrat inquam, quid in Britannia gestum, anno U. C. octingentesimo decimo-tertio, qui respondet Christi anno sexagesimo-secundo. inter alia dicit Romanis ingentem cladem illatam, quam priùs prodigia portenderant. Ego hæc prodigia sub Petri Apostolorum principis adventū, vel hoc anno sexagesimo, vel sequenti contigisse non dubito: & non tam Romanorum cladem, quàm idolorum ruinam portendisse, Christiani omnes fateri debent. Ita ergo Dio loquitur. *Dum hæc Romæ geruntur in Britannia gravis casus accidit; duabus Vrbibus expugnatis, & octoginta millibus civium Romanorum, aut sociorum peremptis, ipsa Insula alienata. Quæ clades à muliere illata est populo Romano, ut majore ignominia afficeretur. eaq; antea divinitus denuntiata fuerat.* De clade hac dicam inferius, suo loco: sed prodigia, quæ præcesserant, hîc recenseo; quia Petrum juxta Tamesim Sacramenta ministrantem, Baptismum & Eucharistiam porrigentem, horruerunt dæmones, & luxerunt, cum Angeli interim lætarentur. Hæc prodigia breviter Dio, paulò fusiùs Tacitus narrant. Dio. *In curia barbaricum murmur cum multo risu, & tumultus in theatro cum magno fletu audiebatur, cum ibi nemo hominum loqueretur, aut lugeret. Præterea ædes quædam infra aquam Tamesis fluvii videbantur. quod græcè legitur paulo significantiùs.* οἰκίαι τέ ἐν τῷ Ταμέσᾳ ποταμῷ ὕφυδροι ἑωρῶντο. *Denique Oceanus inter eam Insulam & Galliam sanguinolentus mundavit.*

Dio. l. 62.

PETRUS AD TAMESIM DÆMONES TERRET.

Idem supra.

XII. PRODIGII INTERPRETATIO.

Tacit. an. l. 14.

Tacitus cum dictam cladem retulisset, inter prodigia quæ præcesserant, primo loco idolorum ruinam recitat: ut quemadmodum Christo in Ægyptum descendente, idola ibi movebantur: ita Vicario ejus Britanniam docente, idola consistere nequiverunt. *Inter quæ* (Tacitus) *nulla palam causa, delapsum Camaloduni simulacrum Victoriæ, ac retro conversum: quasi cederet hostibus. Et fœminæ in furore turbatæ, adesse exitium canebant. externosq; fremitus in Curia eorum auditos, consonuisse ululatibus theatrum, visamq; speciem in æstuario notam esse subversæ Coloniæ. Iam Oceanum cruento aspectu, dilabente æstu, humanorum corporum effigies relictas, ut Britannis ad spem, ita Veteranis ad metum trahebant.* Bene hic vigilavit I. Lipsius, cum verba illa, *in æstuario notam esse*, ad Dionis sensum restituit ita: *in æstuario Tamesæ subversa colonia.* Scio prodigia hæc à Romanis Scriptoribus trahi, ad Romani Imperii occasum in Britannia; cladem que quam paulo post reverà passi. Verùm tot naturæ miracula, tanta maris, terræ, fluminum perturbatio, novæ hominum rerumque species: simulacri denique ruina, majus aliquid videntur innuisse. Externi fremitus, ululatus in theatro, fœminarum furor, à maligno spiritu fiebant, ad idolorum casum gemente: susque deque habituro, quis Insulam, Romanúsne an Britannus haberet. Hic ergo diabolus ululans, imperium sibi eripi, & divinius succedere vidit: vidit & ingemuit. Petri vocem audivit & fremuit: quia tonitrui instar Bonaerges Christum prædicavit. Itaque melios hæc portenta Psalmista interpretatur, sic Deum alloquens. *Notam fecisti in populis virtutem tuam: redemisti in brachio tuo populum tuum. Ideo viderunt te aquæ Deus, & timuerunt, & turbatæ sunt abyssi. Multitudo sonitus aquarum, vocem dederunt nubes. Etenim sagittæ tuæ transeunt. Vox tonitrui tui* (*Petri tui*) (bagalgal) *in Galilæo. Illuxerunt coruscationes tuæ Orbi terræ: commota est & contremuit terra. In mari via tua & semitæ tuæ in aquis multis: & vestigia tua non cognoscentur.* Enimvero vestigia hæc in Tamesi fluvio, in Oceano Britanniæ, incognita fuerunt illis, qui tot portenta ad Romani Imperii occasum retulerunt: quod diu postea in Britannia mansit, & majori adhuc incremento surrexit. Dicamus ergo Galilæi vocem in Britannia auditam, fidei coruscationes illuxisse. Ideo turbatæ sunt abyssi, ideo sonitus aquarum, vocesque, ideo semitæ in aquis, ideo commota est & contremuit terra. Simulacrum Victoriæ corruit, versumque est retro: quia Petrus novo armorum genere pugnans, Insulam, non Romano fastu, sed humilius, non imperio, sed prece, non gladio sed verbo Dei subjugare cœperat.

Psal. 76.

Sed quid sunt *domus illæ, in Tamesi fluvio conspectæ?* Quid in Oceano *humanorum corporum effigies relictæ?* & dicuntur domus οἰκίαι ἔφυδροι, *domus aquis innatantes.* Hæc nempe erant semitæ Dei in aquis multis. Petrus, inquam, ad Tamesim fluvium, ad Occidentem Urbis Londinensis Ecclesiam statuerat, sacra celebraverat, crucem fixerat, Baptismum ministraverat, hoc est humana corpora, aquâ precibus sacratâ tinxerat. Hæc causa turbarum, fremitus atque ululatus eorum qui hæc sacra horrebant. Porro, erectâ Cruce (quam Apostoli semper figebant in titulum, cum designabant Ecclesiam) & erecto altari novo, idolorum aras corruere necessum erat, profanosque ritus, sanctioribus cedere. Denique arca Dei, cum Dagon stare non poterat. Sed cur domus species in Thamesi? Sciendum est, Petrum sacra mysteria celebrare solitum, super altare ligneum, ad arcæ similitudinem concavum, quod etiamnum in Lateranensi Basilica in honore est. Hæc aut similis arca, juxta Tamesim statuta, domus speciem formamque habebat, significans Ecclesiam, novamque Britanniæ faciem, quam formabat Apostolus; quæ non malè ἔφυδρος dicitur, aut aquis scatens; quia quicumque bibebat ex aqua quam Petrus ei dabat, fiebat in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Et quoniam per Baptismum in Ecclesiam intratur, eleganti emblemate, domus species in aquis, & sub aquis, visebatur: cum ad illam, non nisi per aquam accessus pateret. Hic est ille ad Tamesim locus, Petri nomine celeberrimus, quem ipse non semel, sed sæpiùs, in terris vivens, & in cælo regnans, illustrasse creditur. Cujus loci religionem, incrementa, novasque substructiones, in tempore describemus: sufficiat nunc dicere, primum Britannicæ Ecclesiæ fundamentum ibi

XIII. PRODIGIA IN THAMESI EXPONUNTUR.

positum,

positum, excisum è Petra, quam ad id Christus consecr•vit. & eleganter in aqua demonstratum est: quæ primi Sacramentum hieroglyphicum est: ut optimè S. Cyprianus, in Epistola ad Cæcilium. *Quotiescumque,* inquit, *aqua sola in Scripturis nominatur, baptisma prædicatur, ut apud Isaiam significari videmus: Nolite priora meminisse, & antiqua nolite reputare: Ecce ego facio nova, quæ nunc orientur, & cognoscetis, & faciam in deserto viam, & flumina in loco inaquoso, adaquare genus meum electum, plebem meam quam acquisivi, ut virtutes meas exponeret.* Hæc Cyprianus, & Britannici portenti elucidatio sunto, præsertim si addas quod paulo ante Isaias prædixerat: *Hæc dicit Dominus: qui dedit in mari viam, & in aquis torrentibus semitam.*

Cyprian. Ep. ad Cæcilium.
Isai. 43.18.
Isai. 2.22.16.

XIV. *Petrus Camaloduni cum simulacrum corruit.*

Quamdiu Petrus in Insula manserit, quæ alia loca visitârit: an fuerit Camaloduni cum ibi simulacrum corruit, nemo quod sciam affirmat: quia tamen frequens ibi Romanorum Colonia, & militum Legio: suspicio est, eò ab ipso excurcursum: præsertim cum Metaphrastes supra dixerit, plures eum annos in Britannia hæsisse. Ei quia cum Romanis eò navigasse putamus, eorum quoque consuetudine usum, & cum eisdem in interiora penetrasse, credendum est. Hinc saltem solvitur illud sectariorum palmare argumentum, quo Petrus non è Britannia solùm, sed omni Occidente proscribitur: nam pro Britannia & Occidente nostro est multò efficacius. Etenim Paulus ad Romanos scribens, Petri sine dubio meminisset, si Romæ Petrus aut in propinquo fuisset. Iterum si Petrus in Oriente mansisset, ut volunt sectarii: Cur Paulus toties in Orientem scribens, nullam Petri mentionem fecit? Constat ergo, omni eo tempore, quo Paulus Orientem docuit, Petrum in Occidente fuisse: & quando ad Romanos dictavit Epistolam, in Occidente quidem, sed procul Urbe fuisse. Potest & alia ratio assignari cur Petrus in Britanniam venerit: nimirum ut Neronis persecutionem fugiens, ibi Evangelium prædicaret, quò Neronis edicta penetrare non poterant. Nam admissus olim à Britannis Julius Cæsar, non aliâ lege, quàm ut curâ suâ Reges, populosque servaret; nec ad Romanorum sacra ritusque tenerentur. Hinc statim audies Josephum ab Arimathia, sociosque ejus, in Britanniam seu tutum religionis asylum descendisse, ibi quietè Deo Christoque serviisse, & ibidem denique mortuos. Ut igitur nunc mutata rerum facie, è Britannia fugientibus fidei causa, Roma asylum est & refugium: ita nunc, hoc primo sæculo, Urbe pulsis, erat Britannia. Quo argumento, non unum Petrum, sed Paulum, Josephum, Aristobulum, aliosque viros Apostolicos, in Britanniam invitabimus.

XV. *Caractaci laus.*

Pitsius de Script. in Arvirago.

Atque verum est, quod de Arvirago (quem Caractacum nominamus) passim prædicatur, eum magna morum suavitate præditum, & non admodum à Christiana Fide abfuisse: facilis erit conjectura, infantem Christi Ecclesiam, in Britannia salvam esse potuisse, & remotam à periculis. Certè de eo hæc habet Pitsius. *Arviragus eas artes probè didicerat, quæ animum ad humanitatem excolunt. Nec solum ipse bonas literas amavit: verùm etiam literatorum hominum erat singularis fautor.* & iterùm de eodem. *Erat in bello fortis & animosus, in pace mitis & clemens: in omni civili congressu affabilis & jucundus, in elargiendis muneribus liberalis, suis semper valdè amabilis.* Hæ naturæ dotes, regiæque virtutes, in viro per Europam, & Romæ præsertim notissimo, plures in Insulam allicere potuerunt: & eos imprimis quos Neronis impietas, & in Deum hominesque flagitia proscripserant. Sic in sequentibus dicam hunc Regem, sepulchrum concessisse Arimathæo Josepho, qui suum olim commodaverat Christo. Nec tamen cum Pitsio sum, hinc colligente Caractacum Christianum fuisse: quia Lucium sanctum manet ea gloria: qui recto nascendi ordine à Caractaco descendit. Multo rectiùs colligitur, non solum Petrum venire tutò in Britanniam: sed ibi longo tempore manere (ut supra Metaphrastes) potuisse. Nunc Remp. alteram invisamus.

XVI. *Tacit. l. Annal. 14.* *Verannius moritur.*

Ibi Verannius Proprætor, *cùm modicis* excursibus *silvas populatus esset* (inquit Tacitus) *quin ultra bellum proferret, morte impeditus est.* Quæ verba Justus Lipsius non malè restituit, cum *non silvas populatus*, sed silures populatus legit. nam in eam imprimis gentem, negotium illi & bellum gestum. *Magna dum vixit Verannius, severitatis fama* (pergit Tacitus) *supremis testamenti verbis, ambitionis manifestus. Quippe multa in Neronem adulatione addidit subjecturum ei provinciam fuisse, si biennio proximo vixisset.* Hæc fortè Verannii severitas, sequentium turbarum initium, & fundamentum fuit. cum exasperati injuriis animi externum imperium ferentes impatientiùs, jugum à cervicibus excutere laborarunt: & verò cum maxima Romani nominis ignominia, duce fœmina excusserunt.

ANNUS URBIS CONDITÆ 812.

ANNUS CHRISTI 61.

PETRI 17.

CARACTACI REGIS 17.

NERONIS IMP. 5.

Paulinus Suetonius Proprætor.

Tacit. in Agric.

SEQUITUR Christi annus sexagesimus primus, Vipsanio, & Fonteio Capitone Consulibus, cum Paulinum Suetonium Proprætorem Britannia excepit Verannii successorem. qui difficilem provinciam nactus, dum Romanum ibi imperium profert, ferè perdidit. *Biennio tamen,* teste Tacito, *res prosperas habuit, subactis nationibus, firmatisq; præsidiis. quorum fiduciâ Monam Insulam ut vires rebellibus ministrantem aggressus, terga occasioni patefecit.* Primus ergo præfecturæ annus quietem Insulæ attulit, alter tumultuum, & turbarum initia, de quibus ordine dicendum. Cæterùm quod Romanus scriptor subactas nationes ad primum Suetonii adventum narrat, est ita intelligendum; quod subactas priùs, ipse novis præsidiis ad obsequia firmaverit. nam statim ut proferre cepit Romanum pomerium, & in Monam pugnare; amisit quæ priùs Romani ceperant, Urbes & oppida: & dum fortiter Britannos premit, elicit, non Britannorum, sed Romanorum sanguinem: & tristi experimento Suetonius didicit, Insulares animos, humanitate potiùs, quàm præsidiorum metu in officio contineri.

ANNUS URBIS CONDITÆ 813.

ANNUS CHRISTI 62.

PETRI 18.

CARACTACI REGIS 18.

NERONIS IMP. 6.

I. CAUSÆ NOVORUM TUMULTUUM.

CHRISTI annus ſexageſimus ſecundus, Conſules habuit Neronem IV, & Cornelium Lentulum: & miſeriarum, in Britannia, Oceanum. nam Romani poteſtate abutentes, & Britannorum cervicibus nimiùm graves, ferè poteſtatem omnem amiſerunt. Ad hunc annum refert Dio prodigia cladis nuntia, quam præceſſerunt, & ideo illa ſuperiùs retuli: Inde narrat tumultuum cauſas & belli exordia, quæ ſine dubio hunc annum ſpectant. *Cauſa belli*, inquit, *fuit publicatio bonorum: quæ cum eſſet primariis eorum à Claudio remiſſa; Decianus Catus, ejus Inſulæ procurator, dicebat eam renovari oportere. Ad hanc cauſam acceſſit, quòd cum eis invitis Seneca quadringenties ſeſtertium ſub magnis uſuris credidiſſet, eam ſummam omnem ſimul magna vi atque violentia exegebat.* Hæc ille, ſed potior illa cauſa, quam refert Tacitus ita: *Rex Icenorum Praſutagus, longa opulentia clarus, Cæſarem heredem, duaſq; filias ſcripſerat, tali obſequio ratus regnum & domum ſuam procul injuria fore, ſed contra vertit: adeò ut regnum per centuriones, domus per ſervos, velut capta vaſtarentur. Iam primùm uxor ejus * Boodicea verberibus affecta, & filiæ ſtupro violatæ ſunt: præcipui Icenorum, quaſi cunctam regionem munere accepiſſent, avitis bonis exuuntur, & propinqui Regis inter mancipia habebantur. † Qua contumelia, & metu graviorum (quando in formam provinciæ ceſſerant) rapiunt arma, commotis ad rebellionem Trinobantibus, & qui alii nondum ſervitio aſſuefacti, reſumere libertatem occultis conjurationibus pepigerant, acerrimo in veteranos odio. Quippe in Coloniam Camalodunum recèns deducti, pellebant domibus, exturbabant agris, captivos, ſervos appellando; foventibus impotentiam veteranorum militibus, ſimilitudine vitæ, & ſpe ejuſdem licentiæ. Ad hæc templum Divo Claudio conſtitutum, quaſi ara æternæ dominationis aſpiciebatur: delectiq; Sacerdotes, ſpecie religionis, omnes fortunas effundebant, nec arduum videbatur, exſcindere Coloniam, nullis munimentis ſeptam, quod Ducibus noſtris parum provisum erat, dum amœnitati priùs, quàm uſui conſulitur.* Ita Tacitus, calamitatis fundum aperit.

Dio. l. 62.

DECIANUS CATUS INSULÆ PROCURATOR.

Tacit. An. l. 14.

PRÆSUTAGUS ICENORUM REX, CÆSAREM HEREDEM SCRIBIT.

* BOODICEA REGINA MALE TRACTATUR.

† HINC TURBÆ.

II. Tacit. in Agric. BRITANNORUM IRÆ ET CONSILIA.

Alibi idem author Britannorum inter ſe conſilia, de amovenda ſervitute explorans, ita illa deſcribit. *Britanni agitare inter ſe mala ſervitutis, conferre injurias, & interpretando accendere. Nihil profici patientiâ, niſi ut graviora ex facili tolerantibus imperentur. Singulos ſibi olim Reges fuiſſe: nunc binos imponi: è quibus Legatus in ſanguinem, procurator in bona ſæviret. æquè diſcordiam Præpoſitorum, æquè concordiam ſubjectis exitioſam. Alterius manus Centuriones, alterius vim & contumelias miſcere. Nihil jam cupiditati, nihil libidini exceptum; in prælio fortiorem eſſe, qui ſpoliet: nunc ab ignavis plerumque, & imbellibus eripi domos, abſtrahi liberos, injungi delectus, tanquam mori tantùm pro patria neſcientibus. Quantum enim tranſiiſſe militum, ſi ſeſe Britanni numerent? Sic Germanias excuſſiſſe jugum, & flumine, non Oceano defendi. Sibi patriam, conjuges, parentes: illis avaritiam & luxuriam cauſas belli eſſe. Receſſuros, ut Divus Iulius receſſiſſet; modò virtutes majorum ſuorum æmularentur. Néve prælii unius aut alterius eventu paveſcerent. Plus impetus, majorem conſtantiam penes miſeros eſſe. Iam Britannorum etiam Deos miſereri; qui Romanum Ducem abſentem, qui relegatum in alia Inſula detinerent exercitum. Iam ipſos, quod difficillimum fuerit deliberare. Porrò in ejuſmodi conſiliis periculoſius eſſe deprehendi, quàm audere.* Hactenus Icenorum querelæ, murmur, & conſiliorum agitatio, cum Paulinus in Monam Inſulam expeditionem adornaſſet: cujus abſentia, Icenis fecerat & conſultandi, & præſumendi audaciam.

III. MONA INSULA A SUETONIO OPPUGNATUR.

Tacit. Annal. l. 14.

Cæterùm quod Suetonius Monam invaſerit, ea ratio redditur quòd inde Britanni auxilium ſubſidiumque quæſiviſſent: & eò, bello fracti confugerint: inde prout occaſio erat, ad ultionem redeuntes. His adde Romani Ducis ambitioſam mentem, cupientis aliorum Legatorum non æquare modò, ſed prætergredi gloriam. Quod non tacuit author qui ſupra ita Suetonium in Monam pugnantem inducit. *Paulinus Suetonius obtinebat Britannos, ſcientia militiæ, & rumore populi, qui neminem ſine æmulo ſinit, Corbulonis concertator; receptæq; Armeniæ decus æquare domitis perduellibus cupiens. Igitur Monam Inſulam incolis validam, & receptaculum perfugarum, aggredi parat; naveſq; fabricatur plano alveo, adverſus breve litus & incertum. Sic pedites, equites vado ſecuti, aut altiores inter undas adnantes equis tranſmiſere. Stabat pro litore diverſa acies, denſa armis, viriſq;, intercurſantibus fœminis, quæ in modum furiarum, veſte ferali, crinibus dejectis faces præferebant. Druidæq; circum preces diras, ſublatis ad cœlum manibus fundentes, novitate aſpectus percutere militem; ut quaſi hærentibus membris immobile corpus vulneribus præberent. Dein cohortationibus Ducis, & ſe ipſi ſtimulantes; ne muliebre & fanaticum agmen paveſcerent; inferunt ſigna, ſternuntq; obvios, & igni ſuo involvunt. Præſidium poſthac impoſitum victis, exciſi luci, ſævis ſuperſtitionibus ſacri. Nam cruore captivo adolere aras, & hominum fibris conſulere Deos fas habebant.*

IV. DRUIDARUM SACRA, ET EORUM ORIGO. Tacit. in Agric.

Habes hìc, Lector, antiqua Britannorum ſacra: & Sacerdotes Druidas dictos: quorum initia, ſive Inſulæ noſtræ tribuas, ſive vicinis Gallis, non admodum laboro. Tacitus videtur illa Gallis tribuere. *Apud Britannos*, inquit, *Gallorum ſacra deprehendas, ſuperſtitionum perſuaſione.* Et verò Gallorum & Britannorum eadem ſemper religio: non ſolùm in his infidelium tenebris: ſed in luce poſtmodum Evangelii, ut in ſequentibus obſervabo. Quod ad Druidas attinet, & eorum rituum initia, Julius Cæſar in Commentariis, Britannis aſcribit, indeque in Gallias migraſſe affirmat. *Diſciplina Druidum*, inquit, *in Britannia reperta: atque inde in Galliam tranſlata. Et nunc qui diligentiùs eam rem cognoſcere volunt, plerumque illò diſcendi causâ proficiſcuntur.* Porro præcipua Druidarum ſedes in Britannia, Mona Inſula fuit, quam hoc anno Suetonius oppugnat: non illa, quæ medio libramine inter boreales Hiberniæ, & Britanniæ partes, in mari porrigitur, diſtans ab utraque quindecim millia paſſuum: ut putavit is qui Cæſarem illuſtravit, Raimundus Marlianus, in ſua locorum deſcriptione. Nam illa, è Menaviis quidem una, & nobis hodie Man; non tamen eſt illa quam Tacitus à Suetonio oppugnatam narrat: nec eam eques vado tranſmeare potuiſſet.

Cæſar in Comm. l. 6.

MONA DRUIDARUM SEDES, QUÆNAM?

Illa ergo Druidarum ſedes, quæ tenui tantùm freto Menai, à Britanniæ continente dividitur, jacétque ad Ordovices, ſeu Cambriæ ſeptentrionem, & olim *monſirmon*, à Saxonum ingreſſu, & deinceps Anglorum Inſula dicta hodiéque vulgo Angleſey, à Suetonio oppugnatur. Nunc Druidarum ſacra paululùm contemplemur, quia animus eſt illa melioribus mutare.

V. *Cæſar in Comm. l. 6.*

Druidæ sacrorũ principes.

Cæſar illa deſcribit in hunc modum: *Druidæ rebus divinis interſunt, ſacrificia publica & privata procurant, religiones interpretantur. Ad hos magnus adoleſcentium numerus diſciplinæ cauſa concurrit: magnoq; ii ſunt apud eos honore. Nam ferè de omnibus controverſiis publicis, privatiſq; conſtituunt. Et ſi quod eſt admiſſum facinus, ſi cædes facta, ſi de hereditate, de finibus controverſia eſt, iidem decernunt: præmia pœnaſq; conſtituunt. Si quis privatus, aut populus, eorum decreto non ſteterit, ſacrificiis interdicunt. Hæc pœna apud ipſos graviſſima. Quibus ita eſt interdictum; ii numero impiorum, & ſceleratorum habentur: ab eis omnes decedunt, aditum eorum, ſermonemq; defugiunt: ne quid ex contagione incommodi accipiant. Neque iis petentibus jus redditur, neque honos ullus communicatur. His autem omnibus Druidibus præeſt unus, qui ſummam inter eos habeat authoritatem. Hoc mortuo, ſi quis ex reliquis excellit dignitate, ſuccedit. Et ſi plures pares, ſuffragio Druidum adlegitur. nonnunquam etiam de Principatu armis contendunt.* Hæc Cæſar. Verùm quod in eo ſequitur, non obſervarunt Monenſes Druidæ: *A bello*, inquit, *abeſſe conſueverunt.* nam bello interfuiſſe ſuprà affirmat Tacitus. ſequitur in Cæſare. *Neque tributa, unà cum reliquis pendunt: militiæ vacationem, omniúmque rerum habent immunitatem. Tantis exciti præmiis, & ſua ſponte, multi in diſciplinam conveniunt: & à propinquis parentibus mittuntur: magnum ibi numerum verſuum ediſcere dicuntur. Itaque nonnullos annos in diſciplina permanent: neque fas eſſe exiſtimant ea literis mandare: cum in rebus ferè reliquis, publicis privatíſque rationibus, græcis literis utantur. Volunt imprimis perſuadere non interire animas, ſed ab aliis poſt mortem, ad alios tranſire. atque hoc maximè ad virtutem excitari putant, metu mortis neglecto: multa præterea de ſideribus, ac eorum motu, de mundi ac terrarum magnitudine, de rerum natura, de deorum immortalium vi ac poteſtate diſputant, ac juventuti tradunt.*

Druidarum privilegia, et immunitas.

Animarũ transmigrationem cur docuerint.

VI. Druidarum ritus aliqui, fidei deservĩẽt, et Christianis ritibus.

Multa ſunt inter hanc infidelium fæcem, quæ Britanni, meliores facti, ad Chriſti cultum inflexerunt: ſtudium literarum, amor diſciplinæ, ſacrorum reverentia. Nec omittendum illud, omnem religionis ſenſum, rituúmque imperium, non penes Regem, aut illam Rempublicam, ſed penes Druidas fuiſſe. Et ideo, cùm melior fides pervaſit Inſulam, facilè fuit Lucio Regi perſuadere, Eccleſiarum jura Sacerdotibus permitteret: quod integrè ab eo factum oſtendemus infrà: Druidæ religionum interpretes, dictantes ſacra, controverſiarum judices, immunes à tributis: & Reges hæc omnia indulgentes condemnant eos, qui ſacra omnia, & Fidei dogmata, non Sacerdotum, non Epiſcoporum, non Regum & Principium, aut ſaltem literatorum conſulto, ſed plebiſcito definiunt. Et verendum, ne ſorgant in judicio infideles hi, qui Jovi & Veneri, nefandiſque idolis, ampliorem honorem olim tribuerunt, quàm moderna generatio, Chriſtianorum ſacris, & Deo vivo & vero attribuit. Cæterùm Lucius Britannorum Rex, qui ſequenti ſæculo, Petri ſucceſſorem & ſedem illam veneratus eſt, inter prima Fidei rudimenta hoc didicerat, Sacerdotes Chriſti, Druidis ſanctiores eſſe, omniq́ue dignos privilegio. Eum ſecutus & aſſecutus Conſtantinus, aliiq́ue primi temporis & notæ Reges, Eccleſiam viróſque Deo conjunctiores, profuſè venerati ſunt, ut dicam in ſequentibus.

VII. Druidarum appellatio unde?

Si quæritur, unde orta ſit Druidum appellatio, non eſt obvium dicere. Quidam à Druide Celtarum Rege deducunt, quod non eſt vero abſimile. Nam Celtarum natio eorum ſuperſtitioni, præ aliis, dedita memoratur. Hinc etiam Druides, Samotheos quoque dictos, à primo Celtarum Rege, quidam tradiderunt. Atque inde facili inflexione iidem Semnothei appellari potuerunt. ut teſtatur Laërtius ita ſcribens: *Quemadmodum apud Perſas, Magos; apud Aſſyrios, Chaldæos; apud Indos, Gymnoſophiſtas, philoſophiæ Principes fuiſſe conſtat: Sic apud Celtas, ceu Gallos Druidæ, qui & Semnothei appellabantur. Hi Druidæ*, ut ait Ariſtoteles in Magia, *quod humani diviniq; juris peritiſſimi, ac propterea religionibus maximè dediti, Σεμνόθεοι ſunt appellati.* Ad eum ferè modum, poſterioribus ſæculis, qui in Britannia Deo, Chriſtoq́ue ſeveriùs ſervierunt, Colidei, & paullò contractiùs Culdei, dicti ſunt, de quibus infrà. Sarodines etiam, à Sarone. Samothis nepote, Druidas dictos reperimus. Quod nomen olim apud Græcos, quercum ſignabat, unde nihil mirum quod Druidæ poſtmodum dicerentur, nimirum ἀπὸ τῆς Δρυός. Porro ideo à quercu nomen illis inditum, quod arborem illam ſuperſtitioſiſſimè venerari conſueverint. Unde Plinius: *Nihil habent Druidæ viſco, & arbore, in qua gignitur, modò ſit robur, ſacratius. Nam per ſe roborum eligunt lucos. nec ulla ſacra, ſine ea fronde, conficiunt. ut appellati quoque interpretatione græca, poſſint Druidæ videri. Enimvero quicquid adnaſcatur illis, è cælo miſſum putant; ſignumq; eſſe electæ à Deo arboris. Eſt autem id rarum admodum inventu: & repertum magna religione petitum: & ante omnia ſextâ Lunâ, quæ principia menſium annorúmque his facit.* pergit narrare ritum in ſacrificiis adhiberi ſolitum.

Laërtius in præfat. de vit. Philoſoph.

Ariſtot. in Magia.

V. an. 286. 43. & 395. 6.

Plin. nat. hiſt. l. 16. c. 44.

VIII. Druidarum sacrificia.

Sacrificiis, inquit, *epuliſq; ritè ſub arbore præparatis, duos admovent candidi coloris tauros, quorum cornua tunc primùm vinciantur. Sacerdos candida veſte cultus, arborem ſcandit, falce aurea demetit, candido id excipitur ſago. tum deinde Victimas immolant, precantes ut ſuum donum Deus proſperum faciat, his quibus dederit, fæcunditatem eo poto dari cuicumque animali ſterili arbitrantes: contráque venena omnia eſſe remedio.* Hactenus author. Cantum quoque huic ſuperſtitioni acceſſiſſe innuit Ovidius poëta cùm dixit:

Ad viſcum Druidæ, Druidæ cantare ſolebant.

Profanos hos ritus damnavit olim Deus, per Oſeam Prophetam, ubi legitur: *Super capita montium ſacrificabant, & ſuper colles accendebant thymiama: ſubtus quercum & populum, & terebinthum: quia bona erat umbra ejus.* Ubi ferè innuit cur arbor illa ſacroſancta cenſeretur, nam ob umbræ opportunitatem, Druidas lucos inhabitare ſolitos, ex eo colligi poteſt, quod ſuprà dixit Tacitus, exciſos in Mona *Lucos ſævis ſuperſtitionibus ſacros.* Quò etiam reſpexit Lucanus, eorum vanitatem, varioſque ritus eleganter explicans, & ſugillans: cum ait:

Oſeæ c. 4. v. 13.

Et vos barbaricos ritus, moremq́ue ſiniſtrum
Sacrorum Druidæ poſitis repetiſtis ab armis,

Lucan. Pharſal. l. 1.

Solis nosse Deos, & cœli numina vobis
Aut solis nescire datum. Nemora alta remotis
Incolitis lucis. vobis authoribus umbræ
Nocturnas erebi sedes, ditisq; profundi
Pallida regna petunt. Regit idem spiritus artus
Orbe alio. longæ canitis si cognita vitæ
Mors media est. certè populus, quos despicit Arctos
Felices errore suo: quos ille timorum
Maximus haud urget lethi metus. Inde ruendi
In ferrum mens prona viris, animæq; capaces
Mortis. & ignavum est rediture parcere vitæ.

IX. Hinc constat, vel Druidas à Pythagora, vel hunc ab illis μετεμψύχωσιν & animarum transmigrationem hausisse.

Clem. Stromatum l. 1.

Sanè Clemens Alexandrinus affirmat Pythagoram Gallos audivisse. ac proinde dicendum, Græcos à Gallia illud somnium didicisse. Cæterùm Druidarum superstitio, non Gallias modò & Britannias, sed omne Romanum imperium hoc sæculo pervaserat: suique novitate, plurimos, ut fit, in amorem admirationemque pellexerat. Licet prudentiores immanem illam carnificinam, qua *cruore captivo adolere aras, & hominum fibris Deos consulere solebant*, ut suprà habet Tacitus, meritò aversati sint. Hunc morem Diodorus Siculus ita exposuit.

Diodor. de Antiq. Fab lib 6.

Druidarum ritus a Romanis interdicti.

Quando de rebus magnis consulunt Druidæ, mirabilem incredibilemq; servant consuetudinem. jugulant enim ense hominem. quo decidente, tum ex casu, tum ex laceratione membrorum, tum ex sanguinis fluxu, ex quadam antiqua rerum observatione norunt futura. Hanc fortè ob causam, Romani barbarum rituum exosi, proscripserunt è sua Repub. Druidarum sacra. Illa primùm Augustus Cæsar ab Urbe: inde Claudius, ab orbe, exterminavit; de quo Suetonius: *Claudius*, inquit, *Druidarum religionem, diræ apud Gallos immanitatis, & tantùm civibus ab Augusto interdictam, penitus abolevit.*

Sueton. in Claud c. 25.

& Aurelius Victor. *Denique bonis authoribus*, inquit, *compressa per Claudium vitia: ac per Galliam, Druidarum famosæ superstitiones: latæ jura quam commodissima.* Verùm hæc jura, quantumvis Romam, Galliam, & fortè Romanum orbem tangebant, in Britanniam tamen nihil potuisse, Monenses Druidæ testantur, ubi eorum sacra cultu publico, statisque cerimoniis celebrari *Fas erat*, inquit Tacitus. Unde patet, quod modò pro Petro disputans asserui, potuisse fideles Româ proscriptos, tutiùs in hac Insulâ, & magis impunè, sacra operari.

Victor in Cæsar.

ANNUS URBIS CONDITÆ 814.
ANNUS CHRISTI 63.
PETRI 19.
CARACTACI REGIS 19.
NERONIS IMP. 7.

I. **Annus varius.**

SExagesimus tertius Christi annus, Cæsonio Pæto, & Petronio Turpiliano Consulibus, Romanis in Britannia militantibus funestus, Britannis in utraque Rep. varius, Insulæ tandem, ob novorum hospitum adventum, qui Druidarum sacris explosis, meliora docuerunt, illustris fuit. Incipio à Romanis, ubi paullò ante desii, in Mona pugnantibus. quorum absentia factum, ut Britanni, injuriarum memores, atque rapinarum, quas hactenus ab externo milite passi fuerant, non jam consilia agitare, sed seriò vindictam in hostem exercere cœperint.

Britanni in Romanos pugnant.

Quod ad tempus attinet, Dio, cladem à Britannis acceptam, & Monæ Insulæ expugnationem, ad superiorem annum, & U.C. octingentesimum decimum tertium; Tacitus, utrumque ad decimum quartum retulit. Ego expeditionem in Monam, quia cladem præcesserat, prius exposui. sequitur de clade dicendum. de qua, hunc annum auspicaturus, ita narrat Tacitus: *Cæsonio Pæto, Petronio Turpiliano Coss. gravis clades in Britannia accepta*, &c. *Tum Paulinus Suetonius obtinebat Britannos*, &c. quæ suprà de Monæ expugnatione dicta. qua decursa: *Hæc agenti Suetonio*, inquit author, *repentina defectio provinciæ nuntiatur.* tum causam defectionis narrat, Boodiceæ Reginæ verbera, filiarum violationem, & bonorum rapinam, quæ Boodiceam ad ultionem accenderant. nam illa belli, & defectionis flammam excitavit; illa imprimis classicum cecinit; denique sub ea, & pro ea pugnatum. quod quia Dio pluribus prosequitur, ipsum exscribo.

Tacit. Annal. l. 14.

II. *Dio l. 62.* **Boadiceа bellorum causa, et incentrix.**

Maximè excitavit persuasitq;, ut bellum cum Romanis gererent Bundùica, Britannica fœmina, orta stirpe Regia: quæ non solùm iis cum magna dignitate præfuit: sed etiam bellum omne administravit. Cujus animus virilis potiùs quàm muliebris erat. Comparato enim exercitu, ad centum viginti millia hominum, in tribunal factum ex terra palustri, more Romano conscendit: fœmina procerissimo corpore, forma honestissima, vultu severo, voce aspera, capillo valdè promisso, fulvoq; μέχρι τῶν γλουτῶν καθεῖτο. ferebat & magnum torquem aureum, induebaturq; tunica variis coloribus distincta, & sinuosa: deinde crassa chlamyde. Cumq; ita vestita semper esset, ac tum hastam quoque haberet in manibus, ut ea omnes perterrefaceret, in hunc modum dixit: Sed priùs, adverto quàm illa loquatur: quod de *Romano more* dicitur militarem fœminam fecisse cum Cespititium tribunal ascendit: id admodum solenne Romanis Imperatoribus fuit: & voluit illa Romanam majestatem, quam oderat, imitari. sic Cæsarem concionantem ad militem Lucanus inducit

Capillus ad nates usque demissus erat.

Tribunal Cespititium.

Stetit aggere fulti
Cespitis, intrepidus vultu meruitq; timeri
Non metuens.

Lucan. l. 5.

Plinius in laudatione Trajani ita de Imperatorio tribunali: *Decora facies Consulis: multa post sæcula tribunal viridi cespite exstructum: nec fascium tantùm, sed pilorum signorumq; honore circumdatum.* Quod isti cespititium tribunal, hoc Tacitus *è terra palustri* confectum vocat. Sed audiamus Imperatricem, exercitum è tribunali alloquentem.

Plinius in laud. Traja.

III. *Dio l. 62.* **Boadiceæ ad militem oratio.**

Equidem vos reipsa persuasos esse puto: quantum libertas antecellat servituti. Nam si quis vestrum ignorans, utra melior esset, blandis promissis populi Romani deceptus fuit; nunc quidem certè utramque experti; erratum vestrum agnoscere potuistis: quod externam dominationem anteposuistis moribus, & institutis patriæ. Intellexistis profectò quantò præstantior sit libera potestas opibus: quæ in servitute possidentur. Quid enim est obsecro tam turpe, quid tam molestum hominibus; quod nobis, ex quo tempore Britannia ab illis primò conspecta est, non acciderit? Nonne maximis atque amplissimis facultatibus privati sumus? Nonne reliquorum tributa pendimus? Nonne præter cætera quæ damus, & agros quos colimus ad eorum utilitatem: nostrorum etiam corporum omnia

tributa

tributa conferimus? At quanto melius fuit, semel fortunatos esse, quam fictis falsisq; nominibus libertatis, singulis annis redimi. Quanto verò honestius mortem occumbere, quam capita tributaria circumferre? Sed quid ego ista commemoro: cum per illos ne mortem quidem liceat immunes cum vita commutare. Etenim quot & quanta pensitemus, mortuorum nomine, omnes profectò scitis. Cumq; is qui servitutem serviunt, apud alias gentes, morte liberentur: soli populo Romano mortui vivunt, quæstus & compendii causa. Quid? quod etsi quis nostrum pecuniam non habet (quomodo enim aut unde habere possit?) exuimur, spoliamur, ut ii qui trucidantur. Quam verò continentiam eorum expectamus, in reliquum tempus; qui nos à principio ita tractent illiberaliter? cum tamen omnes homines feras belluas, quas proximè ceperunt, fovere soleant, & blanditiis delinire. Sed nos ipsi, ut verè dicam, authores fuimus malorum omnium, qui eis principio pedem in hac Insula ponere permisimus. Qui non eos statim, ut illum Iulium Cæsarem, expulimus: qui non eis, cum adhuc longè abessent, ut contra Augustum & Caligulam egimus, navigationem tentatam periculosam esse ostendimus. Nos igitur tantam Insulam, vel potiùs continentem, ac quodammodo circumfluam, divisam & separatam habitantes, tantumq; Oceano à cæteris gentibus disjuncti: ut alias terras, aliud cælum incolere videamur: quorum nomen nè sapientissimis quidem eorum planè fuit cognitum: nunc contempti conculcatiq; sumus ab iis, qui omnino præterquam aliis superiores esse, nihil agere, nihil moliri videntur.

IV. *Quamobrem, ô cives, amici & propinqui (nam ego nos omnes, cum eandem Insulam habitemus, & commune nomen habeamus, propinquos puto) nunc quidem quod antea non fecimus, ac dum adhuc libertatis memoriam tenemus; quod nobis dignum est, censeo esse faciendum: ut non solum libertatis nomen; sed etiam vim & facta posteris relinquamus. Nam si nos, honestè & liberaliter educati, prorsus obliviscamur nostræ felicitatis; quid eos nutritos in servitute facturos esse speremus? Neque verò hæc à me idcirco dicuntur, ut hunc statum qui nunc est, odio habeatis: odistis enim: neque ut ea, quæ nobis eventura sunt, magnopere metuatis: jam enim metuitis. Sed ut vos laudibus afficiam, agamq; gratias, quòd per vos ipsi omnia, quæ necessaria esse videntur, facere statuatis. Quòd mihi atque vobis ipsis promptis animis opem feratis: quodq; vobis Romanos metuendos esse non putetis. Non enim plures sunt numero, quàm vos: non fortiores. Idq; intelligi potest ex galeis, thoracibus, ocreis, quibus muniti estis: præterea ex aggeribus, & muris, & fossis, quas fecistis ad propellendas excursiones hostium· quandoquidem malunt excurrere timoris causa, quam pugnare cominus; ut est nostra consuetudo. Quocirca tantum eos excedimus viribus, ut tentoria nostra muris eorum tutiora, & scuta omni eorum armatura potiora putem. Qua ex re, si apud nos erit Victoria, facilè eos capiemus. Si verò aliqua necessitas obvenerit, effugiemus. Quod si statuerimus nos aliquò recipere: sic nos in paludes abdemus & montes, ut ab iis inveniri aut capi nequeamus. Illi vero gravitate & pondere armorum impediti; neque quemquam nostrum insequi poterunt, neque se in fugam conferre. Quod si excurrant aliquando, mox ad certa loca perfugiunt, in quæ tanquam in caveam à nobis compelluntur. Quibus in rebus, cum multo nobis inferiores sint, tum maximè quòd famem, sitim, frigus, calorem perferre nobiscum pariter non possunt; umbra, tecto, frumento subacto, vino, oleo ita indigent, ut si quid eorum deficiat, moriantur: nobis autem quævis herba, & radix, cibus est; quilibet succus, oleum; omnis aqua, vinum; omnis arbor, domus. Ad hæc loca ipsa nobis sunt familiaria, & quasi socia ad bellum gerendum: illis incognita, & inimica. Nos fluvios nudi & nantes transimus: illis, ne navibus quidem facilè trajiciuntur. Itaque quod fœlix faustumq; sit, contendamus in eos confidenter, ostendamusq; eos, cum lepores sint atque vulpes, temerè conari canibus & lupis imperare.*

Hæc cum dixisset, leporem è gremio dimisit, ominis capiendi causa: qui postquam prosperè processit, universa multitudo lætantibus animis conclamat. Tum Bunduica, manu ad cælum porrecta: Gratias ago tibi, inquit, Adraste, teq; mulier mulierem invoco, non bajulis Ægyptiis imperans, ut Nitocris; non Assyriis mercatoribus ut Semiramis (hæc enim jam à Romanis accepimus) nec rursum populo Romano, ut paulo ante Messalina, post Agrippina, nunc Nero; qui nomine viri appellatus, reipsa mulier est: idq; ex eo intelligi potest, quod voce & cithara canit, quodq; ornatur muliebriter; sed Britannis hominibus, qui non agros colere, nec opifices esse, sed bella gerere optimè didicerunt: qui cum cætera omnia, tum liberos, & uxores communes esse inter se putant: atque illæ ob eam causam eandem virtutem cum maribus exercent. Cum igitur ego apud hujusmodi viros, atque fœminas regnum obtineam; peto abs te, victoriam, salutem, libertatem, contra viros contumeliosos, improbos, insatiabiles, sceleratos: si viri appellandi sunt homines, qui calefactis aquis lavantur, cibis lautè apparatis vescentes, merum bibentes, unguentis delibuti, molliter cubantes, cum pueris, atque iis exoletis coeuntes, citharædo & quidem malo servientes. Non mihi obsecro, non vobis in reliquum tempus imperet Neronia, non Domitia: sed illa cantans dominetur populo Romano: dignus est enim huic mulieri servire, cujus tyrannidem, tam longo jam temporis spatio sustinet. Tu vero Domina, ut nobis sola semper adsis, a te vehementer peto. Hactenus Boadiceæ ad militem concio, ad Adrasten peroratio. V. Adrasten invocat.

VI. Quænam illa? Placuit hæc omnia referre, quia Britannorum bellicam virtutem, severum vitæ institutum, simul & barbariem; item Romanorum indolem, vitia, Neronis Imperatoris libidines, scelera; denique exasperatæ fœminæ inimicum impetum, eleganter exprimunt. Sed quodnam idolum illud? quænam, inquam, Adraste, quam Boadicea tam religiosè invocat? Occurrit primò Astartem videri, numen Sidoniorum: quæ in lucis maximè colebatur: & lucorum supra mentio, quos Druidæ frequentabant, me eò duxit. Verùm, opinor potius, Adrastiam à Regina invocatam, de qua Ammianus Marcellinus: *Ultrix facinorum impiorum, bonorumq; præmiatrix Adrastia, quam vocabulo duplici, etiam Nemesim appellamus.* Hanc alibi vocat idem author, *humanorum spectatricem Deam.* Hanc igitur irata & infidelis fœmina, in pœnam suppliciumque Romanorum invocavit. Nisi mavis cum græco, Andrasten legere, & eandem censere cum Andate, cujus infrà mentio in Dione: qui addit, Britannos eo nomine Victoriam significare. Unde Camdenus, & Usserius, Adrasteu cum Andate confundentes, utramque *Victoria Deam* appellant. Sed quicquid sit, Britanni meliores, antiquato eo numine, cum prælium ingrederentur, Deiparam Virginem, ad opem ferendam multo religiosius implorarunt, ut suo loco ostendam. nunc armatum militem, & fœminam exercitus ducem revisamus. *Ammia. l. 14 c 39. l. 22.* *Camd. in Iceuis* *Usser. in primord. fo. 2.* *V. an. 518. 3.*

VII. Ingentem provincialium numerum, ira atque

indignatione

indignatione armaverat Regina Boadicea: qui Romanum nomen in Britannia extinguere, magno, sed temerario ac tumultuario impetu conati. Initium à Coloniâ fuit, quam suprà diximus Camalodunum deductam. ibi enim quàm alibi major injuria. nam Coloni *pellebant domibus, exturbabant agris*, loquitur Tacitus, *captivos, servos appellando; foventibus impotentiam veteranorum, militibus, similitudine vitæ, & spe ejusdem licentiæ.*

Tacit. l. 14. Annal.

ROMANORUM CLADES.

Dio l. 62.

Quamobrem Boadicea in Trinobantes profecta, & ibi sparsum per castella Romanum militem consectata, cladem intulit omni sæculo memorandam, quam Dio ita describit, cum perorantem fecerat. *Hæc atque alia* (inquit) *cum Bunduica in Concione dixisset; contra Romanos omnibus copiis contendit. Per id tempus, Imperatore destituti erant; quod Paulinus eorum Imperator, in Monam, quæ Insula est finitima Britanniæ* ('ἀγχι τῆς Βρεττανίας *unde distinguitur hæc Mona, ab alia è Menaviis, quæ Hiberniæ æquè ac Britanniæ proxima*) *exercitum duxerat. Quamobrem Bunduica duas Vrbes populi Romani expugnavit, atque diripuit, in eisq́; cædem infinitam fecit. Captis autem hominibus, omnia quæ gravissima esse possunt, facta sunt. Id vero est crudelissimum, atque immanissimum, quòd fœminas nobilissimas atque honestissimas, nudas suspenderunt, excisasq́; mammas earum ad ora ipsarum adsuerunt, ut eas comedere viderentur: earumq́; corpora porrecta in longitudinem palis præacutis transfixerunt. Quæ omnia faciebant contumeliosè, dum sacrificarent in suis templis, & epularentur: & maximè in luco Andates. sic enim Victoriam appellabant, eamq́; colebant studiosissimè.* Hæc Dio, nec Urbes nominans; nec eos qui subsidia veteranis incassum venerunt.

VIII.

Hæc supplet Tacitus: duas Urbes, à fœmina expugnatas, Camalodunum, & Verolamium vocat: aliaque commemorat, huic loco, & rerum narrationi opportuna. Ipsum ergo exhibeo.

Tacit. l. 14. Annal.

Sed quia, inquit, *procul Suetonius aberat: petivere (Veterani qui Camaloduni sedebant) à Cato Deciano Procuratore auxilium. Ille haud amplius quam ducentos, sine justis armis misit. Et inerat modica militum manus, tutela templi freti. Et impedientibus, qui occultè rebellionis conscii, consilia turbabant; neque fossam, neque vallum praduxerunt: neque motis senibus, & fœminis, juventus sola restitit; quasi media pace incauti, multitudine barbarorum circumveniuntur. Et cætera quidem impetu direpta, aut incensa sunt. Templum, in quo se miles conglobaverat, biduo obsessum, expugnatumq́;. Et Victor Britannus, Petilio Cereali Legato Legionis nonæ in subsidium adventanti obvius, fudit Legionem, & quod peditum interfecit. Cerealis cum equitibus evasit in castra, & munimentis defensus est. Qua clade, & odiis provinciæ, quam avaritia in bellum egerat; trepidus Procurator Catus, in Galliam transiit.*

CAMALODUNUM DIRIPITUR.

MONA LEGIO FUNDITUR.

At Suetonius mira constantia, medios inter hostes Londinium perrexit, cognomento quidem Coloniæ non insigne, sed copia negotiatorum & commeatuum maximè celebre. Ibi ambiguus, an illam sedem bello deligeret, circumspecta frequentia militis, satisq́; magnis documentis temeritatem Petilii coërcitam, unius oppidi damno, servare universa statuit. Neque fletu & lacrymis auxilium ejus orantium flexus est, quin daret profectionis signum: & comitantes in partem agminis acciperet, si quos imbellis sexus, aut fessa ætas, vel loci dulcedo attinuerat, ab hoste oppressi sunt. Eadem clades municipio Verulamio fuit; quia barbari omissis castellis, præsidiisq́; militaribus, quod uberrimum spoliant. & deferentes in tutum, læti prædâ, & aliorum insignes petebant. Ad septuaginta millia civium, & sociorum, iis, quæ memoravi, locis, occidisse constitit. Neque enim capere, aut venundare, aliudve quod belli commercium. sed cædes, patibula, ignes, cruces tanquam reddituri supplicium, ac prærepta interim ultione festinabant.*

VERULAMIUM PRÆMITUR.

*laborum segnes.

Quod ad numerum occisorum attinet, cum Dio suprà octoginta millia expresserit, fidelis Taciti interpres Lipsius, non malè conjectat mendum in numerum irrepsisse. Certè authores nostri, & Fasti, in octoginta consentiunt. vel dicendum, Romanum Scriptorem, qui passim Britannorum facinora premit, cladem elevasse. Pergit ille ad Suetonii exercitum, & quid ab eo factum exponere in hunc modum.

IX.

V. an. 60. n. 11.

NUMERUS INTERFECTORUM.

Tacit. l. 14.

Iam Suetonio quarta-decima Legio, cum vexillariis, Vicesimanis, & è proximis auxiliares, decem ferè millia armatorum erant: cum omittere cunctationem, & congredi acie parat; deligitq́; locum arctis faucibus, & à tergo silvâ clausum. satis cognito nihil hostium, nisi in fronte, & apertam planitiem esse, sine metu insidiarum. Igitur Legionarius frequens ordinibus levi circum armatura conglobatus, pro cornibus eques astitit. At Britannorum copiæ passim per catervas, & turmas exsultabant, quanta non aliàs multitudo, & animo adeo fero; ut conjuges quoque testes victoriæ secum traherent, plaustrisq́; imponerent, quæ super extremum ambitum campi posuerant. Boudicea curru filias præ se vehens, ut quamq́; nationem accesserat, solitum quidem Britannis fœminarum ductu bellare testabatur. Sed tunc non ut tantis majoribus ortam, regnum, & opes; verum ut unam è vulgo, libertatem amissam, confectum verberibus corpus, contrectatam filiarum pudicitiam, ulcisci. Eò provectas Romanorum cupidines; ut non corpora, nec senectam quidem, aut virginitatem impollutam relinquant. Adesse tamen Deos justæ vindictæ. cecidisse Legionem, quæ prælium ausa sit; cæteros castris occultari, aut fugam circumspicere. Ne strepitum quidem & clamorem tot millium, nedum impetus, & manus perlaturos. Si copias armatorum, si causas belli secum expenderent; vincendum illa acie, vel cadendum esse. Id mulieri destinatum viverent viri, & servirent.

Ne Suetonius quidem in tanto discrimine silebat: qui quanquam confideret virtuti; tamen exhortationes & preces miscebat, ut spernerent sonoras barbarorum, & inanes minas. plus ibi fœminarum, quam juventutis aspici; imbelles, inermesq́;, cessuros statim, ubi ferrum, virtutemq́; vincentium, toties fusi agnovissent. Etiam in multis Legionibus paucos esse, qui prælia profligarent: gloriæq́; eorum accessurum, quod modica manu, universi exercitus famam adipiscerentur. Conferti tantum, & pilis emissis, post umbonibus & gladiis, stragem cædemq́; continuarent, prædæ immemores: parta victoria, cuncta illis cessura. Is ardor verba Ducis sequebatur: ita se ad intorquenda pila expedierat vetus miles, & multa præliorum experientia; ut certus eventus Suetonius daret pugnæ signum. Ad primum Legio gradu immota, & angustias loci pro munimento retinens, postquam propiùs suggressus hostis, certo jactu tela exhauserat, velut cuneo erupit. Idem auxiliarium impetus: & eques protensis hastis, perfringit quod obvium, & validum erat. Cæteri terga præbuere, difficili effugio; quia circumjecta vehicula sepserant abitus. Et miles, ne mulierum quidem neci temperabat: confixaq́; telis etiam jumenta, corporum cumulum auxerant. Clara, & antiquis victoriis par, ea die laus parta. quippe sunt, qui paulo minus, quam octoginta millia Britannorum cecidisse tradunt, militum quadringentis fermè*

X.

PAULINUS MILITEM ACUIT.

*suggressis hostibus.

Lipsius.

BRITANNI FUNDUNTUR.

PÆNIUS POSTHUMUS SEIPSUM INTERFICIT.

interfectis, nec multò ampliùs vulneratis. Boadicea vitam veneno finivit: & Paunis Posthumus Præfectus castrorum secundæ Legionis, cognitis quarta-decimanorum, vicesimanorumq́; prosperis rebus, quia pari gloria Legionem suam fraudaverat, abnueratq́; contra ritum militiæ jussa Ducis, seipsum gladio transegit. Hæc omnia Tacitus.

XI.

BOADICEA MORITUR.

Dio l. 62.

Quod ad Boadiceam attinet, Britannorum exercitus ducem; non veneno vitam, sed morbo finivisse, Dio disertè tradit, de hujus belli exitu ita scribens: *Diu utrinque pugnatum est pari alacritate & audacia: Romani verò superiores discedunt; multis in ipso prælio, multis ad impedimenta, & ad silvam cæsis: denique multis vivis captis. Effugêre complures, qui parabant iterum pugnare. Sed interim Bunduica morbo extincta est; eamq́; illi luxerunt, & humaverunt magnificè. postquam verò superati essent, fusi ac dispersi sunt.* Putant aliqui hanc Romanorum à Boadicea perpetratam octoginta millium stragem, à Gilda nostro intellectam, & Icenorum hanc Reginam, Lænam dolosam, ab eodem appellatam; cum de Romanis Imperatoribus loquens in Urbem reversis, relictisque in Britannia legatis, hæc habet: *Quibus statim ob inopiam stipendii ut Romani aiebant, repedantibus: & nihil de rebellione suspicantibus; Rectores sibi relictos, ad annuntianda plenius, vel confirmanda Romani regni molimina, Leæna trucidat dolosa.*

Gildas de Excidio.

ASSERITUR TEMPUS, FIDEI IN BRITANNIAM PRÆDICATÆ.

Usser in Primord. fo. 1013.

Placet admodum quod habet Usserius in primosdiis; ubi dicit Gildæ sensum, de annuntiato in Britannia Evangelio, explicans: Inter *summum Tiberii Cæsaris,* & hoc de recepta, à Romanis, Britannia, tempus; fidei lumen in hac Insula affulsisse. sic enim ipse: *Gildas inter tempus hoc Summum Tiberii Cæsaris, quo lumen Evangelii per universum terrarum Orbem spargi cæptum est: & rem à Romanis, post acceptam à Boadicia Regina (quam Leænam ille appellat dolosam) cladem illam maximam, adversus Britannos gestam, de qua proximè verba fecerat: hoc est, inter annum XXXVI. vulgata nostra æra Christiana & LXI. (sed Lego LXIII.) quo à Paulino Suetonio recuperata iterum provincia est, cæsis Britanniorum octoginta millibus: veritatis sua radios Britanniæ primum indulsisse Christum significat. Unde inter gentes Apostolorum ministerio ad fidem conversas, Britannos quoque connumerat Theodoretus.*

XII.

APOSTOLORUM ALIQUIS IN BRITANNIA.

Theodoret. l. 9.

Hoc ipsum est, quod dudum conatus sum Lectori persuadere: Apostolorum aliquem, ante hunc annum, fidei prædicandæ causa, in Britanniam penetrasse. Cui veritati sine dubio favet Theodoretus: qui libro nono græcarum affectionum; cum Græcorum Romanorumque Legislatores docuisset: privatis regnis, aut provinciis, aut Rebuspublicis leges condidisse quæ ab aliis regnis, aut provinciis, acceptari nunquam potuerunt · quantumvis summa dicendi persuadendique arte pollerent: *Contra tamen,* ait, *Galilæos, non solum Romanos, Græcosq́;: verum etiam cunctas barbaras nationes, ad amorem legis Evangelicæ traduxisse.* quantumvis simplices & despicabiles essent. quod cum multo argumento confirmasset, demum infert. *At nostri illi piscatores, ac publicani, sutorq́; ille noster, cunctis nationibus legem Evangelicam detulerunt. Neque solum Romanos, quiq́; sub Romano vivunt imperio; sed Scythas quoq́; ac Sauromatas, Indos, præterea, Æthiopes, Persas, Seras, Hircanos, BRITANNOS, Cimmericos & Germanos: utq́; semel dicatur, omne hominum genus, nationesq́; omnes induxerunt Crucifixi leges accipere: non armis usi, non infinita vi militum delectorum, sed verborum suasu, ostensa legum quas prædicabant, utilitate. Quod sanè ipsum, nec sine magno quidem periculo faciebant.* Quibus planè significat, vel piscatorem Petrum, vel Publicanum Matthæum, vel certè Apostolum Paulum, Britannis Christum prædicasse. Sed cum Matthæum constet Æthiopes docuisse, nec Occidentem invisisse: restat Occidentem nostrum, vel Petrum, vel certè Paulum excepisse. Ceterùm Paulus, Romæ in vinculis detentus, usque ad annum Christi sexagesimum primum; prærogativam illam Petro cessit, qui priùs Urbe pulsus à Claudio, in Occidentem descendit. Si ergo inter annum trigesimum sextum, *Summum Tiberii Cæsaris,* & annum LXI. (ut vult Usserius) Insula Christi fidem excepit, non alium, quam Apostolorum Principem Petrum, excipere potuit.

NEC ALIUS A PETRO.

XIII.

Asserto Christiano fidei doctore primo, & novæ militiæ Principe: superest dicendum, quænam auxiliares copiæ, quodnam supplementum miserit Deus, ut bellum à Petro cæptum, & idolis indictum, non unius sæculi, sed perenne esset. Ut enim Romani captivam semel provinciam, in officio semper continere; & hostem, ne insurgeret, auxiliaribus copiis premere consueverunt: Ita Deus, cæptum semel pietatis opus, novis semper subsidiis solet absolvere. Videamus ergo primò; ut Romani, inutilum nupera clade exercitum, novo milite auxerint: deinde Dei providam mentem venerabor, quòd Petro in Britannia laboranti, novas operas, auxiliares copias, denique supplementum miserit. Romanorum industriam sic laudat Tacitus, & Neronis in tuenda Britannia vigilantiam. *Auxit,* inquit, *copias* Cæsar, *missis è Germania duobus Legionariorum millibus, octo auxiliariorum cohortibus, ac mille equitibus: quorum adventu Romani, Legionario milite suppleti sunt. Cohortes, alæq́; novis hibernaculis locatæ: quodq́; nationum, ambiguum, aut adversum fuerat, igni atque ferro vastatur. Sed nihil æquè, quam fames affligebat serendis frugibus incuriosos, & omni ætate ad bellum versâ; dum nostros commeatus sibi destinant, gentesq́; præferoces tardiùs ad pacem inclinant: quia Iulius Classicianus successor Cato missus, & Suetonio discors, bonum publicum privatis simultatibus impediebat; disperseratq́; novum Legatum opperiendum esse; sine hostili ira, & superbia victoris, clementer deditis consulturum. Simul in Urbem mandabat nullum prælio finem expectarent nisi succederetur Suetonio. Cujus adversa pravitati ipsius; prospera ad fortunam Reip. referebat. Igitur ad spectandum Britanniæ statum missus est ex libertis Polycletus; magna Neronis spe, posse authoritate ejus, non modo inter Legatum, Procuratoremq́; concordiam gigni; sed & rebelles barbarorum animos pace componi. Nec defuit Polycletus, quominus ingenti agmine, Italiæ, Galliæq́; gravis; postquam Oceanum transmiserat, militibus quoque nostris terribilis incederet. Sed hostibus irrisui fuit: apud quos flagrante etiam tum libertate, nondum cognita libertorum potentia erat: mirabanturq́; quod Dux, & exercitus tanti belli confector, servitiis obediret. Cuncta tamen ad Imperatorem in mollius relata. Detentusq́; rebus gerundis Suetonius, quod post paucas naves in litore, remigiumq́; in iis amiserat; tanquam durante bello tradere exercitum Petronio Turpiliano, qui jam Consulatu abierat, jubetur. Is non irritato hoste, neque lacessitus, honestum pacis nomen, segni otio imposuit.* Hæc Tacitus, qui Turpilianum nominans Consulatu defunctum, satis innuit superiora contigisse

Tacit. l. 14 Annal.

SUBMISSA ROMANIS AUXILIA.

ROMANI INTER SE DISCORDES.

POLYCLETUS LIBERTUS A NERONE IN BRITANNIAM MITTITUR.

PETRONIUS TURPILIANUS SUETONIO SUCCEDIT.

eo Consule, & anno Christi sexagesimo tertio.

XIV. Josephus cum Sociis venit in Britanniam.

Quo etiam anno, novæ copiæ, nova auxilia, & nobile supplementum, ad absolvendum divinæ vocationis beneficium, à Petro inchoatum, mittuntur in Britanniam: complentque prodigii sensum, quem suprà, cum simulacrum corruit, & novæ ædes in Tamesi fluvio visebantur, exposui. Enimvero hoc anno venit in Britanniam, qui Deo, & Deiparæ Virgini ædes ponet, permissu Regio, revera novas, & sine exemplo. Venit, inquam, Josephus ab Arimathia dictus: nobilis ille decurio; multoque nobilior pietate in Christum: quem sublatum è Cruce, quò illum factiosorum Judæorum sententia damnaverat; religiosè deposuerat in sepulchro suo. Ille igitur, cum dudum in Gallias, ut suprà, migravisset: atque observasset Romanos, non in omni Insula dominari: nedum religionem aut sacra curare: intellecta etiam Caractaci Regis in Christi cultores humanitate: quæsiturus ibi tutiores latebras, cum Josepho filio, & aliis decem, hoc anno sexagesimo tertio, solvit in Britanniam, Petri odore, exemploque tractus: & fortè ipso innuente, vocanteque socios in copiosam messem. Unde corrigendi sunt illi, qui scribunt Philippum Apostolum, ipsum è Galliis, ubi habebat, in Britanniam amandasse. Hoc enim cum in Petri primæque sedis injuriam dictetur ab iis quos nova factio, & perversus impetus, extra metam veritatis traxit: audiendus est potius Cæsar Baronius; qui Philippum dudum obiisse scribit, Cruci apud Hierapolim Asiæ civitatem fixum, anno Christi quinquagesimo quarto. quod & Eusebius affirmat in Chronico. Nec umbra est, Philippum illum Occidentem, aut Galliam lustrasse. Unde Isidori locum, ubi Philippus dicitur Gallis prædicasse Evangelium, historiarum peritissimi Gallorum nomine, Galatas, hoc est, Asiaticos, non Europæos Gallos, intelligunt. Nam Philippus in partitione Orbis sortitus est superiorem Asiam: & Scythiæ partem peragrasse, author est S. Chrysostomus. Eò igitur trahendi sunt authores omnes orthodoxi Guilielmus Malmesburiensis, Capgravius, Freculphus, Mozarabum officium, aliique hos Authores incautè sequuti; qui Philippum fecerunt Gallorum Apostolum.

V. an. 35. n. 2.

De Philippo Apostolo, et quibus prædicavit.

Isido. de Patrib. utriusque testam. c. 14.

XV. *Godwin. in Convers. Britan.* Quid Freculfus de Josephi missione.

Respondet Franciscus Godwinus, sedulò laborans, exauctorato Petro, Philippum substituere: *Freculphus*, inquit, *Lexoviensis, rationem reddit cur Iosephus trajecerit in Britanniam. Cum enim Philippus Apostolus (vel ut alii potius, Evangelista; nam utriusque res gestæ admodum confusæ) in Galliis prædicaret, negotium habuit cum Druidis; quorum primi præcipuiq; Doctores erant in Britannia. Quamobrem intellecto Insulam nostram, exiguo freto tantum discretam esse à continente Galliæ, existimavit operæ pretium duodecim prædicatores, & Iosephum eorum Principem, eò mittere: qui anno Christi sexagesimo tertio, in Britannis convertendis laboraverunt.* Ita ipse è Freculfo, l. 2. c. 4. Verùm Freculfus ibi, nec Josephi meminit, nec Druidarum, nec Britanniæ: sed ita de Philippo. *Hic Gallis prædicat Christum; barbarasq; gentes, vicinasq; tenebris, & tumenti Oceano conjunctas, ad scientiæ lucem, fideiq; portum deducit. Deinde in Hierapoli Phrygiæ provinciæ urbe, Crucifixus lapidatusq; obiit.* Quod cum diu ante factum, quàm venerit Josephus in Insulam; malè colligitur è Freculfo, Josephi à Philippo missio. Quid quòd Freculfi verba, ex Isidori libro, de Patribus utriusque testamenti, & c. 14. desumpta sunt. & juxta supradicta debent intelligi. quicquid dicat Usserius in primordiis Ecclesiæ Britanniæ; ubi revera primordia omnia evertit, & quantum potest, conatur omnia in dubium vocare: & nunquam sibi constans est. Dico igitur Freculfi & Isidori verba; de Asia potius, quàm de Europa intelligi. In Scythia enim, ubi revera Galatæ, magis barbaræ nationes, vicinæque tenebris. Ibi magis tumet Oceanus: ibi denique prædicavit Philippus. nec inde potuit manum Josepho porrigere, ad trajectum. Melior ergo conjectura, cum Petri Apostolorum Principis causâ; aut famâ nascentis ibi feliciter fidei; aut certè quietioris vitæ studio; cum provectæ jam esset ætatis, Britanniam elegisse pro sepulchro, qui suum Christo accommodaverat: Et Deus voto adfuit: nam ibi placidissimè quievit, ut dicetur.

Freculf. l. 2. c. 4.

Usser. in Primord. fo. 25.

XVI. Cum quibus Josephus in Britanniam venerit.

Cæterùm hoc anno, non ardua fuit Josephi trajectio: cum vel duo Legionariorum millia, vel octo auxiliariorum copiæ, & mille equites, Suetonio in subsidium venerunt: vel certè, cum Polycletus, aliique quos Nero ad componendos diffidentium animos submisit. Cum illis ergo Josephus Pater, & filius ei cognominis, aliique quorum nomina ignorantur, è Galliis in Britanniam solverunt. nec enim animus est, aut operæ pretium vanis conjecturis colligere quinam illi fuerint Josephum sequuti. Nam quod de Petro quodam Rege Orcaniæ, & sexcentis aliis viris fœminisque asseritur, quod Josephum comitati mirabiliter in Britanniam appulerint; non puto dignum Annalibus. nec enim Antiquitates illæ Glastonienses, apud Capgravium, multæ authoritatis sunt: ubi Josephus, Josephi filius, consecratus legitur in Episcopum à Domino JESU, in civitate Sarath, priusquam in Occidentem pergeret: quod Richardus Broughtonus multis conatur ad sanum sensum trahere. Sed non est opus polire omnia, quæ mediæ ætatis scriptores, parum accuratè, veris cæteroquin historiis, de suo immiscuere. & separare debet pretiosum à vili, quicumque fidem, aut humanam mereri vult, aut divinam asserere. *Extractio illa de Sancto Iosepho ab Arimathæa accepta de libro quodam per Theodosium Imperatorem invento in Prætorio Pilati in Ierusalem*: quæ in Capgravio legitur, suspectæ admodum fidei est: nec venalem facit appensa hedera: sed potiùs dat fraudi aut suspicioni locum. nam veris multa miscet; dubia, incerta, vana, falsa. Quis enim id probabit, quod ibi legitur? pigeret me certè referre, nisi super prodiisset orthodoxus unus, qui illud fideliâ suâ dealbat: & paradoxus alter; qui non illud solum, sed omnia, quæ de Josepho, ejusque in Britanniam adventu, doctissimi affirmarunt, sanctissimi probaverunt, & omnia post Josephum sæcula confirmarunt; inter Monachorum nugas, & somnia rejicit, & infirmat. Inter hæc extrema, consultiùs, opinor, eundum est. Nec enim probabo omnia, quæ specioso Evangelii nomine feruntur; quia pseudo-evangelia aliquando obtrusa sunt, nec quatuor sacrosancta Evangelia respuam, quia mentito illo nomine; evangelia aliqua olim legebantur. In medio est Virtus, Fides, honestas; quam illi non assequuntur, qui irato in monachos impetu, quicquid modernæ factioni officit (officiunt sanè multa, si non omnia Antiquitatis monumenta) monachorum deliria, & lacunas vocant. Aliqua meritò

culpanda sunt, & ego non excuso, quæ incomptior ætas obtrusit: ut illud:

XVII. *In vita Ioseph. apud Capg.* FABULA DE JOSEPHI SOCIIS.

Venerunt cum Ioseph (ita apud Capgravium legitur) & sociis; ut legitur in libro, qui Sanctum Graal appellatur; sexcenti & amplius tam viri quàm fœminæ: qui omnes votum voverunt, quod ab uxoribus propriis abstinerent, quousque terram sibi delegatam ingressi fuissent. Quod tamen prævaricati sunt omnes, præter centum quinquaginta: qui jubente Domino, mare super Camisiam ipsius Ioseph transeuntes, in nocte Dominica Resurrectionis applicuerunt in mane. Aliis autem pœnitentibus, & Ioseph pro iis orante, missa est navis à Domino, quam Rex Salomon artificiosè suo tempore fabricaverat, usque ad Christi tempora duraturam. In qua, die eadem ad suos socios pervenerunt; cum quodam Duce Medorum nomine Naciano, quem Ioseph prius baptizavit in civitate Saram, cum rege ejusdem civitatis, cui nomen Mordrains: cui Dominus postea in visu apparens, manus & pedes perforatos ostendit, cum latere perforato. Cui Rex quasi multùm compatiens, dixit: O Domine Deus meus, quis tibi talia inferre præsumpsit? Et Dominus: Hæc mihi, inquit, fecit perfidus Rex Northwalliæ, qui servum meum Ioseph in partibus suis prædicantem, cum sociis suis carceri mancipavit, inhumanitùs negans eis victui necessaria. Tu ergo gladio tuo accinctus ad partes illas properare ne differas; ut vindictam facias de tyranno, & servos meos solvas à vinculis. Rex autem evigilans, & de visione exultans in Domino; disposita domo sua, & regno, iter cum exercitu suo arripuit: & Deo ducente ad locum perveniens, Regi præfato mandavit; quatenus servos Dei liberos abire permitteret. Ille verò mandato ejus nullatenus acquiescens, ei cum indignatione mandavit, quatenus absque mora de terra sua exiret. Quo audito, Rex Mordrains venit contra eum cum suo exercitu, & Duce Naciano suprà memorato; qui ipsum in bello justa ultione peremit. Tunc Rex Mordrains accedens ad carcerem, Ioseph cum sociis suis, in magno gaudio eduxit, narrans ei visionem ostensam à Domino super liberatione eorum.

XVIII. REIICITUR FABULA CUM AUTHORE.

Hæc narratio adferri non debet ad firmandam veritatem aliquam: & in pluribus, facilè cernitur vacui capitis figmentum. Nec author libri, qui Sanctum Graal dicitur, in re seria audiri debet, aut poni inter illustres Britanniæ Scriptores. Et licet Pitsius eum cum illis succenturiet nomine *Eremita Britanni*: fatetur tamen eum, *seria nugosis, pia pravis, sacra profanis, fabulosa veris miscuisse.* Apage ergo sexcentos viros, & totidem fabulæ circumstantias. Apage Regem North-walliæ scriptum in libro per Theodosium Imperatorem invento; quia Regio illa non nisi post multa, à morte Theodosii, sæcula, North-walliæ nomen accepit. Nec refert quod ejus authoris meminerit Guilielmus Malmesburiensis, in suis Antiquitatibus: ita enim ejus meminit, ut de Josepho scribens, sexcentos viros, & totidem fœminas, silentio & tenebris, quàm mentione digniores censuerit. Idem sentio de Antiquitatibus illis Glastoniensibus, quæ sine nomine circumferuntur; & fortè è supradictis, aut similis farinæ scriptis congestæ sunt: sed revera ab illis Antiquitatibus distinguendæ, quas Guilielmus Malmesburiensis seriò collegit, inscripsitque Henrico Blesensi, Abbati primùm Glastoniensi, inde Wintoniensi Episcopo, Henrici primi Anglorum Regis, ex Adela sorore, nepoti. Easdem Adamus de Domerham, & Joannes Monachus secuti & prosecuti sunt. Has genuinas esse & accuratè scriptas agnoscimus, & ab Eremitæ Britanni nugis valdè alienas: alias nullo authoris nomine, nulla etiam veritatis umbra illustres, rejicimus: & Usserii judicium, prudentiamque desideramus, qui vel nescit, vel non vult pretiosum à vili distinguere. Sed quia nugator unus Josephi rebus fabulas miscet; omnia de Josepho antiquorum monumenta convellere & enervare contendit: & unà Britannicæ Ecclesiæ Primordia.

Usser. in Primordiis c. 2

XIX. UNI HOC TEMPORE VESPASIANUS.

Sunt qui opinentur Flavium Vespasianum, unà cum Josepho, hoc anno venisse in Britanniam. Ita Hardingus & Broughtonus. adduntque Caractacum Regem, quem Arviragum vocant, Vespasiani suasu Josepho sociisque favisse, sed certa dubiis corrumpunt. Constat, Claudio imperante, Vespasianum in Britannia feliciter pugnasse: sub Nerone nulla ejus mentio; cum tamen aliorum Ducum, tribunorum, Legatorum, Procuratorum frequens fuerit. Et sanè, post rem à Vespasiano benè gestam in Britannia, Africam ille sortitus est, & postmodum à Nerone in Judæam cum parente missus, quod ad sequentem annum refert Florilegus. nec opus porro conjecturis colligere eos, qui Josephum comitati sunt, duxeruntque in Insulam, cum supra tot eò militum millia deduximus. nunc videndum superest, quid à Josepho factum in Britannia.

XX. JOSEPHUS A REGE QUIETIS LOCUM IMPETRAT.

Igitur ut venit in Insulam Josephus novus hospes; Regem, Romano orbi ob nuperam captivitatem notissimum adiit, exponitque consilium profectionis suæ adventusque in Insulam. nimirum Christi Domini servos & cultores Fidemque non nisi impiissimorum hominum sententia damnatam, in illo saltem extremo terræ, ipsius beneficio latêre, & tutam esse concedat. Se sociosque illam professos, Christi illius cultores esse; eamque & eum paratos docere, si qui idolorum perspecta vanitate, Deum unum, & verum, cuperent venerari: interim exiguo contentos, velle brevem vitam quietè ac tranquillè concludere. Rex, quem adversa nuper ad humanitatem formaverant, Josephi canitiem reveritus, nullam quidem aurem fidem exponenti dedit; frontem tamen hilariùs exporrexit, ipsumque & socios, salvos jussit esse & incolumes, dato ad tuendam vitam commeatu. Imo tam longinquæ peregrinationis; modestiæ, morumque suavitatis opinione permotus, novis hospitibus donavit locum habitationis & quietis, Insulam quandam, horridam ac incultam, rubis paludibusque silvescentem: cæterùm secretiori vitæ opportunam. Locus ille ab incolis Iniswytrin dicebatur: estque in nostrorum Belgarum finibus, ubi nunc Somersetanus ager; quem Brius fluvius stagnantibus interdum aquis priùs Insulam facit, quàm in Uzellæ æstuarium sese exoneret. Olim Britanni, à colore, vitream Insulam; inde à pomorum copia Avalloniam appellarunt alii: quam ita describit Poeta satis antiquus.

Apud Camdenum in Somersetf.

Insula pomorum quæ fortunata vocatur
Ex re nomen habet; quia per se singula profert.
Non opus est illi sulcantibus arva colonis.
Omnis abest cultus, nisi quem natura ministrat.
Ultro fœcundas segetes producit, & uvas.
Nataque, poma suis prætenso germine silvis.
Omnia gignit humus, vice graminis ultro redundans:
Annis centenis, & ultra vivitur illic.
Et nova Hierusalem fuit hæc fidei quoque Luna.
Hæc tumulus sanctus, hæc scala poli celebratur.

XXI. Glastonia.

Sequentibus sæculis, cum Britanniæ imperium penes Saxonem esset, missa pomorum appellatione, primævæ voci inhærentes; iterum à vitro, Glastoniam, & Glasconiam dixerunt: & inde nobilissimum Monasterium, cujus frequens in sequentibus mentio, Glastoniense dictum. Ejus nunc à Josepho jacta sunt prima, sed rudia tantùm fundamenta. Surrexit postea in eam magnitudinem celebritatemque, quam meritò orbis admiratus est: stetitque adventûs Josephi in hanc Insulam, & plurimorum Regum Britannorum, Saxonum, Anglorum eloquens argumentum: Stetit, inquam, quamdiu stetit Josephi & sociorum & Regia Fides. Cæterùm Caractacum sive Arviragum, locum illum Josepho concessisse testantur hi versus.

Apud Capgravium in vita Iosephi.

Intrat Avalloniam duodena turba virorum
Flos Arimathæa Ioseph est primus eorum,
Ioseph ex Ioseph genitus, patrem comitatur,
His aliisq; decem jus Glastoniæ propriatur.

XXII. Josephi ædes Mater Sanctorum.

Hoc in loco novi incolæ, humilem sibi casam, & fundendis Deo precibus aliam, posuerunt. Ubi tanta demum pietas Christinorum enituit, Rege permittente, ut ædes illæ MATER SANCTORUM, ac totius Christianæ religionis fons & origo, à majoribus dictæ sint. Et quia inter paludes & aquas sitæ, cur non ostensæ, prædictæque illo prodigio, quod suprà è Dione, & Tacito retulimus, *domus aquæ scatentis*, τῆς ὀικίας ἐρύδρου? certè magnarum rerum solent esse portenta, & eventa futurorum hieroglyphicis designari: cumque inter antiquæ Fidei monumenta, nullum constantius, nullum nobilius, perennius nullum, Glastoniensi æde: cur non casu idolorum, dæmonum fremitu præostensam putabimus? Cæterùm ædem fundendis precibus à Josepho erectam, Beatissimæ Virgini sacram fuisse, & in ejus honorem mirabiliter à Christo Domino consecratam, Antiqui pariter, & (quod mireris) antiquæ fidei novi hostes affirmant. Hi enim, quò Petrum è Britannia eliminent; satis ambitiosè pro Josepho contendunt: ejusque ingressum & progressum, conquisitis undique argumentis firmant. Nec vident, aut videre volunt, eo modo probari Sanctorum cultum; hoc est, antiquam & Romanam Fidem, quo ipsi nituntur Petrum declinare, & Urbis imperium. Sed qui cæco feruntur impetu, in foveam, quam parant aliis, frequenter incidunt. cæterùm longè meliùs conveniunt in Britannia, Petrus & Josephus, quàm factiosorum argumenta, cum factiosorum fide. Quid enim movit Pseudocantuariensem Parkerum, & tam operosè, pro Josepho, pro templo ab ipso, *divino admonitu, extructo*, pro Glastoniensis ædis antiquitate, disputare, nisi ut Petro exauctorato, nihil illi, nihil Romanæ Sedi, sed Josepho omnia pro fidei beneficio deberemus? Et tamen Romana Fides, quæ summa, & cardo controversiæ est, in Josepho æquè ac in Petro vertitur. Hoc palam fiet ex antiquis inscriptionibus, è Regiis chartis, cæterisque monumentis, quò ipsi provocant: quæ ut benè pro Josephi in Britanniam accessu, ita illustrissimè etiam faciunt, pro orthodoxa & Romana Fide. Quod (fateor) mihi animum stimulumque addidit, ad Annales conscribendos; intuenti novam Ecclesiæ rerumque omnium faciem: & cogitanti non posse illam ullo modo subsistere, si revelata majorum vestigia ponantur in publicum. Quis enim dum ædes à Josepho positas contemplatur; primum, ut factiosi volunt, & antiquissimum fidei monumentum, dum legit ibi cultam à fidelibus Deiparam, dubitabit ultra, ipsam, aliosque immortalitate donatos, & Deo æternùm fruentes, coli posse ac debere. Nec enim ad summam quæstionis, aut felicitatis nostræ faciebat, aut Josephi aut Petri accessus: nisi inde, quid fecerint ipsi, quid crediderint, quid demum docuerint, colligamus. Quod si Josephus Princeps fuit Britannorum Fidei (ut valdè cupiunt factiosi) & Sanctos coluit: cur Sanctorum cultui irascuntur, Josepho interim adulantes? Sed ad rerum supra dictarum, ad ædis inquam erectæ, ac dedicatæ, probationem veniamus: quia surget statim è factiosorum grege unus, qui odio fidei controvertet omnia; & specioso titulo Primordiorum Britannicæ Ecclesiæ, omnia Britannorum Ecclesiæ fundamenta evertet.

Prodigiis præostensa.

A Christo Matri consecrata.

Factiosorum fidem enervat.

Antiquit. Britan. fo. 3

XXIII. Probantur supradicta.

E S. Patritio.

V. an. 430. 4. & V. magnam Bibl. 10. 5. p. 3. fo. 743.

Imprimis occurrit Sanctus Patritius, vir cælo terraque notus, Hibernorum Apostolus. Ille cum ex Hibernia in patriam revertisset anno Christi 439. silentii & quietioris vitæ amans; Glastoniam secessit, notum tunc sanctitatis domicilium. Ubi antiqua cruderans, invenit scripta Sanctorum Fugatii atque Damiani: & dedit illa posteris. Integras ejus literas recitabo inferiùs suo loco; in præsentiâ hæc tantùm. *Continebatur*, inquit, *in illis scriptis, quòd duodecim Discipuli Sanctorum Philippi & Iacobi, ipsam vetustam Ecclesiam construxerunt, in honorem prælibatæ advocatricis nostræ, per doctrinamentum B. Archangeli Gabrielis. insuper quòd Dominus eandem Ecclesiam cælitus in honorem suæ Matris dedicaverat.* Hæc ibi. Sequitur Menevensium Archiepiscopus Sanctus David, insigni miraculo testis, Ecclesiam à Christo consecratam. Cum enim, de more, locum illum sacro ritu expiare & dedicare decrevisset, apparuit ei Christus Dominus, monuitque ne actum ageret. Rem gestam ita describunt Antiquitates Glastonienses à Malmesburiensi collectæ. *S. David cum septem Episcopis, quorum primas erat, loci sanctitudine invitatus, venit Glastoniam, & in honorem Sanctæ Dei Genitricis, illam vetustam Ecclesiam dedicare disponebat. Paratis ergo omnibus, quæ officii illius usus exposcebat; nocte, ut putabat, dedicationis diem præcedente, ut natura exposcit, somno indulsit. Solutus ergo in quietis soporem, vidit Dominum IESVM assistere, causam adventus sui blandè sciscitantem: quam cum ille incunctanter aperuisset; revocavit eum à sententia hoc dicto: Non fiat hoc*, inquit: *dextraq; Præsulis acceptâ, dedicatam à se dudum Ecclesiam in honorem suæ Matris, iteratione humana Sacramentum temerari non debere. Simulq; cum dicto, volam manus ejus digito perforavit. Hoc*, inquit, *tibi signum: id ab homine repeti non debere, quod per meipsum anticipavi facere. Denique mane facto cum pronuntiaturus esset in Missa Canone: Per ipsum, & cum ipso, & in ipso: plenum ei salutis vigorem repromisit refundendum. His terroribus Antistes, somno excussus, diligentius videre desiderat, quæ sibi fecerit Dominus, secumq; admiratur, expectans quid tale factum sequatur. Prodigiale vulnus præsentes attrectant, inspiciunt, & mirantur. Totus ergo ille apparatus concidit: & miraculum divinitùs perpetratum, cunctis audientibus admirationem cumulavit. Et Missâ celebratâ pristinam sanitatem manus recepit.* Hactenus ibi. Quod miraculum etiam à factiosis aliquando recitatur; tacito tamen Missæ nomine, ne novitatis arguantur, quòd Missam è sua Rep. extruserint, atque damnaverint.

E S. David Menevensi.

Antiq. Glaston.

Denique

XXIV. Ex inscriptione antiquâ.

Denique supradicta confirmat antiqua illa inscriptio æri incisa, columnæque infixa in Glastoniensi Ecclesia, quam Franciscus Godwinus, qui Episcopos in Catalogum digessit, ideo refert; ut probet Josephum in Britannia fuisse. Quam etiam nuper Henricus Spelmanus exscribi jussit, & Synodis à se collectis inseruit, multò quàm alii accuratiùs. est autem talis Epigraphe.

ANNO POST PASSIONEM DOMINI XXXI. DUODECIM SANCTI, EX QUIBUS JOSEPH EX ARIMATHÆA PRIMUS ERAT, HUC VENERUNT: QUI ECCLESIAM HUJUS REGNI PRIMAM, IN HOC LOCO CONSTRUXERUNT. QUAM CHRISTUS IN HONOREM SUÆ MATRIS: ET LOCUM PRO EORUM SEPULTURA, PRÆSENTIALITER DEDICAVIT. SANCTO DAVID MENEVENSIUM EPISCOPO HOC TESTANTE: CUI DOMINUS ECCLESIAM ILLAM DEDICARE DISPONENTI IN SOMNIS APPARUIT: ET EUM A PROPOSITO REVOCAVIT: NECNON IN SIGNŨ QUOD IPSE DÑS ECCLESIAM IPSAM, PRIUS CUM COEMITERIO DEDICARAT; MANUM EPISCOPI DIGITO PERFORAVIT: ET SIC PERFORATA MULTIS VIDENTIBUS IN CRASTINO APPARUIT. POSTEA VERO IDEM EPISCOPUS, DOMINO REVELANTE, ET SANCTORUM NUMERO IN EADEM CRESCENTE: QUENDAM CANCELLUM, IN ORIENTALI PARTE HUIC ECCLESIÆ ADJECIT: ET IN HONORE BEATÆ VIRGINIS CONSECRAVIT: CUJUS ALTARE INÆSTIMABILI SAPPHIRO, IN PERPETUAM HUJUS REI MEMORIAM INSIGNIVIT, ET NE LOCUS AUT QUANTITAS PRIORIS ECCLESIÆ, PER TALES AUGMENTATIONES OBLIVIONI TRADERETUR, ERIGITUR HÆC COLUMNA IN LINEA, PER DUOS ORIENTALES ANGULOS EJUSDEM ECCLESIÆ VERSUS MERIDIEM PROTRACTA, ET PRÆDICTUM CANCELLUM AB EA ABSCINDENTE; ET ERAT EJUS LONGITUDO AB ILLA LINEA VERSUS OCCIDENTEM 60. PEDUM. LATITUDO VERO EJUS 26. PEDUM. DISTANTIA CENTRI ILLIUS COLUMNÆ A PUNCTO MEDIO INTER PRÆDICTOS ANGULOS 48. PEDUM.

XXV. Spelmanni censura de Epigraphe. *Spelman. l. 1. Conci. fo. 11.*

Henricus Spelmannus cum hanc Epigraphen, & Laminam cui inscripta erat, artificiosè excudi fecisset, in libro primo de Conciliis. Ibi de exordio Christianæ religionis in Britannia disputans, addit è suo, quid circa Laminam & Epigraphen observandum sit: & ait: *E legendarum somniis est narratio.* Quod si verum: jure quis mirari poterit, authorem nobilem, & equestris dignitatis virum, in re tam ignobili oleum operamque perdidisse: & tam operosè in somnia, in umbras, tenebrasque vigilasse. Si enim è somniis est narratio: cur Christianæ religionis primitias inutili relatione vitians, antiquitatis argumenta cum fabulis componit. Sed ignosce Lector, morbum indicat, quo laborat; ut levi digito arteriam tangenti erit manifestum. Multa ergo causatur, quò spuriam inscriptionem probet: quæ paucis volo percurrere, & excutere. Imprimis dubitat, an Ecclesiæ hac tempestate conditæ fuerint: ait, *saltem id probatu difficile. Cingi tamen*, inquit, *pro more hodierno suis cæmiteriis non constabit.* Tum pergit dicti sui rationem reddere, petito ex Antiquitate argumento. *Multa siquidem*, inquit, *erant in Urbibus Britannicis Ecclesia, mox à primis Christianæ religionis sæculis: nullum cæmiterium usquedum Cuthbertus, decimus ab Augustino Cantuaria Archiepiscopus, qui obiit circa annum Domini septingentesimum nonagesimum octavum privilegium habendi in Urbibus cæmiteria, à Romano Pontifice reportavit. Quis etiam antiquorum affirmaverit, ullos sub primis his sæculis in Ecclesiis sepultos esse? aut in primo sæculo Ecclesias Sanctis dedicatas? aut Beatam ipsam Virginem à coævis suis tum cultam esse, & invocatam?* hæc ille. Qui demum concludit, nihil de dedicatione hac innotuisse per annos plus minus quingentos. Quod suprà ostendi, Patritio Sancto teste, sine ullo teste dici. sed priora excutiamus argumenta somnii.

XXVI. Reiicitur.

Quod ad Ecclesiarum conditionem pertinet hoc primo tempore. Si basilicas publicè prostantes, &

Eccleſiarum erectio, quando?

anguſta forma erectas, intelligit; difficilè, fateor, probatu erit, illas exititiſſe, aut pro hodierno more cæmiteriis cinctas. Quos enim Nero, Judæi, & peſſimus quiſque perſequebantur, latere eos potiùs quàm lucere oportebat. Illi tamen ipſi, Chriſtum ab Apoſtolis docti, Chriſtum ſuic dubio colebant, conveniebantque pariter ad Synaxin: & locum illum, Eccleſiam principio nominabant: ſequenti ſæculo, cum Sacrificium inibi Deo oblatum, Dominicum paſſim vocaretur, ob Dominici corporis oblationem: poſt aliud ſæculum Conſtantinus noſter, ipſas Eccleſias, divino juſſu, inquit, Euſebius, Κυριακὰ vocari præcepit: quam vocem nos in unam ſyllabam contraximus, cum *Church*, Eccleſiam hodieque dicimus. Hanc ergo primis ſæculis extitiſſe, tam certum eſt, quàm fideles ad Sacramenta conveniſſe. Cæterùm quòd ibidem Chriſtiani ſepulti ſint, quantumvis conſtare non poſſit: inde tamen nihil contra Epigraphen infertur, quæ ſolùm dicit Chriſtum dedicaſſe locum pro Joſephi, & ſociorum ſepultura: hoc eſt, ſepulturæ jus & honorem feciſſe illi, à quo mortalis ipſe ſepulchrum acceperat, quod nemo vigilans ſomnium putabit.

Cæmiteria, ubi?

Porrò, cum dicit author, *in Vrbibus cæmiteria non fuiſſe*, ad Cuthberti uſque tempora; non falſum modò, ſed ineptum. Glaſtonia enim, nec Joſephi ſæculo, nec diu poſt, Urbis appellationem habuit. Unde ibi, non obſtante Lege duodecim tabularum, mortui ſepeliri indubiè potuerunt. Et verò Lex illa, quâ cavebatur: *Mortuum hominem in Vrbe ne ſepelito, néve urito*: Romani tantùm, non externi juris erat. Spartani enim, inſtituente Lycurgo, intra civitatem, juxta templa ipſa, ſepulchra fieri voluerunt, ut notat Plutarchus, in Apothegmatis, & Tullius in Tuſculanis: *Condiunt*, inquit, *Ægyptii mortuos, & eos domi ſervant.* Sed miſſis infidelibus, & more Romanorum; Chriſtiani tunc primùm à morte, requiem in Eccleſiis habuerunt; cum primùm requiem & pacem habuit Eccleſia. Ubi enim licuit Sanctorum Martyrum corpora in templis condere; mox fideles cum illis condi, & ſepeliri, pietatis eſſe putabant. Hanc cauſam reddit S. Maximus Taurinenſis Epiſcopus, qui quarto ſæculo vixit. *Ideo*, inquit, *hoc a majoribus proviſum eſt; ut Sanctorum oſſibus corpora noſtra ſociemus: ut dum illos Tartarus metuit; nos pœna non tangat: dum illos Chriſtus illuminat; nobis tenebrarum caligo diffugiat. Cum Sanctis ergo Martyribus quieſcentes, evadimus inferni tenebras, eorum propriis meritis; attamen conſocii ſanctitate.* Et Sanctus Auguſtinus lib. de Cura pro mortuis agenda, c. 18. *Quod verò quiſque apud memoriam Martyrum ſepelitur: hoc tantum mihi videtur prodeſſe defuncto: ut commendans eum etiam Martyrum patrocinio, affectus pro illo ſupplicationis augeatur.* Hunc majorum noſtrorum ſenſum exponam latiùs in Magni Conſtantini funere. nam ille eam ob cauſam, in Urbe, in Eccleſia, & inter Sanctorum Apoſtolorum & Martyrum oſſa voluit ſepeliri; ut Græci pariter, & Latini conſentiunt.

Plutar. in apoth. Cicero l. 1 Tuſcu. qq.

Chriſtiani in Eccleſiis ſepulti.

Maximus homi. de Marty. Taurinen.

Auguſt. l. de Cura pro mort. c. 18.

XXVII. Etiam in Britannia.

Sed quid? peccavit in hunc morem Inſula? & in Britannorum Eccleſiis, nemo ante ſepultus, quàm Cuthbertus privilegium habendi cæmiteria impetravit? Non opinor: Ethelbertus Cantii, & omnium Chriſtianorum Saxonum primus Rex; Auguſtinus etiam Saxonum Apoſtolus, & eum conſequentes Epiſcopi, in Eccleſia Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli ſepulti ſunt. Quæ Eccleſia, teſte Beda, conſtructa eſt: *Vt ipſius Auguſtini, & omnium Epiſcoporum Doroberneuſium ſimul, & Regum Cantii poni in ea corpora poſſent.* Quid ergo factum à Cuthberto, qui decimus ab Auguſtino obiiſſe dicitur circa annum 758? Nihil certè ad præſentem quæſtionem faciens: nec privilegium ipſe impetravit habendi in Urbe cæmiteria; ſed tantùm principi Eccleſiæ ſuæ velificans, jus ſepulturæ monaſterio Apoſtolorum conceſſum ab Auguſtino & Ethelberto, in ædem principem, ubi ſedit, tranſtulit. & voluit, contra aliorum Archiepiſcoporum morem, ibi ſepeliri: ut dicam anno, quo moritur, ſeptingenteſimo quinquageſimo octavo. tunc enim, nec diutiùs vixit. Cæterùm quia dictum Monaſterium extra Urbem erat, magnaque contentio de Juris tranſlatione, Monachos Clerumque vexavit. Hinc fortè aliqui cenſuerunt, non licuiſſe in Urbibus ſepulturam. Sed, opinor, falſi ſunt, cum Maximus ſuprà dixerit, aliter à majoribus proviſum: & Sanctus Ambroſius, propè Sanctos Martyres, in ſua Mediolanenſi Eccleſia ſepultus ſit. Cum denique id ubique factum; ex quo Sanctorum corpora, quæ extra Urbes in cæmiteriis cryptiſque humiliùs jacebant, ſub Chriſtianis Imperatoribus in Eccleſias intra Urbes migrâverunt: ut notat Eccleſiaſticarum conſuetudinum accuratus obſervator, Cæſar Baronius. Scio quidem Concilium Bracarenſe caviſſe ſub annum Domini quingenteſimum octogeſimum tertium, ne defunctorum corpora in Sanctorum Eccleſiis ſepeliantur; permittit tamen circa murum Eccleſiæ in cæmiteriis ſepeliri: & propiùs ad Cuthberti Dorobernenſis tempora, Concilium Moguntinum, anno Chriſti octingenteſimo decimo tertio, indulget fidelibus laicis intra Eccleſias ſepeliri.

Beda l. 2. c. 3.

Baronius to. 2. ad an. 226.

XXVIII.

Sed demus Spelmanno omnia. Fideles XII. tabularum legibus obnoxios, intra Urbes non habuiſſe cæmiteria, ante Cuthberti tempora: non inde ſequitur ſomnium eſſe, quod narrat Epigraphe. nam locus ille deſertus & invius, quem Joſephus ſociique coluerunt, needum in Urbis magnitudinem nomenque ſurrexerat, cum Chriſtus illum conſecravit. Pergo igitur ad aliud, quod à Spelmanno pro fabula reputatur; in primo ſæculo, Eccleſias Sanctis dedicatas, aut B. Virginem à coævis cultam eſſe. Hic enimvero morbi paroxiſmus. Et quia nuper Sancti omnes exauthorati ſunt, Calvino Dictatore: ideo nec olim culti ſunt, aut templa illis conſecrata. Sed quo argumento? In primo ſæculo, inquit, nemo antiquorum affirmat Eccleſias Sanctis dedicatas fuiſſe. Verùm quid ſi altero, tertio, quartóve ſæculo; & culti ſancti, & templa illis poſita? & antiqui mortaliumque doctiſſimi id affirmarunt? nonne inde ſufficienter concluditur; aut idem factum, aut ſaltem fieri potuiſſe primo ſæculo? Ego certè non putarem ſomnium eſſe affirmare id factum à fidelibus primo ſæculo in religionis opere, quod ubique, & innocepter factum ſequentibus ſæculis. Et ille potiùs ſomniare dicendus eſt, qui fidei Meridiem quærit in aurora: qui, inquam, Eccleſiarum ſplendorem, & ſolennem earundem apparatum, oſtendi ac demonſtrari petit: cum ſacra omnia occultari, & fideles ipſi latere cogerentur. Cæterùm ſi quæſtio ſit, Quis antiquorum affirmaverit, cultam eſſe Deiparam, primo ſæculo: aptè reſpondetur, eos omnes id ſufficienter innuere, qui eam altero, tertióve ſæculo, cum laude coluerunt. Sed

Eccleſiæ quando Sanctis dedicatæ.

quinam illi? Patentur Sectarii, Sanctorum invocationem, in ipsa prima sæcula irrepsisse, & Deiparæ cultum imprimis intelligunt. *Videas*, inquiunt Magdeburgici, *in Doctorum tertii sæculi scriptis non obscura vestigia invocationis Sanctorum.* Hi, opinor, antiqui fuerunt. Antiquus est magnus Athanasius, qui Virginem invocavit quarto sæculo, invocaturus sine dubio si primo sæculo vixisset.

XXIX. *Cent. 2. fo. 340.* MAGDEBURGENSIUM OBJECTIO SOLVITUR.

Sed contra Magdeburgici: *In scriptis Apostolorum, de invocatione MARIÆ, Apostolorum, & aliorum Sanctorum mortuorum, neque præceptum, neque exemplum ullum reperitur.* Ita negativo, hoc est, malignantis naturæ argumento, paradoxa sua tuentur. Apostoli non præceperunt coli Apostolos: ergo colendi non sunt: Exemplum nullum dederunt Deiparam colendi: ergo perperam illam veneramur. Sed errant in assumpto, & ubique malè concludunt: præcepta è Scriptura suppetunt, & exempla Sanctorum cultum probantia, ut passim affirmant orthodoxi. Et Petrus Apostolorum Princeps quia viginti annos Deiparæ supervixit, cur non potuit mortuam colere, qui adhuc viventem veneratus fuerat. Imò verò & potuit, & coluit, colendamque præcepit illa oratione, qua in sua Liturgia usus, ita Deum Patrem affatus est: Ῥῦσαι ἡμᾶς, δεόμεθα κύριε, &c. *Libera nos, quæsumus Domine, ab omni malo, præsente, ac futuro, intercessionibus immaculatæ & gloriosæ Dominæ nostræ Deiparæ, semperque Virginis MARIÆ.* Item in Liturgia Jacobi Minoris. *Commemorationem agamus, sanctissimæ, immaculatæ, gloriosissimæ, benedictæ Dominæ nostræ, Matris Dei, & semper Virginis MARIÆ, atque omnium Sanctorum & Iustorum, ut precibus & intercessionibus eorum, omnes misericordiam consequamur.* Clemens Romanus Pontifex ad primum sæculum: & quia legitimus Petri successor, præceptum & exemplum dedit pro cultu Sanctorum. Ita enim in constitutionibus loquitur. *De Martyribus verò præcipimus vobis, ut sint in omni honore, ut apud nos fuerunt Iacobus Episcopus, & Condiaconus noster Stephanus. Hos enim, & Deus beatos fecit, & viri sancti honorarunt.*

Liturg. Petri ante medium.

L. 5. Constit. Apost. c. 8.

XXX. DEIPARA MERITÒ COLENDA.

Iterum, si de honore cultuque mentio est à coævis: nonne Christus Matri coævus, illam honoravit? Et cur mihi, aut Josepho, non licebit, Dei Matrem, quia Mater est honorare? Porrò si honorem cultumque in terra mortalis meruit primo sæculo, cur non merebitur immortalis? Si Christus promisit, ministrantes sibi honorificandos à Patre, qui in cælis est: cur carebit prærogativâ illa, quæ præ omnibus, & super omnes Christo ministravit, etiam carnem & sanguinem suum? Verè, nimis honorati sunt amici tui Deus omni sæculo: & quidni Mater tua Deus, primo sæculo? Tunc Deus in cælo, Angelique omnes, illam gloria & honore coronarunt: & solùm in terris manebit ingloria? Hæc orthodoxo sensui, somnia potius videntur, quàm Dei Matrem primo sæculo in Britannia cultam esse. Coluit igitur: & Apostolorum exemplum sequuta Insula; ut illi ædem Nazarenam, ita hæc Glastoniensem Deo, Deiparæque consecravit. nec facilè reperire est, qui cultum primo sæculo negaverunt, præter Judæos Deicidas, aut certè Cherintum, aut Ebionem; qui de Christo humiliter sentientes, nihil mirum si Matri parùm detulerunt. Sed satis de cultu: videamus aliud.

Io. annis 12.

XXXI. ECCLESIARUM DEDICATIO.

Displicet Spelmanno Ædis dedicatio. Id novum, scilicet, & primo tempore inauditum. Hic non multùm exerrasset vir eruditus, si tempora, si mores, & inde consequentia distinxisset. In primo alteróve sæculo, ubi Christi Fides & nomen, sudes erat in Judæorum & infidelium oculis; ubi illam Nerones, & alii, persecuti sunt; ubi in cryptis, locorumque angustiis operari sacris consueverunt Antistites; quis non videt, nec sacras ædes prostare, nec fixam sacrificio sedem esse potuisse? Et quomodo tunc in luce, & palam, exstrui templa possent, aut solenni sacrorum cæremoniâ eminere? Dico tamen etiam in illa rerum obscuritate & caligine, Ecclesiæque in cunis vagientis infantia, locum sacris destinatum, ab alio loco, signo aliquo differentem, adeoque sanctiorem fuisse. Unde signo Crucis, illum ab Apostolis distinctum fuisse, suprà dixi. Verùm ubi Fidei professio foras prodire cœpit, & impunè prædicari; major statim Ecclesiarum splendor & majestas; & demum solennium sacrorum religio fuit. Hic historici nostri fatentur Britanniæ Regem, quem illi Arviragum, ego Caractacum voco, Josepho, sociis, fideique Christianæ favisse. Potuit ergo in agro Glastoniensi oratorium extrui, in sepulturæ locum erigi, & potuit Christus, sine somnii suspicione, præsentialiter honorare sepulchrum ejus qui olim illi indulserat suum. nam bonitas & miserationes ejus super omnia opera ejus. Porrò, cum à Davide dictum sit viris, qui sepelierunt Saul: *Benedicti vos à Domino, qui fecistis misericordiam hanc cum Domino vestro Saul: & sepelistis eum: & nunc retribuet vobis Dominus misericordiam, & VERITATEM:* Quidni in VERITATE, & non in somnio, Josepho Christus retribuit misericordiam suam: cum ecce plusquam David iste?

V. an. 60. 13.

2. Regum 2.

XXXII.

Si in secundum sæculum descendis, & in Lucio Christiano Principe beatam Insulam: ubi sacra omnia patere, solennes ceremoniæ palam esse, & lucere cœperint: illicò expiari profana loca, & sacris precibus lustrari perspicies infrà. Quod si in illo tenebrarum, lucisque confinio, litigaverit fortè adversarius (ut ferè solet, adminiculo effugioque alio destitutus) ascendat inde ad majorem diem, fideique meridiem, Constantinum: Quando *Encænia seu templorum consecrationes festivæ fuerunt*, inquiunt Magdeburgenses. Jam verò qui hunc Fidei Ecclesiæque solem rectis oculis intuetur: qui Glastoniensis loci sanctitatem, quindecim sæculorum consensu ratam, probatamque repetit: qui Regum chartas & diplomata legerit supradicta omnia attestantia: nullam hîc noctem, nullum hic somnio locum; sed aperta omnia, & luculenter asserta censebit. Et jure mirari poterit (nisi factionis genium intimè noverit) in dubium hodie vocari, quod majores nostri, & tot sæcula, sine dubio crediderunt. Stet ergo Epigraphe integra, stet laminæ Fides: & una constet Davidis Menevensis authoritas: scribatur Glastoniæ ædes Virgini sacra: & piè credatur Christum Josepho sepulchrum, pro sepulchro reddidisse. Rogandi interim sunt moderni Authores, antiquorum monumenta lustrantes; ut æquiori deinceps oculo, rudera expendant: & illa non è Calvini, hesterni hominis, sensu; sed è majorum nostrorum mente fideque metiantur. hoc enim est Antiquitatem colere, & majorum vestigiis, qui in omnium virtutum genere eximii fuerunt, insistere. Qui

V. an. 184.

Cent. 4. fo. 452.

secùs faciunt, Britannicarum Ecclesiarum primordia non illustrant, sed violant vitiantque. & illi imprimis, qui loca Deo dicata, profana fuisse contendunt, hoc est nullo sanctiore ritu sacra.

XXXIII. Loca sacra sunt Ecclesiæ.

Enimvero qui vel naturam ducem sequuti sunt, omni tempore, aut lumen illud quod ad benè beatéque vivendum hominem manuducit: ut Numen aliquod, ita Numini dicata loca, sacrosancta esse voluerunt. Hinc orta apud infideles templorum reverentia; aræ, altaria, adyta, penetralia; quæ omnis ætas, natio, & homines quantumvis barbari, religiosè semper habuerunt: quod nomine quoque expressum; cum loca illa Augusta, hoc est, auguriis sacrata, vocaverunt. Unde illud Ovidii poëtæ:

Ovid. l. 4. Fast.

Sancta vocant Augusta Patres, Augusta vocantur
Templa, Sacerdotum ritè sacrata manu.

Divinius nomen, Christianorum templa sortiuntur, à nato Christo: cui cum data esset omnis potestas, quæ in cælo, & quæ in terra: Sacrificio temploque colendum edixit Pater Æternus: Utrumque à Christo rerum omnium Domino Κυρίακον, seu Dominicum appellatum esse, & suprà paucis, & infrà pluribus ostendo, quod dignitatem infert, & aliquo saltem cultu colendam majestatem. Hunc cultum Moysi & Salomoni olim dictavit Deus. nam refert Scriptura: *Sanctificavit Salomon medium atrii, ante templum Domini: obtulerunt enim ibi holocausta. Fecit ergo Salomon solennitatem in tempore illo septem diebus, & omnis Israël cum eo. fecitq; die octavo collectam, eò quòd dedicasset altare septem diebus.* Cum locum illum Achaz impiè temerasset, immolans Diis Damasci victimas: iterum per Ezechiam consecratur. Tunc *Sacerdotes ingressi templum Domini, ut sanctificarent illud, extulerunt omnem immunditiam.* Antiochus Epiphanes rursum locum profanavit: sed iterum Judas Machabæus: *Elegit Sacerdotes sine macula, qui mundaverunt sancta, & fecerunt dedicationem Altaris, diebus octo. Et statuit Iudas, & fratres ejus, & universa Ecclesia Israels ut agatur dies dedicationis Altaris in temporibus suis.* Christus non venit solvere legem, observavit ergo hunc ritum, probavitque: cum *Facta sunt encænia in Ierusalem, & hiems erat.* Itaque natura, Moyse, Christo docentibus, divino muniti & naturali jure templa consecramus: quæ Augusta, & Sacrosancta sunt adeo; ut Cæsares ipsi & Imperatores Augusti nomen inde sibi sumpserint: quo metum sui reverentiamque mortalibus, ea appellatione, incuterent. Hinc par ferè piaculum, Imperatorem, & Templum violasse. par certè utriusque criminis pæna: nempe Legis Juliæ majestatis, quò respexit Prudentius, cum dixit, quod nunc factum cernimus:

2. Paral. 7. — 2. Paral. 28 — 1. Macha. 4 v. 42. & v. 50. & 59. — Ioannis 10. 22. — Augustorum nomen unde sumptum?

Prudon. in Romano Mart.

Sprevisse Templa, respuisse est Principem.

XXXIV.

Hactenus Spelmanni censuram, Glastoniensis loci Ecclesiæque sanctitatem, non ex antiquorum fide, sed Calvini perfidia metientis excussimus. & unà Usserii (qui Armachanum se scribit Episcopum; & nunc cum Episcopi nomen aversantibus, contesserat) morbum, deteximus. Hic cum veris fabulosa miscuisset; omnia indiscriminatim, *Monachorum lacunas* vocat, & nisi in Polydorum Vergilium incidisset, historiam fortè omnem, de Josephi adventu elevasset. Polydorus ergo *Vir naris emunctioris*, inquit Usserius, *sublatis crassioribus illis Monachorum fabulamentis, historiam hanc ita proponit. Ioseph ille, qui teste Matthæo Evangelista, ab Arimathæa civitate oriundus, Christi corpus sepelierat, sive casu, sive consilio, ita volente Deo, cum non parvo comitatu in Britanniam venit: ubi tam ipse, quàm socii ejus, cum Evangelium prædicarent, atque dogma Christi sedulò docerent, multi per hæc ad veram pietatem traducti, salutiferaq; fruge imbuti, baptizati sunt.* Cæterùm non unus Polydorus, sed antiqui passim Josephi sociorumque adventum prædicant: non domi solùm, aut in subsellio aliquo inferiori illud mussitantes; sed illud ipsum in luce omnium gentium, signatis tabulis, cum rerum gravissimarum controversiæ agerentur, stipulati sunt. Quod & adversarii ingratis fatentur. Ita enim scribit qui supra Armachanus.

Usser fo. 19.

XXXV. Armacha. fo. 22. Josephi adventus stabilitur.

Illud minimè prætereundum, quod in Europæorum nostrorum Synodis generalibus; quando de Britannici regni dignitate, cum Gallis & Hispanis, habita est controversia; ad hanc de Iosepho traditionem provocare subinde soliti sunt Anglicanæ gentis oratores. Agitata est hæc quæstio anno millesimo quadringentesimo nono, in Pisano primùm: deinde anno millesimo quadringentesimo decimo septimo in Constantiensi Concilio. ex quo excerpta est nobilissima disceptatio super dignitate, & magnitudine regnorum Britannici & Gallici, habita ab utriusque Oratoribus & Legatis in Concilio Constantiensi, Lovanii anno millesimo quingentesimo decimo septimo typis excusa. Eam ex Actis Concilii, in ipsa Urbe Constantiensi asservatis, edendam curavit D. Robertus VVingfeldius, eques auratus, Henrici VIII. Anglorum Regis, ad Maximilianum Imperatorem, Orator: quam etiam in duobus manuscriptis ejusdem Concilii exemplaribus invenimus. Hic verò, cùm in trigesima sessione, mota esset hæc quæstio: An juri & rationi consonum sit, æquiparare regnum Angliæ, regno Franciæ in Concilio generali. *Pro dignitate Ecclesiæ Anglicanæ, inter alia allegatum est: quod statim post passionem Christi, Ioseph ab Arimathia, nobilis decurio, qui Christum de cruce deposuit, cum duodecim sociis, vineam Domini de manè colendam, Angliam videlicet ingressus est, & populos ad Fidem convertit. Quibus Rex duodecim Hidas terræ, in Diœcesi Bathoniensi pro victu assignavit. Qui in Monasterio Glastoniensi, Bathoniensis Diœcesis, ut scribitur, tumulantur. Super quibus duodecim Hidis prædictis, dictum Monasterium antiquitùs dotatum dignoscitur.* Sed regnum Franciæ tempore Sancti Dionysii, & ejus ministerio Fidem Christi recepit.

XXXVI.

Idem etiam in Senensi Concilio, anno millesimo quadringentesimo vigesimo quarto, à Richardo Flemmingo, Lincolniensi Episcopo, & Lincolniensis Collegii apud Oxonienses conditore propositum est, cum adversus Hispanos, Scotos, & Gallos, coram Martino V. ab Anglis renovata esset hæc controversia, Sed in Basileensi præcipuè Concilio, anno millesimo quadringentesimo trigesimo quarto, inter Oratores Regis Angliæ, & Castellæ efferbuit hæc contentio. Tunc enim Oratores Regis Angliæ (ait Alphonsus Garzias, pro Hispaniarum jure in Synodo advocatus) tam in præsentia vestrarum reverendissimarum Paternitatum, quàm in sacra deputatione Reformatorii dixerunt: præferendos se propter antiquiorem susceptionem Fidei Christianæ. nam dicunt, quod ille nobilis Decurio Ioseph ab Arimathia, unà cum aliis, anno XV. post Assumptionem gloriosæ Virginis MARIÆ, venit in Angliam, & magnam ejus partem ad fidem Christi convertit. Et post non longo tempore à Passione Christi, Eleutherius Papa regnum Angliæ totaliter convertit ad Fidem. Hæc ille, Anglorum Oratorum argumenta proponens; quæ licet enervare conetur, admovet tamen

adminicula tam infirma, ut Anglorũ causæ patrocinari magis quàm adversari videantur. Etenim quod ait Josephum in Britanniam hoc anno (qui decimus quintus est ab Assumpta Deipara) venire non potuisse; quia *Titus intrans Ierusalem, quendam murum densissimum vidit: ipsumq; perforari jussit: & intùs quendam senem repererunt, qui dixit se esse Ioseph ab Arimathia: & se ibidem esse inclusum à Iudæis; quia Christum sepelisset: & quod usque ad tempus istud cælesti cibo sit pastus.* Quis non videt, antiquissimam receptamque majorum Traditionem, tam futili argumento refellendam non esse? Enimvero incertæ narrationi & inani fabulæ Oratores Angli opponunt ita.

XXXVII. *Certum est in Anglia reperiri in libris Antiquissimis & Archivis, præcipuè in Archivis Abbatiæ notabilis Glastoniensis, Diœcesis Bathoniensis: quod Ioseph ab Arimathia, cum duodecim sociis (aut ex persecutione Herodiana, aut Præsidum Romanorum in Iudæa) ad Angliam vectus est. Ibidem quæ de Christo viderat & audierat, prædicavit: & prædicando plures convertit: convertendo multa, & infinita sibi ab illis, quos converterat ad Fidem, collata conquisivit. Conquisita postea templo, Christo per eum erecto, reliquit. Quod templum a Iosepho erectum, in locum religiosum, & Abbatialem dignitatem translatum est. Et laus Christi per notabile Monasterium præservatur ad præsens.* Ita illi, in Basileensi Concilio, & pro Anglici regni prærogativa: quam meliùs infrà urgebimus, cum Christianorum in Europa Regum primus, Christi fidem amplexus, Romam matrem, & Christum Patrem agnoscens, illum & illam ubique per regnum coli permittet, insigni Legatione Romanum Pontificem veneratus: Unde Britannia, primogenitæ filiæ nomen merebitur ab Ecclesia.

Usser in Primord. fo. 25.

XXXVIII. Hactenus pro Josepho, pro Glastoniensi tabula, pro cultu Virginis, & Sanctorum, contra modernæ factionis reliquias disputatum, ex antiquis Insulæ monumentis: quæ nunc inimica Virgini ætas, & secta è nescio quibus repetitis nuptiis nata erasit, ne saxa & rudera factionem condemnarent. Cæterùm Britannia, quæ Matri Virgini, decimo quinto post Assumptionem ejus anno templum posuit: eandem postea, omni ævo, religiosè coluit. & adeo Britannorum, Saxonum, & Anglorum pietas in Deiparam eminuit: ut dicta sit Anglia *Dos MARIÆ.* Cujus appellationis initium quia non obvium invenire, cogor è plurimis argumentis, & æterno constantique provincialium affectu in illam Virginem, opinari esse antiquissimum: Si inquiro, cur ita dici placuit; occurrunt multa, quæ ante Anglorum tempora, nuncupationi ansam præbere potuere. Quorum illud non est ultimum; quod Lucium genuerit, primum, in Europa, Christianum Regem; quique Glastoniensem hanc ædem ut dicetur, devotè ornavit. Et dotem hic accipio, quod sponsæ dari solet, cum prima prole fit Mater. Si altiùs repetitur nominis prærogrtiva, esto appellationis causa Josephus, qui primus in Occidente Virgini Matri templum posuit, & cives docuit preces ad illam fundere. Meritò igitur Insula, quæ magnam Matrem prima coluit, permissu regio; inter prima, & præcipua illius Matris bona numeratur, & id in Sponsa Dotem dicimus. Addo illud psalmi, à Deo Patre dictum filio: & quidni putandum, à filio dictum Matri, *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ*, in Britanniam nostram eleganter cadere: quæ passim, hoc primo sæculo, audivit, extremum terræ. Hinc Regum nostrorum in Deiparam devotio, cui Angliæ regnum in Dotem consecrarunt. Extat Romæ in Anglorum Collegio, duorum Regum effigies, seu tabula pervetusta, ubi Rex & Regina genibus nixi Insulam Britanniæ, interprete S. Joanne, Deiparæ offerunt, hoc lemmate:

Dos tua Virgo pia, hæc est: quare Rege MARIA.

è Regiis vestibus quæ auro, liliis, & aquilis insperguntur, Silvester à Petra Sancta non malè collegit Richardum eo nomine secundum (regnare cœpit anno millesimo trecentesimo septuagesimo octavo) & Annam quarti Caroli Imperatoris filiam, exprimi. Ab eo igitur tempore constans argumentum est, Insulam, non tam in MARIÆ dotem cessisse, quàm olim, & ab antiquo, Dotem fuisse.

Petra Sancta in tesseris gentilitiis. fine.

Meminit Glastoniensis ædis, inter antiquos, Sanctus Augustinus Anglorum Apostolus: & scribens ad Magnum Gregorium testatur eam, nulla hominum arte constructam: quod ego juxta præcedentia intelligo; consecratam esse à Christo Domino. literarum partem referunt Mathæus Parkerus Cantuariensis, & Franciscus Godwinus Landavensis, sed ultimæ editionis, Episcopi, & est hujusmodi. *Est in confinio Occidentalis Britanniæ quædam Regalis Insula, antiquo vocabulo Glascon nuncupata; latis locorum dimensa finibus, piscosis aquis, stagneis circumdata fluminibus, & plurimis humanæ indigentiæ usibus apta; sacrisq; (quod maximum est) dedicata muneribus. In ea siquidem primi Catholicæ legis Neophyti, Ecclesiam nulla hominum arte constructam (ut ferunt) imo humanæ saluti à Deo paratam repererunt. Quam postmodum (prosequitur Usserius) ipse cælorum fabricator, multis miraculorum gestis, multisq; virtutum mysteriis, sibi sanctæq; Dei Genitrici MARIÆ consecratam fore demonstravit. Huic etiam aliud addiderunt opere lapideo oratorium, quod Christo, ejusq; Sancto Petro Apostolo, dedicaverunt.* Hæc S. Augustinus. Licet Usserius, non Augustini, sed alterius vetusti authoris, quem nominare non potest, esse contendat. Sed quicquid sit: cum adversarii illud recitent, in Britannorum Fidei firmamentum; quid inde, nisi Romana Fides asseritur? Quid nisi antiqua Ecclesiarum dedicatio, & cultus Deiparæ. His omnibus astipulantur ea quæ in Josephi vita leguntur: & satis significant, locum à Deo electum Ecclesiæ ponendæ. nam ita habetur. *Prædicti Sancti, in eodem deserto conversantes, post pusillum temporis, per Archangelum Gabrielem, in Visione admoniti sunt, Ecclesiam, in honore Sanctæ Dei Genitricis, & perpetuæ Virginis MARIÆ, in loco eis cælitus demonstrato, construere. Qui divinis admonitionibus obedientes, capellam quandam percircuitum, virgis torquatis muros perficientes consummaverunt, anno post Passionem Domini trigesimo primo: ab Assumptione vero Virginis gloriosæ quinto decimo.* Quod ad tempus attinet; passim creditur structa Ecclesia, hoc anno sexagesimo tertio, qui revera est decimus quintus ab Assumpta in cælum Deipara, ut Eusebius & Baronius consignant; asserentes Christi annum quadragesimum octavum, immortalis vitæ exordium Virgini fuisse. Et hæc satis de Josephi sociorumque adventu. nunc quæ eorum adventum consequuntur videamus.

XXXIX. (margin)

Apud Antiq. Britan. prio. Godwin. in Catalo.

Usser primord. fo. 107.

Apud Capgra. in Iosepho.

ANNUS URBIS CONDITÆ 815.

ANNUS CHRISTI 64.

PETRI 20.

CARACTACI REGIS 20.

NERONIS IMP. 8.

I. Quid factum a Josepho.

P. Mario Celso, & L. Asinio Gallo Coss. & Christi anno sexagesimo quarto. Josephus & socii facto expresserunt, quid in Britannia, quid in Glastoniensi Insula prætenderent. nimirum Deum unum esse; eumque relictis idolis unicè colendum, opere magis, quàm voce aut verbis ostendere. Est ergo magnum operæ pretium contemplari, quale vitæ institutum, novi hospites, in Christi schola educati; & susceperint ipsi, & posteris ad sequendum reliquerint. Enimvero cum Christiani fuerint, & Christianorum omnium, qui quidem demonstrari possunt, primi, domicilium in Britannia figentes; & quos non modo orthodoxi, sed paradoxi etiam reverenter excipiunt, agnoscuntque Christi præcones: cur non in dubiis fidei, eos controversiarum arbitros statuimus: quod credidere, quod docuere, quod fecere, sectantes? Franciscus Godwinus, cum Josephum probasset in Britanniam venisse, hæc de illo, sociisque habet: *Josephus, & socii, cum prædicando parum proficerent; tandem monastica se vita tradiderunt.* Itáne verò Christianæ religionis præcones primi, tam cito hastam clypeumque abjiciunt, & labori succumbunt? Quorsum quæso quiescunt illi, nisi quia præcesserant alii, qui propagandæ fidei studio, nec aliam ob causam, in Britanniam descenderant? Si enim Petrus Episcopos ordinavit, & Clerum distinxit: cur non quiescerent illi, qui non tam prædicandi aliis, quàm sibi suæque saluti consulendi causa, Deum contemplando, venerunt. Iterum si Josephus & socii monasticam vitam professi sunt; & fundamentum posuerunt illius instituti, quod deinceps per Insulam fuit florentissimum: cur monasticam vitam novatores publicis comitiis proscripserunt: & interim ad prima Britannorum tempora provocant? Sed fatendum est, imperitè admodum eos philosophari, qui primarum ætatum patrocinio novam factionem tuentur, cùm in omni quæstionis apice satis appareat, quàm validè vapulent. Nos multò rectiùs concludere possumus; quod toto hoc opere conabor evincere; Virginem Fidem incepisse in hac Insula, cum vita monastica, quæ Christi consilia integrè sequitur: & tunc demum in Britannia Fidem illam exulasse, cum vita monastica, Senatus, vel potius plebiscito jussa est exulare. Imò jucundè contemplando ætates singulas, ostendam crescente fidelium numero & pietate, regulare institutum, per eadem incrementa surrexisse: & cum Christiana Fides fuit in Britannia florentissima, tum monasticum quoque institutum, maximè floruisse; & demum tepescente Anglorum fide atque pietate, per eosdem gradus, religiosi instituti imminuta reverentia est: nec potuit prius orthodoxa Fides prorsus occidere, quàm monastica vita occasum haberet in octavi Henrici schismate. Enimvero diabolus peritus est artifex, nam vidit stante monachismo, qui Fidem plantaverat, consistere non posse, nisi eo destructo, imperium suum: ideo primum & principem arietem in regularis vitæ institutum admovit, & ubique hodieque admovet.

Godwin. in Cata. c. 3.

Monasticæ vitæ initium in Britannia.

II. Religiosi instituti origo.

Sed quoniam, non pauci Reges hujus Insulæ, & infinitus populus, ut patebit in sequentibus, Josephi vestigia sectabuntur, & dedent se, ut ille, vitæ monasticæ, non debeo Josephi factum levi calamo transire: sed quæ ad institutum hujusmodi propiùs spectant, & primum hocce sæculum, volo paulo morosiùs expendere: quale illud, & unde sumpsit exordium? humanúmne, an divinum inventum fuerit? quod cæcutientes aliqui videntur disceptare. Itaque Christus Dominus, cæli portas, quas prævaricatio occluserat, aperturus; latum Evangelicæ legis campum explicuit: in quo varia stativa, pro variis hominum studiis, distinxit: ut hi latam mandatorum viam currerent; angustiùs alii, sed securiùs incederent, per semitas consiliorum: quæ tria potissimùm sanxit, quo, funiculo triplici, qui difficilè rumpitur, cælum innocentiùs teneretur. Christianis omnibus mandata exposuit: amicis tantùm suæ mentis arcana consilia. Quæ Apostoli omnes, & quotquot primitias spiritus habentes, Christo familiariùs adhæserunt, amplexati sunt: ut tanquam in Evangelicæ perfectionis turri constituti, cælum animosiùs expugnarent: exuendo mundum voto paupertatis: induendo Christum, amore castitatis, abnegando sese per obedientiæ holocaustum. Hoc patet ex Actibus Apostolorum. Ubi, *qui possessores agrorum, aut domorum erant, vendentes offerebant pretia eorum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum: dividebatur autem singulis prout opus erat.* Hujus instituti, sine dubio, author est Christus. & Marcus Evangelista, qui hoc anno sexagesimo quarto moritur, in Alexandrinam Ecclesiam primus illud induxit, teste Philone Judæorum disertissimo: qui licet à Christiana Fide alienus, multa tamen scripsit in laudem ejus instituti, quæ non pigebit referre: quia Josephum, & Glastonienses socios, eo ferè modo definiit, quo definiunt Annales nostri, & ferè explicat ac describit Britannicam paludem, & ædem Deiparæ: & imprimis hæc habet de voto Paupertatis.

Actor. 4. 34.

III. *Philo de vita contempl.* Vitæ Monasticæ, laus, e Philone.

Qui, inquit, *ad cultum accedunt: nec patria consuetudine, nec cujusquam suasu, aut exhortatione impulsi: sed planè cælesti amore sursum rapti, divino quodam fervore & impetu aguntur; donec conspiciant, quod optant. Deinde præ ingenti vitæ immortalis, ac beatæ desiderio: perinde ut si reputent se mortali vita jam defunctos, facultates suas liberis, vel aliis genere conjunctis, ante successionis tempus: vel si illi desint, sociis, & amicis, ultro derelinquunt. Posteaquam igitur sese à facultatibus abstraxerunt; nulla inescandi deinceps illecebrá, fugam capessunt; ne oculo quidem post tergum reflexo: jussis valere fratribus, liberis, parentibus, uxoribus.* Hæc ille. Josephum & socios aptè depingens; qui relicta patria, & omni Oriente, venit in Occidentem. Et cum esset *homo dives*, teste Matthæo, nobilis Decurio, teste Marco, facultates suas, ante successionis tempus, aliis ultro dereliquit. Nunc quale genus domiciliorum habere consueverint hujus vitæ cultores, exponat Philo, & opportunè Glastoniensem ædem puta. *Quamobrem suas illi habitationes procul à mænibus deligunt, in hortis, vel locis agrestibus, solitudinem sectantes: non quod ferinam quandam vitam, ut hominum osores, agere proponant, sed quia dissimilium morum conversationes, inutiles*

Philo supr.

ſibi, & nocivas eſſe intelligant. Habet unuſquiſque ſacram ædiculam, σεμνεῖον, & Monaſterium appellatam: in qua honeſta ſanctæq; vitæ myſteria peragunt: non cibum, non potum, aut aliud quicquam uſui corporis neceſſarium, eò inferentes: ſed leges tantum & oracula prophetarum, & hymnos, & alia hujuſmodi, per quæ doctrina ſimul, & pietate augeſcunt, & perficiuntur.

IV. UBIQUE PROPAGATA.

Philo ſupr.

Ne autem putares in una Alexandrina Eccleſia hoc vitæ genus uſurpatum à fidelibus. addit idem author quod valdè notandum eſt: Longè latéque inſtitutum illud diffuſum eſſe: non in græciam modò, ſed etiam ad barbaras gentes: quo nomine, Occidentem, communi tunc dialecto, intellexit. *In multis,* inquit, *univerſa terra partibus, ſparſum eſt hoc religioſorum genus: cum deceret, tam Græciam, quàm barbaras etiam nationes perfecti boni conſortes eſſe.* Quod ſequitur in Philone, facit ad Glaſtonienſis Monaſterii, & ſacræ ædiculæ, Virgini poſitæ, explanationem: ait enim. *Ab optimis quibusq;, ex omni plaga Colonia deduci ſolent, velut in patriam, cultorum, ad ſeceſſum quendam commodiſſimum, ſuper MARIÆ paludem, ſitum in colle levi admodum, atque opportuno; tum propter habitationis ſecuritatem, quam villæ, & pagi circumjacentes præbent: tum propter aeris temperiem, quam ſaluberrimam efficiunt auræ, partim tenues ex palude mare influente; partim craſſiores, è pelago vicino aſſiduè ſurgentes ac ſimul permixtæ.* Quæ verba ſi Alexandrinum aliquod Monaſterium exprimunt (nam de Alexandria præceſſerat mentio) appoſitè Joſephi ſaltem & ſociorum ſeceſſum, vitamque à turbis remotam delineant. nam ille ad paludem ſitus, MARIÆ quoque ſanctitatem & nomen obtinuit. Sed & ipſa domus conſtructio, quam ſuprà poſui, cum Alexandrinis domibus congruit. nam de illis Philo: *Domus,* inquit, *eò convenientium ſtructura ſanè quam levis, ac vilis conſtat, pro gemina tecti neceſſitate: ut nimis æſtus & frigoris injuriam propulſent.* quod ſuprà dixi *muros virgis torquatis* perfectos eſſe.

V. FACTIOSI ARGUUNTUR.

Centur. 4.

Fox in Actis.

Placuit hæc è Philone referre: tum quia mirabiliter elucidant ea quæ de Joſepho diximus, & ejus vitæ genere. Tum quia eleganter eos refellunt, qui aut Regulare Inſtitutum oppugnant, novumque vocant, aut ab hominibus inventum. Hinc etiam caſtigari poſſunt Centuriatores: qui Monaſticum Inſtitutum quarto demum ſæculo incepiſſe putaverunt: & noſter ille novorum Martyrum Cyclops, Joannes Fox: qui pluribus in locis conqueritur, cum injuria Chriſtianæ Fidei, nonniſi poſterioribus ſæculis enatum. Falluntur iſti, & Lutherum olent, qui Monachum indutus, poſt, reflexo oculo, quod ut audiſti, antiqui non faciebant; & hinniens ad uxorem, quam illi relinquere conſueverunt, impudenter Fidem Deo, hominique datam, proſtituit: & auſus eſt accuſare, quod à Chriſto inſtitutum, ſanctiſſimè erat ab Apoſtolis, & majoribus uſurpatum, infinitaque ſæculorum ſanctitate ratum. nec enim ſanctiſſimum vitæ genus, alii hoc primo ſæculo, quam Judæi & cacodæmones impugnarunt. Poſſem hîc primorum Monachorum ritus, mores, legesque producere è Magno Dionyſio, & primæ ætatis Patribus; ad probandum, nihil cum Joſepho in Britanniam navigaſſe, non ſanctum, non probatum ubique. ſed præſtabunt hoc alii. Moneo ſolùm, hoc pium vitæ genus, in altero quoque ſexu illuſtriſſimum fuiſſe. Unde vox illa Ignatii Martyris: *Saluto*

ALTER ETIAM SEXUS MONASTICEN COLUIT.

Ignat. ad Philippen. Idem ad Antiochen. Epiſtola ad Heron.

collegium Virginum, & cœtum Viduarum. Has enim ſe Deo devoviſſe, & continentiam profeſſas, evidenter oſtendit idem Sanctus in Epiſtola ad Antiochenos, inquiens: Virgines agnoſcant, cui ſe conſecrarunt: quas ideo alio loco vocat *Chriſti pretioſa monilia.* ita græcè ſcribens ad Heronem: παρθένας φύλαττε, ὡς Χριστοῦ κειμήλια. quod una verſio habet: cuſtodi Virgines, ut Chriſti Sacramenta: nimirum, quia Sacramento, hoc eſt, voto ſe Chriſto ſponſaverant.

VI. JOSEPHI ET SOCIORUM EXERCITIA.

Capgrav. in Ioſep.

Cum Joſephus, & ſocii quietem nacti eſſent in Glaſtonienſi ſolitudine, Chriſtum ejusque fidem, opere potiùs quàm verbo commendare decreverunt. Itaque ſilentio Deum orare, virtutum exercitio animum polire, corpus inedia macerare, Sanctos in cælo regnantes propitios facere, ſalutem provincialium ſitire: nec illis aliud in votis fuit. Ita colligo ex authore vitæ ejus apud Capgravium, ubi ita legitur. *Duodecim ſancti prædicti in eodem loco, Deo & Beatæ Virgini devota exhibentes obſequia, vigiliis, orationibus, jejuniis vacantes, ejuſdem Virginis Dei genitricis auxilio, in neceſſitatibus ſuis refocillabantur.* Quo brevi compendio Joſephi vitam & ſociorum abſolviſti. Et hunc vivendi morem plantaverunt illi firmiùs in Glaſtonienſi deſerto, & ſanctitatis radices egerunt altiùs, quàm egit ædicula Deiparæ. Illa enim ſæpius everſa, inverſa, converſa, & varia incrementa & decrementa ſenſit. At Joſephi ſanctitas, & regularis ordo everti per plura ſæcula non potuit: addo, nec fides, nec ejus fidei opera: quæ ideo libenter lego, & ex antiquis monumentis eruo, quia hodie Fidei nomen, ratioque, non uno modo definitur. & ingens de cultu controverſia eſt, quam majorum authoritate, & ſanctitate componere animus eſt.

VII. JOSEPHI RELIGIO ET CULTUS CRUCIS.

Malmesb. Antiquit.

Igitur inter opera pietatis, quæ Joſephus ſociique poſteris ediderunt: illud colligitur, quod Deum unum, trinumque, & Chriſtum ita coluerint, ut in honore etiam, cultuque habuerint id omne quod Chriſtus ſuo ſanguine moriens conſecrarat. nam eò ſurgebat animus, ad Chriſti memoriam, reverentiamque. Ita Chriſti Crucem, Crucisque figuram; quâ Chriſti beneficium maximum, & humanæ redemptionis ſingulare Sacramentum, memoriæ mentique inditur, reverenter præ oculis habebant. Hoc è multis colligimus, è ſenſu ſæculi hujus, è praxi fidelium, ac ſequentium ſæculorum, & denique è ſanctis & oculatis teſtibus, Fugatio & Damiano: qui Româ in Britanniam miſſi, paulo poſteriùs, & Glaſtonienſem ædem *diligenter perſcrutantes,* refert Guilielmus Malmeſburienſis, *Figuram noſtræ Redemptionis, aliaq; ſigna manifeſta repererunt: quibus benè cognoverunt: quod Chriſtiani prius locum inhabitaverant.* Enimvero Crucis figura, Chriſtiani hominis manifeſtum hieroglyphicum eſt: quo certò & indubitanter orthodoxa fides dignoſcitur. Quòd illam Joſephus coluerit, è ſenſu fidelium hujus ſæculi ſic oſtenditur. Chriſto in Cruce mortuo, ſepulto, & demum reſurgente: cum ſe hominibus omninò ſubduxiſſet cælo donatus: fideles, quod reliquum ejus erat, religioſè coluerunt, & crucem imprimis, quam ſuo ſanguine conſecrarat. Illam ergo Chriſtiani tamdiu pientiſſimè venerati ſunt, quamdiu Judæi & infideles cultum permiſerunt. Sed ubi Crux à Judæis terra obruta eſt (& obruta eſt, ne Chriſtiani ſe cruce ſolarentur, & ut Chriſtiana Fides funditus tolleretur) tunc deſiit quidem Crux videri:

ſed coli nunquam deſiit. nam eò loci ubi abdita putabatur, frequentes Chriſtiani convenire, & hoc omni ſæculo preces ibi fundere conſueverunt. Perſeveravitque eorum pietas, donec dæmone ſuggerente, Judæis urgentibus, & Adriano Imperatore præcipiente; Veneris idolum, ibidem erectum, Chriſtianos immanè terruit; ne idoli cultum, cum Cruce confunderent. ut fuſiùs oſtendam ſequentibus ſæculis.

V. an. 127. 2. &c.

VIII. Crux a fidelibus culta.

Cæterùm Cruce illa orbati fideles, Crucis tamen figuram penes ſe habere, illam ſuaviari, illam colere, illâ ſe munire, & immenſi beneficii, quâ per illam beati ſunt, recordatione, in Dei Chriſtique amorem exardeſcere ſoliti ſunt. Et quod cultum ſpectat, infideles paſſim orthodoxis illum exprobrabant adeò, ut inde per ludibrium Crucicolæ dicerentur, ut infrà, cum Albanus Protomartyr moritur, erit manifeſtum. Joſephus hoc uſu doctus, probavit ipſe, ſecumque in Britanniam Crucis figuram devotè detulit; non ſolùm, ut ejus aſpectu in Chriſti amorem raperetur: ſed ut Crucis myſteria infidelibus explicaret. eſt enim illa primum Chriſtianæ fidei elementum: & nullo meliùs charactere ſana religio ab hæreſi, Chriſtus ab Antichriſto, bonus genius à malo, fides à perfidia dignoſcitur. Itaque Fugatius & Damianus, inventâ Cruce; quam ante centum annos Joſephus fixerat; probè inde collegerunt, locum illum à Chriſtianis cultum fuiſſe: & ego colligo mitiores fuiſſe infideles illos, rudes, & barbaros, qui pietatis illud monumentum obliterare noluerunt; quàm noſtri temporis Novatores, qui Crucem ubique refigere, & illam, ut Judæi & infideles in æternis tenebris ſepelire contendunt: *Vt quaſi Radix & fundamentum Eccleſiæ*, ſublata Cruce, *tolleretur*, inquit S. Paulinus Epiſtola undecima.

V. an. 286.

Paulin. Epiſtola 11.

IX. Christi sanguinem Josephus collegerat.

Apud Capgrav. in vita Ioſephi.

Juvat ulteriùs Joſephum excutere; & quid, præter Crucem, ſecum in Britanniam detulerit, pia curioſitate, explorare. Et opportunè ſatis in ejus vita occurrit: quod *duo vaſcula alba & argentea, cruore prophetæ IESV perimpleta*, ſecum advexerit. nobiliſſimas profectò merces, & ingens pietatis alimentum. Ex Crucis enim & ſanguinis ibi fuſi recordatione ſurgebat animus in Dei amorem, creſcebatque flamma, virtutum exercitio. Hinc in Joſephi ſociorumque moribus candor, vitæque innocentia; quæ infideles in admirationem, aliquos etiam ad imitationem traxit. Sed audio ſubmurmurantem aliquem: Quæ de Joſephi vaſculis, à Melchino & Capgravio referuntur; credula poſterorum ætas, nullo antiquorum teſtimonio roborata accepit. Non eſt animus Reliquiarum ſacrarum cultum unius Melchini ſuffragio firmare. nam rebus ſeriis figmenta miſcuit. Verùm ut facilè eſt unum aliquem fabulando exerrare; ita difficilè creditur, regna & provincias, per quindecim ſæcula, in rebus ſeriis fabulis addictas. Glaſtonienſe Monaſterium, à prima ſui nobiliſſimaque conditione, Joſephum vaſcula Chriſti ſanguinem continentia, in Britanniam detuliſſe credidit: & idipſum ſignatis tabulis, ad æternam rei memoriam, ad poſteros tranſmiſit. Extabant, ad Elizabethæ uſque tempora hujus rei argumenta, quæ Armachanus collegit: & habet hæc inter cætera: *Adde*, inquit; *Gulielmi Goodi Ieſuitæ narrationem: qui Henrico VIII. regnante Glaſtoniæ natus, & puer educatus eſt. Glaſtoniæ extabant, inquit, laminæ æneæ ſculptæ ad perpetuandam memoriam, ſacella, crypta, Cruces, arma, obſervatio feſti S. Ioſephi ad VI. Kal. Auguſti: quamdiu monachi Regum chartis munitiſſimè gaudebant. nunc omnia cum ruinis confuſa perierunt. Nemo tamen Monachorum unquam ſcivit certum locum ſepulchri hujus ſancti, vel deſignavit. Reconditum abditiſſimè dixerunt, vel in monte qui monti acuto vicinus, & cui nomen Hamden-hill. Et futurum, ut quando reperietur corpus ejus, univerſus eò mundus confluat, pro magnitudine & multitudine miraculorum quæ fient.*

Et secum in Britanniam detulit.

Vſſer. in Primord. fo. 20

X.

Et inter cætera memini me vidiſſe Glaſtoniæ in Cruce lapidea quæ ſub Elizabetha Regina ſubverſa eſt, laminam æneam: in qua ſcribebatur, Ioſephum ab Arimathæa trigeſimo anno poſt Paſſionem Chriſti veniſſe in Britanniam, cum undecim vel duodecim Sociis; permiſſumq; ei ab Arvirago Rege, Glaſtoniæ, quæ tunc erat dicta Avallonia, habitare tanquam ſolitarios viros & ſimplices. Et quod attulerit ſecum duo vaſa argentea non grandia: in quibus erat de ſanguine, & aqua ſacratiſſima, quæ profluxerat de latere Chriſti mortui. Crux autem iſta erecta eſt ante multos annos ad denotandam longitudinem Sacelli, ab eodem S. Ioſepho, ex vimineis cratibus conſtructi, in honorem Sacratiſſimæ Virginis: deductâ ſcilicet lineâ rectâ à medio illius Crucis, ad latus Sacelli; poſtea lapidibus quadratis exædificati. Sub quo item erat olim illud Sacellum Sancti Ioſephi in crypta ſubterranea. Foris autem in muro hujus Sacelli B. Virginis, erant in lapide ſculpta vetuſtiſſimis literis hæc duo verba: IESVS. MARIA. & confirmant antiqua arma Glaſtonienſis Monaſterii, quæ ſunt hujuſmodi ſcutum album, in quo per longum erigitur ſtipes crucis viridis & nodoſa; & de latere ad latus extenduntur brachia, ſeu rami Crucis ſtipiti conſimilia. Sparguntur guttæ ſanguinis per omnem aream ſcuti. Vtrimque ad latera ſtipitis, & ſub aliis Crucis ponitur ampulla inaurata. & hæc ſemper denominabantur inſignia S. Ioſephi, qui ibi habitaſſe piè credebatur, & fortaſſe ſepultus. Hactenus narratio: & loci inſignia, Crux, guttæ ſanguinis, & ampulla inaurata, vocale argumentum ſunt Joſephum pietatis & religionis causâ Crucem, & ſacra vaſa in itineris ſolatium contuliſſe.

XI. Probatio prædictorum.

Porro Joſephum, Chriſti ſanguinem, unà cum Nicodemo collegiſſe & honoris cultusque causâ conſervaſſe; eundem inſuper ſanguinem per plurima ſæcula à fidelibus, tam in Oriente, quàm Occidente cultum eſſe, hiſtoriæ paſſim & Martyrologia conteſtantur. Illud memoria dignum, & hoc loco non omittendum quod narrat Matthæus Pariſienſis, ad annum Chriſti milleſimum ducenteſimum quadrageſimum ſeptimum: quando *Magiſter templi & hoſpitalis, cum teſtimonio quamplurium ſigillorum, videlicet Patriarchæ Ieroſolymitani, Archiepiſcoporum quoque & Epiſcoporum, Abbatum, & aliorum Prælatorum, & magnatum de terra ſancta, miſerat quandam portionem ſanguinis Dominici, quem pro ſalute mundi fudit in Cruce, in quodam vaſe criſtallino venuſtiſſimo, per quendam fratrem Templarium benè notum.* Ita Matthæus, pluribus narrans, quò honore ac reverentia Henricus Tertius Anglorum Rex, dictum theſaurum cum univerſo Clero, viriſque Principibus veneratus ſit. Cumque (ut vulgò fit) dubia de veritate ſanguinis ſpargerentur: Robertus Lincolnienſis Epiſcopus, ſæculi ſui regnique ornamentum, ſcrupuloſis mentibus abundè ſatisfecit, ea rei geſtæ narratione, quam præſens audivit exſcripſitque Matthæus in hunc modum. *Cum Ioſeph ab Arimathæa, nobilis decurio, fuiſſet unus de auditoribus IESV, & potiùs de diſcipulis &*

Mat. Pariſ. an. 1247.

Matthæ. in Addit. fo. 161.

amator specialis: compatiebatur ei, & solicitabatur qualiter corpus conservari posset, tam venerabile a furore Iudæorum. Erat enim amicissimus IESV: sicut & Nicodemus. Sed hi & alii divites occulti propter metum Iudæorum, ne accusati jacturam incurrerent, & odium amicorum. Magnum enim vinculum servitutis in se habent divitiæ. Crucifixo igitur IESV, & mortuo, postulavit Ioseph corpus IESV, ingrediens ad Pilatum audacter (per quod creditur fuisse potens) & concessum est ei. Ipse igitur, licet obmurmurassent Iudæi, cum omni honore & reverentia ipsum corpus sanctissimum deposuit de Cruce sauciatum, & multiformiter cruentatum; Habensq; linteamen subtile, dependens à collo & humeris, ne indignè tam dignum corpus nudis manibus contrectaret, Ipsa sacra vulnera adhuc madida, ac distillantia, sedulo, ac devoto detersit officio. Imò etiam loca clavorum extractorum, tincta cruore, in ipso Crucis patibulo exhausit abstergendo, utens vice spongiæ, ipso linteamine.

XII. *Cum autem jam non procul à Golgotha, id est, loco Calvariæ (loco videlicet crucifixionis) corpus Christi detulisset dictus Ioseph tumulandum in loco ubi nunc sepulchrum adoratur, in sepulchro novo, in quo nullum adhuc corpus erat, non ignobiliter inciso, quod & ipse comparaverat: lavit corpus illud: quia multipliciter, ut jam dictum, dignoscebatur saucium & cruentatum: tum propter sudorem ipsius, de quo scribitur: Factus est sudor ejus, quasi guttæ sanguinis decurrentis in terram. Tum propter flagella, quibus cæsus fuit asperrimè, usque ad livorem & cruorem. Tum propter coronam spineam, quam Iudæi plectentes violenter capiti ejus impresserunt (cujus multi aculei, caput & frontem non tantum pungerent, & læderent, imo potius vulnerarent, & cruentarent) Tum propter clavorum, per medium manuum & pedum perforationem. Tum propter militis lanceam, qua ipse latus IESV, non tantum vulneravit, sed aperuit. An plures enim fecit, & hiatum patulum, fortè sæpius, vel saltem semel fecit impingendo. Memoratus igitur Venerabilis decurio Ioseph, corpus ipsum lavit. Hæc enim erat Iudæorum consuetudo: & adhuc est aliquorum honestiorum, maximè religiosorum. Lavit, inquam, quia ungendum. Lavit, quia sanè arbitrabatur, & religiosè dignum censuit sanguinem ipsum sibi prorsus vendicandum: & ut thesaurum, vel medicamen pretiosissimum reservandum. Ipsamq; aquam loturæ rubicundam, sanguine mixtam, & tinctam, non projiciendam, excepit in vase mundissimo. Reverentius tamen ipsum purum sanguinem, à vulneribus manuum, & pedum distillatum. Maximo autem timore, & honore, ipsum sanguinem cum aqua, quem censuit præcordialem, à latere dextro feliciter eliquatum, & expressum, in vase recepit nobilissimo, tanquam thesaurum impretiabilem, sibi & successoribus suis specialiter reservandum.* Hæc omnia refert, de Roberto Episcopo, Parisiensis. Unde facilè colligitur Josephum non modò Jerosolymitanam Ecclesiam sacro munere beavisse; sed eodem se sociosque æternùm contra omnia terræ marisque pericula munivisse, præsertim cum dicatur, & verè à fidelibus omnibus reputetur, *thesaurus impretiabilis*: nullo modo à Josepho, qui Christum summo amore coluit, abjiciendus (quod velle videntur novorum dogmatum propolæ; qui vel negant, vel controvertunt illum huc delatum) sed *sibi & successoribus reservandus*. Servavit ergo illum Josephus, & cum eodem thesauro voluit, in resurrectionis spem, & amoris tesseram sepeliri, ut infrà. V. an. 82. 1.

XIII. De catino et paropside Christi. Eodem spectat, quod authores aliqui dixerunt; Josephum Christi pretiosum sanguinem, in Catino, seu paropside, qua cum Apostolis in postrema cæna usus, in Britanniam detulisse. De quo ita scribit Stephanus Forcatulus l. 7. de Gallorum imperio, & Philosophia: *Britanni sacra illius cænæ pignus ac testimonium, secum attulisse Iosephum commemorant: nempe Catinum sanctissimi convivii appositum; diutissimè in magna ceremonia, tanquam pignus quoddam securitatis Britannicæ, non aliter atque Troianum Palladium.* Forcat l. 7. fo. 980. Vitiavit hanc veritatem potiùs quàm firmavit nugator ille, qui super hoc Catino librum scripsit, inscripsitque illum *Sanctum Graal.* de quo Vincentius Bellovacensis in Speculo Historiali: *In Britannia,* inquit, *cuidam Eremitæ monstrata est mirabilis quædam Visio, per Angelum de Sancto Ioseph Decurione, qui corpus Domini deposuit de Cruce: & de Catino illo, seu paropside, in quo Dominus cænavit cum Discipulis suis. De quo ab eodem Eremita descripta est historia, quæ dicitur* de Gradali. *Gradalis autem vel Gradale gallicè dicitur scutella lata & aliquantulum profunda, in qua pretiosæ dapes cum suo jure, divitibus solent apponi, & dicitur vulgari nomine* Graal *quia grata & acceptabilis est in ea comedenti. Tum propter contentum, id est, ordinem multiplicem dapum pretiosarum. Hanc historiam Latinè scriptam invenire non potui: sed tantum Gallicè scripta habetur, à quibusdam proceribus.* Vincent. histor. l. 2. c. 147. Hactenus è Chronico, à Vincentio citato, Helinandus Cluniacensis frigidi montis in Gallia Monachus, quæ refert ad annum septingentesimum vigesimum. quo tempore Eremitam illum vixisse habet Pitsius in libro de Scriptoribus: licet eum longè posteriorem faciat Usserus in Primordiis. Pitsius ad an. 720. Usser. fo. 17.

XIV. Cæterùm alii, librum illum ab Eremita Britanno conscriptum, non à continente, sed à nobilissimo contento in paropside, ita denominatum, & rectiùs, opinor, putant. nimirum à reali Christi sanguine, quem Josephus è Cruce, è clavis, è manibus, è pedibus, è latere, & denique è toto Christi corpore, religiosè collegit; & ita Sanctum Graal, exponi debet Sanctus Sangreal, sive sanguis realis. Cæterùm licet liber ille narrationi dubia fabulasque immisceat: non omnino inane fuisse fundamentum, supradicta demonstrant. Et illi solùm de fundamento disputant, qui Deiparæ & Sanctorum cultum, nolunt tam antiquo suffragio confirmari. Qui Cruces nuper è templis & domibus & compitis ejecerunt: qui nullam sanctissimis reliquiis honorem reverentiamque deberi contendunt. Quæ omnia si admiseris, ut admittenda esse è sequentium sæculorum sensu ostendam: facilè concludi potest, & sine ulla doli fraudisve suspicione, Josephum, Christi magistri sui amantissimum, sacræ Passionis insignia, Crucem, & Christi sanguinem adeo piè veneratum esse: ut ea, ceu thesaurum, & redemptionis arrham in pretio, semper, & quantum potuit, ante oculos habuerit, ut eorundem recordatione, & osculo; nunc pedes, nunc manus, nunc Christi latus adoraret, atque ita solaretur incolatum suum. Ea certè Josephi Sociorumque piæ vitæ ratio fuit, ut Regem, & plures alios erexerint, si non ad sequendum, ad bene tamen sentiendum de Fide Christiana: & mihi non est dubium, quin secum attulerint nutrimenta pietatis: præsertim cum videam Principes terræ, eos non solùm peramanter excepisse; sed profusa manu eisdem omnia vitæ necessaria

ministrasse. Arviragum Regem, quem Caractacum voco, Josepho & Sociis, Hidam terræ singulis assignasse tradunt passim Annales nostri; quas ejus filii & nepotes eisdem confirmarunt, ut infrà dicam, ubi quæ terræ portio, Hidæ nomine veniat, è mente authorum, & usu gentis, ostendam.

V. an. 734.

ANNUS URBIS CONDITÆ 816.

ANNUS CHRISTI 65.

PETRI 21.

CARACTACI REGIS 21.

NERONIS IMP. 9.

I. BRITANNORUM ECCLESIA ILLUSTRIS.

ANNO Christi sexagesimo quinto, Memmio Regulo, & Virginio Rufo, Consulibus: Christiana Fides in Britannia, quà Petri industria, & viris Apostolicis quos ipse formarat; quà Josephi Sociorumque exemplo & sanctitate, magnum videtur accepisse incrementum. Unde Gulielmus Isengrenius centuria prima benè potuit ad annum Christi sexagesimum quintum hæc adnotare: *Exaltatio Britannica Ecclesiæ sub Nerone:* & addit: *Extructa multa per Britanniam templa à Petro Apostolorum antesignano.* Unde constat Petri in Insulam accessum anteriorem fuisse, & eo potissimum tempore consignandum, quo prodigia, à Tacito & Dione, relata, rerum in Britannia mutationem, & idolorum ruinam prædixerunt. nam jacta fidei sementis, occultari aliquamdiu debuit prius, quàm aut in culmum surgeret, aut in segetem maturesceret. & fortè non alibi Christi nomen illustriùs eminebat: cum nullibi, in Romano Imperio securiùs, clariusque Evangelicæ lucis radii diffunderent sese, quàm ubi aut Roma non potuit explicare aquilas, aut si explicuit, de summa imperii, non pro aris pugnabat. Hæc causa cur sub Nerone. *Britannica Ecclesia exaltatio affectatur.* nam viris Apostolicis integrum erat, huc trajicere: & provinciales sub Arvirago, seu Caractaco Rege, impunè Christum excipere fidemque ejus. nemo ergo miretur si plures in Britanniam invito, atque deduco.

Iseng. cen. 1. p. 7. distinc. 8.

II. PAULUS APOSTOLUS VENIT IN BRITANNIAM.

Paulus Gentium Doctor, hoc tempore, carcere & vinculis solutus; & Neronis scelerum, quæ ubique fœtebant, impatiens; Urbe relicta porrò in Occidentem descendit, ut multis probat Baronius ad annum Christi sexagesimum primum. Hunc Apostolum Britanniam quoque invisisse, ibique Christum prædicasse, non solùm orthodoxi libenter agnoscunt: sed heterodoxi quoque (ut Petrum excludant) officiosè consentiunt, & ego utrumque in accepti beneficii societatem voco: nam Petrus & Paulus, in Fide plantanda, prædicanda, dilatanda, optimè conveniunt. ille Apostolica potestate ex ordine; iste, extra ordinem fungens: Ille successionis prærogativa sedem constanter figens: iste planetarum more frequentissimè errans, æqualiter tamen in Fide non errans. utrique gentes, utrique sub ea distinctione, commendantur fines terræ. Britannia intellexit hoc discrimen, cum utrumque religiosè amplexata, atque venerata, nunquam Pauli, semper Petri sedem appellavit Ecclesiam suam. Sic Gildas Britannorum mentis optimus interpres, dum in solutiorem Clerum calamum stringit: dicit illorum aliquos *Sedem Petri Apostoli immundis pedibus usurpare.* clarè significans Clerum omnem, à solo Petro originem & Sacerdotium, cum successionis jure, accepisse. Non ergo verentur orthodoxi conversionis Britanniæ partem Paulo concedere; quem ultrò & gratabundi in beneficii consortium admittunt: Petrum tamen, ut temporis prærogativa priorem, ita successionis jure potiorem venerantur.

Gild. in Clerum.

III. Pro Pauli in Britanniam adventu multa faciunt. Theodoretus in Epistolam ad Timotheum. *Paulus,* inquit, *appellatione usus, Romam à Festo missus, defensione audita fuit absolutus: & in Hispaniam profectus est, & ad alias gentes excurrens, eis doctrinæ lucem attulit.* & alibi: *Nostri illi piscatores, ac publicani, sutorque ille noster* (Paulum ea voce intelligit Scænopegam) *cunctis nationibus Legem Evangelicam detulerunt.* & inter eas, *Britannos* nominatim exprimit, ut suprà dixi. Denique cum idem author commentatur Psalmum 116. hæc habet, *Beatus Paulus breviter docet, quot gentibus salutaria præconia attulit, inquiens: Ita ut ab Hierusalem per circuitum, usque ad Illyricum repleverim Evangelium Christi. Postea igitur in Italiam venit, & in Hispanias pervenit: & Insulis, quæ in mari jacent, utilitatem attulit.* quod paulò explicatius exposuit S. Hieronymus, qui in Isaiam scribens, ita de Apostolo Paulo. *Ut usque ad Hispaniam tenderet: & à mari rubro, imò ab Oceano usque ad Oceanum curreret.* Favent etiam nobis Venantii Fortunati versus, qui in vita S. Martini, ita de Gentium Doctore Paulo:

Theodo. in Ep. ad Timot. c. ult.

Idem l. 9. contra Græcos.

V. an. 63. 12.

Idem in Psal. 116.

Hieron. in Isaiam.

Transiit Oceanum, vel quà facit Insula portum,
Quasque Britannus habet terras, quasque ultima Thule;
Buccina concrepuit, Regiones una per omnes.

Venant. l. 3. de vita S. Martini.

IV. Cum antiquis his Patribus sunt etiam recentiores multi: Arnoldus Mirmannus hæc de S. Paulo: *Ad Occidentis,* inquit, *& Europæ climata importare Evangelium studens, Hispaniam primò, hinc Galliam, inde Britanniam, pridem à Claudio triumphatam, Orcades, cæteraque Oceani regiones, seu Insulas extremas quasque petens, per Germaniam in Italiam contendit.* Hanc ob causam Anglicanum Martyrologium meritò Paulum inter Insulæ Apostolos numeravit, expressè profitetur, & agnoscit beneficium. Favet etiam Scriptura sacra. Actor. 13. ubi cum Spiritus Sanctus dixisset: *Segregate mihi Saulum & Barnabam in opus ad quod assumpsi eos,* extremum terræ videtur illis singulariter commendasse. nam ita Spiritum Sanctum uterque explicat, Judæos alloquens: *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei: sed quoniam repellitis illud; & indignos vos judicatis æternæ vitæ: Ecce convertimur ad gentes. Sic enim præcepit nobis Dominus. Posui te in lucem gentium, ut sis in salutem, usque ad extremum terræ.* Quod Paulum integrè præstitisse, omninò credendum est; cum ipse morti vicinus dixit, scripsitque. *Cursum consummavi.* nimirum cum tempus resolutionis instaret. Quasi diceret: *Injunctum peregrinandi munus absolvi, per terras, per maria, ad Evangelium toto orbe propagandum:* ut Pauli mentis interpres Cornelius à Lapide illum locum intelligit. nec mirum videri debet, si extremum Occidentem adiit, qui diu multumque in Oriente laboravit. nam S. Chrysostomus, ita de eo. *Quantum Sol terra percurrit, proprios emittens radios: tantum & hic Beatus Paulus solicitudinem & curam habuit*

Mirman. in theatro Conv. gent.

Martyro. 29. Junii & 25. Janu.

Act. 13. 2.

Ibi. n. 46.

Chrys. hom. 73 ad pop. 11. 5.

Ecclesiarum omnium, quæ erant per totum orbem terrarum.

V. QUANDO VENIT IN BRITANNIAM. *Martyrolog. suprà.*

Solum superest difficultas, quando Gentium Doctori vacaverit Occidentem lustrare. sunt qui expeditionem hanc ad quartum Neronis annum referant: ita Martyrologium nostrum: & in eam rem citatur Arnoldus suprà. Verùm hic tantùm dicit Paulum quarto Neronis anno, postremum iter ingressum peragrasse Syriam, Pamphiliam, Lycaoniam, Phœnicem, Mysiam, Phrygiam, Galatiam, Bithyniam, Achaiam, Macedoniam, reliquamque Græciam pariter & Asiam, Illyricum usque Christianæ religionis pomeria prorogasse. & *Demum*, inquit, *ad Occidentis & Europa climata importare Evangelium studens, Hispaniam primò, hinc Galliam, inde Britanniam*, &c. quæ omnia uno eodemque anno præstari non potuerunt: & ideo Britannica profectio posteriùs collocanda. nam ille sine dubio longiùs exerravit, qui Paulum in Britanniam deduxit, Guiderio, quem Togodumnum vocavimus, hic in Insula, & Claudio in Urbe regnantibus: sic enim Paulus in Britannia priùs, quam Romæ doceret; quod est inauditum. Meliùs ergo itinera Pauli digessit Pauli interpres Cornelius à Lapide, qui Hispanicam profectionem signatè ponit. post Pauli solutionem à vinculis, quæ Roma primùm injecerat. *Paulus rediens Hierosolymam, inquit ille: inde Romam vinctus missus est. Sed liber dimissus, Italiam, Hispaniam, aliaq; loca peragravit.* Itaque cum Paulus anno sexagesimo primo solutus sit, ut habet probatque Baronius: constetque eum anno sexagesimo nono, martyrii corona donatum: Iterum si Occidentalem hunc circulum lustres, ex Urbe in Hispanias, inde in Britanniam, tum è Galliis, Germaniisque in Italiam, & medii extremique circuli ratio ineatur: opportunè satis in medium tempus, hoc est, sub annum Domini sexagesimum quintum Britannica cadet expeditio; donec alii curiosiùs & accuratiùs annum computaverint. Nec enim placet Magdeburgensium computatio, opinantium Paulum, Ecclesias Syriæ, Asiæ & Græciæ, post Romana vincula visitasse. magis placet Baronii modestia fatentis: *Reliqua Pauli gesta* (à primis vinculis) *usque ad martyrium remanserunt prorsus obscura.*

Harrison histor. M. S. l. 2. c. 15. — *Cornelius in Ep. Pauli.* — *Cent. 2. l. 2. c. 20.* — *Baron. an. 61.*

VI. INNOCENTII SENTENTIA EXPENDITUR.

Quæ de Paulo diximus orbem etiam Occidentalem lustrante, nullo modo adversantur Sancto Innocentio, qui suprà dixit Apostolorum neminem præter Petrum in Occidente docuisse: quia locus ille ab alio non differt, ubi idem Sanctus affirmat, Ecclesias Occidentis à Petro aut ejus Discipulis institutas. nam de primo tantùm fundatore est mentio, & suprà ostendi Petrum, alios omnes Apostolos præcessisse. Paulus enim cum venit in Britanniam, Ecclesias jam institutas invenit. Unde nusquam legitur (ut de Petro) ab eo ordinatos Episcopos & Presbyteros: quod ad Ecclesiæ institutionem imprimis facit. Adde quod Paulus & Barnabas extra numerum & ordinem duodecim Apostolorum computantur. Porrò quod Petrus de Natalibus dicit Paulum in Britannia, Lucium Britanniæ Regem convertisse; manifesti erroris arguitur, cum primus ille Christianorum in Europa Regum, Paulo vivente, ne natus quidem fuerit. Caractacus enim hoc tempore regnabat, Mariumque genuerat, in regno postea successorem: cui Lucius è Coello filio nepos. Quod addit Idem Petrus, Lucium à Timotheo Pauli discipulo baptizatum, eodem modo convellitur; præsertim si Ephesinum intelligat. Fortè errandi ansam præbuit alter Timotheus Novati frater, Pudentis filius, qui potuit multo faciliùs in Britannicam messem falcem misisse, de quo infrà. Hæc de Pauli in Britanniam adventu probabiliter dicta sunto. nam sive itinera, sive res ab eo gestas spectes, ab eo tempore quo liber è vinculis dimittitur, ad mortem usque: non sunt ea nimis (ut aliqui faciunt) constanter ingerenda: cum *prorsus obscura* pronunciet Baronius. Cæterùm quia ille Hispaniam lustratam, & illustratam agnoscit, & probat: mihi facilè Paulum Britanniæ asserenti favebit, tam in substantia itineris, quàm circumstantia temporis.

V. an. 129. 161. 2.

ANNUS URBIS CONDITÆ 817.
ANNUS CHRISTI 66.
PETRI 22.
CARACTACI REGIS 22.
NERONIS IMP. 10.

I. CLAUDIOCESTRIA ÆDIFICATUR.

CHRISTI annus sexagesimus sextus, Consulibus C. Lecanio Basso, & M. Licinio Crasso; Romanæ Urbis incendio, Neronis scelere, traductæque Fidei nota, infamis fuit: quod alii describant latiùs: ego quæ Britanniæ, & huic anno propiora sunt prosequor. De Caractaco Rege, sub nomine Arviragi, scribitur ad hunc annum, quòd civitatem in Dobunis ædificaverit, ad Sabrinam fluvium; eamque Claudio nuncupaverit, cujus, inquiunt aliqui, & nomen adepta, Claudiocestria dicebatur. Porro Manuscripta historia quam citat Richardus Broughtonus, Urbis initia ad hunc annum sexagesimum sextum refert. Fatendum est Caractacum à Claudii triumpho, à libertate ei concessa, & à reditu in Britanniam, fœdus amicitiamque cum Romanis observasse: & Claudium imprimis tam vivum quàm mortuum coluisse: unde templum ab eo in honorem Claudii erectum, tam authores nostri, quàm externi fatentur. Et fortè inde nata opinio, Urbem quoque, ubi templum erat, à Claudio nominatam. Cæterùm Nennius, author antiquus, aliunde, nimirum à Glovo Vortigerni Regis atavo, nomen Urbis derivat. Unde vulgò hodieque Glocestria dicitur. Sed omnium rectissimè Antoninus, Clevum Urbem illam appellavit: quam Britanni antiqua dialecto Kair Glou, à pulchritudine, quasi *callipolim* vocaverint. Quæ fortè sub hoc tempus, à Romanis in Britannia militantibus; & ad Sabrinam (ut suprà ex Tacito) excubantibus ædificatur: quo opportunius Silures, vicinos populos, Romanis graves, & admodùm servitutis impatientes coerceret. Hoc castra Romanorum ad Sabrinam posita, hoc Silurum pervicacia, otiumque militis persuadent. Ibi fortè Caractacus Romæ addictior, Claudium nova apotheosi Deum factum coluit: causamque dedit plura fabulandi. Unde Ponticus Virunnius scripsit è Galfredo Monumetensi: *Arviragus Claudio singulis mensibus sacrificabat; tantum eum amore prosequebatur.*

Pont. Virun. l. 4.

II. De Genissa Romana: et Voada Britanna.

Hinc nasci potuit eorum opinio, qui Arvirago uxorem dederunt Genissam, Claudii scilicet filiam; repudiatâ prius Voadâ, Britannâ fœminâ, Cataraci Scotorum Regis sorore. Ita refert Richardus Brougtonus. **Et factum defendens Arviragus* (ita Pitsius Arviragum inter illustres Scriptores numerans) *scripsit de Genussæ connubio librum unum.* Sed nunquid hi peccant in historicam veritatem? Nemo veterum Genissæ aut Genussæ (de Romanis loquor, & ad Romanos illa spectabat) nemo Cataraci Regis Scotorum meminit: Imo ne Scotos quidem, hac ætate, in Britannia nominatos est reperire. & quomodo potuit Romana fœmina, tam claris natalibus, utpote Claudii Imperatoris filia, in Britanniam descendere, & Britanniæ Regi conjungi, tam silenter, ut nemo Regiæ prolis, nemo itineris, nemo nuptiarum meminerit? Aversatus tam ambigûa Romanisque Scriptoribus inhærens, sequor certiora. Et quamvis cùm Caractacum ab Arvirago non distinguam, longè modestiùs possem Romanam fœminam, Caractaco Romæ captivo conjungere, & inferre, illam, cum sponso, in Britanniam trajecisse: Qui tamen Arviragum vocant Britanniæ Regem, & nunquam profectionis ejus in Urbem, faciunt mentionem: nescio quâ ratione poterunt, Regiam prolem inde sine honore, sine comitatu ullo, in Britanniam deducere. Nec dici potest, Genissam cum parente in Insulam descendisse: qui sedecim tantum dierum spatio in Britannia hæsit: & filiam tam periculosa navigatione, inter arma lituosque, advectam, quis credet? Maneat ergo Arviragus, cum Britanna conjuge; quia minùs accurati tantum Scriptores divortium fecere: & Marius Arviragi successor è Britanna fœmina, non è ficta Genissa nascatur. Sed nec Britanna conjux dicatur Cataraci Scotorum Regis soror, sed Caractaci sive Arviragi Regis uxor. Denique qui hujus sæculi gesta describunt, Romanis Scriptoribus inconsultis, aut neglectis; vel fabulas scribere, vel omnino silere debent.

* Broughto. Cent. 1. c. 27. Pits in Arvira.

ANNUS URBIS CONDITÆ 818.
ANNUS CHRISTI 67.
PETRI 23.
CARACTACI REGIS 23.
NERONIS IMP. 11.

I. Turbæ in Britannia.

ANno Christi sexagesimo septimo, Silio Nervâ, & Attico Vestino Coss. Romanorum jugum, & unum effœminatum Principem, qui Romam in omni libidinum genere inquinabat; Britannia ferè excusserat. cum Legatis hinc inde in Insula digladiantibus; vel otio miles lasciviret, vel nutaret in fide provincia. Turpilianus ibi Proprætoris officio jam triennio functus, asperitatem Paulini Suetonii, qui præcesserat, molliverat ille quidem, & rebus compositis cives continuerat in officio: sed præfectura cedere cogitur, & locum facere successori, Trebellio Maximo, sub annum Christi sexagesimum septimum, ut Fasti consignant. Legati novitas, & veteri otio dissolutus miles, turbarum causa fuerunt. de quo hæc Tacitus: *Turpilianus compositis prioribus, nihil ultrà ausus, Trebellio Maximo provinciam tradidit. Trebellius segnior, & nullis castrorum experimentis, comitate quadam curandi provinciam tenuit. Didicère jam barbari quoque ignoscere vitiis blandientibus: & interventus civilium armorum præbuit justam segnitiæ excusationem. Trebellius fugâ ac latebris, vitatâ exercitus irâ indecorus atque humilis, precariò mox præfuit, ac velut pacti exercitus licentiam, Dux salutem. Hæc seditio sine sanguine stetit.* Ita author in vita Agricolæ.

Trebellius Maximus Proprætor.

Tacit. in vita Agric.

Alibi tamen idem author motuum causas paulò altiùs aperit, & non tam Britannos in Romanos, quàm Romanos inter se committit atque armat. nam ita narrat libro primo Historiarum. *Ne in Britanniâ quidem dubitatum. Præerat Trebellius Maximus, per avaritiam & sordes contemptus exercitui invisusq́. Accendebat odium ejus Roscius Cælius Legatus vicesimæ Legionis, olim discors; sed occasione civilium armorum atrociùs proruperant. Trebellius seditionem & confusum ordinem disciplinæ Cælio: spoliatas & inopes Legiones Cælius Trebellio objectabat: Cum interim fœdis Legatorum certaminibus, modestiâ exercitus corruptâ: eoq́, discordiæ ventum, ut auxiliariorum quoque militum conviciis proturbantibus, & aggregantibus se Cælio cohortibus aliisq́, desertus Trebellius ad Vitellium perfugerit.* Sed fuga hæc paulo posterior, & post sequentem annum fuit. nam præsens hic annus tumultuando tantùm, & iras ad invicem accendendo consumptus, Britannis sibi blandientibus, & seditioni seditiosisque ignoscentibus: nec occasione usis, ad Romanorum jugum, cui magnum momentum seditio fuisset, declinandum.

II. Roscio Cælio Legato discors.

Tacit. l. 1. histor.

ANNUS URBIS CONDITÆ 819.
ANNUS CHRISTI 68.
PETRI 24.
CARACTACI REGIS 24.
NERONIS IMP. 12.

I. Petrus et Paulus Romam reversi.

ANno Christi sexagesimo octavo, Suetonio Paulino, & Pontio Telesino Consulibus, Apostolorum Principes Petrus & Paulus, cum solis instar universum Orbem illustrassent, fidei præceptis, & vitæ exemplo; Romam, unde exierant revertuntur: ut arcem illam fidei, Neronis impietate fœdam, suo sanguine illustrarent. Unde benè Baronius: *Divino consilio,* inquit, *Petrus & Paulus ut afflictatæ nimis gladio Neronis Ecclesiæ succurrerent, è diversis orbis partibus, Romam se iterum contulerunt, atque collabentem pene Ecclesiam instaurarunt.* Fuit enimvero divino consilio factum: quia, ut suprà Metaphrastes, de Petro in Britannia existente, dixit: *Angelicam ibi visionem aspexit, quæ decebat; Petre, instat tempus tuæ Resolutionis, & oportet te ire Romam: in qua cum mortem per Crucem sustinueris, recipies mercedem justitiæ. Cum ergo propterea Deum glorificasset: & apud Britannos mansisset dies aliquot, & verbo gratiæ multos illuminasset & Ecclesias constituisset, Episcoposq́, & Presbyteros & Diaconos ordinasset, duodecimo anno Cæsaris Neronis, rursum Romam revertitur.* Hæc ille: quæ in annum Christi sexagesimum octavum rejicit Baronius: & Petrum saltem è Britannia in Urbem migrasse significant.

Baron. hoc anno.

Metaphrastes.

II. Sunt qui Apostolorum reditum in Urbem ad priora referant, velintque reversos anno Domini sexagesimo sexto; ad quem annum ita legitur in Chronico Flavii Dextri. *Hoc eodem anno Sancti Apostoli Petrus & Paulus, ex longissimis peregrinationibus Romam redierunt.* Quam sententiam sequutus Franciscus Vivarius, ita dissidentes authores conciliat, & Apostolorum longissimas peregrinationes explicat Commentario tertio ad dictum annum: ubi hæc habet. *Qui ad annum sexagesimum nonum, vel septuagesimum differunt Apostolorum necem, remittunt etiam eorundem reditum ad annum sexagesimum octavum, ut uno (ut minimùm) vel duobus annis, ante mortem suam Romam accederent. Cum verò Dexter anno sexagesimo octavo eos occisos autumet: necessum habuit reditum Apostolorum in annum sexagesimum sextum consignare. Et, ut opinor, vero consimiliùs. nam ea fuit causa Apostolos Romam reducendi, quod ad eorum notitiam pervenit immanis illa persecutio, quam in Christianos Nero crudelissimus excitaverat: dum crimen incendii Romani, ab ipso nequiter excitati in eos retorquebat. Vrbis autem incendium juxta commune Authorum placitum, quos refert & sequitur Cardinalis Baronius in notis ad 24. Iunii, in annum Domini sexagesimum quintum incidit. Quare, quamprimum Apostoli nuntium de afflictione Romana Ecclesia acceperunt: tametsi longè distantes essent ab Vrbe: utpote Paulus in Hispania, Petrus verò in Britannia, vel Africa: illicò iter in Vrbem arripuere, ne suas oves in tribulatione tanta desererent.* Hæc ille Dextri Chronicon à se editum confirmans & illustrans. Ad annum incendii quod attinet: si illud, aut inde nata Christianorum vexatio traxit in Urbem Apostolos: & illi in longissimis peregrinationibus occupati, in Hispania, inquam, & Britannia distracti, ægrè unius anni spatio, (nec enim cursim Evangelium porrigebant) communicato inter se consilio poterant in Urbem convenire. non malè ergo Apostolorum reditus in Christi annum sexagesimum octavum à Baronio consignatur.

Dextri Chronicon an. 66.

Vivarius Com. 3. ad Chron. Dextri.

ANNUS URBIS CONDITÆ 820.

ANNUS CHRISTI 69.

PETRI 25.

CARACTACI REGIS 25.

NERONIS IMP. 13.

I. NERO CHRISTIANOS TRADUCIT, ET PERSEQUITUR.

SEXAGESIMO nono Christi anno, Lucio Fonteio Capitone, & Julio Rufo Consulibus: Cum Nero Imperator vitiis onustus, è prætenso in Achaiam itinere, in Urbem rediisset, & nuperi incendii conscientiam haberet, timeretque, quæ meruerat propterea, odia civium; in Christianos, ceu incendii authores, crimen à se derivat. Advertit hoc, quod jure mireris, infidelis author; sed rem fideliter narrans, Tacitus. qui cum Neronis ad Deos supplicia preces, & vota dixisset. *Sed non ope humana*, inquit, *non largitionibus Principis, aut Deûm placamentis, decedebat infamia; quin jussum (à Nerone) incendium crederetur. Ergo abolendo rumori Nero subdidit reos: & quæsitissimis pœnis affecit. quos per flagitia invisos vulgus Christianos appellabat. Auctor nominis ejus Christus, qui Tiberio imperitante per Procuratorem Pontium Pilatum supplicio affectus erat. repressaque in præsens exitialis superstitio, rursus erumpebat, non modo per Iudæam, originem ejus mali; sed per Vrbem etiam: quò cuncta undique atrocia aut pudenda confluunt, celebranturque.*

Tacit. l. 15. Annal.

II. PETRUS ET PAULUS A NERONE OCCIDUNTUR.

In hac Christianorum persecutione plures victimæ ceciderunt: & Nero crudelitatem adeo explicuit; dæmone, cujus erat mancipium, suggerente; ut Fidem Christi radicitùs evellere ac extirpare conatus sit. Et quoniam Romæ, Christianæ religionis ædificium felicissimè surrexerat; sumpto, per Apostolorum reditum, novo incremento: noluit impius, per partes, & temporum intervalla, sed uno quasi impetu, illud impetere, & funditùs evertere: quod fieri, non alia ratione melius poterat, quàm ipsius Ecclesiæ fundamentum destruendo, & quatiendo Petram, quam ipse Christus ad Fidei firmitatem consecraverat. *Itaque trucidatis tot insignibus, ad postremum Nero virtutem ipsam exscindere concupivit*: inquit Tacitus: cum Baream Soranum, & Thraseam Pætum, mori jussit Imperator: sed multò elegantiùs, de Petro & Paulo dicendum est; quòd Virtutem, Fidem, pietatem extinguere concupiverit, cum Apostolorum Principes, constantissimè Christum, verbo, opere, varioque miraculo prædicantes, hoc anno sexcentesimo nono jussit occidi. Uterque enim vitia insectatus, virtutes suadebat, & castæ imprimis puræque vitæ encomia; quæ Nero mortalium impurissimus ferre non poterat.

Tacit. l. 16 Annal.

PETRO NON PAULO SUCCEDITUR.

Et quoniam inter hos Apostolos, cæteroquin pares, discrimen aliquod, & differentia ad fidei unitatem, & tollendum ab Ecclesia dissidium eminebat: non duobus in Sede, ac Principatu, sed uni tantùm successum est. Uni inquam illi, cui olim dictum: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Ideo in Petrum imprimis exarsit Nero; meritò inter Inferorum portas numerandus, quas in Petram Ecclesiæ pugnaturas, sed illam nullo modo expugnaturas, prædixerat Christus, nam Apostolorum sanguis hoc anno fusus, firmavit potiùs, quàm solvit fundamentum. Unde de Romana Ecclesia loquens Tertullianus. *Felix*, inquit, *Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli, cum sanguine, profuderunt. Vbi Petrus passioni Dominicæ adæquatur: ubi Paulus, Ioannis exitu coronatur.*

Matth. 16 18.

Tertull. de Præscript.

III. LINUS PAPA.

Romanæ Ecclesiæ felicitas, & eminentia in Petri prærogativa legitur. Cui enim Christus olim semel, iterum, tertiò, pascendi gregis præfecturam dederat; æternum illi, suisque successoribus, sacerdotium contulit, & suum in Ecclesia Vicarium ita constituit, ut munus illud perenne esset, & Ecclesiæ coævum. Itaque Neronis impietate moriente Petro, ut Christi Ecclesia immortalis esset, in Petri locum suffectus est Linus, natione Tuscus, patria Volaterranus, de quo Tertullianus l. carminum.

Ex quibus electum magnum, plebique probatum
Hac cathedra Petrus, qua sederat ipse, locatum
Maxima Roma Linum primum considere jussit.

Tertull. l. 3 carminum.

Dixi natione Tuscum: quia nolo ambitiosus videri, Britanniæ illum asserendo. Licet sciam, quod tacere tamen non debeo, plures esse pro Insula advocatos. quos nuper secutus Hermannus Crombach ita loquitur. *Creditum à nonnullis fuit, S. Linum primum, & Vicarium Romanæ Sedis, & post S. Petrum etiam Pontificem, gente vel affinitate saltem Britannum fuisse. neque hoc hæreticis visum est incredibile: Vsserii enim verba sunt: Claudia*

Crombach. l. 2. c. 46.

Britanna uxor Pudentis, & mater Lini Episcopi Romani. Et sanè S. Paulus eres hos, ut aliqua ratione junctos copulat. Salutat te Pudens, Linus, Claudia ac coævum ejus S. Clemens, matrem S. Lini vocat Claudiam. hæc Hermannus, ex aliorum potiùs quàm sua sententia. addit tamen sensu suo. *Nolo periculo meo dictum esse, S. Linum verè gente fuisse Britannum: habuisse tamen in Britannia notas, cognatas, nepotes vel affines mihi verosimile, cum Romani, Hetrusci, Itali sedem sæpius ibi figerent, & cum Britannis connubia contraherent; Clericos etiam sanguine Britannos est perfacile nominare.*

IV. Novi motus in Britannia. *Oros. l. 9. c. 7.*

Quæ Petri martyrium insecuta sint mala, quæ Romæ vastitas, quæ provinciarum incendia, alii pluribus narrant. Ego quæ mei instituti sunt propria prosequur. Paulus Orosius Britanniam huic calamitati accessisse affirmat, ita scribens ad hæc tempora. *Nero primum Romæ Christianos, suppliciis, ac mortibus affecit, ac per omnes provincias, pari persecutione excruciari imperavit; ipsumq́, nomen extirpare conatus; Beatissimos Christi Apostolos, Petrum cruce, Paulum gladio occidit. Mox catervatim miseram Civitatem undique clades oppressere. nam subsequente Autumno, tanta Urbi pestilentia incubuit, ut triginta millia funerum, in rationem libitinæ venirent. Britannica inde clades è vestigio accidit: qua duo præcipua oppida, magna civium, sociorumq́, clade & cæde direpta sunt.* Hæc Orosius. quæ Baronius putat ad anteriora referenda. nimirum ad annum Christi sexagesimum secundum, & Neronis sextum: ubi revera duo oppida direpta & multum fusum sanguinem diximus. Verùm fuere in Britannia motus alii, Neronis mortem sequuti, quos indubiè Orosius intellexit cùm Romano imperio in varias factiones lacerato, Insula quoque tumultuata est. de quibus postea. nam prius tragicè velut in scenâ debet mori, qui Histrionis more imperavit.

ANNUS URBIS CONDITÆ 821.

ANNUS CHRISTI 70.

LINI PAP. 2.

CARACTACI REGIS 26.

NERONIS IMP. 14.

I. Nero seipsum interficit.

Cum annos sedecim, menses septem, dies viginti octo prædasset Nero Romanum imperium, in perdendo humano sanguine, seminecque profusus: hîc naturam evertendo, invertendo, avertendo: illic fratricida, matricida, uxoricida, & infinities homicida, denique anno Christi septuagesimo, Caio Silio Italico, & Galerio Truchalo Turpiliano Consulibus, Nero Suicida periit: lugente ipso * ὦ Ζεῦ οἷος τεχνίτης παραπόλλυμαι. (nimirum quod tam bonus histrio tam cito periret) lugentibus verò cæteris omnibus, quòd tam serò periisset. Mors ejus sequentium calamitatum initium fuit. nam Urbem ille flagitiis ita impleverat, & habenas imperii tam pravè contorseras, ut diu nemo reperiri posset, qui justo libramine illas contineret; adeo flagitiosa Neronis vita lubricas fecerat.

* O Jupiter! qualis Artifex pereo!

II. Galba imperat.

Primus experiri, sceptrumq́ue tenere voluit Servius Sulpitius Galba; qui factione militum in Hispania salutatus Imperator, audita Neronis morte, Cæsaris appellationem præsumpsit; consternatis interim in rerum explicatione cæteris provinciis. nam *Finis Neronis, ut lætus primo gaudentium impetu fuerat* (loquitur Tacitus) *ita varios motus animorum, non modò in Urbe apud Patres, apud populum, apud Urbanum militem: sed omnes Legiones, Ducesq́, conciverat, evulgato Imperii arcano, posse Principem alibi quàm Romæ fieri.* pergit author diversos animorum motus exponere, in novi ut fit Principis creatione, & turbatas ubique provincias, Hispano militi eligendi Imperatoris prærogativam invidentes. & tandem de Britannia: *In Britannico exercitu*, inquit, *nihil irarum. Non sanè aliæ Legiones, per omnes civilium bellorum motus innocentiùs egerunt: seu quia procul, & Oceano divisæ: seu quia crebris expeditionibus doctæ hostem potiùs odisse.* Trebellius Maximus, à Nerone missus Proprætor, sed militi invisus ad Vitellium perfugerat: *quies tamen provinciæ, quamquam remoto Consulari fuit. Rexere illam legati Legionum, pares jure, tamen Roscius Cælius audendo potentior*, inquit author. nec aliud tentatum puto sub Galbæ imperio, quod paucorum tantùm mensium fuit.

Tacit. l. 1. historia.

Idem suprà. Quieta Britannia.

Idem suprà.

ANNUS URBIS CONDITÆ 822.

ANNUS CHRISTI 71.

LINI PAP. 3.

CARACTACI REGIS 27.

OTHO IMPERAT.

I. Moritur Galba.

Consulatum inierunt anno Christi septuagesimo primo, Servius Sulpitius Galba Augustus, & T. Vinius Rufinus. Sed brevis Galbæ Consulatus fuit. cùm enim habenas imperii tractasset menses septem totidemq́ue dies; easdem Januario mense, quo factus est Consul, cum vita deposuit: occisus à tumultuante milite, alieno imperio felicior, quàm suo. Successit Otho æquè infeliciter. nam Romani qui in Germania militabant, visu Imperium non hæreditario jure, non Senatusconsulto, sed pro militum libidine dividi, sumpsere & ipsi animos, unaq́ue creandi Cæsaris potestatem. Ita Vitellius, Galba adhuc imperante, acclamatus Imperator. Ad illum paulo ante Trebellius fugerat, factionem auxerat: *& adjuncto postmodum Britannico exercitu* (sunt verba Taciti) *ingens viribus opibusq́, Vitellius*, Italiæ gravis imminebat.

Succedit Otho.

Tacit. l. 1. histor.

II. Vectius Bolanus Proprætor.

Præerat tunc Insulæ Vectius Trebellio successor: & * *præerat placidiùs*, inquit Tacitus, *quàm feroci provincia dignum.* sed errat. nam gentes etiam ferocissimæ, clementia mitigantur. & ubi *irarum nihil*, ut modo author, cur alia quàm placida manu fasces teneret. Adulatur ergo Julio Agricolæ affini suo, immemor quod suprà dixerat, *domitos esse Britannos ut pareant, nondum ut serviant.* Opinor ferox olim provincia, Christiana nunc lege mitior, asperitatem posuerat, subibatque placidiùs Romanum jugum. Unde licet omnis Europa, seditionum incendio arderet, & factionis ubique flamma corripuisset provincias: Insula tamen non accessit: furiè excolendæ fidei, quàm marti addictior. Interim *Vitellius nuntium de cæde Galbæ, & Othonis imperio accipiens:*

* *Idem in Agrico.*

Tacit. l. 3. histor.

Legionum numero auctior, à Vectio Bolano qui Britanniam regebat, auxiliares copias expectat. Sed ille ambiguus distulit, nunquam satis quieta Britannia. Vitellius tamen perrexit, spe tumidus Othonem vinci posse. Fortunam belli uterque tentavit, vario eventu: donec Otho controversiam diremit fuso suo sanguine, cum nonaginta quinque dies imperasset. Transmissam hoc anno, in Britanniam, Legionem Victricensem habet Camdenus.

OTHO MORITUR.

Camden. in Chester.

III. VITELLIUS IMPERAT.

Eo amoto, in scenam prodiit, Imperatoris personam indutus Aulus Vitellius. & verò egit paulò diutiùs. Sed quantum sibi placuit opipara & delicata vita, tantum displicuit aliis. Unde Romanus exercitus, qui in Oriente Judæos vexabat, Ducis sui nomen famamque veneratus; & ratus æquè sibi ac Germanis Imperium competere; Vespasianum, multis stipendiis & multæ famæ militem, tum Romani Exercitus Principem, Imperatorem salutat: Ille gnarus Italiam civili bello ardere, Ducesque concurrere: detrectare primò purpuram, mox nolenti injectam, cum laude gestare cœpit. Itaque Tito filio, qui Hierosolymas premeret, relicto; præmissoque Mutiano cum valido exercitu: ipse cunctabundus provincias implet terrore nominis sui. *Et Britanniam inclytus erga Vespasianum favor,* inquit Tacitus, *quod illic secundæ Legioni a Claudio præpositus, & bello clarus egerat, non sine motu adjunxit cæterarum. In quibus plerique Centuriones, ac milites à Vitellio provecti, expertum jam Principem anxii mutabant.*

VESPASIANO PURPURA INIICITUR.

Tacit. l. 3. histor.

BRITANNIA ILLI ACCEDIT.

IV.

V. an. 56. 2.

CARTISMANDUA A MARITO DIVERTIT.

Tacit. suprà

In hoc rerum, Urbis, Orbisque dissidio, & crebris belli civilis rumoribus: *Britanni* (ut suprà etiam adverti) *sustulere animos authore Venusio: qui super insitam ferociam, & Romani nominis odium, propriis in Cartismanduam Reginam stimulis accendebatur. Cartismandua Brigantibus imperitabat, pollens nobilitate, & auxerat potentiam, postquam capto per dolum Caractaco Rege, instruxisse triumphum Claudii Cæsaris videbatur. Inde opes, & rerum secundarum luxus, spreto Venusio; is fuit maritus; armigerum ejus Vellocatum, in matrimonium regnumq; accepit. Concussa statim flagitio domus. Pro marito, studia Civitatis, pro adultero, libido Reginæ, & sævitia. Igitur Venusius, accitis auxiliis, simul ipsorum Brigantum defectione, in extremum discrimen Cartismanduam adduxit. Tum petita à Romanis præsidia, & cohortes, alæq; variis præliis, exemere tamen periculo Reginam. Bellum nobis, regnum Venusio relictum.* Huc etiam refero quæ alibi idem author, de Vectio Bolano, ejusque in regendo innocentia scribit in hunc modum. *Vectius Bolanus manentibus adhuc civilibus bellis agitavit Britanniam disciplina: eadem inertia erga hostes: similis petulantia castrorum: nisi quod innocens Bolanus, & nullis delictis invisus, caritatem paraverat loco authoritatis.* Ita ille, modestè satis Bolanum laudans: effusior tamen ille, qui Crispinum ejus filium alloquitur his versibus, Statius Poeta

Tacit. in vita Agricol.

BOLANI PROPRÆTORIS LAUS.

Stat. l. 5. Silvarum.

Quanta Caledonios attollet gloria campos!
Cum tibi longævus referet trucis incola terræ
Hic suetus dare jura parens: hoc cespite turmas
Affari. Ille dedit, cinxitq; hæc mœnia fossa.
Belligeris hæc dona Deis, hæc tela dicavit.
Cernis adhuc titulos? hunc ipse vacantibus armis
Induit. hunc regi rapuit thoraca Britanno.

V.

Sunt qui putent, Poetam hîc alludere ad morem Romanorum, & jus Propætoris, qui conventum singulis annis indicens, & majores ibi lites dirimens, in excelso suggestu stipatus lictoribus, virgam populi tergo, securim cervicibus intentabat. Verùm cum cespitis fiat mentio, non juris dicundi mos; sed Imperatoris ad militem orantis exprimitur, ut suprà notavi cum Boadicea eo modo exercitum allocuta est. Quod addit Poëta de anathemate, & rapto thorace, Richardus Vitus prosa explicat in hunc modum: *Vectius Bolanus bellum movit adversus fidissimum populo Romano Britannorum Regem Cogidunum: deq; illo thoracem, in prælio oblatam, præfectus idem & Marti, & Bellonæ dono dicavit.* Sed quia author hunc Cogidunum, Arviragi, seu Caractaci filium Marium, fuisse putat: & ille necdum in regnum Patri successit, Cogidunus non debet adhuc Rex vocari. Vectius etiam Bolanus, qui triennio tantùm Britanniam pro Romanis rexit: satis probabiliter, munere suo, & Insula priùs cesserat, quàm ille regnaret. Quare si Statius hos versus scripsit, *dum Vitellius imperaret*, ut Vitus ait: hoc anno, cum sine dubio Marii parens superstes, & Rex esset, scriptos esse oportet.

V. an. 63 n. 2.

Ri Vitus l. 4. histor.

In notis ad l. 4. histor.

ANNUS URBIS CONDITÆ 823.

ANNUS CHRISTI 72.

LINI PAP. 4.

CARACTACI REGIS 28.

VESPASIANI IMP. 1.

ANNUS Christi septuagesimus secundus, Vespasiano Augusto, & Tito Consulibus: Vespasiani Imperatoris primus annus numeratur. Vitellius enim qui habenas imperii imperitè tenuerat, morte sublatus, locum fecit meliori: quem Roma primò, mox omnis Italia lubens admisit. Quid tunc in Britannia factum, & quomodo eò missus ex Urbe Julius Agricola, narret qui filiam ejus duxit uxorem, Cornelius Tacitus. *Initia principatus,* inquit ille, *ac statum Urbis, pro Vespasiano Mutianus regebat, admodùm juvene Domitiano, & ex paterna fortuna tantùm licentiam usurpante. Is missum in Britanniam, ad delectus agendos Agricolam, integreq; ac strenuè versatum, vicesimæ legioni tardè ad Sacramentum transgressæ præposuit, ubi decessor seditiosè agere narrabatur. Quippe legatis quoque consularibus, nimia ac formidolosa erat. Nec Legatus Prætorius ad cohibendum potens, incertùm suo, an militum ingenio. Ita successor simul & ultor electus, rarissima moderatione maluit videri invenisse bonos, quàm fecisse. Præerat tunc Britanniæ Vectius Bolanus, placidius, quàm feroci provincia dignum. Temperavit Agricola vim suam, ardoremq; compescuit ne incresceret, peritus obsequi, eruditusq; utilia honestis miscere.* Ita ille: Unde Britannia sine strepitu Vespasianum admisit: & quem olim & secundæ Legioni, quem è Germania in Britanniam adduxerat, præfectum militia clarum senserat, sperabat virum fore, qui Romani orbis nuperum incendium virtute restingueret.

I. VESPASIANUS IMPERAT.

Tacit. in Agric.

AGRICOLÆ INITIA IN BRITANNIA.

Interim Titus filius Judæis in Palæstina gravis, Hierosolymam arctissimè premebat, è parentis imperio: & hoc anno multa prius passam, omnino Salvatoris nostri oraculo famulatus. Sunt qui asserant, pro Tito pugnasse, viginti millia

II. BRITANNI IN PALÆSTINA.

Britannorum. Ita Judæus, ſed neſcio qua fide, Joſephus Ben-Gorion. Hoc ſi verum, arguit Inſulam, ſub Romano imperio quietam, extruendis Urbibus, & ampliandis pomœriis vacare potuiſſe. Huc etiam referunt aliqui, Oxonienſis Urbis prima incunabula: *Opinio eſt* (inquit Pitſius) *Urbem Oxonienſem ædificari cœptam poſt annum à ſalutifera Nativitate Chriſti ſeptuageſimum, regnante apud Britannos Arvirago. Tum veniſſe in Britanniam vatem quendam Hetruſcum, nomine Olenum Calenum, de quo lege Plinium l. 28. hiſtoriæ natural. & hunc vatem primæ Urbis fundamenta poſuiſſe: imo totam ſtructuram perfeciſſe; & à ſuo nomine Calenam vocaſſe: quo vocabulo innotuiſſe dicitur, uſque ad Anglo-Saxonum in Britanniam ingreſſum. Poſtea vulgo Oxenford, latinè Oxoniam indigitatam volunt.* Hæc ipſe. Verùm quod ad Calenam ſpectat; pro qua fortè Caleva ſcribendum; alii cenſuerunt non eandem Urbem eſſe. Nam Ptolomæus & Antoninus, Calevam in Atrebatiis, non in Dobuniâ ſtatuerunt. Sunt etiam qui non contenti hac Urbis antiquitate, ad anteriora provocant: & conditorem volunt Mempritium, Britannorum Regem; qui diu ante Romanorum adventum regnavit in Inſula. nimirum ſi Richardo Vito Baſinſtochio credimus, anno ab orbe condito, bis milleſimo nongenteſimo vigeſimo nono. Addunt etiam Urbem illam à Vortigerno poſtea reſtauratam. Unde Poeta quiſpiam ita luſit:

Pitſius de Script. in Acad. Oxoni.

Oxoniensis Urbis primordia.

Vitus l. 2. hiſt.

Non ingrata ſuis, quem crevit Regibus olim
Mempritio ſeſe, Vortigeroq; refert.

Daniel Rogers

III.

Laudandi Academici, qui Urbem, literarum olim parentem, antiquitatis titulo tam ambitioſè efferunt. Sed magis laudandi forent, ſi eadem cura ſtudioque doctas ibi diſciplinas, & antiquam Chriſtianorum Fidem venarentur. Sic enim nova dogmata, & viles merces, antiqui temporis luce diſtinguerent: nec ultra in Cimmeriis errorum & hæreſum tenebris Inſula verſaretur. Quid enim refert te ſenem jactare, ſi tractes puerilia; aut antiquum, ſi ſolâ novitate capiaris. Ego Academicum illum ambabus ulnis exciperem, qui Chriſtianam Fidem, hoc primo tempore, doctam in Inſula, & controverſos omnes articulos, à prima origine, ad hocce ſæculum, conſtanti rerum ſerie, deduceret, enodaret, atque explicaret. Hoc enim Urbem & Academiam verè illuſtraret. Inaniter efferuntur qui nudam Antiquitatem nulla virtute conditam jactant.

ANNUS URBIS CONDITÆ 824.

ANNUS CHRISTI 73.

LINI PAP. 5.

MARII REGIS 1.

VESPASIANI IMP. 2.

I. Caractacus moritur.

Marius Britannorum IX.

ANNO Chriſti ſeptuageſimo tertio, Veſpaſiano II. & M. Cocceio Nerva Conſulibus: Caractacus Rex, qui & Arviragus, cum annos octo & viginti, in varia fortuna regnaſſet, moritur relicto filio, quem Romanorum dialecto Marium vocavit: ita tempus conſignat Matthæus Florilegus: *Anno gratiæ*, inquit, *ſeptingenteſimo tertio Arviragus Britonum Rex, expletis vita ſua diebus, Claudioceſtriæ ſepultus eſt. Succeſſit ei in regnum Marius filius ſuus, vir miræ ſapientiæ & prudentiæ: qui Romano populo in tantam amicitiam cecidit; ut tributum, quod exigebatur ab eo ſine contradictione impendere curaret.* Hinc ſatis probabile redditur, Marium hunc alio nomine, Cogidunum à Romanis vocari. de quo Tacitus: *Quædam civitates Cogiduno Regi donatæ. Is ad noſtram uſque memoriam fidiſſimus manſit: vetere ac jam pridem recepta populi Romani conſuetudine, ut haberet inſtrumenta ſervitutis & Reges.* Hæc opinor Taciti ſententia, impulit Vitum Baſinſtochium, Arviragi filium, conjuncto ubique nomine Cogidunum Marium appellare. Prius tamen quàm Marii geſta explico; volo parentis indolem, & quid, eo Rege, in Inſula eminuit, paucis exponere: quia ejus olim captivitas, ut quietam, & à curis ſolutam mentem; ita opportunitatem fecit, eam liberalibus ſcientiis excolendi. Hinc politiores diſciplinæ haberi cœptæ in honore: & ipſe viros eruditione claros, qui è Romanorum commercio clareſcere incipiunt, foviſſe & amaſſe dicitur.

Weſtmon. hic.

Tacit. in Agricola.

II. Gildas Cambrius floret.

Florebat igitur, eo Rege, inter alios, Gildas cognomento Cambrius: *Vir*, inquit Pitſius, *tum in Latinis, tum in Græcis literis apprimè doctus; liberalibus etiam diſciplinis non minus inſtructus.* Hunc Rex in pretio habuiſſe dicitur: & author ei fuiſſe conſcribendæ hiſtoriæ, quæ Gildam commendavit. Ejus tamen non aliud ſupereſt, quàm verſus illi, & ſabularum obſtetrices: quos Galfredus Monumetenſis, & ex eo Ponticus Virunnius deſcripſerunt. Continent autem preces Bruti ad Dianam factas, ejuſdemque Dianæ redditum oraculum: quo Brutus jubetur navigare in Britanniam, eoque coloniam deducere, habiturus in prole (ſcilicet) orbis imperium. quod quia hactenus non vidimus factum. Credite, ſanè, poſteri. Hos verſus græcè olim factos, Gildas hic Cambrius, ita Latinè reddidit.

Apud Pitſium in Gilda.

Diva potens nemorum, terror ſilveſtribus apris:
Cui licet anfractus ire per æthereos,
Infernaſq; domos: terreſtria jura reſolve:
Et dic quas terras nos habitare velis.
Dic certam ſedem, qua te venerabor in ævum.
Qua tibi virgineis dedico templa choris.

Dianæ ad Brutum responsio.

Brute ſub occaſum ſolis, trans Gallica regna,
Inſula in Oceano eſt undique cincta mari.
Inſula in Oceano eſt habitata Gigantibus olim;
Nunc deſerta quidem, gentibus apta tuis.
Hanc pete: namq; tibi ſedes erit illa perennis
Hic fiet natis altera Troia tuis.
Hic de prole tua Reges naſcentur; & ipſis
Totius terræ ſubditus orbis erit.

III. Diana a Britannis colitur.

Si Dianæ credimus, & Bardorum ſomniis, Troiani ſumus, & Gygantum ſucceſſores. Illud certius: Dianam olim à Britannis cultam, ut delubra paſſim & alia ſuperſtitionis inſignia teſtantur, quæ ſæpè in Britannia eruuntur: quæque poſt Joſephi & Petri adventum, melioribus ſacris ceſſere. Cæterùm quod ad Gildam hunc ſpectat: nihil mirum ſi in barbara provincia literis excultus fuit: nam in tempora incidit ingeniorum feracia, & viros noſſe potuit eruditione claros: ſi verum eſt quod de eo affirmat Pitſius. *Erat autem* (ſic ille) *Coævus Martiali, Horatio, Silio, Statio, Iuvenali, cum latinis literis, quaſi natus & enutritus eſt. nam eo tempore vixit, quo eloquentia Romana dilatari cœpit. & inter nobiles illos pueros,*

Pitſ. in Gilda.

qui sub Augusto Cæsare, Romæ fuerunt obsides, unum fuisse mihi videtur. Unde & probabilis est multorum conjectura eum aliquando Titum Livium vidisse, imò docentem audivisse. hæc ille. Porro quod ad obsides attinet, suprà dixi, moris fuisse apud Romanos, eos ad omnem humanitatem expolire. Gildas hic differt admodum à duobus aliis, eodem nomine nuncupatis: à Sancto Gilda, cognomento Albanio: & à Gilda Badonico, quem Beda Britannorum historicum vocat. De his duobus erit infrà frequens mentio.

V. an. 41. n. 2. 3.

IV. MARIUS JOSEPHUM ET SOCIOS FOVIT.

Marius regnum adeptus, parentis pietatem in Josephum & socios æmulatus; non tantum quietam vitam illis indulsit, sed additis de novo prædiis, Glastoniensem ædem ditavit. Ita enim de Mario legitur in vita Josephi. *Horum duodecim virorum compertâ vitæ sanctimonia: alii duo Reges, licet pagani, Marius, Arviragi filius, & Coellus Marii filius, unicuique eorum unam Hidam terræ concesserunt. Unde & adhuc duodecim Hidæ, per eos, nomen sortiuntur.* Quid Hidæ nomine veniat; quia frequens vox illa in Regum donationibus, est paucis explicandum. Illam aliqui per Mansam, alii per Manentium, Beda latiniùs per Familiam exponit. Ab ingressu Saxonum, & non priùs, sumpto nomine, à bovis corio; ut aliqui volunt, Hidæ nomenclatura surrexit. Licet alii à Saxonicâ voce Hiden, quod tegere significat, derivant. Unde, inquiunt, Hide, tectum, & ad tectum seu domum pertinentia notat. sic cum Bedæ familia coincidit. Invaluit tamen eorum opinio, qui à bovino corio deduxerunt: ut sapiat numirum Virgilianam phrasim, qui de Carthaginis origine loquens, & mercantibus solum:

Apud Capgravium in Iosepho.

HIDA QUID?

Taurino quantum possent circundare tergo.

Virgilius Æneid. 1.

putatur innuisse id quod Saxones postea per Hidam dixerunt. nimirum eam terræ portionem, quæ annuo boum labore, & aratro into colitur. Unde etiam aliquando, per aratrum, exponitur. ut in donatione factâ S. Dunstano, sub annum Christi nongentesimum sexagesimum tertium, ubi dicitur: *Concedo terræ partem, septem aratrorum, quæ Anglicè dicitur septem Hidæ*: quæ appellatio etiam è Virgilio desumitur, ubi

Centum terram vertebat aratris.

Æneid. 7.

Marius ergo dedit, & Coellus filius confirmavit Josephi sociis, quod Caractacus, sive Arviragus, eisdem permiserat: vel potiùs ampliavit pomerium ad Hidas duodecim. Inter quas, palustris ille locus, non procul à Glastoniâ, qui Godneia dicitur, probabili conjecturâ concessus est. nam, vocem Saxonicam si resolvis, Dei Insula est: quasi prima terræ portio, quæ uni veroque Deo dicata: quamque Josepho & sociis, inter alia datam esse, ex aliorum opinione scribit Camdenus, nostram Belgarum regionem lustrans.

Camden. in Somerset.

ANNUS URBIS CONDITÆ 825.

ANNUS CHRISTI 74.

LINI PAP. 6.

MARII REGIS 2.

VESPASIANI IMP. 3.

PETILIUS CEREALIS PROPRÆTOR.

ANNO Christi septuagesimo quarto, Consulibus, Vespasiano tertium, & Tito secundum: Triennalem præfecturam absolverat Vectius Bolanus Proprætor in Britannia, & locum fecit Petilio Cereali. Qui hoc anno Insulam ingressus, pugnavit ad Septentrionem, ferocemque ibi populum coegit ad servitutem. de quo hæc habet Tacitus: *Ubi cum cætero orbe Vespasianus Britanniam recuperavit, magni Duces, egregii exercitus, minuta hostium spes, & terrorem statim intulit Petilius Cerealis. Brigantum civitatem, quæ numerosissima totius Britanniæ perhibetur, aggressus: multa prælia, & aliquando non incruenta: magnamq; Brigantum partem, aut Victoria amplexus, aut bello.* Sed quorsum à Cereali pugnatum in Brigantes, qui dudum, vel Duce Venusio, vel Regina Cartisinandua parati erant ad obsequium? Opinor Romanos hic progressos ad ulteriora, Brigantum nomine, intellexisse populum omnem, qui porrò in Septentrionem portenditur. Ibi enim sedem fixerant aliqui, Romanam servitutem nunquam experti. Cerealis igitur, Eboracensi Urbe (quam Brigantum civitatem vocat) composita; ultra processit, & factionis socios (unde seditionis alimentum) compescuit. Nuperi ergo motus, quos Cartisinanduæ libido exorsa fuerat, Romanorum quidem interventu sopiti, facilè recruduerunt: ut igni obductus cinis flammam extinguit: sed ignem & ardorem servat, qui sevi stuppa crescit in incendium. & Venusius, armigerum sibi prælatum, quomodo ferret? Appositè ergo Tacitus, cum jurgia bellumque retulisset, ita conclusit: *Venusio regnum, nobis bellum relictum est.* Enimvero in illo Septentrione æternum cum Romanis bellum fuit: sive è conjugum divortio exorsum primò: sive gentis genio, sive cæli, solique natura, culturam ægrè patientis. Unde si quid turbarum in Insula; Brigantes aderant, fomitem ministrantes: & cum factioni impares, socios aliunde quæsiverunt, è vicinis Insulis, eo prorsùs modo, quo declinante postmodum Romanorum imperio, Britanni ad Austrum, cum Septentrionem illum, & novos incolas premere suis viribus non valerent; vocaverunt Saxonem in suppetias. Qui primò in populum, inde in provinciam & principatum, denique in Regem, non uno impetu, sed per honorum intervalla, surrexit. Hoc ipsum in Septentrione nostro actum, nova gentis accessione, Annales isti demonstrabunt. Nec enim bella, quæ sequuta sunt, aliter exponi aut elucidari poterunt. Cæterùm hæc bella, non Britanni, non Scoti, non Hiberni: sed Romani Scriptores relaturi sunt; & illi, quis dubitat, ut belli, sic controversiarum omnium (quæ inter Britannos, Scotos & Hibernos) erunt optimi, & sine ulla populorum exceptione, interpretes.

Tacitus in Agric.

BRIGANTES QUINAM?

UT SAXO NUPERIUS: SIC OLIM BOREALES POPULI, IN GENTEM PRIMO, TUM IN REGNUM SURREXERE.

ANNUS URBIS CONDITÆ 826.

ANNUS CHRISTI 75.

LINI PAP. 7.

MARII REGIS 3.

VESPASIANI IMP. 4.

I. NOVÆ GENTES IN BRITANNIA.

ANNus Christi septuagesimus quintus, Domitiano Cæsare, & M. Valerio Messalino Consulibus, novas gentes aperuit; quæ appulsæ

in Britanniam, novo fœdere, antiquam, de qua modò dictum, factionem auxerunt, & numero, & æterna prole. Quod quia ad multarum quæstionum, dubiorumque solutionem, & rerum Britannicarum constantiam plurimùm facit, dicendum est accuratiùs. Florilegus ita scribit.

Westmon. hic.

Anno gratiæ septuagesimo quinto, Rex Pictorum Rodericus de Scythia veniens in aquilonarem Britanniæ partem applicuit: ac provinciam illam devastare capit. At Marius Britonum Rex, illum hostiliter petens, interfecit. Deinde dedit populo devicto, qui cum Roderico venerat, partem Albaniæ, quæ Catenesia nuncupatur; terram desertam, & omni habitatore vacuam. Hic primus est novorum advenarum adventus, qui quidem sedes fixas habuere: quocumque demum nomine vocentur. nam dato, Pictos propriè vocari, quod Beda satis innuit, tamen Britannos nostros Boreales in eorum quoque nomen concessisse, è dicendis necessum est affirmare. Et quia certum est, Britannos incultos, qui Romanam disciplinam admittere noluerunt, corpus, more patrio, varia figura pinxisse: ideo, qui pro Britannia nuper eruditè scripserunt, malunt novos incolas à Britanno-Pictis potiùs, quàm è Scythia nomen traxisse. Sed quicquid sit; de re quàm de nomine est potior controversia: Quæ componi non potest aut dirimi, nî universum Septentrionis tractum lustremus: quæramusque; qui? unde? quando ibi, aut stationem aliquando, aut etiam fixas & constantes sedes habuerint. Quod fateor difficulter ostendi posset (ita nova ingenia, pro patriæ prærogativa fortiter disputarunt) nisi Romanus miles, varia expeditione, multo terrâ marique labore, denique secundo, adversoque marte, omnem Britanniæ angulum, non modo explorasset; sed populum omnem gentemque ad triumphi gloriam, & majestatem nominasset. Sed quia à devictâ gente, Romani Imperatores, ut triumphum instruerent, nomina ambitiosissimè quæsiverunt; ideo latini græcique Scriptores, qui hoc & sequenti sæculo Augustorum acta, itinera, prælia, triumphos, & devictarum gentium nomina distinxerunt; multa luce nos manuducent in eorum populorum notitiam, qui Britanniæ Septentrionem (in quem Adrianus, Severus, Constantius Romani Imperatores, in Insulam venientes pugnavere) insederunt.

Scotorum exordia.

E Romanorum triumphis colliguntur.

II. Britanni soli Septentrionem incolunt. V. an. 49 4.

Dico igitur, ante hunc annum septuagesimum quintum, populum omnem, qui Britanniæ Insulam ab ortu ad occasum, ab Austro ad Septentrionem insedit, vel Britannos, vel Caledonios fuisse, nec alio ab antiquis authoribus, nomine censentur. Imo Caledonii, non alii quàm Britanni Septentrionales, non distincta à Britannia natio, ut suprà Martialis. facessat ergo Scotorum nuncupatio in hac Insula, hoc primo sæculo; & centuriata Regum nomina alibi coronentur, vel tenebris sepulta jaceant. Picti, quorum suprà mentio, ut tempore priores, ita jure figendi sedem potiores sunto. nam præter Florilegum (qui Galfredum Monumetensem sequutus, nimiùm fateor Britannis adblanditur) Beda Pictorum meminit, & de eorum in Britanniam adventu hæc habet. *Imprimis hæc Insula (inquit) Britones solùm (quæ valde notanda vox) à quibus nomen accepit, incolas habuit. Et cum plurimam Insulæ partem, incipientes ab Austro, possedissent, contigit gentem Pictorum de Scythia, ut perhibent, longis navibus non multis, Oceanum ingressam, circumagente flatu ventorum, extra fines omnes Britanniæ, Hiberniam pervenisse; ejusq́, Septentrionales oras intrasse. Atque inventa ibi gente Scottorum, sibi quoq́, in partibus illis sedes petisse: nec impetrare potuisse.* Hæc Beda: satis significans, ante hunc Pictorum adventum, Britones SOLÙM Insulam tenuisse: & nullam præter eos gentem, nullos Reges, nullum regnum extitisse. Quod è Tacito, qui Agricolam socerum, in extremum Insulæ ducet, & circumducet; gentesque ibi inventas nominabit; constabit esse verissimum: nunc Bedam prosequamur, Pictos ex Hibernia, in Britanniam deducentem.

Beda l. 1. histor. c. 1.

Pictorum in Hibernia.

III. *Beda suprà.*

Est autem Hibernia, inquit ille, *Insula omnium post Britanniam maxima; ad Occidentem quidem Britanniæ sita: sed sicut contra Aquilonem eâ brevior; ita in Meridiem se trans illius fines plurimùm protendens, usque contra Hispaniæ Septentrionalia; quamvis magno æquore interjacente pervenit. Ad hanc ergo usque pervenientes navigio Picti (ut diximus) petierunt in ea sibi quoque sedes, & habitationem donari. Responderunt Scotti: quod non ambos eâ caperet Insula. Sed possumus, inquiunt, salubre vobis dare consilium, quid agere valeatis. Novimus Insulam aliam esse, non procul à nostra, contra ortum Solis, quàm sæpè lucidioribus diebus de longè aspicere solemus. Hanc adire si vultis, habitabilem vobis facere valetis. Vel si quis restiterit, nobis auxiliatoribus utimini. Itaque petentes Britanniam Picti habitare per Septentrionales Insulæ partes cœperunt. nam australia Britones occupaverant. Cumq́, uxores Picti non habentes peterent à Scottis; ea solum conditione dare consenserunt: ut ubi res veniret in dubium, magis de fœminea Regum prosapia, quàm de masculina, Regem eligerent: quod usque hodie apud Pictos constat esse servatum. Procedente autem tempore Britannia post Britones & Pictos, tertiam Scotorum nationem, in Pictorum partes recepit.*

Picti in Britannia.

IV.

Hæc omnia, à me, è Beda relata sunt; non tam pro Pictorum origine asserenda, quàm pro Scotorum ortu in Britannia. qui si Roderico posterior fuit, & adventu Novorum incolarum, qui hoc anno septuagesimo quinto sedes quæsiverunt: procul dubiò, licèt ex Hibernia venerint, vicinâ nobis Insulâ, priùs hîc sedes fixerunt, illis qui hodie Scotorum nomine appellantur. Cæterùm illud in Beda notandum, quod de Scythia loquens, signanter dicit (*ut perhibent*) quo intelligi vult, id non suo, sed magis vulgi sensu dici, amplus ergo relinquitur & innocens de Pictorum patria, dissentiendi campus. non ita de Scotorum in Britanniam adventu: præsertim cum infrà, eorum accessus primi, secundi, tertii, annum, & circumstantias distinguere, & enucleare possimus. quod Deo dante; non pugnandi, sed veritatis eruendæ studio, faciemus. Nec illud ab Annalium Ecclesiasticorum lectione alienum, sed magnum est operæ pretium: cum enim Insula hæc olim, illustre fuerit sanctitatis seminarium; & tam Britannorum, quàm Saxonum, & Anglorum sæculo, ex omni ordine, & ætate, & utroque sexu, plurimos habuerit in omni virtutem genere eximios: pro quibus meritò certandum: & verò passim certatur, nisi Scotorum initia, sedes tempora, & alia consignes, quæ Scotos à Pictis & Britannis distinguant; nunquam controversiæ cardinem benè vertes: imo litigandi campus immensus erit. Si enim hoc primo, & altero, & tertio sæculo; Scotorum mentio occurrit in Britannia.

Scotorum exordia in Britannia, lucem Annalibus adferunt.

Britanno-Scoti statim insurgum, & suos esse provinciales illos non immeritò stipulantur: Verùm antiqui Scoti; Hiberni, inquam, non minore merito intercedent: & quicquid Scotorum nomine primis sæculis venit; sui juris esse, magnis sine dubio argumentis, probabunt. Sit verbo exemplum. Sanctus Mansuetus, quem suprà feci Petri discipulum, & Tullensium primum Episcopum: quia fortè in Septentrione nostro natus, Scotus aliquando ab authoribus, per catachresin, dicitur. Illum novi Scoti avidè arripiunt, & inde sibi Christianæ religionis primordia asserunt. Id Antiqui Scoti indignè ferentes, pro aris & focis pugnant; & Mansuetum, si Scotum; Hibernum esse officiosè admodum contendunt. Sic innumeri sancti, & illustres viri, fæminæque miserè pro variarum partium ambitione distrahuntur. Ut harum igitur cupiditati mederer; & sanctos, sine injuria, in suas classes distinguerem: statui Septentrionem, & omnem ibi populum, sedulò explorare, non è Scotorum aut Hibernorum novis reliquiis; (quia pietatis obtentu facilè peccatur.) sed è rerum, in Britannia gestarum, narratione; quam antiqui, omni majores exceptione texuerunt, Græci, Latini, externi denique.

V, an. 49. 3. 4.

V. Quod ad Pictos attinet, licet susque deque habeam, an è Scythiâ, & quânam Scythia, an aliundè prodierint, Duce Roderico: invenerunt sine dubio, populum, eique se junxerunt: qui Picti & essent, & dici possint: ut suprà è Julio Cæsare, Seneca, & aliis ostendi. Quibus adde Ausonium:

V. an. 56. n. 3. 4.

Ausonius.

> *Viridem distinguit glarea muscum*
> *Tota Caledoniis talis pictura Britannis.*

PICTI CALEDONIIS ET BRITANNIS IUNCTI.

Quorsum ergo è Scythiâ, Pictorum aut morem, aut nomen necessariò derivamus? Si nomen spectes, & primos authores illud usurpantes; cum Caledoniis & Britannis junctum invenies: nec ab illis diversum. Eumenius Orator, in Panegyrico, de Constantio Seniore. *Neque ille*, inquit, *tot tantisq; rebus gestis, non dico Caledonum, aliorumq; Pictorum silvas & paludes: sed nec Hiberniam proximam, nec Thulem ultimam; nec ipsas, si qua sunt, fortunatorum Insulas dignatur acquirere.* Et iterum, alio panegyrico, qui decimus numero inter antiquos Oratores legitur: *Soli Britanni, Pictis modo, & Hibernis assueti hostibus, adhuc seminudis, facile Romanis armis, signisq; cesserunt.* Tacitus quidem antiquior, tacet Pictorum nomen, Romanorum bella in Septentrionalem populum enumerans: sed in promptu causa est: quia factio necdum adoleverat adeò; ut inter se, Britannos distingui, aut nova nuncupatione discriminari necessum fuerit: addo nec olim pictura solitos distingui: cum Cæsar dixerit Britannos omnes pingi consuevisse: cœpit ergo Picti nomen tunc inclarescere, cum Australis Britannia, Romanorum commercio cultior fuit, & civiliùs vestita. tunc placuit charactere aliquo horridiores illos, & incultos, ab aliis distinguere: nimirum post tempora Diocletiani. Tunc Eumenius Orator Picti nomen legitur usurpasse. *Nec antea*, inquit Camdenus, *nomen illud apud Scriptores occurrit. licet Britannia tam diu provincia fuisset, ut incolæ provincialem linguam Latinam imbibissent.* Unde etiam notat, Dionem, Herodianum, & Vopiscum, non alio quàm Britannorum nomine; illos vocasse, qui in Septentrione Romanorum arma provocarunt.

Eumen. pan. 9.

Idem pan. 10.

UNDE ET QUANDO PICTORUM NOMEN IN BRITANNIA?

Camd. in Pictis.

VI. PICTI A BRITANNIS NON DIFFERUNT.

Quamobrem longè probabilius est; cum rebellis Septentrio, secessionem fecisset à reliqua Insula: & novorum populorum accessu, crevisset postmodum in factionem magnam: cum etiam barbarum pingendi morem, quem australem exuerant, & cum eo ferociam, ponere nollent; Romani, qui posteriùs scripserunt: quò socios ab aliis distinguerent: Hos Pictos; Britannos illos nuncupasse. Eo ferè modo, quo post annos quadringentos; cum Britannos Saxo ad montes & inculta coëgisset: novo eos Wallorum nomine, quod hodieque retinent, distinxerunt. Quæ appellationis novitas, non probat gentis novitatem, aut Wallos tunc primùm in Insulam venisse, cum ita appellari cœperunt: cum sint reverà Britanniæ populus, antiquus & vernaculus. Potuit tamen facilè vulgo imponi è Scythia Pictos venisse: quia Rodericus eorum Dux primus, hoc anno è Scythia (ita Scandiam antiqui dixerunt) in Insulam descendit, duxitque secum multum militem. Favet his omnibus Pictorum lingua, quam eandem cum Britanna fuisse, ex omni ferè voce, quæ Pictica audit, argui potest. nam scribit Beda, vallum incipere, *in loco, qui Pictorum sermone Penvahel appellatur*: quod omnino Britannicum est, notatque caput seu principium valli. Addit Camdenus. *Toto illo Insulæ tractu, quem Picti tenuerunt (erat autem pars hodiernæ Scotiæ Orientalis) plurimorum locorum nomina originem Britannicam sapiunt. Ipsa etiam primaria Pictorum sedes, non aliam quàm Britannicam originationem agnoscit, Edenburgum dico: quam castrum alatum vocat Ptolomæus; Aden enim Ala Britannice dicitur.* Cæterùm qui aliam Scotiæ partem, sequenti tempore tenuerunt, ut dicetur: Scotorum origo fuerunt; & Pictis sine dubio posteriores: eamque Albaniæ partem occuparunt, quam rectè Florilegus supra Catenesiam vocavit. Sed quoniam Beda disertè affirmat Pictorum & Britannorum linguam differentem esse: Cur non dixerim novos advenas, suam cum incolis linguam miscuisse, eo modo, quo Angli & Scoti hodie communicant: & olim Judæi Chaldæis mixti, Syriacam dialectum genuerunt: ubi modica vocum inflexio, & sonus aliquanto dispar, & dissonus, manente verborum radice & substantia; differentem linguam format. Hæc satis de Pictis, nunc Historiam prosequamur.

Bed. l. 1. c. 12.

Camd. in Pictis.

VIII. MARIUS RODERICUM PICTORUM REGEM INTERFICIT.

Histor. Britan. l. 4. c. 17.

Roderici appulsum in aquilonarem Britanniæ partem, præliumque cum Mario Rege, ita recitat historia Britannica. *Arviragо successit in regnum filius ejus Marius, vir miræ prudentiæ & sapientiæ. Regnante postmodum illo, quidam Rex Pictorum vocabulo Rodric, de Scythia, cum magna classe veniens, applicuit in aquilonarem partem Britanniæ, quæ Albania appellatur, cæpitq; provinciam illam vastare. Collecto igitur populo suo petivit illum Marius: illatuq; prælio illum interfecit, & victoria potitus est. Deinde erexit lapidem in signum triumphi sui; in provincia quæ postea de nomine suo Westmaria dicta fuit: in quo inscriptus titulus, memoriam ejus usque in hodiernum diem testatur.* Placet hac vice Armachani censura, de Britannica Història, quam Galfredus Monumetensis latinam fecit. *Quamquam in multis*, inquit, *Britannicæ Historiæ fidem vacillare haud nesciam: non omninò tamen videtur contemnendum, quod de titulo, Marianæ Victoriæ indice, testimonium adjungitur. Nam & ante historiam illam à Galfredo, è Britannico sermone versam, author longè gravior Gulielmus Malmesburiensis in Prologo*

Usser. Primord. fo. 381.

Malmesb. prol. l. 3. Ponti.

libri tertii, de gestis Pontificum, illius hunc in modum meminit: Est in Lugubalia civitate (Carleolo vulgo dicta) triclinium lapideum, fornicibus concameratum; quod nulla unquam tempestatum contumelia; quin etiam nec appositis ex industria lignis, & succensis, valuit labefactari. Cumberland vocatur Regio, & Cumbri vocantur homines: scripturaq; legitur in fronte triclinii MARII VICTORIÆ. *Licet* MARTI VICTORI *in nonnullis exemplaribus concipi, accepisse se notet Camdenus.* Ita Usserus.

VIII. QUID MALMESBURIENSIS DE MARIO.

*Idem supr.

Polychro. l. 4 c. 9.

Cæterùm licet dubium non sit, quin Malmesburiensis MARII non MARTI legerit, in fronte triclinii: nihil tamen ad Marii nostri victoriam facit, è mente sensuque ejus. nam pergit de titulo dicere: * *Quod quid sit hæsito: nisi fortè pars Cimbrorum olim his locis insederit, cum fuissent à Mario Italia pulsi.* Marium ergo Romanum, non Britannum, hæsitans intellexit: Quod porrò hæsitaverit, illa potest reddi ratio, quam Ranulfus Cestrensis in Polychronico ita aperit. *Hic,* inquit, *fuit Gulielmus Malmesburiensis deceptus, putans hunc lapidis titulum, ad Marium Consulem Romanum pertinere: nec mirum, cum ipse Britannicum librum non legisset, ubi de Mario Rege continetur.* Alii etiam Marii contra Rodericum Victoriam confirmant & asserunt pugnatum esse in Saxeto illo, quod in Westmorlandiæ, & Richmondiensis comitatus finibus positum, STANE MORE dicitur; nimirum ericetum lapidosum. Et pergunt affirmare, titulum ibi positum: ubi crux lapidea; quam Recrois, vel Rerecrosse appellant; ad utriusque regni distinguendum limitem, Gulielmo primo Angliæ, & Malcolmo Tertio Scotiæ Regibus, constituta. In Roderici demortui locum successisse alium, è Scytharum potiùs quàm Pictorum gente, affirmat Joannes Rossus Warwicensis, & Rodericum quoque ex eadem Scytharum gente oriundum innuit, ita scribens: *Roderico Pictorum, vel potius Scytharum Duce perempto; illi alium quemdam Berench, in Ducem elegerunt. a quo villa Berevvick, quasi Berenchi villa, nomen sumpsit.* Sed incertum illud; & alii illius oppidi primordia referunt ad annum Christi centesimum quadragesimum secundum: ut dicam ibi. Eulogii author, cum Marii victoriam, & Roderici interitum narrasset, mox ait: *De hominibus Roderici remanserunt nongenti, qui fidelitatem & homagium Regi VVestmer (ita Marium à victoria vocatum asserit unde & VVestmaria, sive VVestmerland) faciebant. Dedit enim eis quandam vastam terram ad inhabitandum per se; ne cum aliis commiscerentur.*

RODERICI SUCCESSOR BERENCH.

Apud Usser. fo. 182.

V. an. 142. 6.

Apud Usser. suprà.

IX. Hic superest difficultas, quam dissimulare non possum: cur Romani Scriptores, & Tacitus præcipuè, qui omnem Septentrionis angulum cum socero Agricola penetrasse videri potest; nec Roderici Regis, nec novorum incolarum è Scythia meminerit, cum belli materiam ipsi ministraverint. Respondeo. Pugnarunt hactenus Romani in Brigantes, Britanniæ sine dubio populum, qui subdi nolebat: tacuit supplementum, vel quia novum, & nuper appulsum; vel quia needum in nomen gentemque creverat. Cæterùm cùm sedem novi incolæ fixissent, post annos sex, Tacitus non omittit illorum meminisse, cum ait, de Agricola: *Tertius expeditionis annus* NOVAS GENTES *aperuit, vastatis usque ad Taum nationibus.* de quo infrà. Has ergo gentes novas, quæ paulatim Romanorum operâ, cæperunt innotescere; putamus illos esse de quibus Beda & Florilegus suprà; Rodericum, inquam, & ejus militem, qui Britanniæ Pictis laturus auxilium, facili negotio in Pictorum nomen, linguam gentemque coaluit. Hic interim nulla, nulla prorsus Scotorum mentio: nisi Scythas hos, Scotos dixeris: Sed quidquid dixeris; nomen in Annalibus adhuc non obtinent.

V. an. 82. 13.

NUM SCYTHÆ, SCOTI?

ANNUS URBIS CONDITÆ 827.

ANNUS CHRISTI 76.

LINI PAP. 8.

MARII REGIS 4.

VESPASIANI IMP. 5.

L. PICTI HIBERNIS CONJUNGUNTUR.

VVestmon. hic.

SEQUITUR Christi annus septuagesimus sextus, Vespasiano V. & Tito III. Consulibus. Elato Roderico qui infeliciter pugnarat: miles qui cum eo venerat, ne unius sæculi esset, de suscipiendis liberis, prorogandisque nepotibus, cum vicina provincia cæpit agitare. Quod ad tempus spectat, ita Florilegus: *Anno gratia septuagesimo sexto, Picti, qui cum Roderico in Britanniam venerunt, uxores non habentes; filias & cognatas Britonum petierunt ab eis. At illi, ut passi fuerunt repulsam; transfretaverunt in Hiberniam: & ex illa patria, mulieres reducentes, pueros susceperunt, ad similitudinem suam: homines videlicet modicæ staturæ genuerunt.* Quæ si vera sunt; si, inquam, tam citò militiæ vacationem miles habuit: Brigantes procul dubio, à Mario Rege, & Petilio Cereali nuper domiti, quieverunt. Quod etiam è Tacito colligitur, qui *nihil irarum* ad Septentrionem fuisse commemorat; sed potius versas Romanorum vires ad Silures, & Ordovices. Cæterùm Legationis in Hiberniam Beda etiam suprà meminit, & quâ lege uxores inde impetraverint: nimirum ut de fœmineâ Regum prosapiâ, non de masculinâ, Regem eligerent. Et vel inde argumentari quis potest; Pictos non è Scythia, sed genuinam Britanniæ prolem esse. nam Tacitus suprà de Britannorum moribus agens, dixit illos, *in imperiis sexum non discernere:* & alibi: *Boadicea testabatur Britannis solitum fœminarum ductu bellare.* Sed & Aristoteles Britanniam planè intellexit, cum ait: Bellicas quasdam nationes ultra Celtas esse, quæ Fœminarum imperio parerent. Cur ergo è Scythia hunc morem posteriùs derivamus?

Tacit. in Agric. & l. 14 Annal.

Aristoteles polit. l. 2. c. 7.

II. REJICITUR FLORILEGUS.

Sed quid illud? pueros Picti susceperunt ad similitudinem suam, homines videlicet modicæ staturæ? Certè nec Scythas, nec Pictos tangit. Si enim de Boreali Scythia sermo, ut omnes passim intelligunt. Si etiam de Pictis Caledoniam occupantibus: proceri potiùs ibi, quàm modicæ staturæ homines. nam quod Caledonios spectat, Cornelius Tacitus ita de illis: *Rutilæ,* inquit, *Caledoniam habitantium comæ, magni artus, Germanicam originem asseverant.* Germanos autem nemo modicæ staturæ dixerit. Multa ergo dubiæ fidei in Britannicam historiam, & Flores historiarum, inde libatos, irrepserunt; quæ Beda & alii accurati Scriptores omittentes, censuerunt spuria & inconstantia esse. Ut & illud, quod è nuptiis illis, Pictorum scilicet & Hibernorum, enati sint Scoti. De quo Florilegus: *Ex Pictis, inquit, & Hibernensibus, Scoti originem habuerunt.*

Tacit. in Agric.

Floril. an. 77.

quasi è diversis nationibus compacti. Scot enim dicitur illud, quod ex diversis rebus in unum acervum congregatur. Fabellam hoc vocat Camdenus, & illi assentior, aioque illos è Scythis potius, & originem, & nomen olim traxisse. non ab illis, qui superiore anno in Hiberniam primò, deinde in Britanniam transierunt. nam antiquior est Scotorum appellatio, sed à Scythis illis, qui quarta mundi ætate Hiberniam obtinentes, Scotorum nomen genti impresserunt. Unde Alfredus Rex & Monarcha, qui ante annos sexcentos, Orosii historiam Anglicè transtulit, Scotos passim in *Scythan* vertit: *nostriq́, qui proximè Scotiam habitant non Scotos, sed Skittos, & Skets sæpè appellitant*, inquit Camdenus. Ita antiquam habes Scotorum originem, in Hibernia: Quomodo inde in Britanniam Scotorum coloniæ migraverint: quomodo in numerum, in nomen, in Remp. denique in regnum emerserint, dicam singula suis locis. nam hactenus de Scotis in Britannia nostra, summum est silentium: & Beda, cum Pictos hibernis in matrimonio conjunxisset, signanter ait: *Procedente autem tempore Britannia post Britones & Pictos, tertiam Scotorum nationem in Pictorum partes recepit.* Quod quando factum ostendam inferiùs.

Camden. in Scotis.

Beda l. 1. c. 1.

III. Scotia in Britannia, quando cæpta vocari.

Interim non placet, quod habet Florilegus, ubi ad sequentem annum Scotorum in Britannia originem, & Albaniam Scotiam vocari cæptam, videtur innuere. nisi velit natos è nupero matrimonio aliquos, qui maternâ origine Scoti fuerint. Sed multum hoc abest à summâ quæstionis: aliud quippe est, Unde hic aut ille oriundus: aliud quando plures in peculiarem populum, gentemque creverint. Iterum aliud est: quando Hiberni Britanniam intraverint: aliud quando sedem ibi constanter figentes, à se patriam appellarint. Denique unum est, domicilium figere, aliud ibi regnare. Quod in nostrorum Saxonum ingressu enucleatiùs patet. Illi in Britanniam invitati anno quadringentesimo quadragesimo octavo, sequenti descenderunt. Et nemo Saxonici regni exordium eo anno statuendum esse contendit: multò minùs Britanniam, aut Britanniæ partem aliquam, Saxoniam dixit. Habent enim illa periodum longiorem. Primò servire debet, non regnare, Saxo: tum sedem in provincia figere: Tum agros, & oppida, quà vi, quà pactione occupare: tum provinciam aliquam precariò regere: ita provincialium animis bonisque illabi, ac demum, quod plurium annorum est, Principatum obtinere; Sed nec tunc, aut Britannia, nomen amisit; aut Saxonia statim invenit. Sed pulsis undique Britannis, & ad montana coactis, cum Saxo majestatem omnem induisset, & illam demum in heptarchiam divisisset, post annos ducentos, à Saxonum ingressu; Britannia, Saxonia transmarina, dici cæpta; denique post qoadringentos ab ingressu, Anglia. Hæc aut similis epocha temporis, ad novi populi, novæ gentis, novi regni, novæ nuncupationis firmitatem, necessaria est: quam etiam in Septentrione nostro intercessisse, priùs quàm Scotiæ regnum emersit, sine dubio dicendum: ut è dicendis etiam fiet manifestum. Sunt qui ad hunc annum Josephi ab Arimathia mortem consignant: sed opportuniùs de ea infrà ad annum sexagesimum secundum.

ANNUS URBIS CONDITÆ 828.

ANNUS CHRISTI 77.

LINI PAP. 9.

MARII REGIS 5.

VESPASIANI IMP. 6

ANno Christi septuagesimo septimo, Vespasiano VI. & Tito IV. Consulibus; Petilium Cerealem Proprætorem in Britannia excepit Julius Frontinus: & novi tumultus in Insula fuere. non ad Septentrionem quem Marius nuper composuerat, sed eum pugnace Silurum gente, qui à Romanis premi noluerunt. Hoc anno turbarum initia Frontinum excitarunt, ut militem contra armaret; sequenti finem habuerunt.

Julius Frontinus Proprætor.

ANNUS URBIS CONDITÆ 829.

ANNUS CHRISTI 78.

LINI PAP. 10.

MARII REGIS 6.

VESPASIANI IMP. 7.

I. Romani Silures profligant.

ANno Christi septuagesimo octavo, Vespasiano VII. & Tito V. Consulibus: Romanorum in Silures victoria celebratur, Frootino Duce. Ille enimvero, impigrè officio functus, rebellium impetus primò sustinuit, inde fortiter pressit. Quod Tacitus ita paucis explicat. *Silures aggressus Iulius Frontinus. molem sustinuit vir magnus, quantum licebat: validamq́, & pugnacem gentem armis subegit, super virtutem hostium, locorum quoque difficultates eluctatus.* Redierunt ergò ad officium Silures. mansit tamen dura cervix, flecti nescia: elatus animus, odium Victoris, factionis seminarium.

Tacit. in Agric.

II. De Marii Regis morte.

Ad hunc annum ita scribit Florilegus. *Anno gratiæ septuagesimo octavo, Marius Britannorum Rex ab hoc sæculo transiens, Coëllum filium habuit successorem.* De quo quid dicam nescio: quia longior vita ab aliis Mario conceditur. Polydorus Vergilius dat illi annos regni quadraginta octo: alii & communiùs quinquaginta tres. Ego non possum litem dirimere. Opinor solùm sub hæc tempora, nasci Coëllum Marii filium, Lucii parentem: quem imposterum, quia reverâ Mario successit, Annalibus præfigemus. quod & fecit Florilegus; quem malo ducem sequi, quam sine Duce, ejus regni exordium definire: pauca de illo, plura de filio scripturus: quia primus in Europa, Christiana fide ornavit coronam Regiam.

Romani hoc anno, re benè gestâ contra Silures, à Julio Frontino, trophæum in Britanniam erexerunt Vespasiano Imperatori, cujus auspiciis bellum gerebatur. Cernitur illud in massâ nuper inventa, propè Silures, in agro Cestrensi, cum hac Epigraphe.

IMP. VESP. VII.

T. IMP. V.

COSS.

Apud Camdenum in Cornaviis.

Ubi septimus Vespasiani, & Titi quintus Consulatus satis significat hoc anno inscriptum à

Julio Frontino : cum miles omiſſa expeditione, ad ſecuritatem ; Britanni ad occaſionem verterentur. Tunc etiam Frontinus Silures Legionario milite cohibuit ; nè pro libito erumperent. munivitque Urbem, quam Antoninus Iſcam, ab Iſca flumine vocavit. quæ poſtea à Legione ſecunda Veſpaſiano olim huc deducta, Kaer Leon, hoc eſt, Legionis civitas appellata. De hac Urbe, & Frontini tempore, intellige Giraldum in Itinerario Cambriæ, ita loquentem. *Erat hæc Vrbs antiqua, & authentica, à Romanis olim coctilibus muris egregiè constructa. Videas hic multa pristinæ nobilitatis vestigia, palatia immensa, aureis olim tectorum fastigiis, Romanos fastus imitantia : eò quòd à Romanis Principibus primò constructa, & ædificiis egregiis illustrata fuisset.* Hæc ille. nimirum vacavit Romano militi poſt bellum quieſcere, & quieti, commodis & decori ſtudere. Ita potuit viam militarem ſternere in agro Silurum quæ à Julio Frontino nomen ſortita, *Strata Iulia* dicebatur. cujus meminit Nechamus Poeta illo verſu.

Isca Silorum Urbs. Carleon ad Iscam. *Giraldus in Itinerario.*

Intrat & auget aquas Sabrini fluminis Osca
Praceps : testis erit Iulia Strata mihi.

Apud Camdenum in Monumeon.

ANNUS URBIS CONDITÆ 830.

ANNUS CHRISTI 79.

LINI PAP. 11.

COELLI REGIS 1.

VESPASIANI IMP. 8.

I. Julius Agricola Proprætor nominatur.

SEquitur Chriſti annus ſeptuageſimus nonus, Veſpaſiano VIII. & Domitiano Conſulibus; quo Cneus Julius Agricola, à Veſpaſiano, in locum Julii Frontini ſucceſſor nominatur. nec enim puto eum qui dudum Inſula exceſſerat, hoc anno in Britanniam rediiſſe, licet Faſti poſt Malmeſburienſem, & alios collecti, ejus reditum ad hunc annum notent. Sed quia illi id factum dicunt, anno Urbis conditæ octingenteſimo trigeſimo primo, Cetonio Commodo & Cornelio Priſco Coss. ideo meliùs in ſequentem annum Agricolæ præfectura rejicitur. Quin immò vix triennium Frontinus abſolverat : qui illud ante annum ſuperiorem tantummodò inchoarat. Hoc triennale Magiſtratus imperium, licet prudenter à Romanis inſtitutum : dediſſe tamen putatur, necdum domitæ provinciæ frequentem anſam factionis. Qui enim novis rebus, ut paſſim in turbata Rep. ſtudebant, novi Magiſtratus adventu, novos ad ſucceſſionem animos, & vetus odium, incendebant. Hinc ſapienter à Romanis cautum, ut ii in provinciam mitterentur, qui militia ibi clari, & aliquo munere functi, provinciam aliquando inſpexiſſent. Ideo deſignatus hoc anno Agricola, qui *prima castrorum rudimenta (loquitur gener ejus) in Britannia, Suetonio Paulino, diligenti ac moderato Duci approbarat; electus quem contubernio æstimaret. Nec Agricola licenter more juvenum, qui militiam in lasciviam vertunt : neque segniter ad voluptates, & titulum tribunatus, & inscitiam retulit. Sed noscere provinciam, nosci exercitui, discere à peritis, sequi optimos, nihil appetere ob jactationem, nihil ob formidinem recusare, simulq; anxius, & intentus agere. Non sanè aliàs exercitatior, magisq; in ambiguo Britannia fuit. Trucidati veterani, incensa Coloniæ, intercepti exercitus. Tum de salute, mox de victoria certavere. Quæ cuncta, etsi consiliis ductuq; alterius agebantur : ac summa rerum, & recuperatæ provinciæ gloria, in Ducem cessit : artem, & usum, & stimulos addidere juveni : intravitq; animum militaris gloriæ cupido.* Hæc omnia Tacitus, qui pergit Soceri laudes, itinera, & honorum gradus numerare; quo probet, magiſtratui, ad quem deſignatur, parem fuiſſe, eumque promeritum, & ita proſequitur.

Triennalis Magistratus.

Cur electus Agricola. *Tacit. in Agric.*

II. Honores ejus et munia.

Hinc ad capessendos Magistratus in Vrbem digressus; mox inter quæsturam, & Tribunatum plebis, atque ipsum Tribunatus annum, quietè & otio transiit; gnarus sub Nerone temporum, quibus inertia pro sapientia fuit. Cum Mutianus Principatum, & statum Vrbis regebat, missum ad delectus agendos Agricolam, integreq; ac strenuè versatum vicesimæ Legioni in Britannia, tardè ad Sacramentum transgressæ, præposuit. ubi decessor seditiosè agere narrabatur. Quippe Legatis quoque Consularibus, nimia ac formidolosa erat. Ibi Agricola sub Vectio Bolano, mox sub Cereali militavit. Revertentem ab Legatione Legionis, Vespasianus inter patritios ascivit : ac deinde provinciæ Aquitaniæ præposuit. Vbi naturali prudentiâ, quamvis inter togatos, facilè justeq; agebat. Minùs triennio in ea legatione detentus, ac statim ad spem Consulatus revocatus est : comitante opinione, Britanniam ei provinciam dari : nullis in hoc suis sermonibus, sed quia par videbatur. Haud semper errat fama, aliquando & eligit. Consul factus, statim post Consulatum, Britanniæ præpositus est, adjecto pontificatus Sacerdotio. nimirum hoc anno ſeptuageſimo nono, Veſpaſiani deſignatione in Britanniæ Proprætorem Romæ eligitur. Cæterùm quod ad ejus Conſulatum ſpectat; ſuffectus tantùm non ordinarius fuit : nec enim Agricolæ nomen in Faſtis legitur.

ANNUS URBIS CONDITÆ 831.

ANNUS CHRISTI 80.

LINI PAP. 12.

COELLI REGIS 2.

VESPASIANI IMP. 9.

I. Linus Papa moritur, Succedit Cletus.

OCtogesimo Chriſti anno, Ceiono Commodo, & Cornelio Priſco Conſulibus, moritur Linus Papa, Saturnini Conſularis juſſu, martyrio coronatus, cum duodecim ferè annos, Romanam Sedem, Fide, virtute, conſtantia ornaſſet. Succeſſit illi Cletus, & Sedem tenuit paulò diutiùs. Porrò quod ad Britannorum Eccleſiam attinet. Licet Chriſtianam ibi Fidem impunè creditam, & doctam quoque putemus; nihil tamen, aut majòris momenti, aut Annalibus dignum reperimus. Nec mirum hoc : quia Romanorum potentia, & armorum ſtrepitus, obliteravere cætera, quæ ſilentio agebantur.

II. Ordovices in Romanos surgunt. *Tacitus in Agricola.*

Turbarum in Britannia ſtrepituſque teſtis Agricola; qui hoc annò in Britanniam veniens, turbatam provinciam & tumultuantes populos, & multorum annorum labores invenit. Ordovices, Silurum exemplo, jugum conati excutere, novi Ducis virtuti gloriæque famulantur. Rem geſtam ita narrat Tacitus. *Ordovicum civitas, haud*

multò

multò ante adventum Agricolæ, alam in finibus suis agentem propè universam obtriverat. Eoq́; initio erecta provincia; ut quibus bellum volentibus erat, probare exemplum, aut recentis Legati animum opperiri. Tum Agricola, quanquam transacta æstas sparsi per provinciam numeri, præsumpta apud militem illius anni quies, tarda & contraria bellum inchoaturo, & plerisque custodiri suspecta potiùs videbatur, ire obviam discrimini statuit. contractuq́; Legionum vexillis, & modica auxiliorum manu: quia in æquum degredi Ordovices non audebant: ipse ante agmen quo cæteris par animus, simili periculo esset, erexit aciem: cæsaq́; propè universa gente;

ET PREMUNTUR.

non ignarus instandum famæ, ac prout prima cessissent, fore universa. Monam Insulam; cujus possessione revocatum Paulinum, rebellione totius Britanniæ suprà memoravi, redigere in potestatem animo intendit.

V. an 62. n. 3. &c.

Sed ut in dubiis consiliis naves deerant, ratio & constantia Ducis transvexit. Depositis omnibus sarcinis, lectissimos auxiliarium, quibus nota vada, & patrius nandi usus: quo simul, seque & arma & equos regunt; ita repente immisit: ut obstupefacti hostes, qui classem, qui naves, qui mare exspectabant; nihil arduum, aut invictum crediderint sic ad bellum venientibus. Ita petita pace, & dedita Insula; clarus ac magnus haberi Agricola: quippe cui ingredienti provinciam, quod tempus alii per ostentationem, aut officiorum ambitum transigunt; labor & periculum placuisset. Nec Agricola prosperitate rerum, in vanitatem usus, expeditionem aut Victoriam vocabat, victos continuisse; ne laureatis quidem gesta prosecutus est, sed ipsa dissimulatione famæ, famam auxit; æstimantibus quanta futuri spe, tam magna tacuisset. Hæc ille.

MONA INSULA AB AGRICOLA SUPERATUR.

III. AGRICOLÆ LAUS.

Porro non aliud magis Agricolam commendavit: quam quod benè usus victoria, & humanitatem in victos exercens, militum injurias temperarit: quod gener eleganter explicat in hunc modum. *Ille animorum provinciæ prudens, simulq́; doctus per aliena experimenta, parum profici armis, si injuriæ sequerentur; causas bellorum statuit excindere. A se quisque orsus, primùm domum suam coërcuit: quod plerisque haud minùs arduum, quàm provinciam regere. Nihil per libertos, servosq́; publicæ rei, non studiis privatis, nec ex commendatione, aut precibus Centurionum, milites ascire: sed optimum quemq́;, fidelissimum putare. omnia scire, non omnia exequi: parvis peccatis veniam, magnis severitatem commodare. Nec pœna semper, sed sæpiùs pœnitentia contentus esse: * officiis & administrationibus potiùs non peccaturos, quam damnare cum peccassent. Frumenti, & tributorum † auctionem, æqualitate munerum mollire; circumcisis, quæ in quæstum reperta, ipso tributo gravius tolerabantur. Namq́; per ludibrium assidere clausis horreis, & emere ultro frumenta, ac vendere pretio cogebantur. Divortia itinerum, & longinquitas regionum indicebatur; ut civitates, à proximis hibernis, in remota, & avia deferrent: donec quod omnibus in promptu erat, paucis lucrosum fieret. Hæc primo statim anno comprimendo egregiam famam, paci circumdedit: quæ vel incuria, vel tolerantia priorum haud minùs, quam bellum timebatur.* Ita militum avaritiam, provincialium Commodo studens, Agricola moderatus est. quæ sequuntur in Tacito, in sequentem annum referri debent.

Tacit. in Agricola.

* deest vox *præficere*, aut alia similis, ut notat Lipsius.
† *exactionem*

ANNUS URBIS CONDITÆ 832.

ANNUS CHRISTI 81.

CLETI PAPÆ 1.

COELLI REGIS 3.

TITI IMP. 1.

I. VESPASIANUS IMP. MORITUR.

OCTOGESIMO primo Christi anno, Consulibus Vespasiano nonùm, & Tito septimum: moritur Vespasianus Imperator annum agens ætatis sexagesimum nonum. Qui tum ob rudimentum militiæ in Britannia positum, remq́ue ibi ab eo fortiter gestam, cum pluries cum hoste confligens, Vectem Insulam obtinuit: tum propter Julii Frontini, & Agricolæ facinora, auspiciis ejusdem patrata; meruit ita à Valerio Flacco salutari.

> *Tuq́; ò pelagi qui major aperti*
> *Fama Caledonius postquam tua Carbasa vexit*
> *Oceanus, Phrygios prius indignatus Iulos.*

Valerius Flaccus.

II. TITUS IMPERAT.

Successit Vespasiano Titus filius, qui Tribunus militum, olim cum summa industria, nec minore modestia, magna etiam in parentem pietate, in Britannia militarat. nunc quomodo ejus auspiciis, & Agricolæ virtute ibidem pugnatum sit, pergat narrare Tacitus. *Ubi æstas advenit (nimirum anni octogesimi primi) contracto exercitu, Agricola militum in agmine laudare modestiam, disjectos coërcere, loca castris ipse capere, æstuaria ac silvas ipse prætentare: & nihil interim quietum pati, quò minus subitis excursibus popularetur. Atque ubi satis terruerat; parcendo rursus irritamenta pacis ostentare. Quibus rebus multæ civitates, quæ in illum diem ex æquo egerant; datis obsidibus iram posuere: ac præsidiis castellisq́; circumdatæ, tanta ratione curaq́;, ut nulla ante Britanniæ nova pars illacessita transierit. Sequens hiems saluberrimis consiliis absumpta. Namq́;, ut homines dispersi, ac rudes: eoq́; bello faciles: quieti & otio, per voluptates, assuescerent. hortari privatim, adjuvare publicè, ut templa, fora, domus extruerent: laudando promptos, & castigando segnes. Ita honoris æmulatio pro necessitate erat. Iam verò Principum filios liberalibus artibus erudire: & ingenia Britannorum, studiis Gallorum anteferre: ut qui modo linguam Romanam abnuebant, eloquentiam concupiscerent. Inde etiam habitus nostri honor, & frequens toga: paulatimq́; discessum ad delinimenta vitiorum, porticus, & balnea, & conviviorum elegantiam. idq́; apud imperitos, humanitas vocabatur, cum pars servitutis esset.*

Tacit. in Agric.

AGRICOLÆ INDUSTRIÆ.

III. MODERATIONE MELIUS DOMANTUR PROVINCIÆ.

Fortiùs hac arte, his, inquam, lenociniis, quàm armorum vi Romani in Britannos pugnaverunt. Licet enim grave jugum cervicibus imponeretur; cultu tamen humanitatis, & benevolentiæ signis æquanimiùs ferebatur. Errant ergo qui aut domare provinciam; aut domitam diu in officio tenere, injuriis, fastu, rigidoque imperio putant. Doctior Agricola, qui provincialium animis, adeoque Britannorum imperio, modestè illabitur. Factumq́ue hac ratione: quà convocatis in civilis vitæ societatem hominibus: quà studiis literarum, quà traductis in Urbes coloniis, quà habitus morumq́ue elegantia; ut exculti cives, barbariemq́ue exuti, cæteris provinciis non concederent. Nam præter ædificiorum substructiones; quorum etiamnum visuntur rudera; literarum imprimis studium erigebat

Britannorum animos ad omnem humanæ vitæ cultum: præsertim cum *Principum filii*, ut author dixit, *liberalibus artibus erudirentur.* Imò quidam, ut ad magna formarentur, Insulam egressi, Romamque profecti, in honore deliciisque erant: futuri postmodum Romanorum socii, & constantia servitutis instrumenta. Talis Coellus Rex, qui aliquando à parente in Urbem missus: ibi doctus est Romanum imperium ferre. Unde Florilegus benè dixit: *Coellus ab infantia Roma nutritus, a Senatu multum dilectus est.* Idem de Lucio, ejus filio, dicendum: qui liberalibus artibus eruditus, doctrinæ, & doctorum hominum maximus fautor, ad Christianæ fidei culturam, ea ratione parabatur. Julius Agricola, hoc anno, Legionem Vigesimam, quæ Victrix dicta, in Cornavios transtulit, ad locum, qui deinceps à Legione, *Caer Leon* vocatus; nunc audit Cestria, ad Devam fluvium sita. de qua plura inferiùs ad an. 185. n. 15.

VVestmon. an 70.

ANNUS URBIS CONDITÆ 835.
ANNUS CHRISTI 82.
CLETI PAP. 2.
COELLI REGIS 4.
TITI IMP. 2.

I. MORITUR JOSEPHUS AB ARIMATHIA.

ANNO Christi octogesimo secundo, Tito Augusto VIII. & Domitiano VII. Consulibus, moritur Glastoniæ, in Belgarum regione, Sanctus Josephus ab Arimathia: & in oratorio, quod Regum Britannorum ope extruxerat, sepelitur. Fælix Insula, quæ illi dare sepulchrum potuit, qui Christo commodarat suum. Nec admodum moveor, si Romanum Martyrologium ita loquitur ad decimum septimum Martii: *Hierosolymis Sancti Ioseph ab Arimathia nobilis Decurionis, discipuli Domini, qui ejus corpus de Cruce depositum, in monumento suo novo sepelivit.* nam ibi memoria tantùm, non mortis ejus locus, ut passim alibi, adnotatur: addo nec mortis dies: unde Martyrologium Anglicanum & alium diem, & mortis locum alium assignat, ad vigesimum septimum Julii. Et in vita ejus apud Capgravium hæc habentur de loco sepulturæ. *Insula Avallonis avida funeris, millia dormientium accepit. Inter quos Ioseph de marmore, ab Arimathia nomine, cepit somnum perpetuum. Et jacet in linea bifurcata, juxta Meridianum angulum oratorii cratibus præparatis super potentem, adorandam Virginem * sperulatis locum habitantibus tredecim. Habet enim Ioseph secum in sarcophago duo vascula alba & argentea, cruore prophetæ IESV, & sudore perimpleta. Cum reperietur ejus sarcophagum integrum illibatum in futuris videbitur: & erit apertum toti Orbi terrarum ex tunc, nec aqua, nec ros cæli Insulam nobilissimam habitantibus poterit deficere.* Ita Josephi parentavit Melkinus Avallonius, quem alii Mevinum vocant.

Martyrol. Rom 17. Martii.

Capgrav. in Ioseph Arimath.

GLASTONIÆ SEPELITUR.

* *spharulatis locus corrup.*

II. De tempore, & anno mortis S. Josephi, non est authorum in unum consensus. Martyrologium consignat annum Christi octogesimum secundum. Alii priùs: nempe annum septuagesimum sextum: quod communius dicitur. Unde è Polydoro Virgilio, Capgravio, Balæo, & aliis, ita colligunt Magdeburgenses. *Iosephus non procul ab Vrbe VVellia docuit: & plurimis conversis, tandem mortem obiit in Avalonica solitudine, sepultus anno Domini septuagesimo sexto, Mario regnante in Britannia.* Quicquid sit de anno; paulò tamen constantiùs ab authoribus asseritur, non modò Josephum, sed & Socios quoque ejus, Glastoniæ quievisse. Unde in magna Glastoniensium tabula ita legitur. *Ibi requiescunt duodecim Discipuli, quorum primus & custos fuit Ioseph ab Arimathia qui Dominum sepelivit: multi ex paganis, per eos, ad fidem Christi conversi, ac baptizati ibidem requiescunt; quorum, propter eorum multitudinem non est numerus.* Hæc ibi. Author etiam Eulogii l. 2. de Josepho & Sociis hæc habet. *Ibidem (inquit, & Glastoniam intelligit) diu commorantes (multisque de dicto regno ad locum confluentibus, per eosdem ad fidem Christi conversis) tandem in pace quieverunt. Ioseph vero ab Arimathiâ ibidem sepultus est, juxta dictam Ecclesiam (B. Mariæ) cum duabus phialis plenis de cruore Christi sanguineo, quas secum de terra sancta detulerat.* His adde. Sacellum Glastoniæ, Sancto Josepho sacrum, in cryptâ subterraneâ cujus suprà facta est mentio: ubi ejus tumulum fuisse, inscriptum hoc Epitaphium significare videtur:

Cent. in Addit. ad 1. Cent. post cen. 2

Apud Vsser. fo. 29.

Apud Vsser. fo. 571.

V. an. 64. n. 10.

Ad Britones veni postquam Christum sepelivi,
Docui, requievi.

III. DE LOCO SEPULCHRI.

Sepulchri tamen locus, diu mansit incognitus, adeò, ut dubitatum aliquando fuerit, sepultusne Glastoniæ, an alio aliquo loco: sed nutantes aliquorum mentes firmare conatus est, sed conatus tantum, Joannes Blomæus Londinensis, qui anno millesimo trecentesimo quadragesimo quinto, supplici libello licentiam petiit & impetravit, ab Edoardo Tertio Anglorum Rege, Quærendi corpus Josephi ab Arimathiâ. Nesciremus id factum, nisi patentes literæ ejusdem Regis super eo confectæ, in Archivis Regiis apud arcem Londinensem servatæ fuissent. Ubi parte 1. membrana 8. hæc habentur. *Rex omnibus ad quos &c. Salutem. Supplicavit nobis Ioannes Blome de London: Vt cùm sibi (sicut asserit) divinitus sit injunctum, ut corpus venerandum nobilis Decurionis Iosephi ab Arimathiâ, quod infra septa Monasterii Glastoniensis, in Christo quiescit humatum: & est ad honorem, & multorum ædificationem, his temporibus revelandum: quærat, donec inveniat, diligenter. Et quia in quibusdam antiquis scripturis dicitur contineri corpus ejus ibidem fuisse sepultum. Nos si sit ita, desiderantes monumentum ejus, & venerandas ipsius reliquias, qui Redemptori nostro morienti tantum exhibebat pietatis & humanitatis obsequium; corpus ejus de Cruce deponendo, & illud in monumento suo novo ponendo, devotis honoribus prævenire: & sperantes nobis, & toti regno nostro, ex revelatione prædicta gratiam uberiorem provenire: concessimus, & licentiam dedimus (quantum in nobis est) eidem Ioanni; quòd ipse infra præcinctum dicti Monasterii fodere & illas pretiosas reliquias, juxta injunctionem & revelationem sibi factam, quærere valeat, in locis ubi melius viderit expedire. Dum tamen absque damno dilectorum nobis in Christo Abbatis & Conventus dicti Monasterii & ruinâ Ecclesiæ, & domorum suarum, ibidem id fieri valeat. Et quod ad id, ipsorum Abbatis & Conventus licentiam habeat, & assensum. In cujus, &c. Teste Rege apud VVestmonasterium VIII. die Iunii.*

Apud Vsser. fo. 29.

PATENTES EDOARDI III. REGIS.

PER IPSUM REGEM.

IV. JOSEPHI FIDES EXCUTITUR.

De sepulchro satis (nam quid inde à datis patentibus factum non legitur) nunc Josephi morientis Fidem exploremus. nam hoc instituti ratio & scribendorum Annalium potissimum consilium fuit. Itaque si verum est, quod supra

pluribus dixi, Joſephum voluiſſe cum argenteo vaſculo, cruore Domini & ſudore pleno, ſepeliri: ſi crucem, Virginem Deiparam coluit, & illi poſt Christum ſacram ædem erexit: Romanam hodie Fidem, olim ab eo cultam, neceſſum eſt affirmare: & factioni ſuæ peſſimè patrocinantur illi, qui Sanctorum & reliquiarum cultum averſati, ad Joſephum, & prima ſæcula appellant. Nec unus Joſephus in eo cultu ſingularis fuit: nam pænitens illa mulier, quæ Chriſtum Dominum ardentiſſimè amabat, Maria Magdalena; cum ſub Cruce plorans, terram Chriſti ſanguine mixtam religiosè collegiſſet: theſaurum illum, uſque ad extremum vitæ piè ſervavit: ac denique in futuræ reſurrectionis, beatæque immortalitatis ſpem, in ſepulchro habere, ſacri pignoris conſortium voluit. Cur ita ab utroque factum juvat paucis exquirere: quia in ſcrupuloſa tempora naſcimur, quæ ſpecioſo titulo unius Dei colendi, de Sanctorum, & reliquiarum cultu factioſiſſimè diſputant: firmanda ſunt igitur, quæ dicimus, conſtantibus argumentis: & docendum nihil à Dei cultu alienum aſſeri, cum Chriſti ſanguis colitur, aut crux ejus in pretio habetur. Id præterquam quod omnium ſæculorum uſu, doctorumque ſuffragio probari non difficulter poſſit: ipſo naturæ lumine, & intellectûs ratiocinio, ſic oſtenditur.

Cum Magdalenæ Fide componitur.

V. Reliquiarum cultus probatur.

Enimvero ſi amici pretioſum quippiam, aut quod amici cauſa pretioſum cenſetur, maximè ſi eum refert aut præſentem facit, oſculari, retinere, & ex memoria amicitiæ, in pretio habere licet, ſine amici, aut amicitiæ injuria; imo cùm ingenti ſignificatione benevolentiæ: Cur non licebit Chriſtiano homini, Chriſti pretioſum aliquod, aut quod ejus cauſa tale cenſetur, maximè ſi eum refert, aut præſentem facit; amare, eo delectari, & ex ingentium beneficiorum recordatione, ſuaviari, honore proſequi, ac ita animum paſcere imagine concupiti amplexus, dulcique immortalitatis ſuſpirio? Imò id licet, & magno merito licet: itaque faciebat, qui dixit: Noſtra autem converſatio in cælis eſt: *Vnde etiam Salvatorem expectamus Dominum noſtrum IESVM Chriſtum.* Hoc omnes horunt qui impensè amant. Unde Magdalenam & Joſephum facilè abſolvimus, ab omni alieni cultus ſuſpicione, imo majore laude dignos exiſtimamus hæmorrhoiſsâ illâ: quæ in Chriſtum credens, *acceſſit retrò. & tetigit fimbriam veſtimenti ejus. Dicebat enim intra ſe; ſi tetigero tantum veſtimentum ejus, ſalva ero.* Quid fimbriæ veſtimenti, cum Chriſti ſanguine? Laudatur tamen mulier, & Fides ejus commendatur, hoc encomio: *Fides tua te ſalvam fecit.* & nonne poſſumus, imò debemus hanc prærogativam dare ſanguini Chriſti: aut putare Joſephum, & Magdalenam, cruorem è Chriſti corpore, è pedum & manuum vulneribus, è capite coronato, ex aperto latere defluentem abjeciſſe, aut non curaſſe. Erant illi hæmorrhoiſsâ doctiores, Chriſti ſcholam diutiùs frequentarant: & uno verbo, quod fortiùs probat, ardentiùs amabant: & quoniam eorum converſatio in cælis erat, cum Chriſto in terris verſari, pro viribus contendebant.

Ad Philip. 3. v. 20.

Mat. 9. 20.

VI. Cur Joſephus cum reliquiis ſepultus?

Eſt & aliud in Joſephi facto, poſterorum memoriâ dignum: quod orthodoxi omnes imitati ſunt, heterodoxi averſantur. Sciebat Joſephus fideles omnes in eo loco frequentes fore; & Divinum Numen adoraturos, ubi tantus theſaurus conderetur: unde ſperabat, precum ſuffragio, animæ quietem. Eo planè conſilio, quo poſtea Conſtantinus Magnus, Apoſtolorum reliquias devotè collegit, collectas ornavit, ornatas ad ſepulchrum, ubi condendus, collocari mandavit: *Vt defunctus, precationum quæ ibidem eſſent ad Apoſtolorum gloriam offerendæ, particeps efficeretur,* inquit Euſebius. Ubi, pro reliquiarum cultu, pro defunctorum ſuffragiis, antiquum habes, & nobile Fidei argumentum: quod ego cum Conſtantinus moritur, dabo explicatiùs. Nos igitur Joſephi, Magdalenæ, Conſtantini exemplis, imò divinæ Scripturæ oraculo, & oſtentis, atque miraculis animati, Sanctorum cineres innocenter oſculamur, piè colimus, & religiosè nobiſcum circumferimus. Si enim Pauli ſanctitas afficere potuit ſudaria atque ſemicinctia, & illa, derivatâ virtute, medicinalia eſſe: quidni idem operabitur ſanctitas, per veſtes, per oſſa, per cineres eorum, qui Pauli Fidem, & virtutes ſequuti, ſanctitatis quoque meritum habuerunt? præſertim cum Chriſti promiſſum accedat. *Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipſe faciet, & majora horum faciet.* Optimè in rem meam Baronius. *Dicant hagiomachi,* inquit, *(ſi qua tamen in eis umbra Evangelicæ veritatis reliqua ſit) ſi eadem ipſa Chriſti veſtimenti fimbria extaret hodie: ſi qua illa ipſa Pauli ſudaria & ſemicinctia haberentur, atque ob oculos ponerentur: quid quæſo facturi eſſent? averſarentúrne? Si eò temeritatis & pervicaciæ perveniſſent, ut execrarentur: certè non aliorum, quàm malorum dæmonum ſe participes eſſe ſignificarent, eorum denique ſe conſortes eſſe profiterentur: qui eadem Pauli ſudaria ac ſemicinctia exhorrentes potiùs, quàm illa pati ſuſtinentes, ab obſeſſis diu corporibus fugiebant. Penes quos igitur Catholica veritas? An apud eos, qui ex Evangeliſtarum præſcripto, Domini & Pauli authoritate, hæmorrhoiſſæ, & aliorum, ac denique maximè piorum Epheſiorum* (liceat mihi addere Britannorum) *exemplo, Sanctorum reliquias, ut aliquam inde ſalutem hauriant, quo decet cultu, & honore proſequuntur: an apud eos, qui eas, ut dæmones, deteſtantur?*

Euſeb. in vit. Conſt. l. 4. c. 60.

Ioan. 14. 12.

Baron. an. 25.

Hagiomachi arguuntur.

Joſepho mortuo ſucceſſit in Præfectura Glaſtonienſi, Sanctus Faganus, & locum tenuiſſe dicitur, annis triginta. Nec enim cum Joſepho deſiit in Britannia Monaſticum inſtitutum; ut anonymus quidam contendit. Nam Rege favente & populo applaudente, ſolitudo illa, & vita anachoretica in honore fuit: & Joſephi Sociis decedentibus, alii ſucceſſerunt, tam in Hidarum, & prædiorum jus, quàm in vitæ ſimilitudinem uſque ad Lucii Regis tempora: quando deſertâ fortè Glaſtoniâ, incolæ ad prædicandum Chriſtum delapſi, planetarum more, luſtrabant Inſulam. Tunc accidit illud, quod in Joſephi vita legitur: *Cœpit igitur locus eſſe ferarum latibulum, qui prius fuerat habitatio ſanctorum: donec placuit Beata Virgini ſuum oratorium redire ad memoriam fidelium.* Quod factum poſterioribus ſæculis, cum Chriſtiana Fides cœpit eminere. Tunc Joſephi ſepulchrum, vice Dominici ſepulchri, glorioſum: tunc Deiparæ cultus, & Glaſtonienſis ædes maxima cœpit incrementa: cum pro certo conſtitit locum illum Fontem et Originem Chriſtianæ religionis in Britannia fuiſſe. Quod quia Regum chartæ ita dixerunt, confirmaruntque ea omnia quæ hactenus de Joſepho retulimus: unam hic appono

VII. Joſephi ſucceſſor.

Apud Capgrav. in Ioſepho.

DIPLOMA REGIS HENRICI SECUNDI
Indultum Cornobio Glastoniensi.

VIII. *Apud Harpesf. saeculo 1. c. 2.*

HENRICUS Dei gratia Rex Angliæ, Dux Normanniæ, & Aquitaniæ, & Comes Andegaviæ: Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Comitibus, Justitiariis, Baronibus, Vice-Comitibus, & omnibus fidelibus suis Francis, & Anglis totius Angliæ, Salutem:

Quoniam quæ seminaverit homo, hæc & metet: Ecclesiæ Glastoniensis fundamentum jaciens; quæ dum in manu mea fuerat, incendio consumpta, in cinerem resedit: tam Domino volente, persuadentibus Eraclio Patriarcha Hierosolymitano, Balduino Archiepiscopo Cantuariensi, Richardo VVintoniensi Episcopo, Bartholomæo Exoniensi Episcopo, Radulfo de Glanvil, cum multis aliis, per me, aut per hæredes meos consummandam, magnificentiùs reparare decrevi. Quæcumque etiam à prædecessoribus meis, VVillielmo I. & VVillielmo II. & Henrico avo meo: & ab antiquioribus videlicet Sancto Edgaro, patre Sancti Edoardi, ab Edmundo, & Patre ipsius Edouardo, & Alfredo, avo ejusdem, Bringvvalthio, Hentvvino, Baldredo, Ina, inclyto Arthuro, Candredo, & multis aliis Regibus Christianis. Sed & à Kenevvalla quondam Rege Pagano: quorum privilegia, & chartas feci diligenter inquiri, & coram me præsentari, & legi: confirmata sunt prædictæ Ecclesiæ: quæ olim à quibusdam MATER SANCTORVM dicta est: ab aliis TVMVLVS SANCTORVM. Quoniam ab ipsis discipulis Domini ædificatam, & ab ipso Domino dedicatam primò fuisse, venerabilis habet antiquorum authoritas. Ego quoque in honorem Dei, & Beatissimæ Virginis, Matris suæ; quæ locum sibi specialem, & primum in hoc regno elegit; & omnium Sanctorum ibi quiescentium, pro salute animæ meæ, & antecessorum, & hæredum meorum: concedo & hac mea charta confirmo omnes libertates & dignitates, privilegia & liberas consuetudines, quæ à prædictis nobilibus viris collata sunt præfatæ Ecclesiæ, & Apostolicis sanctionibus sunt munita, & à Beatis Elfeago & Dunstano Archiepiscopis, & quondam loci illius Monachis, & à prædecessoribus eorum, & posteris roborata.

IX. *Habeat igitur, & possideat sæpè dicta Ecclesia, omnes possessiones suas & terras, & omnes fore facturas eorum, feoda & servitia militum, ubicumque fuerint in regno meo, in pace, & quiete, liberè, & inconcussè: sicut ego res meas Dominicas liberiùs habeo: fugitivos suos ubicumque inventi fuerint, absque omni calumnia, & impedimento habeant: & sint Abbates & Monachi, & familia eorum quieti, per totum regnum meum, de Tonnis & Pagio. Habeat quoque eadem Ecclesia, & omnes terræ suæ, Soccam, & Saccam, & onsutude, & onsitme, on vvode, & on feld on Griphishe, on burbrich hundred setene, Adas, & Ordelas, Galle, & Hordas Busa Eordan, & Benedan, infangenetheof, & flerne ferden hanso cue Fridbrich, Forsteal, Tol, & Team. Sed præcipua villa Glaston, in vetusta Ecclesia Dei Genitricis sita, quæ FONS & ORIGO totius religionis Angliæ, pro certo habetur; præ cæteris sit liberior, cum Insulis suis; Scilicet Becaria, quæ parva Hibernia dicitur, Godeneia, Martenesia, Ferramere, Dathenepga, & Andresia: ut nullus hominum, Rex, Archiepiscopus, Episcopus, Iustitiarius, vel Forestarius, vel alius Ballivus, sive Minister, vel aliquis alius hominum, audeat intrare prædicta loca, causa placitandi, aut perscrutandi, aut rapiendi, aut aliud faciendi, quod Ecclesiæ dignitati, vel ibi Deo servientibus contrarium esse possit, aut molestia. Sed Abbati tantùm, & Conventui tantùm sit potestas, in causis tam notis, quàm ignotis, in modicis & in magnis, & in omnibus omnino negotiis tractandis, & terminandis.*

Voces Saxonicæ diversa privilegia innuentes.

X. *Concedo etiam eisdem eandem authoritatem, & potestatem puniendi & dimittendi commissa delinquentium, in locis prædictis; quantum mea Dominica Curia habet: & quantum ad Regiam majestatem pertinet, volo & præcipio: sicut prædecessores mei statuerunt, & Summi Pontifices sanxerunt: necnon & Ecclesiæ Cantuariensis Prælati confirmaverunt: sed & Diœcesani Episcopi assensum præstantes roboraverunt: Quod eadem Ecclesia, cum præfatis Insulis, & cum septem Ecclesiis ei subjectis; scilicet de Streta, Pistoria, Dichscata, Budekeleia, Sapvvisa, Merelinus, Sovvi, cum Capellis earum, Presbyteris, Clericis, & servientibus; libera sit ab omni jurisdictione Episcopi Bathoniensis, sicut mea propria corona. Benedictionem quoque Abbatis, Ordines, & omnia Sacramenta, ab Episcopo celebranda, à quocumque voluerint Episcopo faciant fieri.*

XI. *Habeant quoque Monachi libertatem, potestatem, & dignitatem eligendi & constituendi sibi Rectorem, juxta Regulam B. Benedicti, sine omni contradictione, & impedimento. Sed nec aliquis omnino hominum, in Ecclesia Glastoniæ, aut in prædictis Insulis, vel Ecclesiis, aut capellis suis, quacumque ex causa præsumat Cathedram Episcopalem statuere. Si quid tandem amplius Regum vel Pontificum privilegiis, Ecclesiæ sæpius memoratæ, quod ad dignitatem vel libertatem faciat, collatum fuerit; ratum & inconcussum esse volo in perpetuum; & firmiter observari ab universis præcipio. Valdè namq; verendum, & modis omnibus cavendum est, tot Sanctorum Regum & Pontificum contraire privilegiis, quibus Ecclesia illa hactenus insignita est: ne tot Sanctorum maledictiones, in rèmittentes datas, vel alio modo statuere præsumentes incurrant. Testibus Eraclio Patriarcha, iterum VVillielmo Remensi Archiepiscopo, Balduino Archiepiscopo Cantuariensi, Richardo VVintoniensi Episcopo, Bartholomæo Exoniensi Episcopo, Reginaldo Bathoniensi Episcopo. VVilhelmo Comite de Mandevil, Radulpho de Glanvil, & multis aliis apud VVestmonasterium.*

XII. Unde Glastoniensi Monasterio tot privilegia.

Hæc omnia Josepho debentur, & virtutibus ejus. Et quidem videtur Britannis Principibus, & Anglorum Regibus Deus singulari mysterio inspirasse, ut eum ornarent insigni Mausolæo, qui suum tam liberaliter Christo consecrârat. Et ut olim David viris Jabes-Galaad, ob Saulem sepultum benè precatus est: ita Deus idem altiùs Josepho, Sociisque intonuit: *Benedicti vos à Domino qui fecistis misericordiam hanc cum Domino vestro, & sepelistis eum. Et nunc retribuet vobis quidem Dominus misericordiam & veritatem: Sed & ego reddam gratiam, eo quod fecistis verbum istud.* Josephus ergo in Britannia misericordiam invenit, sepulchrum aliud, requiem, & memoriam nominis sempiternam. nam præter dicta de æde Glastoniensi, est spina quædam acuta, quæ constanti fama Josepho Sociisque umbram præbuit; duravitque in plurimas ætates perenni miraculo. Etenim quotannis ipsa die nascenti Christo sacrâ, mirabiliter floret, nequicquam obstrepente aliquorum impietate, arborem mutilare & exscindere conantium stetit illa tamen, & diu floruit, omnique major invidia *Spina sancta* ab incolis appellatur. his nuperis tumultibus, excisa est, cum omnia antiquæ pietatis monumenta perierunt. Lubet ergo hîc de Josepho illud usurpare, quod nuper de Paulino Suetonio dixit Tacitus: nimirum cum *gloriam nomenq;*

2. Reg. 2.

Tacit. in Agric.

Britannicis expeditionibus meruisse: non ad usitam alicujus fluxi temporis, sed æternitatis. ounc tempus transeundi ad Remp. alteram: ubi Romanus miles Septentrioni imminet: & Agricola Victoriam absolvere magnis viribus conatur.

XIII. Agricola ad Septentrionem pugnat. *Tacitus sup.*

Tertius expeditionum annus (pergit Agricolam laudare Tacitus) *novas gentes aperuit, vastatis nationibus usque ad Taum (æstuario nomen ad Septentrionem) qua formidine territi hostes: quamquam conflictatum sævis tempestatibus exercitum, lacessere non ausi: ponendisq; insuper castellis spatium fuit. Adnotabant periti, non alium Ducem opportunitates locorum sapientius legisse. nullum ab Agricola positum Castellum, aut vi hostium expugnatum, aut pactione, aut fuga desertum. Crebra eruptiones: nam adversus moras obsidionis annuis copiis firmabantur. Ita intrepida ibi hiems, & sibi quisque præsidio, irritis hostibus, eoque desperantibus: quia soliti plerumque damna æstatis, hibernis eventibus pensare. Tum æstate, atque hieme juxta pellabantur Nec Agricola unquam per alios gesta avidus intercepit: seu Centurio, seu Præfectus incorruptum facti testem habebat. apud quosdam acerbior in conviciis narrabatur; ut bonis comis; ita adversus malos, injucundus. Cæterum ex iracundia nihil supererat Secretum & silentium ejus non timeres: honestius putabat offendere, quam odisse.* Ita profusus in socerum gener. Magis urget: Unde hic novus hostis in Septentrione, & quisnam ille, quem author *Novas gentes* vocat? cum suprà dixerim quieta ibi omnia, & versa potius arma in Occidentem.

XIV. Novæ gentes quæ?

Enimvero facit hoc ad propositam nuper de Pictorum origine quæstionem: quam ita solvi, ot affirmaverim Pictos, Britannos esse. Et quicquid de paucis advenis, aut emptitio milite fuerit; eos non aliunde in Insulam invectos, sed vernaculos esse. Hoc ipsum nunc firmo narratione Taciti. qui dum Agricolam ornat, ducitque cum honore ad extremum usque Britanniæ limitem, per plures hostes, per *novas* & *incognitas* gentes, per *vastatas nationes*, per ipsam Caledoniam: omnes promiscuè Britannos vocat, non usus appellatione altera. Ubi ergo Scotorum natio? aut si natio, ubi notio, nomenque ejus, tot scilicet Regum, rerumque gestarum centuriis, illustre? Aio igitur putuisse quidem è Scythia, aut aliunde venalem militem acciri, aut etiam ex Hibernia, ut author videtur innuere, non tacens ejus Insulæ mentionem: ita tamen ascitos; ut accepisse potiùs militiæ stipendium; quàm loco alicui, aut provinciæ nomen indidisse videantur. Et novæ illæ & incognitæ gentes, de quibus infrà etiam Tacitus, de novo ac adventitio milite, difficulter possunt intelligi. Quis enim in exercitum pugnans, ubi varia, plerumque & differens natio, novas gentes & incognitas debellare dicitur? At verò nova loca acquirere; nunc unam, modò aliam provinciam intrare, multò rectiùs ad novas & incognitas gentes refertur. Ita Tacitum intelligo dicentem Socerum vastasse nationes ad Taum usque: nimirum æstuarium ad quod Perth oppidum; sive ut alii vocant Sancti Joannis fanum adsidet; cujus meminit Poëta illo versu:

Non allæ a Britannis.

Transis ample Tai, per rura, per oppida, per Perth
Regnum sustentant illius Urbis opes.

Apud Camd. in Scotia.

Inde progressus Agricola, post unum annum iterum *incognitas nationes* invenit; & ignotas ad id tempus domuit. Quas omnes uno Britannorum nomine, Galgacus ipse Britannus, statim audiendus, vocat. Cur igitur, aut qua ratione, Scythas, Scotos, aut Hibernos, aut aliam à Britannis gentem, quocumque demum nomine vocaveris; hic sedem ad hæc tempora fixisse contendimus! Si enim tot populos à Britannis diversos Agricola debellasset: Id gener, qui Socerum profusè ornat, in ejus laudibus posuisset: nec uno Britannorum nomine, oovas & incognitas gentes nominasset: quod attenta Romanorum ambitione, nomina & cognomina Victoriis assignantium, non leve argumentum est.

Incognitæ nationes, Britanni vocantur.

ANNUS URBIS CONDITÆ 834.

ANNUS CHRISTI 83.

CLETI PAP. 3.

COELLI REGIS 5.

TITI IMP. 3.

I. Agricola munit loca quæ vicerat. *Tacit. in Agric.*

SEquitur Christi annus octogesimus tertius, Flavio & Pollione Consulibus: qui quartus numeratur præliorum Agricolæ, licet tuendis potiùs quàm augendis terminis insumptus. Munit igitur hoc anno, præsidiis, castris, vallo, quæ superioribus annis acquisiverat. Quod in hunc modum exponit Tacitus. *Quarta æstas, obtinendis quæ Agricola percurrerat, insumpta: ac si virtus exercituum, & Romani nominis gloria pateretur, inventus in ipsa Britannia terminus. nam Glotta & Bodotria, diverso maris æstu, per immensum revecti, angusto terrarum spatio dirimuntur; quod tunc præsidiis firmabatur; atque omnis propior sinum tenebatur, summotis velut in aliam Insulam hostibus.* Ita Tacitus. Et quia de termino Britanniæ, Septentrionem versus, nulla Scotorum facta mentione, sermo est; cis ultráve Glottam, & Bodotriam: nusquam, opinor, invenire est gentem, quæ nomen à Britanno diversum mereatur. Est Bodotria fretum & æstuarium nobilissimum, ad Scotiæ, nunc dictæ, Orientem, in quod plures fluvii, invicem obviantes, exæstuantis Oceani accessibus, in magnam amplitudinem diffunduntur. Huic freto, quod Ptolomæus Boderiam vocavit, Letha portus, & celeberrima Urbs Edenburgum imminet. de quo, quia sequentibus sæculis, varios Principes habuit, frequens recurret mentio. Ad Occidentem, è regione Bodotriæ, Cluida fluvius jacet, quem Tacitus hic Glottam, Britanni dixerunt Fretum Dunbritton. Cæterùm inter duo hæc freta, quæ angusto terrarum intervallo diriguntur, castella posuit Agricola, aditumque præsidiis munivit: oe ulteriores Britanni, qui in Caledoniam, & montem Grampium profugerant; transitum ad Romanorum castra, & citeriores Britannos, invenirent. Ita revera factum, ut hostis, velut in aliam Insulam summotus, ab injuriis arceretur. nec aliud Tacitus intellexit.

Bodotria, fretum Edenburgicum.

Glotto: vel Cluida, Fretum Dunbritton.

II. Agricolæ trophæum.

Exstat in illis terrarum angustiis, propè Coriam oppidum (ita Ptolomæus vocat Abercurnen, sive Caronis ostium) antiqua substructio, è quadrato lapide, altitudine viginti quatuor cubitorum, latitudine duodecim, quam vicini provinciales vocant Julius Hof: putantque à Julio Cæsare constructam. Sed ille Septentrionem hunc nunquam ingressus, nullum ibi sui nominis

vestigium putatur reliquisse. Veriùs igitur à Julio Agricola qui primus Romanorum huc penetravit, positum ibi Victoriæ, aut rei benè gestæ trophæum, quod postea Carausius in arcum triumphalem erexit ut dicam anno ducentesimo octogesimo octavo. Post Agricolam, Theodosius, Theodosii Augusti pater, sub Valente Imperatore, prætenturis munivit has loci angustias, inter Glottam & Bodotriam. Inde Maximus, qui contra Gratianum purpuram sumpsit, murum cespititium, & fossam duxit: cujus iodicia etiamnum visuntur, ad Penvahel, seu valli caput, vix secundo lapide à Caronis ostio. De hoc muro intellige Georgium Buchananum; sed noli intelligere, ut ipse cupit intelligi, nimirum constructum ab Agricola murum, ad Scotos à Britannis arcendos. nam ille ad extremum usque Britanniæ terminum pugnans, unam Britanniæ gentem invenit: & voluit ferocem illum Britanniæ populum, extructo hoc muro à cæteris distinguere. cæterùm non malè Agricolæ mentem expressit Buchananus ita.

V. an. 288. 1.

Roma securigeris prætendit mœnia Scotis:
Hic spe progressus positâ, Carronis ad undam
Terminus, Ausonii, signat divortia regni.

Apud Camd. in Scotia.

III. NUM AGRICOLA TRIUMPHARIT? MORITUR TITUS IMPERATOR.

Hæc Agricolæ præclarè facta, illum Romæ commendarunt: nec minus Titum, cujus auspiciis gerebantur. Unde decimùm quintùm appellatus est Imperator, permisitque Agricolam triumphare, inquit è Dione, Xiphilinus: sed mirum cur id tacuerit Tacitus, qui pergit, sine triumpho, Socerum laudare: & Titus ultra non superfuit. nam hoc eodem anno Idibus Septembris, summo dolore bonorum omnium, veneno extunguitur, Domitiano fratre, ut fama est, illud suggerente. Moritur, inquam, natus annos unum, & quadraginta, imperavit post Patrem biennio, mensibus duobus, diebus viginti. Successit Domitianus frater, homo naturâ sævus, ingenio ferox, & vafer. Initio principatus naturam indolemque suam, intra modestiæ & humanitatis cancellos coërcuit: sed violentum illud, eoque non diuturnum fuit. nam Christi Ecclesiam persecutus, Sanctorumque sanguine infamis, alter Nero etiam ab infidelibus audivit.

DOMITIANUS IMPERAT.

constantiore manu Lectorem ducam ad Britannorum Fidem: cum Coelli filius, solenni legatione, Romam venerabitur. Nunc fatendum Romanis Insulam undique prementibus, ferroque sibi viam, & ambitioni sternentibus; Britannis non vacasse, ornare Episcoporum infulas, sedes distinguere, titulos dispensare. nam in cunis adhuc vagiebat Ecclesia, lacte contenta: de cultu parum solicita. Verè de hoc tempore dicitur, *Soror nostra parvula est, & ubera non habet: pulchra ut luna*; sed necdum, *terribilis ut castrorum acies ordinata.* Omnia tempus habent, & ætates suas, ordinem & decorem suum. Britannia adhuc tacet, silentio discens Fidem: quam suo tempore, non civibus modò, sed vicinis etiam provinciis explicabit. Interim Cæsari & Romanis pareat: & Agricolæ victoriis ancilletur.

Cant. 8.
Cant. 6.

Ille, hoc quinto expeditionis anno; pergit Tacitus; *nave prima transgressus, ignotas ad id tempus gentes, crebris simul & prosperis præliis domuit; eamq; partem Britanniæ, quæ Hiberniam aspicit, copiis instruxit, in spem magis, quàm ob formidinem. Siquidem Hibernia, media inter Britanniam, atque Hispaniam sita, & Gallico quoque mari opportuna; valentissimam imperii partem, magnis invicem usibus miscuerit. Spatium ejus si Britanniæ comparetur angustius; nostri maris Insulas superat: solum, cælumq; & ingenia cultusq; hominum, haud multùm à Britannia differunt: melior, aditus portusq; per commercia & negotiatores cogniti. Agricola expulsum seditione domestica unum ex Regulis gentis exceperat: ac specie amicitiæ, in occasionem retinebat. Sæpè ex eo audivi: legione una, & modicis auxiliis, debellari obtinerią; Hiberniam posse. Idq; etiam adversus Britanniam profuturum. si Romana ubique arma (essent) & velut è conspectu libertas tolleretur.* Quæ quia primam de Hibernia mentionem tam articulatè injiciunt, & expulsi inde Reguli, noli Lector putare Scotos, hoc est, Hibernos adhuc in Britannia sedem fixisse. Porro *ignotæ* gentes, quas hoc anno crebris præliis Agricola lacessivit; Caledonii fuerunt, populi trans Glottam & Bodotriam siti: quos terra marique aggressus est magnis conatibus; ut patet è sequentibus, quæ in annum proximum referri debent.

II. ITERUM IGNOTÆ GENTES SUPERANTUR. HIBERNIÆ SITUS.

ANNUS URBIS CONDITÆ 835.

ANNUS CHRISTI 84.

CLETI PAP. 4.

COELLI REGIS 6.

DOMITIANI IMP. 1.

I. ECCLESIASTICARUM RERUM OBLITERATA MEMORIA.

ANnus Christi octogesimus quartus, Domitiano Octavùm, & Flavio Sabino Consulibus, quia parum, aut nihil suppeditat, quod sanctiorem Remp. spectat, Romanorum recensendis Victoriis, explicari debet. nam licet recentiores aliqui piè laborent in Episcoporum, addo & Archiepiscoporum nominibus eruendis: quia tamen illa colligunt sola conjecturâ, quæ faciliùs everti quàm firmari possit, malo rebus certioribus immorari: & existimare Romanorum potentiam, & bellorum strepitus obliterasse Christianæ fidei rerumque eò spectantium memoriam. Quare distinguendo annos & tempora,

ANNUS URBIS CONDITÆ 836.

ANNUS CHRISTI 85.

CLETI PAP. 5.

COELLI REGIS 7.

DOMITIANI IMP. 2.

I. AGRICOLA PORRÒ IN SEPTENTRIONEM PERGIT.

ANno Christi octogesimo quinto, Domitiano Nonum, & Virginio Rufo Coss. Agricola Victoriam prosecutus, porrò in Septentrionem, Romanas Aquilas profert: & omnem ejus angulum, qua navali classe, qua pedestri itinere, lustrat & explorat. Nec enim Romam ad triumphum, quem Titus permiserat; sed procul in Britanniam, sexto Præfecturæ anno, perrexit. Quid ibi egerit, dicat obscurè licet, Tacitus: *Æstate, qua sextum officii annum inchoabat Agricola, * ampla civitate trans Bodotriam † sita, quia motus universarum ultra gentium & infesta hostilis exercitus itinera timebantur * portus classe exploravit. Quæ ab Agricola priùs assumpta in partem virium, sequebatur*

Tacitus in Agric.
** amplas civitates*
† sitas
** prius*

egregia

*egregia specie ; tum simul terrâ , simul mari bellum impelleretur. Ac sæpè iisdem castris pedes equesq; & nauticus miles , mixti copiis , & lætitiâ , sua quisque facta , suos casus attollerent. Ac modo silvarum ac montium profunda , modo tempestatum ac fluctuum adversa : Hinc terra, & hostis : hinc * auctus Oceanus, militari jactantia compararentur. Britannos quoque, ut ex captivis audiebatur, visa classis obstupefaciebat ; tanquam aperto maris sui secreto, ultimum victis perfugium clauderetur.* Hæc ille qui & addit conversos ad arma populos , Caledoniam incolentes , paratu magno , majore fama , castella Romanorum ultrò oppugnasse. nam ex desperatione consilium sumentes , non porrò fugere , sed sua fortiter defensare , imò Romanum militem ad certamen provocare decreverant. Quod quia multum militem requirebat ; consilio inito aliorum oppidorum & provinciarum animos solicitant , ut juncto fœdere , communem hostem , qui Britanniam omnem spe devorarat , unitis viribus expellerent. qui certè pelli non nisi valida manu, multisque auxiliis posset.

** victus*

Britanni Septentrionales in Romanos conspirant.

II. Varii Romanorum motus.

Innotuere Romanis Britannorum consilia , & variè militum animos afficiunt. Regrediendum citra Bodotriam, & excedendum prius, quàm pellerentur , specie prudentum ignavi admonebant. Animosiores alii, Romanorum nomini & gloriæ servientes ; subitum & collectitium militem facilè vinci, ac debellari posse affirmabant. Ita hiems his consiliis, & acuendis armis, animisque insumpta. Quod ideò notandum, quia Tacitus, accuratus cæteroquin annorum , rerumque à Socero gestarum supputator , hic annum distinguere non videtur. Sequentia ergo in septimum officii annum rejicio.

ANNUS URBIS CONDITÆ 837.

ANNUS CHRISTI 86.

CLETI PAP. 6.

COELLI REGIS 8.

DOMITIANI IMP. 3.

I. Britanni in Nonam Legionem pugnant.

Tacitus in Agricola.

ANNUS Christi octogesimus sextus, Domitiano decimùm & Junio Sabino Coss. vario belli eventu, Romanos & Britannos inter, insignis fuit. Sed cum Britannos nomino , in quos bellum fuit, puta eos tantùm intelligi qui Caledoniam incolentes , Romanum Ducem admittere noluerunt. nam australis & cultior Britannia, à Romanis in Caledonios stabat. Sic Tacitum intellige ita narrantem. *Ut cognovit Agricola, Britannos pluribus agminibus irrupturos : ne superante numero & peritiâ locorum circumvenirentur · diviso & ipse in tres partes exercitu , incessit. Quod ubi cognitum Britannis, mutato repente consilio, universi Nonam Legionem , ut maximè invalidam noctè aggressi ; inter somnum & trepidationem, cæsis vigilibus irrupere. Iamq; in ipsis castris pugnabant : cum Agricola, iter hostium ab exploratoribus edoctus, & vestigiis insequutus ; velocissimos equitum peditumq; assultare tergis pugnantium jubet. mox ab universis adjici clamorem. Et propinqua luce fulsere arma. Ita ancipiti malo territi Britanni : & Romanis redit animus, & securi pro salute , pro gloria certabant. Ultrò quin etiam irrupere. Et fuit atrox in ipsis portarum angustiis prælium : donec fusi hostes , utroque exercitu certante : His ut tulisse opem : illis ne eguisse auxilio viderentur. Quod nisi paludes , & silvæ , fugientes texissent , debellatum illa victoria foret. Cujus constantia, & fama ferox exercitus ; nihil virtuti suæ invium : penetrandam Caledoniam , inveniendumq; tandem Britanniæ terminum, continuo præliorum cursu fremebant. Atque illi modo cauti ac sapientes , prompti post eventum , & magniloqui erant. Iniquissima hæc bellorum conditio est : prospera omnes sibi vindicant ; adversa uni imputantur. At Britanni, non virtute , sed occasione & arte ducis * vati , nihil ex arrogantia remittere, quò minus juventutem armarent : conjuges ac liberos , in loca tuta transferrent : cœtibus ac sacrificiis conspirationem civitatum sancirent. Atque ita irritatis utrinque animis discessum*

Britanni funduntur.

** superati*

II. Britannorum Sacrificia.

Cæsar Com. l. 6.

Quænam fuerint Britannorum sacrificia quibus civitatum fœdera sancirent, non multùm curarem : nisi antea Druidarum meminissem. Et sanè quia inhumana , à Tacito missa videntur. Cæterùm quia Julius Cæsar, Gallorum sacra, & cærimonias referens ; quæ è Britannia in Gallias fluxisse putat ; habet inter cætera : *Quod qui in præliis , periculisq; versantur : aut pro victimis homines immolant , aut se immolaturos vovent : administrisq; ad ea sacrificia Druidibus, utuntur : quod pro vita hominis , nisi vita hominis reddatur , non posse Deorum immortalium Numen placari arbitrantur ; publiceq; ejusdem generis habent instituta sacrificia.* Hæc Cæsar, quæ fortè à Britannis nunc usurpata in Romanos pugnaturis. Nec minor Agricolæ diligentia : qui gnarus exasperatos provinciarum animos , denuò in prælium collectis viribus descensuros ; & extrema quæque prius passuros , quàm servitutis jugum. Novum igitur in Germania militem , ad hunc, aut similem casum, dudum conscribi jusserat : & modò mitti in supplementum postulat. Itum ad Usipios (ita Tacitus appellat populum, qui à Cæsare Usipetes dicuntur, gens ad Rhenum , vel non procul inde ubi hodie Geldriæ Ducatus est, & olim erant Menapii.) Ibi hoc anno cohors conscripta navigavit in Britanniam ; principio in Romanos impia, deinde in Britannos. Eorum facinus narrat Tacitus in hunc modum.

III. E Germania miles accersitur.

Tacit in Agric.

Eâdem æstate cohors Usipiorum per Germanias conscripta, in Britanniam transmissa, magnum & memorabile facinus ausa est. Occiso centurione, ac militibus , qui ad tradendam disciplinam immixti manipulis , exemplum & Rectores habebantur : tres liburnicas, adactis per vim gubernatoribus, ascendêre. & uno remigante, suspectis duobus, eoq; interfectis ; nondum vulgato rumore, ut miraculum provehebantur. mox hâc atque illâc capti , & cum plerisque Britannorum sua defensantium congressi : ac sæpè victores, aliquando pulsi ; eò ad extremum inopia venere ; ut infirmissimos suorum, mox sorte ductos vescerentur. Atque ita circumvecti Britanniam, amissis per inscitiam regendi navibus, pro prædonibus habiti : primùm à Suevis, mox à Frisiis intercepti sunt. Ac fuere, quos per commercia venundatos, & in ripam usque nostram, mutatione ementium, adductos , indicium tanti casus illustravit. Hæc Tacitus. & Justus Lipsius in notis : *Hac,* inquit , *circumvectione , retecta Britannia , & Insula, bonâ fide , approbata.* Fortè nemo hactenus, Septentrionalem illum Oceanum ingredi ausus : quod Sanctus Ambrosius videtur expressisse, libro tertio Hexameron , capite tertio , ubi ita scribit. *Illud magnum , & inausum navigantibus , atque*

Britanniam circumnavigat,

S. Ambros. l. 3. Hexa. c. 3

intentatum nautis mare: quod Britannias frementi includit æquore: atque in ulteriora, & ipsis fabulis inaccessa secreta se porrigit. Cæterùm Dio Cassius, & ex eo Xiphilinus, non solùm horum errantium militum circumvectione, sed aliorum ab Agricola missorum, Insulam fuisse compertam affirmant, & dictum facinus explicant in hæc verba. *Eodem tempore alterum bellum extitit in Britannia: quo bello Cneus Iulius Agricola regionem hostium universam vastavit, primusq; omnium Romanorum, quod sciamus, Britanniam circumfusam esse mari, undique cognovit. Cum enim milites quidam, facta seditione, interfectisq; centurionibus tribunoq; suo, ad naves confugissent: atque inde solvissent; circumnavigarunt eam partem Britanniæ, quæ spectat ad Occidentem solem ut fluctibus ventoq; ferebantur. Cumq; id fecissent, atque ad altera castra Romanorum quæ tum ibi erant appulissent imprudentes. Agricola & alios misit, qui navibus eundem cursum tenerent: ex quibus etiam Insulam esse comperit.* Nec aliud hoc anno à Romanis in Britannia gestum.

Dio in Tito ex l. 66.
BRITANNIA DEPREHENDITUR INSULA.

ANNUS URBIS CONDITÆ 838.

ANNUS CHRISTI 87.

CLETI PAP. 7.

COELLI REGIS 9.

DOMITIANI IMP. 4.

I.

SEquitur Christi annus octogesimus septimus, Domitiano Undecimùm, & Aurelio Fulnio, Consulibus: quo Septentrionalis Britannia, post multa bellorum incendia, tandem in Romanorum potestatem venit, & *penitùs subjugata est ductu Agricolæ, & auspiciis Domitiani.* Ita ad hos Consules, & annum Urbis Conditæ 838. notant Fasti post Malmesburiensem collecti: licet non hunc, sed sequentem Christi annum consignent. Priùs tamen quàm subderetur Insula, Britanni fortiter, vel ipsis Romanis testibus, pro se, focis, arisque certarunt. Galgacus in scenam prodeat, militem induat; testetur, Britannis, & animos, & viros esse: nec Britannos nisi à Britannis vinci potuisse. nec id Tacitus diffitebitur, licet pergat, Romanos magis, quàm Britannos ornare: *Igitur præmissa classe, quæ pluribus locis prædata, magnum & incertum terrorem faceret: Agricola expedito exercitu, cui ex Britannis fortissimos, & longa pace exploratos addiderat; ad montem Grampium pervenit* (Septentrionalem Caledoniam, à Meridionali, velut alter Apenninus, mons ille disterminat) *quem jam hostes insederant. nam Britanni nihil fracti pugnæ prioris eventu: & ultionem aut servitutem expectantes: tandemq; docti commune periculum, concordia propulsandum; legationibus & fœderibus omnium civitatum vires exciverant. Iamq; super triginta millia armatorum aspiciebantur: & adhuc affluebat omnis juventus, & quibus cruda & viridis senectus, clari bello, ac sua quisque decora gestantes. Cum inter plures Duces, virtute & genere præstans, nomine Galgacus, apud contractam multitudinem, prælium poscentem, in hunc modum loquutus fertur.*

Fastis hic.
BRITANNIA PENITUS SUBIUGATUR.

Tacit. in Agric.

QUI IN AGRICOLAM PUGNANT, BRITANNI SUNT, ET ITA SEMPER VOCANTUR: SCOTORUM NULLA MENTIO.

II.

Quoties causas belli, & necessitatem nostram intueor, magnus mihi animus est, hodiernum diem, consensumq; vestrum, initium libertatis totius Britanniæ fore. nam & universi servitutis expertes, & nullæ ultra terræ, ac ne mare quidem securum, imminente nobis classe Romana. Ita prælium atque arma, quæ fortibus honesta, eadem etiam ignavis tutissima sunt. Priores pugnæ, quibus adversus Romanos, varia fortuna certatum est: spem ac subsidium in nostris manibus habebant: quia NOBILISSIMI TOTIUS BRITANNIÆ *eoq; in ipsis penetralibus siti, nec servientium litora aspicientes; oculos quoque à contactu dominationis inviolatos habebamus. Nos terrarum ac libertatis extremos; recessus ipse ac sinus famæ, in hunc diem defendit. nunc terminus Britanniæ patet: atque omne ignotum, pro magnifico est. Sed nulla jam ultra gens, nihil nisi fluctus & saxa: &* * *interiores Romani. Quorum superbiam frustra per obsequium, & modestiam effugeris. Raptores orbis, postquam cuncta vastantibus defuere terræ, & mare scrutantur. Si locuples hostis est, avari; si pauper, ambitiosi. Quos non Oriens, non Occidens, satiaverit. Soli omnium opes, atque inopiam pari affectu concupiscunt. Auferre, trucidare, rapere, falsis nominibus imperium: atque ubi solitudinem faciunt, pacem appellant. Liberos cuique ac propinquos suos natura charissimos esse voluit. Hi per delectus alibi servituri auferuntur. Conjuges, sororesq;, & si hostilem libidinem effugiant, nomine amicorum atque hostium polluuntur. Bona fortunasq; in tributum egerunt; in annonam frumentum. Corpora ipsa ac manus, silvis ac paludibus emuniendis, verbera inter & contumelias, conterunt. Nata servituti mancipia semel veneunt, atque ultro a Dominis aluntur. Britannia servitutem suam quotidie emit, quotidie pascit. Ac sicut in familia recentissimus quisque servorum, & conservis ludibrio est: sic in hoc Orbis terrarum vetere famulatu novi nos & viles in excidium petimur. Neque enim arva nobis, aut metalla, aut portus sunt; quibus exercendis reservemur. Virtus porrò ac ferocia subjectorum ingrata imperantibus; & longinquitas ac secretum ipsum, quò tutius, eò suspectius.*

GALGACI AD MILITEM ORATIO.

* *in feriores* Lipsius.

III.

Ita sublata spe veniæ, tandem sumite animum: tam quibus salus, quam quibus gloria carissima est. Brigantes, fœmina duce, exurere coloniam, expugnare castra, ac nisi felicitas in socordiam vertisset, exuere jugum potuere. Nos integri, & indomiti, & libertatem non in præsentia laturi, primo statim congressu unde ostendamus quos sibi Caledonia viros seposuerit. An eandem Romanis in bello virtutem, quàm in pace lasciviam adesse creditis? nostris illi dissensionibus, ac discordiis clari, vitia hostium in gloriam exercitus sui vertunt: quem contractum ex diversissimis gentibus; ut secundæ res tenent, ita adversæ dissolvent. Nisi si Gallos, & Germanos, & (pudet dictu) Britannorum plerosque dominationi alienæ sanguinem commodantes, diutius tamen hostes, quàm servos, fide & affectu teneri putatis: metus & terror est, infirma vincula charitatis, quæ ubi removeris, qui timere desierint, odisse incipient. Omnia victoriæ incitamenta, pro nobis sunt: nullæ Romanos conjuges accendunt: nulli parentes fugam exprobraturi sunt, aut nulla plerisque patria, aut alia est. paucos numero circùm trepidos ignorantiâ, cælum ipsum ac mare, & silvas, ignota omnia circumspectantes clausos quodammodo, ac vinctos, * *Dii nobis tradiderunt. Ne terreat vanus aspectus, & auri fulgor, atque argenti: quod neque tegit, neque vulnerat. In ipsa hostium acie, inveniemus nostras manus. Agnoscent Britanni suam causam. recordabuntur Galli priorem libertatem. Deserent illos cæteri Germani, tanquam nuper Vsipii reliquerunt. Nec quidquam ultra formidinis, vacua castella, senum coloniæ, inter male parentes, & injustè imperantes,*

* *Dii.* Lip

agra municipia, & discordantia. Hic Dux, hic exercitus. Ibi tributa & metalla & cætera servientium pœna: quas in æternum proferre, aut statim ulcisci, in hoc campo est. Proinde ituri in aciem, & majores vestros, & posteros cogitate. Hactenus Galgaci ad militem oratio.

IV. *Lipsius in notis ad hunc locum.*

Justus Lipsius Tacitum recensens, & hanc oratoris elegantiam admirans: *Moriar* (inquit) *si quid, meo sensu, prudentius, disertius, argutius est in omni Romana lingua.* non ergo mirum, si Galgacus Caledonios accendit; majorum suorum & posterorum memoria. Magis enimvero mirum est, hodiernos Scotos, Galgacum hunc, Scotum appellare: ansam Hiberno dantes, eum etiam (& quis dubitat) suæ Insulæ asserendi. Utrosque ego accusarem, aut ambitus, aut peculatus, nisi pietatis opinione peccarent. Cæterùm qui loquentem supra Galgacum audivit, dicentemque se Britannum, & è Britannorum nobilissimis: surdorum hominum miserebitur potiùs, quàm irascetur ambitiosis. Illa ergo Galgaci verba: *Nobilissimi totius Britanniæ, eoq; in ipsis penetralibus siti, oculos à contactu dominationis inviolatos habebamus:* satis arguunt Galgaci patriam, non Hiberniam, nec aliam à Britannia fuisse. Probant etiam quæ suprà dixi pugnacem hanc gentem, quæ hactenus Romanorum iras, odia, & arma risit, non aliam quàm Britannam esse: cum centies à Tacito Britanni vocentur priùs, quàm Scotus aut sedem, aut regnum in Insula figeret. Nisi dixeris, quod non difficeor, sub Galgaco meruisse aliquos, aut lingua, aut moribus, à Britannis, differentes, adeoque Hibernos. ut colligi potest è plausu, qui Galgacum perorantem excepit; nam sequitur in

Tacit. in Agric.

Tacito. *Excepere orationem alacres, & barbari moris cantu, & fremitu, clamoribusq; dissonis. Iamq; agmina, & armorum fulgores audentissimi cujusque procursus simul instruebantur acies: cum Agricola, quanquam lætum, & vix munitu coërcitum militem adhuc varim, ita disseruit.*

V. AGRICOLÆ AD MILITEM ORATIO.

Octavus annus est, Commilitones, ex quo virtute, & auspiciis Romani imperii, fide & opera vestra, Britanniam vicistis: tot expeditionibus, tot præliis; seu fortitudine adversus hostes, seu patientia ac labore, penè adversus ipsam rerum naturam, opus fuit. Neque me militum, neque vos Ducis pœnituit. Ergo egressi, ego veterum legatorum, vos priorum exercituum terminos, finem Britanniæ, non fama, nec rumore, sed castris & armis tenemus. Inventa Britannia, & subacta. Equidem in agmine, cum vos paludes montésve & flumina fatigarent; fortissimi cujusque vocem audiebam: Quando dabitur hostis? quando acies? Veniunt è latebris suis extrusi: & vota virtusq; in aperto: omniaq; prona victoribus, atque eadem victis adversa. Nam ut superasse tantum itineris, silvas evasisse, transisse æstuaria; pulchrum ac decorum in frontem; ita fugientibus periculosissima, quæ hodie prosperrima sunt. Neque enim nobis, aut locorum eadem notitia, aut commeatuum eadem abundantia: sed manus & arma, & in his omnia. Quod ad me attinet, jam pridem mihi decretum est, neque exercitus, neque Ducis terga, tuta esse. Proinde & honesta mors, turpi vita potior: & incolumitas ac decus, eodem loco sita sunt. Nec inglorium fuerit, in ipso terrarum, & naturæ fine, cecidisse.

VI. BRITANNIA TERRARUM FINIS.

Da veniam, Lector, si paululum silentii impono Agricolæ, dum illam Britanniæ periphrasin repeto *Terrarum & naturæ finem.* Ita enim Romani de hac Insula censebant: sive quod ipsa obtentà, se totius Orbis Dominos; adeo ut nihil victoriæ superesset, mentiri possent: sive quod revera Occidentalis orbis extremum esset Britannia: & Britanniæ extremum Caledonia. Ita Catullus illo versu ad Furium:

Catullus ad Furium.

Cæsaris visens monumenta magni,
Gallicum Rhenum, horribiles & ultimosq; Britannos.

Occidentalem quoque orbem intellexit Horatius, dum fausta Cæsari adprecatur, oratque eo versu:

Horat. l. 1 carm. ode 35.

Serves iturum Cæsarem, in ultimos
Orbis Britannos.

Eadem panegyristarum mens & oratio, cum in Britanniæ laudes feruntur, vel eam utcumque nominant; aut mundi fines commendant. Ita Eumenius Orator Constantini patriam indicaturus, dicit, *semper ex aliquo supremo fine mundi, nova Deorum Numina, universo Orbi colenda descendere: & Sacratiora profectò sunt Mediterraneis loca vicina cælo: & inde propius a Diis mittitur Imperator, ubi terra finitur.*

Paneg. 9.

Quæ de Constantino dicta, inferiùs excutienda sunt. videndumque, an Græciæ, an Drepano, an Tarso, an Naiso; an verò Britanniæ blandiantur. certè hæc Romani Ducis gloriatio, Britanniam intellexit: dum si sors ita caderet, casurum se dicit in ipso terrarum ac naturæ fine. Pergat igitur illis, aliisque gloriæ incitamentis, suum militem, ad strenuè certandum acuere.

VII. *V. an. 86. n. 1.*

Si novæ gentes, inquit, *atque ignotæ acies constitisset; aliorum exercituum exemplis vos hortarer: nunc vestra decora recensete, vestros oculos interrogate. Ii sunt, quos proximo anno, unam Legionem, furto noctis aggressam, clamore debellastis. & cæterorum Britannorum fugacissimi; ideoq; tam diu superstites. Quomodo silvas, saltusq; penetrantibus, fortissimum quodq; animal, robore, pavida & inertia, ipso agminis sono pellitur: sic acerrimi Britannorum jam pridem ceciderunt: reliquus est numerus ignavorum, & metuentium: quos quod tandem invenistis, non restiterunt; sed deprehensi sunt novissimi, & extremo metu corpora defixere in his vestigiis, in quibus pulchram & spectabilem victoriam ederetis. Transigite cum expeditionibus, imponite quinquaginta annis magnum diem. approbate Reip. nunquam exercitui imputari, aut moras belli, aut causas rebellandi.* ita ad militem dixit Agricola.

VIII. RATIO TEMPORIS EXPENDITUR.

Ubi pro ratione temporis, & annorum serie, illud notandum, quod octavus hic annus expeditionum Agricolæ, numerandus est (ut monet Lipsius) ab introitu ejus in provinciam; qui cum inciderit in Christi annum octogesimum ut suprà vidimus, præsens annus octogesimus septimus, ab eo octavus est. Porrò quod subjicit ad calcem orationis: *Imponite quinquaginta annis magnum diem;* difficilius est, nec uno ab omnibus modo intellectum. Sunt qui putent numerandos annos à prima Claudii expeditione in Britanniam, per A. Plautium: quæ cum inciderit in annum Christi quadragesimum quartum, ut ibi dictum; inde inferunt octavum hunc annum expeditionum Agricolæ, ad undecimum Domitiani Imperatoris, & annum Christi nonagesimum quartum consignandum esse. Ita sensit Jacobus Gordonius, cum scribens ad dictos Domitiani, & Christi annos: *Hoc anno* (inquit) *qui est octavus Agricolæ, in Britannia, Tacitus putat totam Insulam subjugatam accepisse jura Romanorum.* Sed fallitur: sequeretur enim Agricolam, Domitiani semper, nunquam Titi auspiciis militasse: constat autem, & à Tito accepisse præfecturam Britanniæ; &

Gordon. ad an. 94.

Titum

Titum ab Agricolæ Victoriis, Imperatorem appellatum decimum quartùm: & denique Agricolæ à Tito permissum triumphare, ut suprà dictum è Dione, qui Victorias Agricolæ ad Titi imperium, nullam ad Domitianum refert. Verius ergo Agricolam numerare annos ætatis suæ, & hunc annum Christi octogesimum septimum, qui & octavus est expeditionum ejus, vitæ ferè quinquagesimum esse. nam nascitur Agricola (teste Tacito) Caio Cæsare tertiùm Consule: obit, Pompeio Collega, Priscoque Consulibus, annorum sex & quinquaginta. Igitur ab anno Christi quadragesimo secundo, & Caio III. Consule: ad annum nonagesimum quintum, sive Domitiani duodecimum; habes epocham vitæ Agricolæ, & sensum orationis, cum optat quinquagesimum annum victoria coronari. Vides insuper eum per annos aliquot, à subjugata Britannia, superstitem fuisse & falli eos, qui octavum expeditionum ejus annum ad ultima Domitiani tempora retulerunt, quod adhuc è dicendis magis elucebit: nunc reliqua prosequamur, præeunte Tacito.

IX. *Tacit. in Agric.* ACIES AB AGRICOLA ORDINATUR.

Alloquente adhuc Agricola, militum ardor eminebat: & finem orationis ingens alacritas consecuta est: statimq; ad arma discursum. Instinctos, ruentesq; ita disposuit, ut peditum auxilia, quæ octo millia erant mediam aciem firmarent: equitum tria millia cornibus affunderentur. Legiones pro vallo stetere, ingens Victoriæ decus, citra Romanorum sanguinem bellanti, & auxilium si pellerentur. Britannorum acies, in speciem simul & terrorem, editioribus locis constiterant: ita ut primum agmen æquo: cæteri per acclive jugum connexi velut insurgerent: media campi covinarius & eques, strepitu ac discursu complebat. Tum Agricola superante hostium multitudine; veritus ne simul in frontem, simul & latera suorum pugnaretur, diductis ordinibus, quanquam porrectior acies futura erat, & arcessendas plerique Legiones admonebant: promptior in spem, & firmus adversis; dimisso equo, pedes ante vexilla stetit. Ac primo congressu, eminus certabatur. simul constantia, simul arte, Britanni ingentibus gladiis, & brevibus cetris, missilia nostrorum vitare, excutere: atque ipsi magnam vim telorum superfundere: donec Agricola, tres Batavorum cohortes, ac Tungrorum duas cohortatus est; ut rem ad mucrones ac manus adducerent. Quod & ipsis vetustate militia exercitatum, & hostibus inhabile, parva scuta, & enormes gladios gerentibus: Nam Britannorum gladii sine mucrone complexum armorum, & in aperto pugnam non tolerabant. Igitur ut Batavi miscere ictus, ferire umbonibus, ora fœdare, & tractis qui in æquo obstiterant, erigere in colles aciem cœpere; cæteræ cohortes, æmulatione & impetu commistæ, proximos quosque cædere: ac plerique semineces, aut integri festinatione victoriæ relinquebantur.

X. * *effudere* ROMANI BRITANNOS FUNDUNT.

*Interim equitum turmæ * fugere, covinarii peditum se prælio miscuêre & quamquam recentem terrorem intulerant; densis tamen hostium agminibus, & inæqualibus locis hærebant: minimeq; equestris ea pugnæ facies erat, cum in gradu stantes, simul equorum corporibus impellerentur. Ac sæpè vagi currus, exterriti sine rectoribus equi, ut quemque formido tulerat, transversos aut obvios incursabant. Et Britanni qui adhuc pugnæ expertes, summa collium insederant, & paucitatem nostrorum vacui spernebant; digredi paulatim, & circumire terga vincentium cœperant. Ni idipsum veritus Agricola quatuor equitum alas, ad subita belli retentas, venientibus opposuisset. quantoq; ferociùs occurrerant, tantò acriùs pulsos in fugam disjecisset. Ita consilium Britannorum in ipsos versum: transvectæq; præcepto Ducis, a fronte pugnantium alæ, aversam hostium aciem invasere. Tum verò patentibus locis grande & atrox spectaculum: sequi, vulnerare, capere, atque eosdem, oblatis aliis, trucidare. Iam hostium, prout cuique ingenium erat, catervæ armatorum paucioribus terga præstare: quidam inermes ultrò ruere, ac se morti offerre. passim arma, & corpora, & laceri artus, & cruenta humus: & aliquando etiam victis ira, virtusq; postquam silvis appropinquarunt collecti primos sequentium incautos, & locorum ignaros circumveniebant. Quod ni frequens ubiq; Agricola, validas & expeditas cohortes, indaginis modo; & sicubi arctiora erant; partem equitum, dimissis equis, simul rariores silvas, equitem persultare jussisset; acceptum aliquod vulnus, per nimiam fiduciam foret. Cæterùm ubi compositos firmis ordinibus sequi rursùs videre, in fugam versi; non agminibus, ut priùs, nec alius alium respectantes, rari & vitabundi invicem, longinqua atque avia petiere. Finis sequendi nox, & satietas fuit.*

XI. OCCISORUM NUMERUS.

Cæsa hostium ad decem millia, nostrorum trecenti quadraginta cecidêre. In quis Aulus Atticus præfectus cohortis, juvenili ardore, & ferociâ equi, hostibus illatus. Et nox quidem gaudio, prædaq; læta victoribus. Britanni palantes, mixtoq; virorum mulierumq; ploratu, trahere vulneratos, vocare integros, deserere domos, ac per iram ultrò incendere: eligere latebras, & statim relinquere, miscere invicem consilia aliqua, deinde separare: aliquando frangi aspectu pignorum suorum, sæpiùs concitari: satisq; constabat quosdam in conjuges ac liberos sævisse, tanquam misererentur. Proximus dies faciem victoriæ latiùs aperuit: vastum ubique silentium, secreti colles, fumantia procul tecta, nemo exploratoribus obvius: quibus in omnem partem dimissis, ubi incerta fugæ vestigia: neque usquam conglobari hostes compertum; & exacta jam æstate spargi bellum nequibat, in fines Horestorum exercitum deducit. Ibi acceptis obsidibus, Præfecto classis circumvehi Britanniam præcepit. Datæ ad id vires, & præcesserat terror. Ipse peditem atque equites, lento itinere, quo novarum gentium animi, ipsa transitus mora terrerentur, in hibernis locavit: & simul classis secunda tempestate, ac fama, Trutulensem portum tenuit. unde proximo latere Britanniæ lecto omnis redierat. Hactenus Romanus Scriptor.

XII.

Per Trutulensem portum, Rutupensem procul dubiò intelligit: qui Antonino Rutupis portus: Urbs Ptolomæo, Rutupiæ dicuntur: hodie Richborow est in agro Cantiano. Eò translata Legio secunda Augusta, quæ à Claudio Imperatore è Germania traducta plures annos ad Iscam Silurum consederat: Præpositum aliquando nacta sub Comite litoris Saxonici, Clementem illum Maximum; qui in Britannia à militibus factus Imperator, Gratianum interfecit, à Theodosio postmodum occisus Aquileiæ: quem ideo Ausonius Rutipinum latronem vocavit eo carmine.

Ausonius apud Camd. in Cantio.

Maximus armigeri quondam de nomine lixa:
Felix quæ tanti spectatrix læta triumphi,
Fudisti Ausonio Rutupinum marte latronem.

HORESTI QUINAM?

Major difficultas: quis populus ille, quem Tacitus Horestos vocat: in quorum fines exercitum hoc anno deduxit Agricola. Sunt qui putent Selgovas intelligi: illos, inquam, qui ad fretum Solway sedent; ubi valles Eskedale, Eusedale, Annandale, & Niddesdale, loca declivia, à fluviis prætérlabentibus nomina sortita. *In Eskedale* (inquit Camdenus) *Horestos habitasse judicamus:*

Camden. in Scotia.

in quorum fines Iulius Agricola, devictis Britannis, qui hoc in tractu federunt, Romanum exercitum deduxit. Si Horescos, pro Horestis legamus. Ar-Esc enim Britannis, locum juxta fluvium Esc significat. Probabilis sanè conjectura. & Tacitus qui Trutulensem pro Rutupensi scripsit: potuit similiter in Horestis falli. Verùm Agricola qui ultra Glottam, & ad Grampium montem pugnaverat: cur militem in eustrum, & extra Caledoniam educeret; unde hosti recuperandi perdita occasio nasceretur? opinor itaque probabilius; Angusiæ populum, Horestos vocari. nam ibi Urbs quondam, quæ Ptolomæo Orrea dicitur, & Septentrionalior est: ibique Agricola, parta tueri non difficulter potuit. Inde etiam præfectus classis, in Rutupinum portum, unde redierat, solvit. quod Tacitus circumvehi Britanniam, Romana ambitione dixit: cum unicum fortè Britanniæ litus classis legerat.

XIII. *Polyd. Vergi. l. 2.* Polydorus reiicitur. *Gordon. hic.*

Hinc erroris arguitur Polydorus Vergilius scribens Pictos Britanniam ingressos, hoc anno octogesimo septimo, ad Septentrionem Britanniæ, regnum obtinuisse: Jacobus etiam Gordonius in Chronologiâ Polydorum potiùs, quàm Tacitum audiens, ita scribit ad hunc annum. *Picti relicta Scythia, quærentes novas sedes, Britanniæ majoris partem Borealem invadunt; & victis incolis, domicilium ibi figunt. Polydorus l. 2. Cum tamen Tacitus in vita Agricolæ memorans hujus Insulæ tunc varios casus, nullam hujus rei faciat mentionem.* Ita ille. Et satis mirum, in re historica, & antiqui temporis, Polydorum, præ Tacito audiri, qui omnem Septentrionis angulum accuratè describens, & singulas penè præliorum circumstantias; fuit admodum supinus, si novi regni erectionem hoc ipso tempore, vel tacuit, vel non advertit. dicendum igitur Polydorum in *Rerum inventione* versatum, de novo regno somniasse; tunc præsertim, cum Agricola, omne Septentrionis regnum, & omnem ibi Principatum extinxisset. Nec à Tacito, hac in re, dissentit Dio: licet Gordonius id velle videatur: neuter Pictorum meminit, aut novorum advenarum: neuter primos expeditionum Agricolæ annos ad Domitianum refert: uterque, Romanorum hostem, Britannum vocat, & centies Tacitus id nomen repetit. nec alium, aut Scytham, aut Pictum, aut Scotum, aut Hibernum fuisse, vel inde colligitur: quod Tacitus, in omni opere, Soceri gloriæ existimationique velificans, & instruens ubique triumphum ejus; devictarum gentium cognomina nullo modo tacuisset: præsertim Domitiani tempore; qui licet in Germania infeliciter pugnasset, Germanici tamen cognomen, sequenti anno usurpavit, ut notat ibi Gordonius. Adde, fingi non posse in Septentrione locum in quo hoc tempore Pictorum regnum statuatur: non Galgacum inter, & Agricolam; quia præter acies, nihil intermedium; nec ultra hostilem exercitum, quia nuper Galgacus, semel, iterumque, suum militem monuit: *Nulla ultra terra, nos terrarum & libertatis extremos: nunc terminus Britanniæ patet: nulla jam ultra gens: nihil nisi fluctus, & saxa:* quæ toties repetita, nullum in Britannia, Pictorum regno, locum relinquunt.

XIV. Orcades Insulæ ab Agricola subiugantur.

Nec verò si porrò porrexeris ad Orcadas Insulas, multùm profeceris. nam licèt aliquando Pictorum ibi sedes fuerit, ut aliqui volunt: hac tamen bellorum tempestate, nec sedes, nedum regnum fuit, & quicquid fuit, ab Agricola hoc anno, & classis circumvectione, inventum, Romanoque imperio adjectum est. quod Tacitus non tacuit, ubi de Caledoniæ ora scribens, ait: *Hanc oram novissimi maris, tunc primum Romana classis circumvecta, Insulam esse Britanniam affirmavit: & simul incognitas ad id tempus Insulas, quas Orcadas vocant, invenit domuitq́;.* Hoc igitur in Agricolæ laudibus ponendum: nec Eusebio credendum, qui Orcadas à Claudio superatas dixit. needum enim Romani, aut Insulam noverant Britanniam esse, aut Orcadas viderant. nunc ad historiam. *Tacit. in Agr. a principio.*

ANNUS URBIS CONDITÆ 839.

ANNUS CHRISTI 88.

CLETI PAP. 8.

COELLI REGIS 10.

DOMITIANI IMP. 5.

I. Agricolæ victoriæ Domitianum urunt.

SEquitur Christi annus octogesimus octavus, Domitiano XII. & Cornelio Dolabella Consulibus. Scripserat superiore anno è Britannia Agricola; docueratque prosperas ibi Romanorum res, & omnem Insulam Romano imperio adjectam. quod nuntium Domitianus Imperator fronte lætus, mente anxius, excepit. Verebatur enim nè tanti Ducis fama, obnubilaret suam. *Inerat conscientia* (scribit Tacitus) *derisui fuisse nuper falsum è Germania triumphum: emptis per commercia, quorum habitus & crines in captivorum speciem formarentur. At nunc veram magnamq́; Victoriam, tot millibus hostium cæsis, ingenti fama celebrari. Id sibi maxime formidolosum, privati hominis nomen super Principis attolli.* Exhilaratus tamen Imperator, per Agones Capitolinos, annos imposterum numerandos decrevit; mutavitque duorum mensium nomina: Septembrem, Germanicum, Octobrem à se Domitianum jussit appellari. *Quod illius Victoriæ nuntii Romam essent allati:* inquit Chronicon Alexandrinum, licet Suetonius aliam causam assignet. *Tacit. in Agric.* *Chro. Alexan. olymp. 216 Sueton. in Domit.*

II. Præmia Agricolæ decreta, non data. *Tacit. in Agric.*

Imperator in vario cogitationum æstu, optimum, invidiam tegere, & unà cum aliis Agricolam amare, & evocatum hoc anno, è Britannia, novo Magistratu ornare: non quod revera ita facturus esset: sed quod credi vellet. *Itaque triumphalia ornamenta* (ait Tacitus) *& illustris statuæ honorem, & quicquid pro triumpho datur, multo verborum honore cumulata, decerni in Senatu jubet. Addiq́; insuper opinionem, Syriam provinciam Agricolæ destinari, vacuam tum morte Atilii Rufi Consularis, & majoribus reservatam. Missus etiam in Britanniam à Domitiano, è secretioribus ministeriis libertus, cum codicillis ad Agricolam: quibus ei Syria dabatur. addito præcepto, ut si in Britannia esset, traderentur. Verùm libertus, Agricola obvius in Oceano Britannico; ne eo quidem appellato, ad Domitianum remeavit. Agricola ut in Urbem venit, vitato amicorum officio, noctu ut præceptum erat, in palatium ivit: exceptusq́; brevi osculo, & nullo sermone, inglorius vixit. Crebro per eos dies, apud Domitianum, absens accusatus, absens absolutus est. Causa periculi, non crimen ullum, aut querela læsi cujusquam; sed infensus virtutibus Princeps, & gloria viri, & pessimum inimicorum genus, laudantes.*

III. *Tacit. in Agrico.* DE TEMPORE REDITUS AGRICOLÆ.

Quæ in Tacito sequuntur, ad firmandam temporis rationem valent; *Ea insequuta sunt Reipublicæ tempora*, inquit, *quæ sileri Agricolam non sinerent; tot exercitus in Mœsia, Daciaq́, & Germania, Pannoniaque, temeritate, aut per ignaviam Ducum amissi; tot militares viri, cum tot cohortibus, expugnati & capti: nec jam de limite imperii, & ripa: sed de Hibernis Legionum, & possessione dubitatum. Ita cum damna damnis continuarentur: atque omnis annus funeribus & cladibus insigniretur: poscebatur ore vulgi Dux Agricola, comparantibus cunctis vigorem, constantiam, & expertum bellis animum, cum inertia & formidine eorum.* Hinc infer Agricolam in Urbem rediisse, ante Domitiani Imperatoris annum undecimum; quia exercitus in Mœsia, Daciaque amissi sunt post Agricolæ reditum: nimirum, hoc anno octogesimo octavo, ut habet Gordonius in Chronologia: vel certè post annum sequentem cum ipse Britanniæ præfecturam alteri tradidisset. Quis ille fuerit, author non nominat: sed tantùm: *Tradiderat interim*, inquit, *Agricola successori suo provinciam quietam tutamq́*. Sunt igitur qui putent Cneum Trebellium, Britanniæ Legatum post Agricolam fuisse. Plures tamen Salustium Lucullum nominant: & his accedo; quia Suetonius in Domitiano, expressam ejus mentionem facit, vocatque Britanniæ Legatum. Quisquis fuerit, quievit sub eo Britantannia, Romanis omnia sine metu, sine hoste, possidentibus. Australes Britanni se dudum submiserant, & Boreales tot præliis fracti, tot claustris præsidiisque coërciti, ægrè trahebant inter miserias animam.

Gordon. hic.

Tacit. in Agric. SALUSTIUS AGRICOLÆ SUCCEDIT.

ANNUS URBIS CONDITÆ 840.

ANNUS CHRISTI 89.

CLETI PAP. 9.

COELLI REGIS 11.

DOMITIANI IMP. 6.

I. ANNO Christi octogesimo nono, Domitiano Decimùm tertiùm, & Volusio Saturnino Consulibus: Imperator sive nupera de Britannis victoria, seu suopte ingenio in superbiam elatus; eò prorupit arrogantiæ: *ut cum procuratorum suorum nomine formalem dictaret Epistolam* (ita Suetonius) *sic capit: Dominus & Deus noster sic fieri jubet. Unde institutum post hac ut ne scripto quidem ac sermone, usquam appellaretur aliter.* ita ille: quod ad præsentem annum, Eusebium sequutus, refert Baronius. Porrò quod Gordonius scribit hoc anno Agricolam, in Britannia, protulisse Romanum imperium, ultra solitos limites: id dudum ab eo factum dici oportuit.

Sueton. in Domitiano c. 13.

Baron. hic. *Gordon hic*

II. S. MANSUETUS MORITUR.

Moritur hoc anno, cum magna sanctitatis opinione, Sanctus Mansuetus Tullensium Episcopus, quadragesimo suæ sedis anno: qui quantumvis à Gallis Scotus dicatur; Britannus tamen scribi debet, ut suprà dicta satis ostendunt. Hunc à Sancto Petro consecratum anno Christi quadragesimo nono, missumque ab eo in Gallias dixi superiùs: nunc laboris præmium accipit, & cultum à Gallicana Ecclesia, in cujus Martyrologio ad tertium Septembris hæc habentur. *Tulli Leucorum Sancti Mansueti Episcopi: qui vir nobilis, origine Scotus, atque inter primos Petri Apostolorum Principis auditor: à quo, & salutaribus undis tinctus, cum vetere homine, exuto gentilitatis vocabulo, Mansueti, ab agni quam præferebat, mansuetudine, nomen consecutus, ad hanc civitatem, facibus Evangelicæ veritatis illuminandam missus est. Quam ingressus primùm, ita nefariis idolorum ritibus deditam reperit; ut parùm prædicatione sua profecisset; ni divina virtus verbum pietatis promovisset admirabili opere: quo præco salutis, filium præsidis, qui civitatem regebat; è specula, dum ludos equestres spectaret, delapsum discerptumq́, revocavit ad vitam. Hinc enim factum, ut tota Præsidis familia, ipseq́, cum copiosa civium turma, Christi ovibus, salutari charactere signata adjungeretur: velociterq́, verbum Dei curreret: atque non modò cives, sed accolas plerosque tractus hujus, scientia salutis confirmaret. Alta igitur pace Mansuetus potitus, templum Deo uni & trino sub S. Stephani Protomartyris clientela erexit, & sacrarat Clerum ordinavit, compositoq́, ad omnem pietatem populo: ut Christo tandem, quem unicè sitiebat, frueretur, quadragesimo, postquam Apostolicum munus inierat anno, placido mortis somno consopitus ad superna præmia evolavit.* Hæc ibi. Hunc Sanctum Hibernis ego concederem, si vel Petrum in Hibernia, vel Hibernos Romæ, hoc primo sæculo, vidissem aut audissem: vel saltem aliquod Romanos inter & Hibernos commercium.

Mart Gallica 3. Sept.

ANNUS URBIS CONDITÆ 841.

ANNUS CHRISTI 90.

CLETI PAP. 10.

COELLI REGIS 12.

DOMITIANI IMP. 7.

ANNUS Christi nonagesimus, Domitiano XIV. & Minutio Rufo Consulibus; non aliâ re magis, quàm Domitiani in Dacos expeditione celebris. Tunc enim Julianus, cui cura belli gerendi ab Imperatore mandata, cum hoste congressus; magnum Dacorum numerum sustulit. Et Domitianus qui prælium ingredi non est ausus, victoriæ laudem arrogans, Senatum per literas monuit. & ille quid? *Quamobrem et*, inquit Dio, *tot & tanta decreta facta sunt; ut in omni ferè Orbe terrarum, qui sub ditione ejus erat, statuæ aureæ & argenteæ positæ sint.* Hæc altera in Dacos expeditio, ab illa differens est cujus suprà memini. & utrobique Romanus exercitus, quantumvis sibi Domitianus blandiretur, admodum imminutus est.

Dio in Domitia.

V. an. 88. n. 3.

ANNUS URBIS CONDITÆ 842.

ANNUS CHRISTI 91.

CLETI PAP. 11.

COELLI REGIS 13.

DOMITIANI IMP. 8.

ANNO Christi nonagesimo primo, Aurelio Fulvio, & Sempronio Attacino Consulibus; Reversus à Dacicâ expeditione Imperator;

DOMITIANI CRUDELITAS.

Tacit. in Agrico.

in cives Romanos magis quàm antea sæviit. nam pluribus occisis, alios in exilium misit, & inter eos Cocceium Nervam, cui imperium aliqui prædixerant. Sed eum mox revocatum, Consulem designavit. Hunc ergo annum Tacitus intellexit, ubi dixit: *Cum damna damnis continuarentur, atque omnis annus funeribus & cladibus insigniretur, pascebatur ore vulgi Agricola.* nimirùm Romæ tunc vivens inglorius. nam ea ingruebant tempora, in quibus vitia non virtus florebant. Philosophis hoc anno; sequenti, Christianis, Domitiani tyrannidem patientibus.

ANNUS URBIS CONDITÆ 843.

ANNUS CHRISTI 92.

CLETI PAP. 12.

COELLI REGIS 14.

DOMITIANI IMP. 9.

SECUNDA PERSECUTIO, SUB DOMITIANO. JOANNES EVANGELISTA, IN PATHMOS MITTITUR.

ANNO Christi nonagesimo secundo, Domitiano XV. & Cocceio Nerva, Consulibus: cæpit Domitianus in Ecclesiam sævire: ejus jussu Joannes Evangelista, ex Asia Romam, Romæ in serventis olei dolium, inde exul in Pathmos mittitur: crimen fuit Christum confiteri, unum Deum colere, Domitiani & falsorum Deorum numina non curare: nam Deum ipse se dixerat scripseratque in omnium Deorum contumeliam, & contemptum.

ANNUS URBIS CONDITÆ 844.

ANNUS CHRISTI 93.

CLEMENTIS PAPÆ 1.

COELLI REGIS 15.

DOMITIANI IMP. 10.

CLETUS PAPA MARTYRIO CORONATUR. CLEMENS SUCCEDIT.

Euseb. hist. l. 3. c. 13.

ANNO Christi nonagesimo tertio, Ulpio Traiano, & Acilio Glabrione, Consulibus; sæviente magis Domitiani persecutione in Christianos, Cletus Romanus Pontifex vigesima sexta mensis Aprilis, martyrio coronatur. In ejus locum successit Clemens; quem Petrus Apostolorum Princeps dudum ordinaverat: sed locum ipse, & primatum, Lino, & Cleto, priùs ordinatis, modestissimè cesserat. Ob Cleti martyrium, ob Joannis exilium, ob plurimorum aliorum cædes, & exterminium, Domitianus nominatus est alter Nero, & secundæ persecutionis author. De eo ita Eusebius: *Cum Domitianus, multum in multos crudelitatis & nequitiæ declarasset: & non exiguam Patritiorum, & illustrium virorum multitudinem, Romæ temerario & iniquo judicio, sustulisset; aliosq; infinitos dignitate præstantes; non solum patriis sedibus ejectos, exilio multasset: tandem in sceleratam Neronianis in Deum odii, & impietatis hæreditatem successit. Secundus namq; erat, qui contra nos persecutionis incendium excitavit,* Nec Christianis modò, sed ethnicis etiam, Domitianus visus est Neronem induisse. Illum Juvenalis intellexit, quem benè Flavianæ gentis ultimum vocat, eo carmine:

Cum jam semianimum laceraret Flavius orbem
Ultimus: & calvo serviret Roma Neroni.

ANNUS URBIS CONDITÆ 845.

ANNUS CHRISTI 94.

CLEMENTIS PAP. 2.

COELLI REGIS 16.

DOMITIANI IMP. 11.

I. SALUSTIUS BRITANNIÆ LEGATUS, OFFICIO ET VITA DEFUNGITUR.

Sueton. in Domitia.

SEQUITUR Christi annus nonagesimus quartus, Domitiano XVI. & Volusio Saturnino secundùm, Consulibus: cum rursus Imperator in bonos sæviens, Glabrionem exconsulem ob crimen ἀθεότητος, revera quod Christianus esset, occidit. Eodem tempore Sallustium Lucullum, qoi Britanniam administraverat, & dudum Magistratum deposuerat; non aliam ob causam interfecit: quam quia permisit militi, genus lanceæ à se inventæ, suo nomine, appellari. de quo ita Suetonius: *Sallustium Lucullum, Britanniæ Legatum, Domitianus interfecit, quod lanceas nova forma appellari Lucullcas passus esset.* Quis Sallustio in Britanniæ administratione successerit, non invenio: & vix ullam de Britannicis rebus, quæ utramvis Remp. spectent, mentionem. Colligo solum conjectura; Trebellium sub hoc tempus Insulæ Præfectum fuisse: qui nulla re clarus; quia hostem in Insula non invenit: mansit tamen ibi Romanus miles, in omnem subitæ eruptionis eventum: & mansit eo numero, ut rebellioni provinciarum, si quæ acciderct par esset. præsertim si dixeris, Legiones quatuor, hoc tempore Insulam pressisse. Id innuere videtur Josephus Judæus, cum scripsit: * *Britannia circundatur Oceano, & penè non minor quàm noster orbis est. Habitantes Romani redegerunt in ditionem suam. quatuorq; Legiones tanta multitudini Insulam tuentur.*

QUATUOR LEGIONES IN BRITANNIA.

* Josephus apud Camd. in Romanis.

II. Sueton. in Domitia. c. 10.

Præter Sallustium & Glabrionem, hoc anno; Civicam quoque Cerealem, in ipso Asiæ proconsulatu, teste Suetonio, Domitiani manu cecidisse constat. Et hic ille est, qui Joannem Evangelistam, in Urbem misit, Domitiani crudelitatis victimam. In Civicæ locum postulabatur Agricola: qood ideo advertendum, ut dicta, de annorum serie, magis firmentur. Dicit ergo Tacitus: *Aderat jam annus quo Proconsulatum Asia aut Africa sortiretur, & occiso Civica nuper, nec Agricolæ consilium deerat, nec Domitiano exemplum.* Nolo Lectorem vexare relatione eorum, quæ in hac provinciarum sortitione evenerunt: qua arte Imperator Agricolæ imposuerit, sinistra manu Magistratum offerens, & dextrâ retrahens. Satis sit instituto meo, Agricolam dudum Romæ, post Britannicam expeditionem vixisse: nam successor Sallustius triennium absolverat, cum Agricola ad novum Magistratum poscebatur. Uode octavus expeditionum ejus annus, perperam ad Domitiani Imp. undecimum refertur: præsertum è mente Taciti, ut aliqui putaverunt.

Tacit. in Agric.

III. FIDEI INCREMENTUM IN BRITANNIA QUALE?

Quod ad Ecclesiam attinet, ambitiosè quærebam fidei incrementum, sacra, Episcoporum nomina & sedes, quo Annales Ecclesiasticos illustrarem. Sed diu multumque vetera eruderans,

vidi omnia tenebris & pulvere obsita: quem varia rerum mutatio, varii provinciarum motus, regnorumque inconstantia induxerunt. Cæterùm vix dubium est, quin Christianæ fidei sementis, hoc præsertim tempore, in spicam silentio surrexerit: cum Insula à bellico tumultu nunc quiescens, sequenti sæculo Regiam messem protruserit. Quis agrum Ecclesiæ interim coluerit: quis aratro & vomere terram aperuerit, denique quis docta manu semen irrigaverit: non est obvium dicere. Constat tamen Glastonienses Monachos, Joseph, aut Socios, aut successores, piam hic & & strenuam operam navasse: quia illi ipsi ad Lucii Regis conversionem, manum porrexisse, docuisseque illum Romanam & Principem sedem appellare, satis constans traditio est. Quinam præter illos accesserint, & Hierarchiam Ecclesiasticam ornaverint, non ita constat: Episcopos, aut à Petro ordinatos, aut missos ab ejus successoribus, & iis decedentibus à Clemente nunc suffectos esse, faciliùs dicere, quàm nominare possumus. Porrò qui Archiepiscopos, Episcopos, & omnem Hierarchiæ rationem venantur in Britannia hoc primo sæculo: in tenebris versantes, manu palpant, & nimium amplectentes, nihil apprehendunt. Quare certiora sequentes, festinemus ad finem hujus sæculi, ut per annorum series, tenebras eluctati, ad certam lucentemque Britannorum Fidei auroram veniamus.

ANNUS URBIS CONDITÆ 846.

ANNUS CHRISTI 95.

CLEMENTIS PAP. 3.

COELLI REGIS 17.

DOMITIANI IMP. 12.

I. ANNus Christi nonagesimus quintus notatur Sexto Pompeio Collega, & Cornelio Prisco, Consulibus: quo Julius Agricola Britanniæ domitor vivere desiit. scripsit uxori filiæque cohæredem, Domitianum Imperatorem: & ille *lecto testamento lætatus est: nesciens à bono Patre, non scribi heredem, nisi malum Principem,* inquit Gener.

II. Clemens Papa in Occidentem mittit Discipulos. In altera Rep. vigilabat Clemens: & memor officii, gnarusque omnem sibi commissam Ecclesiarum curam respexit Occidentem: missis hoc anno viris magnis, qui Christum prædicarent. Ita Galliarum variæ provinciæ, varios Apostolos exceperunt. Parisienses, Dionysium: Santonenses, Eutropium: Bellovacenses Lucianum; & Rhotomagenses, Nicasium: qui loca vicina, & aliquando etiam procul posita, salutaribus Evangelicæ doctrinæ aquis, Apostolorum more, irrigarunt. Non est dubium, Britanniam quoque, Clementis opera, in Christiana fide doctiorem fuisse. Hinc multi putaverunt, Taurinum Eboracensibus ex Urbe missum Episcopum: ut Godwinus in Catalogo, cum multis aliis, & præ aliis S. Antonino, qui & Taurinum, & Nicasium, in Britanniam navigasse scribit. Nec multùm erraverunt. Qui enim Sancti Spiritus ignem in Apostolicorum virorum cordibus ardentem considerat; non difficulter credet, missos in Galliam, ad vicina quoque litora trajecisse. Ita Taurinus licet (quod est longè probabilius) non ad Eboracenses, sed Ebroicenses, missus sit: perrexit tamen ulteriùs, & fortè in Brigantum provinciam descendit: præsertim his primis temporibus, cum infidelitatis tenebræ, ubique profundæ essent: & Episcopi, needum affixi sedibus, planetarum more, vario motu ferrentur. Jam verò si demus, Clementem unà cum Apostolorum Principe Britannis olim Christum prædicasse: quod aliqui affirmant, omnino credendum, promovisse opus quod inceperat. *Broughton. 2. c. c. 36. n. 5.*

III. De Taurino, et Lucii filia. Cæterùm qui volunt Taurinum, filiam Lucii Regis Britanniæ, à morte suscitasse, errasse convincuntur: needum enim Coëllo Britannorum Regi nascitur Lucius. Et diu post natum Lucium, nasci debet Lucio filia. non ergo Lucii Regis filiam, sed potius Licinii alicujus, Præfecti, fortè in Britannia, ad vitam revocavit. Hinc corrige Magdeburgenses: qui in Lucii nomine nævum invenientes, miraculum negant. Nam ita de Taurino satis inaccuratè: *Episcopus fuit Eboracensis, martyrio obiit sub Hadriano, & Licinio Præfecto.* Quæ de eo Vincentii speculum prolixissimè narrat, fabulosa videntur. Alibi tamen iidem authores, Taurinum vocant Ebroicensem Episcopum, miraculum sine hæsitatione referentes. Porrò Romanum Martyrologium, ea de Taurino habet, unde plura ab eo facta miracula constat. Ita enim ibi legitur: *Apud Ebroicenses in Gallia, S. Taurini Episcopi, qui à B. Clemente Papa, illius civitatis Episcopus ordinatus, Evangelii prædicatione Christianam Fidem propagavit, ac multis pro ea susceptis laboribus, miraculorum gloria conspicuus, obdormivit in Domino.* Stet ergo Taurinum, hoc anno, à Clemente missum, Christi fidem longè lateque propagasse: & Romano Clementi debere Occidentem nostrum Fidei incrementum. *Cent. 2. c. 10. f. 222.* *Mart. Rom. 11. Augusti.*

IV. Schisma Corinthi a Clemente sopitum componitur. Nec minus Clementi debet Oriens, nam verus Petri successor, in utrumque orbem imperium exercuit. Corinthiorum Ecclesia, quam Paulus formâverat, in Scripturæ sensu, in Apostolorum Traditione, aliisque exerrans, gravi schismate laborabat. Occurrit ille, scriptisque ad eos literis: * *Reparavit Fidem illorum* (loquitur Irenæus) *annuntians, quam in recenti, ab Apostolis receperant Traditionem.* Nec mirari debes Lector, si in primâ Fidei puritate, schisma & secessionem audias. non enim melius stabiliri potuit Evangelii veritas, aut Petræ firmitas probari: quàm oppositione contrarii. Ita segetes, ita arbores, & alia certiùs radicantur, si vento & turbine agitata quatiuntur. nam ita vires colligunt ex adverso, & radicem fortiùs figunt. Præcesserat Christi oraculum, quo ita munierat Ecclesiam suam: ut portæ Inferi non prævalerent adversus eam. Aperiri ergo portæ debuerunt: & illa tam concuti à domestico, quàm turbari ab extero. Et Christus huic malo peritissimè dedit remedium. Jussit audiri loquentem Ecclesiam; disertè asserens, ethnicum & publicanum fore, qui secus faxit. In ipso ergo Dominico agro, quem nuper Christi sanguis irrigarat, & calefecerat Spiritus Sanctus; oriebantur scandala, quæ Clemens composuit authoritate summa: & Corinthii illam agnoverunt, à Paulo docti. *Obedite præpositis vestris, & subjacete illis.* Imo à Deo ipso: *Si difficile & ambiguum apud te judicium esse perspexeris, & judicium intra portas tuas videris verba variari. Surge & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus. Venietq; ad Sacerdotes Levitici generis, & ad*

** Irenæ. l. 3. c. 3.*

Factiones et hæreses Ecclesiæ utiles.

Ad Hebr. 13. 17. *Deut. 17. 8.*

IUDICEM,

IUDICEM, qui fuerit illo tempore: quæresq́; ab eo, & indicabunt tibi judicii veritatem. Fuit hoc tempore, ille Judex, qui Romæ sedebat, Petri successor Clemens: & Corinthii in sensu suo abundantes, ideoque vacillantes; ejus oraculo, & Traditionis argumento, stabiliti sunt.

V. Sed & alibi crevere zizania, quæ nullo negotio sementem Fidei suffocassent, nisi Christus remedium addidisset, indulsissetque Ecclesiæ, probatæque ab eâ Traditionum sanctitati, non errandi prærogativam. Quomodo enim domari poterant monstra illa Simonis Magi, Menandri, Saturnini, Basilidis, Nicolai, Ophitarum, Cainæorum, Schoitarum, Carpocratis, Cerinthi, Valentini: deficeret me dies, si singula percurrerem, quæ hocce primo tempore enata fuit. Qui inquam vitari poterant immanes hi scopuli, nisi Spiritus Sanctus adfuisset, docuissetque Christi Vicarium, omnem (sicut Christus promiserat) veritatem? nec aliud fortè jucundius in Ecclesiasticarum rerum meditatione, quàm cernere omni sæculo, tumentes in Ecclesiam fluctus, & ingentes quandoque tempestates, in Petram surgere, immanè fremere: sed magna Dei virtute innoxiè subsidere. Qui hoc non advertit, rudis est in historia: qui negat, peregrinus in Fide. Illi ergo in re gravissima admodum errant, qui castissimam Christi Sponsam, corruptioni & erroribus obnoxiam, devirginari interdum, & in Fide deficere, quo suis erroribus patrocinentur, affirmant. nam oppugnari illa potest, expugnari non potest.

ANNUS URBIS CONDITÆ 847.

ANNUS CHRISTI 96.

CLEMENTIS PAPÆ 4.

COELLI REGIS 18.

DOMITIANI IMP. 13.

ANNO Christi nonagesimo sexto, Nonnio Asprenate, & Arracino Clemente, Consulibus: nihil in Britannia innovatum, nihil quod Ecclesiam spectet, ab authoribus relatum invenio: Josephus Judæus hoc anno scripsisse, & illustre de Christo testimonium dedisse affirmatur, in hunc modum. *Eo tempore*, inquit, *fuit IESVS, vir sapiens (si tamen virum eum fas est dicere) erat enim mirabilium operator, & Doctor eorum, qui libenter vera suscipiunt: plurimosq́; tam de Iudæis, quam de gentibus, sectatores habuit. Christus hic erat: quem accusatum a nostræ gentis Principibus; cum adjudixissent illum Cruci, nihilominus, non destiterunt eum diligere, qui ab initio ceperunt. Apparuit enim eis tertia die vivus, ita ut divinitus de eo vates hoc & alia multa miranda prædixerunt. & usque ad hodiernum, Christianorum genus, ab hoc denominatum, non deficit.*

Josephus Antiq. l. 18. c. 4.

ANNUS URBIS CONDITÆ 848.

ANNUS CHRISTI 97.

CLEMENTIS PAPÆ 5.

COELLI REGIS 19.

DOMITIANI IMP. 14.

ANNO Christi nonagesimo septimo, Domitiano Augusto XVII. & T. Flavio Clemente, Consulibus; Joannes Evangelista, exul in Pathmo scripsit Apocalypsin: *Quali, vel cursu dilatanda, vel fine perficienda esset fundata ab Apostolis Ecclesia, ad roborandos contra mundi adversa Fidei prædicatores*, inquit Beda.

Beda in Apoca. in prinс.

ANNUS URBIS CONDITÆ 849.

ANNUS CHRISTI 98.

CLEMENTIS PAPÆ 6.

COELLI REGIS 20.

DOMITIANI. IMP. 15.

I. MARTYRES SUB DOMITIANO.

ANNO Christi nonagesimo octavo, Consulatum gessere Fulvius Valens, & Antistius Vetus: quo Domitianus, Flavium Clementem nuper Consulem, & patruelem suum, ob Christi Fidem interfecit: licetpriùs ejus filios designasset imperii successores, Flavium Domitillam Clementis uxorem, & alteram Domitillam ejus è sorore neptem, à Clemente Papa sacræ virginitatis velo consecratam, ob eandem causam, aqua & igni interdictas, ex Urbe ablegat. His addunt aliqui Pudentem Senatorem, quem domi suæ, à Domitiano Imperatore strangulari jussum, circa annum nonagesimum octavum, è communi opinione asserunt. Ob hæc martyrum frequentia funera, Clemens Romanus Pontifex, quò eorum acta posteritati scriberentur, Regiones Urbis in septem Notarios distinxit; qui dicta, facta, & passiones martyrum, cum fide exciperent.

Broughton cen. 2. c. 8. n. 2.

II. DOMITIANUS OCCIDITUR. NERVA IMPERATOR.

Domitianus tantæ crudelitati non diu superfuit. nam decimo quarto Kalendas Octobris, annò ætatis quadragesimo quinto, Imperii decimo quinto, tyrannidi vitæque finem imposuit, occisus à Stephano Fl. Clementis liberto. Successit Nerva Cocceius, tam Senatus, quàm militum suffragio: sub quo Romanus orbis, Domitiani sævitia exanimatus, respiravit. nam leges refixit quas ille fixerat; & Christi cultores vetuit ultra fatigari, omnes denique [illegible] titulo relegatos, postliminiò restituit. Ita S. Joannes è Pathmo solutus, & Ephesum reversus, Asiæ Ecclesias gubernavit.

ANNUS URBIS CONDITÆ 850.
ANNUS CHRISTI 99.
CLEMENTIS PAPÆ 7.
COELLI REGIS 21.
NERVÆ IMP. 1.

I. Aristobulus Sanctus moritur.
Rom. Mart. 15. Martii.

ANno Christi nonagesimo nono, Nerva Augusto tertiùm, & Virginio Rufo III. Consulibus; Sanctus Aristobulus Apostolorum discipulus moritur in Britannia, ut Arnoldus Mirmannus, & alii affirmant. Porrò quod dicatur in Romano Martyrologio: *peracto prædicationis cursu, martyrium consummasse*, antiquorum dialecto potest intelligi; qua illi Christi Martyres habebantur, qui ejus Fidem longè latéque propagantes, eandem illustrassent, extorres præsertim mortui. Et talis Aristobulus. Ille, inquam, cujus meminit S. Paulus ad Romanos. *Salutate*, inquiens, *eos qui sunt de Aristobuli domo.* Cur ipsum non salutarit, illa ratio redditur, quam suprà pro Petro dedi: nimirum, quod in Britannia tunc fuisse crederetur, ordinatus ibi à Petro Episcopus. nam illi indubiè corrigendi sunt, qui Aristobulum, non Britanniæ, sed Bethaniæ scribunt Episcopum, ut Isengrenius, & recentiores aliqui. Et, quia illa nusquam legitur Episcopi sedes fuisse; ejus loco Bithyniam alii substituunt. Sed cum author Synopsis Prochorum, & Tychicum nominet Bithyniæ Episcopos: sine dubio ex ejus mente, Aristobulus Britanniæ præficitur. Astipulatur his Baronius in notis ad Martyrologium, ubi ex omnium Græcorum consensu ita scribit *Profitentur & Græci in suo Menologio, Aristobulum missum ad Britannos, evangelicæ prædicationis causa*; citatque Dorotheum.

V. an. 60.
Isengren. cen. 1. p. 1. distinct. 7.
Dorotheus in Synopsi.
Baron. in notis ad 15. Martii.

II. Quomodo Martyr appelletur.
Menolo. 15. Martii.

Sed juvat hac in re ipsum Græcorum Menologium audire. Ibi igitur ad decimum quintum Martii, de Aristobulo hæc leguntur. *E septuaginta Discipulis erat hic unus. Sequutus est autem S. Paulum prædicans Evangelium, & ubique terrarum ministrans illi: A quo & Episcopus ordinatus est, in Britannorum Regionem ferorum & sævissimorum hominum. A quibus aliquando quidem verberibus affectus: aliquando etiam per forum tractus; multis persuasit ut Christo se adjungerent. Unde & Ecclesiis constitutis, & Presbyteris, & Diaconis in ea ordinatis, vitam consummavit.* Ita ibi. Et causam habes, cur in Romano Martyrologio, vitam dicatur martyrio consummâsse: cur etiam à Britannis anniversaria memoria inter Sanctos celebretur. nam olim ita cultum affirmat Heleca Cæsaraugustanus Episcopus: seu fragmentum illud, quod ejus nomine editum circumfertur. ubi pagina 108. editionis Cæsaraugustanæ hæc habentur. *Britannis celebris est memoria multorum Martyrum, præcipuè Sancti Aristobuli, unius de septuaginta duobus Discipulis, qui dictus est etiam Zebedeus. Qui cum Petro Romam petivit. Inde relictis domesticis suis, missus in Angliam Episcopus occubuit martyr secundo anno Imperatoris Neronis sævissimi.* Verùm ad mortis annum quod attinet non est una omnium sententia. & quæ allata sunt, solùm probant Aristobulum ab Apostolis missum, in Britanniâ prædicasse.

Apud Vsser. fo. 9.

III. Num dicendus Londinensis Episcopus?

Quamdiu ille in Insula vixerit, quàm sibi aliisve sedem consecraverit, quo demum anno, & quo loco mortuus, sola conjectura colligimus. & verò in re antiquissima, vix aliud sperandum: cum de aliarum quoque provinciarum regnorumque Apostolis primis, sit ubique eadem lucis & veritatis eclipsis. Qui illum Londinensem Episcopum, vel Archiepiscopum scribunt: illius Urbis dignitati litant. Et ego lubens accederem, si ibidem mortuum, vel vivum aliquando legissem. Simpliciùs itaque puto Aristobulum Britanniæ creatum Episcopum, nullibi constantem sedem fixisse. nam primi regnorum Apostoli ut *nubes* volabant, omnem prouinciam Evangelii pluvia irrigantes: & *quasi columbæ* ad fenestras reversi; opportunè omnibus aderant, dantes rursùs pluviam in tempore suo. Hoc necessariò dicendum; donec crescente Evangelii semine, & numero Episcoporum (quod necdum fieri commodè poterat) illustriora loca, proprium sibi vendicare potuerunt. Ita post annos ferè quingentos, Augustinus ex Urbe missus, genti Anglorum primò consecratur Archiepiscopus: sic eum vocat Beda. tenuitque prærogativam illam & cognomen; donec plures operæ, peculiarem novo sideri orbem, Augustino inquam, sedem & quietem concessissent. Quamdiu ergo non reperio sparsos per Britanniam plures Episcopos, stellasque fixas: malo Aristobulum, planetarum more Insulam illustrasse, non uno loco consistentem. præsertim cum ab antiquis dicatur Britanniæ, non Londinensis Episcopus.

Beda l. 1. histor. c. 27.

IV.
Martyrol. Anglica. 15. Martii.

Favet opinioni huic, quod Glastoniæ, in agro Somersetano mortuus dicatur. Ita enim legitur in nostro Martyrologio. Glastonia autem procul Londino, & extra omnem Trinobantum provinciam est. Ibi Christianorum major numerus, & aptior Doctori cathedra. Nisi velis dicere, Apostolicum hunc virum, cum plures annos in procuratione animarum strenuè posuisset, Glastoniensem secessum quæsivisse, & collegisse sese, mox dicti factique rationem redditurum, quod sanctis admodum familiare fuit. Et sequenti sæculo Fugatius & Damianus, Romani Pontificis Legati, post Lucii conversionem, eò concesserunt. Et infrà videbimus Patritium Sanctum, in Britannia natum, in Hibernia diu laborantem, Glastoniæ denique quievisse. Majus dubium, quo anno Aristobulus laboris præmium acceperit, cælo donatus. Author Martyrologii nostri consignavit aliquando annum Domini septuagesimum: sed secundæ curæ, mortuum scribunt circa annum nonagesimum octavum: quod opinor opportunius est. nam alii passim illum ad Clementis sedem referunt. & Arnoldus Mirmannus expressit annum nonagesimum nonum, *& quod excurrit*, inquit. nimirum cum mortuo Domitiano, Nerva succederet.

Quando mortuus?

ANNUS URBIS CONDITÆ 851.
ANNUS CHRISTI 100.
CLEMENTIS PAPÆ 8.
COELLI REGIS 22.
NERVÆ IMP. 2.

I. Moritur Nerva Imp.

SEquitur Christi annus centesimus, Nerva Augusto IV. & Traiano Cæsare II. Consulibus; quo Nerva Imperator, cum M. Ulpium

Traianum

Traianum adoptasset in filium, Cæsaremque creasset; habuit cum fine hujus sæculi finem vitæ, post ætatis annos sexaginta quinque, & imperii annum unum, in eo imprimis laude dignus, quod Romano populo adoptavit optimum Principem. nam successit Traianus, ejus designatione, Senatus suffragio, militum voto, acclamatione omnium. Vir Deorum quidem cultui addictus, itaque Christianis infensior, cæterùm Princeps, pro more temporum optimus, de quo plura sequenti sæculo.

SUCCEDIT TRAIANUS.

II. LEGATIO BRITANNORUM AD CLEMENTEM PAPAM.

Clemens interim Romanæ Ecclesiæ præsidebat: & Britannia illum agnovit omnium per orbem Ecclesiarum, ideoque Britannorum Ecclesiæ Principem: cum missâ ad eum, sub hoc tempus, legatione, quæsivit, docerique voluit, qui ritus, quæ sacra, & quomodo in Christianorum templis & cœtibus, usurpanda essent. quia cum Romana Ecclesia communicare, vel ut Tertullianus loquitur, contesserare; & nulla in re ab ea dissentire cupiebat. factum hoc opinor priusquam Clemens in exilium à Traiano mitteretur. Itaque discutiam legationem hanc, contemplatione sequenti, ut Britannorum hujus primi sæculi fidem enucleatiùs explicabo.

CONTEMPLATIO PRIMI SÆCULI, ET FIDEI BRITANNORUM.

III. QUORSUM HÆC CONTEMPLATIO?

Hic pedem figo, superato hocce sæculo: & acie mentis retrò versa, contemplabor unum: unum illud necessarium, quod Annalium nostrorum scopus in primis intendit. Illud, inquam, quo immortalis vitæ beatitudo stat caditque. Contemplabor itaque Britannorum fidem & Ecclesiam; quæ tantis Christi Dei-hominis laboribus nata, tantis Apostolorum peregrinationibus educata, multo etiam irrigata sanguine; crescebat felicissimè, explicabatque sese. Videbo quæ illa, & qualis fuerit: quia postera ætas, novos ritus, nova sacra, novam Ecclesiæ faciem cudet, & antiquam esse mentietur. Nec poterit meliùs fucus ostendi, detegique fraus; quàm primitivam Christi Ecclesiam intuendo, & indicando notas, proprietates, & lineamenta singula, quæ veram, à falsa, genuinam, à spuria, sponsam distinguant ab adultera. Quæram etiam qui Ecclesiam persecuti, & quorsum? Qui illam defenderint, & quibus armis? Et breviter dicam, cur Christus Dominus, mundo valedicens, & Ecclesiæ, ita Discipulos consolatus sit: *Ego veritatem dico vobis: expedit vobis ut ego vadam.* Si enim fluctuantem Ecclesiam, errori obnoxiam, in certa pericula, sine certo, & non fallente Duce, reliquit: Deum testor & Christum ejus, expediebat Apostolis, expediebat Ecclesiæ, expediebat nobis, Christum adesse, nec debuisse, cum tanto animarum periculo, in cælum ascendere. Porrò proposita Ecclesiæ facie, quam Christus & Apostoli ornaverunt; detergentur errorum nubes, quæ cælum nostrum, his novissimis temporibus, offuscarunt: & radii solis, è primo Orbe ad inferiorem descendent puriùs. Ita fiet, ut fictio (in rebus fidei gravissimum malum) nulla veritatis umbrâ sese obtegat. Quod enim olim dixit Arbiter *Universus mundus exercet histrioniam*: id de novo mundo, de nova Ecclesiæ facie, certissimum est: adeò factiosi fucum obduxêre rebus omnibus. Movebo igitur aulæum hoc scenicum; & complicato siparo, detractisque larvis, contemplatione primi sæculi, nudos vultus ostendam.

Ioannis 16. 7.

IV. EST CONTROVERSIARUM COMPOSITIO.

Ingens enimvero est, Christiane Lector, pretium operæ, & nobile compendium terminandis in Fide controversiis, antiquam Ecclesiæ faciem contemplari: sive teneram illam, infantem, & veluti in cunis vagientem, à morte statim Christi: sive porrò adolescentem, & inter fortunæ ludibria, nunc pallidam, nunc cruentam: ubique tamen eluctantem discrimina, regnantibus Augustis infidelibus, & barbarè Ecclesiam Fidemque tractantibus. sive denique adultioris ætatis, pulchram illam, ornatamque, & Reginæ instar in vestitu deaurato, circundatam varietate; sub Constantino Magno, & sequentibus. Hujusmodi enim incrementis, & veluti ætatis gradibus, Ecclesia Christi surrexit, in auroram primò, mox in ortum; in Meridiem denique fidei. Quod licèt certum, & obvium in Historiis: illi tamen vel nolunt, vel non videntur intelligere: qui Constantini sæculum accusant: quòd cultior tunc Ecclesia, quàm antea fuerit: quòd ornata templa: quòd solenniores ritus. Quasi verò, aut illa mox nata, ornari potuerit: aut inter primas difficilesque tempestates, de cultu esse solicita. Igitur ut rerum omnium conditarum, sic Ecclesiæ fideique initia erunt ac veluti prima elementa; non obscura illa, ac incognita, nec impervia sensibus; ut aliquando factiosi garriverunt. Sed tantùm quæ tractu temporis explicatiora fuerunt, & notiora mortalibus. Nihil ergo novum primæ natæ fidei accedet, aut alienum in substantia. Apage monstra, quæ fidem destruunt: sed illud ipsum, aperta solùm manu, explicatisque articulis; quod priùs in pugno adstricto latebat. Constans enim illa est, & pia Sanctorum Patrum contemplatio: qui Ecclesiæ statum, ordinem, vices, cum luna definiunt. Hæc enim licet è superiore orbe æqualiter semper illustretur: nobis tamen alio & alio incremento, perfectioném habet, & ordinem non semper eundem. Minoides est, diatomos est, amphicyrtos est, & denique (ex Astrologis loquor) panselenos est. cum non tam in orbe suo, quàm nostro, undique perficitur. *Elevatus est Sol, & Luna stetit in ordine suo* (ita legunt Magnus Gregorius, & alii) nimirum ascendit Christus, & remansit Ecclesia, Lunæ vicissitudinibus obnoxia. ut optimè è dicto versu Anastasius Sinaita, & Bathoniensis noster Archidiaconus speculati sunt. Sed & Prosper illud Psalmi: *Fecit Lunam in tempora*, ita commentatur: *Fundavit Dominus Ecclesiam: quæ per temporalia transit ad æterna: & quamvis ad claritatem destinata sit perpetem, mutationibus tamen, dum hic degit obnoxia est.*

ECCLESIÆ VARIA ÆTAS.

UT ETIAM LUNÆ.

Abacuc 3. 22. Gregor. hom. 29. in Evang. Anast. Hexam. l. 4. Pet. Blesens Ep. 8. Prosper in Psal. 103.

V. OMNIA CREATA GRADUS HABENT, ET INCREMENTA.

Nec obstat hoc aut conditioni rerum, aut perfectioni conditoris. Nam eodem modo creatus olim terrarum Orbis: primùm in compendio: mox singularum rerum effusione. Tum ornatus accessit, stellarum, cælo; plantarum, terræ; utrique homo, creatarum hîc rerum perfectio, & nova epitome. Habet etiam ille ætates suas, ac periodos. Et brevis licet in prima conditione, surgit tamen postmodùm, crescit in partes, enodat sese, & explicat artus. Nec tamen aliam & aliam naturam subire dicitur: sed tantùm suam perficere & explicare substantiam. Eadem & humanæ, & divinæ legis differentia est, cum laude tamen unitatis. Etenim rudis intellectus & infans, ubi primam ætatem superat, emergit è suis tenebris, quibus clausus tenebatur: lucemque quàm primò

admiratur, mox familiariùs aſpicit, haurit, & fixè demum, diu, & cum voluptate contemplatur: eadem tamen & individua mens, ſub alia tantùm, & alia periodo. Magis facit ad argumentum hoc, & ad propoſitam quæſtionem; unius, inquam, Eccleſiæ, cum ſua viciſſitudine, definitionem; primæ legis contemplatio, quam vel natura olim homini, vel Moyſi Deus dictavit. Enimvero utrobique priùs erat Legis rudimentum, quàm Legis perfectio: utrobique Lex rata, priùs quàm explicata. Denique Deus, in Sina monte, ſcripſit duas tabulas; quas vario cæremoniarum ritu diſtinxit, illuſtravitque. Itaque falſi ſunt qui Magdeborgi ſcripſerunt: *Veram Eccleſiam, è ſimplicitate ceremoniarum agnoſci: hypocriticam verò eſſe, quæ illas coacervat.* Sugillant apertè Romanam Eccleſiam, & ætatem Conſtantini: quâ fulgere Crux, efferri publicè, ſumare altaria, & alia cæperunt fieri, primò alteróve ſæculo, aut incognita, aut inaudita.

Cent. 2. c. 6. prin.

VI. CONSTANTINI SÆCULUM CUR ILLUSTRIUS?

Sed ſave, amice Lector, Conſtantino, & abſolve ejus ſæculum ab hac calumniâ. non eſt ille novitatem doctus, aut priùs incognita: ſed Crucis cultum, dictante cælo, didicit; & alia fecit ſolenniſſima pietate, quæ priùs in tenebris, & clàm fiebant. Si ergo, eo Imperatore, videris ornari templa, efferri publicè Sanctorum corpora, & ſplendido apparatu coli, ac diſtinctos miniſtrorum ordines, ſacris ſolenniter operari; quæ prima hac ætate non fiebant: noli putare novam eſſe Eccleſiæ faciem, & aliam ab ea, quæ paulò antè pallebat: ſed illam, illam ipſam, poſito luctu palloreque exporrectam atque lætiorem. Qui enim fieri poterat, ut laborans Eccleſia ſub Principum tyrannide, & ægrè inter miſerias trahens anhelitum; ornatum, ſplendoremque ſacrorum meditaretur: cum ſacra ipſa, nec privatim, nedum publicè licerent? aut quomodo Sacerdotii majeſtas, cum dignitate palam eſſe, quæ eſſo omnino vetabatur. Taceant ergo Catelli qui in quarti ſæculi Lunam latrant: & ſciant, ut oculi vitium eſt cæcutire ad meridiem, ita lippientis quoque eſt non ferre panſelenon. Stetit Luna in ordine ſuo: habuit Eccleſia ætatem ſuam: & nemo exiſtimet illius primam ætatem, quæ fidem ſpectet, rudem & impolitam eſſe, & progreſſu temporis doctiorem, ut ei poſtmodum accreverint alia fidei myſteria? apage hoc ſomnium, quo putant aliqui ſe Romæ triumphare, nunquam illa hac ætate doctior, nec unquam alia credidit. Audivi aliquando novæ Theologiæ Doctores, calumniantes Romanam Eccleſiam, quòd Purgatorium, tranſubſtantiationem, nova nomina, nova dogmata cuderit, quorum primis ſæculis nulla mentio; & miratus ſum eorum infantiam. reſpondemus enim & centies repetimus, Romana Eccleſia nihil habet novum, quod fidem & dogma ſpectat. Si de vocibus lis, & altercatio eſt; infinitas agnoſcimus non cuſas primo ſæculo, ſed tollendis erroribus enatas poſtea, dictatas à Spiritu Sancto, adoratas ab orthodoxis, tranſmiſſas ad poſteros. Noli hoc mirari: nam primum ac ſummum illud elementum Fidei TRINITAS; poſt natam fundatamque Eccleſiam, & non niſi poſt hoc ſæculum, apparuit: priùs tamen à fidelibus creditum. In eo myſterio, cum ſequenti tempore quidam laborarent, ſuper ſecundæ perſonæ Deitate, & pacem Eccleſia ſub Conſtantino nacta eſſet, doctiſſimè interceſſit, aperuit ſe, & explicuit, &

TRINITAS PRIMO SÆCULO CREDITA. SED VOX ILLA NON AUDITA.

Chriſtum dixit ὁμοούσιον· conſubſtantialemque Patri. Et cur non potuit eadem, cum iterum nova quæſtio eſſet, in Venerabili Sacramento, de οὐσίᾳ & ſubſtantia corporis Chriſti, illam aſſerere? & ſi occaſio eſſet, explicare ſe denuò, & panem in illud tranſubſtantiatum dicere? aut unam tantummodo hæreſim jugulare poterat? **Sicut turris David collum ejus, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Poteſt in Berengarium definire ſubſtantiam, ut potuit in Arium dicere conſubſtantiam: imo naſcatur Lutherus, aut alia peſtis, & novum ei telum ſuppetit tranſubſtantiatio. non enim uno pharmaco curatur omnis cachexia. Debet ergo hoſtis alio, ſi poteſt, telo Romam impetere, ſi ferire vult; & omiſsâ voce, de re creditâ diſputare: nec è vocis novitate metiri fidei myſteria. Sequeretur enim Trinitatis myſterium, tunc primùm, nec creditum priùs, quam Trinitatis vox innotuit. Debet nobis, ſi poteſt, perſuadere, locum illum, quem Purgatorium vocamus; nec è Scripturis erui, nec olim è Judæorum & primorum fidelium ſenſu poſſe: & victi ſumus. Nos ſi eruimus, ſi Judæos ſcimus ita credidiſſe, hodieque credere, ſi matrem & parentem ſciſcitamur: ſi illa explicat ſeſe, & rem probat, vocatque Purgatorium. Fave, quæſo Lector, quia Eccleſiam audimus, quam qui non audit, diſpenſantem Fidei myſteria, *Sicut ethnicus & publicanus eſt.*

UT CONSUBSTANTIAM SIC TRANSUBSTANTIAM DEFINIT ECCLESIA.

* *Cant. 4. 4.*

JUDÆI CREDUNT PURGATORIUM.

Matth. 18. 17.

VII. FIDEI ORTHODOXÆ CERTITUDO.

Hinc mente ſurgens, contemplor Eccleſiam hujus ſæculi, noviter à Chriſto ſuper Petram fundatam, ejusque ſacro ſanguine adeò adſtrictam; ut nullæ Inferorum portæ, illam aut evertere, aut pervertere, quantumvis coenentur, poſſint. Adde certam, probatam, conſtantemque Spiritus Sancti aſſiſtentiam, *docentis omnem veritatem, & manentis cum ea, in æternum.* Quid his certius? quid in Scriptura explicatius? Quid è ſæculorum fide conſtantius? Qui credit Eccleſiam omni ſæculo SANCTAM eſſe, ut Apoſtoli in Symbolo ſanciverunt. Qui credit *columnam eſſe & firmamentum veritatis.* Qui credit *glorioſam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujuſmodi, ſed ſanctam & immaculatam.* ut Apoſtoli disertè dictaverunt. Qui Virginem credit, & Sponſam Chriſti dilectiſſimam; ut Chriſtiani ſemper crediderunt, & interim credit corrumpi illam aliquando, & errare poſſe, in Fide deficere, docere falſum, imò docuiſſe: credit ἀσύστατα. Video iterum, Eccleſiam hanc Petro creditam, & ejus ſucceſſoribus, eandem numero, individuam, jam ſedecim ſæcula duraviſſe, omni, qua olim, prærogativa præditam. nam ut olim, ita hodieque dicimus, & omni ſæculo tutò dicimus: Credo Sanctam Catholicam Eccleſiam: quia ſuper Petram poſita conſtantiam habet, & æternum fundamentum. A Spiritu Sancto regitur, qui manet nobiſcum in æternum: denique Chriſto deſponſata eſt, qui nobiſcum eſt, uſque ad *conſummationem ſæculi.* Hinc ſequitur neceſſariò; non magis hodie Chriſti Eccleſiam falli, quàm falſa eſt, aut erravit, Chriſti, & Apoſtolorum tempore, Chriſto tunc Eccleſiæ capite. Video tertiò, certumque credo, Britannos hanc Eccleſiam ingreſſos, Chriſto nomen dediſſe, & captivaſſe intellectum in obſequium Fidei: quæ tanta adhæſione ferebatur in objectum, quanta certitudine ab Apoſtolis dictabatur. Hæc Fidei, hæc Eccleſiæ non errantis prærogativa Britannos ad Chriſtum, & ad Petram quam fundaverat, traxit.

Ioannis 15. 13.

Ioannis 14. 16.

EX ASSISTENTIA SPIRITUS SANCTI.

1. Timot. 3. 15.

Epheſ. 5. 27.

Matth. 28. 20.

Duni

VIII. CLAVES ECCLESIÆ PROBANTUR HOC SÆCULO.

Dum alias hujus Ecclesiæ notas circumspicio, cæli claves requiro; quas Christus Rectori se daturum promisit: deditque, cum à mortuis surrexit, & unà ligandi solvendique potestatem. neque hic aëreum aliquid, inane, aut verbale est: clavis revera cælum aperit, claudit, solvit, resolvit. nec in verbis ludendum, cum de Sacramentorum majestate, fideique mysteriis agitur. Hoc intellexerunt illi de quibus S. Lucas in Actibus Apostolorum: *Multi credentium veniebant, annuntiantes actus suos*: quod est *ministerium reconciliationis*, de quo Gentium Doctor Paulus. Hac notâ characteristicâ, Christi Sponsa, ab adulterâ distinguitur, ut aurum à scoriâ. Et quemadmodum omnis Resp. virtutem ornat, vitia castigat & premit; pœnas & præmia verè dispensat; quo sarta tecta permaneat. Ita sacratior hæc, & immortalis vitæ candidata; verè potest benè meritis cælum aperire, impedimenta verè tollere, peccata verè condonare: & denique rebelles, immorigerosque percellere. Quod non Petro solùm, licet illi imprimis; sed Apostolis omnibus, eorumque successoribus datum illis verbis: *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo; & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cælo.* Qui potestatem hanc ab Ecclesia tollunt, aut elevant: Remp. illam, (quis non videt?) prorsùs enervant. schismati viam, peccato & cupiditatibus omnibus habenas laxant. denique credendi sperandique firmitas corruit. Unde meritò Magnus Dionysius Demophilum arguit, quod procidentem ad Sacerdotis pedes, peccatorem, *calce abjecerit: & eundem Sacerdotem laceraverit conviciis; quòd impium justificaverit.* Sic Clemens Romanus Pontifex, qui Orientem & Occidentem nostrum docuit, Britannis etiam dictavit illud quod in primâ Epistolâ scripsit: *Si fortè alicujus cor vel livor, vel infidelitas, vel aliquod malum latenter irrepserit: non erubescat, qui animæ suæ curam gerit, confiteri hæc huic qui præest: ut ab eo per verbum Dei, & consilium salubre curetur: quo possit integra fide, & operibus bonis, pœnas æterni ignis effugere: & ad perpetuæ vitæ præmia pervenire.* Optimè igitur à Britannis factum: qui hanc Ecclesiam, tam insigni prærogativâ munitam, audiverint; Petrum in ea, ejusque successores venerati. Ita enim Fidei puritati consultum, cum Ecclesiæ capiti, quod Christi oraculo in Fide nutare non poterat, reverentia exhibetur. Quòd Petrus hoc ipsum in Britannia docuerit, quòd peccata ibi solverit, quòd sacra porrexerit, quòd Fidem dictaverit, pientissimè creditur. Sed longè certius, Britannos è Romano cælo hausisse omnia, quæ Fidem & Sacramenta spectabant. Hoc quindecim sæculorum sensus & consensus clamat: nec ullus excepit; donec nuper aliqui, læsæ majestatis Romanæ crimine notati; quod factiosorum est; Romam Principem accusarunt: & meritò ferulam metuentes, ejus imperium exuerunt, in Orientem fugiendo; ubi ut novam Fidem, sic novum Principatum quærunt. sed non effugiunt. Nihil adhuc novi in Oriente: & nunquam ille nobis fidem porrexit, aut bonos mores.

Act. Apost. c. 19. 18.
2. Corinth. 18.
Matth. 18. 18.
Dionys. ad Demophilum.
Clemens Ep. 1.

FACTIOSI SEMPER IN PRINCIPEM CAVILLANTUR.

IX. BRITANNIA ROMAM AGNOSCIT PRINCIPEM.

Vix Christi nomen Britanniam pervaserat, cum ejus Romæ Vicaria sedes innotuit. Tunc S. Beatus, à Britannis in Urbem missus, nobilissima ad Petrum Apostolorum Principem, legatione fungitur. V. annum quadragesimum nonum, n. 10. Ille Romæ doctus, Romæ consecratus; non nisi Romana sacra retulit. Porrò inauditum est, Britannos in Orientem, aliquos legavisse cum esset vicinior, & frequenti Romanorum commercio multo opportunior Roma. Placuit illi Tertulliani consilium, ita jubentis. *Age, qui voles curiositatem melius exercere in negotio salutis tuæ. Percurre Ecclesias Apostolicas. Proxima est tibi Achaia, habes Corinthum. Si non longè es à Macedonia, habes Philippos, Si potes in Asiam tendere, habes Ephesum. Si autem Italiæ adjaces, habes Romam. Unde nobis quoque (nimirum in Africa) authoritas est. Statu felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli, cum sanguine suo profuderunt.* Et quis nescit Italiam, Britanniæ adjacere, & procul esse Orientem. Irenæus paulò antiquior, & constantiùs id jubet. *Ad Romanam*, inquit, *Ecclesiam, propter potentiorem Principalitatem, necesse est omnem convenire Ecclesiam; hoc est, eos qui sunt undique fideles.* Britannia igitur, cum fidelis esse cupiebat, Petrum Romæ convenit; ab eo Christi Fidem excepit; ejus etiam, & successorum imperium induit, agnovit potestatem. Hoc Innocentius primus eo nomine Romanus Pontifex, extra dubium ponit, cum dixit. *Manifestum est, Insularum Sacerdotes in Occidente à Petro, aut successoribus ejus constitutos*: & iterum cum ait: *Non est dubium, eos à Romana Ecclesia principium accepisse.* Falluntur ergo, & in veritatis meridie cæcutiunt: qui *Manifestum* hoc, & nullo modo *dubium*, in *dubium* vocant, & negare contendunt. Factionis est id illustre signum, altare contra altare erigentis. Calvinus maluit in caverna maceriæ, quàm in foraminibus Petræ, Synagogam suam collocare, ita scribens: *Deus Lutherum, & alios excitavit, qui nobis facem ad reperiendam salutis viam prætulerunt, & quorum ministerio fundatæ sunt, & institutæ nostræ Ecclesiæ*: nostræ dicit, non primorum sæculorum, non primorum Britannorum: quas *Manifestum* est ab alio, & constantiùs fundatas. Habeat Calvinus alium Ecclesiæ fundatorem; antiqui Britanni Petrum venerantur, illique pro beneficii magnitudine, aras & templa brevi constituent.

Tertul. de Præscrip. c. 36.

ROMA BRITANNORUM ECCLESIAS FUNDAT.

Irena. l. 3 c. 3.
Innoc. Ep. 1. ad Decent.
Calvin. in supplici exhort. de reform. Ecclesia.

FACTIOSORUM ECCLESIA LUTHERUM FUNDATOREM COLIT.

X. PERSECUTIONES ECCLESIÆ, FIDEIQUE FAMULANTUR.

Jactâ ad hanc Petram Britannorum Ecclesiæ, imò Christiani nominis, anchorâ; jucundum est contemplari sævientes in Fidem & Ecclesiam fluctus, immanè surgere, intùs & extra minari ultima, & demum innoxiè subsidere: imò fecisse cum tentatione proventum. Sic Judæi infantem adhuc Ecclesiam persecuti, eandem propagarunt. Petrus & Apostoli Hierosolymis pulsi, Evangelicæ doctrinæ semina per Orientem, & Occidentem feliciter sparsere. Iterum Roma & suis Sedibus moti, Septentrionem & Meridiem illustrarunt. Sic Judæi, sic Nero, & Domitianus aliæque inferorum portæ, Christum persequentes, Christo famulati sunt. Hæc extra. Intùs porrò, quò periculosiùs certatum, eò victoria major fuit, & Fides illustrior. Simon Magus, Ebion, Cherintus, aliaque Christiani nominis monstra, dum Fidem vitiant, & superseminant zizania; Doctrinam Christi, Fideique articulos explicatiores, eoque illustriores fecerunt. Petrus enim, & successores ejus, Ecclesiæ patres-familias acriùs in agro vigilarunt: & quod inimicus homo nequiter fecerat, correxere. Ita nova tempestas, & ingeniorum scabies; ceu hiems quædam, jacto nuper & abscondito ferè Evangelii semini, servierunt. Corinthli aliquando tumultuati sunt in Oriente, & ferè passi naufragium. Evigilavit Clemens, Petri successor, imperavit ventis, &

PETRI AUTHORITAS NECESSARIA.

facta

facta eft tranquillitas magna. Ita factum omni fæculo, cum Ecclefiæ aut Fidei hoftis immineret: cum dubium in fide, cum error, aut morbus fideles invafcrat. Enimverò fi Deus, fimili malo, quotidie nafcituro, remedium nullum providiffet: felicior effet omnis alia Refp. quæ emergentibus malis, morbisque, prudenter occurrit, cavetque nè rursùs emergant. Si dixeris, è verbo Dei curandum omne cacoethes: nullum prorfus curabitur, quamdiu verborum fenfus & intellectus pro libidine proftituitur, & permittitur reo. Hoc illi volunt, qui loquentem judicem ab Ecclefia tollunt, & fuo cerebro Scripturarum profunda metiuntur. Sic enim, tribunal omne, & judicium declinatur: vel nocens certè pro tribunali fedet, caufamque reus decidit. Sæpè mihi hæc contemplanti occurrit elegans illa Cypriani Martyris fententia; ubi ad Cornelium Papam ita fcribit: *Neque enim aliunde hærefes obortæ funt, aut natæ funt fchifmata: quàm inde, quod Sacerdoti Dei non obtemperatur: nec unus in Ecclefia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Iudex, vice Chrifti cogitatur. Cui, fi fecundum magifteria divina obtemperaret fraternitas univerfa: nemo adverfus Sacerdotum collegium quicquam moveret. Nemo poft divinum judicium, poft populi fuffragium, poft Coepifcoporum confenfum: Iudicem fe, non Epifcopi, fed Dei faceret. Nemo diffidio unitatis Chrifti Ecclefiam fcinderet. Nemo fibi placens ac tumens, feorsùm foris novam hærefim conderet.* Quafi diceret Cyprianus, Nullus in Germania Lutherus, nullus in Gallia Calvinus, Remp. turbaviffet: nulli in Belgio errores; non ita variæ difcrepantesque in Britannia hodie fententiæ forent: fi unus in Ecclefia Sacerdos, qui vice Chrifti fungeretur, agnitus fuiffet, eique omnes paruiffent. Rupto hoc aggere, qui munit Ecclefiam: innumeræ velut agmine facto, enatæ hærefes, errores infiniti, fchifmata maxima: quæ fopiri, aut componi, ideo non poffunt; quia perduelles, & paradoxi homines, rejecto Sacerdotis imperio, & fenfu fæculorum, federe ipfi pro tribunali volunt, & controverfa decidere. quo nunquam orbis vidit immanius crimen, aut factionis majus Seminarium.

HÆRESUM ET ERRORUM OMNIUM ORIGO.

Cypr Ep. 55. ad Cornelium Papam.

XI.

Britanni igitur hoc primo fæculo fecerunt optimè: cum Chriftum amplexi, & myftico ejus corpori fefe mifcentes; Capiti imprimis reverentiam & obfequium præftiterunt: ab ore illo ritus, & facra petierunt: ejus imperio fe fuaque permiferunt. Hac enim ratione, eorum Fides femel fufcepta *ufque in tempora Diocletiani Principis Inviolata integraq;* manfit, ut Beda teftatur. nunquam ita manfura: fi quot capita, tot imperia fuiffent, aut fi non interrogaffent ob unum; quod femel pro Chrifto loquutum, hanc prærogativam meruit. *Rogavi pro te, ut non deficiat Fides tua: & tu aliquando converfus confirma fratres tuos.* Confirmavit Petrus Britannos, cum Fidei myfteria, vel in Infula docuit, vel Romæ explicuit, vel per fucceffores, & ab eâ fede Legatos, Infulæ porrexit. Denique Britannia nunquam in Fidem peccavit, quamdiu à Romana Sede petivit oracula. Juvat meminiffe; cum Lucius Rex Chriftum doceri voluit, Eleutherium confuluit Romanum Pontificem anno centefimo octogefimo fecundo. Cum Pelagius femel iterumque patriam infeciffet perverfo dogmate; Cæleftinus Papa occurrit, anno quadringentefimo vigefimo nono. legavitque Germanum & alios, qui hærefim jugularunt. Cum Saxo pofteriùs Fidem ferè extinxiffet; Magnus Gregorius è Romano cælo, per Auguftinum fociosque lucem prætendit fub finem fexti fæculi. Inde cùm paulò poft Occidentis provinciæ, eadem opera in Britannia indigerent, Honorius Papa Birinum Sanctum mifit, Fidei in illo Occidente Doctorem & Apoftolum. Si porrò in Septentrionem pergo; & vel Caledonios, vel Pictos, vel demum Scotos invifo: ubique video Romana manu corruiffe idola, jactamque Chriftianæ fidei ac pietatis fementem. Ita Evangelicæ lucis radii, per quatuordecim fæcula, à Romano fole in hanc Infulam illuftriffimè defcenderunt: donec novum in Britannia cælum, novus orbis, nova fynagoga; è nefcio quibus amoribus furrexit in Petram, turbavitque omnia, antiquos ritus, mores, Fidem. Tunc defectu foliti fanctique influxus, ex immani Echlipfi, quæ Britanniam texit, obfcuravitque, enatæ nubes, confufæ mentes, idola plurima. Denique non plures in Oceano fluctus; aut diverfæ magis & variantes undæ, nec monftra inibi magis deformia; quam fidei partus, quos genuit Britannia, poftquam Romano foli fe fubduxit. Rem fcribo teftatiffimam: agnofcunt id factiofi, infiniti errores clamant. Nihil denique certius, quam adulterato Dei verbo, & fenfu pro cujufque libidine proftituto; veluti aperto nudatoque ovili, non effe poffe unum ovile, & paftorem unum. addo nec unam aut conftantem Fidem.

Beda hiftor. l. 1. c. 4.

Luc. 22. 32.

XII. ECCLESIÆ SACRA ET RITUS.

Infpecta foris Ecclefia probatoque ejus Capite; luftremus illam intus, ritus ibi & facra contemplemur. nam inde etiam primitivæ Fidei veritas puritasque; inde genuina Chrifti Ecclefia cognofcitur. Judæorum Synagogâ cum Chrifto fepultâ, & antiquatis Mofaicæ legis cæremoniis: non fecùs ac præteritâ nocte, Evangelici fplendoris aurora fucceffit. Hinc illuftriora facra, fanctiores ritus; quia Trinitatis myfterium auguftiùs innotuit: & quia fucceffit umbris, rerum veritas. Quod imprimis in Ecclefia fpectatur, eft unius trinique Dei cultus. In eum finem, tituli, & templa hoc primo fæculo furrexerunt, in eum finem ornata altaria, confecratæ ædes, & facra ritusque fanciuntur. Sed quænam illa? Dico, quod fummum eft in genere divini cultus: hoc à fidelibus Britannis, Deo præftitum. Cum ergo in eo genere Sacrificium cenfeatur fummum: Britannos eo Deum coluiffe certiffimum eft. Etenim qui vel templorum originem, primamque inftitutionem penitùs contemplatur; facilè perfpiciet, ideo illa conftrui folita, quia facrificii majeftatem illa decebant. In lege naturæ, *obtulit Cain de fructibus terræ munera Domino: Abel quoque obtulit de primogenitis gregis fui*, priùs quam templum effet. fed & *ædificavit Moyfes altare Domino, docuitq; facrificii ritum: & multa poft fæcula, David Rex ædificavit altare Domino, in area Ornam Iebufæi, obtulitq; holocaufta & pacifica:* cum nullum ibi adhuc templi fundamentum extaret. Templa ergo facrificiorum majeftati fervierunt; quo populus ad vota precesque conveniens, ab omni cælorum injuria tectus, & unitus effet. Altaria multò magis fanctiusque, facrificio famulantur, ut patet ex ipfa nominis notione. θυσιαστήριον Græcum, & Hebræum מִזְבֵּחַ fine θυσία & זֶבַח hoc eft, fine facrificio, nec efferri, nec intelligi, nec concipi poffunt. E Britannorum ergo templis, & altaribus, quæ omni Chriftiano tempore fuerunt, facrificium concluditur. Cumque naturalis, & Mofaica Lex,

BRITANNORUM NORUM SACRIFICIUM PROBATUR.

Genef. 4. 4.

Exod. 17. 15.

1. Paral. 21.

hoe

hoc summo religionis cultu Deum adoraverit: Cum Deus etiam Sacrificiorum ritus dictaverit: supinæ stupiditatis est, Legi gratiæ, hoc testimonium religionis illum denegare. nunc qualis ille fuerit contemplemur.

XIII. QUALE ILLUD?

Quod Petrum, & Apostolos alios Christus jussit in ultima cœna facere: hoc ipsum Petrus Britannos docuit: nimirum panem in Christi corpus, & vinum in ejus sanguinem, sanctissimis & operatoriis Christi verbis consecrare: & consecratum Deo Patri offerre: quo cruenti sacrificii, (quod semel in Cruce oblatum) perennis memoria fructusque in omnes ætates descenderet. Hoc est Danielis *Hachamid* & juge sacrificium. Hoc Malachiæ *Migechah Tehorah, oblatio munda*: quæ in omni loco offerri debebat: cum Christi nomen, ab ortu Solis, usque ad occasum gentibus innotuit. Jam Christi nomen Britanniæ innotuerat: Jam Petrus in Occidentem, Dei monitu, descenderat; & ad Tamesim fluvium altare erexerat, quod maligni spiritus horruerant. Et ne altaris ministri in æternum deessent, Sacerdotes ad sacrificium consecrarat. Quo ritu, quibus cæremoniis, hoc sacrificium confici, celebrari, & offerri debebat, Apostolorum industriæ commendatum; eo tempore, quo Christus à mortuis resurgens, Discipulis apparuit *per dies quadraginta, loquens de regno Dei*. (*Actor. 1.*) Cæterùm Apostuli, servatâ religiosè sacrificii substantiâ, quam Christus instituerat, solus omnium Sacramentorum author & institutor: Sacrificii Sacramentorumque circumstantias, non uno, sed pro locorum, personarum, temporum differentia diverso modo sanciverunt. Et curiosa mens avebit scire, qui ritus in Britannorum Sacrificio usurpati.

XIV.

Dixi suprà, cum Druidarum sacra exponerem, Britannos Gallosque in rituum & cærimoniarum federe similes fuisse, & ubique eodem ferè modo, religiosos. Id multò faciliùs opinandum; cum utraque provincia, ad Christianam Fidem, uno Petro docente conversa, ab unius ore pependit. Tunc enim quod Petrus edixit; utrobique servatum. Eo ad cælum vocato, cùm Sacrifici ritus, unà cum Fidei augmento incrementa cepisset: variique per orbem essent: verebatur Britannia à Petri doctrina, traditisque ab eo ritibus, vel paululùm divertere. Ideo sub finem hujus sæculi, ad Clementem Petri successorem, Britannia legationem ornavit, misitque, quæ usitatas in Insula preces, & publici Sacrificii formam, qua Galli etiam utebantur, in Urbem deferret, à Petri Sede approbandam. Ita refert vetus Manuscriptum apud authorem orthodoxum. Summa Legationis erat; velle Britanniam, dictatum probatumque à Romana Sede ritum, non alium sequi. Et Clemens benignè aurem porrigens, laudavit, probavitque quam miserant Sacrificii formam, & illam permisit Insulæ. Sed quænam illa? nam variæ per Orbem Ecclesiæ, & differentes aliquando ritus. Cæterùm Apostolos frequenter imo quotidie Sacrificium obtulisse, luculenter probat Andreæ vox illa, quam ejus Discipuli, è morientis ore exceperunt. *Ego omnipotenti Deo Agnum immaculatum, quotidie Sacrifico. Qui cum sit verè sacrificatus, & verè à populo carnes ejus manducata: integer perseverat, & vivus.* meminit hujus vocis Lanfrancus Cantuariensis, & eâ Berengarii inscitiam retundit. Jacobus Hierosolymorum Episcopus Ecclesiæ & Orienti conceptas preces

ROMA PETUNTUR SACRIFICII RITUS.

Protest. histo. Eccl.

L. passio. S. Andreæ.

Lanfrancus l. de Eucha. Sacram.

modum sacrificandi reliquit: cujus meminit ante mille annos Proclus Constantinopolitanus Episcopus, & Trullana Synodus. Idem pro Occidente Petrus præstitit: & eum sequutus Marcus Evangelista liturgiam composuit, transmisitque ad posteros. Paulus etiam Gentium Doctor, accepit à Domino, quod & tradidit nobis, nimirum sacrificandi ritum, conficiendi, dispensandi corporis Christi. Hos ritus, has preces auctiores fecere postmodum Apostolicæ pietatis æmuli & hæredes, quæ passim extant. Restat videndum quid Clemens probaverit, & Britannorum Ecclesiis indulserit.

XV. PETRI MISSA IN BRITANNIA STABILITUR.

Dico igitur Petri liturgiam, quæ in magna Patrum Bibliotheca, Missa Petri, dicitur; è Britannia emissam, eoque à Clemente remissam, probatam, & permissam esse. Hoc è multis ostendi potest. Imprimis Britannorum Ecclesiæ, à Petro fundatæ, à Petro doctæ, omni post Apostolos ævo, in nomen Petri concesserunt. Ita Gildas author antiquus, Magno Gregorio prior; eoque testis integer; Britannorum Ecclesias, *Petri Sedem* vocat iis verbis, quæ in Clerum stringit: *Britannia habet Sacerdotes, &c. rarò sacrificantes, ac rarò puro corde inter altaria stantes, &c. Sedem Petri Apostoli immundis pedibus usurpantes.* Unde non solùm Insulæ antiquum sacrificium, sed ritum illud offerendi, à Petro fluxisse, deduco. Iterum Clemens qui Britannorum sacra dicitur approbasse, cum Petri discipulus fuerit, ab eoque ordinatus, sine dubio Magistri Doctorisque sui authoritatem sequutus; quod ab eo accepit, tradidit Ecclesiis. Certè Clementem Petri discipulum fuisse, & Liturgiam Ecclesiæ reliquisse testatur Proclus: *Permulti*, inquit, *ex eorum numero, qui Sanctis Apostolis successerunt, Pastores & Doctores Ecclesiæ, pietate insignes, mystica Liturgia expositionem in scriptis relictam, Ecclesiæ tradiderunt. Inter hos autem facilè primum locum obtinet Beatus ille Clemens, qui Apostolorum Principis discipulus, & ejusdem successor, ab ipsis Sanctis Apostolis declaratus fuit.* Cæterùm Liturgiam Clementis, quam Ecclesiis porrexit: quæque Galliæ & Britanniæ communis fuit, à Petro descendisse, affirmat constans Occidentis Traditio, de qua Cæsar Baronius: *Traditio est*, inquit, *Clementem Romanum Pontificem, quem acceperat à S. Petro ritum offerendi Sacrificium; Missam nempè ipsam; Romana Ecclesia, scriptis consignatam reliquisse.* Ita ille, qui paulo inferiùs satis insinuat eundem ritum Britannis à Clemente præscriptum, dum ait: *Quæ Latinis, universæq; Occidentali Ecclesiæ præscripta est sacra Missæ forma,, quibusdam exceptis, quæ sunt addita vel mutata: non tantùm ab ipso Clemente, sed ab ipso Apostolorum Principe Petro sibi vendicat antiqua Traditio.* Et longè priùs S. Isidorus, Hispalensis Episcopus; Petri Missam toti Occidenti communem fuisse, testatur his verbis: *Ordo Missæ vel orationum, quibus oblata Deo sacrificia consecrantur; primum à S. Petro est institutum; cujus celebrationem, uno eodemq; modo universus peragit orbis.* Dic ergo Britannos ab ipso exordio nascentis Fidei, in ipsa Ecclesiæ infantia, à Petro sacrificium doctos, eo modo illud celebrasse, quem ipse dictaverat, & quia tractu temporis variatio timebatur: noluit Insula alium ritum, quem Petri successor Clemens non probasset. Et ideo ad eum missa Legatio.

Proclus de Tradit. divina Liturg.

Baron an. 102. 23.

Isido. l. 2. de offic. de Missa.

XVI. RITUUM VARIETAS

Quòd brevior initio, & postmodùm auctior Missa fuerit: Quòd Oriens unos, Occidens alios ritus servaverit: nihil id ad Sacrificii substantiam;

NON TOLLIT SACRIFICII UNITATEM.

quæ integra fuit, cum Christus in Cæna consecravit panem & vinum, deditque Discipulis suis. Hoc ipsum Petrus & alii Apostoli, ut jussi sunt, imitati, præmiserunt aliqua; hi plura, illi pauciora; quæ Sacrificii majestatem decebant. Jacobus & Oriens prolixiùs orabant: Petrus, & cum eo Occidens, paulò contractiùs. Quod Alcuinus noster ante annos octingentos observavit, ubi ait: *Missam Petrus Apostolus, primus omnium, Antiochiæ dicitur celebrasse. In qua tres tantummodò orationes, in initio Fidei proferebantur, incipiendo ab eo loco ubi dicitur. Hanc igitur oblationem.* Et vel hinc videre est Romanæ Ecclesiæ Fideique constantiam: quæ Petrum sequuta, longè paucioribus, quàm Orientalis Ecclesia, Sacrificium absolvit. Cæterùm utrobique panis & vinum à Sacerdote benedicta, ipsissimis Christi verbis, in veram Christi carnem, & verum ejus sanguinem transeunt: utrobique Sacramentum populo adorandum proponitur; utrobique Sanctorum invocatio, utrobique mortuorum suffragia, mirabili consensu, planè significant Sacrificii unitatem. Et quoniam hodie Occidentis provinciæ aliquot, in mortuorum suffragia recalcitrant: & vel ideo Sacrificium nauseant. Videsis Orientis sensum, quem primis etiam sæculis habuit, ut eo argumento, quæ diximus confirmentur,

Alcuin. de Divin. offic. c. 40.

XVII. *Missa Iacobi.* MORTUORUM SUFFRAGIA IN MISSA PETUNTUR.

Jacobus Apostolus in Missa ita dicebat: *Memento Domine Deus noster spirituum & universæ carnis, quorum memoriam egimus, & quorum non egimus, orthodoxorum, & rectè de Fide sententium, ab Abel Iusto usque ad hodiernum diem. Fac eos requiescere in regione viventium, in regno tuo, in deliciis paradisi.* Ita ibi. Cyrillus qui in eadem sede post Jacobum sedit Episcopus: in Catechesi Mystagogica in hunc modum Jacobi Liturgiam explicat: *Deinde,* inquit, *pro defunctis Sanctis Patribus & Episcopis, denique pro omnibus oramus, qui inter nos vita functi sunt; maximum esse credentes animarum juvamen, pro quibus offertur obsecratio, sancti illius ac tremendi, quod in altari positum est, Sacrificii. Quod exemplo vobis demonstrare volumus. Scio enim multos dicere: Quid juvat animam in peccatis, ex hoc mundo decedentem: etiamsi in hoc Sacrificio mentio illius fiat? An enim, si Rex aliquis, eos à quibus offensus est, in exilium pepulerit: postea verò illorum propinqui coronam aliquam conficientes, pro his qui sunt in supplicio exulibus, eidem offerrent: nonne condonationem aliquam suppliciorum ipsis dederit? Ad eundem modum & nos, pro defunctis precationes adhibentes, quamvis sint peccatores, non quidem Coronam plectimus, sed Christum pro nostris peccatis mactatum offerimus: ut & nobis, & illis, eum qui est benignissimus, propitium reddamus.* Magnus etiam Dionysius in Ecclesiastica Hierarchia satis innuit: precandi morem pro defunctis ab Apostolis descendere; & preces explicans, ait: *Precatur oratio divinam bonitatem, ut cuncta dimittat per infirmitatem humanam admissa peccata defuncto: eumq; in luce statuat, & regione vivorum.* Habes hic Jacobi, Cyrilli, Dionysii, & Orientis mentem, de suffragiis mortuorum; quæ nihil ab Occidentis Fide differt; si paucos eximis, antiquæ & Apostolicæ Fidei, hoc est, Orientis & Occidentis inimicos: qui Romanam Ecclesiam calumniantur, quod Sanctorum invocationem, preces pro mortuis, & Purgatorium doceat. Quæ certum est, in omnem terram, per Apostolorum sonum exiisse: & denique in fines Orbis terræ (Britanniam) penetrasse. Nec enim res tanti ponderis, novi & incruenti Sacrificii religio, altarium splendor, & cultus, templorum majestas, Sanctorum veneratio, vota pro defunctis, aut furto in Ecclesiam irrepsisse, aut mendacio tamdiu constitisse, aut errore vires cepisse credendum: tacentibus omnibus; imò doctissimis sanctissimisque viris per quindecim sæcula applaudentibus. Nec miror de applausu: quia ante annos octingentos, Ætherius Uxamensis Episcopus, & Beatus Presbyter, viri suo sæculo doctissimi, ita in Elipandum hæreticum scripsere. *Sacrificium pro defunctorum fidelium requie offerre, vel pro eis orare; ab Apostolis traditum est. Hoc enim ubique Catholica tenet Ecclesia, per totum Orbem terrarum constituta. Sicut à S. Augustino in libro Enchiridii scribitur: defunctorum animas sine dubio pietate suorum viventium relevari; cum pro illis Sacrificium offertur, vel eleemosynæ fiunt.*

Cyril. Catec. myst. 5.

Dionys. Eccl. Hierarch. c. 7. p. 3.

In M. Biblioth. to. 8. fo. 355.

XVIII. JUDÆI CONVERSIO CHRISTIANORUM SACRIFICIO CONVICTI.

Claudo Contemplationem hanc, illustri argumento, quo Judæus quidam convictus ante annos ducentos, convincere conatus est contribules suos. Hic visis Scripturarum apertis oraculis. Lectis quoque Rabbinorum Commentariis, Messiam venisse omnino credidit: cum ob alia, tum quia, novâ lege exortâ, novum admirandumque cum ea oriri debuit Sacrificium, non in hircorum, aut taurorum sanguine; non in uno faciendum regno, aut loco: Sed juxta Malachiam, *Oblatio munda in omni loco offerenda.* Quod cum in Romanæ Ecclesia impletum remeret: relicta Judæorum Synagoga, Christianis accessit: dictus à baptismo *Hieronymus à Sancta Fide.* Inde conatus populares suos eodem trahere, ita scripsit. *De Sacrificio panis & vini, habetur in Bereseit Rabba, à Rabbi Moyse prædicatore super illud* * *Genesis: Melchisedec Rex Salem obtulit panem & vinum. Erat enim Sacerdos Dei summi. Dixit Rabbi filius Enachinam. Iste Melchisedec erat Sem filius Noe. Sed quid vult dicere: proferens panem & vinum? ostendit, quod docuit eum Sacrificii altum, qui erat, panem & vinum sacrificare. Et hoc est, quod habetur in Psalmis. Iuravit Dominus & non pænitebit eum: Tu es Sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedec. Quis est iste? Ille est Rex Messias, de quo scriptum est: Ecce Rex tuus venit tibi justus & Salvator. In hoc quod dicit proferens panem, & vinum correspondet ei quod habetur in Psalmo. Erit placentula panis, in summis montium. Et in Chaldaica translatione habetur. Erit Sacrificium panis in terra in capite montium Synagogæ.* Cum hæc ex antiquorum Rabbinorum authoritate retulisset: exinde in Judæos doctissimè disputat in hunc modum. *Qui cæcus non est, videre potest, quod clarè hæc authoritas probat nostram intentionem: & præsertim in declaratione, quam Chaldaica interpretatio facit super textum. In diversis etiam partibus hujus tractatus diximus, qualiter Iudæi affirmant, quod Psalmus ille: Deus judicium tuum Regi da: omnia loquitur de Messia. Nónne igitur, ubi dicit: Firmamentum erit in terra, in summis montium: & translatio Chaldaica dicit: quod Messias ille fiet Sacrificium panis in terra, in capite montium Synagogæ: montes Synagogæ, Sacerdotes Ecclesiæ sunt: qui de facto cunctis diebus Messiam elevant super capita sua. Et hoc est ita clarum, quod minimè potest negari; nisi ab illis, quibus venit maledictio Isaiæ: ut oculis & corde cæci fiant: quos Deus illuminare dignetur.* Hæc omnia Hieronymus Fidelis. quæ Britannorum Sacrificium confirmant, ritumque offerendi.

Malach. 1.

Hieron. à Sancta Fide l. 1. cont. Iuda. c. 9. in M. Biblio. to 14.

* *Genes. 14.*

Psal. 109.

Zachar. 9.

Psal. 71.

XIX. INFIDELES

Suprà vidi structa à Britannis templa, ornataque altaria, Sacrificio serviisse. nunc id hujus & sequentium sæculorum authoritate firmandum:

CHRISTIANORUM SACRIFICIUM PERSEQUUNTUR.

† DOMINICUM PRIMIS SÆCULIS QUID SIGNIFICET.

* *Baronius to. 2. an. 303. n. 49.*

quærendumque qui Sacrificio templisque faverint; quique irati Christianorum sacris, illa aversati. In Christianorum itaque Sacrificio unum eminet, Sacramentum corporis Christi, & sanguinis ejus: ab eoque Sacrificium hocce †DOMINICUM antiquitas appellavit: quia corpore & sanguine Domini nostro litabatur in Conventu, in Collecta, in Synaxi: quod hodierna dialectus in Missa diceret, quod primis his sæculis erat Dominicum. Patet ex actis Proconsularibus Sanctorum Martyrum quæ recitat * Baronius. Ibi: *Emeritus Martyr, à Proconsule rogatus, Sancto Spiritu inundatus: in domo mea*, inquit, *egimus Dominicum.* Et Sanctus Felix à Judice postulatus, si Christianorum sacris adfuisset respondit: *Quasi Christianus sine Dominico esse possit: aut Dominicum sine Christiano celebrari. An nescis, Satana, in Dominico Christianum; & in Christiano Dominicum constitutum: ut nec alterum sine altero valeat esse?* Felicem sequitur Ampelius Martyr. Hic quærenti Annullino, an in Collecta fuisset: *Hilaris atque securus alacri voce respondit: Cum fratribus feci Collectam, Dominicum celebravi.* Denique junior Felix: Spem salutemque Christianorum, Dominicum esse proclamans, cum similiter ipse fustibus cæderetur. *Ego*, inquit, *devota mente Dominicum celebravi; quia Christianus sum.* Vide Lector illius sæculi Fidem & Britannorum inde metire. Christiani erant hoc primo sæculo, & sine Dominico, sine Sacrificio, sine Missa esse non poterant. Vide etiam Diocletiani, & Maximiani, & aliarum inferi portarum odium in Dominicum, in Christianorum sacra, in Missæ Sacrificium. Ama Martyrum Fidem & constantiam; fuge Hæreticorum perfidiam.

XX. DOMINICUM QUARTO SÆCULO TEMPLUM SIGNIFICAT.

* *Euseb. de laud. Constantini.*

Cum fides Christi incrementum cepisset; & templa per orbem angustiora surgerent: jussit Magnus Constantinus, à Deo monitus doctusque, ipsa templa DOMINICA appellari. Testatur id Eusebius in laudibus Constantini: * *Vnde*, inquit ipse, *templa quæ Deo consecrata erant, Domini nomen obtinuerunt. Quod nomen non ex hominibus, sed ex ipso omnium Domino, illis fuit impositum: & propterea DOMINICA sunt appellata.* Hæc Eusebius. hinc Orientales populi vocem illam vernaculè exprimentes, templa omnia κυριακὰ vocaverunt. Quam vocem Occidentis provinciæ paululùm contrahentes, ædes sacras per Kyrken, & Angli duriusculè per Church efferunt. Observavit hoc ante annos octingentos Walafridus Strabo libro de rebus Ecclesiasticis, capite 7. Ita vides omnia sæcula, pulcherrimo ordine, & constanti Fide, in idem conspirare. Voces, & verba, quæ olim, quæ nunc, templa significant, Altaria loqui & Sacrificium, imo ipsam Dominici corporis veritatem. Et illi sine dubio aerem feriunt omnibus argumentis, qui è Christianorum Rep. & Britannorum Ecclesiis, aut Altaria tollere, aut Sacrificium ab Altari separare contendunt: Ad quid enim illud Sancti Chrysostomi: *Britannicæ Insulæ*, inquit, *virtutem verbi senserunt. Sunt enim ibi fundatæ Ecclesiæ, & erecta Altaria*: nisi Sacrificium quoque unà cum Christiana Fide, in Britanniam venisse dixerimus? præsertim cum Gildas hæc Britannorum Altaria, *Sacrosancta vocet, & talestia Sacrificii sedem.* Quo etiam modo altare definivit Optatus Milevitanus, Gilda antiquior: *Quid est enim altare*, inquit ipse, *nisi sedes & corporis & sanguinis Christi?* Hæc ergo altaria, hoc Sacrificium dudum Britanni habuerunt, & in ipsa Fidei aurora. Nè autem in ritu aliquo in Romana Ecclesia exerrarent, sub finem primi sæculi, à Clemente Papa, doceri petiverunt Sacrificii ritus: eo planè modo, quo sequenti sæculo Lucius Rex ab Eleutherio postulavit, *ut Christianus efficeretur*, inquit Beda. Ita constantissimum in illam sedem obsequium professa est Insula, multoque argumento probavit.

Strabo de Reb. Eccl. c. 7.

Chrysost. hom. contra Gentil. to. 5.

Gildas de excid.

Optat. l. 6. contra Parmen.

XXI.

Alcuin. de Divinis offic. c. 40.

Asserto Britannorum Sacrificio, habes veritatem corporis & sanguinis Christi, adorandamque majestatem hostiæ. Habes etiam, præter verba Christi, antiquum Apostolorum Canonem, quem Alcuinus noster commentans dicit in eo orari, *Vt panis per se irrationalis, ab omnipotenti Deo consecratus, rationalis fiat transeundo in corpus filii ejus.* Quod fieri sine Transubstantiationis mysterio nequit. Non ergo opus his multùm immorari, aut pluribus persuadere Britannos credidisse, corporis Christi in Sacramento veritatem. Admisso enim Christianos & fideles fuisse: sine dubio dicenti Christo inclinabant sensus, & captivabant intellectum in obsequium Fidei. non ut ille, qui nuper de Sacramento hoc tractaturus, appellavit ab omni antiquitatis reverentia, ad Tertulliani caput *de quinque sensibus.* & inquit: *Hoc ergo non aliud probare debemus; quàm panem esse panem: & vinum esse vinum, quod quidem sensu communi definiri posset. Sed quia cum iis agendum est, qui sensu non ducuntur, amandabimus illos ad Tertulliani caput de quinque sensibus.* Quod cum legerem occurrebat mihi quod olim dicebat Arbiter: *Vniversus mundus exercet histrioniam*: adeo etiam in rebus seriis luditur. Occurrebat etiam illud Sancti Augustini: *In homine carnali tota regula intelligendi, est consuetudo cernendi. Quod solent videre, credunt; quod non solent, non credunt.* Quid? Ergo dum de altissimis fidei mysteriis agitur, metienda sunt illa quinque sensibus: & post explosos Patres, post adulteratas sacras paginas: post elusa omnium sæculorum suffragia: ad quinque sensuum adminicula fugiendum? illis demum, nec alio possumus credenda definire? Apage hoc modernæ fidei vitium, quod nescit altiùs surgere. sed humi repens adorat solùm lenocinia oculorum. Benè de his S. Judas: *Hi quæcumque ignorant, blasphemant: quæcumque autem naturaliter tanquam muta animalia norunt, in his corrumpuntur.* Corrumpi enimvero necesse est eos qui omne Sacrosanctum exponunt ludibrio sensuum: & cælos, Angelos, Fidem, Deum; non dico intellectus nostri angustiis, sed vilioribus humanæ naturæ instrumentis, circumscribunt. Quanto sanctiùs canit Romana Ecclesia & ad Fidei naturam propiùs:

Vsser. in Respons. de reali præsen.

FIDEI MYSTERIA QUINQUE SENSIBUS METIRI NON DEBEMUS.

August. serm. 147. de temp.

Iud. 1. 10.

Tantum ergo Sacramentum
Veneremur cernui
Et antiquum documentum
Novo cedat ritui
Præstet Fides supplementum
Sensuum defectui.

Enimvero si ullum est rerum credendarum divinum & elegans compendium: nullum sanè hoc divinius, nullum quod magis singulariter mereatur dici *mysterium Fidei*: & ludere hic cum quinque sensibus, non est sensati, sed hominis sensibus immersi: quia Patres omnes, quid dico Patres? ipsa Fidei natura, jubet, cum de Fide agitur, ad sensuum arbitrium minimè provocandum. Saniùs dixit fecitque infidelis ille, qui in altero orbe, vix audito Christi nomine, collegit

luculentiore argumento hujuſce rei veritatem: quod ut evenerit non gravabor hoc loco in Proteſtantium gratiam referre.

XXII. SINENSIS PRINCIPIS AD FIDEM CONVERSIO. *Nicolaus Trigaultius.*

Contigit non ita pridem, è remotiſſimâ Sinarum Regione venire quempiam, mihi tum ejuſdem inſtituti Societate, tum aliis de cauſis familiarem. Sciſcitatus ſum plura de Sinis, de moribus gentis, de cæli terræque naturâ; denique & imprimis, de hominum indole, & affectu ad numen unum. Et ille omnia doctus, pulcherrimè ſatisfecit: ſcripto poſtmodum ſuper his Commentario celebris. Inter cætera, inſignem ut mihi videbatur Sinenſis cujuſdam ad Deum, & Fidem Chriſti converſionem, ita ferè narravit. Vir erat inter ſuos Princeps, ſummo in eo loco Magiſtratu fungens (Mandarinum vocant.) Hunc aggreſſus quidam è Societate religioſus vir; ſuaviter conatus eſt, ad Chriſti jugum pellicere. Sed primis congreſſibus, non aliud à Principe impetratum quàm aurium ejus patientia, Sacramenta quidem Chriſtianæ Fidei placebant in cortice: ſed penitiùs ad illa deſcendere, non erat negotioſi hominis, & publicis rebus impediti. Inſtabat alter: quærendum eſſe otium, pro ſummo negotio: aliàs periclitari poſſe totum hominem. Quid plura? Vicit tandem: ſequutusque eſt Principem in agrum ſuburbanum. Ibi dum Fidei myſteria latiùs explicantur: non aliud magis torquebat infidelem, & ferè avertebat à Fide, quàm Deihominis crucifixio. Quid? Deum immortalem, Numen illud infinitum, & infinitè potens (facilè unius Numinis perſuaſio Sinas tenet) Deum, inquit, miſerias pati, ad Crucis ludibria deſcendere? & denique mori? hoc majus eſt humano intellectu, Et ſine me, Pater, de Deo meliùs, ſanctiusque ſentire. Tum ille, è re nata commodè diſſeruit. Deum quidem infinitum eſſe: & quod inde neceſſariò ſequitur, infinitè potentem, atque beatum. Denique ſi divina ſolùm ſpectes, miſeriis nullis obnoxium. Verùm infinitè quoque amans eſt humani generis: nam quicquid eſt in illo numine, nulla lege terminóve definitur. Amor ergo in humanum genus, qui Deum ad hominis creationem rapuit, rapuit etiam ad ſuæ Creaturæ redemptionem, perfectionem, atque ſalutem. Et ſi hic amor Deum quaſi extra ſe, aut infra ſe rapuit, noli id mirari, vir illuſtriſſime, quia infinitus eſt, & intellectu tuo major. Si enim tu cernere poſſes abyſſum divini amoris, & illum bonitatis Oceanum colligere ad mentis tuæ anguſtias; en minor Deus, nec infinitus eſſet. Victus hic infidelis Princeps, cum aliud nihil eſſet, quod in Chriſtiana Fide diſpliceret, aut arduum videretur; Baptiſmum enixè petiit. Cui alter: Plures ſunt, inquit, nodi in Chriſtiana Fide, qui priùs explicari, enodari, credique debent, quàm novæ militiæ cingulum tradatur: Et ille non eſt poſtremus; quo credimus, hunc Deum-hominem, infinitè nos amantem, reliquiſſe nobis, in amoris ſui argumentum, ſub panis & vini ſpecie, veram carnem & ſanguinem ſuum. Et dum plura pergit in rem illam: interceſſit Princeps: Et, hoccine myſterium, inquit, tu vocas nodum difficilem: mihi certè non ita videtur. Qui enim hominum cauſa, hominem induere, mortem, miſerias, & extrema pati voluit: nihil mirum ſi amet eſſe cum homine, in peregrina ſpecie, miſeriis non obnoxius.

XXIII. APOSTROPHE AD ANGLIAM.

Cùm hæc de Sinenſi Principe audiviſſem, miſertus patriæ, horrebam ad illam Chriſti vocem: *Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus.* (*Matth. 21.*) Quis enim non timeret, id factum modo, qui cernit in remotiſſimo Oriente, tam uberem Fidei fructum, Principes viros, vix audito Chriſti nomine, captivantes omnem ſenſum, imo intellectum, in obſequium Fidei: cum interim in Chriſtianiſſimâ olim Inſulâ invenire liceat homines, qui non percipientes ea quæ Dei ſunt, quinque ſenſibus proſtituunt omnia. Sed ſurge Anglia quæ humi jaces: imitare ſaltem infidelem hunc Principem, ſi omnium ſæculorum ſenſum exuiſti Deum ingredere, & abyſſum bonitatis ejus. Vide quid Chriſtus fecerit, *cum dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo:* (*Ioannis 13.*) Et vide ut *in finem dilexerit eos.* Audi quæ dixerit in argumentum amoris ſui. Recumbe ſuper pectus ejus in cæna ultima. & dic, Chriſtum feciſſe, dixiſſe, amaſſe pluſquam humana infirmitas capere poteſt: aut Chriſtum non guſtaſti. Si introduxit te Rex in cellaria ſua: memor eſto uberum ejus ſuper vinum: ita recti diligunt eum. Ita nullum dilectionis ejus terminum; ſed novæ veluti Incarnationis exordium videbis. Ita demum in verborum ejus ſenſum, mentemque deſcendes: *Hoc eſt Corpus meum: Hic eſt Sanguis meus.* quæ nullum adumbrati, figuratique amoris, ſed ſummæ, divinæ, infinitæque dilectionis illuſtriſſimum argumentum ſunt. Si Sponſus in cellaria te non induxit, nec amoris ſui poculo potavit: inter Capharnaitas meritò cenſeberis, qui audita Corporis & Sanguinis mentione, ac ſumptione eorundem: dixerunt *Durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eum audire.* (QUINAM SACRAMENTI VERITATEM NEGAVERINT.) Inter hos incredulos, Judam etiam fuiſſe * Chryſoſtomus Sanctus inſinuat: cujus etiam farinæ Ebion fuit & ſequaces, negantes Chriſtianos antiquarum figurarum frui veritate. nunc tranſeo ad alia quæ Britannorum Fidem illuſtrant: ad ea potiſſimum capita controverſa, quæ novum hoc ſæculum, ad priorum invidiam, naſcenti Eccleſiæ, in hac Inſula, coæva, & ſemper à provincialibus credita finxit: priùs nimirùm quàm à Magno Gregorio, minor Auguſtinus mitteretur.

(* *Chryſoſt. in c. 5. Ioan.*)

XXIV.

Enimvero quoties orthodoxi paradoxos premunt, arguuntque violatæ fidei: toties illi ab Auguſtino, quem Gregorius in Britanniam miſit, & illius ſæculi Fide; ad antiquiorem Britannorum Eccleſiam provocant. Si quæris: quid à Gregorio & Auguſtino diverſum credidit Inſula? tria reſpondent. (TRIA CONTROVERSA.) Ritum celebrandi Paſchatis; Sacerdotum conjugia; nullum Romanæ Sedis principatum. Sed nodum in ſcirpo quærunt factioſi. Quod ubi oſtendero per quinque prima ſæcula: oſtendo, eâdem operâ, novam Babelem, in nupero ſchiſmate erectam, peſſimè materiatam, nullo niti fundamento. Oſtendo etiam, ſtupidiùs erraſſe eos, qui eo argumento contendunt Britannorum Fidem, non ex Urbe, non à Petro, & conſtantiſſima religionis Petra; ſed ex Oriente, ſcilicet, fluxiſſe. De ritu Paſchatis, nihil hoc primo ſæculo controverſum. (RITUS PASCHATIS CELEBRANDI QUALIS?) Petrus certè Romam & Occidentem docuit, illud in Dominica celebrare. & quicquid de Oriente ſit, nihil de quarta decima Occidens inaudiit. Quod Petrus Occidentem docuerit à Judæorum more recedere, teſtis eſt Beda: *Conſtat* (inquiens) *Apoſtolum Petrum, Romæ die Dominico Reſurrectionis Chriſti Paſcha celebraſſe. Conſtat hoc Evangeliſtam Marcum ab eo miſſum in Ægypto docuiſſe.* (*Beda Retract. ad Acta Apoſt. c. 20. 10. 6.*) Sed & diu ante Bedam, ſcripſit ad Leonem Papam Proterius Alexandrinæ Urbis Antiſtes: Ægyptios in feſto

Paſchatis,

Paschatis, docente Petro, suggerente Marco, cum Roma fuisse. *Oportebat*, inquit, *ut ab Alexandrinæ Ecclesiæ Præsule, talia scripta, ad Apostolicam Sedem mitterentur: quæ ostenderent, magisterio Beatissimi Petri Apostoli, hoc ab initio per Beatum Marcum, ejus discipulum didicisse Ægyptios, quod constat credidisse Romanos.* Quod Petrus in Ægypto fieri voluit: quod ipse Romæ præstitit in hoc solenni festo: Quis dubitat reliquum Occidentem idem excepisse, idem credidisse, atque fecisse. Nihil Britannis, cum Judæorum, aut Orientis more (qui tamen posteriùs tantummodò inolevit) commune. Et illi egregiè hallucinati sunt, qui sine teste dixerunt, Britanniam, ab Oriente doctam, inde rudimenta Fidei, & cum illo in festo Paschatis claudicasse, quod sequentium sæculorum contemplatione fiet magis manifestum.

Apud Bedam l. de Rat. temp. c. 42.

XXV. CONTINENTIA CLERICORUM.

Idem affirmandum de Continentia Clericorum. nam Nicolaitarum hæresis; quam Joannes in Apocalypsi execratur; nunquam Britanniam invasit: & nubes illa quæ Orientalem Ecclesiam aliquando obscuravit, posterior fuit. Enimverò calente adhuc Christi sanguine, animati fideles, omnia, uxores etiam, amore Christi, relinquere potiùs, quàm pietati compedes injicere satagebant. Porrò qui viderit *Apostolos vel Virgines, vel post nuptias continentes* fuisse, teste S. Hieronymo: qui adverti viros Apostolicos, ad orbis conversionem, excurrisse: qui denique castissimum hoc sæculum, & primitias spiritus contemplatus fuerit, facilè perspiciet, avitam illam & priscam integritatem ab hisce illecebris longè abhorruisse. Quod si in Britanniam descendo, & excutio illos, qui Fidem ibi primi prædicarunt: quis dicet illos, cum uxoribus in insulam navigasse, & molem illam carneam circumduxisse, quam Romani milites secum ducere vetabantur. ut suprà ostensum. Paulum Apostolum, Christi Fidem in Britannia primùm docuisse, ambitiosissimè cupiunt sectarii. docuitne ille, ordinatos in Clerum, uxores ducere? Certè non ita docuit Titum: sed contra: *Oportet*, inquit, *Episcopum, hospitalem, benignum, sobrium, justum, sanctum,* CONTINENTEM *esse.* quam ultimam vocem exponit S. Hieronymus, ut ab uxoris amplexibus debeat continere. Si Josephum ex Arimathiâ profectum, & socios interrogo, de re uxoriâ; muto quidem, sed modesto & eleganti silentio, dicent; se ideo in Britanniam venisse peregrè, ut Deo militantes, procul aliis amoribus essent. Et verò cum adversarii fateantur illos monasticæ vitæ normam sequutos; monstrum orationis esset, uxores illis conjungere: cum Philo Judæus, & Areopagita Dionysius, ejusdem sæculi authores, manifestè declarent, ipsum Monachorum nomen solitudinem dicere, & cavere maximè *consortium fœminarum.* ut suprà.

Hieron. ep. 50.

V. an. 49 2.

Ad Titum.

Hieron. in epist. ad Titum.

V. an. 64. 3.

XXVI.

TRIA VOTA, RELIGIOSI INSTITUTI SUBSTANTIA.

Castitatis consilium adeo placuit, & Clericis & laicis hujus sæculi: ut illud voto firmaverint viri, fœminæque. Unde supina oscitantia est, vel leviter suspicari, provinciarum primos Apostolos, vel nescisse Christi consilia; vel adeo illa contempsisse; ut induti Spiritu Sancto, donoque linguarum, ad animarum totius mundi procurationem; ad mundi carnisque lenocinia descenderint. Christus evangelicæ perfectionis compendium, in tribus posuerat, ad quæ nemo, nisi sua voluntate, teneretur. Quod si voluntas vellet accedere, votoque firmare sanctum propositum; tum demùm voluntarii sacrificii vinculo obnoxia esset: & manu semel aratro admota, minimè recedendum. Hinc religiosi instituti sanctitas. Hinc abnegare se, abnegare sua, & Christum sequi, hoc primo sæculo frequentissimum: ut Apostolorum Acta testantur. Nec infirmior sexus ad Christi vocem obsurduit. Fuerunt enim hac ætate Virgines, quæ Christi Fidem amplexæ, sine ullo virorum consortio integerrimè vixerunt; castitatis voto Christo conjunctæ. Et quia Deo plenæ, & Spiritu Sancto ejus, in magna fidelium veneratione, & sanctitatis opinione erant. Illas intellexit S. Ignatius ad Antiochenos scribens: *Virgines videant, cui se consecrarint.* & alibi. *Virgines custodi tanquam Sacramenta Christi.* & iterum: *Eas quæ in virginitate sunt, honorate sicut sacras Christi.* quod alia versio habet: *Eas quæ in Virginitate degunt, in pretio habete, velut Christi Sacerdotes.* nimirum quia Sacerdotum puritati accesserant, & proposito, votoque continendi.

Ignat. ep. 12
Idem ep. 13.
Idem ep. 7.

XXVII. E FÆMINARUM CASTITATE SACERDOTUM CASTITAS COLLIGITUR.

Si adumbratæ Sacerdotes, quibus nec loqui in Ecclesia licitum, & quæ procul altari erant, Castitatem vovebant: quid putandum fecisse eos, qui in Ecclesia Dei, verbum exponere; qui sacris operari, & juge Sacrificium offerre tenebantur? Dic ergo Britanniæ Sacerdotes, vel Virgines fuisse, vel post nuptias (quod in primis sæculis ob doctorum penuriam frequens) continentes. Dic etiam ex hujus sæculi castissima Christianorum vita, fluxisse utriusque sexus monasteria, quæ deinceps in Britannia floruerunt. Advertunt hoc & fatentur (quod miseris) qui monasteriis bellum induxerunt, Magdeburgenses: qui cum Ignatium accusassent, quod impensiùs Virginitatem extulisset, *Quæ res* (inquiunt) *occasio quædam, & iter fuit, ad ea quæ posterioribus temporibus, de claustris, & votis Monasticis superstructa sunt.* Quod sanè ad instituti sanctitatem facit. Quis enim laudaverit vitæ genus, aut dogma aliquod; cujus non est invenire, in primo sæculo, principium. Cæterùm illi maximæ impietatis arguendi sunt, qui dictatum à Christo, usurpatum ab Apostolis, probatum ab hoc sæculo institutum, nulla Scripturæ authoritate exploserunt, & sacras Deo Virgines, sponsas Christi, Luthero duce, prostituerunt: nisi mavis dicere peccasse graviùs, qui Sacerdotium matrimonio maculantes, quo tegant fœditatem suam, primam & castissimam ætatem devirginant: aiuntque Sacerdoti æquè ac laico nuptias licuisse. Nunc ultimum Sectariorum effugium, & primum omnis factionis Seminarium invisamus. Britanniam scilicet, nunquam primis sæculis Romanæ Sedis imperium agnovisse.

Cent. 2. fo. 65.

XXVIII. PRIMATUS ROMANÆ SEDIS AB OCCIDENTE ET BRITANNIA AGNITUS.

Dicunt ergo nuperæ factionis antesignani, Insulam ab Oriente doctam, Orienti pro Fidei beneficio debitricem; nullo modo Romano cælo, aut Sedi obnoxiam; & ideo Principatum illum nolunt agnoscere. Probant è sexto sæculo: quando Augustinus ex Urbe missus, voluit, sed non potuit, primatum asserere. Sed falluntur in omni apice quæstionis, ut suo loco probabitur. Interim dico Augustinum de primatu Romanæ Sedis nunquam tractasse, aut in quæstionem vocasse: quem Britanni semper admiserant. nec inde (esto tunc controversum fuerit) firmari potest moderna factio. nam Britannorum fidei primordia, è primo, non ex ultimo sæculo, metienda. Et nemo, nisi tenebrio, solis splendorem, auroram aut ortum ejus quærit in occasu. Cum Augustinus in Insulam descendit, Britannorum Resp. miserè jacuit, Saxonum cupiditati imperioque substrata; nec unquam infidele jugum potuit excutere. Quid

factum in illa temporum infelicitate; ad primordia Britannorum fidei impertinens est. frustrà etiam dissidium, Augustinum inter & Britannos; quod de ritibus solum erat; in pessimi schismatis patrocinium adfertur. Averto igitur oculos à Britannorum ruinâ, causisque ejus: quas tamen suo loco excutiam. priora contemplor: quæro, quis primo, quis altero, tertioque sæculo, Britannos Christiana Fide bearit? è quo cælo fusa oracula? Quis sacra porrexerit? quis Clerum ordinarit, distinxerit sedes, exercuerit imperium: nam inde sacrorum Principem, & Insulæ servitutem, manifesta deductione concludam. Si Orientem nominas, ut Sectarii faciunt factiosissimè. Cedo provinciam: cedo virum, qui docuerit; cedo sacra, quæ docta sint. Quod si alto silentio premis hæc rerum & circumstantiarum momenta maxima. Si Britanniæ Apostolus per quindecim sæcula in tenebris latuit, nec nominari quidem à Sectariis potest. Liceat nobis orthodoxis lustrare Occidentem, & Tertulliano monente, Italiam petere, & Romanum ibi Pontificem, pro Fidei beneficio adorare. Petrum, inquam; qui, factiosis fatentibus, Britannos in Urbe doctos, remisit in Insulam. Clementem quoque qui Britanniæ Legationem admisit, & sacra petentibus porrexit. His si addas Innocentii primi Romani Pontificis suffragium: Britannorum Ecclesiam à Petro & successoribus fundatam esse: *Manifestum, & nullo modo dubium* redditur, pro primo sæculo. Quod si in sequens sæculum descenderis; Lucium Regem ab Eleutherio, & Romanis doctum, baptizatumque erit luce meridiana clarius.

Tomo 2. ad annum 604.

XXIX. Factiosi arguuntur.

Cur ergo in Oriente tricantur institores nostri: & relicto fonte aquæ vivæ, fodiunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas? In promptu causa est. Ut peregrinas merces, & Britanniæ olim incognitas, honestiùs prostituant. Solent enim propolæ; cum vile aliquid, aut adulterinum vendunt, in viarum diverticula secedere, ibique in lucis & tenebrarum confinio, fucum, per verborum lenocinia, imperitis facere, ut cariùs nundinentur. Quòd si in publicum prodierint, & in lucem bonorum hominum; quasi detracta larva, viles merces sua se luce produnt. Ita ludunt in rebus sacris proxenetæ nostri; qui dudum καπηλεύοντες *cauponantes* verbum Dei: cum ideo omni Occidente exulassent læsæ fidei rei; peregrè fugiunt, in Orientem abeunt. Ibi nescio quem ritum Paschatis; nescio quod pallium libidinis, & inobedientiæ, græca fide mercantes, in patriam redeunt. nova, mira, mirabilia se referre in angulis tenebrisque gloriantes. Sed qui hoc hominum genus, in sæculorum lucem produxerit; facilè deprehendet, fluctuantis cerebri vitia, Fidei dogmata vocari: & ludibrio sunt merces, quæ fuco tegebantur. Si darem Britannos aliquando Orientis more, Pascha celebrasse: si darem Sacerdotes conjugio vacasse; & semel Romani Pontificis imperium respuisse. quàm stupidè inde colligitur, primos Britanniæ Doctores, ex Oriente prodiisse. Ita tamen stupent Magdeburgici: & quotquot illos sequuntur. Sed quid si Britanni, nunquam Orientis more Pascha celebrarunt; quid si Sacerdotes, à suscepto Sacerdotio, nunquam conjugati: nec si priùs conjugati, conjugio vacarunt à suscepto Sacerdotio? Quid si nunquam Romani Pontificis imperium Britannia respuit: nonne pudendo omnibus sæculis paradoxo, factionem suam, quam tueri conantur, dehonestant? Ita certè stupuisse adversarios, quinque sæcula percurrens ostendam. nunc pergo ad historiam: nam alia controversa, Deiparæ cultum, templorum sanctitatem, Crucis & sanctarum reliquiarum venerationem, abunde satis in Josepho asserta: sequentibus etiam sæculis, crescente Christianorum numero erunt illustriora.

2. Corint. 2.

ANNUS URBIS CONDITÆ 852.

ANNUS CHRISTI 101.

CLEMENTIS PAPÆ 9.

COELLI REGIS 23.

TRAIANI IMP. 2.

I. Polydo. l. 2. Status Insulæ sub initium secundi sæculi.

Britanniæ status hic erat, sub initium secundi sæculi. Sosio Senecione, & Cornelio Palma; Coss. Coëllus, Marii filius, regnabat in Insula satis feliciter: jamque, *juventutem quam Romæ faciendis stipendiis* (inquit Polydorus) *bonisque artibus exercuerat*, exegerat. Colebat cum Romano Imperio majestatem Urbis: & cives in officio & servitute continebat. Ita patriæ regnoque consultum, cum civis Principem, Princeps Urbem amant redamantque. Unum deerat ad felicitatis cumulum. Coellum Regem prole caruisse, quem provinciales passim in filiis & nepotibus immortalem cupiebant.

II. Tertia persecutio sub Traiano. Britannia Christianorum asylum.

Romæ interim Traianus imperabat: vir meritò laudandus, si vitia abfuissent. Christi cultores, fidemque ejus, strenuè persecutus, nomen suum infami crudelitatis notâ maculavit: tertiæ persecutionis author habitus, Neronis & Domitiani successor. Juvit hoc Britannorum Fidem: quia Romam & supplicia fugientes, quærebant latebras; fidei suæ, & conscientiæ asylum. Nec aliud tutius, quàm in hac Insula: quò Romanorum leges, sacra spectantes, needum pervaserant. Adde Coelli Regis hæreditariam pietatem, qui Josephum & extorres foverat. Quoties profectò Lucium intueor, Coëlli Filium, cognomento Pium, qui primus in Europa Regiam coronam Christo Fideique substravit: toties mihi videtur parentis humanitas, & avorum pietas, in Christianorum patrocinio ingenti beneficio commendata. Quantumvis ergo Traianus, quà exilio, quà morte, Ecclesiam persequeretur. Britannia nihilo minus Christi cultores & domi habebat, & colligebat foris. Crescebat hac ratione Evangelicæ doctrinæ sementis, quam Cæsareæ impietatis hiems, & Regiæ pietatis æstas, in maturitatem messemque brevi perducet,

ANNUS URBIS CONDITÆ 853.

ANNUS CHRISTI 102.

CLEMENTIS PAP. 10.

COELLI REGIS 24.

TRAIANI IMP. 3.

Clemens Martyr.

Anno Christi centesimo secundo, Traiano III. & Frontone III. Consulibus, Clemens, Romanus Pontifex, qui Britannorum

Fidem,

Fidem, & facra confirmarat, ut fuprà: Traiani Imperatoris juffu occiditur, anchorâ ad collum fufpensâ, in profundum maris projectus; *ne poffent Chriftiani tollere ejus corpus, & pro Deo eum colere*, inquiunt infideles, & referunt Acta martyrii ejus apud Metaphraften. Unde quid folitum à Chriftianis fieri, circa Martyrum reliquias; quid etiam ab ethnicis impiè objici, æquus rerum æftimator facilè videt. Quod ideò notandum, quia Britanni, Protomartyrem fuum, ejusque reliquias ampliffimè ornaturi funt: non quidem pro Deo illum colentes, ut impii mentiuntur: fed eum cultu, & honore dignum cenfentes; quem in cælis *honorificat* Deus Pater. Cæterùm Deum infigni miraculo Clementis corpus honoraffe, Latini pariter, & Græci crediderunt: voluiffe infuper ab omnibus coli, illud argumento eft; quod mare quotannis, per tria millia paffuum retrocedens, & fepulchri locum oftendens, annuam memoriam paffionis ejus à fidelibus celebrandam effe mirabiliter fignificat. Miraculum recenfuit ante mille annos Gregorius Turonenfis, plura narrans, unde Chriftianorum pietas, fenfus hujus fæculi, & demùm orthodoxa Fides, comprobentur.

Metaphr. 23. Novem. — Sanctorum corpora coluntur. — *Ioannis 12.* — *Gregor. de Gloria Mart. c. 35.*

ANNUS URBIS CONDITÆ 854.

ANNUS CHRISTI 103.

ANACLETI PAPÆ 1.

COELLI REGIS 25.

TRAIANI IMP. 4.

I. Anacletus Papa.

SEquitur Chrifti annus centefimus tertius, Traiano IV. & Sexto Pæto, Confulibus: In Clementis locum fuffectus eft Anacletus, natione Græcus. fuerat olim Petri difcipulus, ab eoque fidem doctus, & ideò dignus qui è prima fede oracula funderet Univerfo Orbi. De eo legitur: quod *memoriam Petri Apoftolorum Principis conftruxerit*. qua voce ædem facram intelligi certum eft: & illam ita explicat Auguftinus: *Nos Martyribus noftris non templa, ficut Diis; fed memorias ficut hominibus mortuis, quorum apud Deum, vivunt fpiritus, fabricamus.* non eft dubium, quin in Vaticano, monumentum eréxerit Anacletus Magiftro fuo, & propè locum paffionis ejus: ubi hodie elegantiffimâ ftructurâ templum cernitur Deo facrum & memoriæ ejus. nam Caius antiquus Theologus, & hujus fecundi fæculi, de Petri fepulchro (quod Anacletus ornaverat) ita fcribit apud Eufebium. *Ego Apoftolorum trophæa perfpicuè poffum oftendere. nam fi lubet in Vaticanum proficifcis aut in viam quæ Oftienfis dicitur, et conferre; trophæa eorum, qui iftam Ecclefiam fuo fermone, & virtute ftabiliverunt, invenies.* Trophæum vocat, quod erat honoris & cultus argumentum. Nam eo in loco ubi Martyres condebantur; preces Deo fundi, & beneficia poftulari, ejus patrocinio, cujus apud Deum Spiritus vivebat, folenne fuit; & Clementis corpus id fuprà probavit.

L. de Rom. Pontif. — *Aug. de Civit. Dei l. 22. c. 10.* — Memoria Sancti Petri, quid? — *Eufeb. l. 2. c. 24.*

II. Cur Martyrum memoriæ extruuntur.

Hæc placuit adnotare, in Britannorum fidei præludium: quia brevi Petrus in Britannia, erecto trophæo, publicè coletur, auguftiore ritu, & authoritate Regiâ. Sequentur, poft multa fæcula, nepotes nefcio qui, & indignabuntur fanctis, fi colantur. Verum argumento primi temporis, Anacleti exemplo, & infinito miraculo, tuti erunt à calumniis orthodoxi. & illi probabuntur Chriftianam Fidem, & facra ignorare, qui Sanctos in cælo regnantes, fine cultu, fine trophæo, & inglorios effe contendunt. Cæterùm curiofus Lector, volet fortafsè fcire, cur Anacletus; cur alii Petro, & Martyribus, memorias erexerint? In quem ufum, Sanctúmne, an profanum, illæ cefferint? Et demum quid ibi à Chriftianis factitari folitum? nam durus eft hiftoriæ cortex, & fuperficies fæpè inelegans; nifi interiora ingreffus, rem omnem & ima penetraveris. Sanè, ludunt hodie Proteftantes in voce *Memoria*. Et quia negare non poffunt, Britannos aliquando à Saxone pulfos, fugiffe cum Sanctorum reliquiis: infipidè factum illud commentantes dicunt: Sanctorum reliquias, à Britannis, non ad cultum, fed memoriam fervatas. Erit igitur pretium operæ fcire; num Martyrum cultus, à Martyrum memoriis, diverfus, an idem fit. Quod Traiani perfecutio, & fequens annus, commodùm indicabit, ubi Chriftianorum facra revelantur. V.22.586.1.

ANNUS URBIS CONDITÆ 855.

ANNUS CHRISTI 104.

ANACLETI PAP. 2.

COELLI REGIS 26.

TRAIANI IMP. 5.

ANno Chrifti centefimo quarto, Sura & Serviano, Confulibus: Cum Traianus quintum in imperio annum ageret. C. Plinius Secundus, Bithyniæ Proconful, commendaturus operam fuam, Imperatorem fcriptis literis confuluit: quomodò cum Chriftianis agere, & pœnas in eos latas moderari, aut poffet, aut deberet. Inter alia conqueritur; Chriftianam Religionem adeo coalitam, & in eâ provinciâ propagatam effe (ibi olim Petrus prædicaverat) ut Deorum templa, videantur effe deferta, perraros etiam inveniri, qui Diis facrificia immolarent. Se quidem mandatum ex Urbe miffum publicaffe; & eorum conventus, pro viribus, vetuiffe, videri tamen innoxios. Quofdam enim Chriftum ejurantes, unà eorum facra propalaffe. Sed Plinii verba audiamus: nam inde colligitur quid Chriftiani apud Martyrum memorias agere confueverint. *Affirmabant*, inquit Plinius, *hanc fuiffe fummam, vel culpæ fuæ, vel erroris, Quod effent foliti, ftato die, ante lucem convenire; carmenque Chrifto, quafi Deo, dicere fecum invicem. Seque Sacramento non in fcelus aliquod obftringere. fed ne furta, ne latrocinia, nè adulteria committerent: nè fidem fallerent: nè depofitum appellati abnegarent. Quibus peractis, morem fibi difcedendi fuiffe, rurfumque, coeundi ad capiendum cibum; promifcuum tamen & innoxium. Quod ipfum facere defiiffe, poft edictum meum, quo, fecundum mandata tua, hæterias effe vetueram.* Hæc ille accufans fimul & excufans Chriftianorum conventus.

I. Conventus Chriftianorum ab Imperatoribus vetiti quales fuerint? — *Plinius l. 10. Ep. 97.*

Infpectâ penitiùs horum verborum mente; videtur Plinius, aut qui Plinio fuggeffit, duplicem Chriftianorum conventum, obfcuriùs licet, prodere; tam illum, in quo fidelibus Euchariftia,

II. Plinii querela exponitur.

præmissâ peccatorum confessione, dabatur: quàm alium, qui è symbolo charitatis, quo ditiores aliis convivium parabant, Agapes vocabatur. Primò igitur ad Missæ Sacrificium fideles coibant: ubi inspectâ conscientiâ; nè furta aut adulteria mentem maculassent; ad Sacerdotis pedes abjecti, per confessionis Sacramentum nudantes omnia, absolutionis beneficio expiabant, præmisso doloris & pœnitentiæ signo; quo factum damnantes, nè rursùm ita fieret, cavebant. Sic mundi corde, ad Christi Corporis & Sanguinis sumptionem accedebant: stato die, ante lucem, ne Christianorum sacra, gentilium ludibrio exposita, persecutionis procellam augerent. Infideles tamen latere omninè non poterant Sacramenta, Sacrificium, ritusque fidelium: his à fide deficientibus; aliis omnia tormentorum vi propalantibus; Deo denique permittente; ut infidelium testimonio posteritas disceret, quid prima sæculi credidissent. Licet enim impii, quæcumque ignorabant, blasphemaverint: quæcumque autem naturaliter, tanquam muta animalia norant, corruperint: ut dixit Judas Apostolus: Tamen è blasphemiis illis & corruptione infidelium; fidei gemmas eleganter colligimus. Etenim si in secretis hisce Christianorum conventibus, & heteriis à Traiano & Plinio vetitis, mactatam pecudem consecrari, & adorari solitam, dixerint infideles: Agnum immaculatum, Christum Dominum intelligi, nemo negaverit. Si audis infantem farre contectum, secreto vulnere occisum, cujus sanguinem fideles lambant, eaque hostiâ fœderentur. Cogita quid hodie fiat in Romana Ecclesia; quid in Missæ Sacrificio; quo velamine Christi corpus & sanguis obnubantur. & habes quod etiamnum creditur, realem Christi præsentiam, verum ejus corpus, verum sanguinem, sub panis, vinique forma, hoc secundo sæculo, sumi solitum à fidelibus. Si iterùm legis alios, Sacerdotum genua venerari; puta pænitentes esse, qui se & peccata sua, ad ministrorum Dei pedes abjiciant. Denique si inter hæc sacra, Crucem in altari exponi, colique perspexeris: dic antiquam hujus sæculi Fidem, ad sedecim sæcula, unam eandemque promissam esse. Audi igitur, quid hoc ipso tempore, Minutius Felix in Octavio scripserit: & puta Cæcilium, infidelem hominem, & à Christianorum sacris aversum, Plinium exponere. hac solùm differentia, quod Plinius *heterias innoxias* dixerit: alter nocentissimas esse mentiatur. Sic enim fideles accusat.

Iud. v. 10.

III.
Minutius in Octavio.
CÆCILIUS CHRISTIANORUM SACRA EXECRATUR: ET QUÆNAM ILLA?

Cum Abderitem Protagoram Athenienses viri consultè potius quam prophanè disputantem, & expulerint suis finibus, & in concione, ejus scripta deusserint. Quid homines deplorata, inclinata, ac desperata factionis grassari in Deos non ingemiscendum est? Qui de ultima face, collectis imperitioribus, & mulieribus credulis, sexus sui facilitate labentibus, plebem profanæ conjurationis instituunt, quæ nocturnis congregationibus, & jejuniis solennibus, & inhumanis cibis; non sacro quodam, sed piaculo, fœderantur latebrosa & lucifuga natio, in publico muta, in angulis garrula. Templa, ut busta despiciunt, Deos despuunt, rident sacra, miserantur miseri (si fas est) Sacerdotum honores, & purpuras despiciunt ipsi seminudi, pro mirâ stultitiâ, & incredibili audaciâ spernunt tormenta præsentia; dum incerta metuunt & futura. Et dum mori post mortem timent: interim mori non timent. ita, illis pavor, & fallax spes solatio redivivo blanditur. Ac jam, ut fecundius nequiora proveniunt, serpentibus indies perditis moribus, per Universum Orbem sacraria ista teterrima impiæ coitionis adolescunt. Eruenda prorsus hæc, & execranda consensio, occultis se notis, & insignibus noscunt, & amant mutuò penè antequàm noverint. & infrà. *Audio eos turpissimæ pecudis caput asini consecratum, inepta, nescio quâ persuasione venerari; digna & nata Religio talibus moribus. Alii eos ferunt ipsius Antistitis ac Sacerdotis colere genitalia, & quasi parentis sui adorare naturam. Nescio an falsa, certe occultis ac nocturnis sacris apposita suspicio; & hominem summo supplicio, pro facinore punitum, & Crucis ligna feralia, eorum cærimonias fabulatur. congruentia perditis sceleratisq; tribuit altaria, ut id colant, quod merentur. Iam de initiandis tirunculis, fabula tam detestanda, quam nota est. Infans farre contectus, ut decipiat incautos, apponitur ei, qui sacris imbuitur. Is infans, à tirunculo, farris superficie, quasi ad innoxios ictus provocato, cæcis occultisq; vulneribus occiditur. Hujus (proh nefas) sitienter sanguinem lambunt, hujus certatim membra dispertiunt: hâc fœderantur hostiâ: hac conscientia sceleris, ad silentium mutuum pignerantur. Hæc sacra, sacrilegiis omnibus tetriora. Et de convivio notum est: ad epulas solenni die conveniunt, cum omnibus liberis, sororibus, matribus, sexus omnis & omnis ætatis.* Hæc ille de utroque conventu, & convivio: tam illo, quo Christus sub specie panis fidelibus porrigebatur; quàm altero, quo à ditioribus pauperes fovebantur.

IV.
QUID IN CHRISTIANORUM CONVENTIBUS FIERI SOLITUM EXPONITUR.

Multa hic sunt, in Christianæ religionis opprobrium dicta; quæ tamen ad Christianæ Fidei probationem faciunt. Et quia Britannorum Ecclesiam inspiciendam suscepi, & quæ illam spectant, orthodoxam Fidem, ritus, atque Sacramenta. Quidni Traiani Imperatoris edictum, Christianorum conventus prohibentis, Plinii Proconsulis obsequendi curâ, aliquorum à Fide defectio, & infidelium consuetudo, ritus, & sacra traducentium, ansam præbeant explorandi paulo morosiùs, quid Christiani in sacris conventibus facere; & quo modo preces fundere consueverint. Quod calamitoso hoc tempore, oppidò necessarium; cum antiqua & orthodoxa Fides, à novis ingeniis vocatur in dubium. Probanda igitur, non improbanda industria, quæ Christianæ religionis, ac pietatis incunabula, etiam inter gentilium fæces rimatur, explorat, & explicat.

V.
CHRISTI CORPORIS SUMPTIO, ET COMMUNIO.

Cæcilius hic, infideli oratione, Christianis objicit, quod in nocturnis occultisque conventibus, post solenne jejunium: *inhumanis cibis*; nimirum, humana carne vescantur; eaque sacro quodam fœdere uniantur. Hoc Romana Ecclesia hodieque facit, quoties Christi corpore & sanguine, sub farris seu farinæ specie, fidelis reficitur. Quæ refectio à sacro fœdere, quo omnes in Fide uniuntur, sacra Communio hodieque dicitur. Corpus Christi consecratione conficitur, veneratione adoratur. Ad Altaria hæc fiunt, ubi Christi hominis passio, & passionis hieroglyphicum Crux, imprimis celebrantur. Quæ omnia habes Traiani, Plinii, Cæcilii tempore usurpata. Illi ergo admodum cæcutiunt, qui post tot sæcula Christianorum altaria in dubium vocant, consecrationem inficiantur, adorationem negant: Qui Crucis cultum, superstitionem vocant: & interim in dubiis controversisque fidei rebus ad primas ætates appellant; quæ in omni quæstionis syllabâ, Romanæ favent Ecclesiæ. Deberent potiùs hi novi Appellantes ad Traianum Imperatorem & infidelium fæces

provocare: quos multò rectiùs cogere possunt in classem factionis suæ; cum quibus etiam in controversorum dogmatum Fidei odióque in orthodoxos conveniunt; in eo solùm differentes quòd illi admittant Sacra olim fuisse, quæ isti negant. Cæterùm in eo arcta affinitas, quòd sacros conventus, Traiani exemplo prohibeant: Sacramenta eodem modo conculcent: & denique, quæ orthodoxi majorum ritu venerantur, abjiciunt. Sacerdotes, quos hæc secunda ætas, pari cum parentibus honore prosequitur, vilipendunt: Confessionis denique Sacramentum, quod Irenæus, Tertullianus, aliique fideles commendarunt, elevant. Cæterùm quod immodestè, de reverentiâ Sacerdoti exhibitâ infidelis homo sugillat; id multò rectiùs à Tertulliano exponitur hunc in modum: *Exomologesis prosternendi, & humilificandi hominis disciplina est: conversationem injungens, misericordiæ illicem. De ipso habitu atque victu mandat, sacco & cineri incubare, &c. Presbyteris advolvi, & charis Dei adgeniculari.*

Tertull. de pœnit. c. 9.

VI. CHRISTIANORUM SACRA NECDUM BRITANNIS VETITA.

Porrò quod Traianus Romæ, & in aliis provinciis persecutus est: nihil nocuit Britannorum Fidei. nam illi & conventus agere, & Sacrificio interesse, impunè poterant. Cum enim Reges hactenus Christianis faverint: non erat tanta Cæsarum potestas, quæ in tam remotâ provinciâ, sacra aut ritus vetaret: Itaque quod Plinius in Bithyniâ prohibuit: Quod Cæcilius alibi calumniatus est: tam constat usurpatum in hac Insula, quàm constat Christianos in Insula fuisse. Nec enim constare potuit Christiani nomen, sine hoc conventu, his sacris, hoc Fidei Symbolo, quod à Christi corpore, veluti ab analogato Principali, Dominicum vocabatur. Ita sequenti sæculo, invictissimi Martyres, cum sub Diocletiano Imperatore, torquerentur, quod conventus hosce frequentassent, clamabant: *Christiani sumus: ideo Dominicum celebravimus: Dominicum intermitti non potest. Sine Dominico esse non possumus.*

ANNUS URBIS CONDITÆ 856.

ANNUS CHRISTI 105.

ANACLETI PAP. 3.

COELLI REGIS 27.

TRAIANI IMP. 6.

ANnus Christi centesimus quintus, Traiano quintùm, & Appio Maximo, Consulibus, nulla re, quæ Britanniam spectat illustris.

ANNUS URBIS CONDITÆ 857.

ANNUS CHRISTI 106.

ANACLETI PAP. 4.

COELLI REGIS 28.

TRAIANI IMP. 7.

ANno Christi centesimo sexto, Consulibus Surano atque Marcello, Lucius Antinous, quem aliqui Lucium Antoninum vocant, pro Romanis Britanniam administrasse, à Scoticarum rerum Scriptoribus asseritur. Addunt illum Eboraci militem collegisse, in Mogallum Scotiæ Regem infeliciter pugnantem ab eodem superatum esse. Sed quia in classicis authoribus Scotiæ nomen necdum occurrit, de Scotorum Regibus nihil pronuntio. Porrò qui Dionem Cassium, & alios legerit, copiosè Traiani Acta recensentes, jure mirari poterit, & in dubium vocare, quæ de accisis Romanorum viribus in Britannia, Scotorum historici prodiderunt. Quod si pressè agendum, & veritas seriò eruenda esset; è certis Traiani testatisque victoriis; è Dacia, Parthia, Armenia, & Mesopotamia, ab eo subjugatis: ex Assyriis, Persisque devictis, ex Arabiâ adquisitâ; denique è propagato longè latéque Romani imperii pomerio: quod omnes in Traiani laudibus ponunt, & numismata loquuntur. nullam putamus fuisse Romanæ potentiæ Eclipsin in Occidente nostro: adeoque suspectæ admodum fidei esse, quæ de Scotorum Regibus victoriisque jactantur.

Hollinshed & Cooperus hic.

ANNUS URBIS CONDITÆ 858. 859.

ANNUS CHRISTI 107. & 108.

ANACLETI 5. 6.

COELLI 29. 30.

TRAIANI IMP. 8. 9.

DUo anni sequentes centesimus septimus, Candido & Quadrato, Consulibus: & annus Christi centesimus octavus, Consulibus Commodo Vero atque Cereali, ea continent Traiani Acta, quæ firmant superius dicta, & enervant Scotorum historias. Enimvero si Traiano hoc tempore vacavit ex Urbe discedere, contra Armenos proficisci, in Parthos pugnare, eosque ac finitimos populos, sub jugum mittere; non aliâ de causâ, quàm *δόξης ἐπιθυμίᾳ*, *gloriæ cupiditate*, quod Dio affirmat: cur laudatur quod foris quæsierit argumentum gloriæ, si domi & in viciniore provincia tumultuatum. Dic ergo omnia in Britanniâ, Coello regnante, Romanorum amico pacata fuisse. nec ausos Caledonios (nam Scoti necdum in Britannia nascuntur) contra mutire.

ANNUS URBIS CONDITÆ 860.

ANNUS CHRISTI 109.

ANACLETI PAP. 7.

COELLI REGIS 31.

TRAIANI IMP. 10.

CHristi annus centesimus nonus, Senecione & Surano Consulibus, Ignatii vinculis, & Sancti Simeonis martyrio claruit. Ad quem etiam annum referunt aliqui Colcestriæ Urbis in Trinobantibus exordium. Ibi Regiam Coëllus habebat: quæ an inde in Urbem surrexerit, aut nomen ab illo sortita sit, non ausim dicere. Sunt enim qui ab altero Coello Helenæ parente, malunt deducere. Plures etiam, non inde, sed à

DE COLCESTRIÆ URBIS INITIIS.

Camden. in Essex. *V. an. 275. 62. 61.*

Colno fluvio, Urbem alluente, vel etiam à Romanorum Colonia, nomen appellationemque derivant. Quicquid sit. *Floruisse hanc Urbem* (ita Camdenus) *maximè Romanis temporibus, infinita vis antiquorum nummorum quotidie eruta plenissimè docet.* De illa plura inferius.

ANNUS URBIS CONDITÆ 861. 862.
ANNUS CHRISTI 110. 111.
ANACLETI PAP. 8. 9.
COELLI REGIS 32. 33.
TRAIANI IMP. 11. 12.

I.

S. Beatus moritur. *Spod. l. 6 c. 9 §. 9. Martyr. 9. Maii.* *V. an. 49. n. 10.*

SEquitur Christi annus centesimus decimus, Consulatu Trebonii Galli, & M. Braduæ notatus, & centesimus undecimus, Messalam & Pedonem Consules sortitus: quorum tempore S. Beatus, Helvetiorum Apostolus, sanctissimè obiisse scribitur, vel anno Christi centesimo decimo, ut habet è Rhenano Joannes Spedus: vel anno illum sequenti, ut habet Martyrologium nostrum. Hic est ille, quem * suprà, dixi Britannum hominem; Suetonium primò, inde à baptismo Beatum appellatum, quem Insula Romam misit anno quadragesimo nono; & modò vel Roma, vel Helvetia transmisit in cælum. Beda noster in suo Martyrologio ejus meminit in hunc modum. *Romæ Sancti Beati Confessoris.* sed Romanum Martyrologium, ita: *In castro Vindecino depositio S. Beati Confessoris.* Unde, ubinam mortuus sit dubitari potest. Probabilius tamen in Germania, inter Helvetios obiisse: quia ibi Apostolatum gessisse, Christum docuisse, ibi ædem sacram, ad lacum Thunum erexisse propè oppidum Underfewen; ibi denique extremum spiritum emisisse testantur Germanicarum rerum Scriptores, quibus & nostri astipulantur. Romæ quidem meruit honorari; quia inde Apostolatus prærogativam; hoc est, fidem docendi potestatem habuit: & quidni Roma coleret, quem imbuerat sanctitate? Germani tamen eum constantiùs coluerunt: ut Helvetiorum Annales, & Constantiensis Ecclesiæ monumenta fidem faciunt. Non ergò mirum si posterioribus sæculis beneficium absolverunt Bonifacii, Willibrordi, Suiberti, aliique Britanni. nam pulcherrimo exemplo præcesserant S. Beatus, & Lucius Britannorum Rex. Beati vitam scripsisse dicitur Petrus Canisius Societatis JESU, & lumen Germaniæ. Raderus enim in ejus vitâ, recensens labores industriamque ejus, in libris componendis, hæc habet. *Revocavit deletos propè ex hominum memoria Sanctorum ac tutelarium Helvetiæ Præsidum res gestas. S. Beati, qui primus ad Helvetios legem Christianam attulit: quem præ cæteris veneratur Lucernensis Respublica cum iis, qui ad Arulam flumen colunt.*

Beda in Mart. 9. Maii. Rom. Mart. 9. Maii. *Rader. in vita Canisii l. 2. c. 9.*

II.

S. Duvianus moritur. *Mart. Angl. 8. Aprilis.*

Evolavit etiam ex hac Insulâ, in cælum S. Duvianus, qui in Josephi Arimathæi disciplinam traditus, totum se orationi & pietatis operibus dederat in Glastoniensi Oratorio. Ubi sub patrocinio Beatissimæ Virginis plures annos vixit, & demùm anno undecimo hujus sæculi, cum famâ sanctitatis, & miraculorum gloriâ mortuus ponitur in Anglorum Martyrologio, ad octavum diem Aprilis. Ubi è primis Britannorum unus asseritur, qui eremiticam vitam Josepho duce professus sit. Mentionem hujus Sancti faciunt Joannes de Kirkstat, in Monasticis, & Eisengrenius in secunda Centuria. Nec dubium esse potest, quin plures in Britannia, Deo illos vocante, relictis idolis, Christum integrè sunt secuti; tamen edax rerum omnium tempus erasit eorum nomina. Unde hunc etiam Duvianum ita obscuravit: ut dubitari meritò possit, an hoc, vel sequenti sæculo, scribi debeat, cælum conscendisse.

III.

S. Claudia moritur. *Martyrolog. Anglican. 7. Augusti.*

Nec omittendum quod habet Anglorum Martyrologium ad septimum Augusti, ubi legitur commemoratio Sanctæ Claudiæ, Britannæ fœminæ, & Romam deductæ Claudio imperante, quæ postmodum Sabini in Umbria, naturæ concessit, anno Christi centesimo decimo. Plura de matrona hac dicta sunt superiùs, ubi illam Caractaci Regis filiam, & cum captivo parente in triumphum ductam, probabiliter asserui. Cæterùm quod Pudenti nupserit, & à Petro Apostolorum Principe Christianam fidem acceperit, dixi paulò probabilius; Quòd Pudens ejus conjux Senator fuerit, & quatuor Sanctorum Novati, Timothei, Praxedis atque Pudentianæ parens (quod Broughtonus, & ex eo Martyrologium nostrum constanter affirmant) timidiùs assero, quantumvis illud in Britanniæ laudem cederet.

ANNUS URBIS CONDITÆ 863.
ANNUS CHRISTI 112.
EVARISTI PAP. 1.
COELLI REGIS 34.
TRAIANI IMP. 13.

I.

Moritur Anacletus Papa. *Baron. hic.*

ANno Christi centesimo duodecimo, dubii Consules fuerunt: Cassiodorus Pisonem & Hastam; alii Crispinum & Orphitum nominant. Cæterùm moritur hoc anno Anacletus Papa, cum Ecclesiam rexisset annos novem & menses tres; & fuit Cæsareæ crudelitatis victima, martyrio coronatus decimo tertio Julii. Notat Baronius, res ab eo gestas (*quæ planè mirificæ fuerunt*, inquit) communi naufragio Scripturarum, remansisse obscuras. Unde quid Britanniæ præstiterit; quos illuc miserit; quæ mandata dederit, conjectura potiùs, quàm certo argumento colligimus. Cæterum quod aliqui etiam è factiosis, volunt, ipsum, hujus Insulæ provincias distinxisse, in sedes, & metropoles; illisque Episcopos & Primates ordinasse: id meritò hoc loco explorandum. Decretales quidem Anacleti Epistolæ, id planè evincere videntur: Contra tamen alii plurima causantur: nec scriptas ab Anacleto Epistolas; nec adhuc pro Episcoporum Sedibus factam esse Provinciarum divisionem. Giraldus quidem Cambrensis, ex Anacleti Epistolis colligit Britanniam ante Christi adventum, in quinque provincias distinctam fuisse; & nominat Britanniam primam, Britanniam secundam, Flaviam, Maximiam atque Valentiam. Prima Britannia; ut ipse opinatur; Occidentalior pars Insulæ erat: altera, Cantium: Flavia, Britanniæ pars Mediterranea, quæ à Saxonum ingressu Mercia dicebatur: Maximia,

Britanniæ divisio, à Giraldo Cambro. *Giral. de Menevem. Ecclesiæ jure l. 2.*

Eboracenses, & Brigantes continebat. denique Valentia, quicquid porrò in Septentrionem porrigitur.

II. (Broughton. sæc. 2. c. 8.) In his ergo quinque provinciis, erectas ab Anacleto Episcoporum sedes, & Metropoles constitutas aliqui affirmant. Quod si probare possent, & Episcopos nominare, qui sedes implevissent; ingens mihi Ecclesiasticos Annales scribenti momentum esset, & ornamentum singulare. Sed quia arduum id, & à memine præstitum; volo pedetentim incedere: & Ecclesiæ nostræ fabricam: è tenuioribus initiis, per gradus tantùm, & modica incrementa, ad perfectionem educere: sic enim altiùs fundabitur, robustiùs surget, & constantiùs ad fastigium erigetur. (Antiquit. Britan. fo. 24.) Parkero tamen qui Antiquitates Britannicas scripsit, & primus fuit, ultimæ editionis, Cantuariensis Episcopus, non possum hac vice indignari, dum hujus ab Anacleto factæ divisionis meminit; quia simul fateri debet, vigilasse Romani Pontificis curam, & longè lateque illam in Occidente nostro exercuisse, jurisque dictionem. Quod licet omnibus orthodoxis certissimum sit; ipse tamen, & gregales alii, eodem argumento id fateri debent quantumvis alibi pervicaciter negent, Britannicæ Ecclesiæ fundamenta prima, Romani Pontificis operâ, manuque posita. Sed ego transeo hoc argumentum, & rem testatissimam certiùs adstruam, cum Lucius, Coelli filius, Britannorum Rex ad fidem hoc sæculo convertetur.

III. Reiicitur. Interim dico, Britanniam, hoc tempore, nondum à Romanis Imperatóribus in provincias quinque distinctam. Iterum Romanos Pontifices, in Diœcesium dictinctione, sequi solere, non præcedere Rempublicam alteram: hoc est: tum demùm, non priùs, Metropoles distinguere; cum Romani Imperatores provincias distinxissent: Et ex illius imperii prærogativa, jura dignitatemque concedere. Sic Alexandrina Ecclesia, Antiochenâ illustrior; quia Cæsarum jussu, fuit augustior præfectura; ut probat Cæsar Baronius. (Baron. to. 1. an. 39. & in notis ad 20. Octob.) Cum ergo needum appareat facta à Romanis Britanniæ divisio: quomodo quinque Metropoles ab Anacleto constitutas possumus affirmare? Adde Flaviam, Maximiam, Valentiam, recentiora esse nomina, & multò Anacleto posteriora. nam post annos ducentos quinquaginta; cum Valentinianus, & Valens, Urbem & Orbem regerent Theodosius in Britanniam tunc tumultuantem, cum potestate missus, tumultum composuit, (Marcel. l. 28. c. 18.) *recuperatamq; provinciam, quæ in ditionem concesserat hostium* (loquitur Ammianus Marcellinus) *ita reddiderat statui pristino; ut eodem referente; & Rectorem haberet legitimum; & Valentia deinde vocaretur arbitrio Principis*, ut dicam, eo anno, quo contigit; nimirum Christi trecentesimo sexagesimo septimo. Nulla ergo Britanniæ pars, Valentia priùs audiebat, quàm Valentinianus & Valens imperarent. De Flavia, & Maxima idem esto judicium. nam à Maximo, & Flavia gente appellationem sortitæ, Anacleto longè posteriores fuerunt.

IV. Britanniæ divisio bipartita. Quamobrem, Traiano imperante, bipartita solum Britannia fuit, in primam & secundam. Prima, Romæ propinquior, & ad Austrum jacens, hinc mari Britannico; inde Tamisi, fretoque Sabriniano munita. Altera, quæ ab Urbe remotior, Cornavios, Silures & Ordovices continebat. Scio Ptolomæum, & Dionem Britanniam aliter distinguere. Sed in idem recidit. Ptolomæus, qui hoc sæculo vivebat, Britanniam *Magnam & Parvam*: Dio, *Superiorem & Inferiorem* vocat. Jam verò si Anacletus Papa sanctiorem Remp. in Metropoles & Primates distinxit juxta hanc partitionem, Episcopos & Archiepiscopos ordinasse dicendus est: quod abundè, spectato fidelium numero, sufficeret. (Mox tripartita.) Etenim sub finem hujus sæculi, cum Romani plura loca in suam potestatem redegissent: Insulamque denuo divisissent: Britanniæ primæ, ac secundæ accessit solum Maxima Cæsariensis, quam Brigantes & Eboracenses habebant. nisi Flaviam cum Sex. Rufo placet adjungere, de quo infrà: an. 314. 5. & tunc demùm Christianus Rex Lucius, tres tantùm Archiepiscopos ab Eleutherio impetravit, ut dicetur. Vix ergò credi potest, sub initium hujus sæculi, Rege adhuc pagano, quinque fuisse. cum viri Apostolici, nulla in quærendis arrogandisque sedibus ambitione pulsarentur. Porrò quod Anacletum spectat, & ejus Decretalem: nulla ibi Britanniæ mentio, nedum sedium ibi institutarum: sed tantùm asseritur, Petrum & Clementem, in erectione ac distinctione sedium, & in jurium, ac dignitatum prærogativa, spectasse imprimis provinciarum divisionem à Romanis Imperatoribus præstitutam: quod à me dicta confirmat. nimirum non potuisse Anacletum quinque Metropoles primasque sedes in Britannia erigere, cum necdum tot essent Romanorum provinciæ.

V. Evaristus Papa. V. an. 104. Certas Sacerdotibus sedes primus assignat. Successit Anacleto, in Romana Sede Evaristus, natione Græcus, qui Titulos in Urbe Præsbyteris divisisse primus legitur; hoc est; domos divino cultui mancipatas; in quibus Christiani conventus & synaxes agerent, ut suprà; Sacerdotibus assignavit; qui Pastorum more, pro ovibus excubarent. Unde quod modò dixi magis roboratur: necdum Episcopos sedibus affixos videri in Orbe cætero: cum Romæ primùm, & Evaristo Papa, Ecclesiis de inferioribus ministris provisum sit. Opinor etiam, non in ipso Pontificatus initio, sed posteriùs, Traiano persecutionis atrocitatem remittente, Evaristum titulos Sacerdotibus assignasse. Tunc enim & illi, cum animarum cura, & imperio præesse; & Christianus populus subesse, dictisque parere opportuniùs potuerunt. Quod quia sub finem Traiani imperii contigisse colligit è Suida Baronius ad annum centesimum decimum octavum; (Baron. an. 118.) frustra alibi constitutas Episcoporum sedes, cum perfecta & omnibus numeris absoluta Reip. forma investigamus. quandoquidem Christi Sponsa in splendorem lucemque pedetentim, & per gradus surgit; solisque pulchritudinem præeuntis auroræ decor præcedit.

VI. Sanctus Faganus moritur. Mortuus hoc anno legitur in Anglicano Martyrologio Sanctus Faganus, Josephi ab Arimathia discipulus, & demùm à morte Josephi, in religioso secessu Glastoniensis agri successor. Quod si verum, corrigendus est ille, qui scripsit, Monachos à Josephi excessu, Glastoniæ desiisse. nam Coellus Rex, Patris, avique pietatem sequutus, prædia confirmaverat duodecim alumnis. Sic enim legitur in ejus loci Antiquitatibus, quas post Guilielmum Malmesburiensem collegit Joannes Monachus: (Antiq. Glaston. princ.) *Isti duodecim (Iosephus & Socii) & eorum successores, diu sub eodem numero, eremiticam vitam hic ducentes; magnam paganorum multitudinem ad Christi fidem converterunt.* Quod hoc tempore evenisse verosimile est: quia diuturnæ pacis beneficio; & Britanni meliùs doceri, & Coellus

Re-

Rex, in filio mox beari potuerunt. Hæc de historicæ veritatis substantia: de circumstantiis magis laboro. Nec enim Duvianum, quem superiore anno, & Faganum, quem modò mortuum dixi; tam constanter audeo asserere, distinctos esse à Fugatio & Damiano, Romanis Sacerdotibus, qui post annos septuaginta Lucium in Fide, & Britannorum Ecclesiam confirmarunt. Licet enim Martyrologium nostrum, Eysengrenius, & alii distinctos affirment: penitiùs tamen Glastoniensis Monasterii Antiquitates intuenti, iidem potiùs, quàm diversi apparebunt. Quos enim Romani Scriptores Fugatium, & Damianum vocant; passim Authores nostri, antiquiores præsertim, Faganum, & Duvianum, vel Diruvianum appellant. nec aliorum meminere ante Regis conversionem. Fieri tamen, potuit, & omninò factum putamus, ut duo è Josephi discipulis, sanctitate præ cæteris illustriores, vel nomen transmiserint suum ad sequentes ætates; vel confuso cum sequentibus nomine, cultum acceperint. nec aliud in tanta rerum caligine verosimilius. præsertim cum Fugatius & Damianus, legatione ritè obitâ, & confirmata Britannorum sacra Rep. Glastoniæ per plures annos quievisse referantur.

ANNUS URBIS CONDITÆ 864. 865.

ANNUS CHRISTI 113. 114.

EVARISTI PAP. 2. 3.

COELLI REGIS 35. 36.

TRAIANI IMP. 14. 15.

BRITANNI TUMULTUANTUR.

Spartia. in Hadria. c. 5.

CHRISTI annus centesimus decimus tertius, Consules habuit Calphurnium Pisonem, & Rusticum Bolanum: & sequens centesimus decimus quartus, Traianum Augustum, & Julium Africanum. Quorum tempore plures provinciæ quas Roma subdiderat, in Romanum imperium surrexerunt. An Britannia tumultuantibus accesserit, satis pendeo: aliquando tamen in Traianum surrexisse fatendum est; quia inter deficientes provincias Britannia à Spartiano nominatur sub initium Hadriani qui Traiano successit. *Deficientibus*, inquit, *his nationibus, quas Traianus subegerat, Mauri lacessebant: Sarmatæ bellum inferebant: Britanni teneri sub Romana ditione non poterant*, &c. Britannia ergo post alias defecit: nec Traianus quicquam in eam movit; quia majus erat aliunde periculum: Traiani tamen successor, nobilissima expeditione Britanniam recepit.

ANNUS URBIS CONDITÆ 866.

ANNUS CHRISTI 115.

EVARISTI PAP. 4.

COELLI REGIS 37.

TRAIANI IMP. 16.

ANNO Christi centesimo decimo quinto, Publio Celso, & Clodio Crispino Coss. Quod faustum, Fœlix, fortunatumque Britanniæ fuit, Coello Regi nascitur filius, qui à luce nomen accipiens, Britannicè dictus est, Lever Maur, hoc est, *splendor magnus*, inquit Nennius, *propter lucem quæ in ejus tempore venit*. Inde Romanorum more, quod passim à Britannorum Principibus fiebat, appellatus est LUCIUS. Quod ad natalium tempus spectat, non est una omnibus sententia. Mihi, missis aliorum placitis, arridet opinio Matthæi Westmonasteriensis ita scribentis: *Anno gratiæ centesimo decimo quinto, natus est Coello Regi Britonum unicus filius, quem vocavit Lucium: qui factus est patri gaudium & exultatio: quia in senectute, & quasi ab herede destitutus, genuerat eum.* Hic ille est, qui juvenis adhuc & infidelis, ea pietatis indicia dedit; ut vulgo cognominatus sit PIUS. & postmodum Christianam Fidem amplexus, Christi nomen regis insignibus primus inscripsit. nam nomini omen, & omini respondit eventus. In utrumque Lucius nascitur: in lucem, inquam, & pietatem. Lucem fidei, non solùm Insulæ & civibus suis; sed longè etiam positis porrexit: pietate Deum coluit, & homines pellexit in amorem sui cultumque. Hæc omnia mox ostendam, cum decursa breviter annorum serie, Lucium in parentis sede collocavero.

LUCIUS NASCITUR.

Westmonast. hic.

ANNUS URBIS CONDITÆ 867. 868.

ANNUS CHRISTI 116. 117.

EVARISTI PAP. 5. 6.

COELLI REGIS 38. 39.

TRAIANI IMP. 17. 18.

ANNUS Christi centesimus decimus sextus, Ninio Hasta, & Manilio Vopisco Consulibus notatur: quos sequenti anno Christi centesimo decimo septimo exceperunt Hadrianus & Salipator, pariter Consules. Traianus Imperator, horum duorum annorum calamitatibus, Judæorum rebellione, & provinciarum dissidio ac distractione doctus, cœpit Christianos non odisse: ut probant sequentia.

ANNUS URBIS CONDITÆ 869.

ANNUS CHRISTI 118.

EVARISTI PAP. 7.

COELLI REGIS 40.

TRAIANI IMP. 19.

ANNO Christi centesimo decimo octavo, Æliano, & Antistio Vetere, Consulibus; cum Traianus in imperio ageret annum decimum nonum: **Omnibus præfectis suis mandavit* (inquit Suidas) *ne supplicio Christianos afficerent.* Unde non malè collegit Joannes Broughtonus, ad Britanniæ quoque præfectos hæc mandata pervenisse. Addunt alii Evaristum quoque, missa legatione, Insulanos ad fidem Christi amplectendam, & retinendam animasse. quod magni amoris argumentum est, & solicitudinis omnium Ecclesiarum. Cæterùm quod velint è Gildâ, & Nennio, decretam ab eo ad Lucium Regem legationem,

I. TRAIANI PERSECUTIO CESSAT.

** Broughto cent. 2. c. 2.*

non

non subsistit. Multi enim sunt qui nondum natum Lucium affirmant; nullus, qui quinquennio majorem facit. Quamobrem Evaristus si quid scripsit, Coëllum Regem, non Lucium interpellasse credendus est. Et sanè verior lectio in dictis authoribus, non Evaristum sed Eleutherium habet.

II. QUIS BRITANNIÆ PRÆFECTUS? Si quæras, quis Præfectus Britanniæ fuerit, cui mandatum misit Traianus Imperator? Respondet Broughtonus: ad Coëllum Regem & Julium Agricolam rescriptum esse. *Qui tunc*, inquit, *in Britannia fuerunt.* Verum id quidem de Coëllo Rege: At Julium Agricolam, dudum Insulâ, & Magistratu decessisse, Domitiano mandante, & vitâ etiam, Collega, Priscoque Consulibus, nimirum Christiano nonagesimo quinto, suprà demonstratum est. (V. an. 88. & annum 95.) rectiùs fortè Calphurnium Agricolam author nominasset, qui posteriùs in Insulam Proprætor missus. Sed nec ille Traiani mandatum potuit excipere qui vixdum natus, Marci Aurelii Imperatoris tempore; nimirum post annos quinquaginta, eo munere fungitur. Nec placet Polydori sententia affirmantis hoc tempore, Romanam rem in Britannia penes Cneum Trebellium fuisse: quia doctiores alii, volunt Julium Severum à Traiano missum Proprætoris munere functum. (JULIUS SEVERUS PROPRÆTOR IN BRITANNIA.) Sed non est opus aut Suidæ verba, aut Lectorem vexare, Præfectum in Britannia quærendo; quia nulla ibi persecutionis acerbitas, moderationem Principis requirebat. *Missam itaque legationem ab Imperatore Romanorum* (ita loquuntur Gildas & Nennius) *& à Papa Romano Evaristo.* aut Severus Proprætor, aut unus Coëllus excepit; Traiano pœnam remittente, Evaristo animante ad Fidem, & Regem laudante quod Christi cultores benignè haberet. Hoc, inquam, dicendum, si Evaristus Legatum misit. Nec enim hic firmum pedem figo. Sed, ut in plerisque aliis, suspenso pede transeo; moneoque sequentes, ut dispiciant.

ANNUS URBIS CONDITÆ 870.

ANNUS CHRISTI 119.

EVARISTI PAP. 8.

COELLI REGIS 41.

TRAIANI IMP. 20.

TRAIANUS IMP. MORITUR. ANNO Christi centesimo decimo nono, Hadriano Secundùm Consule, moritur Traianus Imperator apud Selinuntem, Ciliciæ civitatem; quæ inde Traianopolis dicta; eique in imperio successit Hadrianus, Romæ natus, patre Ælio Hadriano Traiani consobrino; paulò ante à Traiano adoptatus; tunc secundum gerens Consulatum, ut author est Spartianus: licet alii alios Consules ad hunc annum consignent: Dio Cassius Quintum Nigrum, & T. Vipsanium Apronianum. Cassiodorus, Catilium, & Fulvum. Quo loco Britannorum res fuerint, dicam anno sequenti.

ANNUS URBIS CONDITÆ 871.

ANNUS CHRISTI 120.

EVARISTI PAP. 9.

COELLI REGIS 42.

HADRIANI IMPER. 1.

SEQUITUR Christi annus centesimus vigesimus, Hadriano tertiùm, & Salinatore Consulibus: Quo Judæi & omnis ferè Occidens, cum nuper in Romanum Imperium surrexissent, traxere secum Occidentem nostrum. Ibi Britanni ad Septentrionem siti spe libertatis erecti, & novandarum rerum cupidi, Romanum militem vexant. (I. BRITANNI IN SEPTENTRIONE IN ROMANOS SURGUNT.) Eorum conatibus impar Julius Severus, qui Britanniam regebat, Hadrianum monet; periculi magnitudinem, populi ferociam, paucitatem virium, locique difficultates aperit. Interim parat exercitum, ut Britannis terrorem, & Romanæ potentiæ majestatem incuteret. Ecce nummum ex Senatusconsulto cusum hoc anno, quo Hadrianus (ut ibi dicitur) tertiùm est Consul; ubi etiam Britannici exercitus mentio.



Hadriani nummus 4. inter Romanos Camd.

Quòd in aversa nummi facie, trium militum effigies cernatur: illa causa reddi potest, quòd tres hoc tempore Legiones Romanorum in Britannia militaverint. SECUNDA AUGUSTA: QUARTADECIMA VICTRIX: & VICESIMA VICTRIX: quæ & Britannica dicebatur. Veneritne Hadrianus hoc anno in Britanniam; ideò quæri potest; quia *Britannicus exercitus* in nummo expressus, id suadere videtur. Quorsum enim ille eum tertio Consulatu jungitur: nisi quia, eò tunc Consule, Romanus miles cum hoste conflixit. Sed quia è probatis authoribus nemo id asserit, dicendum est, nummum hoc anno cusum, Senatu jubente, quo Romanus Orbis, novum Principem; & miles longè lateque diffusus suum Imperatorem agnosceret, ac veneraretur. Solenne hoc fuit in auguratione Principum; ut percussa novi Imperatoris effigie, nummo, militum animi captarentur. Ita Marcellinus narrat, *Aureos nummos in vultum novi Principis, aliaq; ad illecebras captantes.* (*Marcel. l. histor. 26.*) Hadrianus itaque jam tertium Consul & Imperator, Britannicum exercitum ad se alliciens, hunc nummum excudi, & militi in Britannia dividendum curat; eo monito se brevi iis adfuturum, docturumque rebelles, Traiano moriente, Romanam majestatem morte majorem, in Hadriano vivere. Ita ille blanditiis priùs, quàm terrore seditiosos premens. Sic Spartianum intelligo de Hadriano ita scribentem. *Adeptus imperium, ad priscum se statim morem instituit: & tenenda per Orbem terrarum paci operam intendit. nam deficientibus his nationibus, quas Traianus subegerat, Mauri lacessebant,* (*Spartia. in Hadria. c. 5.*)

Sarmatæ bellum inferebant, Britanni teneri sub Romana ditione non poterant. De Septentrione nostro ad tumultus semper parato loquitur: qui non verborum lenociniis; sed sola Imperatoris præsentia, deliniri aut componi potuit. quod factum paulò posteriùs, cum Hadrianus è Galliis in Britanniam solvit.

ANNUS URBIS CONDITÆ 872.

ANNUS CHRISTI 121.

ALEXANDRI PAPÆ 1.

COELLI REGIS 43.

HADRIANI IMP. 2.

I. Evaristus Papa moritur. Succedit Alexander.

SEquitur Christi annus centesimus vigesimus primus, Aviola, & Pansa Consulibus: quo Evaristus Papa, cum sedisset annos novem menses tres, sub Hadriano Martyr occumbit. In ejus locum hoc anno succedit Alexander, patria Romanus, quem aliqui putant, à Britanniæ Rege appellatum esse; ut Insulæ Fidem porrigeret. quod suo loco excutiam inferiùs.

II.

Rebellantes Judæos, Hadrianus Imperator, duce Tinio Rufo sub hoc tempus compressit. Quod ideo Annalibus nostris inserendum: quia Priscus Licinius in ea expeditione, rem fortiter gerens, meruit postmodum Proprætor in Britanniam mitti, in Julii Severi locum, qui adhuc provinciam administrat. Necdum ergo putamus Severum loco, aut Magistratu motum missumque ad hanc Judæorum rebellionem frenandam; sed potiùs ad illam, quæ teste Eusebio, in decimum sextum Imperatoris annum incidit. nam bis Hadrianum in Judæos sumpsisse arma, & pugnasse constat. Qui ergo volunt Julium Severum è Britannia vocatum contra Judæos, ut certum id est ex authoribus: non de hac, sed altera expeditione, de qua inferiùs, intelligendi sunt.

Euseb. in Chrono.

V. an. 135. 1.

ANNUS URBIS CONDITÆ 873.

ANNUS CHRISTI 122.

ALEXANDRI PAP. 2.

COELLI REGIS 44.

HADRIANI IMP. 3.

ANno Christi vigesimo secundo, supra centesimum, Paterno & Torquato Consulibus: Hadrianus Imperator, tertio Imperii sui anno, Romani Orbis provincias lustraturus, & disciplinam militarem inspecturus, in Germaniam Galliasque descendit, eo animo, ut Britanniam propiùs cognosceret; & animorum motus (de quibus supra) præsens compesceret, priùs quàm Romam rediret.

ANNUS URBIS CONDITÆ 874.

ANNUS CHRISTI 123.

ALEXANDRI PAP. 3.

COELLI REGIS 45.

HADRIANI IMP. 4.

I. Hadrianus Imp. in Britannia. *Spartia. in Hadriano c. 11.*

CHristi anno centesimo vigesimo tertio, Glabrione & Torquato Consulibus, Hadrianus Imperator, cum militem in Gallia formasset, docuissetque in hospitiis, & castris, honestè vivere, in Britanniam navigavit. Quod Spartianus breviter ita reddidit. *Hadrianus conversis regio more militibus, Britanniam petiit, in qua multa correxit.* Quod ad tempus spectat, benè Baronius Britannicam expeditionē refert in annum Christi centesimum vigesimum tertium; licet Gordonius, & alii in sequentem rejiciant. sed modica est unius anni differentia: nunc quid in Britannia fecerit videamus.

II. Quid factum ab Hadriano in Britannia. *Dio l. 69.*

Cum multa Spartianus dicat, Hadrianum in Britannia correxisse, & unum tantum commemoret; murum ab eo positum, Romani imperii limitem, de quo statim: audiendus est Dio Cassius, qui paulò articulatiùs eum ita laudat: *Hadrianus in alias, ex aliis, provincias, regionesq́; & Vrbes, proficiscitur visendi causa. Hic imprimis cujusque arces, & mœnia considerat, eorumq́; partem transfert in loca magis idonea; partem diruit, ædificat, atque in summa, omnia non modò quæ ad universum exercitum pertinent; arma dico, machinas, fossas, muros, aggeres; sed etiam qualis esset cujusque & militum, & ducum ipsorum vita, statio, & mores, diligenter animadvertit. Ibi mores, indulgentia depravatos corrigit; & ædificia, quæ benè extructa non erant, subvertit. Tum capit eos ad omne genus pugnæ exercere. Atque interim alios afficere honore, alios castigare verbis: postremò omnes ea quæ facere oportebat, docere. Atque ut milites haberent, unde exemplum peterent: ipse duriter vivere, pedibus iter facere, aut in quavis loca, admisso equo proficisci. nunquam vehicula, aut quadrigas conscendere: nulloq́; calore, nullo frigore, ut capite operto esset, adduci. Nec enim unquam, aut propter nives Celticas, aut calores Ægyptios opertum habuit caput. Itaque ut uno verbo dicam, ita milites, quamdiu principatum tenuit, rebus ipsis exercuit, institutisq́; præceptis: ut quæ tum ab illo constituta sunt, ad hac tempora, vim legis, atque disciplinæ militaris obtineant.* Hæc Dio.

III.

Risit hanc Hadriani industriam, & militarem in eo patientiam, Florus Poëta. nam intellecto, quid ille in Britannica expeditione faceret, cogeretque militem ad dura; ipse eorum omnium, quæ præscriberet, patientissimus, ita in Imperatorem jocatus lusit.

Ego nolo Cæsar esse,
Ambulare per Britannos;
Scythicas pati pruinas.

Florus apud Spartianum.

Cui Hadrianus, posita paulisper majestate, non ineleganter respondit, otiosi hominis ineptiam, hoc versu, retundens.

Ego nolo Florus esse
Ambulare per tabernas
Latitare per popinas
Culices pati rotundos.

IV. HADRIANUS SUBDITOS BRITANNOS A NON SUBDITIS DISTINGUIT.

Unum tamen è multis, quæ Hadrianus in Britannia gessit, in ejus laudibus ponitur præ cæteris, quòd Insulæ, & Britannorum, qui Romanis parebant, distinctionem fecerit, ab altera boreali parte, quæ Romanum jugum accipere recusabat. Fuerant enimvero inter eos frequentes pugnæ, variæque incursiones; quibus hi illos passim infestabant. Et quoties Romanus exercitus in hostem porrò pergebat: in aspera, montesque incurrens, laboris plurimùm, lucri & honoris parum referebat. Erat interim vinci facile, hoste cervicibus imminente; sed vincere nunquam operæ pretium. Quin & asperius cælum, aura inclementior, commeatus exiguus, & incommoda plurima terruerant militem otio magis, quàm difficili negotio indulgentem: quia ægrè trahi potuit in certa pericula; ubi post ingentes labores, vel nulla vel exigua spes lucri præmiique affulgeret. Pugnandi ergo finem miles petebat in homines duro sub æthere natos. Hæ voces opinor, hæ militum querelæ Hadrianum in Britanniam traxêre. Et ille, visâ rei veritate, & exercitui consultum volens: *Murum per octoginta millia passuum* (loquitur Spartianus) *primus duxit, qui barbaros, Romanosq; divideret.* Barbarorum nomine Caledonios intelligit, quos supra Pictos diximus: necdum enim Scotorum notio, natióve in Britannia sedem fixerat; & nemo in Romanos pugnans, nisi Britannus, ab authoribus memoratur. Hadrianus ergo hos ab illis; hoc est Britannos à Britannis distinxit muro: quem Dio διατείχισμα, Herodianus χῶμα, alii vallum vocaverunt. Sed revera murus à variis postmodum Principibus auctus, & alio atque alio modo extructus; variam quoque appellationem, pro re nata sortitus est. Scrupulosè satis Beda, murum, à vallo distinxit: & ab Hadriano murum, à Severo postmodum Imperatore vallum factum ferè significat. Hodie Latinorum vulgus, Murum Picticum vocat: opinor, quia novissimè contra Caledoniorum seu Pictorum incursus, & impetus instauratus est. Cæterùm Romanis solenne fuit, Provinciæ limitem figere, quem prætenturam, vel Clusuram appellabant; quod illam vel hostibus prætenderent; vel hostilem impetum excluderent. Claustra etiam dicebantur: quia eo munimento, Romani Imperii terminus claudebatur.

Spartian. in Hadrian. c. 11.

MURUS AB HADRIANO EXTRUITUR.

Beda l. 1. c. 5.

V. UBI EXTRUCTUS.

Spartian. suprà.

Itaque ab Itunæ æstuario, ad Tinæ fluminis ostium; per octoginta millia passuum, Hadrianus Imperator *ex magnis stipitibus, in modum muralis sepis, funditus jactis, intraq; se connexis*, aggerem, vallumque primus excitavit: ne hostis in Romanam provinciam acturus prædam irrumperet. Julius quidem Agricola olim, simili industria, Septentrionalem populum à Britannorum finibus excluserat. Sed ille altiùs in Septentrionem provectus, Glottam, & Bodotriam Romani Imperii terminos fixerat, ut suprà Tacitus exposuit. Verùm nunc miles, experientiâ doctior; vidit toto illo terrarum tractu, nullam cupiditatis illecebram, pro qua pugnandum aut laborandum esset. Continuit ergo se, ad australem plagam; & quod Agricola præsidiis firmaverat, ultro hostibus indulsit, munivitque cætera. Hoc ipsum Dio intellexit, cum suprà dixit: Hadrianum arces & mœnia considerasse; eorumque partem ad loca magis idonea transtulisse. Quæ omnia Hadriano laudem & æternitatem nominis conciliarunt. unde cusa numismata, in quibus Hadrianus legitur BRITANNIÆ RESTITUTOR: quod nolim intelligas ipsum Romani Imperii pomærium ampliasse in Britannia; nam contraxit potiùs; sed quòd militarem disciplinam restituerit, moresque correxerit; ac demum provinciales à vicinorum hostium incursibus injuriisque muniverit, quod Regium est & omni dignum memoria.

V. an. 83. n. 1.

VI. *Gordon. anno 124.* NECDUM SCOTI, AUT SCOTIA, IN BRITANNIA.

Jacobus Gordonius natione Scotus, in opere Chronologico, ubi hanc Hadriani expeditionem explicat, ita de illâ: *Britanniam*, inquit, *petens Hadrianus, murum per octoginta millia passuum primus duxit: qui Romanos divideret ab ea parte, quæ postea est Scotia nuncupata.* Hactenus ergo nulla Britanniæ pars Scotia nuncupatur: nec ulla in Britannia Scotorum mentio: quod firmat omnia, quæ de Britanniæ populo ad Septentrionem suprà posui: nimirum eos, qui Romanorum potentiam exosi, subdi noluerunt; uno Britannorum nomine audivisse. Et licet suppetias interdum è vicinâ Insulâ, & aliunde fortè quæsiverint: hactenus tamen Britanniæ nomen integerrimè conservavit: quod Gordonius videtur observasse, cum dicit Septentrionalem Insulæ partem, quæ in Romanos pugnavit, postea Scotiam nuncupatam esse: nimirum, cum Hiberni in Pictorum seu Caledoniorum Britannorum suppetias vocati, illam occupassent. Porro quod idem author velit murum, non ab Hadriano, sed à Severo Imperatore structum esse, inferiùs excutiam; dicamque ab Hadriano quidem, è stipitibus inter se connexis, ut suprà; à Severo vallum erectum, *crebris turribus communitum*, ut inquit Orosius. Stet ergo, & Hadrianum, & Severum Imperatores, Britanniam vel muro, vel vallo distinxisse. Fatendum autem quòd extincto ferè Hadriani nomine, murus ille passim à Britannis SEVERI VALLUM appelletur. Mansere tamen Hadriani nominis vestigia. nam pons Ælius, Classis Ælia, Cohors Ælia, & Ala Sabiniana; quæ ibidem sedem habuerunt; ab Ælio Hadriano, & Sabina uxore ejus, appellationem sumpsere. nam magnum enimvero Hadriano negotium, cum illo Septentrionali populo fuit, quem Brigantes appellat Juvenalis, eo versu, quo Hadrianum Imperatorem, ad vindictam de iis sumendam instigat.

Disjice Maurorum attegias & castra Brigantum. *Juvenalis.*

ANNUS URBIS CONDITÆ 875.

ANNUS CHRISTI 124.

ALEXANDRI PAP. 4.

LUCII REGIS 1.

HADRIANI IMP. 5.

I.

SEQUITUR Christi annus centesimus vigesimus quartus, Asiatico, & Quinto Consulibus: quo Hadrianus Imperator, composita militari disciplina, munitaque prius provincia, è Britannia solvit. Nec enim Alexandrina seditio permisit eum diutiùs in Insula manere. ut Baronius aliique è Spartiano colligunt. Itaque transgressus in Gallias, perrexit in Hispanias, ibique hiemavit.

II. Coellus Rex moritur.

Fecit hoc anno vivendi finem Britanniæ Rex Coëllus, cùm multæ esset ætatis regnumque tenuisset annos quadraginta quinque. Scio vitæ regnique ejus periodum variè à variis poni; quos non est opus nec pretium operæ numerare. neque enim solidè affirmari, constantive argumento probari potest, quo anno Coellus parens, aut coronam induerit, aut eandem exuerit. solùm constat ab ejus morte successisse Lucium, filium ejus. Quod ad hunc annum refert Westmonasteriensis. *Anno gratiæ*, inquit, *centesimo vigesimo quarto, Coëllo Britonum Rege defuncto; Lucius, filius ejus, regni diademate insignitus est. Hic omnes actus bonitatis Patris sui sequens, ab omnibus tanquam ipse Coëllus habebatur.* Hæc ille. Cæterùm tam Coellum Patrem, quàm Lucium ejus filium, coronam regni gestare potuisse Hadriani Imperatoris tempore, constanter possumus affirmare; & eam Insulæ partem regere, quæ Romano imperio parebat. Hadrianus enim ubique regiam dignitatem tuebatur, fovebatque maximè Regum amicitiam. De quo Spartianus, ita: *Omnes Reges muneribus suis vicit.* Et alibi: *Armenus Regem habere permisit, cum sub Traiano Legatum habuissent.* Denique Hadrianum Reges in pretio & honore habuisse disertè affirmat illis verbis. *Regibus multis plurimum detulit: à plerisque verò, etiam pacem redemit.* Unde non mirum, si à Britanniæ Regibus coleretur: quod de Coello & Lucio affirmandum: cum Polydorus Vergilius, ita scribat. *Coyllus Romæ diu fuit, omnemq; juventutem suam stipendiis faciendis, bonisq; cæteris artibus exercuit. Is post mortem Patris Rex creatus, quadraginta quinque annis, quibus regnavit, Romanis semper charissimus fuit: ac pace ubiq; partâ, bellis prorsus abstinuit. Sed illud cumprimis memorabile generi suo præstitit: quamobrem à cunctis in perpetuum benè audire est meritus; quòd Lucium filium Regem creavit, qui Britannorum Regum primus, Christianus factus est.* Ita Polydorus.

Westmon. hic.

Lucius ejus filius succedit.

Spart. in Hadri. c. 17.

Ibid. c. 21.

Vergilius l. 2.

III. Hæc ideò à me pluribus dicta sunt, ut Lucii regnum cum Romano imperio constare: & Legatos, militemque ex Urbe missos in Insulam; cum Regio provinciarum jure constitisse ostendam. Quod ideò in Lucio Rege necessarium, quia primus ille ex Europæis regibus, in Christum credidit: facemque illustrissimis sanctissimisque Regibus, qui eum in Britannia sequuti sunt, prætulit. Quo referri possunt versus, antiquo authori, sub Gildæ nomine ascripti.

Apud Usser. fol. 39.

Inde patri Coylo succedit Lucius, orto
Lucifero prælucidior. nam lucet in ejus
Tempore vera Fides, errorum nube fugatâ.

Verùm decennis adhuc Lucius, adultiorem ætatem expectare priùs debet, quàm lucem illam explicet. Debet à Deo. Opt. Max. sæpiùs vocari: & inde cælestem lucem haurire. Ideo, quæ voces, quæ monita, quæ miracula præcesserint, illumque ad Romanam Ecclesiam traxerint; suis locis, servato temporis ordine, exponam.

ANNUS URBIS CONDITÆ 876. 877.

ANNUS CHRISTI 125. 126.

ALEXANDRI PAP. 5. 6.

LUCII REGIS 2. 3.

HADRIANI IMP. 6. 7.

Anno Christi centesimo vigesimo quinto, Consulibus Vero, & Ambiguo: Hadrianus Imperator, ex Hispania in Achaiam, inde Athenas profectus, Deorum quidem cultorem, sed unius verique Dei se hostem ostendit. & anno sequenti, Gallicano, & Titiano Consulibus nihilo se meliorem probavit, cum ex Achaia Romam rediisset.

ANNUS URBIS CONDITÆ 878.

ANNUS CHRISTI 127.

ALEXANDRI PAP. 7.

LUCII REGIS 4.

HADRIANI IMP. 8.

I. Persecutio sub Hadriano.

Sequitur Christi annus centesimus vigesimus septimus, Scipione, & Aquilino Consulibus: quo Hadrianus ex Africa Romam reversus, provincias omnes Romano imperio subjectas visitasse dicitur, passim permittens magnam in Christianos crudelitatem exerceri. Tunc enim fideles plebeiorum hominum injuriis patebant adeo, ut nulla de causa, sine ulla judicii forma, ad vulgi solùm libidinem cæderentur. Idque tam insolenter, ut rerum criminalium Judices Hadrianum interpellare coacti sint, quo furorem injuriasque sisterent. Quod paulò post factum, excitavit Principes viros, ut meliùs de Christiana fide sentirent, quam perditis solùm hominibus cernebant vitio verti. In Palæstinâ potissimùm, ubi sacratior Christi memoria; & major fortè, quàm alibi Christianorum numerus, persecutio eminebat. Ibi Bethleem, ibi Calvariæ, & Oliveti montes, Christi olim præsentia nobiles, plures per orbem ad illorum locorum cultum exciverant: & ægrè ferebant Judæi, pro Deo coli, quem illi crucifixerant; aut illa loca frequentari, quæ oderant ipsi. Sed quoniam animus est, & instituti ratio postulat; accuratè dispicere, quorsum Christiani tot passi injurias: quid in eorum moribus, aut vita infidelibus & Judæis displicuerit: quorsum denique Hadrianum impulerint, ut gravia contra eos decerneret. exponam latiùs, quid illud, quod Judæis, & infidelibus ingratum, Christianis hominibus in deliciis erat.

II. Unde mota persecutio?

Sciendum itaque in Palæstinæ regione, cum Christiani frequentes, ad ea loca, orandi causa, concurrerent, quæ Christus, vel natali suo, vel passione consecrarat; vel quæ ultimò, mortalis, aut immortalis Deus homo calcaverat: ad Crucem imprimis solitos procumbere, quæ in imo posita, Judæorum invidia, videri non nisi fidei oculis, poterat. Id Judæi indignissimè ferentes, Christianos propterea lacessere, irridere, convitiari, denique apud Hadriani ministros illos deferre,

quod Crucem, & nescio quem Crucifixum colerent. Hadrianus sub hoc tempus factus certior, Christianos ibi, nec Judæorum, nec Romanorum more Numen colere, edicto cavit, ne loca illa Christiani frequentarent. Quod olim etiam ab aliis factitatum. Sed tantus fidelium, in ea loca, pietatis impetus fuit; & primitiæ spiritus adeo calentes; ut nulla legum severitate cohiberi ab eo religionis cultu potuerint. Præcepit itaque Imperator, ut locus ille; ubi crux condita, ubi Christi sepulchrum, & morientis Christi monumenta ultima erant; fossa, aggere, ruderibus denique deturparentur adeo, ut nullus eò nisi per ardua accessus pateret: atque ita præteritarum rerum à Christo gestarum memoria obliteraretur penitùs. Stitit hoc quidem aliquamdiu Christianorum pietatem: quæ tamen non potuit diu tepescere. nam brevi iterum efferbuit: & Deo bono, Angelisque propitiis, superatis difficultatibus, removerunt lapides ab ostio monumenti; eoque, & ad Crucis defossæ locum religiosè itabant. Hoc adeo Judæos, gentilesque malè habuit, ut impiissimo invento, Christianam piétatem, imo religionem omnem, penitùs, si fieri potuisset, delevissent. nam impuræ Veneris statuam, ubi Crux abdebatur, desuper statuunt: satis gnari fideles omnes, ad idolum illud nolle procumbere: nec eò venturos religionis causa, ne Venerem venerari viderentur. Inde Crucis locus, aliaque sanctitate plenissima, idolis jam deturpata, à fidelibus frequentari, suie idololatriæ suspicione, non potuerunt: & subsequentibus sæculis factum, ut locorum quoque memoria, ubi Crux, aliaque pietatis alimenta condebantur, perierit; periissetque omninò nisi Helena nostra, & præsentia sua, & Crucis inventione, locorumque apertione, rebus etiam ibi piè sanctèque gestis, Christianam religionem illustrasset.

HADRIANUS PASSIONIS LOCA DEHONESTAT.

III. PROBANTUR SUPRADICTA.

Audio hic submurmurantes aliquos, inimicos Crucis Christi, qui Crucem & loca illa, obliterata adhuc vellent, & ab hominum memoria remotissima: audio, inquam, sciscitantes: Unde constat Hadrianum, & Judæos in Crucem, & hæc loca pugnasse: aut Christianos ibi orandi causa procumbere solitos. Vident enim, si ita à Judæis & infidelibus factum, se cum illis potiùs, quàm cum primitivæ Ecclesiæ filiis succenturiandos meritò esse: Qui enim vel clam, vel palam Crucem prostare nolunt: qui illam è templis & compitis dudum sustulerunt: qui denique in illam ubique pugnant: cum illis stare non possunt, qui Crucem inter tot aspera, tam religiosè, tam anxiè quæsiverunt. Horum quæsito satisfaciat Sozomenus, qui Helenæ pietatem studiumque in quærenda Cruce explicaturus, hæc habet. *Helena, quoniam pio animo erga religionem Christianam erat affecta, visa est sibi opera pretium factura: si lignum Crucis Venerandæ invenire posset. Verùm neque illa, neque divinum Domini sepulchrum facilè repertu erat. nam Veteres gentiles qui Ecclesiam persecuti fuerunt, quoniam Christianam religionem recens ortam, concidere, comprimereque, omnibus opibus, viribusque, laborabant; idcirco eum locum, ingenti aggere superinjecto obruerunt: inque majorem altitudinem, uti etiamnum apparet, erexerunt. Quia etiam universo loco, tum sepulchri, unde Christus resurrexit; tum Calvariæ, muro undique circundato, eum pro suo arbitratu exornare cœperunt. Nam primum sternunt lapidibus: deinde fanum Veneris suprà extruunt: postremò simulacrum in eo statuunt; ad eum sane finem; ut & qui Christum in eo loco adorarent, Venerem viderentur colere: & temporis diuturnitate, vera causa cur homines* EUM LOCUM VENERARENTUR *veniret in oblivionem. Quippe cum Christiani, neque tutò ipsi accedere possent: nec aliis indicare auderent: sed contra omnibus pro certo confirmaretur, in eo loco, aliud nihil, præter fanum gentilitium, & Veneris statuam.* Hæc Sozomenus: Ubi notanda differentia inter Helenam, Crucem piè quærentem, & infideles eam impiè occultantes: Illa *pio animo erga Fidem erat affecta*, & Crucem quæsivit, pietatis alimentum. Isti Fidem extinguere, non alio magis, quàm Crucis exterminio, satagebant.

Sozom. l. 2. c. 1.

IV. HADRIANUS CHRISTI CRUCEM PERSEQUITUR.

Severus Sulpitius sacr. hist. l. 2.

Sed quid hæc omnia ad Hadrianum Imperatorem? aut quis in eo notat odium Crucis? disertè id affirmat Sanctus Severus, in sacra Historia, ubi de hoc tempore, & persecutione loquens, ait: *Qua tempestate Hadrianus, existimans se Christianam Religionem, loci injuria, perempturum; in Templo, ac loco Dominicæ Passionis, dæmonum simulacra constituit. Et quia Christiani ex Iudæis potissimùm putabantur, militum cohortem, custodias agitare in perpetuum jussit, quæ Iudæos omnes Hierosolymæ aditu arcerent.* Eadem habet S. Paulinus, Epistola undecima: ubi causam addit, cur tanto impetu Gentiles, & Judæi in Crucem ferrentur. & verendum ne eodem genio agantur, qui nuperiùs in Cruces, & crucifixum sævierunt. dicit ergo Paulinus. *Facilè enim assequi conjectura possumus; quæ vi excidissent Crucem, si extare vidissent, qui & Crucis locum persecuti sunt. Nam Hadrianus Imperator, existimans se Christianam Fidem, loci injuria, perempturum, in loco Passionis, simulacrum Iovis consecravit; & Bethleem Adonis fano profanata est.* UT QUASI RADIX, ET FUNDAMENTUM ECCLESIÆ TOLLERETUR, *si in iis locis idola colerentur, in quibus Christus natus est, ut pateretur; passus est, ut resurgeret; surrexit, ut regnaret; judicatus, ut judicaret.* In eundem modum scripsit S. Hieronymus. *Ab Hadriani temporibus*, inquit, *usque ad imperium Constantini, per annos circiter centum octoginta, in loco Resurrectionis, simulacrum Iovis: in Crucis rupe, statua ex marmore Veneris, à gentibus posita colebatur: existimantibus persecutionis authoribus, quòd tollerent nobis Fidem Resurrectionis, & Crucis, si loca sancta per idola polluissent.*

ET EODEM GENIO CALVINISTÆ.

Paulin. Epist. 11.

Hieron. Epistola ad Paulinum.

V. CRUX AB OMNIBUS CHRISTIANIS CULTA.

Amalar. l. 1. c. 14.

Vides opinor Lector, ut Crux, Fidei tessera, Christianis omnibus in deliciis fuerit: uti non illum solum, sed locum, ubi condita, magno etiam cum periculo coluerit: ut benè dixerit Amalarius Fortunatus: *Crux ab initio, ex quo eam Dominus beavit sanguine suo, ab omnibus fidelibus verbis, & operibus glorificata est.* Vides, etiam ut infideles & Judæi, & qui Ecclesiam Christi persecuti sunt, illam oderint, atque proscripserint. Vides denique quo genio, quo spiritu, quo fine, Crucem ex hominum memoria delere conati sint, & puta, eodem impetu ferri eos, qui Cruci hac tempestate bellum indixerunt. Malè ergo sibi Calvinistæ blandiuntur de Evangelio à se reformato; & puritate scilicet Fidei; cum Cruces è templis, & locis omnibus eliminant: cum Christi natalitia, Passionis ejus & Resurrectionis mysteria, diesque illa indicantes obliterant: nam eo planè modo Hadrianus Imperator, & quotquot Christianam Fidem persecuti sunt; Orbem reformarunt. nimirum cum Radicem Fidei & fundamentum Ecclesiæ convellere, & penitùs evertere conati sunt. Et fortè non alia, certè non major persecutionis causa olim fuisse videtur:

quàm Cruci cultus à Christianis exhibitus, cum idolorum contemptu. *Crux*, inquit Lactantius, *sæpè causa præcipua justitiam persequendi malis Regibus fuit*: quia Crux, cum idolis stare non poterat, ut benè notavit Sanctus Athanasius. *Nos*, inquiens, *idololatriam debellavimus: & per prædicationem ignominiosæ Crucis, aurata templa conciderunt.*

Lactant. Instit c. 27.

Athanas. in vit. S. Antonii.

VI. Bethleemiticam specum Hadrianus deturpat.

Quod de Cruce dictum, idem de Christi incunabulis, & specu Bethleemitica dicendum: nimirum hac Adriani tempestate, à Christianis ea loca frequentari solita; ut ibi venerarentur id ubi primò steterunt pedes Christi, & infans vagierat. Hadrianus id etiam impatienter tulit: & nè imposterum fideles eò confluerent, Adonidis simulacrum erexit: *Ut in specu ubi quondam Christus parvulus vagiit, Veneris amasius plangeretur.* inquit S. Hieronymus. Stetit ibi impurum simulacrum: donec Britanna Helena erecto ibi Mausolæo, & idolis ejectis, locum pristinæ pietati restituit: *quem & honoribus decenter affecit*, inquit Eusebius. Ubi habes Britannorum Fidem, cum infidelium, & Judæorum, addo & Calvinistarum perfidia, pugnantem.

Hieron. Ep. ad Paulin.

Euseb. l. 3. Vit. c. 40.

ANNUS URBIS CONDITÆ 879.
ANNUS CHRISTI 128.
ALEXANDRI PAP. 8.
LUCII REGIS 5.
HADRIANI IMP. 9.

Quinam pro Christianis dixerint, et fecerint.

SEquitur Christi annus centesimus vigesimus octavus, Vero, & Bibulo Consulibus. quo mitior Hadrianus in Christianos fuit. Monuerat eum Gravianus Asiæ Proconsul, jus omne, fasque violari; dum innoxios cæterùm homines, nominis tantùm & sectæ reos, impii passim trucidarent. Quadratus etiam Apostolorum discipulus, & Aristides, Atheniensis Philosophus, pro Christianorum innocentia scripsêre: quæ Hadriani auribus animoque illapsa; multùm & Christianis, & Fidei profuerunt. nam illi, re inspecta, & momentis singulis judicio libratis; vulgi error, Judæorum perfidia, Fidei veritas, denique Christianorum innocentia illuxit. Tunc etiam oculati homines, de Christo meliùs sentire, & patientem Christianorum vitam fideique inter adversa constantiam admirari cœperunt. Tunc etiam Imperator pro Christianis scripsit; mandavitque crimina non Fidem puniri. Factum id hoc anno centesimo vigesimo octavo, cum Hadrianus Athenas rediisset.

ANNUS URBIS CONDITÆ 880.
ANNUS CHRISTI 129.
ALEXANDRI PAP. 9.
LUCII REGIS 6.
HADRIANI IMPER. 10.

ANno Christi centesimo vigesimo nono, Gallicano, & Titiano Consulibus; innotuit Hadriani Imperatoris clementia, rescriptumque pro Christianis. Quod ut Christi cultores in spem; ita plures alios, in notitiam primò, inde in Fidei admirationem erexit. Nec in Britannia defuerunt, qui quod Romanorum Imperator fecerat, conscii, suggesserint Lucio Britannorum Regi, quid facto opus, si salvus esse, & æternùm regnare vellet. An autem monitus Lucius præbuerit, nescio. Sunt tamen qui asserant eum, juvenem adhuc, & nuper Regem, potestatem fecisse civibus suis, Christi Fidem amplectendi; quod mihi facilè persuadet ejus indoles, ad virtutem & pietatem nata. Cæterùm quod alii dixerunt, eum, ad Alexandrum Romanum Pontificem misisse, petiisseque ab ipso Fidei doctores, non ita certum. Tamen Albertus Krantius, externus author, ita scribit. *Religionem Christi Lucius quondam Britanniæ Rex, ab Alexandro, primo ejus nominis, Summo Pontifice, impetravit in Insula prædicari.* Id si verum, ad hæc tempora referri debet, quando Hadrianus Imperator pro Christianis scripsit; & Alexander Papa in Petri adhuc cathedra sedebat. Et sanè, quia Christiani publicè ubique audiebant benè: Christiani in Britannia, quos privatim fidem hactenus coluisse suprà dixi, caput efferre, solicitare Lucium, & Romanum quoque Pontificem, pro Fidei incremento, opportunè poterant. Hinc Britannorum precibus, Alexandrum annuisse, doctoresque in Insulam misisse, ex eo aliqui colligunt, quod Timotheum, Marcellum, & alios ex Urbe in Britanniam venisse, circa hæc tempora Annales nostri referant, de quibus dicendum inferiùs.

Christiana Fides nunc ubi illustrior.

Krantius in Metrop. l. 1. c. 6.

Broughton. centur. 2. c. 3.

ANNUS URBIS CONDITÆ 881.
ANNUS CHRISTI 130.
ALEXANDRI PAPÆ 10.
LUCII REGIS 7.
HADRIANI IMP. 11.

ANno Christi centesimo trigesimo, Torquato & Libone Consulibus, Hadrianus Hierosolymitanam Urbem à se denominatam, Æliam Capitolinam, ædificato ibi Jovi delubro contaminat. Quod Judæos adeò commovit; ut in seditionem versi, & Romanum imperium aversati; tandem paulò pòst in diuturnum & gravissimum bellum eruperint. *Quò universus terrarum Orbis, ex motu Judæorum, concussus est*, inquit Dio. Britanniam quoque intelligit: unde Hadrianus post aliquot annos Julium Severum, qui Britanniam administravit eduxit, legavitque in Syriam, ut suo loco dicemus. nunc enim jacta tantummodo semina seditionis: vel quia Imperator Judæos ad idolorum cultum adigere nitebatur: vel quòd *vetabantur mutilare genitalia*, inquit Spartianus.

Dio in Hadria.

ANNUS URBIS CONDITÆ 882.

ANNUS CHRISTI 131.

ALEXANDRI PAP. II.

LUCII REGIS 8.

HADRIANI IMP. 12.

CHristi annus centesimus trigesimus primus, Consules habuit Celsum, & Balbum; & aliud quod Britanniam spectet, nihil.

ANNUS URBIS CONDITÆ 883.

ANNUS CHRISTI 132.

SIXTI PAPÆ I.

LUCII REGIS 9.

HADRIANI IMP. 13.

I. ALEXANDER PAPA MARTYRIO CUM ALIIS CORONATUR. AQUA PRECIBUS BENEDICTA. * Cent. 2. fo. 121.

ANno Christi centesimo trigesimo secundo, Catullino & Apro Consulibus; Alexander Papa, cum Senatores aliquot, & Romanorum nobilissimos ad Christi Fidem convertisset; gentilium iras, & furorem sensit: nam gravissimus affectus suppliciis, unà cum Eventio, Theodulo, & aliis martyrio coronatur; cum decem annos sedisset, & menses quinque. Res ab eo gestas, novatores vel calumniantur, vel controvertunt. Si aquam precibus benedici & consecrari præcepit; ut eum præcepisse legimus: indignantur Magdeburgici: * *Ineptas*, inquiunt, *& pueriles ceremonias instituere reliquas Ecclesias fortasse puduit* (loquuntur de hoc sæculo, cum Alexander Romæ sedit) *sed Romana, fronte semel perfrictâ, nihil non etiam ineptissimarum rerum ausa est.* Quid causantur? quos homines, quæ sacra accusant? pudet dicere. imo ipsos puduit calumniatores: & ideò quod Alexander fecisse dicitur, non ab Alexandro factum, sed à recentioribus confictum malunt. Sed inepti potiùs & pueriles illi, qui Paulum Sanctum; imo Spiritum sanctum, accusare præsumunt, qui dixit: *Sanctificari posse omnem creaturam, per verbum Dei, & orationem.* (1. Timoth. 4. 5.) Nihil ergò fecit Alexander non præscriptum ab Apostolis, non usurpatum priùs, non probatum ubique, si jussit aquam benedici; & illi convincuntur ejus factionis esse, quem aquam benedictam horruisse, omnia sæcula testantur.

II. SIXTUS PAPA. * Balæus Apostat. in Sixto.

Successit in Alexandri locum Sixtus, natione Romanus; * *qui sermone potens, & opere, Ecclesiam piis aliquibus factis ornavit, pro Dei grege solicitus semper*, ut Romanæ Ecclesiæ hostes fatentur. Addunt etiam explicatiùs pia facta, nimirum vetuit nè *sacra vasa nisi à sacris Ministris tangerentur*; nè Episcopus ad Romanum Pontificem accersitus, domum reversus reciperetur ab Ecclesiâ, nisi Romani Pontificis literis munitus; nè Missa, nisi in Altari celebraretur; nè corporalia, nisi è panno lineo fierent. Quæ omnibus Ecclesiis decreta hoc primo tempore, & in hodiernum diem religiosè observata, & Romanæ Sedis potestatem imperiumque probant; & Protestantium Ecclesiæ faciem, ab antiqua admodum discrepare.

ANNUS URBIS CONDITÆ 884. 885.

ANNUS CHRISTI 133. 134.

SIXTI PAP. 2. 3.

LUCII REGIS 5. 6.

HADRIANI IMP. 14. 15.

ANNos Christi centesimus trigesimus tertius, Pontiano & Ruffino Consulibus: & centesimus trigesimus quartus, Pompeiano II. & Commodo Coss. nihil exhibent Annalibus nostris.

ANNUS URBIS CONDITÆ 886.

ANNUS CHRISTI 135.

SIXTI PAP. 4.

LUCII REGIS 7.

HADRIANI IMP. 16.

SEquitur Christi annus centesimus trigesimus quintus, Hybero & Silano Consulibus; cum Hadrianus in imperio annum ageret sextum decimum, Judæi Palæstinam depopulantes, Romanum exuere jugum conantur. Tinius Rufus, eorum conatibus impar, audaciam auxerat animosque. *Tunc Hadrianus*, inquit Dio, *minimè cunctatus, præcipuos Romanorum Duces adversus eos misit, quorum primus, Julius Severus, in Judæam, è Britannia vocatus.* (Dio in Hadriano.) Hactenùs ergò Julius Severus, in Britannia, pro Romanis erat, & hoc anno Magistratu functus, in Palæstinam & Judæos proficiscitur; ubi cunctando restituit rem, nam numero longè impar, justam aciem campumque detrectans, divisim, carptimque in Judæos pugnans victoriam biennio absolvit. Quis illi in Britannia successerit, nemo quod sciam disertè affirmat. Conjectura est, Licinium Priscum, quem in alterâ expeditione Judaïca, de quâ nos * suprà, vexillo militum ornaverat Hadrianus, in Julii Severi locum intrasse. Qui cum Britannico exercitu, ad Hadriani murum excubans; quò Romanam provinciam à Septentrionalium injuriis, & incursibus tueretur; reliquit ibi sui nominis, & excubiarum, monumentum. Visitur illud marmori insculptum, è muri ruderibus erutum: ubi locus excubiarum erat; quod Domitius Columbus, in Licinii memoriam erexit, in hunc modum

I. JULIUS SEVERUS E BRITANNIA SOLVIT. LICINIUS PRISCUS. * V. an. 121. 2. SUCCESSOR SEVERI.

II.

M. F. CL. PRISCO
..ICINIO ITALICO LEGATO AVGVSTORVM.
PR. PR. PROVINC. CAPPADOCIÆ.
PR. PR. PROV. BRITANNIÆ.

LEG: IIII. GALLICIÆ PRÆF. COH. IIII. LINGONVM.
VEXILLO MIL. ORNATO A DIVO HADRIANO IN EXPEDITIONE JVDAIC.

Q. CASSIVS DOMITIVS PALVMBVS.

III. QUANDO ERECTUM MONUMENTUM? DIVI POST MORTEM DICEBANTUR.

Non hoc tempore, sed posteriùs, erectum esse monumentum, vel inde ostenditur, quod Hadrianus Divus appellatur: quæ nuncupatio apotheosin ferè sequebatur, & illa Imperatoris mortem. Hunc ergo Licinium, sub hæc tempora, & non priùs, ut aliqui putaverunt, in provinciam venisse, & pro Prætore fuisse putamus. Qui enim fieri poterat, ut Julius Severus ab Hadriano vocaretur è Britanniâ, in primâ expeditione Judaicâ; si illi tunc successum à Licinio? nam Licinius ornari priùs debuit militari vexillo ab Hadriano, ut patet è marmore. Dico igitur ad firmandam rationem temporis; Licinium anno Christi centesimo vigesimo primo, & secundo imperantis Hadriani; rem contra Judæos strenuè gessisse: & præmium inde tulisse. & hoc demum anno, cùm Judæi ob dictas causas magis insolescerent, magnos Duces, undique conquisitos, in Palæstinam; & tum, nec priùs Licinium Priscum, Julio Severo successisse: qui quietam nactus provinciam, non alia re magis, quàm suprà dicta Epigraphe, clarus fuit.

ANNUS URBIS CONDITÆ 887.

ANNUS CHRISTI 136.

SIXTI PAP. 5.

LUCII REGIS 13.

HADRIANI IMP. 17.

ANNO Christi centesimo trigesimo sexto, Consules fuerunt Servianus, & Verus: quando Eusebio teste, Jejunium quadragesimale, Romani Pontificis authoritate præceptum, nimirùm quod prius ab Apostolis institutum, vivæ vocis oraculo; nunc lege lata renovatum atque firmatum: licet legis promulgatio passim non ad Sixtum, sed Sixti successorem Telesphorum, referatur.

ANNUS URBIS CONDITÆ 888.

ANNUS CHRISTI 137.

SIXTI PAP. 6.

LUCII REGIS 14.

HADRIANI IMP. 18.

ANNus Christi centesimus trigesimus septimus, Consules habuit Pompeianum, & Acilianum: quando Hadrianus decimo octavo imperii sui anno L. Ceionium Commodum adoptat in filium; & Imperii successorem designat, quem Ælium Verum Cæsarem vocari jubet. In Burtonensibus Annalibus, hæc nota legitur: Anno centesimo trigesimo septimo Christianitas primò venit in Britanniam. Sed Lucium Regem tunc baptizatum supponit, quod omnino non probatur.

ANNUS URBIS CONDITÆ 889.

ANNUS CHRISTI 138.

SIXTI PAP. 7.

LUCII REGIS 15.

HADRIANI IMP. 19.

ANNus Christi centesimus trigesimus octavus, Consulibus notatur Commodo Vero, & Pompeiano. Commodus superiore anno adoptatus ab Hadriano, cum primum Consulatum iniisset, & secundò designatus esset, morte impeditus illum non adiit. Tunc Hadrianus adoptavit Arrium Antoninum cognomento Pium; ea lege ut ille duos adoptaret L. Annium Verum, & Marcum Antoninum. qui duo pariter postmodum imperarunt.

ANNUS URBIS CONDITÆ 890.

ANNUS CHRISTI 139.

SIXTI PAP. 8.

LUCII REGIS 16.

HADRIANI IMP. 20.

ANnus Christi centesimus trigesimus nonus, Consules nominat Ælium Verum secundò, & Vibullium Pium. Sed Verus, primo secundi Consulatus die moritur: & Arrius Antoninus, ut suprà, in adoptionem succedit, qui Hadrianum mori volentem, pro viribus impedivit, inde Pii cognomen sortitus.

ANNUS URBIS CONDITÆ 891.

ANNUS CHRISTI 140.

SIXTI PAP. 9.

LUCII REGIS 17.

ANTONINI IMP. 1.

HADRIANUS IMP. MORITUR.

MOLES HADRIANI.

ANNO Christi centesimo quadragesimo, Camerinus & Magnus Consulatum inierunt: cum Hadrianus Imperator Antoninum, quem adoptaverat, auget tribunitia potestate; & paulò post moriens, eidem imperium quoque reliquit; cum imperasset annos viginti, menses undecim, diu priùs cum morte luctatus, quàm mori posset; tandem inedia vitam finivit. Mortuum Antoninus Tibure in Urbem transfert, sepelivitque in ea mole, quæ hodieque audit Hadriani moles, vulgò Sancti Angeli nomen habens.

ANNUS URBIS CONDITÆ 892.

ANNUS CHRISTI 141.

SIXTI PAP. 10.

LUCII REGIS 18.

ANTONINI IMP. 2.

I.

BRITANNORUM ALIQUI BAPTIZANTUR.

Caius l. 1. Antiq. Cantab.

QUI sequitur Christi annus centesimus quadragesimus primus, Antonino Augusto secundùm, & Bruttio Præsente, Consulibus, illustris fuit quorundam Britannorum conversione ad fidem. Unde probabile redditur quod Krantzius suprà dixit, venisse Roma aliquos ab Alexandro Papa missos, cum priùs Insula Alexandro supplex, eos mitti postulasset. Ita igitur in pervetustis Burtoniensis Cœnobii Annalibus legitur. *Anno Domini centesimo quadragesimo primo, hic baptizati sunt novem ex Doctoribus & Scholaribus Cantabrigiæ.* Ita refert Caius in Antiquitatibus suis. Excipiunt alii contra Urbis appellationem; quæ recentior est, & sine dubio hoc sæculo inaudita. Sed veniâ dignus est error, & illi non absimilis, quo dicitur, Lucium Angliæ Regem fuisse; cùm reverà Angliæ nomen sexcentis post Lucium annis, primùm emerserit. Alii igitur non Cantabrigiæ, sed Grantæ baptizatum esse affirmant. Sed omissis iis, quæ in dubium vocari possunt, certò constat baptizari hoc tempore plures potuisse, solenniori, quàm hactenus, cæremoniâ; quia Romanorum Pontificum cura, Lucii & Antonini pietas, Britannorum indoles, hoc est, divina omnia humanaque favebant. Adde hoc ipso tempore, Christi Ecclesiam, ejus, & multorum Martyrum irrigatam sanguine, multùm ubique increvisse. Unde quotquot ea ætate pro Christianis scribebant, messem explicant in omni provinciâ satis luculentam.

II.

Iustin. in Dial. cont. Tryphon.

UBIQUE CHRISTI FIDES INNOTESCIT.

Euseb hist. l. 4. c. 7.

Hoc Justinus Philosophus intellexit, cum dixit: *Ne unum quidem est, genus mortalium, sive barbarorum, sive Græcorum, sive etiam aliorum omnium, quocunque appellentur nomine; ne eorum quidem, qui pro domibus plaustris utuntur, ac tentoriis, agentes vitam pastoriciam, inter quos, per nomen Crucifixi IESV, supplicationes, & gratiarum actiones, patri & fabricatori rerum omnium, non fiant.* Ita in Tryphonem pugnat Justinus, Antonino imperante. Idem de Hadriani imperio testatur Eusebius. *Iam verò,* inquit, *cùm Ecclesia, tanquam clarissima quædam lumina, suum splendorem, per totum Orbem terrarum diffudissent, & fidem in Servatorem, ac Dominum nostrum IESVM CHRISTVM, in universo hominum genere magnoperè vigeret,* &c. Eódem respexit Irenæus, cum de hoc sæculo loquens, non solum fidem ubique diffusam, sed unam illam virginemque permansisse affirmat in hunc modum.

Irena l. 1. c. 3.

Etsi in mundo loquelæ dissimiles sunt: sed tamen virtus Traditionis una, & eadem est. Et neque hæ, quæ in Germaniâ fundatæ sunt Ecclesiæ, aliter credunt, aut aliter tradunt: neque hæ quæ in Hiberis sunt; neque hæ quæ in Celtis, neque hæ quæ in Oriente; neque hæ quæ in Ægypto, neque hæ quæ in Lybia; neque hæ quæ in medio mundo sunt constitutæ. Sed sicut Sol, creatura Dei, in universo mundo, unus & idem est; sic & lumen, & prædicatio veritatis, ubiq; lucet, & illuminat omnes homines, qui volunt ad cognitionem veritatis venire. Quæ omnia abundè probant, nihil novi in Annalibus illis scribi, ubi novem, doctiores fortè cæteris, baptizati scribuntur.

III.

Gild. in excid.

Usser Primord. fo 52

Troyn Apol l. 1. n. 99.

Si dixeris Christianam fidem à Britannis dudùm *tepidè susceptam,* ut Gildas insinuat, hoc tractu temporis, defecisse; id apertè cum Gilda pugnat, qui disertè affirmat apud quosdam tamen *integrè usque ad persecutionem Diocletiani permansisse.* Quæ verba appositè ab eo ponuntur: *Ne quis* (ita Usserus) *ante Lucii conversionem, religionem Christianam ab Apostolis & eorum discipulis, in Britanniam inductam, interiisse, & extinctam fuisse existimet.* Jam verò si quæras, quis novem hos, de quibus Chronicon Burtonense, baptizarit, ut quærit Cantabrigiensis scholæ æmulus, Brianus Troynus, *Proferatur,* inquiens, *is, à quo baptizati; & nomina eorum qui baptizati sunt.* Respondeo, Duram conditionem, nec necessariò premendam. Si enim antiqua hæc omnia, ea lege metiaris; duram servire servitutem debent, ii omnes, qui in eruenda rerum veritate, veterum monumenta elucidare conantur. Addit tamen Brianus ibidem, responderi posse, Pontificios fortè Legatos, operi illi manum accommodasse. Quod non est improbandum. Si enim Britannia ad Alexandrum misit, petiitque doceri, ut Krantzius suprà; non est dubium, Romam adfuisse submittendo viros, qui sitientes provincialium animos, salutis aqua reficerent. Nec opus erit, Taurinum

Ebroicensem incertâ conjecturâ huc accersere (ut facit Hollinshedus) aut Eboracensem Episcopum facere; quia longè certius est; plures hoc tempore in Britannia baptizatos fuisse, quàm quod ille Britanniam viderit.

ANNUS URBIS CONDITÆ 893.

ANNUS CHRISTI 142.

TELESPHORI PAPÆ 1.

LUCII REGIS 19.

ANTONINI PII IMP. 3.

I. Sixtus Martyrio coronatur.

Cum tertium Consulatum iniisset Aotoninus Pius Augustus, unà cum Marco Aurelio Antonino, nimirum anno Christi centesimo quadragesimo secundo, Sixtus Romanus Pontifex Martyrio coronatur, octavo Idus Aprilis, cum sedisset annos propemodum decem. Torquentur hic Novatores, cum legunt aliquando scripsisse Sixtum, se *universalem Apostolicæ Ecclesiæ Episcopum*. Ægrè ferunt Monarchiæ hostes, illud honoris fastigium: putant denique primi temporis, & primæ notæ martyrem, id nunquam præsumpsisse. Sed nosse debent, in more positum fuisse hoc ipso tempore, Romanos Pontifices eâ nominis prærogativâ ornare, idque observasse Tertullianum, nec ægrè tulisse, nisi postquam, eodem cum ipsis morbo, nimirum schismate, odioque in Romanam Ecclesiam, laboravit. Tunc primùm *Pontifex Maximus*, & *Episcopus Episcoporum*, Tertulliano nauseam attulere. Quod cum sequentia sæcula, & doctissimi quique in eo notaverint: Cur Novatores putant Sixtum ita nunquam scripsisse.

Telesphorus Papa.

In mortui Pontificis locum successit Telesphorus, natione Græcus, ex eremo ad Petri Sedem evectus. de quo plura cum moritur.

II. Caledonii murum perrumpunt.

Hoc eodem anno Britanni Septentrionales, vel morte Legati, vel ejus absentia, audaciam nacti, Hadriani murum perrumpere, & in Romanam provinciam irrumpere, magnis viribus aggressi sunt. Licinius Priscus, quem Hadrianus insulæ præfecerat, in his turbis minimè nominatur. unde suspicio est eum vivere desiisse. Antoninus enim, *nulli eorum quos Hadrianus provexerat*, (loquitur Julius Capitolinus) *successorem dedit; fuitque ea constantia; ut septenis & novenis annis, in provinciis bonos Præsides detineret.* Itaque ad premendum borealem motum, Lollius Urbicus in Britanniam ablegatur. Ille motum composuit: alio muro cespititio, contra hostem ducto. Prior enim varia hostium irruptione vitium fecerat. Lollius ergo non in eo loco, sed remotiori murum cespititium posuit; nimirum inter Glottæ & Bodotriæ æstuaria, in angusto illo terrarum spatio, ubi Julius Agricola imperii Romani limitem fixerat. Ita Capitolinum intelligo scribentem: *Antoninus per Legatos plurima bella gessit. nam & Britannos per Lollium Urbicum Legatum vicit, alio muro cespititio, summotis barbaris ducto*, alium vocat ab eo, quem Hadrianus posuerat, qui, ut dictum, inter Itunæ & Tinæ fluminum ostia vallum duxerat. Ex hac Lollii expeditione, & altera contra Brigantes, Antoninus paulò post dictus est Britannicus; licet ipse Britanniam non vidisset. Cujus meminit Eumenius Orator, Constantium laudans Magni Constantini parentem. *Venit mihi*, inquit, *in mentem, quam delicata illorum Principum fuerit in administranda Rep. cum laude felicitas, quibus Romæ degentibus, triumphi & cognomina devictarum à Ducibus suis gentium, proveniebant. Itaque Fronto, cum belli in Britannia confecti laudem Antonino Principi daret; quamvis ille in ipso Urbis palatio residens, gerendi ejus mandasset auspicium; veluti longæ navis gubernaculis præsidentem, totius velificationis & cursus gloriam meruisse testatus est.*

Capitolin. in Antonino c. 5.

Lollius Ursicus in Britanniam legatur.

In Antonino Pio c. 5.

Eumen. Pan. 10.

III. A Camdeno.

Non sum nescius hæc Frontonis verba ab aliquibus, de Antonino Philosopho, non de Pio, intelligi. & reverà uterque in Britanniam Septentrionalem, per Legatos, pugnavit: uterque victoriæ monumenta reliquit: uterque à Frontone, utrique suppare laudari potuit. Sed quia Philosophus, à Frontone *Oratorum nobilissimo Latinas literas doctus* dicitur: videtur potius Fronto Oratoriam artem exercuisse, cum Pius Antoninus imperaret, & alter adolesceret. Adde, quia mentio est cognominis devictarum gentium, & constat Septentrionalem populum, & hac, & ulterius Antonini expeditione devictum esse: noli putare alium ibi, à Britannis, populum fuisse: nec unquam legitur Imperatorum aliquis, cujus auspiciis pugnatum in Britannia, à Victoria devictæ gentis, vel Scoticus, vel Picticus, vel Hibernicus, sed Britannicus solummodo cognominatus.

Paul. Diacon. l. 10.

IV. Cæterùm quod ad Antoninum Pium spectat, ejus Victoriæ monumentum est nummus hoc ipso anno cusus, cum ipse tertiùm Consul esset: & ecce illum è Senatusconsulto editum: ubi Pater Patriæ nominatur. Quando verò additum est Britannici cognomen, dicam inferiùs



V. apud Camden.

Est & alter nummus Antonino Pio inscriptus, ubi Britannia globo insidens victoriam hanc Imperatori tertium Consuli ascribere videtur, & ecce illum



VI. apud Camden.

V. Hactenus, ut vides, Antoninus sine cognomine Britannici, scribitur. Sed Lollius iterum in Brigantes pugnabit. nam licet authores passim Legatorum Acta conjungant, quasi uno eodemque anno gesta; tamen Imperatorum effigies, nummique, satis declarant annos esse differentes. Dicam ergo inferiùs, quando Lollius Brigantes,

& quorſum fregerit, dictusque ſit inde Antoninus BRITANNICUS: nam muri reſtitutio, & ſubmotio hoſtis, nec magnæ Victoriæ, nec additi cognominis, ſufficiens argumentum erat. Quod ergo Fronto intellexit, & Eumenius ſignificat, triumphum & cognomen Antonino additum, ad ſequentia potiùs referendum.

VI. De Berwici oppidi initiis. Ad hunc annum referunt aliqui, Berwici oppidi, in Ottadinis, prima incunabula: ſed unde nomen ſortitum ſit, non conveniunt. Eulogii author ad Roderici Pictorum Regis Comites, & Beringarium, eorum à Roderici morte, Principem refert, & oppidi conditionem & nominis. *Apud Uſſer. in Primord. fo. 382.* Ita enim ſcribit: *De hominibus Roderici remanſerunt nongenti, qui fidelitatem & homagium Regi Weſtmer (puta Marii ſucceſſori Coello, & Lucio) faciebant. Dedit enim eis, quandam vaſtam terram ad inhabitandum per ſe, nè cum aliis commiſcerentur. Fuit autem unus magnus inter eos, qui vocabatur Beringarius, erat enim Princeps eorum. Hic fecit villam inter eos; quam poſt nomen ſuum nominavit, & vocavit illam Berwik: quâ uſque hodie nominatur. Acta ſunt hæc anno Domini centeſimo quadrageſimo ſecundo.* Hæc ille. non potuit ſub hæc tempora illud oppidum emergere, nam Romani, provinciam & Ottadinos, ubi Berwicus, tenebant; ex quo Lollius murum inter Glottam & Bodotriam duxerat: ſed & in conditore quoque luditur: & Beringarius, vel ut Caxtonus vocat, Beryngerus, *Camden. in Ottadinis.* unde Berwike, fabulam ſapit. nam *qui norit quid Berwicus ſonet in Regum noſtrorum chartis* (loquitur Camdenus) *in quibus nihil frequentius quàm dono oppida cum ſuis Berwicis; ne ille viderit veram hujus Berwici etymologiam. Ego quid velit, conjicere non poſſum, niſi vicum denotet, quaſi appendicem, loco cuipiam celebriori annexam.* Et placet conjectura, quia Ingulphus in hiſtoria, Berwicum, manerium ſeu prædium interpretatur. Quod ſi olim, oppidum illud, non Berwik, ſed Beornicawic dicebatur; à Berniciis qui regionem incolebant, nomen accepiſſe dicendum eſt, qui Saxonum tempore Northumbriæ regni portio erant.

ANNUS URBIS CONDITÆ 894.

ANNUS CHRISTI 143.

TELESPHORI PAP. 2.

LUCII REGIS 20.

ARTONINI PII IMP. 4.

ANNUS Chriſti centeſimus quadrageſimus tertius, Conſules dedit Priſcinum, & Severum: ſed Annalibus noſtris nihil ſuppeditat.

ANNUS URBIS CONDITÆ 895.

ANNUS CHRISTI 144.

TELESPHORI PAP. 3.

LUCII REGIS 21.

ANTONINI PII IMP. 5.

SEQUITUR Chriſti annus centeſimus quadrageſimus quartus, Ruffino & Quadrato Conſulibus notatus. Ad quem annum, Uſſerius in Chronologia, Lollii Urbici mentionem, murique poſitionem habet ſub Antonino Pio: Verum cùm nummi ſuperius poſiti, Britanniam nominent, cum tertio ejuſdem Conſulatu: eò potius, quàm ad hunc annum, ſubmotum fuiſſe hoſtem putamus.

ANNUS URBIS CONDITÆ 896.

ANNUS CHRISTI 145.

TELESPHORI PAP. 4.

LUCII REGIS 22.

ANTONINI PII IMP. 6.

CHRISTI anno centeſimo quadrageſimo quinto, Torquato & Athieo Herode Conſulibus: cepit Chriſtiana religio, quæ jam ubique illuſtriſſima ſolis inſtar radios ſparſerat, nubibus aliquando obſcurari. Juvat ergo hoc anno, & ſequenti, cum Britannia à bellis quieſcit, has nubes excutere: unde, & quomodo ortæ; qua ratione diſperſæ, diſſipatæque. Quod firmandæ fidei ingens momentum, & contra ſimile cacoethes antidotum erit ſingulare. Zizania loquor in agro dominico, quæ inimicus homo superſeminavit in medio tritici, in quibus radicitus evellendis, hoc ipſo tempore, Doctorum ingenia feliciter laborarunt. Jucundum ſanè erit, & magnum operæ pretium cernere; quo modo, qua arte, quibus argumentis, humani cerebri intemperies & in Chriſti fidem rebellans ingenium, natum & ſanatum ſit. Nam ut in humano corpore, omni ætate, morbi & ulcera; ſic in Eccleſia hæreſes & ſchiſmata naſcuntur. & medicorum eſt, unius morbi curatione, ad ejuſdem morbi, cum recrudeſcit curationem, methodum, artemque deſcendere. Et quoniam ad curanda hæc vitia, eminuit ſemper, & ſummæ virtutis fuit, Romanæ Sedis authoritas; Petro, & ſucceſſoribus, inſigni prærogativa illis verbis conceſſa: *Rogavi pro te, ut non deficiat Fides tua*: ideo Lucius Britannorum Rex prudentiſſimè feciſſe cenſendus eſt: cum paulò poſt gentilitii erroris pertæſus; & Chriſti Fidem amplecti deſiderans, non aliò quàm Romam appellavit; & Petram illam contra quam hæreſes, hoc eſt, inferorum portæ prævalere non poterant. Vide Lector, ut in fide peccatum: Vide etiam, ut perfidiæ occurſum ſit. I. Exortæ hæreſes quomodo ſanentur. *Luca 22.*

Anno igitur Chriſti centeſimo quadrageſimo quinto, Valentinus Ægyptius, ingenio potens, & eloquio, cùm Epiſcopatu, quem ſpe devoraverat, excidiſſet, * *de Eccleſia authentica regula abrupit*, inquit Tertullianus, hoc eſt, nec Eccleſiam audire, nec authoritati ejus cedere voluit. Finxerat neſcio quæ ſæcula, & Æonas, ſe ſuoſque ſpirituales affirmans; quibus nulla ſtata jejunia, nulla lex poſita eſſent. In hæc monſtra pugnaverunt ſtatim Juſtinus Martyr, Irenæus, atque Tertullianus; quo argumento ſtatim dicam, cum alias inferorum portas, in Petram ſurrexiſſe oſtendero. Interim Lectorem quæſo: ootet accuratè, quinam olim fuerint in Fide nævi, quomodo nati, & quâ potiſſimùm ratione ſublati ſint. nihil enim ad fidei puritatem, ſartam, tectamque conſervandam II. Valentinus hæreticus, et quare? ** Tertull. contra Valent. c. 4.* Independentium anteſignanus.

potentius.

potentius. Et ideo dudum statui, Lucii & omnium Britannorum Fidem, eo modo firmare: nimirum super Petram illam, quæ omnem hæreticorum, & schismaticorum impetum illæsa sustinuit. priùs tamen quàm Valentinum in Fide errantem corrigo: adjungam illi peccantes alios, quia uno omnes pharmaco, si curari volent, sanabuntur.

ANNUS URBIS CONDITÆ 897.

ANNUS CHRISTI 146.

TELESPHORI PAP. 5.

LUCII REGIS 23.

ANTONINI PII IMP. 7.

I. Marcion hæreticus: et Cerdon eius magister.

ITaque sequenti anno Christi centesimo quadragesimo sexto, Avito, & Maximo Consulibus, cum Antoninus in imperio ageret anoum septimum; erupit Marcion, *Antoninianus hæreticus*, inquit Tertullianus, *& sub Pio impius*. Cerdon etiam eodem tempore, inter impios eminuit, Marcionis fortè magister, sed in errore socius: Docuerant Christum, in carnis phantasmate, non in substantiâ conversatum; unde non omnino passum, sed quasi passum dixere. Addit Epiphanius, Marcionem, anabaptismum quoque introduxisse. (*Epipha. hæres 42.*) quare Anabaptistarum parens vocari poterit; quem Sanctus Polycarpus *primogenitum Satanæ* appellavit. Et reverà quicquid errorum, & monstrorum nuperiùs hoc sæculum parturiit, aut produxit in lucem; si prima sæcula scrupulosè premas, reperies ibi eorundem semina, quæ impiè tunc à paucis fota, inde quasi cinere obducta, postremo hoc sæculo de novo in execrabilem fœtum eruperunt. Sic Lutherum ego & Calvinum absolvo; quod novarum hæresum obstetrices, & veluti in baptismo susceptores potiùs, quàm parentes fuerint. Certè genius utrobique idem. idem erroris principium & origo: eadem in defendendo conditio, pertinacia eadem, satis arguunt ab uno eodemque ovo, cujus primogenitus Marcion, omnia profluxisse. Nunc quid ab Ecclesiæ Patribus in remedium factum videamus.

II. Traditione hæreses iugulantur.

Acturus cum Valentino Irenæus, & errores ostensurus, ad Apostolorum Traditionem appellavit, qua reverà hæresis omnis jugulari solet. Sed ille primùm tergiversari, seipsum defendere, denique Traditionem non curare. Ita Irenæus: (*Irenæus l. 3. c. 2.*) *Cum ad Traditionem*, inquit, *quæ est ab Apostolis, per successiones Presbyterorum in Ecclesiis custoditur, provocamus; adversantur Traditioni.* Sed quorsum ad Scripturas non provocavit Irenæus? Imò verò provocavit, & semper provocat Ecclesia: sed ubi quilibet pro arbitrio, quidlibet inde eruit; quod factum à Valentino; quid evinces? Conversus igitur Sanctus Doctor, ad id quod erat in Ecclesia proximum atque firmissimum, ad Romanam Ecclesiam provocavit, inde errorum omnium confusionem, certò peti posse ac debere affirmans, illa nobili sententia. (*Idem l. 3. c. 3.*) *Quoniam valdè longum est, omnium Ecclesiarum numerare successiones; maximæ, & antiquissimæ, & omnibus cognitæ, à gloriosissimis duobus Apostolis Petro & Paulo Romæ fundatæ, & constitutæ Ecclesiæ; eam quam habet ab Apostolis Traditionem, & annuntiantem hominibus Fidem, per successiones Episcoporum, pervenientem usque ad nos, indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquomodo vel per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem & malam sententiam, præterquam oportet, colligunt.* Ita ipse, dicti sui rationem mox addens: quam si hæretici audire vellent, nullæ hæreses forent: nec ita plurimi, ut modò in opinionum euripo fluctuantes mergerentur. *Ad hanc igitur* (Romanam) *Ecclesiam, propter suam potentiorem principalitatem, necesse est omnem Ecclesiam convenire. hoc est, eos qui sunt undique fideles.* (*Irenæus suprà.*) Ita dictum ab Irenæo: ita factum à Lucio, & mox patebit; cum supplicem se fecit Romanæ Ecclesiæ, *ut Christianus efficeretur.* (*Beda l. 1. c. 4.*) Erat Irenæus omnium suffragio, hujus sæculi doctissimus: à Tertulliano habitus, dictusque *omnium doctrinarum curiosissimus explorator.* Dicit tamen, ut audisti, in Romana Ecclesia, præ omni Ecclesia, potentiorem esse principalitatem, adeoque potentem, ut fidelis, hoc est Christianus esse non possit, qui cum illâ, & ad illam non conveniat. Videant illi ergo quantum ab Irenæi mente, & doctrina distent, (*Cent. 2. c. 4. fol. 63.*) qui scripserunt, Romanam Ecclesiam Irenæi sæculo, parem cæteris omnibus, & nulla re majorem, aut priorem esse.

III. Non est cum hæreticis e Scriptura disputandum.

Eodem argumento Patres Doctoresque Ecclesiæ, Marcionem, Cerdonem, & alia hujus sæculi ulcera presserunt. Quid illi, in telum illud validissimum retorserunt? Eò profectò decesserunt, quò nostri temporis factiosi solent. Scripturam inclamant: ibi sensum pro suo sensu eruunt, cætera fastidiunt. Ita reus pro tribunali sedet; censoriam virgam arrogat: legemque pro libidine explicat; & omni loquente Judice abrogato, dicit sententiam. Quæ forma judicii, in omni Rep. judicium omne justitiamque enervat. Patres itaque huic cerebri vitio obviantes, hoc usi sunt helleboro. noluerunt cum hæreticis de Scriptura disputare: quia nihil habent illi, cum Scripturis commune, qui Christi Fidem tam fœdè macularunt. Et sicut furioso omnis armorum usus adimitur, quia tam sibi quàm aliis noceret; ita nec luxurianti cerebro permittitur Scripturarum arcana tractare. Quæ nisi simplici oculo, Spiritus Sancti gratia purgato lustraveris; sicut ad Solem noctua cæcuties. Sic Tertullianus: (*Tertul. de Præs. c. 37.*) *Constat*, inquit, *ratio propositi nostri, definientis non esse admittendos hæreticos ad ineundam de Scripturis provocationem, quos sine Scripturis, probamus ad Scripturas non pertinere. Si enim hæretici sunt, Christiani esse non possunt: non à Christo habendo, quod de sua electione sectati, hæreticorum nomine admiserant. Ita non Christiani, nullum jus capiunt Christianarum literarum. Ad quos meritò dicendum est. Qui estis? Quando, & unde venistis? Quid in meo agitis, non mei? Quo denique, Marcion, jure, silvam meam cædis? Qua licentia Valentine fontes meos transvertis? Quâ potestate, Apelles, limites meos commoves? Mea est possessio. Quid hic cæteri ad voluntatem vestram seminatis & pascitis? Mea est possessio: olim possideo, prior possideo: habeo origines firmas, ab ipsis autoribus, quorum fuit res: Ego sum hæres Apostolorum*, &c.

IV. Cur non admittendi ad Scripturas hæretici?

Si quæris à Tertulliano, cur tam durè rigideque cum sui sæculi hæreticis agat, nolens eos è Scripturis disputare, cum illæ rectè vivendi credendique norma sint omni majores exceptione. Reddet rationem illam, quæ siunquam in Marcionem, aut Valentinum, aut vitia ejus sæculi valuit; valebit enimvero in omnes omnium sæculorum Novatores, & imprimis in ætatem nostram, quæ

Tertul. suprà.

quot habet errantes impetus; tot habet idola Fidei. prosequitur ergo argumentum Tertullianus. *Unde, ait, extranei & inimici Apostolis haeretici nisi ex diversitate doctrinae, quam unusquisque* DE SUO ARBITRIO, *adversus Apostolos, aut protulit, aut recepit?* Mox addit diversitatis in doctrina, radicem, causamque esse, quod cum Scriptura petulanter agant: *Illic*, inquit, *& Scripturarum, & expositionum adulteratio deputanda est; ubi diversitas invenitur doctrinae, quibus fuit propositum aliter docendi, eos necessitas coëgit aliter disponendi instrumenta doctrinae. Aliàs enim non potuissent aliter docere, nisi aliter haberent, per quae docerent haeresin. Sicut illis non potuisset succedere corruptela doctrinae, sine corruptela instrumentorum ejus. Ita & nobis integritas doctrinae non competisset, sine integritate eorum, per quae doctrina tractatur.* Ita ille; qui si hoc sæculo scripsisset, hunc sensum ita formasset. Non potuisset, aut in Germania Lutherus, aut Calvinus in Gallia, diversitate doctrinæ orbem inficere: nisi priùs expositionum varietate, Scripturam adulterassent. Unde spurium tantùm fœtum, non genuinum enasci, necessum est. Ad tundendam igitur hanc fidei diversitatem, natamque inde sobolem, jubet Tertullianus, missâ de Scripturis disputatione, ad Ecclesiam contumaces provocare, & ejus arbitrio litem permittere. Jubet etiam Irenæus Ecclesiæ Presbyteris obedire, illis, inquam, quibus indulta est non errandi facultas. Ait enim: *Quapropter eis, qui in Ecclesia sunt Presbyteris obedire oportet; his, qui successionem habent ab Apostolis, qui cum Episcopatus successione, charisma veritatis certum, secundum placitum Patris, acceperunt.*

Irenæ. cont. hæres. l. 4.

V. LYDIUS LAPIS ECCLESIÆ AUTHORITAS.

August. contr. Epist. Manich. c. 1.

Hanc explorandæ Fidei regulam, per lydium Ecclesiæ lapidem, majores nostri, & orthodoxi omnes semper venerati sunt. S. Augustinus, illâ se teneri in Catholica Ecclesia profitetur, ita in Manichæos, aliud hæreticorum genus, scribens. *Multa sunt quae in Ecclesiae gremio me justissimè tenent. Tenet consensio populorum, atque gentium: tenet authoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata. Tenet ipsa in Sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas, post resurrectionem Dominus commendavit, usque ad praesentem Episcopatum, Sacerdotum successio. Tenet postremò ipsum Catholicae nomen, quod non sine causa, inter tam multas haereses, sic ista Ecclesia sola obtinuit; ut cum omnes haeretici, se Catholicos dici velint: quaerenti tamen peregrino, ubi ad Catholicam conveniatur, nullus haereticorum, vel basilicam suam domum audet ostendere. Ista ergo tot & tanta Christiani nominis charissima vincula, rectè hominem tenent credentem in Catholica Ecclesia.* Hæc omnia S. Augustinus. Quæ vera hodieque cernuntur: ubi orthodoxis immixtæ sectæ aliæ: earum tamen nulla Catholicæ nomen vulgò præsumit. Illi solùm, & meritò, ea appellatione gaudent, quos Augustini sæculo constat, ita appellatos. nimirum quos tenet ipsa in Sede Petri, usque ad præsentem Episcopatum, successio Sacerdotum, ideoque modò Romano-Catholici appellantur. nam ea velut nota characteristica, ab erroribus omnibus, Christianæ religionis veritas discernitur. Romana Ecclesia Petra est, & Christi Ecclesiæ fundamentum, stabile, firmum, inconcussum: quò error aut hæresis nunquam pervasit. Quare, cum olim Christiani aliquot, à vera Fide exerrantes, in nescio quos errores secessissent, Christum non integrè prædicantes, Christianum tamen nomen, in solidum præsumentes; placuit Ecclesiæ Fidem integram à perfidia ita distinguere: ut ii solùm Catholici vocarentur & essent, qui in Christum integrè, orthodoxè, & in omni religionis apice crederent, eumque colerent, atque prædicarent: reliqui à vitiis unde nati, sectisque quibus adhærerent, vocarentur. Ita nuper, cum plures, quàm oporteret, Catholici nomen præsumerent, & eo fuco errores tegerent: nos abs re visum, Romano-Catholicos eos appellare, quos constat, cum Romana Ecclesia, propter potentiorem principalitatem, non errante, & quindecim sæculis, Fidem, ab omni corruptione virginem conservante sentire: & ea voce factiosos & sectarios ab orthodoxis distinguere.

UNDE ROMANO-CATHOLICI VOCANTUR?

VI. OBIECTIONI OCCURRITUR.

Pacian. ad Sympro. de Cath. nomine Epist.

Quod si dixeris, Romano-Catholicum nomen, primis purisque sæculis inauditum, novitatem potiùs quàm Fidei puritatem sapere. Optimè Pacianus, nodum nectit, solvitque; cum similem in CATHOLICI nomen, Novatores nexuissent. Ait enim: *Sub Apostolis,* inquies, *nemo Catholicus vocabatur: esto, sic fuerit: vel illud indulge; cum post Apostolos, haereses extitissent, diversisq; nominibus columbam Dei, atque Reginam, lacerare per partes, atque scindere niterentur; nonne cognomen suum plebs Apostolica postulabat, qua incorrupti populi distingueret unitatem: ne intemeratam Dei Virginem, error aliquorum, per membra laceraret? non appellatione propria decuit caput singulare signari? Ego forte ingressus populosam Urbem, cum Marcionitas, cum Apollinarianos, Cataphrygas, Novatianos, & ceteros ejusmodi comperissem, qui se Christianos vocarent; quo cognomine congregationem meae plebis agnoscerem, nisi Catholica vocaretur?* Ita ille. Pari ratione orthodoxi hodie argumentari possunt: & quia laceratam Dei sponsam, & in partes distractam vident; audiuntque Lutheranos, Calvinistas, Protestantes, Anabaptistas, & fæcem innumeram, CHRISTIANI & CATHOLICI nomen mentientes, & tamen in Fidei professione varios: eleganter distingui, & ab illa Ecclesia, quæ in Petra fundata, constans in Fide est, nuncupari contendunt; nam eo charactere, omnis antiquæ Fidei hostis excernitur.

ANNUS URBIS CONDITÆ 898.

ANNUS CHRISTI 147.

TELESPHORI PAP. 6.

LUCII REGIS 24.

ANTONINI PII IMP. 8.

SEquitur Christi annus centesimus quadragesimus septimus; quo Antoninus Imperator quartum iniit Consulatum: collegamque sibi ascivit M. Aurelium Cæsarem secundò Consulem. A Cassiodoro autem ponuntur Orphitus & Priscus: Ita Baronius: nec plura ad hunc annum. Sed video, Antonino quartùm Consule, tumultuatum in Britannia. Lollius ibi, pro Romanis erat, utilemque operam ante paucos annos posuerat; structo muro, quo Caledonios ab Australibus distinxerat. Jam verò Brigantes, vicinis suis graves, & terra marique Ordovicibus infesti, in ipsâ Romanorum provinciâ, motum fecere. I.

BRIGANTES A LOLLIO COMPRIMUNTUR.

Unde

Unde pars utraque; quà prædis agendis, quà vindicandis ferro, flammaque injuriis, inimico satis impetu invicem lacessebat. Lollius nè porrò pergeret seditionis incendium, & alios socios, provinciasque corriperet, sagaci consilio, militem, terra marique instruxit; jussitque tumultuantes omnes, ni se hostem mallent, quiescere. Classi tunc præfecit Seium Saturninum, (ni mavis cum Camdeno Saturnium dicere) ipse terrestri itinere militem duxit. Ita brevi negotio, res composita; multatis Brigantibus, qui primi flammam accenderant. Seii Saturnini meminit Jabolenus, illustris hoc tempore jurisperitus (cujus opera Antoninum hunc sæpè usum, testis est Julius Capitolinus) & meminisse etiam videtur hujus expeditionis. nam Saturninum vocat: *Britannicæ classis Archigubernum.* Pausanias etiam scribit Brigantes, a Pio Antonino idcirco punitos: quod Genouniam, Romanorum provinciam in Britannia, turbassent. Sed quænam illa provincia; aut quo loco sita non explicat. Camdenus noster, accuratus Insulæ lustrator, non malè opinatur, Genouthiam, sive Guinethiam intelligi, ubi Ordovicum sedes; nam hi ab illis, terra marique peti poterant, patebantque injuriis.

[Margin: Seius Saturninus Classi. Præfectus. — Capito. in Antonino Pio c. 12.]

II. Illustrius monumentum victoriæ Antonini Pii auspiciis adeptæ, est nummus ejus effigie, & quarto Consulatu signatus: quem ideo ad hunc annum refero, & est hujusmodi.

[Margin: Num. IX. apud Camden.]



Quomodò TR. P. X. hoc est Tribunitiæ potestatis annus decimus, cum octavo imperii anno, Antonino conveniat, fateor difficulter ostenditur: nam solent Tribunitiæ potestatis anni, cum imperii annis, ordinariè concurrere: auget difficultatem nummus alter apud Joannem Spedum: ubi Antonini Pii effigies legitur cum hac Epigraphe ANTONINVS AVG. PIVS P. P. TRI. P. XVIII. & in aversa nummi facie BRITANNIA COS. IIII. S. C. ubi quartus Consulatus, cum XVIII. Tribunitiæ potestatis anno componitur. Sed vel denarius numerus abundat; vel dicendum in Antonini nummis, & assignanda Tribunitia potestate, passim ita peccari. Unde in epistola, rescriptoque ejus pro Christianis, tertius Imperatoris Consulatus, cum Tribunitia potestate XIV. ponitur, ut apud Justinum, vel XV. ut apud Baronium: de quo infrà. Hanc ob causam, ego Britannicam victoriam; non e tribunitia potestate, sed è consulatu ejus metior, quem rectè Gordonius censuit in annum imperii octavum incidere: quantumvis inscriptio, quam è Mole Hadriani proferunt Onufrius in Antonino, & Baronius ad annum Christi centesimum sexagesimum, quartum Consulatum, cum Tribunitia potestate vigesima quarta numeret. Hæc Lollii industria in Caledoniis arcendis olim, & nunc in pacandà provinciâ, Antonino cognomen BRITANNICI peperit, ut Camdenus & Spedus affirmant.

[Margin: Gordon. anno 160.]

ANNUS URBIS CONDITÆ 899.

ANNUS CHRISTI 148.

TELESPHORI PAP. 7.

LUCII REGIS 25.

ANTONINI PII IMP. 9.

Annus Christi centesimus quadragesimus octavus, Præter duos Consules, Erucium Clarum, & Claudium Severum, nihil nostris Annalibus proprium exhibet.

ANNUS URBIS CONDITÆ 900.

ANNUS CHRISTI 149.

TELESPHORI PAP. 8.

LUCII REGIS 26.

ANTONINI PII IMP. 10.

Anno Christi centesimo quadragesimo nono, Consules fuerunt, secundum Cassiodori Chronicon, Gordianus & Maximus. Dio tamen Cassius, & Græcorum fasti ad annum Urbis conditæ nongentesimum, M. Valerium Largum, & Marcum Valerium Messalinum Consules ponunt: nimirum cum Antoninus decimum in Imperio annum ageret.

ANNUS URBIS CONDITÆ 901.

ANNUS CHRISTI 150.

TELESPHORI PAP. 9.

LUCII REGIS 27.

ANTONINI PII IMP. 11.

Anno Christi centesimo quinquagesimo, Romulo & Glabrione Consulibus: Justinus Martyr hoc sæculo doctissimus, Antoninum Imperatorem compositâ oratione, Christianæ religionis mysteria, docens, supplici libello calumnias diluit, quas Judæi & infideles, in Christianos jacere, ex rerum ignoratione consueverunt. Et quia de Sacrificio, quod occultè fiebat, potissima erat calumniandi materia: illud Justinus paulò latiùs, & quantum gentilis homo capere poterat, explicandum suscepit; opportunè satis; non solum ad docendum Imperatorem, Christianorum sacris nihil subesse, nisi laude dignum; sed ad Novatores confundendos, qui primorum sæculorum Fidem vel protervè dissimulant, vel oscitanter ignorant. Quamobrem, operæ pretium erit: quid de Eucharistiæ Sacramento, augustissimo Fidei nostræ mysterio: quid etiam de unico Missæ Sacrificio, Justinus tunc dixerit, hîc adnotare. I.

[Margin: Justinus Imperatorem docet Christianorum Sacrificium.]

Sub finem precum (inquit ille in Apologiâ secunda) *nos inter nos, osculo salutamus. Deinde ei qui Præpositus est fratribus, panis offertur, & poculum, aquâ & vino temperatum. Quæ cum accipit, laudem* II.

[Margin: Instin. Apolo. 2.]

& gloriam omnium parenti, filii Spiritusq; Sancti nomine tribuit, gratiasq; Deo agit quod ab eo his dignus sit habitus. Quibus rite perfectis precibus, & gratiarum actione, populus omnis qui adest benedicens dicit Amen. Postea quam & is qui praest, gratias egit; & populus omnis benedixit, ii qui apud nos Diaconi dicuntur, dant unicuique eorum qui adsunt, percipiendum panem, vinum & aquam, quæ cum gratiarum actione consecrata sunt. Atque cibus hic, apud nos, Eucharistia nominatur, quam nemini alii participare licet; nisi ei qui, & vera esse credit, quæ nos docemus, & expiatus est lavacro, quod in remissionem peccatorum, regenerationemq; datur, & ita vivit, ut Christus tradidit. Hæc ille: ne autem panis & vini nomine Antoninus putaret (quod infideli, & Novatoribus obvium erat) Eucharistiam nostram, communi pane vinoque constare: penitius aperit, docetque quid, vi consecrationis, illa sint: nimirum, tam esse veram carnem, & sanguinem; quàm verè Christus Dominus carnem è Virgine sumpsit, & sanguinem. Audi ipsum: *Neque enim,* inquit, *hæc communem usitatumq; panem, usitatumq; potionem capimus. Sed quemadmodum per Dei verbum, homo factus IESVS CHRISTVS, conservator noster, & carnem & sanguinem pro salute nostra habuit: sic etiam, cibum, qui per preces sermonis, quem ab eo accepimus, consecratus est, & quo sanguis carnesq; nostræ, communione aluntur; IESV Christi, ejus qui homo factus est, & carnem & sanguinem esse ἰδιάλλακτικῶς, edocti sumus. Apostoli enim in Commentariis suis, quæ Evangelia dicuntur, ita sibi Christum præcepisse tradiderunt: cum accepto pane, cum gratias egisset, dixisse: Hoc facite in memoriam mei: Hoc est corpus meum. dixisse etiam, accepto poculo, cum egisset gratias. Hic est sanguis meus.*

EUCHARISTIÆ SACRAMENTUM.

Idem suprà.

III. Aperta hæc fidei professio non eget Commentario. Christiani hoc sæculo credebant in Eucharistia, veram Christi carnem, verum sanguinem sumi, *per sacratam alimoniam, qua mutata* (sic habet alia Justini versio, & ita Magdeburgenses legunt) *nutrie carnes nostras & sanguinem.* Unde constat, panem. priùs communem visitatumque, consecrari solitum, & per consecrationem mutari simpliciter: quod alio nomine, (nec enim in re aliud) transsubstantiari dicimus: cum nimirum panis substantia, in aliam substantiam (nec aliam, quàm Christi corpus) mutatur. Itaque duo fidei arcana, Antonino Justinus exposuit; veram Christi corporis, realemque præsentiam: & modum, quo illa in Sacramento constituitur. Nec potuit infidelem hominem, & à sacris Christianorum aversum, hoc mysterium clariùs docere. Cæterùm quod Justinus hic Imperatorem docuit, ubique à Christianis credebatur, in Palæstina & Oriente, unde Justinus: Romæ & in Occidente, ubi Antoninus, in Britannia denique ubi Lucius Rex ad Christianam fidem parabatur *Quamvis enim hi in locis loquelæ dissimiles fuerint* (loquitur Irenæus) *virtus tamen Traditionis una fuit, eademq;: & neque hæ quæ in Germania fundatæ sunt Ecclesiæ, aliter credunt, aut aliter tradunt neque hæ quæ in Iberiis sunt: neque hæ quæ in Celtis: neque hæ quæ in Oriente.* quod de hoc sæculo, de hoc ipso tempore dictum; quando Christiana Ecclesia, per universum terrarum Orbem diffusa, in fide tamen unitissima fuit. Adeo ut illud Spiritus Sancti oraculum eleganter de ea pronuntiari possit: *Una est columba mea, perfecta mea.* Quod ex hac ipsa Justini Apologia ulteriùs probatur.

Cant. 6. 8.

IV. Dixi supra, Traiano imperante, Christianorum conventus latâ lege vetitos fuisse. distinxi tunc duplicem synaxin: sacram unam, qua Eucharistia fidelibus tradebatur, communem aliam, qua pauperes alebantur. Juvat nunc Justinum idem explicantem legere. *Die qui Solis dicitur* (Dominicum Justinus intelligit) *omnes qui in oppidis, aut agris morantur, unum in locum conveniunt. commentariaq; Apostolorum, vel Prophetarum scripta leguntur, quamdiu hora patitur. Deinde ubi is qui legit, destitit: is qui præest admonet, & hortatur; ut ea quæ lecta sunt bona imitemur. Tum surgimus omnes, ac comprecamur: conclusisq; nostris precibus, panis jam ut dixi, vinumq; & aqua offeruntur. Tumq; is qui primum locum tenet eodem modo preces, gratiarumq; actionem pro virili mittit: populusq; benedicit, dicens Amen: & ea quæ cum gratiarum actione consecrata sunt, unusquisque participat: eademq; ad eos qui absunt, Diaconis dantur perferenda. Quibus copia suppetunt, ii si volunt, suo quisque arbitratu, quod vult largitur: Quodq; colligitur, & cogitur, apud eum qui præest, reponitur. Isq; pupillis & viduis, iisq; quos morbus, aliave causa inopes fecit, & iis qui in vinculis sunt, & hospitibus; omninoq; omnibus qui aliqua indigentia premuntur, subvenit* Hactenus ille. de Christianorum sacris, & Sacrificio Altaris, quod sequenti sæculo, Dominicum; nunc Missa dicitur. ubi Christi corpus consecratur, offertur, colitur, & sumitur, ut audisti. Nihil ergo novum, aut primis sæculis inauditum, nihil Lucio Regi, & antiquis Britannis insolitum, Roma nunc docet, prædicat, veneratur, cum Christum in Sacrificio Missæ sub panis viniquc specie adorat & manducat; & venerandum atque manducandum fidelibus exponit.

Iustin. Apolog. 2.

V. De Libero arbitrio, eadem Apologia pulcherrimè disserit idem Justinus hunc in modum. *Si in fatis est, hunc esse bonum, malumq; illum: neque ille probandus est: neque hic reprehendendus. Ac nisi libero arbitrio, atque judicio genus hominum, & res turpes fugere potest, & pulchras, & bonas sequi: extra causam culpamq; est eorum, quæ quoquomodo aguntur. Sed ipsum libero arbitrio, liberaq; voluntate, & recte facere, & peccare docemus; hoc modo, hominem ipsum contraria exercere, ac facere cernimus. Quod si fato fieret; ne esset aut improbus, aut bonus: profectò contraria in eum cadere nunquam possent; nec sæpissimè mutaretur. Quin ne alii quidem probi essent; alii mali. Alioqui fatum, causam malorum esse, contrariaq; sibi facere sentimus. Aut illud, quod ante dictum est, videri verum esse nihil esse virtutem, nec vitium: sed opinione solum, bona & mala judicari. Quæ, ut vera ratio docet, maxima est impietas, & injustitia.* Hanc Justini mentem Patres, & sequentia sæcula probaverunt; donec unus nuper in Germania, antiquorum Fidem & sacra omnia corrupit. Tunc è Magdeburgo Centuriatores in Justinum & arbitrii libertatem ita garriverunt. *Nullus ferè doctrinæ locus, qui tam cito obscurari cœperit; atque hic de libero arbitrio, ac virium humanarum potestate post lapsum. Et hæc obscuratio simul aliarum doctrinæ partium tenebras secum ac corruptelas varias traxit.* Tum Justinum accusant quod ad quæstionem 103. *Plenis buccis,* inquiunt illi, in hæc verba erumpat: *Quid est tota legis justitia? Diligere Deum plusquam seipsum; & proximum, ut seipsum. quod quidem non est impossibile hominibus volentibus.* Hoc enimvero illi monstrum putant, Legem Christi levem esse, & onus leve. Sed non erat necessum Magdeburgensibus ad quæstiones illas descendere, de quibus aliqui, an

Iustin. Apol. 2.

LIBERTAS HUMANI ARBITRII ASSERITUR.

Cent. 2. c. 5.

Justini fuerint, controvertunt. nam in Apologia hoc anno, Imperatori oblata, quam omnes genuinam agnoscunt non minùs plenis buccis arbitrii humani libertas asseritur. Et idem cum Justino sensit Athenagoras; qui paulò post, pro Christiana etiam Fide scripsit ad alterum Antoninum, Pii in imperio successorem, & eodem modo à Quatuorviris vapulat. *Athenagoras* (inquiunt illi) *literis & pietate, Athenis floruit*, &c. *habuit tamen quosdam naevos*, &c. *Libero arbitrio nimium videtur ascribere; quod inquit; Hominibus arbitrii libertas circa virtutes & vitia data est.* En duo Christianæ Fidei, & hujus secundi sæculi lumina, in re hodie controversâ, à Sectariis rejiciuntur: & nævus putatur, quod primi Fidei Doctores, non clàm, aut in angulis. Sed palàm scriptisque, ceu Christianæ religionis dogma, venerati sunt.

Ad 2. Cent. additio.

VI. Justino & Athenagoræ accedit Irenæus; qui paulò post, Lucio etiamnum regnante, Gallias illustravit, multaque scripsit pro arbitrii libertate. ut videre est apud Criticos Magdeburgicos, qui ita de illo: *Irenaeus*, inquiunt, *non distinctè de potestate humanarum virium ratiocinatur: & in eam sententiam multa Prophetarum, Christi, & Pauli dicta detorquet.* pudet pergere, & ultra movere Magdeburgensem sentinam: illud tamen omitti non debet, licet cum nauseâ legendum: quod non solùm unius sæculi Doctores omnes, sed plura sæcula accusent: dicunt enim: *Apparet in ejusmodi tenebris non tantum fuisse omnes secundi saeculi Doctores; verum etiam in posterioribus, eas subinde crevisse, & auctas esse.* Quod si ita est, cur porrò Lectorem vexo, proboque Lucium, & Britannos, hæc omnia credidisse; cum nullus omnino fuerit, qui aliud docuerit. & idem de Sacrificio & Eucharistia sentiendum. Cæterùm non malè dixerunt Magdeburgici. *Concessa arbitrii libertate; multa sequi necessariò* · quæ ipsi factiosi negant, & antiqui docuere: ut legem Christi servari posse: nudam Fidem non justificare, bonorum operum merita, & alia sexcenta, quæ Sectarii in primorum sæculorum contemptum controvertunt. Sed facilè sequitur, Britannorum Ecclesiam, illa omnia cum arbitrii libertate admisisse: quod instituto meo sufficit: & Regiæ Britannorum Fidei, quam statim inspiciemus, præludium esto.

Cent. 2. c. 4. fol. 52.

ANNUS URBIS CONDITÆ 902.

ANNUS CHRISTI 151.

TELESPHORI PAP. 10.

LUCII REGIS 28.

ANTONINI PII IMP. 12.

Anno Christi centesimo quinquagesimo primo Consules fuerunt Orphitus & Priscus, è Dionis & græcorum Fide. Sed è Chronico Cassiodori Præsens & Rufus, Consules nominantur.

ANNUS URBIS CONDITÆ 903.

ANNUS CHRISTI 152.

TELESPHORI PAP. 11.

LUCII REGIS 29.

ARTONINI PII IMP. 13.

Ad annum Christi quinquagesimum secundum supra centesimum, quo Consules fuerunt, vel Gallicanus & Vetus: vel è Cassiodoro, Commodus, & Lateranus; scribit Usserus in Chronologia. *Timotheus Pudentis filius, Evangelii in Britannia praedicator, Antonino imperium, & Pio Episcopatum Romanum administrante, martyrio vitam consummavisse dicitur.* Admisso Timotheum, hoc anno, in Britannia Christi fidem, sub Antonino & Lucio cognomento Pius docuisse: sed martyrium ejus, ad Antonini Philosophi tempora, & Pii Romani Pontificis, debet referri, ut dicam inferiùs. Interim Antoninus Pius Imperator, & Pius Romanus Pontifex conjungi non debent anno centesimo quinquagesimo secundo, sed multò posterius.

Usser. in Chronolog. ad hunc annum.

ANNUS URBIS CONDITÆ 904.

ANNUS CHRISTI 153.

TELESPHORI PAP. 12.

LUCII REGIS 30.

ANTONINI PII IMP. 14.

Anno Christi centesimo quinquagesimo tertio, iterum dubii Consules ponuntur: Græcorum fasti, Gordianum & Maximum: Cassiodori Chronicon, Verum & Sabinum nominant. Quicunque fuerint, hic annus Ecclesiasticarum rerum notitia sterilis à Baronio notatur.

ANNUS URBIS CONDITÆ 905.

ANNUS CHRISTI 154.

HIGINII PAPÆ 1.

LUCII REGIS 31.

ANTONINI PII IMP. 15.

I. Anno Christi centesimo quinquagesimo quarto, Glabrione, & Veriano Consulibus; Telesphorus Papa, cum Romanam Sedem rexisset annos undecim, menses ferè novem, Martyrio coronatur. De eo legitur, quòd septem hebdomadas ante Pascha constituerit esse jejunandas. Quod non de Lege nova Quadragesimalis jejunii, ac substantiâ, quæ sine dubio ab Apostolis lata; sed de temporis dierum ac hebdomadarum circumstantiâ intelligendum. Opinor etiam septem hebdomadas, non à die Paschatis, sed à Dominica Passionis numerari solitas; ita tamen, ut novem hebdomadarum spatium, quadraginta

Telesphorus Papa Martyr. Quadragesimæ jejunium.

tantùm dierum jejunium præciperet. Unde præcepti hujus veſtigium Romana adhuc ſervat Eccleſia; quæ à Dominica Septuageſimæ, jejunio & paſſioni præludit. Quod quia omnis benè credens Eccleſia, ad hunc uſque diem religioſè ſervat: puta, Lector, Romani Pontificis, & olim, & omni ſæculo, ſummam fuiſſe poteſtatem. Idque probatur ex eo, quod de eodem Teleſphoro ſcribitur. *Hic fecit, ut in Natali Domini noſtri IESV CHRISTI, noctu tres Miſſæ celebrarentur.* Triumpharent profectò Novatores, ſi tam antiquum de abroganda Miſſa decretum, aut proferre poſſent, aut ullo fuco mentiri.

II. HIGINIUS PAPA.

Succeſſit Teleſphoro Higinius, Athenienſis Philoſophus; cum Antoninus Imperator, ſcriptis in Aſiam literis, plurimùm Chriſtianæ religioni, licèt infidelis ipſe, profuit. Cum enim idolorum cultores, hoc tempore in Chriſtianos, quávis prætensâ occaſione, admodum furerent, ac ſævirent; Cælum, terra, denique elementa omnia impus hominibus iraſci videbantur. Tunc enim prodigiis portentiſque plurimis declaravit vindex Deus: & idola, nulla eſſe, nihilique facienda; & unam tantummodo ad immortalitatem viam eſſe, Chriſtianam Fidem. Porrò cum hæc multorum ad Fidem converſionis occaſio fuerint, & Britannorum imprimis; quia inter eos etiam, ſuæ bonitatis argumenta Deus oſtendit; non abs re erit illa exponere, quæ Imperatorem ad Clementiam, & alios ad benè de Chriſto ſentiendum excitarunt.

Capitolin. in Anton. Pio c. 9.

IRATI DEI ARGUMENTA PLURIMA.

Julius Capitolinus ita ſcribit: *Adverſa hujus temporis hæc provenerunt. Fames, Circi ruina, terræ motus, quo Rhodiorum & Aſiæ oppida conciderunt: quæ mirificè omnia inſtauravit Antoninus; & Romæ incendium, quod trecentas quadraginta Inſulas, vel domos abſumpſit. Et Narbonenſis civitas, & Antiochenſe oppidum, & Carthaginenſe forum arſit. Fuit & inundatio Tiberis; apparuit & ſtella crinita; natus eſt & biceps puer; & uno partu mulieris quinque pueri editi ſunt. Viſus eſt in Arabia jubatus anguis major ſolitis, qui ſe à cauda medium comedit. Lues etiam in Arabia fuit. Hordeum in Mæſia in culminibus arborum natum eſt. Quatuor præterea Leones manſueti, ſponte ſe capiendos in Arabia præbuerunt.* Hæc author adverſa nuncupat, quæ Chriſtianis profuerunt.

CHRISTIANÆ FIDEI PROFUERUNT.

III. TERRÆ MOTUS LONDINI.

Silet Capitolinus quæ in Britannia contigerunt. Eam tamen Deus etiam viſitavit. nam in Urbe principe, ingens terræ motus, non ſolum Londinenſe oppidum, ſed etiam, quod ſequuturæ felicitatis omen erat, Deorum templa, & idola ſubvertit. Ad Occidentem Urbis ubi nunc Weſtmonaſterium cernitur, templum viſebatur Apollini ſacrum, quod Sulcardus ſcribit, ſub Antonino Pio, terræ motu corruiſſe. quod admodum probabile hoc ipſo anno accidiſſe; cum univerſus terrarum Orbis contremuit, nec voluit porrò idola ſuſtinere. Nobis ſanè percommodè Apollinis templum corruit: nam è ruderibus, mox Lucius, Britannorum Rex, templum excitabit Apoſtolorum Principi Petro conſecrandum, quod cum multorum Regum pietatem exercuerit, in ſplendorem magnum, & munificentiâ paucis in Europa ceſſurum ſurget, de quo ſæpiùs erit dicendum * infrà.

Sulcard. apud Camdenum in Trinobant.

* V. an. 107. & 604. nu. 56. & 63. & an. 610. n. 24.

IV. VARIA PRODIGIORUM INTERPRETATIO.

Quod ſuperiore ſæculo dictum eſt de prodigiis, quæ in Britannia; & hoc ipſo in loco evenerunt: idem omnino de hujus anni portentis à variis affirmatum. Impii & infideles ea omnia ad metum, Chriſtiani ad ſpem trahebant. Siquidem idolorum ruina conſternati gentiles, Chriſtianos accuſarunt, Deorum hoſtes, eoſque propterea ad ſupplicium poſtulabant. Sed interceſſit Antoninus; ſcriptiſque in Aſiam literis, maleficia puniri, non Fidem juſſit. In illis legere eſt Chriſtianorum conſtantiam; cum terræ motus & prodigia, alios terruerunt. Integras hic do, quia Lucium excitarunt, ad meliùs de Chriſtianis ſentiendum; quos Pius Imperator probare viſus eſt. Hoc anno ſcriptas eſſe è tribunitia poteſtate decima quinta, quæ totidem imperii annis reſpondet, probat Baronius; licet Conſulatus aliter ſignificet. Porro reſcriptum eſt hujuſmodi.

IMPERATOR CÆSAR TITVS ÆLIVS HADRIANVS ANTONINVS PIVS AVGVSTVS PONTIFEX MAXIMVS
tribunitiæ poteſtatis decimum quintum,
Conſul tertium (aliàs quartum)
Pater Patriæ Populis Aſiæ
Salutem.

RESCRIPTUM HADRIANI PRO CHRISTIANIS. V.

ITA è Juſtini Commentariis titulum recitat Baronius hic: licet Euſebius aliter referat, & loco Antonini Pii Marcum Aurelium mendoſè legat, quem oſcitanter ſecutus eſt è noſtris Joannes Spedus: ſed omnes reſcriptum ipſum benè recitant, in hunc modum.

Novi quidem Diis curæ eſſe, ut tales homines impuniti in obſcuro lateant. nam illi ipſi (ſat ſcio) de iis qui cultum illis tribuere recuſant, ſunt multo acerbius ſupplicium ſumpturi, quàm vos. Ac quibus hominibus jam ipſi gravem exhibetis moleſtiam, & tanquam impios, atque à Deorum cultu averſos inſimulatis; eorum planè, quam habent, magnopere confirmatis religionem. Illis enim magis in optatis eſt, ut in crimen adducti, mortem pro Deo ſuo oppetant, quam ut vita fruantur. Unde ſuâ ipſorum vitâ, hoc pacto proditâ; multo majorem clarioremq; reportant Victoriam; quàm ſi imperata, quæ vos ab ipſis fieri poſtulatis, obirent. Cæterùm de terræ motibus, qui vel præterierunt, vel jam ſunt; non alienum à ratione videtur vos commonefacere. Quandoquidem & cum adſint, animos dimittitis, & infelices veſtri omnium caſus, in religionem illorum, tanquam eorundem cauſam transfertis. At illi, cum quid evenit, conſtantiùs firmiùsq; Deo fidunt. Vos autem, toto eo tempore, Deum penitùs ignorare, reſq; ſacras penitùs contemnere: & non ſolùm cultus, qui ſoli Deo debetur, inſcii eſſe, & expertes; verùm etiam, qui illum obſervant, & venerantur, graviter exagitare, & ad mortem uſque inſectari videmus. Pro quibus hominibus multi, qui noſtris præfuere provinciis, jam ante diviniſſimo ſanctiſſimoq; noſtro Parenti literas ſcripſerunt. Ad quos quidem ille reſcripſit: nihil ejuſmodi viris negotii faceſſendum: niſi fortè aliquid maleficii, contra Romanum imperium deſignare moliantur. Ad me etiam, eorum cauſa ſcripſere multi: quibus per literas, Patris mei ſententiæ & voluntati aſſentiens, reſponſum dedi. Quod ſi quiſpiam igitur cuiquam Chriſtiano, quia Chriſtianus ſit, pergat moleſtiæ quicquam aut criminis inferre. Ille cui crimen illatum fuerit, etiamſi reipſa Chriſtianus deprehenſus ſit, abſolvatur. Qui autem illum accuſaverit, juſtum, debitumq; ſupplicium ſubeat. Hactenus Imperator.

VI.

Hæ literæ in Orientem miſſæ; ubi Chriſtiani maximè premebantur. nam Occidens, & remotiſſima ob Oriente Britannia, decreto non egebat: Ibi tamen Chriſtiana religio humiliter poſita etiamnum pallebat. nec principes viri illam amplexi probarant. Verùm poſt datum hoc edictum, cæpere paſſim de Chriſto ejuſque cultoribus

ſublimiùs ſanctiusque ſentire. Admirari primùm illud vitæ inſtitutum, quod mortem & tormenta contemneret: Deinde penitiùs inſpectum, ejuſdem ſanctitatem innocentiamque, quam inimici quoque prædicant, approbare. Denique, quod brevi Lucius faciet, illud amplecti.

ANNUS URBIS CONDITÆ 906.
ANNUS CHRISTI 155.
HIGINII PAP. 2.
LUCII REGIS 32.
ANTONINI PII IMP. 16.

I. ANNO Chriſti centeſimo quinquageſimo quinto, Præſente & Ruffino Conſulibus. Cum Chriſti fides in Imperatoris pietate, reſpirare cœpiſſet; inimicus homo, in ipſa Urbe zizania ſeminare conatur. Cum, inquam, perſecutio foris deſævisset; nova intùs ſurrexit: cum Valentinus & Cerdo, alibi alios corrupiſſent; nunc Romam venientes, virginem ibi Fidem corrumpere ſatagunt. Higinus ibi ad clavum ſedebat, & memor loci, memor officii, errorem detexit, maloque ne porro ſerperet, occurrit. Tertullianus id affirmat his verſibus, ubi cum Teleſphorum nominaſſet, ita ſcribit in Marcionem.

Tertul. cont. Marcionem l. 3 fine.

Poſt illum, ſocius Legis, certusq; Magiſter;
Cum veſtri ſceleris ſocius, præcurſor, & author
Advenit Romam Cerdo, nova vulnera geſtans
Detectus, quoniam voces & verba veneni
Spargebat furtim. Quapropter ab agmine pulſus
Sacrilegum genus hoc genuit, ſpirante dracone
Conſtabat pietate vigens Eccleſia Romæ
Compoſita à Petro, cujus ſucceſſor, & ipſe
Iamq; loco nono Cathedram ſuſcepit Higinus.

II. Faciliùs enimverò fuit orbi, quàm Urbi imponere, aut Fidem ibi mentiri ubi Fidei armamentarium erat. Cerdo jam olim in Oriente perfidiæ venenum, hæreſimque ſparſerat. At ubi Romam venit: *Licet impudens & petulans* (loquitur Baronius) *reveritus tamen Eccleſiæ Apoſtolicæ Fidem, Apoſtolico ore teſtatam, ac eorum ſanguine conſignatam, erubuit turpitudinem ſuam, ſimulavitq; delicti pœnitentiam, & homologeſis pallio ſe ſtuduit operire. deſperans nimirum ſe, niſi Catholici nominis tegmine, inter fideles, Catholica fide coruſcos verſari poſſe.* Hæc ipſe. Familiare ſcilicet hæreticis omnibus; cum pœnitentiam fingerent, Catholici nomen, ſub Romani Pontificis patrocinio, aucupari; & ejus communionem, quovis fuco mentiri; quò certiùs, latiusque venenum diffunderent. Quis enim, non ratum, firmum & ſanctum crederet, quod Roma probaſſet? Sic Valentinus, ſic Cerdo, ſic, poſtea Ariani, gnari ſe nihil effecturos, ſi palam ſe Eccleſiæ illi opponerent, quam univerſus Orbis coleret; decedere primùm de ſenſu ſuo; inde orthodoxum ſequi ſenſum ſimulabant: donec latiùs ſerpendo, vires virusque colligerent: & tunc demum, à Romana Eccleſia deprehenſi, atque caſtigati, in Eccleſiam illam furere, atque bacchari. Quod & nuper à Luthero factum, cæcus eſt qui non videat; nec fidelis qui non ingemiſcat. Hoc etiam in cauſa fuit, cur Lucius & Britannia, non aliunde quàm à Romano cælo, fidei prima elementa poſtularint.

Baron hic.

ANNUS URBIS CONDITÆ 907.
ANNUS CHRISTI 156.
HIGINII PAP. 3.
LUCII REGIS 33.
ANTONINI PII IMP. 17.

I. AD annum Chriſti centeſimum quinquageſimum ſextum, & Lucium Ælium Commodum, & Sextilium Lateranum Conſules; referunt aliqui Lucii Britannorum Regis ad fidem Chriſti converſionem: Ita nuper *Joannes Broughtonus, Centuria ſecunda, capite quinto, multis argumentis aſſerit, ſub Higinio Romano Pontifice illam contigiſſe. Probat aſſertum è Beda, è Manuſcriptis Antiquitatibus Eccleſiæ Landavenſis, è Nauclero, ex Ethelwerdo antiquo & nobili Saxone aliiſque. Pluribus etiam conatur oſtendere, nec amanuenſium, nec typothetarum vitio, aut in Higinii nomine, aut in annorum calculo peccatum eſſe: ſed omnino legendum: ſub Higinio Papa, & anno Chriſti centeſimo quinquageſimo ſexto, Lucium ad Chriſtianam Fidem converſum. In hanc ſententiam refert authorum verba: Beda (inquit) dicit ſcripſiſſe Lucium ad Romanum Pontificem: *Anno ab Incarnatione Domini centeſimo quinquageſimo ſexto, obſecrans, ut per ejus mandatum Chriſtianus efficeretur.* Ethelwerdus etiam expreſsè habet, (inquit:) *In ſexto quinquageſimo anno, beatiſſimus Chriſti famulus, per nuntium & literas, Lucium adiit Inſulæ Regem; admonens eum de Fide, & baptiſmo Catholico, qui tum Britanniæ regni poteſtate pollebat. Qui etiam conceſſit veriſimili ratione, Chriſtianum ſe eſſe futurum, quod & perfecit.* Ita Broughtonus pro hoc anno, & Higinii Pontificatu diſputat.

De Lucii converſione ſententia reiicitur.
** Broughto. Cent. 2. c. 5.*
Broughton. Cent. 2. c. 5.
Ethelwerdus l. 1.

II. Sed admodum fallitur, tam in annorum numero, quàm nomine Pontificis. Nec enim Beda, Ethelwerdus, aut Nauclerus, ullam Higinii, ſed expreſſam Eleutherii mentionem faciunt, in Lucii Regis converſione. Nauclerus quidem cum dixiſſet: *Anno Domini centeſimo ſeptuageſimo ſeptimo, Imperii Marci Antonini decimo ſexto, Soter Papa moritur. Succedit Eleutherius,* &c. *Hic inito Pontificatu mox Epiſtolam accepit à Lucio Rege Britanniæ quâ rogabatur,* &c. & paulo infrà: *In hac generatione Britannia, nunc Anglia, ad Fidem Chriſti converſa legitur, ſub Eleutherio Papa, & Lucio Rege Britonum, ut ſuprà dictum eſt. Invenio tamen in Legenda S. Timothei Apoſtoli quod venerit in Britanniam.* concludit demum ſorſan è Legendâ: *Coillo ſuccedit filius Lucius, qui primus Chriſti Fidem accepit; petitis per literas à Pontifice Eleutherio pietatis Doctoribus circiter annum Domini centeſimum quinquageſimum ſextum Impp. Rom. Marco Antonino, & Lucio Vero.* Ubi ut in Chroniſmo decumanus eſt error: ita nulla Higinii, ſed Eleutherii mentio. Bedæ etiam & Ethelwerdi authoritas, minùs (licet major) favet. nam Beda ita ſcribit: *Anno ab Incarnatione Domini centeſimo quinquageſimo ſexto, M. Antoninus Verum, decimus quartus ab Auguſto, regnum cum Aurelio Commodo fratre ſuſcepit. Quorum temporibus, cum Eleutherius vir ſanctus Pontificatui Romanæ Eccleſiæ præeſſet: miſit ad eum Lucius Britannorum Rex Epiſtolam, obſecrans, ut per ejus mandatum Chriſtianus efficeretur* Ubi nec Higinii mentio, nec ulla, quod Lucium ſpectat, anni definitio.

Broughtoni argumenta excutiuntur.
Naucler. vol. 2. gener. 7.
Bedal. 1. c. 4.

III. Quid Ethelwerdus de Lucii conversione.

Eodem modo, in Ethelwerdi verbis, sed paulò oscitantiùs peccatum. Ille enim cum S. Ignatii martyrium retulisset, mox habet illa verba: *In sexto ergo quinquagesimo post illum* (nempè Ignatium) *anno, Eleutherius ordinatur in Sede Apostolica Romæ. & quindecim annis constanter gloriosam populo Christiano imbuit prædicationem. & non tantum sibi subjectis Vrbibus, sed ab ortu Solis, usque ad occasum exivit sancta opinio ejus. namidem beatissimus Christi famulus per nuntium, & literas, Lucium adiit Insulæ Regem*, &c. quæ suprà posui. In quibus omnibus, author nec Higinii meminit, nec anni Domini centesimi quinquagesimi sexti. Sed tantùm dicit Eleutherium creatum esse Romanum Pontificem quinquaginta sex annos, post Ignatii martyrium. hoc est (ex ejus & Bedæ calculo) anno Domini centesimo sexagesimo septimo. Qui annus in Ethelwerdi margine ponitur, è mente authoris. Debeo igitur Lucii conversionem, ad plures adhuc annos differre. Interim dico difficultatem esse, propter authorum dissonantiam, in conversionis Lucii anno assignando; & Broughtonum excusari debere, si nimiùm festinavit. Cæterùm quod ad hunc annum, licet Beda, & Ethelwerdus, & Nauclerus, illum conversioni non assignent: assignant tamen alii apud Usserium in primordiis. ubi tres & viginti varias, differentesque authorum sententias, super Lucii Regis conversione recitat: & pro hoc anno, non Bedam, non Ethelwerdum, non Nauclerum: sed Gotzelimum Bertinianum, Joannem Tinmutensem, Capgravium, Thomam Rudburnum, & Thomam Stubs.

Usser. in Primord. c. 5. fol. 36. 37.

IV. Quid Jo. Caius? *Caius in histor. pag. 22.*

Addi his poterat Joannes Caius, qui de Cantabrigiensi Academiâ historiam scripsit. ubi vel genio suo nimiùm indulgens, vel certè in annorum calculo hallucinatus, ita scribit: *Cantabrigiam Lucius, Pius, & moderatus Princeps, clementissimusq́; Britannorum Rex venit. Cui cum ex sanctorum virorum, qui Christum professi sunt, & Cantabrigiæ studebant, prædicatione persuasum est; non fuisse vana, quæ de Deo, deq́; Trinitate devulgata sunt: fides Christiana cupidus à Pontifice Romano, ut ad Christi Fidem reciperetur, per Legatos, Eluanum, & Meduuinum petiit. Id egit anno Domini centesimo quinquagesimo sexto, & regni sui decimo octavo.* Ita ille, ad ornandam Cantabrigiam, hederam appendit, quam aliis detrahendam relinquo.

ANNUS URBIS CONDITÆ 908.

ANNUS CHRISTI 157.

HIGINII PAP. 4.

LUCII REGIS 34.

ANTONINI PII IMP. 18.

Annus Christi centesimus quinquagesimus septimus, qui Severum & Sabinum, Consules habuit, nullam Annalibus nostris materiam subministrat.

ANNUS URBIS CONDITÆ 909.

ANNUS CHRISTI 158.

PII PAPÆ 1.

LUCII REGIS 35.

ANTONINI PII IMP. 19.

I. Moritur Higinus Papa.

Anno Christi centesimo quinquagesimo octavo, Silvano & Augurino Consulibus, moritur Higinius Papa, Martyrio coronatus cum sedisset annos non omninò quatuor. Quis illi in Romana Sede successerit, inter antiquiores controversia est. Optatus Milevitanus, & S. Augustinus Anicetum substituunt, & Aniceto Pium. Verùm Hegesippus, Irenæus, Tertullianus hujus sæculi Doctores, Eusebius, Epiphanius, uterque Nicephorus, & post eos plurimi, Pium Higinii successorem, & denique post eum Anicetum nominant: quod probabilius videtur.

Succedit Pius.

II. Christiani plures in Britannia.

Quod ad Britanniam attinet, & hujus anni gesta; colligo insignem aliquorum conversionem, hoc tempore, Insulam illustrasse: quia Matthæus Florilegus, cum Augustini junioris adventum, ad annum quingentesimum nonagesimum sextum retulisset; dixisset que in illa Insulæ parte, quam Saxo tenebat, deletam Christianitatem fuisse; addit: *In parte verò Britonum, adhuc Fides Christi vigebat, quæ anno Dominicæ Incarnationis centesimo quinquagesimo octavo habita, nunquam defecit.* Usserius hic putat Lucii Regis conversionem ab authore intelligi: Ego potius opinarer plures in Insula Regiam conversionem prævenisse: & hoc fortassis anno, insignes aliquot, à quibus Regis conversio parabatur. Id trium Principum pietas facilè persuadet: cum Romanus Pontifex, Romanorum Imperator, & Britannorum Rex, Pii dicerentur.

ANNUS URBIS CONDITÆ 910.

ANNUS CHRISTI 159.

PII PAP. 2.

LUCII REGIS 36.

ANTONINI PII IMP. 20.

I. Decretum de ritu celebrandi Paschatis.

Annus Christi centesimus quinquagesimus nonus, Barbato & Regulo Coss. illustratur Ecclesiastica sanctione Pii, Romani Pontificis; qua jubentur Ecclesiæ omnes Dominicam Resurrectionem, non alio, quàm Dominico die, celebrare. Decreti causa fuit hujusmodi. Oriens paulatim, & minor ibi Asia, Judæorum ritu, Lunæ decimæ quartæ, religiosiùs, quàm par erat, Pascha alligabant. Verùm Romana Ecclesia, Apostolicarum Traditionum custos integerrima; probè sciens Judæorum umbras & figuras, in veritatem transiisse: noluit principem solennitatem, unde festa plurima, fideique nostræ mysteria pendebant, à Lunâ quartadecimâ, sed à Sole potiùs pendere. Hæc controversia, quia Occidentem sæpè cum Oriente commisit, & Pii, Eleutherii, Victoris, aliorumque Romanorum Pontificum,

& denique Nicænæ Synodi industriam exercuit; sæpiùs infrà tractabitur. Sed quoniam Britannia, à factiosis, fingitur, cum Oriente, Pascha celebrasse, à prima ejus Conversione : adeoque inde, non ex Urbe sacra omnia, Fidemque accepisse, erit pretium operæ, hoc loco, paulò morosiùs dispicere, num veritatis eruendæ, an verò stabiliendæ factionis studio id dicatur. nam à Capite meliùs hic quæstionis cardo vertitur.

II. QUID BRITANNIA IN FESTO PASCHATIS. *Cent. 2. c. 2. fol. 9.*

Qui Magdeburgi Centurias scripsere, in omnium provinciarum Rep. curiosi; dum Britanniæ conversionem tractant, & primos ibi Fidei præcones investigant, è Græciâ, & Oriente illos tandem deducunt; non alio ferè argumento, quàm quod olim Britanni scilicet Orientalium more Pascha celebraverint. Ita enim ipsi: *Quis fuerit, qui primus in Britannia Evangelium docuerit, non satis liquet. Illud certè à veritate alienum non videtur: eam Ecclesiam, initio à Græcis, seu Orientalibus Doctoribus; non à Romanis seu Occidentalibus plantatam fuisse; Græcosq; eò ritus, ac ceremonias, qualescumque demum initio fuerint, transtulisse. Cur autem ita sentiamus, duobus potissimum indiciis movemur. Quod Petrus Cluniacensis Abbas, ad D. Bernardum scribens, affirmat Scotos Græco more, suo tempore solitos olim Pascha celebrare, non Romano. Notum verò est, de hac re acerbè initio, inter Orientales & Occidentales certatum esse.* Hæc ille. & primum hoc eorum indicium est; Britannos, non ex Urbe, aut Occidente; sed è Græcia & Oriente doctos fuisse: quia nimirum Petrus Cluniacensis dixit, suo tempore, Scotos, Græco more, Pascha celebrasse.

III. MAGDEBURGENSES REIICIUNTUR.

Si daremus Petrum Cluniacensem ita ad Bernardum scripsisse, nihil hoc esset ad Pascha Britannorum. Enimvero, hoc primo tempore, cum de Britannorum fide aut ritibus agitur: aut Scoti nulli in Britannia fuerunt, ut suprà satis ostensum: aut esto fuerint, nulla fuit de Paschate controversia. nullum ergo argumentum, imò nè indicium quidem, est Scotorum factum, Fidei Britannorum. Iterum ad indaganda Britannorum Fidei primordia; imperitè admodum ad Bernardi tempora, Scotosque descenditur, qui mille ferè annis prima Britannorum Fide posteriores fuerunt. Sed quid si Petrus Cluniacensis nunquam dixit, Græco more, Scotos Pascha celebrasse: nonne magno indicio colligetur, Magdeburgenses, factionis studio potiùs, quàm amore veritatis in Romanam Ecclesiam pugnasse. & nullo prorsùs argumento, aut indicio probasse, Britannorum Fidem, aut Pascha, ex Oriente, aut Græcia, à primâ eorum conversione, descendisse. Audi Lector, quid Petrus Cluniacensis ad Bernardum scribat: & inde Magdeburgensium acumen metire. Probat ille satis eruditè sacrorum rituum varietatem, nullo modo Ecclesiarum charitatem lædere: & inter cætera, sic ait: *Testes præcedentis rei sunt Patres Sancti, & eorum, quos Ecclesia reliquerunt approbatis libri: quod alio tempore Oriens; alio, Occidens; alio in eadem Britannica Insula, Angli; alio, Scoti, Christiani scilicet antiquiores, Pascha Domini celebrabant.* Ubi Anglorum quidem & Scotorum; nulla verò Britannorum, aut Græci moris mentio: Tantùm dicitur, quod omnes sciunt; cum Augustinus Junior venit in Britanniam, à M. Gregorio missus, inter Anglos & Scotos, super Paschatis observantia, differentiam fuisse. Cæterùm ego idem de Britannorum reliquiis (de quibus nihil Petrus Cluniacensis affirmât) assero, quod illi passim cum Scotis fuerint, & eorum more Pascha fecerint. Dico tamen, nec Anglos, nec Scotos, nec Britannos, eo tempore, aut priùs, aut posteriùs, Græcum, sive Orientalem Paschatis celebrandi ritum observasse. quod suo loco inferiùs, fusiùs ostendam.

Petrus Cluniac. lib. 4. epist. 17.

V. an. 566. per totum.

IV ALIUD INDICIUM EXCUTITUR. *Cent. 2. c. 2. fol. 9.*

Videamus nunc indicium aliud, an feliciùs probet intentum: nimirum primam Insulæ conversionem, ex Oriente, non ex Urbe fluxisse. *Alterum porrò indicium*, inquiunt Magdeburgici, *est Galfridus Cardinalis: qui itidem circiter annum septingentesimum vixit, testatur in sua Britannica historia lib. 8. cap. 4. quod Britanni penitùs noluerunt recipere Augustinum Iuniorem, Magni Gregorii Legatum, nec ullum Pontificis Romani Primatum super se agnoscere. Quod itidem non obscurum signum est, eò doctrinam, non à Romanis propagatam esse.* Ita illi. Hic multa oscitanter, & inaccuratè dicuntur, & ad rem nihil omnino. Augustini cum Britannis congressum suo tempore, pleniùs exponam. Interim breviter, de Galfrido Cardinali, qui Magdeburgensibus patrocinari putatur: Ut Petrus, Apostolorum Princeps, exauctoretur, Galfridus hic creatur Cardinalis; fuit Monimetensis Archidiaconus, post Asaphensis Episcopus, nunquam purpuram induit, nisi modò, ut factionem tueatur: quod de ætate ejus dicitur: *Qui itidem circiter annum septuagesimum vixit*: æquè insipidum est. nam falsi sunt, & mentiti annos quadringentos; si volunt Lectori persuadere, ipsum octavo post natum Christum sæculo vixisse. Quod si volunt ipsum vixisse ante annos septingentos circiter: in eo etiam palmariter errant *itidem circiter* annos ducentos. Sed ad rem, nam sentinam illam errorum, & mendaciorum Centurias, non expurgaverit Hercules. *Britanni*, inquiunt, *penitus noluerunt recipere Augustinum Iuniorem Gregorii Legatum.* Ubique & in omni syllaba falluntur. Augustinus ad Anglos, non ad Britannos legatus est. nec dicit Galfridus Britannos penitùs noluisse recipere Augustinum: nam vocati ad Synodum, Synodi præsidem Augustinum agnoverunt, receperunt, quantumvis ad eos legatus non esset. noluêrunt quidem in aliquibus obedire, quæ Augustinus postulaverat: & solùm, noluerunt eum Primatem suum agnoscere, quod Augustinus nunquam postulavit: ut infra patebit. Nec aliud Galfridus affirmat. Sed esto Britanni Augustinum noluerunt penitùs recipere, post annum Christi sexcentesimum: conclusio tamen admodum vitiosa est: nam in illa sexcentorum annorum periodo, variæ alternantesque rerum peristases esse potuerunt. Et multò rectiùs primordia fidei Britannorum ita colliguntur: Lucius Britannorum Rex anno Christi centesimo octogesimo tertio, Legatos à Romana Sede admisit: iterum Britannia, cùm hæresi vexaretur admisit Germanum & Lupum, Cælestini Romani Pontificis vice fungentes: ergo principium eorum fidei ex Urbe, & Romani Pontificis Sede profluxit. Sed plura de his suo loco.

V. an. 604. per totum.

V. GODWINI SENTENTIA EXPLODITUR. *Godwin. in Præfat. c. 2.*

E Magdeburgensi fonte potavit noster Franciscus Godwinus, pseudo Landavensis primò, inde Herefordensis Episcopus: cum idem argumentum tractans hæc habet: *Manifestum est, omnes ferè Ecclesias Hiberniæ, Scotiæ, VValliæ, in multis à Romana consuetudine differentes fuisse, cum in Insulam venit Augustinus,* &c. *ut patet in nuptiis Clericorum,* &c. *Verùm universalis ritus celebrandi Paschatis, more Orientalium, tam constanter (nolo dicere*

tam obstinatè) observatus, arguit omnino inde primos fides Doctores venisse. Hæc ipse, qui hoc Orientali argumento facilè convictus uxorem duxit. Pergit etiam docere, Orientis ritum celebrandi Paschatis, Britannorum Fidei coævum fuisse. Hujusmodi partus, peccantesque in historicam veritatem solœcismos genuit Lutheri cum Borâ syntaxis, & declinatio ab orthodoxâ Fide. Postquam enim Romana Sedes favere noluit illicitis nuptiis: sed eos potiùs separare voluit, quos dæmon conjunxerat. Orienti, Græciæque pessimo impetu adulantur: Idolum fingunt novi Paschatis, stupideque erigunt atque venerantur: disjicere illud atque amoliri spectat imprimis ad Annales istos, qui Britannicæ Ecclesiæ fundamenta aperiunt, qui Christianæ fidei auroram, diem, meridiem, & omnia cæli luminaria, hoc est, omnem Ecclesiæ œconomiam, & ritus quærunt, investigant, & producunt in publicum. Quoniam verò nullum hactenus nobis cum Græcia, aut Oriente commercium: nulli illine missi, aut accersiti Doctores: nihil Britanniæ cum Asia commune fuit: Quis non videt factionis vitio illus laborare, qui putant primum Britannorum Pascha, aut Asiæ, aut Orientis heteroclito more, celebratum. Quod ut fiat manifestius; exhibeo authores qui Paschatis controversiam ab origine repetunt. nam inde videre est, quinam, hoc sæculo, ab Asia; quinam contra steterint.

VI. Quotquot de Paschatis quæstione disputarunt, à Pio Romano Pontifice, illam auspicantur. Ita Eusebius in Chronico: *Sancitum est*, inquit, *à Pio, ut Resurrectio Dominica, die Dominica celebretur: quod à pluribus posteà Pontificibus confirmatum est.* quasi diceret: Ipse primus legem tulit, de die Dominica Paschati alligandâ, quam sequentes Pontifices ratam habuerunt. Jussit, inquam, decreto suo id servari, quod Apostolica Traditione, à Petro Pauloque acceptum, Roma semper, & omnis Occidens, religiosè servabat. Ita Socratem intelligo dicentem: *Qui quarto decimo die mensis Pascha celebrant; eum morem observandi, à Ioanne Apostolo, ipsis traditum dicunt. Qui autem Romam, & alias partes Occidentis incolunt: Petrum & Paulum Apostolos consuetudinem, quam illi tenent, ipsis reliquisse affirmant. Verùm nemo istorum omnium, testimonium, de his rebus proditum, proferre potest.* Pius ergo authoritate sua sancivit, quod Traditione acceperat. Expressit hic Socrates, qui Petri, Paulique morem sequerentur; Romam nimirum & alias partes Occidentis, inter quas indubiè, Britanniam, quia non excipit, intelligit; quam longè probabiliùs Petrus, aut Paulus, ab eisque missi Doctores, quàm Græcia, aut Oriens, in Fide, ritibusque formaverat. Eusebius porrò disertiùs affirmat, Britanniam, cum Roma fecisse. nam quæstionem, quæ sub Victore mota est, hoc sæculo, ita explicat. *Illis temporibus, de festo Paschatis in honorem Salvatoris observando, non exigua concitata erat propterea controversia; quod omnes Ecclesiæ Asiæ antiqua quadam Traditione adductæ, censebant; decimo quarto die Lunæ (quo Iudæis olim preceptum erat, ut agnum immolarent) festum illud celebrandum; & omnino eo die, in quemcumque hebdomadæ diem fortè incideret, jejunii finem statuendum: & quod* IN MORE POSITVM CÆTERIS ECCLESIIS, PER VNIVERSVM TERRARVM ORBEM DISPERSIS QVÆ CONSVETVDINEM, EX APOSTOLICA TRADITIONE, AD HOC VSQVE TEMPVS CONTINVATAM TENEBANT. quæ postrema verba ita Socrates reddidit, ferè Britanniam nominans: *Constat*, inquit, *cæteros universos, qui partes versus occasum Solis, & Oceanum accolebant ex veteris traditionis præscripto, post æquinoctium Pascha celebrasse.* quasi diceret. Priusquam Pius legem tulisset, de Dominica Paschatis; Britannia, quæ ad Occidentem, & Oceanum jacet, sola nixa traditione cum Roma festum celebrabat. Quæ cum ita sint, valdè supini fuere Magdeburgenses, qui vanissimis indiciis, è Galfrido Cardinali quæsitis, Insulæ conversionem ex Asia petiverunt. Et illos sequuti graviter impingunt qui è Græcorum Paschate, Britannis ignoto, Britannorum Fidei primordia metiuntur. Ratum igitur firmumque esto: Cum Pius præcepit die Dominico Pascha celebrari: Britannia, quæ priùs sola consuetudine ita fecerat, nunc, lege latâ sanctiùs observavit.

VII. Collectio pro Britannorum Fide.

Quamobrem si argumentari placet, è festo Paschatis; atque inde primos Britanniæ Doctores colligere: multò rectiùs ita concludes: Cum constet omnes Occidentis Ecclesias, præsertim quæ ad Oceanum erant, Romanum Paschatis ritum, primo quoque tempore, ex Apostolicâ Traditione observasse: & pari modo constet Britannorum Ecclesiam, ex eis unam fuisse: constat omnino primos Fidei præcones, & rituum Doctores, non è Græciâ, non ex Asiâ, sed ex Urbe prodiisse. Hoc quotidianum Romanorum cum Britannis ultrò citroque commercium, hoc Romani Pontificis & Imperatoris nota & exercita potestas: Hoc Britannorum frequens in Urbem itus, reditusque, hoc demùm authorum sensus, & sæculorum consensus, & sexcenta argumenta convincunt. Omitto nostrorum Regum in Romanam Sedem affectum, obsequiumque: omitto templa Petro & Paulo, ad orbis invidiam posita; & coronam sæpiùs ad Romani Pontificis pedes projectam; quia posteriora fuerunt. Cæterùm satis constat Pium, hoc anno, *judaizantes tantum Ecclesias* (ita loquitur Baronius) latâ lege correxisse. Illas nimirum, quæ Joannis Evangelistæ, ut ferebatur, exemplo, in Lunam decimam quartam; quam in Dominicum diem propensiores erant: quasque Constantinus M. cum Judæorum perjurio commercium habere scripsit, illis literis; ubi disertis verbis affirmat, Britanniam, Romano more, Pascha celebrare. De quibus suo loco. nam ut hæc eadem quæstio vexavit sæpè Ecclesiam; & quia impudenter asseritur Britanniam cum peccante Asia peccavisse: ideo sæpè de ea inferiùs erit agendum. ut magnus Protestantium aries, quo Romanam hujus Insulæ Fidem solent impetere, non constantissima Urbis mænia, sed aerem verberare cernatur.

Euseb. in Chronic. an. 146. — Socrates l. 5. c. 21. — Euseb. l. 5. histor. c. 22. — Socrat. l. 5. c. 21. — Baronius hic. — V an. 325. 30.

ANNUS URBIS CONDITÆ 911.

ANNUS CHRISTI 160.

PII PAP. 3.

LUCII REGIS 37.

ANTONINI PII IMP. 21.

ANNO, qui sequitur, Christi centesimo sexagesimo, Consulatum inierunt Tertullus & Sacerdos: quo nihil reperio Annalibus proprium.

ANNUS URBIS CONDITÆ 912.

ANNUS CHRISTI 161.

PII PAP. 4.

LUCII REGIS 38.

ANTONINI PII IMP. 22.

I. Marcellus Britannus Fidem prædicat.

Anno Christi centesimo sexagesimo primo, Quintillo & Prisco Consulibus, crescebat indies Evangelii sementis in Britannia: cum viri Apostolici, vel in Urbe docti, vel inde emissi, Christum, ore & opere prædicarent. Plures passim ab authoribus, sed ἀχρόνως nominantur. Eos inter, Marcellus sive Marcellinus, Britannus homo, Tungrensium postea & Trevirensium Episcopus, prædicasse in Insula creditur. Ejus mentionem facit Martyrologium Anglicanum, ad quartum Septembris, ubi dicitur Christianorum gregem collegisse, reliquias fidei, à Josepho olim Sociisque conversas, easque in Fide confirmasse. Addunt Annales Ecclesiæ Trevirensis; ejus prædicatione Lucium Britanniæ Regem baptizatum esse. Quod ita intelligi debet, ut Marcellus Christianæ Fidei scintillas nunc foverit, auxerit, accenderit, quæ postmodum, in Regiæ pietatis flammam eruperunt. nam ut certum est, plures in Britannia fuisse hoc omni tempore qui Christum religiosè colebant: ita non minùs certum, aliquos cæterorum in Fide ac religione duces extitisse. Nec enim Lucius Rex Romanam Sedem posteriùs appellasset; nisi priùs domi, Christianæ Fidei præcones, & Romanæ Sedis excellentiam audivisset. Sic potuit Marcellus fidei sementem jacere; quæ Regiæ conversionis fundamentum esset. Cæterùm quod Catalogus Trevirensium Archiepiscoporum habet. *Sanctus Lucius Britannia Rex factus Christianus, atque ab hoc Marcello Trevirorum Doctore baptizatus*, non possum illi subscribere: quia certioribus testibus dicam, non ab illo, sed à Fugatio & Damiano, post Marcelli mortem (si illa incidit in annum Christi centesimum octogesimum, ut habet Martyrologium) baptizatum esse.

Martyrolog. 4. Septemb.

Num ab eo baptizatus Lucius.

II. Timotheus in Britannia.

Timotheus etiam insignem navasse operam creditur, in Lucii conversione. Imò Legenda ejus, apud Nauclerum, totius Insulæ Fidem in eum referre videtur. *Invenio* (inquit ille) *in Legenda S. Timothei Apostoli, quod venerit in Britanniam, & Lucium ejus gentis Regem, cum tota Insula ad Fidem Christi converterit.* Si quæras quis iste Timotheus, & unde domo fuerit? Respondeo: Fuisse Pudentis Senatoris filium, fratrem novati, Pudentianæ atque Praxedis virginum: cujus meminit Pius Papa in Epistola ad Justum Viennensem; ubi ab Apostolis educatus, & ad hæc tempora pervenisse scribitur. Hanc ob causam Timotheum istum Claudiæ quoque, Britannæ fœminæ filium afferunt quidam, quos ego lubens sequerer, si ulla antiquorum authoritate niterentur. Sed remotior hæc, & fidei nostræ rudimenta prima, adeo tenebris septa sunt undique, ut plenam apertamque lucem promittere nemo possit. Clariora sunt quæ de Pudente, parente altero scribuntur; nimirum in quatuor filiis, & ampla familiâ, illustrem fuisse. Unde in Actis Pudentianæ virginis, Timothei sororis, quæ hoc anno centesimo sexagesimo primo mortua, creditur: legimus familiam ejus nonaginta sex hominibus constantem, à Pio Romano Pontifice baptizatam esse. Notandum porrò non dici Timotheum, aut sorores ejus, à Pio baptizatos: nam illi dudum ab Apostolis, Romæ, in monte Viminali (ut patet è Romano Martyrologio, Beda, Usuardo, & Adone) baptismo initiati fuerant. Unde Timotheus prodire potuit: & Christum, quem ibi à Petro didicerat, in aliis provinciis prædicare. Cur verò Britannniam præ cæteris elegerit Claudia Pudentis uxor, lectissima fœmina, causa fuisse videtur.

S. Pudentiana moritur.

III. Quid Timotheus in Britannia docuerit?

Quam Fidem Timotheus in Britannia prædicaverit: Quid Lucium Regem & Provinciales docuerit: quem Dei cultum, & quomodo prædicaverit; patebit è literis Româ ad Timotheum scriptis, anno sequenti. Unde etiam colligo ejus ex Urbe absentiam, argumentum esse præsentiæ hoc anno in Britanniâ; quò Pius Pontifex eum, Evangelii promulgandi causâ miserat. Atque ideo rectè à Nauclero suprà, *Apostolus*, nimirum ab Apostolica Sede, ad Christi Fidem prædicandam missus appellatur. Quoniam verò in eisdem literis, mentio quoque est Pudentianæ virginis, ex hac vita ad immortalem translatæ: non erit fortè Lectori importunum, vitæ ejus compendium legere. nam inde colligere est fidem ejus, fratrisque Timothei; qui Lucium, & Britannos docuisse dicitur. Hæc igitur de illa, è Romano Breviario accipe, & spectant ad rem, hoc anno gestam.

IV. *Breviar. Roman. 19. Mai.* Pudentianæ Virginis vitæ compendium.

Pudentiana virgo, Pudentis Romani filia, parentibus orbata; cum admirabili pietate Christianam Religionem coleret, unà cum sorore Praxede, pecuniam ex vendito patrimonio redactam, pauperibus distribuit: seque jejuniis & orationibus dedit. Cujus etiam opera, tota ejus familia, in qua erant nonaginta sex homines, à Pio Pontifice baptizata est. Quod autem ab Antonino Imperatore sancitum erat, ne Christiani publicè Sacrificia facerent: Pius Pontifex in ædibus Pudentianæ, cum Christianis Sacra celebrabat. Quibus illa benignè acceptis, quæ ad vitam necessaria erant, suppeditabat. Itaque in his pietatis officiis migravit è vita: & in sepulchro Patris, ad cæmiterium Priscillæ, via Salaria, sepulta est decimo quarto Kalendas Iunii. Hæc ibi. Priscilla, cujus hîc mentio, mater Pudentis Senatoris, & avia Pudentianæ fuit. Unde aliqui suspicati sunt, Claudiam Britannam fœminam, cui nomen à Claudio, qui illam in triumphum duxit: ita nomen aliud à Pudente marito, nec aliud quàm Parentis suæ Priscillæ accepisse. Quod si verum, tunc Timotheus, Novatus, Pudentiana, Praxedes, qui communiter audiunt Pudentis & Priscillæ liberi, omni merito ad Britanniæ Annales pertinebunt. & Fides illorum, Lucii & Britannorum Fides censebitur. Illa nimirùm, quam Christus Apostolos, & Apostoli Romæ docuerunt: Ubi Timotheus illam doctus, eandem in Britannia prædicavit: Sed quænam illa? Breviter accipe.

V. Timothei domus Christianorum Ecclesia. *Acta Justin. apud Baron. 165. n. 5.*

Ab isto Timotheo, celebres illæ thermæ, in monte Viminali, dictæ sunt Timothinæ; vel ab ejus fratre, Thermæ Novati. Quem locum intellexit Justinus Martyr; cum interrogatus à Præfecto: in quem locum Christiani convenire solerent (quod Romani Imperatores M. Aurelius, & L. Verus vetuerant) respondit. *Ego propè domum Martii cujusdam ad balneum cognomento Timothinum hactenus mansi.* Eò enim Christiani ad

ad ſacra celebranda, eo modo, quo ſupra in ædibus Pudentianæ Pius Pontifex, convenire ſoliti erant. Enimverò cum Timotheus primò in Britanniam cogitaret; domum illam Novato fratri; Novatus, ſequenti anno, morte ſublatus, Praxedi ſorori ceſſerat. Et illa demum Pium Romanum Pontificem impulit, ut domum in Eccleſiam conſecraret. Ibi itaque Chriſtianorum conventus, ibi Sacra, ibi Miſſæ Sacrificium; quod Traianus, Hadrianus, & peſſimi quique omnino vetuerant: quod Antoninus ne publicè fieret, edixerat: propter quod demum Juſtinus, ſub M. Aurelio Antonino, Martyrio coronatur anno Chriſti centeſimo ſexageſimo quinto. plura de Timotheo anno ſequenti.

ANNUS URBIS CONDITÆ 913.

ANNUS CHRISTI 162.

PII PAP. 5.

LUCII REGIS 39.

ANTONINI PII IMP. 23.

I. Titulus Pastoris. ANno Chriſti centeſimo ſexageſimo ſecundo, Vibio Baro, & Annio Bradua, Conſulibus: in thermis Timothinis, de quibus modò dictum, erectus eſt titulus, qui Paſtoris titulus appellatur. Quid eo nomine, & antiqua dialecto ſignificetur, ſuprà dictum. nimirum locus erat, ad Chriſtianorum conventus, & Sacra celebranda conſecratus. Sed quia Timotheus ab Urbe, procul in Britannia Fidem ſeminans: Paſtor Presbyter, per literas illi ſignificat, Pudentianæ ſororis, & Novati fratris, felicem ad Deum tranſitum; qui ultimis tabulis Timotheum & Praxedem, hæredes ſcripſerant: ſororem verò de Novati ſubſtantia, domoque, illo inconſulto, nolle diſponere. ſed præſtat ipſas literas audire, quæ antiquitatem loquentes, ita inſcribuntur.

PASTOR PRESBYTER,
Timotheo Compresbytero,
In Domino Salutem.

II. Literæ Pastoris ad Timotheum. *VEnerabilis Virgo Praxedes afflicta erat propter tranſitum germanæ ſuæ Pudentianæ. multi nobiles Chriſtiani, ad eam veniebant, & conſolabantur eam, cum Epiſcopo Pio. Venitq́; ad eam Germanus veſter Novatus, qui eſt frater noſter in Domino, & conſolatus eſt eam: & multos Chriſtianos pauperes, domi ſuæ refecit, & miniſtravit omnibus de facultatibus ſuis: rogans ab eâ, ut orationibus ejus, indulgentiam à Domino mereretur. Idemq́; vos frequenter, cum Beatiſſimo Pio Epiſcopo, ad Altare Domini commemorabat. Poſt menſem verò, & dies viginti octo, ægritudine detentus eſt Novatus; poſtquam abſceſſerat à conſpectu Virginis Praxedis. Pio autem Epiſcopo cogitante de omnibus Chriſtianis, unà cum Virgine Praxede, requiritur Novatus vir Dei. Et cum auditum fuiſſet, quod ægritudine detinebatur; contriſtati ſunt omnes. Beata autem Praxedes dixit ad Pium Epiſcopum: jubeat ſanctimonium veſtrum, ut eamus ad eum: & viſitatione tua, cum orationibus, ſalvabit eum Dominus. Et facta conſtitutione, noctu, unà cum Pio Epiſcopo, & Virgine Domini Praxede, perreximus ad virum Dei Novatum. At cum audiviſſet idem vir Dei Novatus, omnes nos congregatos ad ſe veniſſe; gratias cœpit agere Deo; quia meruit à S. Pio Epiſcopo, & Virgine Domini, unà cum noſtra viſitatione, confortari. Et fuimus in domo ejus diebus & noctibus octo. His autem diebus, cum ibi eſſemus: hoc placuit ei, ut vobis unà cum Beata Praxede, omnem ſubſtantiam ſuam relinqueret. Inde verò tertio-decimo die tranſivit ad Dominum. De quo facto nos literas hujus textus, ad vos direximus, unà cum Beato Pio Epiſcopo Sedis Apoſtolicæ, & Virgine Praxede. ut quid tibi placuerit de ſubſtantia Germani tui Novati, facias nos certiores. Ut tua ordinatio in omnibus cuſtodiatur. Miſſa per Euſebium Subdiaconum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ.*

III. Cum has literas Timotheus recepiſſet, perbrevem quidem, ſed pietate plenam dictavit Epiſtolam: in qua de more illius ſæculi, & prima Chriſtianæ fidei inſtitutione, petit memoriæ Sanctorum Apoſtolorum commendari. Ut quia Apoſtolico ipſe munere fungebatur, in fide Britannis porrigenda; eorum, qui in eo genere præceſſerant ſuffragiis juvaretur. Ita ergo ad Paſtorem Presbyterum reſcripſit, & unà ad ſororem ſuam.

TIMOTHEUS, CONFRATRI
Presbytero Paſtori, & ſanctiſſimæ ſorori
Praxedi, In Domino ſalutem.

Timothei rescriptum. *NOS famulatum in omnibus prævenientes, oramus ſanctimonium veſtrum; ut nos commendare dignemini memoriæ Sanctorum Apoſtolorum, & Sancto Pio Epiſcopo, Sanctæ Sedis Apoſtolicæ Præſuli, & omnibus Sanctis. Ego humilis ſervus veſter, plenius gaudio repletus ſum, audiens quod mihi ſcribere dignati eſtis. Mea ſiquidem vobis ſemper votiva fuit, & eſt conſcientia. Unde agnoſcat ſanctitas veſtra, quia quod Germano ſuo Novato placuit: & nobis famulis veſtris placet: ut in arbitrio ſanctæ Virginis ſit, quod mihi dereliquit: & quod vobis, & ſanctæ Virgini placuerit, ex eo faciendi, plenam per omnia habeatis poteſtatem.*

IV. Quid inde factum, & ut Praxedes virgo domum Novati, & omnem ejus ſubſtantiam, Eccleſiæ legaverit, ita pergit narrare Paſtor in Actis apud Baronium hic. (Baronius hic.) *Acceptâ igitur hac Epiſtolâ, gaudio repleti ſumus & tradidimus eam legendam Sancto Pio Epiſcopo. Tunc Beatus Pius Epiſcopus gratias egit Deo Patri omnipotenti. Eodem tempore virgo Domini Praxedes, accepta poteſtate, rogavit Beatum Pium Epiſcopum, ut in thermis Novati, quæ jam in uſu non erant, Eccleſiam dedicaret: quia in eis ædificium magnum, & ſpatioſum eſſe videbatur. Quod & placuit Pio Epiſcopo: & dedicavit Eccleſiam in thermis Novati, in Urbe, in loco qui appellatur Vicus lateritiorum: ubi & conſtituit titulum Romanum; & baptiſterium conſecravit quarto Idus Maias.* (Pius Papa Ecclesiam conse-) Ita Paſtor, de titulo in monte Viminali: quò paſſim Chriſtiani conſueverant convenire: clam quidem quamdiu Novatus in vivis erat: jam verò eo mortuo, integrè Deo, & divino Sacrificio ceſſit, ſolenni cærimoniâ: nimirum Tituli, hoc eſt, Crucis erectione, & defixione in loco, qui Chriſto & ſacris dicabatur. Crux enim divinæ mancipationis hieroglyphicum habebatur: eaque Apoſtolos Eccleſiam deſignaſſe ſuprà dixi. (V. an. 60. n. 13.) Et nunc quoties ſe ad orandum componunt, quoties ſe vel Dei ſervos, vel dæmoni adverſarios, oſtendunt; eo ſe titulo muniunt, & ſuam Deo ſervitutem profitentur. Quod ſine dubio Pius Pontifex ab Apoſtolis accepit.

V. AN TIMOTHEUS LUCIUM BAPTIZARIT?

Timotheum hunc in Britannia fuisse, cum suprà dictæ literæ inde scriptæ, tum etiam affirmare videntur ii omnes, qui Lucium Britanniæ Regem, discipulum ejus vocant; aut sub hæc tempora baptizatum: ita, præter Nauclerum suprà, Petrus de Natalibus l. 1. c. 24. Henricus Pantaleon de viris illustribus par. 1. & alii. nec defuerunt, qui hoc ipso anno centesimo sexagesimo secundo baptizatum Lucium affirmarent: quos Usserus nominat in Primordiis. nescio tamen quid illi in mentem venerit, Marianum Scotum inter eos, qui hoc asserunt recensere: cùm ille, disertis verbis, sub Eleutherio Papa, supplicem pro baptismo Lucium statuat: & Eleutherium scribat, sedem intrasse, sub annum decimum sextum imperii Marci Aurelii Antonini, & Lucii Veri; qui Antonino Pio successerunt. quod propius vero est. Sed & ipse Usserus alio loco, sic habet: *Marianus Scotus Legationem Lucii, cum Beda, ad initium Eleutherii, & horum utrumque ad Consulatum Pollionis, & Apri, non malè refert.* Unde memoria lapsum fuisse oportuit: cum paulò post inter primos qui Lucii baptismum ad hunc annum referunt, Marianum nominavit.

Usser. in Primord fol. 37. Marian. ad an. 177.

Usser. suprà fol. 46.

ANNUS URBIS CONDITÆ 914.

ANNUS CHRISTI 163.

PII PAP. 6.

LUCII REGIS 40.

M. AURELII, ET L. VERI IMPP. 1.

MORITUR ANTONINUS PIUS. SUCCEDIT ANTONINUS PHILOSOPHUS, CUM L. VERO.

ANNO Christi centesimo sexagesimo tertio, Marco Aurelio tertiùm, & Lucio Vero, secundùm, Consulibus; Antonini Pii mortem consignat Baronius, ad septimum Martii: succedunt Marcus Aurelius Antoninus, cognomento Philosophus, & Lucius Verus Antoninus: quos jubente, & vivente Hadriano Antoninus Pius adoptaverat. Unde hoc primùm anno Romanum Imperium à duobus, æquo jure regitur. Licet è Senatusconsulto unus tantum imperii successor nominatus sit Marcus Aurelius: qui paterni imperii memor alium ascivit in imperio socium: & datâ in uxorem filiâ, Lucilla nomine, cognatione sibi generum fecit.

ANNUS URBIS CONDITÆ 915.

ANNUS CHRISTI 164.

PII PAP. 7.

LUCII REGIS 41.

M. AURELII, ET L. VERI IMPP. 2.

I. QUARTA PERSECUTIO SUB ANTONINO PHILOSOPHO.

SEQUITUR Christi annus centesimus sexagesimus quartus, Junio Rustico, & Vectio Aquilino Consulibus: M. Aurelius Christianam Ecclesiam persequitur: non suo quidem impetu; nam Stoicæ disciplinæ sectator, didicerat errantes animi motus premere, nec irasci. Sed eorum factione, qui pietatis speciem mentientes, veram pietatem solent aversari. Has inferorum portas (quia omni ferè sæculo, in Petram surrexere) non abs re erit in lucem proferre. nam ubi hæreses, & schismata grassantur; eodem modo, simili arte, sed & pari eventu orthodoxi premuntur. Qui hoc anno Christianos vexaverunt, è Philosophorum fæce prodierunt; & vix hominum appellatione digni, Cynici dicebantur. Hi nescio quæ flagitia, & læsæ majestatis crimina commenti, Imperatorem in orthodoxos acuerunt. Quasi verò Christi Fides, cum Imperio, aut illa Majestate, stare, aut componi non posset. Qui hunc lapidem movebant, mordebantque, Calvino sociisque præluserunt: qui tuendæ majestatis specie, majestatem omnem exuerunt. Tatianus hoc sæculo scribens, tam graphicè Cynicum depingit, ut à Calvinista distingui non possit. Ita enim de Crescente, Cynicorum Principe. *Vidi* (inquit) *quendam sæpè numero: & visum sum admiratus; postea contempsi. Utpote qui aliter in animo sentit; foris autem, quod non est, mentitur: perquam delicatè gloriantem, & variis modis luxuriantem. dum partim oculis micat, partim manibus gesticulatur: lutoso vultu insaniens: nunc Veneri, nunc Apollini similis: unus omnium Deorum accusator, hypocrita cadium, præclararum actionum calumniator, superstitionis epitome. Talem, inquam, vidi; qui interim à nemine non laudatur. Ego verò mendacissimum hominem, & impietatem ejus, & studia abominatus sum.*

Tatian. contra Græcos.

CALVINISTARUM VERA DESCRIPTIO.

II. PERSECUTIONIS CAUSA: CHRISTIANORUM SACRIFICIUM.

Hi nimirum Cynici, fuco pietatis, & nescio quo Philosophiæ pallio; Aurelio Imperatori imponebant, pari ferè modo Philosopho, Christianos novum Deum, nova sacra, colere; ideoque è Rep. tollendos. His ergo authoribus, vel certè impulsoribus mota persecutio, quâ plures pro Christo victimæ ceciderunt. Et unâ ferè causâ; quod contra Imperatorum edicta, conventus & synaxes facerent; ibique contemptis Romanorum Sacrificiis, Deum suum novo Sacrificio colerent. Hoc acta significant Sanctæ Praxedis; quæ, quia Timothei soror, Pudentis saltem, si non Britannæ Claudiæ filia, & quia hoc anno, sanctè mortuam commemorant, hic apponam. Ita ergo scribit Pastor, consequenter ad ea quæ suprà dixerat. *Post annos duos & dies decem & octo, facta est persecutio magna Christianorum, ut traherentur ad idolorum culturam: & multi Martyrio coronati sunt. Virgo Domini Praxedes; fervens Spiritu Sancto, multos Christianos occultabat in eodem titulo; quos cibo, & verbis hortabatur Spiritus Sancti. Tunc vulgatum est Antonino Imperatori* (*M. Aurelium intelligit*) *QUOD CONVENTUS FIERET IN DOMO PRAXEDIS. Qui misit, & tenuit multos; inter quos & Symetrium Presbyterum, cum aliis viginti duobus. Quos sine interrogatione, gladio puniri præcepit, in eodem titulo. Quorum corpora noctu, Beata Praxedes collegit, & sepelivit in cæmiterio Priscillæ, septimo Idus Iunias. Tunc afflictione contristata Beata Praxedes ingemuit, & oravit ad Dominum, ut transiret ex hac vita. Cujus orationes & lacrymæ ad Dominum IESUM CHRISTUM pervenerunt. Itaque post dies triginta quatuor, post prædictorum Martyrium, migravit ad Dominum Virgo sacrata, duodecimo Kalendas Augusti. Cujus corpus ego Pastor Presbyter sepelivi, juxta Patrem suum in cæmiterio Priscillæ, viâ salariâ, ubi florent hodie orationes Sanctorum.*

Apud Baron. hîc.

S. PRAXEDES MORITUR.

III. OB MISSÆ SACRIFICIUM MOTA PERSECUTIO.

Hæc placuit referre, quia Romanam Fidem, & Romanæ Fidei hostes; qui hodieque Romanam Ecclesiam persequuntur, eleganter exprimunt. Nec opus est explicare: quis ille conventus;

aut quid ibi fieri solitum: quia suprà, in aliis Christianorum persecutionibus, ostensum est: non aliud fuisse à Missæ Sacrificio: quod Christiani intermittere, ullo pœnarum, aut mortis metu noluerunt: & Cynici, malo genio impulsi horruerunt. Sed ut clariùs pateat, quid in Titulo Pastoris; à Symitrio Presbytero, & coacto ibi Christianorum cœtu, actum: post annum sequentem audies, cum legeris Pium Romanum Pontificem in alio Titulo, Missam, celebrantem. Illa nimirum in Cynicorum, illa in Calvinistarum oculis sudes erat, hodieque est.

ANNUS URBIS CONDITÆ 916.

ANNUS CHRISTI 165.

PII PAP. 8.

LUCII REGIS 42.

M. AURELII, ET L. VERI IMPP. 3.

I. Cynici in Christianos surgunt.

ANno Christi centesimo sexagesimo quinto, Papyrio Æliano, & Junio Pastore Consulibus; iterum Cynici Christianis graves, M. Aurelium Imperatorem ad fundendum Christianum sanguinem impellunt. Scripserat Justinus Philosophus pro orthodoxis & eorum fide, contra calumnias pessimorum, elegantem orationem. qua Christianæ religionis mysteria exponendo, impiorum iras temperaret. Illi magis irritati, Justino invidiam primò, mox odium, quòd contra Cæsarum jussa, ad synaxes convenisset; inde mortem, hoc anno, conciliant. Erat Justino in more positum, ad Novati Thermas, ad Titulum Pastoris, cum aliis Christianis, Sacrificii causa convenire. Id Cynicorum opera detectum, delatumque Martyrii causam dedit. Quemadmodum posterioribus sæculis, ubi Justini, & Romana Fides exulat, à novis Cynicis factum, qui eandem ob causam, ad tribunalia trahunt orthodoxos, & reos sistunt. Justinus mortem suam ante præviderat, prædixeratque illis verbis, quibus Cynicorum, etiam nostrorum genium aperit in hunc modum. *Ego quidem insidias & fustuarium, crucisve supplicium à quopiam expecto, qui aliquo sit numero, & nomine, vel ab ipso etiam Crescente Philosopho, & philocompo, id est, strepitus popularis & insolentiæ arrogantiæ amatore. Indignus namq; est, ut Philosophus, & sapientiæ amator dicatur: propterea quod publice de rebus, quas ignorat (videlicet quod Christiani sint Athei prorsusq; sine Deo & impii) asseverat.* & infrà. *Impossibile est homini Cynico, qui finem promiscuum, nullo adhibito rerum vita certo delectu, est amplexus. bonum aliud nosse, quàm adiaphoria. & inordinatæ hujusmodi confusionis, & indifferentiæ.* Hæc qui legit, ut primorum sæculorum Fidem, cum Romana hujus tempor[is] [c]omponens, eandem facilè judicabit: ita primi sæculi maculas, ad nostra hæc tempora descendisse, & solo nomine differentes esse perspiciet.

Justinus Martyrio coronatur: et quare?

Justin. in Orat. ad Senatum.

II. Timotheus e Britannia Romam vadit.

Hoc anno, Sanctus Timotheus qui Lucio Britannorum Regi fidem instillasse dicitur, è Britannia Romam rediit, in illo Orbis theatro, confirmaturu[s] Fidem quam in Britannia prædicarat. Hoc ideo dicendu[m], quia sequenti anno & ipse Cynicorum odio, Romæ pro Christo sanguinem fudit; ut patet è sequentibus, quæ omittere non debeo; quia suprà, Timotheus Britanniæ Apostolus nominatur.

ANNUS URBIS CONDITÆ 917.

ANNUS CHRISTI 166.

PII PAP. 9.

LUCII REGIS 43.

M. AURELII, ET L. VERI IMPP. 4.

I. Timotheus Martyrio coronatur. *Martyrolog. Rom. 24. Martii.*

ANno Christi centesimo sexagesimo sexto, Julio Macrino, & Cornelio Celso Consulibus; Timotheum Romæ martyrium subiisse, tam ex iis quæ leguntur in Romano Martyrologio, quàm ex iis quæ scribit Pius Romanus Pontifex, satis colligitur. In Martyrologio hæc habentur ad vigesimum quartum Martii. *Romæ Sanctorum Martyrum, Marci & Timothei, qui sub Antonino Imperatore Martyrio coronati sunt.* Cæterùm, constat intelligi Timotheum illum, de quo supra. nam Pius Pontifex, ad Justum scribens Viennensem Episcopum, illum ipsum, & martyrii collegam ita describit.

II. Pii Papæ literæ de S. Timotheo.

PIUS EPISCOPUS ROMANUS,
Fratri Justo Episcop.

ANtequam Romà exisses, soror nostra Euprepia (ut benè recordaris) Titulum domus suæ pauperibus assignavit. Ibi nunc cum pauperibus nostris commorantes, Missas agimus. De te autem superbeate, postquam ad Senatoriam Urbem Viennensem perrexisti, quid factum sit nosse cupimus. Et ut sementem Evangelii jam sparseris, audire multum desideramus Presbyteri illi, qui ab Apostolis educati, usque ad nos pervenerunt cum quibus simul verbum Fidei partiti sumus, à Domino vocati, in cubilibus æternis clausi tenentur. Sanctus Timotheus, & Marcus, per bonum certamen transierunt. Vide frater, ut illos imiteris sequendo: nec vinculis mundi illigeris. Festina palmam perseverabilem, cum Sanctis Apostolis tenere, quam per multas passiones Paulus suscepit; & Petrus, cui crux charitatem Christi tollere non potuit. Salutant te, Soter, & Eleutherus, digni Presbyteri. Saluta Fratres, qui tecum vivunt in Domino. Cherinthus primarcha Satanæ multos avertit à Fide. Gratia Christi habitet in corde tuo.

III.

Si audis Timotheum, ab Apostolis doctum, vixisse ad hæc tempora; noli mirari; quia S. Polycarpus, quem familiaritate & notitia conjunctum Apostolis, vocat Eusebius, adhuc in vivis erat, pollebatque adeo viribus; ut ad Pii successorem Anicetum, è Græcia Romam venerit, ut infrà. Illud item placet, & facit ad Britannicæ Ecclesiæ sanctitatem; quòd Pius affirmet se, cum Timotheo, verbum Fidei partitum esse: num inde sequitur Insulam, omni sæculo, cum Romana Ecclesia in fide conspirâsse, eosdem ritus, eadem sacra servavisse. Quod illi vel ignorant, vel dissimulant, qui suprà dixere: Non liquere, quis primùm in Britannia Fidem docuerit. Cum passim occurrant, & a sectariis ipsis nominentur plures, qui Romæ ab Apostolis docti, & inde ab Apostolica Sede, in Britanniam missi; ut Christianam Fidem, ita Romanos ritus correxerunt. nam missos ab Urbe, Doctores & Episcopos, ab illius Urbis

Episcopo, docendi munus accepisse, & ejus influxu Remp. sacram formasse, quis dubitat? Et fidem faciunt Pii Romani Pontificis literæ iterum ad Justum Viennensem Episcopum; ubi illum instruit, dirigit, hortatur & monet, in hunc modum.

PIUS EPISCOPUS ROMANUS, Fratri Justo Episcopo S.

IV. *Apud Baron. hic.* Pius Justum Episcopum instruit.

Attalus Epistolas Martyrum ad nos portans venit, Gaudium nobis inæstimabile faciens, de triumpho eorum; qui dixit nobis Sanctum Verum, collegam nostrum, victorem de mundi Principe triumphasse. Tu verò apud Senatoriam Urbem Viennensem, ejus loco à fratribus constitutus; Collegio Episcoporum restitutus, vide, ut ministerium quod accepisti, in Domino impleas. Cura autem Sanctorum Martyrum corpora, sicut membra Dei. Quemadmodum curaverunt Apostoli Stephanum. Carceres Sanctorum visita; ne aliquis tepescat in Fide. martyria sancta, Spiritu Sancto proba. Ut perseverent in Fide, eis incitator exsiste. Presbyteri & Diaconi, non ut majorem; sed ut ministrum Christi te observent. Plebs universa sanctitate tuâ protegatur. Fratres nostri quos per Attalum recognosces, de tyranni sævitiâ liberati jam requiescunt in Domino. Presbyter Pastor Titulum condidit, & dignè in Domino obiit. Revelatum mihi esse scias, collega beatissime, citiùs me finem hujus vitæ esse facturum. Unum flagitabo: in Communione Sancta, & mei ne obliviscaris. Salutat te Senatus pauper Christi, apud Romam constitutus. Saluto omne collegium fratrum, qui tecum sunt in Domino. Hæc Pius, verè pius, verè Pater, veréque Princeps.

ANNUS URBIS CONDITÆ 918.

ANNUS CHRISTI 167.

PII PAP. 10.

LUCII REGIS 44.

M. AURELII, ET L. VERI IMPP. 5.

I. Pius Papa Martyrio coronatur.

ORACULUM fuit, quodmodò Pius scripsit: nam anno sequenti, nimirum Christi centesimo sexagesimo septimo, martyrio coronatus est, cum sedisset annos novem, & menses propemodum sex. Extat decretalis ejus Epistola, ubi inter cætera perjurio pœnam assignat in hunc modum. *Qui pejerat se in manu Episcopi, aut in Cruce consecrata, tres annos pœniteat. si verò in Cruce non consecrata, annum unum pœniteat.* Hinc orta religiosa jurandi formula, per Crucem sanctam, quam Regibus & Imperatoribus solennem fuisse, infra dicam ad annum quingentesimum sexagesimum. Obiter nota hic etiam Cruces interdum precibus, a Sacerdote, consecrari solitas, in finem religiosum. Nec minus notandum quod supra Pius scripsit. *Cura martyrum corpora, ut membra Dei.* nam morem hunc ab Apostolis acceptum communem orthodoxa servat Ecclesia.

[illegible]. an. 560. n.

De quo [illegible] tum de velandis virginibus, virginem [illegible] idem probat. fuit autem ita latum. *Virgines non velantur, ante viginti quinque annos ætatis; nisi fortè necessitate periclitantis pudicitiæ.* Ita Pius quod acceperat ab Apostolis, reliquit posteris.

Tom. [illegible] c. [illegible]rum.

II. Anicetus Papa.

Successit Pio, Anicetus, natione Syrus. Eò vix sedem ingresso, Marcion Ponticus, hæresiarcha pessimus, in Urbem veniens, conatur ibi perfidiæ suæ venenum effundere; unde faciliùs in universum mundum descenderet. Verùm Anicetus, Petri successor, acceperat & ipse illam prærogativam. *Rogavi pro te, ut non deficiat Fides tua, & tu aliquando conversus, confirma tuos.* Ita nec ipse infectus est: & egregiè cavit, ne Urbem alter inficeret. Porrò confirmavit suos, & simul Christi promissum, quando versipellem hominem, è fidelium communione ejecit; ne Ecclesia tali monstro fœdaretur: testatur hoc Tertullianus in Marcionem ita scribens.

Luc. 22. 32. Marcion ab Aniceto dejicitur.

Atque Pio suscepit Anicetus ordine sortem.
Sub quo Marcion hic veniens, nova Pontica pestis:
Nondum secretum facinus sub corde reclusum
Passim vulgo loquens, latebrosâ perfidus arte.
Sed postquam cœpit mortis proferre sagittas
Abjectus meritò, tam sævi criminis author
A sanctis reprobus, patuit mirabile monstrum.

Tertul. l. 3. Carm. cont. Marcion.

III. S. Polycarpus Romam venit, de Paschate acturus.

Hoc anno, S. Polycarpus in Urbem venit, cum Aniceto acturus super festo Paschatis; quod Smyrnensis Ecclesia, non Romano more faciebat. & quia nuper Aniceti prædecessor, legem de Dominica servandâ tulerat; quæ Orientem æquè ac Occidentem ligaverat: Anicetum rogat, qui ut ligandi, sic solvendi potestatem acceperat; liceret sibi, & Smyrnæorum Ecclesiæ, ritum à majoribus acceptum, quantumvis à Romano differentem, observare. datumque id sanctissimi viri reverentiæ. Quod sæpè aliàs, justas ob causas, indulsit filiis mater Ecclesia. nimirum licere interdum sacrorum differentiam aliquam, constante eorumdem substantia, Fideique unitate. Quod ideo observandum; quia infrà Sanctos numerabimus, Britannorum & Scotorum aliquos: qui nec more Romano; nec Græco, aut Asiatico; ut falsò sectarii tradiderunt; sed purâ Ecclesiastici calculi ignorantiâ, in Dominica Paschatis claudicabant. Nec tamen arguendus est Sanctus Victor, qui post annos viginti castigavit eos, ejecitque ex Ecclesia; qui Ecclesiastica lege contemptâ, non Dominico die, sed decimâ quartâ lunâ faciebant Pascha. nam obsoleto ritui pertinacia accesserat. Jamque non ut Polycarpus, Romanæ Ecclesiæ arbitrium petere; sed Romanam Ecclesiam judicare, & condemnare præsumpserant, nescio qui Montani sectatores. Est autem unum, indulgere Ecclesiis aliquid, quod fecit Anicetus, ob Polycarpi reverentiam: aliud permittere perduelles esse: quod noluit Victor. ne Montanistarum hæresis se latius diffunderet. Ita posterioribus sæculis factum Græcis. Indultus illis in Sacrificio, fermentatus panis; permissæque Clericorum nuptiæ: non passim & promiscuè (ut sectarii opinantur) sed conjugatis permissa libertas in sacris ministrandi; aliaque illis concessa: donec eò obstinationis, itum, ut non primæ sedis arbitrio stare, sed sedere ipsi Controversiæ judices præsumerent. Tunc autem non Aniceti indulgentia, sed Victoris acrimoniâ opus. In utroque elucet Romanæ Sedis eminentia.

ANNUS URBIS CONDITÆ 919.

ANNUS CHRISTI 168.

ANICETI PAP. 2.

LUCII REGIS 45.

M. AURELII, ET L. VERI IMPP. 6.

ANNUS Christi centesimus sexagesimus octavus, Consules habuit Senilium Pudentem, & Sufidium Pollionem: & otrumque Imperatorem de Parthis triumphantem. cum paulò ante, Lucius Verus Armeniam pressisset: dictus inde *Armenicus*, *Parthicus*, *Medicus*, inquit Capitolinus: nimirum devictarum gentium cognomina.

Capito. in Vero. c. 8.

ANNUS URBIS CONDITÆ 920.

ANNUS CHRISTI 169.

ANICETI PAP. 3.

LUCII REGIS 46.

M. AURELII, ET L. VERI IMPP. 7.

I. POLYCARPUS MARTYRIO CORONATUR.

ANNO Christi centesimo sexagesimo nono, Consulibus L. Aurelio Vero, tertiùm, & & Vinidio Quadrato; Sanctus Polycarpus Smyrnæorum Episcopus, insigni martyrio cælum conscendit. Tentata est viri constantia, jussusque *jurare per fortunam Cæsaris*: sed noluit ethnicâ jurandi formulâ Fidem temerare. respondit ergo: *Christianus sum*: significans eâ voce, nullum esse Christiano homini, cum alienis sacris, ritibusque commercium. hinc ferro flammisque, martyrio coronatur anno septimo Aurelii Antonini: à Latinis semper & Græcis omni merito, in Sanctorum numero habitus, cultusque.

II. CUR NOLUIT POLYCARPUS JURARE PER FORTUNAM CÆSARIS? *Apud Euseb. l. 4. c. 14.*

Miratus som aliquando, quid illud esset: *Iurare per fortunam Cæsaris*: & quorsum Polycarpus, à Proconsule jussus juramentum illud præstare; adeo abhorruerit, ut amittere vitam maluerit, quàm id admittere. Auxit admirationem: quod idem Polycarpus, eidem Proconsuli, eodem tempore dixerit. *Magistratibus & Potestatibus à Deo constitutis, cum honorem, qui animarum nostrarum saluti, nostræq; religioni nihil affert detrimenti, pro dignitate tribuere docemur.* Quod si verum, cur M. Aurelio, & L. Vero Antoninis Imperatoribus prospera omnia apprecari noluit, & illud juramento firmare? Scio ab aliquibus dici potuisse: verba quæ dubium sonant, & ambigua sunt, posse, ac proinde deberi, mitiùs accipi, quoties indubia est jubentis potestas. Sed scio etiam hanc primam ætatem, Christo proximam, in Fide virgioem, cavisse maximè ne minimùm in Fide claudicaret. Cavebant enim, & scrupulosè aversabantur, non solùm ethnicorum in sacris commercium: sed nolebant etiam verbo accedere, si verbo suberat perfidiæ umbra, vel suspicio. Jam verò, cum Romani Deos Deasque venerantes, etiam Fortunæ litarent: suberat enimvero juramento aliquid, quod castior ætas meritò formidaret. nimirū ne sub appellatione *Fortunæ Cæsaris*, numen aliquod, vel certè numinis umbra lateret, conscientiæ venenum. Et quamvis jurando, potuisset forte, meliore sensu, Fortunam accipere, quo tormenta mortemque declinaret: debuit tamen Fortunæ nomen sensumque, non suâ; sed jubentis mente metiri. Quod utinam illi observarent, qui Ecclesiæ sensum suo posthabentes, nimiùm adblandiuntur fortunæ Regiæ.

III. NOLUIT POLYCARPUS ETHNICORUM SACRIS ACCEDERE. *Euseb. l. 4. c. 14.*

Si Polycarpus in Fortunam Cæsaris juravisset, non ideo impunitus, aut à vinculis liber fuisset. nam jussus quoque est profanis sacris se adjungere. Et erant etiam tum, qui amicitiæ specie mentiebantur: non esse tanti momenti rem, quæ petebatur; quin prudenter præstari posset, si negotium capitis in ea verteretur. nam refert Eusebius, aliquos Polycarpo suggessisse: *Quid mali est istud dicere, Domine Cæsar: & illic sacrificare: & sic tandem salvum evadere, & incolumem.* Quod hodieque illi videntur facere, qui Fidei negotium extenuantes, Quid mali est, inquiunt, alienis te sacris immiscere ita; ut non tam illa probare videaris, quàm te Principi tuo fidelem? Responderet enim Polycarpus aliquis: Christianus sum, Romano-Catholicus sum: omnem salutem Cæsari voveo, & obsequium omne promitto, quod sacræ Literæ, & orthodoxi Principes solent exigere: non pergam ultra: nec divina humanaque jura confundens, emittam vocem, apicémve, in Fidem aut Ecclesiam peccantem. memor jubentis Christi: tam Deo reddenda, quæ Dei sunt, quàm quæ Cæsaris, Cæsari. Et quod ad aliena sacra spectat: non volo illic sacrificare, ubi corporis præsentia, ex mente legis, est precum illarum, rituumque, & sectæ probatio. Nec enim Romanus esse possum si probo voces in Romam peccantes. Ut infrà etiam patebit, ubi sancti Martyres per Genium Cæsaris jurare noluerunt. V an. 202. 2. &c.

IV. POLYCARPI OSSA IN HONORE. *Euseb supr.*

Polycarpi reliquias Judæi simul, & gentiles, Christianis invidcrunt. Sed quid in earum cultu præstiterint fideles, dicat Smyrnensis Ecclesiæ Epistola, quam Eusebius recitat: *Nos* (inquiunt) *ossa Polycarpi, potiora lapillis pretiosis, auroq; puriora, ex cineribus selecta, eo loco reposuimus, qui illis erat decorus, consentaneusq;: ubi sanè nobis, in unum coactis, Dominus præstabit, ut celebrem ejus martyrii diem, instar natalis festi, cum exaltatione & gaudio, quantum fieri potest maximo, recolamus.* Ita ibi. idque statim à martyrio ejus: cum paulò ante, Diabolo suadente, Judæi gentilem Præsidem monuissent; subtrahendum esse Christianis corpus martyris: *Ne Christiani* (inquiunt illi) *relicto Crucifixo, illum pro Deo colerent.* quæ verba, Lutherani & Calvinistæ è Judæorum ore mutuati sunt, cum orthodoxos simili modo calumniantur. *Apud Euseb. l. 4. c. 14.*

ANNUS URBIS CONDITÆ 921.

ANNUS CHRISTI 170.

ANICETI PAP. 4.

LUCII REGIS 47.

M. AURELII, ET L. VERI IMPP. 8.

I. MOTUS IN SEPTENTRIONE.

ANNO qui sequitur centesimo septuagesimo; Vettio Paulo, & Junio Montano Consulibus, in Britannia motus fuerunt: & Septentrio, ubi Romanus miles excubabat, Romanorum jugum impatientiùs ferebat. Ibi Ottadini Northumbriæ populus, à questibus in apertam factionem eruperant. rati non fore diuturnum imperium

Calphurnius Agricola Proprætor.

Capitol. in Aurelio c. 8.

eorum; qui, procul positi, variisque bellorum incommodis distracti, adesse aut prodesse non possent. Hanc ob causam Calphurnius Agricola Proprætor in Britanniam ab Aurelio Antonino mittitur. Quod ad tempus attinet horum motuum, cum Julius Capitolinus mentionem faciens Calphurnii missi in Britanniam; priùs Parthici belli finem, & posteriùs Marcomannici ponat notia: videtur Calphurnii legatio intercessisse, cœpisseque ante Marcomannicum bellum. Ita ergo Capitolinus: *Imminebat*, inquit, *Britannicum bellum, & Catti in Germaniam, & Rhætiam irruperant. Et adversus Britannos quidem Calphurnius Agricola missus est, contra Cattos Aufidius Victorinus.* nec plura addit de Calphurnii rebus gestis. Qui reverà non multum videtur in componendo motu laborasse: aut justâ acie in arenam, aut belli fortunam, descendisse: nam cognito Legati adventu, Ottadini iras animosque posuerunt.

II. Reliquit Calphurnius argumentum sui nominis in Britanniâ. cum Aulus Licinius Clemens, ejus nomen columnæ inscripsit, quam Deæ Suriæ consecraverat, posueratque in Ottadinis ad murum Picticum. ubi idolum illud colebatur. Inscriptio erat hujusmodi

Apud Camdenum in Ottadinis 550.

DEAE SVRI-
Æ SVB CALP.
VRNIO AG..
ICOLA LEG: AVG.
PR. PR. A. LICINIVS
...LEMENS PRÆF
III. A. IOR.

III. Dea Suria quænam?

Cicero Oratio. pro Arusp. responsis.

Ptolom. l. 2. Tetrabibl.

Sueton. in Nero. c. 56.

Selden. de Dis Syris Synt. 2. c. 2.

Fuit Dea Suria, vel Syria, habita Deorum mater; cujus Sacerdotes, ædes, pulvinaria, atque aræ, ea erant: *Quæ vetustas, quæ Persæ, quæ Syri, quæ Reges omnes, qui Europam Asiamq; tenuerunt, summâ semper religione coluerunt*: inquit M. Tullius Cicero. Cæterùm quia plures Deorum matres, sub variis appellationibus stultus orbis adorabat: quænam fuerit hæc Romanorum in Britannia, Dea, satis obscurum est. Quoniam verò Ptolomæus affirmat de Syris, quòd *plerumque Venerem, seu Deorum matrem venerentur; & variis patriisq; nominibus indigitent*: non est vero absimile, Idolum hoc à Romanis eo loco cultum. nam impiissimus Nero, *Religionum usque quaque contemptor erat* (inquit Suetonius) *præter unius Deæ Syriæ: quam tamen mox ita sprevit, ut urina contaminaret.* Plura de hac Dea refert Seldenus, de Dis Syris syntagmate 2. cap. 2. ubi inscriptionis hujus ab A. Licinio positæ, sub Antonino Philosopho meminit.

ANNUS URBIS CONDITÆ 922.

ANNUS CHRISTI 171.

ANICETI PAP. 5.

LUCII REGIS 48.

M. AURELII, ET L. VERI IMPP. 9.

I. Bellum Marcomannicum cœptum.

Anno Christi septuagesimo primo, supra centesimum, Sosio Prisco, & Cælio Apollinare Consulibus; cœptum est Marcomannicum bellum; Marco Aurelio, & L. Vero Augustis in Germaniam ad belli fortunam subeundam descendentibus. Sunt enim Marcomanni, Germaniæ populus, qui vallem Helvetiis finitimam habentes, in Romanum imperium surrexerant (nisi Mavis Moraviæ populum, cum Gerardo Mercatore dicere.) Hi adeo ad libertatem obstinaverant animos; ut ingens negotium fuerit Romanis motum componere. Plures annos bellum tenuit; variis hinc inde casibus, & rarâ pro Romanis victoriâ. Quinimmò L. Verus Imperator, in hujus anni expeditione, cum imperio vitam amisit, integra belli mole Aurelio relicta.

L. Verus Imperator moritur.

II. Gervasius et Protasius Martyres.

Cum belli exordium infeliciter succederet, exasperati Flamines, qui adversa prosperaque omnia ad idola referebant; falso numine instigati, tunc demum nec aliter affirmarunt, propitium Martem fore, si Christiani è medio tollerentur. Ita Aurelio, victoriæ inhianti, persuasum, Christianos persequi qui victoriam morabantur. Gervasius & Protasius Marcomannici belli victima fuerunt. Sed cæso postmodum ad viginti millia Romanorum exercitu, & impetratâ demum à Deo, Christianorum operâ, insigni victoriâ; dæmonis fraus, Flaminum impietas, & Christianorum sanctitas illustrissimè patuerunt.

ANNUS URBIS CONDITÆ 923.

ANNUS CHRISTI 172.

ANICETI PAP. 6.

LUCII REGIS 49.

M. AURELII IMP. 10.

Anno Christi centesimo septuagesimo secundo, Severo Cethego, & Julio Claro Consulibus; cum Stoicæ sectæ Aurelius Philosophus, pergeret propitiare sua numina, Christiano sanguine; intercessit Melito Sardensis in Asia Episcopus, porrexitque pro Christianis libellum supplicem doctè probantem; Fide Christi stare, non cadere regna aut imperia.

Melito Sardensis pro Christianis orat.

ANNUS URBIS CONDITÆ 924. 925.

ANNUS CHRISTI 173. & 174.

ANICETI PAP. 7. 8.

LUCII REGIS 50. 51.

M. AURELII IMP. 11. 12.

Portæ inferi in Rom. Ecclesiam non possunt prævalere.

ANNUS Christi centesimus septuagesimus tertius, Severo & Herenniano Consulibus: & sequens centesimus septuagesimus quartus, Maximo, & Orphito Consulibus: præter exortas hæreses Montanistarum (quæ & κατὰ φρύγας) Quintilianorum, Pepuzianorum, & similium, nihil habeot singulare. Quamvis revera singulare sit; cernere Romanæ Ecclesiæ Fidem, nullâ perfidiâ destrui posse; & inter tot Imperatorum edicta, tot Judæorum, & gentilium iras, tot domesticorum insidias, & hæresum monstra, eminere nihilominùs, contra niti, & fluctibus omnibus majorem esse. Quod adeo hoc tempore innotuit universo Orbi; ut Lucium Regem non aliud magis ad illam Ecclesiam traxerit; quàm Fidei illius splendor, puritas, & majestas.

ANNUS URBIS CONDITÆ 926.

ANNUS CHRISTI 175.

ANICETI PAP. 9.

LUCII REGIS 52.

M. AURELII IMP. 13.

Anicetus Papa Martyr.

Soter Papa.

SEQUITUR Christi annus centesimus septuagesimus quintus, Aurelio Severo II. & Claudio Pompeiano Consulibus: quo Anicetus Papa, cum Sedem Petri cum laude tenuisset annos ferè novem, martyrio coronatus dicitur. Succedit Soter, Fundis in Campania natus: de quo Magdeburgici conqueruntur, quòd in priori ad Campanos Epistola scripserit, se Apostolicæ Sedis Archiepiscopum. Sed nodum quærunt in scirpo; & rem Orbi notissimam obscurare frustra nituntur: si Lucius, Britannorum Rex, Soteris successorem, Eleutherium, præ cæteris omnibus Episcopis oravit, *ut Christianus efficeretur*; erat sine dubio, in Sede illa aliquid singulare: & cedo aliud, si Principem neges?

ANNUS URBIS CONDITÆ 927.

ANNUS CHRISTI 176.

SOTERIS PAP. 2.

LUCII REGIS 35.

M. AURELII IMP. 14.

I. Miraculo excitatur Lucius.

AGGREDIOR annum illustri miraculo insignem, quo Lucius Britannorum Rex, in Christianæ Fidei admirationem primò; deiode in amorem ejus cultumque suavissimè pellectus est. Fuit is Christi annus centesimus septuagesimus sextus, Gallo Flaccoque Consulibus. exponam miraculi plures circumstantias, quia Lucium tangunt, & in eo Annales istos.

II. Marcomanni Romanos premunt.

Quadriennio jam Romanus exercitus, in Marcomannos pugnaverat, eventu vario. Et tandem cum diuturnæ moræ tæderet militem; & de belli summa ageretur; in magnum incidit difficillimumque discrimen. Ubi magno prodigio, Idolorum vanitas, & Christianæ religionis sanctitas, quæ tamen priùs victoriæ mora putabatur, enituit. Siquidem Deus Opt. Max. qui hactenus posuerat tenebras latibulum suum; illucescere voluit mirabili aqua in nubibus aeris. Præ fulgore ejus nubes transierunt, grando & carbones ignis. Intonuit enim de cælo Deus, & altissimus dedit vocem suam. Cum Romanus, inquam, miles, à barbaris Marcomannis plurimùm premeretur: cum Quadi, & Sarmatæ: *Sed & gentes omnes ab Illyrici limite* (ita Capitolinus) *usque ad Galliam* in eum conspirassent; ut Narissi, Hermunduri, Suevi, Latringes, & Buri. Hi aliique cum Victovalis, Sosibes, Sicobotes, Rhoxolani, Balternæ, Alani, Peucini, Costoboci. His, inquam, Romano exercitui imminentibus, cum inter montium angustias clausus miles, quinque dies integros, siti, ardoreque solis ureretur. Cum ethnici, summis infimisque votis, Deos suos in remedium frustra fatigassent: M. Aurelius Imperator, intellecto, Christianam Legionem esse, quæ Deo sibi semper propitio uteretur: jussit illam preces fundere, Deumque suum in suppetias invocare. Quod reverà saluti omnibus fuit. Deus enim Christianorum piè postulantium precibus adfuit: & plura concessit, quàm aut jubere Imperator, aut miles sperare potuisset.

Psal. 17.

Capito. apud Baron. hic n. 2.

Deus adest Christianorum precibus.

III. Dei prodigia variis exponuntur.

Dio in Marco l. 71.

Rem hanc testatissimam Scriptores ethnici (ut solent etiam sectarii, cum miracula legunt suam sectam destruentia) magnis mendaciis depravarunt: quæ referam, diluamque, Augusto teste. Dio Cassius scribit Arnuphim nescio quem, Mercurium invocasse, ab eoque extortam pluviam. & ita rem gestam narrat. *Marcus multa magnaq; prælia in Germania fecit, aditumq; pericula; Marcomannos & Iazygas subegit. Post hæc bellum acre, præliumq; magnum cum iis, qui Quadi appellantur, fuit. Quo ex bello victoria præter spem, vel potius Dei beneficio, feliciter consecuta est. propterea quod Romani, cum essent in prælio, atque in maximum periculum venissent; mirabiliter sanè & divinitus conservati sunt. Cum enim interclusi à Quadis, in locis opportunis conferti pugnarent fortiter; atque interim barbari differrent prælium; sperantes eos calore & siti perituros; quos circum occupatis locis omnibus, sic concluserant (erant enim multò plures) ut aquam habere nullo pacto possent. Cumq; Romani in tantas difficultates incidissent: ut morbo, vulneribus, ardore solis ac siti vexarentur: nec ob eas res pugnare possent; aut aliò secedere: sed in acie stantes; atque iis in locis constituti arderent, multæ nubes derepente coactæ sunt; ita ut maximus imber ceciderit, non sine Dei beneficio. Fama est Arnuphim magum Ægyptium, qui cum Marco erat, Mercurium præsertim illum qui est in aëre, aliosq; dæmonas, quibusdam artibus magicis invocasse, ac per eos pluviam extorsisse.* Ita Dio. Sed famæ hujus Authores, ethnici sine dubio, quæ Dei sunt, parum, aut nihil sapientes. Sed Aurelius Imperator, quantumvis ethnicus; non famâ aut auditione; sed oculatus testis veritatem

brevi aperiet. Interim pergat Dio factum narrare.

IV. *Dio l. 71.* Deus Romanos mirabiliter iuvat.

Dicit ergo, *Romanos, cum primùm pluvia caderet, omnes in cælum suspicientes, eam in ora recepisse. deinde scuta galeasq; subjectas, bibisse largiter, equisq; ad bibendum dedisse. Cumq; Quadi in eos impetum facere, eos simul bibisse & pugnasse, compluresq; saucios, sanguinem in galeas infusum, simul cum aqua absorbuisse. Hi propterea gravia damna accepissent; urgentibus hostibus, quod magnâ ex parte in bibendo erant occupati: nisi vehemens grando, compluraq; fulmina in hostes cecidissent. Itaque videre erat, in eodem loco, aquam ignemq; de cælo cadere: atque ob eam causam valere alios, & bibere; exuriq; alios & prorsus interire. Non attingebat ignis Romanos: aut si fortè interdum eum eis misceretur, extinguebatur subitò; neque imber juvabat barbaros. Sed eos non secus inflammabat, atque oleum: ut aquam requirerent, pluvia perfusi. infligerentq; pars sibi vulnera; quo ignem sanguine restinguerent: pars confugerent ad Romanos, quasi illis tantummodo aqua salutaris esset. Ita ut eorum Marcus etiam miseritus sit: eoq; facto septimùm Imperator à militibus appellatus sit. Quod etsi admittere non consueverat, priusquam esset decretum à Senatu: tamen non repudiavit; quasi id divinitus accepisset. de quo etiam ad Senatum scripsit.*

V. *Xiphilinus in Dione l. 71.* Dio arguitur quod Mago factum ascripserit.

Cum Xiphilinus è Dione recitasset, de Mago Ægyptio, Mercurium pro pluvia solicitante, & fama illa, subdit: *Hæc quidem a Dione de his dicuntur. Sed is mihi mentiri videtur; volens an invitus nescio; volentem potius arbitror: cum non ignoret, Legionem militum, quæ Fulminatrix appellatur, proprio nomine (ejus enim mentionem facit in recensione cæterarum) ex nullâ aliâ causâ (neque enim alia circumfertur) quàm ex eâ quæ in isto bello accidit, nomen illud accepisse.* Sed mirandum non est gentiles Christianorum facta aut elevare, aut omnino silentio premere: aut Magorum præstigiis illa deferre. nam Claudianus etiam Poeta gentilis hanc Victoriam Magorum carminibus, hoc est, Christianorum precibus, vel certè Aurelii pietati tribuit, eo carmine:

Claudian. in 6. Honorii Consul. l. 1.

Non tantum patriæ studiis ad templa vocatus,
Clemens Marce redis; cum gentibus undique cinctam
Exuit Hesperiam, paribus fortuna periclis.
Laus tibi nulla Ducum. nam flammeus imber in hostem
Decidit. hunc dorso trepidum flammante ferebat
Ambustus sonipes. hic tabescente solutus
Subsedit galea: liquefactaq; fulgure cuspis
Canduit, & subitis fluxere vaporibus enses
Tunc contenta polo, mortalis nescia teli,
Pugna fuit. Chaldæa Mago seu carmina ritu
Armavere Deos: seu quod reor, omne Tonantis
Obsequium Marci mores potuere mereri.

VI. Christianorum precibus miraculum ascribendum. *Apud Dionem l. 71.*

Itaque cum de facto constet, & infidelium quoque testimonio certum sit, Deum Romano exercitui favorabiliter & mirabiliter pluisse: & uno quasi ictu hos erexisse, illos prostravisse: Videndum superest, quo modo, & quorum studiis conatibusque id acciderit. Xiphilinus, cum suprà dixisset Dionem studio mentitum, hæc habet. *Non enim Arnuphis Magus erat: cum nusquam memoria proditum sit, Marcum Magorum societate, aut præstigiis fuisse delectatum. Quod igitur in hac re dico, tale est. Cum Marcus Legionem unam haberet, ex militibus Melitinis (hi omnes Christum colunt) ad eum Præfectus Prætorianorum venit, nescientem quid in eo prælio consilii caperet, timentemq; tota exercitui; eiq; fertur dixisse. Nihil esse, quod ii, qui Christiani nominantur, precibus impetrare non possint: esseq; Legionem unam, in exercitu hujus generis. Quâ re cognitâ, Marcum ab eo petiisse, ut Deo suo supplicarent. Quod cum fecissent, Deum exaudivisse subitò; percussisseq; hostes, ac Romanos pluvia recreasse. His rebus Marcum vehementer obstupefactum; edicto Christianos honore affecisse, ipsamq; Legionem κεραυνοβόλον, id est, fulminatricem appellasse. atque de iis rebus Epistola Marci extare dicitur.* Ista Xiphilinus.

VII. Probatur Christianorum precibus factum miraculum. *Tertullia. Apolo. c. 5.*

Patres etiam, & illustrissimi Scriptores hujus sæculi, qui contra Gentes scripsere, Tertullianus, & Apollinaris, Hieropolitanus Episcopus, disertè affirmant, Christianorum precibus datum Romanis, Marcomannos & Quados vincere: literarum etiam meminerunt, quas eo argumento scripsit Imperator: itaque Ethnicos miraculi majestate confundunt. Tertullianus in Apologetico. *Cæterùm*, inquit, *de tot exinde Principibus, usque ad hodiernum, divinum humanumq; sapientibus; edite aliquem debellatorem Christianorum. At nos è contrario edimus protectorem; si literæ Marci Aurelii gravissimi Imperatoris requirantur: quibus illam Germanicam sitim, Christianorum fortè militum precationibus, impetrato imbre, discussam contestatur.* & alibi ad Scapulam Proconsulem: *Marcus quoque Aurelius*, inquit, *in Germanica expeditione, Christianorum militum orationibus ad Deum factis, imbres in siti sua impetravit.* Vide apud Eusebium, Apollinaris testimonium, & Gregorium Nissenum, oratione secundâ in 40. Martyres. Ego pro Rege Lucio, qui miraculo credidit, Christianorum sanctitate factum urgebo tantum Cæsareum testem: ipsas, inquam, Marci Aurelii Imperatoris literas, quas ad Senatum populumque Romanum scripsit, ut soprà Xiphilinus affirmat. quo Constet, Lucium ad Christianam Fidem non levibus argumentis transiisse.

Idem ad Scapulam c. 4.

Apud Baron. hoc.

IMPERATOR CÆSAR MARCUS AURELIUS AUGUSTUS ANTONINUS, Germanicus, Parthicus, Sarmaticus: Pontifex Maximus, Tribunitiæ potestatis XXVIII. Imperator septimùm, Consul tertiùm, Pater Patriæ Procon. S. P. Q. R. S. Dicit.

VIII. Literæ M. Antonini pro Christianis.

CERTIORES *vos feci de consilii propositiq; mei magnitudine, & quæ in Germania, mihi in discrimine, atque obsidione, alia ex aliis acciderunt. cum in ejus medio, labore atque æstu confectus fuissem. Sanè dum Carnuti essem, speculatores nobis indicarunt septuaginta quatuor hostium dracones, propè nos, novem millibus adesse. Idemq; Pompeianus, quem bello Ducem præfecimus, quod nos quoque videbamus, renuntiavit. Cumq; in nostrorum militum exercitu, haberemus tantum Legiones, Primam, Decimam, Geminam, & † Fretensem: hostium verò nongentorum, & septuaginta septem millium, meaq; ipsius vires, cum ingenti barbarorum, atque hostium exercitu comparassem: Deos patrios votis susceptis rogavi. Sed cum ab iis negligerer; méque ab hostibus premi animadverterem; copiarum mearum paucitatem contemplatus, eos, qui apud nos Christiani dicuntur, accersivi, ac rogavi; inveniq; magnam eorum multitudinem; illosq; minus compuli; quod minimè decuerat, propterea quod postea illorum vim, ac potestatem cognovi. Itaque non ad telorum præparationem, non ad armorum, neque tubarum usum se contulerunt. Hoc enim illis facere, Dei causâ, & nomine, quem in*

† Ferentariorum.

conscientia

conscientia gestant, gratum non est. Æquum igitur est, ut quos impios esse, & à Deo alienos opinabamur; eos existimemus Deo munitos esse. Cum enim se humi projecissent, non solum precati sunt pro me, sed etiam pro toto hoc exercitu; ut fami ac siti, qua urgebamur, remedium aliquod afferretur. Quinque enim diebus, aquam non sumpseramus: quod ea non suppeteret. Eramus enim in media Germania, montibus undique conclusi. Simul autem atque se humi abjecerunt, ac Deum illum precati sunt, quem ego ignorabam; statim de cælo pluvia delapsa est. in nos quidem frigidissima, in Romanorum vero hostes grando, ignis specie, ac similitudine, & fulmina; eorumq; orationibus ac precibus statim præsto Deus fuit, qui neque vinci, neque expugnari potest.

IX. Christianis libertas conceditur.

Quamobrem illinc exorsi, concedamus talibus, ut sint Christiani, ne qua arma ejus generis contra nos petant, & impetrent. Censeo autem neminem quod Christianus sit, esse in crimen & judicium vocandum. Quod si quis inventus fuerit, criminis dare cuiquam, quod Christianus sit: et quidem, qui in crimen vocatur, manifestum fieri volo; si nihil aliud objectum est, quam quod Christianus tantum, dimitti: eum autem, qui Christianum accusavit, vivum exuri. Illum vero qui Christianum se esse professus fuerit; periculo omni, quod ob eam rem, ei intendebatur, liberatum. Is cui provincia commissa est, nequaquam ad pœnitentiam adigat, aut libertatem ei adimat. Hæc autem Senatusconsulto sanciri volo. Atque hoc meum edictum in foro Divi Traiani proponi, ut legi possit. Cura autem erit Vetrasio Pollioni, Præfecto Urbis, ut ad omnes Provincias hæc constitutio mittatur. Neque quisquam, qui eam exscribere, vel ipsa uti voluerit, prohibeatur. Valete.

X. Temporis ratio.

E Tribunitia potestate XXVIII. quæ literis præfigitur; miraculi, ac Victoriæ annus colligitur. Cum enim Aurelius Imperator, quo anno factus est tertiùm Consul; eodem post Antoninum Pium, iniit imperium: tuncque ut è nummis constat, scribitur potestas ejus XV. cui numero, si addas Imperii & repetitæ potestatis annos quatuordecim; curret cum anno imperii decimo quarto, Tribunitiæ potestatis annus vigesimus octavus. Porro commodè Jussit Imperator, ut ad *omnes provincias* Constitutio mitteretur. nam ita factum, ut missa quoque sit in Britanniam. Unde nihil mirum, si fama miraculi, & Cæsaris edictum, Lucio Britannorum Regi innotuerit. nam ut infrà dicam, in omnia Romanorum facta inquirere, docerique per Imperatorum Legatos Lucius solebat. Ipse itaque perspectâ miraculi veritate, lectoque Aurelii edicto: ubi Christiani nominis, Fideique, solennis, & cum laude mentio: cæpit paulatim è suis tenebris emergere: & vera putare, quæ dudum de Christianorum religione inaudierat. Augebat lucem innocens Christianorum vita; ubi vera & non fucata virtus, legis sanctitatem prodebat. Denique Deus in cujus manu sunt corda Regum, hunc Britanniæ Principem propitio oculo aspiciens, illum hoc miraculo ad se, ad Fidem, ad Ecclesiam pedetentim traxit.

Literæ Imperatoris in Britanniam perferuntur.

ANNUS URBIS CONDITÆ 928.

ANNUS CHRISTI 177.

SOTERIS PAP. 3.

LUCII REGIS 54.

M. AURELII IMP. 15.

I. Plurimorum ad Fidem conversio.

SEQUITUR Christi annus centesimus septuagesimus septimus, Pisone, & Juliano Consulibus: quo miraculi superioris novitas, multos ad Christianæ Fidei admirationem erexerat, qui ante abjectè de Christianis senserant. Imo aliquot, iique non ignobiles, Christo nomen per baptismum dederunt; tam in Urbe, quàm in Orbe cætero. Quod Tertullianus innuit in Apologetico ita scribens: *Externi sumus, & vestra omnia implevimus, Urbes, Insulas, castella, municipia, castra ipsa, tribus, Decurias, palatium, Senatum, & forum.* Quinam fuerint in Urbe, & Senatu illustriores qui Fidem hoc tempore amplexi sint, est dignum quod indagemus. Sunt qui Pertinacem & Trebellium Romanos Senatores, miraculo permotos, Christianorum sacris accessisse asserant, & eorum exemplo Lucium Regem. Ita Magdeburgenses. *Non erat* (inquiunt) *omnino, iniquus Lucius Christianorum religioni, statim initio sui Imperii. movebatur enim nonnihil miraculis illustribus, quæ à Christianis in testimonium, & ornamentum suæ doctrinæ passim edebantur. ut Gildas Albanius in libro de victoria Aurelii Ambrosii refert. Verum ne prorsus ei assentiretur, retrahebatur avitâ suâ religione, quæ erat ethnica. Altissimè enim hærent, difficillimeq; ex animo ejiciuntur, quæ in teneris annis nobis instillata sunt. Ad quod accedit, quod natura nostra per se proclivior sit ad superstitiones, quam ad veram Dei doctrinam, quæ apparet rationi absurdissima. Offendebatur etiam externâ specie Christianorum, quod videret homines viles & abjectos Christianam religionem profiteri. Præcipuè vero spectabat Romanos, & ipsum adeo Imperatorem. sicut homines mundani plerumque potentes spectare, eorumq; exemplum sequi solent. Postcaquam igitur comperit ex Legatis Cæsaris, præpotentes atque illustres quosdam ex Romanis, Trebellium nempe & Pertinacem, aliosq; nonnullos Christianæ religioni accessisse: imò etiam ipsum Imperatorem Christianis æquum factum, miraculosâ pluviâ, à Christianis impetratâ permotum: cæpit ipse quoque Christianorum doctrinam attentius & plenius cognoscere.* Ita illi.

Tertull. in Apologe. c. 37.

Cent. 2. c. 2. col. 6.

II. De Pertinace et Trebellio.

Verùm quod ad duos Senatores spectat, Pertinacem, atque Trebellium, ad Christi Fidem conversos παράξυσμα est, è Balæo Apostata sumptum, nec benè digestum. Balæus ita scripserat Centuria prima: *Erat Lucius aliquantulùm, ut apparet, in Christo paupere, cum Iudæis scandalizatus. nam licet à centum & amplius annis, propagata fuisset, per Britanniam, Christiana Religio; ei nihilominus debito videbatur carere splendore. quod illucusque administrata fuisset, per solos pauperes, abjectos, & simplices homines; saltem non fulcita Romana authoritate. Cum audisset igitur per Cæsaris Legatos Trebellium & Pertinacem, Romanorum illustres aliquot, acquiescente persecutione, illam admisisse: cogitabat aliquanto rem esse digniorem.* Hæc in Balæo legerant Magdeburgici: & satis inaccuratè, inter Romanorum illustres, qui Fidem admiserant, Trebellium & Pertinacem putaverunt. Pertinacem

Bale. cent. 1. c. 10. παράξυσμα est quasi appendix non necessarius in sculptura.

quidem in Britannia legatum, ſub Commodo Imperatore, infra vocabimus: qui inde factus Imperator, nunquam Chriſtianus legitur. Idem de Trebellio; ſive ille fuerit Proprætor in Britannia, ſub annum Domini ſexageſimum ſeptimum, Trebellius cognomine Maximus: ſive Cneus Trebellius, quem alii Legatum vocaverunt in Britannia ſub annum centeſimum decimum octavum. Dicamus ergo inter illuſtres viros ad Chriſtum hoc tempore converſos, ante Lucium, neminem poſſe nominari. Et ille à Deo mirabiliter motus humano illo fuco & ſplendore virorum illuſtrium non egebat. Et qui illuſtres viros ſuo exemplo ducturus erat, à Deo illuſtriùs erat ducendus.

V. an. 67. n. 1.

V. an. 118. n. 2.

ANNUS URBIS CONDITÆ 929.

ANNUS CHRISTI 178.

SOTERIS PAP. 4.

LUCII REGIS 55.

M. AURELII IMP. 16.

ANNUS Chriſti centeſimus ſeptuageſimus octavus, Conſules numerat Pollionem ſecundò, & Aprum II. Licet ſub finem anni Commodus, Aurelii Imperatoris filius, Conſulatum à Patre conſecutus ſit, & pariter Imperator appellatus. Hoc etiam anno, M. Aurelius in Orientem profectus; nutantes ibi provincias in Fide retinuit: ſed Occidenti nocuit ejus abſentia: nam ethnici occaſionem nacti, venenum perfidiæ in Chriſtianos exerendi; ingentes in illos turbas excitarunt. de quibus anno ſequenti.

ANNUS URBIS CONDITÆ 930.

ANNUS CHRISTI 179.

SOTERIS PAP. 5.

LUCII REGIS 56.

M. AURELII IMP. 17.

I. IMMANIS IN CHRISTIANOS PERSECUTIO.

ANNO Chriſti centeſimo ſeptuageſimo nono, Commodo Auguſto, & Quintillo Conſulibus: Ægrè ferebat humani generis hoſtis, Chriſtianam Fidem Romani Imperatoris teſtimonio commendari. nam inde fiebat, ut magnis æquè, ac plebeis ad illam aditus patuerit. Dum igitur M. Aurelius in Oriente, rem illam publicam componit: in Occidente, immanè in fideles ſævitur. Sed quoniam Deo decretum erat, Britanniam brevi Chriſtiano Rege beare, hanc ethnicorum ſævitiam, voluit decreto ſuo famulari. Lucius enim (quem hoc primùm anno regnare cæpiſſe, aliqui tradiderunt) audita Martyrum conſtantiâ, & Fide, quâ crudeliſſima tormenta cum voluptate ſuperarunt, in Chriſtianorum Deum magis animatus eſt. Quod ad tempus attinet motæ perſecutionis, benè illud ſupputavit Euſebius ita ſcribens. *Ad decimum ſeptimum annum imperii Antonini Veri* (ita Marcum Aurelium vocat) *gravis & acerba, in nonnullis terræ partibus, perſecutionis procella, ex temerario populi impetus per ſingulas Vrbes, excitata contra nos ingraveſcere cœpit.* Hæc ille de tempore, & perſecutionis initio. Addit verò. *In Gallia, ſtadium ad hæc obeunda certamina, conſtitutum fuit.* Tum plura habet de Lugdunenſis, & Viennenſis Eccleſiæ Martyribus, quæ non exſcribo.

Euſeb. l. 5. c. 1.

II. Hos inter, paſſus eſt, hoc tempore Marcellus; quem ſuprà dixi Britannum hominem, & Chriſtianæ Fidei in Inſula præconem, authoremque Lucio, ut Chriſtum ſequeretur. Olim ergò ille patriam reliquerat, ut Tungrenſibus & Trevirenſibus Fidem inſtillaret; eorum demum factus Epiſcopus. Cum verò ethnicorum furor Chriſtianos in Gallia vexaret; cæterorum præſertim duces: Marcellus injuriæ patuit, & ſedem quam rexerat ſuo ſanguine conſecravit. Cæterùm quod ille Tungrenſis aliquando, aliquando etiam Trevirenſis Epiſcopus vocetur, ita debet intelligi: ut modò Tungris, modò Treviris Sedem fixerit. nam benè advertit Aubertus Miræus in Faſtis Belgicis, Primos Trevirorum Epiſcopos, Tungris quoque & Agrippinenſibus præfuiſſe, uſque ad ævum Conſtantini Magni. *Quo*, inquit, *ſingulis Eccleſiis iſtis, ſinguli ac proprii dati ſunt Epiſcopi.* Et inter eos, qui Conſtantini ſæculum præceſſerunt, Marcellum nominat. Porrò quod ait, non conſtare de annis & tempore, quo Epiſcopi illi floruerunt: non obſtat calculo noſtro; quia ſolùm aſſerimus, tunc illum martyrio affectum in Sede ſua Trevirenſi; quando plures alii per Galliam Chriſtiani, ob fidem Chriſti necati ſunt: quod Euſebius retulit ad Marci Aurelii Imperatoris annum decimum ſeptimum. Unde nec corrigendum eſt Martyrologium noſtrum ad quartum Septembris, ubi legitur, Treviris Martyrio coronatus, circa annum Domini centeſimum octogeſimum, quia cum Euſebio eſt. Et benè ibidem additur; primus fuiſſe è Britannis, qui extra Inſulam Magnæ Britanniæ, martyrii palmam ſit conſecutus; quia ſequenti ſæculo prodibit Albanus, in Inſula paſſus, ideoque ſuo jure, Britanniæ Protomartyr audiet.

V. an. 161. n. 1.

MARCELLUS BRITANNUS MARTYRIO CORONATUR.

Miræus 7. Iunii.

Martyrol. Anglic. 4. Septemb.

III. Hujus etiam Marcelli meminit Romanum Martyrologium, ad quartum Septembris; ubi Baronius, in notis, advertit, Marcellinum interdum vocari: *Vt in tabulis*, inquit, *Epiſcoporum Trevirenſium; quos habet Demochares, de Sacrificio Miſſæ. ubi aſcribitur vigeſimus ejus Sedis Epiſcopus.* Quod Miræus etiam confirmat, profertque eorum Epiſcoporum nomina, qui Marcellum, vel Tungris vel Treviris præceſſerunt. Denique Marcellus in Gallicano Martyrologio, hoc ornatur elogio. *Ipſo die* (quarto Septembris) *Treviris natalis Sancti Marcelli Epiſcopi, hujus Metropolitica Sedis, & Martyris: qui Sancto Avito ſuccedens eo tempore, quo perſecutionum procella aſperis motibus diruq; fluctibus navim Eccleſia quatiebat: proreta pervigil, & ſtrenuus adverſus tot atros turbines, in puppi undique concuſſa ſedit: creditaſq; animas, ſuperatis quibuſq; vorticibus, in ſalutis portum felici remigatione direxit, & evexit. Nam verbo & opere potens, ut impios Fidei hoſtes fortiter expugnavit: ſic pios Chriſtiq; amantes, verâ in religione ſolidatos animavit ſedulò, ad juſtitiæ, & virtutis, qua ad cælum itur, tramitem beatum conſectandum: quibus & cruore fuſo purpuratus, aditum ad ſuperna felicitatis gaudium præmonſtravit.* Sed tempus eſt è Marcelli fuſo pro Chriſti ſanguine, Fidei meſſem colligere. Priùs tamen mori debet Soter Papa, & ſucceſſorem accipere, quàm ſeges Regia matureſcat.

Baron. in notis ad 4. Sept.

Mart. Gallicanum 4. Sept.

MARCELLI ELOGIUM.

IV. Soter Papa moritur. Succedit Eleutherius, et quando?

Moritur itaque hoc anno Soter Papa: & Sedem ejus intrat Eleutherius, natione Græcus, patria Nicopolitanus. Hic est ille, cui Lucius Rex, & omnis Britannia, Fidem, Christum, & cælum debet: quod priusquam exequor, Eleutherii Sedes firmanda est: & annus missæ ad eum legationis, qui miserè ab authoribus distrahitur. Sunt enim aliqui, hac in re admodum festini, & Lucium volunt ab Eleutherio doctum, priùs quàm Eleutherius Romæ sederet. Alii contra, Lucii & Britanniæ conversionem nimiùm protrahunt: qui per Eleutherii ingressum & Imperatorum seriem, corrigendi sunt. Nec tamen placet Magdeburgensium calculus, ad hunc annum omnia referens. Sic enim illi è Balæo: *In Britannia quoque* (inquiunt) *fuit Ecclesia Christi. nam circiter annum Domini centesimum septuagesimum nonum, accersiti sunt plures Doctores; qui eas scintillas, quas antea habuerunt, rursùs accenderunt.* Et paulò infrà, cùm integram Insulæ conversionem; hoc est, Lucii Regis legationem, Eleutherii missionem, & Ecclesiarum ibi erectiones retulissent, addunt. *Hæc anno Domini centesimo septuagesimo nono contigerunt.* Verùm si Regiæ Fidei partum intelligunt, posterior ille fuit. & modò parturiit tantum omnis Britannia; & cum Eleutherio agere incipit, ut obstetricante manu ejus, Fidei Regiæ fœtus in lucem educatur. Opinionum differentia inde potissimùm oritur, quod Eleutherii in Sedem ingressus, non uno ab omnibus modo statuatur. Sed differentiam illam componere, non est mearum virium, & quicquid in Baronium scribat Usserus in Primordiis super hac quæstione: ego tamen Baronium puto plura, quàm Usserum vidisse: & Lucii legationem statuo ad initia Commodi, & sub finem Aurelii Imperatorum.

Cent. 2. fol. 6.

ANNUS URBIS CONDITÆ 931.

ANNUS CHRISTI 180.

ELEUTHERII PAP. 2.

LUCII REGIS 57.

M. AURELII IMP. 18.

Sequitur Christi annus centesimus octogesimus, notatus Rufo, & Orphito Consulibus, quo tempore Christianæ fidei sementis in Britannia feliciter emergere, & passim florere cœpit. namplures perspectâ idolorum vanitate, auditâ martyrum constantiâ, & nuperi miraculi novitate; admirantes etiam suorum provincialium, qui Christum amplexi sunt, innocentiam vitæ, atque sanctitatem: non tantùm de Fide benè sentire; sed doceri etiam Fidei mysteria desiderant. Id facilè sibi persuadebit, quisquis meminerit, Britanniam jam olim, Asylum fuisse eorum fidelium, qui Romanorum Imperatorum crudelitatem declinantes, non poterant alibi tutiùs latere. Et verò mox sequuta Insulæ totius conversio, arguit, benè in Christum animatos fuisse.

ANNUS URBIS CONDITÆ 932.

ANNUS CHRISTI 181.

ELEUTHERII PAP. 3.

LUCII REGIS 58.

M. AURELII IMP. 19.

Christi annus centesimus octogesimus primus, Consules habuit L. Aurelium Commodum II. & Vespronium Candidum Verum. & aliud nihil meo instituto proprium. nam Eleutherii ad Lucium Regem literas iis Consulibus signatas inferiùs recito, & rejicio.

ANNUS URBIS CONDITÆ 933.

ANNUS CHRISTI 182.

ELEUTHERII PAP. 4.

LUCII REGIS 59.

COMMODI IMP. 1.

I. M. Aurelius Imp. moritur. Commodus imperat. Lucius Rex Christi Fidem amplecti incipit.

Anno Domini centesimo octogesimo secundo, Brutio Præsente II. & Quintilio Gordiano, Consulibus; Marcus Aurelius Imperator, in Pannonia moritur. & succedit in imperium Commodus filius; nullo Reip. commodo natus. Eo tamen quomodocumque regnante, Lucius, Britannorum Rex, Christianam Fidem amplecti cœpit, sequenti demum anno baptizatus. Quod priusquam aggredior, præfabor aliqua, quæ Britanniæ statum, & dubia inde nascentia declarabunt necessaria illa quidem: tum ad explicandam felicitatem Insulæ, quæ prima meruit habere Christianum & orthodoxum Principem: tum etiam, ad benè firmandam Britannorum Ecclesiam, formandamque in Fide: quod in horum Annalium texendâ historiâ, imprimis molior. Quamvis enim dudum à morte statim Christi Domini, fundandæ Ecclesiæ rationem inierim; & quasi materiam undique conquisiverim, atque aptaverim, suis mox locis componendam. rudia tamen, ut fit, & impolita, ac veluti inconcinna fundamenti rudera fuere; quæ in imo posita, & ferè in tenebras demersa, vix ullam adhuc conspicui ædificii formam præbuere. Jam verò Britannorum Ecclesia, in altum surgere, sublimè efferri; & adeo conspicua & illustris esse incipit: ut aliis quoque provinciis prælucere, & denique Regibus & Principibus, religionis pietatisque facem præferre possit ac debeat. Quæ igitur imposterum dicenda sunt, operosiùs elaborari, & quàm hactenus accuratiùs oportet expoliri. Porrò si Lucium Regem, hoc sæculo, primùm in Europa fidelem & Christianum Principem, Britannorum Ecclesiæ arrogo: quis non videt, vel ambitioni id dandum, vel invidiæ obnoxium fore; nisi id ostendero constantibus argumentis.

Illustrior nunc Britannorum Ecclesia.

II. Et accuratius exploranda.

Iterùm, quod spectat ad puritatem Fidei, & sacrorum sanctitatem; quâ prima hæc Britannorum Ecclesia beata est: curiosè investigandum est, quænam illa? Unde, è quo cælo, qua ratione,

pervaſerit Inſulam. Surgent enim poſt multa ſæcula, nepotes neſcioqui, adulterabunt Fidem, & cudent nova dogmata: & quia corrigi nolent, hæc prima ſæcula appellantes idola ſui cerebri, antiqua eſſe mentientur. Ea propter Lucii Fidem quam doctus, quam amplexus eſt; hoc eſt primam & illuſtrem Britanniæ Eccleſiæ faciem, in ſingulis, quoad potero circumſtantiis explorabo. nimirum, Quid Lucius crediderit, & quo docente: quos ritus, quæ ſacra ſuſceperit; & quomodo: denique quid fecerit: quæ opera Deo grata, & ſibi aliiſque opportuna. Quoniam vero Lucium ſequentur in hac Inſula magni Principes, Urſulæ, Helenæ, Conſtantini: & in Saxonum Rep. Ethelberti, Eduini, Oſwaldi, Alfredi, Edgari, Odoardi, aliique penè infiniti: neceſſarium erit diſpicere; an in eadem Fide ac religione convenerint: ut hactenus credidit orthodoxus orbis. An verò Saxonum Eccleſia, Fides, ritus, ſacra, dictante M. Gregorio: alia fuerint à Britannorum Eccleſia, docente illam Eleutherio: quod novi homines, opinati ſunt, conatique aliis perſuadere.

Quid ad conscribendos Annales, imprimis Authorem moverit.

Hanc tanti momenti quæſtionem ſemper exiſtimavi; ut nulla res magis (ingenuè fateor) ad conſcribendos Annales, & eadem opera ad eruendam primorum ſæculorum fidem, animum mihi calamumque acuerit. Quoniam igitur Regia Fides ſe primùm offert in Lucio; & quod in ſuo genere primum eſt, ſoleat eſſe norma reliquorum: ideo hic aliqua firmanda ſunt, ceu orthodoxæ Fidei fundamenta: quibus illa Fides, ſurgere, conſpici, eminere, & ab omni alia Fidei-fictione diſtingui, decernique poſſit. Sicut enim in floribus, minuta quædam animalia innaſcuntur, quæ incautos, promiſcuo colore, ac penè indiſcreto fallunt: ita in religionis negotio, factum omni ſæculo ingemiſcimus: ubi Satana ſe transfigurante in Angelum lucis; perfidiæ vitium, ſub virtutis ſpecie ſuccreſcens, venenum occultat, & fallit improvidos. Hinc aliqui ſe fideles, & antiqui ſæculi jactitant: quos perſpicaciùs intueri, & accuratiùs excutere oportet: ne ſub antiquitatis pallio, novæ merces lateant; & pro Fide orthodoxa, heterodoxam nundinentur. Quamvis autem multa divinitùs inſtituta ſunt, ad vulpes haſce parvulas, quæ Chriſti vineam, his artibus, demoliuntur, capiendas; Scripturæ ſanctitas, Eccleſiæ majeſtas, Conciliorum ſcita, Doctorum oracula, ſæculorum, & provinciarum ſenſus, atque conſenſus; factioſi tamen eludunt omnia, & vel novos verborum ſenſus comminiſcuntur: vel paradoxa fingunt arbitrio. Statui igitur brevi commentario, Fidem hujus Inſulæ, illam imprimis quæ Reges noſtros beavit, excutere, factis metiri, & orbi exponere; ceu lydium lapidem; quo aurum, à ſcoria, virtus à vitio, antiqui temporis Fides, à moderni temporis factione, & figmentis, ſecernatur.

III. Cur Lucii Regis conversio obscurior?

Occurit igitur hoc loco quærendum primo: Quî fieri potuerit, ut Lucii Regis converſio tam illuſtris, Authores ferè omnes, qui olim ſcripſerunt, adeo fugerit, latueritque: ut vix ulla ejus mentio facta ſit ab iis, qui proſpera omnia Chriſtianæ Reip. datâ operâ, & magno ſtudio, tractaverunt? Cur Euſebius Eccleſiaſticæ hiſtoriæ conditor, nec Lucii, nec Britanniæ meminit; cum eo argumento, & Fidem Chriſti, & ſua ſcripta illuſtraſſet plurimum? Reſpondeo primùm. Si de antiquis eſt quæſtio. *Ejus rei memoria, in antiquis tabulis Eccleſiaſticis* (loquitur Baronius) *ipſis, inquam, antiquis Martyrologiis, in Eccleſia legi ſolitis habetur, aſcripta.*

Baron. an. 183. n. 3.

Intelligit nimirum, non Magdeburgenſes (ut falsò opinatur Uſſerus) ſed monumenta illa; unde Beda, Ado, aliique recentiores ſacra diptycha texuerunt: quæ inſtar multorum Authorum ſunto.

Uſſer. fol. 46.

Euſebius in Britannia nominanda peregrinus.

Iterum reſpondeo: Si Euſebius Lucium in hac quæſtione, & Britanniam tacuit: id nullo modo mirandum: quia ubique Britanniam tacuit, tam obſtitè, ut cum maximè, & imprimis nominanda eſſet, ſupino ſilentio illam tranſmiſerit. ſit verbo exemplum. Narrat ille Conſtantii ſenioris expeditiones plures & itinera: refert ſupremum ejus cum morte conflictum; dicit Conſtantinum filium, *celeri gradu*, ad Patrem acceſſiſſe, regiam nominat, & Morientis Conſtantii cubile; recitat ſuprema verba, amplexus, *coronam filiorum atque filiarum, ipſum inſtar chori, undique cingentium*, mortem denique. Deſcribit Conſtantii funus, amicorum turbam, funus *comitantium, populi etiam infinitam multitudinem, militumq; conſtipantium agmen, partim antecedentium. partim ſubſequentium, cum omni ſplendore, & maxima pompa illum efferentium.* meminit acclamationum, hymnorum, concentuum, quibus Conſtantinus filius ſalutatus eſt Cæſar: & tamen nuſquam, nunquam Britanniam nominat. Immò tam invidioſè illam in tota narratione texit: ut extra omnem Britanniam, illa contigiſſe, videatur aſſerere. vix enim Conſtantii funus, & Conſtantinum Cæſarem dixerat; cum addit: *Iſtâ ratione & conſilio ritè compoſitis reliquas orbis partes, ob oculos proponens (Conſtantinus) tandem trajecit ad Britannos, Oceani litoribus undique concluſos, quos cum viſiſſet*, &c. Quis horum lectione putaret, aut Conſtantium Eboraci in Britannia mortuum; aut Conſtantinum ibi Cæſarem appellatum? & tamen utrumque in Britannia factum, tam certum eſt ſuffragio ſcriptorum omnium, quàm fuiſſe aut regnaſſe Conſtantium. Non ergo mirum, ſi Lucium, & Britanniam, in Lucii converſione tacuit: quia vel exiguam Britannicarum rerum notitiam habuiſſe, vel invidioſè illas tacuiſſe neceſſum eſt affirmare. Quo etiam argumento utar inferiùs, cum de Conſtantini patria diſputo: quam Euſebius, in quatuor, quos de Conſtantini vita ſcripſit libris, noluit nominare, ne Britanniam nominare cogeretur.

Euſeb. in vita l. 1. c. 15.

Euſeb. l. c. c. 19.

IV. Eusebius Britanniæ conversionem indicat.

Cæterùm licèt Euſebius Lucii nomen, & Inſulæ tacuerit: rem tamen ipſam, & illuſtriſſimam Inſulæ converſionem ſatis innuit: cum quid hoc tempore, in Occidente, & Romano imperio geſtum, narrat in hunc modum. *Eodem tempore, Commodo Imperium Romanum gubernante, noſtra religio ad pacatum, & tranquillum ſtatum traducta fuit: & pax (divina gratia largiente) omnes Eccleſias, in toto terrarum Orbe occupavit. Quo quidem tempore ſalutaris Dei ſermo, hominum mentes cujuſque generis adeo attraxit, ad piam Dei omnium rerum conditoris religionem, cultumq; ut jam Roma* (puta in Romano orbe) *complures & genere illuſtres, & rerum affluentia admodum locupletati, unà cum omni familiâ, & cognatione ſua, ſe ad ſuam ipſorum ſalutem amplexandam reciperent.* Ita Euſebius. Jam verò, ſi Romanum orbem circumſpicimus, & omnes provincias, quæ Romæ accenſeri ſolebant: non erit invenire, aut locum aut virum; nedum familiam, aut cognationem integram; Imperante Commodo; in quem propiùs prædicta verba cadere poſſint, quàm in Lucium

Euſeb. hiſt. l. 5. c. 20.

& provinciam ejus: ubi, inquam, tranquillus, pacatusque religionis ſtatus, pacem conciliavit omnibus Eccleſiis adeo, ut complures, & genere illuſtres, & rerum affluentia admodum locupletati, unà cum omni familiâ, & cognatione ſua Chriſti Fidem ſuſceperint. Hæc autem in Britanniam pulcherrimè cadere antiqua Martyrologia teſtantur, ubi ita legitur. *Romæ S. Eleutherii, qui Sanctos Damianum & Fugatianum in Britanniam miſit: qui Lucium Regem, cum uxore, ac toto ferè populo baptizarunt.* Si Rex, & Regina, & omnis ferè provincia, Eccleſiæ acceſſerunt: obvium erit opinari complures fuiſſe illuſtres, & rerum affluentia admodum locupletes, cum omni familia, & cognatione ſua, Regis veſtigia ſecutos. Atque ita Euſebius, licet Britanniæ nomen (ut & alibi) ſuppreſſerit: rem tamen ipſam, enucleatè recenſuit. Baronius etiam Eccleſiaſticarum rerum nobiliſſimus Collector, & Romanæ Urbis illuſtrator, cum prædictum Euſebii locum recitaſſet, & complures illos illuſtres Romæ ac locupletes viros quæſiviſſet, quorum ibi mentio: Unum, unum, inquam, Britannorum Regem Lucium nominat, vel ſedente Eleutherio, vel Commodo imperante. Euſebius igitur, hac vice, volens, nolens, Britanniæ famulatur.

V. — Unde Regiæ Fidei exordia?

Poſito hoc Britannicæ Eccleſiæ fundamento: quærendum eſt, qua ratione, primos fidei radios Inſula exceperit? quo petente, quo fundente ſacrum oraculum? Id enim ad puritatem fidei admodum facit. Et licet religionis ſemina hactenus jacta, inſinuaverim ſuprà ſatis, à Romanâ manu, è Romano cælo, & à petrâ illâ jacta fuiſſe, ſuper quam Chriſtus ædificavit Eccleſiam ſuam: obſcuriora tamen illa, & in imo latentia, faciliùs controverti, quàm conſtanter & manifeſtè, ob noctis dieique confinium, demonſtrari poſſunt. Nunc verò cum ad Regem aſcendimus, Britannicæ Eccleſiæ ſplendor major, aurora lucidior, lux denique certior: & hujus lucis ac ſplendoris parentem quærimus. quia matrem illam, cujus labore nati, in lucem è tenebris ſurreximus; & cujus ubera ſuximus, agnoſcere, colere, venerari volumus & debemus. In qua quæſtione illi certè audiendi non ſunt; qui neſcio quo factionis impetu, in Orientem cucurrerunt, ut Romam declinarent. nam mens, ira, odióve cæca, rationis radio privatur, & fertur in incertum. Ita Magdeburgici, cum Lucium nominaſſent, de Britannorum hujus ſæculi Fide ita pronuntiant: *Quis fuerit, qui primum, in Britannia, Evangelium docuerit, non ſatis liquet. Illud certè à veritate alienum non videtur: eam Eccleſiam initio à Græcis, ſeu Orientalibus Doctoribus; non à Romanis ſeu Occidentalibus plantatam fuiſſe.* [*Cent. 2. c. 2. fol. 9.*] Eorum ſuper hac re vaniſſima indicia, peccantesque in omnem veritatem conjecturas, diſpunxi ſuprà: nunc tranſeo. [V. an. 159. 2. 3. 4.] quia qui Eccleſiæ noſtræ meridiem oderunt, nolunt auroram quantumvis illuſtrem intueri. Hac aciei lippitudine laborant omnes illi, qui vario, ſed futili ſemper argumento, Romanæ Sedis majeſtatem exoſi, Græciam, & Orientem pulſaverunt.

VI. — Factioſorum tergiverſatio.

Matthæus Parkerus, in Britannicis antiquitatibus, hunc controverſiæ cardinem vertens, admodum tergiverſatur, ut reſpondeat. Ait enim: *Poſtquam ab ipſis Eccleſiæ incunabulis, hanc Inſulam, in Fide Chriſtiana fuiſſe inſtructam, luculenter, breviterq́; expoſuimus. videamus à quo Doctore primùm inſtituta ſit.* [*Antiq. Briton. fol. 2.*] Tum è Theodoreto, & Sophronio, Paulum Apoſtolum nominat, qui Britannis Evangelium porrexerit. Mox eum ferè exauctorans: *Quamquam ipſe ad hanc Inſulam* (inquit) *profectus non ſit. tamen Claudia Ruffina nobiliſſima Britanna, & græcis latinisq́; literis inſtructa Chriſtianam religionem ſuaſiſſe, perſpicuum eſt.* Tum Lucii Regis legatione, converſione, baptiſmo, narratis concludit: *Illa Pontificiorum inanis laudis, de Britannica gente, per ſe converſâ, arrogatio, & fide propriâ caret, & permultis antiquiſſimis argumentis, ipſisq́; adeo ſuis refellitur.* Hæc ille, *luculenter*, ſcilicet, *breviterq́;*: non Petro, non Paulo; ſed fœminæ adblandiens. Verùm hæc omnia, non eruendæ veritatis, ſed tuendæ factionis, Romæ adverſantis, ſtudio dicuntur. Nolunt hi ſalutis aquas è Romano fonte haurire: ne Urbis imperium & beneficium agnoſcentes, peſſimæ defectionis meritas pœnas luant. Cum Euſebius ſuprà dicat, complures Romæ illuſtres viros, hoc tempore, ad Fidem converſos: cum ſexcenti Authores, Lucium inter eos numerent, & Eleutherii operam: cum ingens Britanniæ ornamentum ſit, & nulli provinciæ injurium: cum adhuc Romana Fides, ipſis teſtibus,, integerrima permanſerit. Fugiunt tamen aliò factioſi homines: & malunt Chriſtianam Fidem è turbido Orientis cælo, incertis falſisque conjecturis; quàm è Romano ſole, & petrâ illâ, Chriſti oraculo tutiſſimâ, derivare.

VII. — Britanniam Roma docuit.

Dicamus ergo quod res eſt, & ſuperiùs ſæpè oſtenſum: Britannia, prima Fidei elementa, Chriſtique nomen, non è Græciâ, non ex Oriente, ſed à Romæ doctis didicit. Enimverò cum Urbe illa, quotidiana habuit commercia; cum Oriente nullum: complures nominantur, qui è Britanniâ Romam, Româ in Britanniam ibant, redibant: nullus qui hinc in Orientem, aut ex Oriente in Britanniam. Non eget hoc alio probationis genere, quàm inſpectione Authorum omnium, dicentium Inſulam, à nato Chriſto, Romæ ſubditam, & vectigalem fuiſſe, nunquam Græciæ aut Orienti. Sed & ſectarii, qui magnis conatibus provocant ad Orientem; neminem poſſunt, ſummi beneficii authorem nominare. Jam verò ſi de Lucio quæritur, tam in confeſſo eſt, ipſum à Romano Pontifice, fidei Sacramenta accepiſſe, quàm Lucium fuiſſe, aut regnaſſe. Adde: licet darem in prima Eccleſiæ infantia, Britannos aliunde, quàm ex Urbe doctos: & in illa temporum rerumque omnium obſcuritate, innominatos magiſtros habuiſſe: parum id faceret ad ſummam quæſtionis meæ. nunc enim major tenebris, & in auroram fidei ſurgens, non ultrà quæro ejus infantiæ pædagogos: ſed Regiæ, adultæ, conteſtatæ Britannorum Fidei Apoſtolos. Et talis ſine ullo dubio Eleutherius: cui Lucius, ut mox dicam, ſupplicavit, petiitque cum totâ provinciâ, Chriſtianus eſſe. ut nunc reſumpto hiſtoriæ filo oſtendam.

VIII. — Lucius Rex convertitur.

Maturus jam annis & ætate Lucius, in Druidarum ſuperſtitione hactenus Pius; cœperat dudum ſacra illa primùm faſtidire, mox habere ſuſpecta. Jam verò, quà Deo vocante, quà Chriſtianæ Fidei, & virtutum odore; quà Martyrum conſtantiâ, quà cæleſti miraculo, in profligatis, victisque Marcomannis; voluit aliquando majore otio, ſalutis æternæ negotium promovere. Quare cum Chriſtianis dediſſet ſemper faciles aures; nunc cœpit illas attentiùs aperire monitis fidei, petiitque demum doceri ſacra myſteria. Denique

hoc

hoc anno Christi centesimo octogesimo secundo, victus divini amoris, potentiæque argumentis; statuit animo sequi vocantem Christum, & ad ejus castra transire, Hunc enim annum conversionis Lucii consignant Trithemius in compendio l.1. Annalium, Polydorus Vergilius l. 2. Georgius Lilius, & M.S. Chronicon S. Martini de Dover, apud Usserum. Verùm nè temerè, aut sine consilio, hoc facere videretur; voluit mutandi cultus propositum, Reginæ primùm, mox familiæ; demùm provincialibus commune, notumque esse: quò major Dei gloria, regno utilitas, & subditorum cùm Principe conspiratio esset. Nemini non videbatur vocantis Dei oraculum; eique proinde parendum. Ita communi Senatus, populique consulto decretum; Lucium Regem, à Druidarum sacris, ad Christi castra transeuntem sequi; novamque militiam, cum suo Principe profiteri. Erant in Britanniâ plures, qui Regem docere poterant, ad Christiana sacra transeuntibus, multa necessariò, addiscenda, credenda, facienda: & primum dari solitum novæ militiæ, baptismi Sacramentum; sed imprimis & ante omnia doctus est, Ecclesiæ membris incorporandum, Ecclesiæ capiti subesse debere: sic meliùs, & defecatiùs fidei arcana descendere. Hoc caput, Christi Vicarium esse, Petri successorem: cui pascendi gregis cura ab ipso commissa. Et quoniam tantus erat animorum consensus, in baptismi perceptione: visum id, non perfunctoriè, aut rudi Minervâ; sed pro rerum, personarum, fideique dignitate, solenni ritu peragendum. Quare eligi placuit viros, qui ad Eleutherium missi, novæ militiæ cingulum, & primum Sacramentum, Regis Britanniæque nomine peterent. Delecti in hanc provinciam Eluanus & Meduinus, quos anno sequenti Romam deducemus. Interim solvenda quæstio, quæ huic loco opportuna, factiosis solùm importuna, videbitur.

Usser fol. 38.

IX. Cur Romam decreta Legatio?

Cur Romam, pro primo Sacramento, Lucio jubente, & applaudente Britannia, decreta legatio? Cur prætcrita Gallia, ubi Fides, ut suprà, illustrissima, tam peregrè missum? Cur non ad Irenæum Lugdunensem Episcopum, virum omni scientiarum genere clarum, missæ preces? Hieronymus eum vocat, *Apostolicorum temporum virum*: & Tertullianus, *Omnium doctrinarum accuratissimum exploratorem*: Quid illi ad docendi magisterium deesse poterat? Difficultatem auget, quod è Britannia per Gallias Romam petentibus, Celtæ, & Celtarum Urbs nobilissima Logdunum, compendiosiore viâ, transeundum erat: & ibi tunc Irenæus, ex Urbe nuper reversus. Nodum hunc sectarii vel transeunt, vel dissimulant admodum imperitè. Pseudo-Armachanus, non vult Primatum Urbis, è Regia hac legatiooe colligi. Sic enim scribit in Primordiis. *Quid Lucium potissimùm impulerit, ut Roma Doctores Fidei arcesserit, apud antiquiores non invenio: In libro tantum Abingdoniensi lego, Lucium audita famâ, & sanctitate prædicatorum, in civitate Romana tunc temporis degentium: nuntios suos, cum literis suis patentibus, ad Venerabilem Papam Eleutherium destinasse quantocius, rogantem devotissimè, & supplicantem attentius, quatenus per mandatum, & voluntatem ejus, Christianus efficeretur. Et quanta necessitudine, cùm Urbe Romana, Provinciales Britanni conjuncti fuerint: quæq; commercia, utrinque intercesserint, nemo ignorat. Ut ad primatum Romani Pontificis, hic recurrere, nihil necesse sit.* Ita Usserus. Sed fallitur. Antiquiores enim nullo negotio invenire poterat, si libido fuisset, Primatus assertores: ideoque in Urbem itum. Sed quia, ubi Romam & Romanam Ecclesiam premit; premit etiam silentio veram causam, cur Lucius non aliò quàm Romam miserit.

Hieron. Ep. 29.

Usserus in Primordiis fol. 48.

Usserus reiicitur.

X. Item Holinshedus in descript. Britanniæ.

Eundem salem linxit Raphael Hollinshedus in descriptione Britanniæ, dum Lucii factum vexans, scribit in hunc modum: *Misit Lucius in Urbem Oratores: non quò Romano Pontifici Eleutherio subesset: sed ut imitaretur Iudæos, Actorum secundo succlamantes: Quid faciemus viri fratres? & evaderet in Christiana Fide doctior ejus ope, non imperio.* Sed nodus non solvitur: quæritur enim, cur non missum aliò? Quid? nemo in Britannia, nemo in Gallia, nemo viciniùs docere Lucium poterat, Quid faciendum? Sed durum telum necessitas, Britannia, quæ quindecim ferè sæculis, Romanam Sedem religiosissimè coluit, atque venerata est, Lucio præeunte; nuper defecit à Sede, & Fide illa: ideo testatissimis rebus commenta fingit arbitrio suo. non vult ei subesse, quod factionis vitium est: & negat olim subfuisse; quod non modò læsæ fidei, sed læsi etiam cerebri argumentum est. Addo, si fecit, dixitque Lucius, quod factum à Judæis dictumque Actorum secundo; nonne à divino Spiritu plenis, id Petro & Apostolis, dictum, animoque illis parendi, qui Fidem cum imperio porrigebant? Et quia in Petri locum successerat Eleutherius; nonne idem imperium agnovit Lucius? Quocumque se vertunt sectarii, & facto Lucii, & dicto capiuntur. Doctiùs ergo desipuit alter, qui Britannicas Antiquitates edidit; & ita de Lucii legatione philosophatur. *Statuit Lucius in Christiana Fide, sub Eleutherio Romano Pontifice inaugurari. Ad quem illustres & facundos viros, Eluanum Avalonium, & Medvvinum Belgam, per quas à Druidum, ad Christi Fidem traductus est; cum literis & mandatis legavit. In quibus petiit, ut ad se jam doctrina Christiana imbutum nuntios, & legatos, à quibus baptismate lavaretur, mitteret. Quique unà deferrent Romanas leges, quibus Religionis, & Reip. statum, in regno suo describeret, atque stabiliret. Sed Eleutherius pius Episcopus, divino potius verbo propagando, quàm suæ famæ illustrandæ studens; summo affectus gaudio, ob tantum Regem Christo lucrifactum, suam operam inanem & supervacuam, in eo quod postulabatur, indicavit.* Ita ibi. Cum Beda Lucii preces ad Eleutherium narrasset, mox addit: *Effectum piæ postulationis consecutus est.* hoc est; Eleutherius, quod petebatur, concessit, quod sectarii vertunt & evertunt, impetu, quo solent, pessimo.

Antiq. Brit. fol. 4.

Bed. l. 1. c. 4.

XI. Vera ratio cur Lucius Romam miserit.

Missis ergo novorum hominum commentis, dico: Lucium & Britannos ideo Eleutherium hac legatione veneratos: quia docti erant, ipsum sacrorum omnium & Ecclesiarum Principem esse. Primum autem Christianum Regem, primamque provinciam, decebat à sacrorum Principe inaugurari. Si evicero hanc Lucii mentem, sensumque legationis fuisse: cur veritati tenebras offundunt factiosi; aut rudi glossemate Lectorem ludunt? Quotquot in Britannia Christiani erant, inter prima fidei elementa didicerant, Romam esse Ecclesiarum parentem: & in illo portu figendam fidei & spei anchoram iis, qui optato litore frui gestiebant. Ita jusserunt hujus secundi sæculi Patres & Doctores: ita

Chriſtiani omnes crediderunt, atque fecerunt, Nihil ergo inſolens à Lucio & Britannis factum: nec opus diverticula aut Mæandros quærere, ubi regia via Rex tutius incedit. Tertullianus vivebat, cum Lucius in Urbem miſit. Jubet ille, in negotio ſalutis, Romam petere, & ejus Eccleſiæ ſcitis parere. *Age* (inquit ille) *qui voles curioſitatem melius exercere in negotio ſalutis tuæ: percurre Eccleſias Apoſtolicas,* &c. *ſi Italiæ adjaces habes Romam, unde nobis quoque authoritas eſt: ſtatu felix Eccleſia, cui totam doctrinam Apoſtoli, cum ſanguine profuderunt.* Idem ſed paulò conſtantiùs S. Irenæus Lugdunenſis Epiſcopus, in negotio ſalutis, Romam appellare, non modò conſulit: ſed ei, qui Chriſtianus eſſe cupiat, neceſſarium aſſerit, iis verbis, quibus Valentinum, Marcionem, & hæreticos alios, in Romanæ Eccleſiæ Traditionem peccantes arguit. *Ad hanc Romanam Eccleſiam* (inquit) *propter potentiorem Principalitatem* NECESSE *eſt, omnem convenire Eccleſiam: hoc eſt, eos qui ſunt undique fideles: in qua ſemper ab his, qui ſunt undique, conſervata eſt ea, quæ eſt ab Apoſtolis Traditio.* Hæc vera, certa, conſtansque cauſa, profectionis in Urbem; nec oportet aliam fingere. Lucius volebat Chriſtianus eſſe & fidelis: Quò propterea eundum? In Africam, aut Orientem? non, inquit Tertullianus; nos Romæ authoritatem petimus. Lugdunum in Galliis? non, inquit Lugdunenſis Præſul? & mea & veſtra, & omnis Eccleſia, quæ fidelis eſſe cupit, Romanam Eccleſiam adire debet, *propter potentiorem principalitatem ejus.* Eò igitur Lucio & Britannis eundum; ſi fideles eſſe, & Chriſti Fidem amplecti volunt.

Tertul. de præſcript. c. 36.

Irenæus cont. hæreſ. l. 3. c. 3.

XII. LUCII MOTIVA, CUR AD ELEUTHERIUM MISERIT.

Hic duplex ratio eleganter exprimitur; quæ Lucium movit, & omnem Inſulam, legationem in Urbem decernere: & utraque facit ad puritatem fidei, Eccleſiæque Britannorum. Una, princepsque ratio: quia ibi prima & Princeps Eccleſia, ſuper Petram cæteris Eccleſiis potentiùs ædificata; & Sancti Spiritus, præ cæteris, ditata privilegio. Altera illam conſequens, Apoſtolorum ibi Traditio, puriſſimè conſervata, & integerrimè obſervata. Decebat autem ſitientem fidei aquas provinciam, è fonte haurire, nullis rivulorum, nullis aliarum aquarum fæcibus, aut mixtione vitiato. Cavebant hoc imprimis Doctores: & ideò in dubiis Romanam Sedem pulſantes; ejus oraculo, vel probabant, vel improbabant dogmata. Sic Irenæus utramque rationem conjunxit illa ſententia: *Maxima, & antiquiſſima, & omnibus cognita, à glorioſiſſimis duobus Apoſtolis Petro & Paulo, Romæ fundata & conſtituta Eccleſia, fidem, per ſucceſſiones Epiſcoporum pervenientem uſque ad nos indicantes; confundimus omnes eos, qui quoquomodo, vel per philautiam malam, vel vanam gloriam, vel cæcitatem, & pravam ſententiam, aliud quàm oporteat, colligunt.* Tum ex enumeratione Romanorum Epiſcoporum; ſinceram Fidem, Traditione ab Apoſtolis derivatam, & ad ſua tempora, continuata ſucceſſione ſervatam, probat: *Beati Apoſtoli,* inquit, *ubi fundamenta Eccleſiæ præclarè, poſuerant; & eam providè ſapienterq; exædificaverant: Lino Pontificatus miniſterium concrediderunt. Cui ſucceſsit Anacletus, poſt cujus mortem tertio loco ab Apoſtolis Clemens Pontificatum ſortitò capit; qui & Beatos Apoſtolos oculis viderat, & cum illis de fide communicaverat: & Apoſtolorum adhuc prædicationem recentem tenebat memoriâ: eorumq; Traditiones propè in conſpectu, & ante oculos poſitas habebat. Clementi huic ſucceſsit Evariſtus: Evariſto Alexander. Deinde Xiſtus Pontifex, ab Apoſtolorum temporibus Sixtus conſtituitur. Quo mortuo Teleſphorus delectus eſt, qui præclarè & generosè, martyrium ſubiit. Tum Hyginus: deinde Pius. poſt Anicetum illo munere perfungebatur. Soter Aniceto proximè ſuccedit. Tum duodecimo loco ab Apoſtolis, Eleutherius Pontificatus miniſterium obtinet. Unde Traditio in Eccleſia, ab Apoſtolis gradatim derivata, & ſinceræ veritatis prædicatio, eodem ordine, eadem Epiſcoporum ſucceſsione in Eccleſia, ad noſtram uſque ætatem continuata eſt.* Hoc argumento victus Lucius; non Orientem, non Græciam, nec ullam aliam in Occidente Eccleſiam; ſed Romanam tantummodò appellandam cenſuit.

Irenæus ſuprà.

Idem ſuprà.

Si hoc ipſum, omni ſæculo, & in omni Rep. obſervatum ſemper fuiſſet: non forent hodie tot ſectarum examina, tot dogmatum monſtra, tot fidei partus; quos quiſque pro libidine format; nec ita in opinionum Euripis fluctuarent hominum mentes: dum quolibet paſſim feruntur, ſine pondere & ſaburrâ fidei. Hinc Cyprianus Sanctus, & Martyr, ingenioſè aperit omnium errorum, & hæreſum fontem; quia ſcilicet Sacerdotis, pro Eccleſia loquentis, non obeditur imperio, ut ſuprà contemplatus ſum. Noluit ergo Lucius, Britannorum Eccleſiam, in arena fundari; ſed Tertulliani, Irenæi, & Cypriani mentem ſequutus, Fidei petram adivit; Romanam, inquam, Eccleſiam: illam ut matrem, & Principem coluit; illi, ne in vanum curreret, per opinionum præcipitia, ſenſum ſuum, & Regium verticem ſubmiſit. Hanc Lucii mentem fuiſſe, & conſilium Legationis, probari poteſt argumento Regum hujus Inſulæ, qui Chriſti caſtra ſecuti, feliciter & cum laude regnaverunt. Conſtantinus Silveſtrum: Ethelbertus, Gregorium: Eduinus Bonifacium, eodem modo coluerunt. Hinc Regum noſtrorum, tot reverentiæ, in illam ſedem, & cultus exempla. quæ ut paucis colligam, ſufficiat dicere, Inam, Eghertum, Ethelvolfum, & conſequentes Monarchas, provincias ſuas Romanæ Eccleſiæ vectigales feciſſe: & nonne tibi videntur, agnoviſſe illam Principem: & Lucii mentem, meliùs, ſanctiùs, ſinceriùs aſſecuti; quàm illi qui primò Fidem, deinde ſenſum omnium ſæculorum invertentes, negant & majeſtatem Urbis, & Inſulæ ſervitutem. nunc hiſtoriæ filum repeto, & Catechumenum Regem.

XIII. FONS ET ORIGO OMNIUM HÆRESUM.

V. an. 100. n.

ANNUS URBIS CONDITÆ 934.

ANNUS CHRISTI 183.

ELEUTHERII PAP. 5.

LUCII REGIS 60.

COMMODI IMP. 2.

I. LUCIUS AB ELEUTHERIO BAPTISMUM PETIT, ET IMPETRAT.

ADEST Chriſti annus centeſimus octogeſimus tertius; Commodo Auguſto tertiùm, & Antiſtio Burrho Conſulibus: quò Lucius, Britannorum Rex, à Romano Pontifice per Legatos Eluanum & Medumnum, baptizari, & in Romanæ Eccleſiæ filium admitti petiit, & impetravit. Quod ad tempus ſpectat profectionis Legatorum, & acceſſus ad Urbem; cum variæ ſint

discrepantesque

discrepantesque seotentiæ, de quibus suprà: Baronium sequor ita scribentem, ad hunc annum. *Illud memorabile, & Scriptorum monumentis à pluribus consignatum habetur: de Lucio Britannorum Rege; qui divina luce mentem perfusus, de Christianâ fide suscipienda, consilium iniens. Legatos ad Eleutherium Papam misit; à quo sacros Ministros, qui Christiana Religionis munera obire possent, acciperet. Hæc quidem cum omnes ad Eleutherii referant tempora; errorii arguuntur, qui scripserunt facta sub M. Aurelio, & L. Vero fratribus Imperatoribus: nam tempora Eleutherii Sedis, nullo modo cum ipsorum imperio congruere certum est. Magis itaque iis assentimur, qui sub Commodo factum esse dixerunt.* Ita Baronius.

Baron. hic.

Authores alios Bedæ locus in errorem induxisse videtur, cum dixit: *Anno ab Incarnatione Domini centesimo sexagesimo sexto, Marcus Antoninus Verus, decimus quartus ab Augusto, regnum cum Aurelio Commodo fratre suscepit. Quorum temporibus, cum Eleutherius vir sanctus, Pontificatus Romano præesset, misit ad eum Lucius Britannorum Rex Epistolam; obsecrans, ut per ejus mandatum Christianus efficeretur: & mox effectum piæ postulationis consecutus est.* Quæ verba non debent scrupulosè conjungi ita, ut hæc omnia facta intelligantur eo anno, quo duo fratres imperare cœperunt: sed potiùs hunc sensum reddunt: postquam dicti Imperatores Romanam Remp. administrare cœperunt, Eleutherius Romæ rexit Remp. alteram: & eo sedente, Lucius Rex petiit, & obtinuit, ut Christianus efficeretur. Sic Bedam intellexit Ado Viennensis qui in sexta ætate ita scribit: *Commodus* (& Lucium Verum, ut Beda, intelligit) *dum cum fratre in vehiculo sedet, casu morbi, quem apoplexiam Græci vocant, suffocatus interiit. Eo defuncto, Marcus Antoninus, solus aliquantulum Reip. præfuit. Post Commodum filium assumpsit in regnum.* Tum infert, quid sub eo gestum, & ait: *Lucius Britannorum Rex, missâ ad Eleutherium Romæ Episcopum, Epistolâ; ut Christianus efficeretur, petiit.* Hanc ob causam, Eleutherium expectavi Romæ sedentem, cum Commodo ibidem imperante prius quàm Oratores Regios in Urbem ducerem.

Beda l. 1. histor. c. 4.

Ado in Chronico ætat. 6.

II. ORATORES REGII LEGATIONEM EXPONUNT.

Itaque ad Eleutherium, jam quinto anno in Petri Cathedra sedentem, Elvanus & Meduinus Lucii Oratores veniunt, eumque Regis & Britannorum omnium nomine, supplici cultu, & voce venerantur. Orationis hæc erat summa: Lucium in Britannia, & alio ferè orbe Principem, Senatum unà populumque Britannum, perspectâ dudum Deorum vanitate, JESU CHRISTI gloriâ, miraculorum etiam, quæ Fidem illam probabant, majestate; velle, vale Diis & falsis nominibus dicto, unum Deum, quem Christiani colerent, crucifixum adorare: tam certos jam, de fidei & sacrorum sanctitate, quàm illam, & illa è Romano fonte religiosiùs petenda: ipsumque Eleutherium Ecclesiæ, & omnium quæ Fidem spectant, post Christum, Principem esse. Quapropter Pium Regem (ita enim vulgo Lucium appellari) se, & coronam, & omnem Remp. ad ejus pedes projicere; paratum tam ipsi, quàm successoribus, omnem obediendi legem subire. Denique spondere se filium, modò Eleutherius velit esse Pater. Quoniam verò in novâ certaturos palæstrâ, tyrones primùm esse oportebat: ideo fidei ritus & mysteria edoceri omnis provincia humiliter postulabat. Quod quia sine Doctoribus fieri non poterat; omni, quæ filium decet, submissione, Lucium petere Christianæ fidei magistros: & ex eâ sede petere: ne enascens Ecclesia, inficeretur erroribus, & zizaniis, quæ passim cum semente, aliàs nasci solerent. Mitteret ergo Pius Pater, qui novellas mentes in Fide formarent. Hoc enimverò in causâ potissimum fuisse, cur tanto itinere, Magistram sedem appellassent.

III. Hanc Lucii legationem, Britannus Poëta satis antiquus, sub Gildæ nomine, versu exposuit de Lucio Rege ita scribens.

Apud Usser. fol. 49.

Qui simul audierat Christi vulgasse clientes
Verbum incarnatum, Regem de Virgine natum:
In cruce defunctum, vitâ post funera functum.
Scribit Eleutherio dictamina talia Papæ.
Ecce Pater Patrum, me turbant Traditiones,
Qui plures fecere Deos, pluresq; penates:
Quiq; creatori res præposuere creatas.
Idola plena dolo reor esse: potentia cæli
Non est in lignis; dæmon respondet in illis
Vana suis membris: Deus extat trinus & unus.
A quo, per quem, in quo sunt omnia, gloria, virtus:
Laus & honor sit ei soli, per sæcula cuncta.
Uniat ergo Deo Christi nos unio, tanquam
Membra suo capiti; sacri baptismatis undâ.
Postulo mundari: conformariq; creatum
Plasma Creatori. malè pars connectitur omnis
A toto diversa suo. Te deprecor ergo
Ut mittas aliquos in Christi lege peritos,
Ad partes nostras; qui me populumq; Britannum
Informent, mundentq; sacri baptismate fontis.

IV. ELEUTHERIUS IN BRITANNIAM MITTIT FUGATIUM ET DAMIANUM.

Gratum Eleutherio nuntium, lætumque Christianis omnibus spectaculum fuit; è supremo Occidentis fine cernere Regum primitias. Ideo gaudere boni omnes, Christo, Ecclesiæque gratulari: & ingentes sibi polliceri fructus Regum atque regnorum: cum tantus fervor, & tam festini essent fructus ad solis occasum. Necdum viderat Roma, in simili causa, Petri Sedem venerantes, Regios oratores. Audivit ergo legationis summam Eleutherius Papa, & osculatus in legatis, Pium filium; justissimis precibus annuens, gestiebat hunc primogenitum filium, paterno in omnibus amplexu fovere; & sanctioris vitæ subsidia ministrare illis, qui tam teneris amoribus ea postulassent. Quamobrem Fugatium & Damianum, viros è Romano Clero doctos, in Britanniam, ad Lucium Regem legat; qui omnem Insulam, Christianæ religionis institutis primùm imbutam, amotis idolorum sordibus, expiatisque falsorum numinum templis, Christo, Fideique concilient. Inde nequid nascenti Britannorum Ecclesiæ deesset, ad novam prolem formandam perficiendamque; Eluanum Eleutherius majori Sacerdotio auctum, & Meduinum Doctorem nuncupatum, unà, cum Legatione potestatis munere fungentibus, Fugario atque Damiano, in Britanniam remittit; jubetque salvere Regem, Reginam, omnemque Britanniæ populum. Additas etiam literas, amoris significatione plenissimas, nemo dubitat; sed quæ sine dubio, ut Lucii ad Eleutherium literæ, perierunt. nam Regem ad Eleutherium scripsisse, disertè affirmatur in vita S. Eleutherii, publicè in Ecclesiis, quotannis legi solita, in huoc modum. *Huic* (Eleutherio) *initio Pontificatus, supplices literæ venerunt, à Lucio Britannorum Rege, ut se, ac suos, in Christianorum numerum reciperet.* Quamobrem rescripsisse Eleutherium, nullo modo dubitari potest. & omnia insuper, quæ Lucius postularat, concessisse, testantur Beda, & vetustiora monomenta. Sed

ELUANUS CONSECRATUR EPISCOPUS.

Brevia. Rom. 20. Maii.

quanam

quanam id fecerit verborum formula, admodum controvertitur.

V. De literis Lucii et Eleutherii.

Sunt qui dicunt petiisse Lucium, suis ad Eleutherium literis, Romanorum Cæsarum Leges, ad se transmitti; ut ad earum normam regeret Remp. alteram. nam sanctiorem (quis dubitat?) Eleutherii permisit arbitrio. Iterum dicunt isti rescripsisse Eleutherium, inanem & supervacuam suam operam fore, si postulato annueret. Proferunt in eam rem Eleutherii literas, & urgent valdè apices aliquos pro Regum jure; quod Romana olim Ecclesia sanctè defendit; nunc, scilicet, controvertit. Hos inter Matthæus Parkerus in Britannicis Antiquitatibus; ita de Eleutherii rescripto loquitur: *Eleutherius neque Britannicæ conversionis laudem sibi adscripsit, aut vendicavit. sed scripsit, maximam se cepisse, ex ejus in Christum Fide voluptatem. Leges autem Romanas, ab eo desideratas, non esse Christianæ Resp. necessarias; in quibus permulta sancirentur, à Christianis non servanda. Neque egere se in legibus condendis, authoritate aut operâ suâ; qui utramque haberet paginam, veteris & novi Testamenti, ex quibus, adhibito procerum consilio, sanctas & omni vitio carentes leges sumere posset: Tum authoritate non alienâ, sed suâ fulciretur: qui in suo regno, Dei Vicarius esset: ejusq; potentiam suo populo repræsentaret.* Hæc ille. Et ne Lector putaret hæc omnia paradoxa esse: illud imprimis, ubi regni proceribus permittitur sacrarum Scripturarum sensus, & arbitrium: proceribus, inquam, needum in Christi scholam admissis, & enixè petentibus doceri prima religionis elementa: quod tam videtur absurdum, quàm Abecedarios pueros creari posse, imò debere, Sacræ Theologiæ Licentiatos aut Doctores. Ne, inquam, hæc Eleutherii responsa in fide nutarent: Ecce tibi Matthæus ipsissimas literas porrigit, ita præfatus: *Eleutherii Epistola, quia tam rarà & augusta est, totam ejus seriem inseramus.*

Antiqq. Britan. fol. 5.

VI. Rescriptum Eleutherii.

Petistis à nobis leges Romanas & Cæsaris vobis transmitti: quibus in Regno Britanniæ uti voluistis. Leges Romanas & Cæsaris semper reprobare possumus. Legem Dei nequaquam. Suscepistis enim nuper, miseratione divina, in regno Britanniæ Legem & Fidem Christi. Habetis penes vos in regno utramque paginam: ex illis, Dei gratia, per consilium regni vestri sume legem: & per illam Dei patientia, vestrum reges Britanniæ regnum. Vicarius verò Dei estis in regno, juxta Prophetam Regem: Domini est terra, & plenitudo ejus; Orbis terrarum, & universi qui inhabitant in eo. Et rursus juxta Prophetam Regem: Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem: propterea unxit te Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. Et rursùm juxta Prophetam Regem: Deus judicium tuum, &c. non enim judicium, neque justitiam. Cæsaris, filii enim Regis, gentes Christianæ, & populi regni sunt, qui sub vestra protectione, & pace, & regno degant, & consistant. juxta Evangelium: Quemadmodum gallina congregat pullos sub alas, &c. gentes vero regni Britanniæ, populi vestri sunt: & quos divisos debetis in unum ad concordiam, ad pacem, & ad fidem, & ad legem Christi, & ad sanctam Ecclesiam congregare, revocare, fovere, manutenere, protegere, regere, ut possitis cum eo regnare in æternum, cujus Vicarius estis in regno prædicto: qui cum Patre, & Filio. Hactenus ibi. & *tota* dicitur *Epistolæ series*. Cæterùm in margine notatur: haberi has literas, inter Leges Edoardi. Et Matthæus sine dubio inde exscripsit. Mirandum tamen cum dicat se totam seriem inserere, cum nec principium, nec finem, qui in dictis legibus habentur, recitet.

VII. Alia literis additamenta.

Fox l. 2. fol. 107. Sped in M Aurelio c. 10. n. 8.

Alii qui paulo posteriùs scripserunt: non codé modo has literas referunt. Joannes Fox, & Joannes Spedus acriter contendunt ita legendum: *Scripsit Dominus Eleutherius Papa Lucio Regi Britanniæ, ad correctionem Regis, & procerum regni Britanniæ. Petistis à nobis, &c.* Deinde suprà dictis addunt, scripsisse Eleutherium. *Væ regno, cujus Rex puer est, & cujus Principes mane comedunt. non voco Regem, propter parvam & nimiam ætatem: sed propter stultitiam & iniquitatem, & insanitatem juxta Prophetam Regem. Viri sanguinum & dolosi non dimidiabunt dies suos, &c. Per comestionem intelligimus gulam, luxuriam: per luxuriam omnia turpia, & perversa, juxta Salomonem Regem. In malevolam animam non introibit sapientia: nec habitabit in corpore subdito peccatis. Rex dicitur à regendo, non a regno: Rex eris, dum benè regis; quod nisi feceris, nomen Regis in te non constabit, & nomen Regis perdes, quod absit. Det vobis omnipotens Deus regnum Britanniæ sic regere ut possitis cum eo regnare in æternum, cujus Vicarius estis in regno prædicto.* Ita Spedus, & ferè Joannes Fox. Datam Epistolæ uterque consignat; nimirum, Anno à Passione Christi centesimo sexagesimo nono: licet Spedus legi velit Anno centesimo septuagesimo nono à Christi Nativitate, non autem à Passione. Addit Candenus; quo nihil ad literarum fidem desideres; datas literas: *Lucio Aurelio Commodo Secundum, Vespronioq; Consulibus.* quos suprà consulatum iniisse dixi, ad annum centesimum octogesimum primum.

VIII. De veritate literarum dubitatur.

Verùm inspectis omnibus: varietate lectionis, verborum & sententiarum ineptitudine, stilo Romanæ Curiæ, Eleutherii more, aliisque ab eo datis literis, denique sensu sæculorum: dubitant alii, de harum literarum veritate: quarum apud antiquos nulla mentio: apud eos, inquam, qui Romanorum Pontificum res gestas, scripta, apicesque singulos scrupulosè collegeruot. Putant igitur nepotes aliquos, Romanæ Sedis imperium declinantes, causæque iniquitate pressos, literas hasce in defectionis suæ patrocinium confinxisse. Hi etenim cum omni officio pietatis Romano Pontifici obligari hujus Insulæ Reges probamus; negant: cum urgemus exempla Regum optimorum; non agnoscunt: cum provocamus ad Edgaros, Alfredos, Edoardos, Edwinos, Oswaldos, Ethelbertos, aliosque Principes; dicunt illius ætatis delirium fuisse. non ita factum prioribus sæculis. Denique nominamus Constantinos, Lucios, primos omnino, primæque fidei Reges. Hic torquentur, nec possunt testatissimis rebus fucum aut tenebras honestè obducere. fugiunt ergo ad Archivium Londinense, inde antiqua monumenta eruderare se fingunt: Eleutherii literas producunt, in quibus Rex, *Dei Vicarius* appellatur, nec egere dicitur alienâ authoritate in condendis legibus: atque ita victoriam sibi pollicentur. Quorsum ergo Romani Pontificis implorata, vel imploranda potestas? Hic multa dici possent, si foret operæ pretium, de sensu literarum, de tempore & anno quo datæ sunt, de summa quæstionis, de Regum, inquam, jure: an firmetur hisce literis, vel enervetur. Quod inspecto Calvini genio, omni merito dubitari potest. Solet enim illa factio efferre primùm Reges, quo Romæ noceat, & illis omnia, etiam Sacerdotii jura concedere:

inde tam coronæ quàm Sacerdotii jura persuadere, quod hisce in literis cernitur: Qoid enim excogitari potest Regum juribus nocentius & magis injurium, quàm dicere Regem, si minimum in regendo peccet, Regem non esse. quod Roma paradoxum in Wiclefo damnavit, probavit nunquam. Id Parkerus suprà benè advertit: & licet totam Epistolæ seriem promiserit, omisit tamen illam clausulam, Elizabethæ Reginæ, cujus beneficio Cantuariensem sedem invaserat, minimè placituram.

IX. Principatus Eleutherii e literis colligitur.

Sed demus omnia. Ita pulsaverit Lucius Eleutherium: Ita rescripserit Eleutherius ad Lucium: Ita dixerit Dei Vicarium: Ita monuerit, ut adhibito procerum consilio, sacras Literas inspiceret; itaque leges conderet. scripsit tamen hæc omnia Eleutherius, ad Lucii Regis & procerum regni *correctionem*: & scripsit, inimicis testibus benè. ergo si philosophari ex arte voluissent, debuissent, ita concludere: Erat Lucius Britannorum Rex, Romano quidem oraculo, Dei Vicarius, in regno suo: sed sub directione & correctione Eleutherii. Poterat Rex adhibito Procerum consilio leges & jura condere: ab Eleutherio tamen, si lubebat, corrigenda. Imo hoc ipsum disertè affirmat Eleutherius: & se Regibus & Cæsaribus majorem facit ea sententia: *Leges*, inquit, *Romanas & Cæsaris semper reprobare possumus.* ergo Regum omnium, quocumque demum Vicario nomine censeantur. Si autem Eleutherius Reges & proceres corrigere poterat: cur negatur fuisse Principem? Imperitè satis Brianus Twynus, supradicta verba invertit; probatque inde Lucium in Pontificias quoque leges, juris habuisse dictionem, ac potuisse illas antiquare; idque, quod magis mireris, Eleutherio teste. *Ipse Eleutherius* (inquit) *scribit ; Britannos Romanas leges recusare potuisse: Leges Romanas Cæsaris recusare POTESTIS. Si Cæsaris, cui tunc paruit Britannia; multo magis Pontificis, qui quoad ista, Cæsari quoque tunc paruit.* Ita ille, contra Authores omnes, qui idolum illud suaviantur. Sed quid inde probat inaccuratus Author? nimirum, Lucium recusare posse Pontificias leges, quæ Ecclesiam spectant. Quo quæso argumento? *Quia quoad ista* (inquit) *Cæsari quoque tunc paruit.* Quasi diceret; in ferendis legibus Ecclesiasticis (nec enim de alio imperio quæstio est) à Commodo Imperatore pendere debuit Eleutherius. Et ecce Christiana sacra, non tantum Christianis Regibus, sed infidelibus quoque subdita, ne Reges subsint Ecclesiæ.

Twyn. l. 2. Apol. n. 102.

X. Quid dicendum de literis.

Quid ergo de Eleutherii literis sentiendum? Certè cùm ea sit iniquioris causæ conditio; ut ruinæ proxima, non nisi multis adminiculis, arte quæsitis, valeat subsistere: videntur hic aliqui cum extremâ fortunâ conflictati, argumentorum penuriâ laborasse, cum ad tenebras fugientes, argumentorum umbris capiuntur: quas si sæculorum luce discusseris, sectariorum infantiam aperis, & futilem planè fidem. Ego sanè si Principem quæstionem tracto, de Summi Pontificis imperio, in omnem Ecclesiam; istas literas non refugio, quia nullum inde primæ sedi præjudicium. Inde enim patet Lucium postulasse; non solum quæ Fidem & conscientiam tangebant; quod Beda, & omnes fatentur: sed ea etiam quæ coronam spectabant, & alteram Remp. Iterum patet non rescripsisse Eleutherium, inanem, & supervacuam operam esse, quam Lucius postulavit: aut debere eum sua non aliena authoritate in rogandis legibus fulciri, quod vellet Parkerus: Sed tantum jubet communi Senatusconsulto, leges condi, regno utiles, & sanctiori Reip. sive Scripturis non adversas. Quod hodieque Roma Regibus dictat. Cæterùm, quod Rex, Dei Vicarius appelletur in regno suo, quis nescit sano sensu dici posse? Romanis certè Pontificibus elogium illud non derogat, qui regno non inhiant; sed incumbunt procurationi alteri. Quod non modò non cavetur hisce literis: sed abundè inde probatur. Quamobrem, ut mihi quidem videtur, nullum ibi verbum, nulla sententia, nullus apex, Romani Pontificis imperium, aut principatum lædit: imo supplicantis Lucii consilium, & intentio, Eleutherii rescriptum, verborum qualiscumque series, mens & sensus literarum; illustrant potiùs, quàm obnubilant Romanæ Sedis dignitatem. His tamen non obstantibus, suspectæ sunt tenebræ, è quibus eruuntur: suspectæ sectariorum artes, eas, pro libito, propalantium: ideoque suspecta sunt omnia. Et quoniam novi interpretes, ex illarum, ut putant, mente, Reges vel nimiùm efferunt, vel pro libidine nimiùm premunt: nunquam existimavi has literas, aut datas ab Eleutherio, aut scriptas ad Lucium, Lucio Aurelio Commodo II. Vespronioque: sed tantùm Martino Luthero, Calvinoque Consulibus, quod Godwinus & Usserus ultimæ editionis Episcopi non dissimulant: sed ingenuè fatentur, literas non sapere Eleutherii sæculum. Ego addo nec morem Ecclesiæ.

XI. Eleutherii decretalis.

Enimverò cum Gallicana Ecclesia laboraret, nescio quâ altercatione Clericorum; Romanam Ecclesiam & in eâ sedentem Eleutherium appellavit: non rescripsit inanem suam operam esse: sed potiùs hanc legem dixit: *De accusationibus ergo Clericorum, super quibus consulti sumus; quia omnes eorum accusationes, difficile est ad Sedem Apostolicam deferre: finitiva tantum Episcoporum judicia, huc deferantur, ut hujus sancta Sedis authoritate finiantur.* & multa plura in eam sententiam. Quæ verè Principem arguunt: & arguunt etiam Eleutherium non declinasse imperium illud, quod Lucius & Britannia illi detulerunt. Quod si dixerit quispiam, hanc Eleutherii decretalem non esse constantis fidei; facilè repono, longè certiùs, constantiusque affirmari, ita scripsisse Eleutherium Gallorum Ecclesiis, quàm ad Lucium scripsisse, anno à Passione Domini centesimo sexagesimo nono, Lucio Aurelio Commodo II. Vespronioque Consulibus. Qoia si annis centum sexaginta novem, addideris vitæ Christi annos triginta tres: exibit annus datarum literarum ducentesimus secundus: quo certè nec consulatum illi, nec Eleutherius aut Lucius in vivis fuerunt. Unde constat literas illas non esse adeò *raras* & *augustas*, ut Parkerus illas indigitat. Jam verò si Eleutherii mentem exploramus; an reverà noluerit sacrorum Princeps videri: audiantur Magdeburgenses. *Eleutherius*, inquiunt illi, *se tantùm Episcopum appellat in Epistola ad universas Ecclesias Galliæ. & tamen Romanæ Sedis primatum arrogat, cum ait: Ab Apostolis, & eorum successoribus, multorum consensu Episcoporum, jam definitum esse: ut finitima (sed lege finitiva) Episcoporum judicia, & non omnes Clericorum accusationes, ad Sedem Apostolicam referantur, ejusq. authoritate finiantur.* Sed satis de Eleutherii literis & mente: nunc Lucii sensum videamus.

Cent 2 c. 7. fol. 141.

XII. GODWINUS ARGUITUR. *Godwin. in Catalog.*

Lucius professò & omnis Britannia, aliquid viderunt in Romana Ecclesia, majus & augustius cæteris: alioquin ad ignotum & longè positum virum, solennem legationem non adornassent. Vidit hoc Franciscus Godwinus; & factum non probavit. Dicit enim, Lucium humanitùs aliquid admisisse, cum misit ad Eleutherium Oratores. Fortè quia remisit Eleutherius *Correctionem*. Quæ vox quia superiorem denotat, causatur aliqua, quæ sensum illum infirment. Dicit ergo Correctionem non semper ad majorem referri: quia Cicero dixit aliquando: *Philosophiam in eo veterem correxit, & emendavit*. Sed peccat in exemplo. nam quod corrigitur, correcto majus & excellentius est: vel certè res malè & vitiosè corrigitur. sensit ergo Lucius, quod sensit Irenæus, quod Tertullianus, quod orthodoxi omnes hujus sæculi: nimirum Romanam Ecclesiam cæteris majorem: quia his præteritis, ad illam longè positam supplex appellavit.

XIII. OCCURRITUR OBJECTIONI. *Cent. 2. fol. 142.*

Hic audio submurmurantes aliquos; nec Irenæum, nec hujus sæculi orthodoxos, Romanæ Sedis primatum agnovisse. Idque eorum factis probant. Quo genere argumenti conor Regiam Britannorum Fidem ornare. Ita ergo Centuriatores. *Conferat (inquiunt) pius Lector, ea quæ probati testes suprà deposuerunt: agnoscet facilè; nec Martyres Gallicanos, nec Irenæum, Eleutherio primatum tribuere; nec ad Romanum Pontificem appellare, in more tum fuisse.* Verùm quid à Gallicanis Martyribus factum; quid dictum ab Irenæo; quo primatus ille destruatur? *Cum in Phrygia & Asia dissensio esset, de Montano, Theodoto & Alcibiade* (inquium Magdeburgici) *non appellatur ad Romanum Episcopum: sed literæ mittuntur ad Gallicanam Ecclesiam.* Ergo nec Gallia Eleutherium, nec Irenæus agnovit Principem. Ergo vel malè Lucius, præteritâ Gallicanâ Ecclesiâ, & Lugdunensi Irenæo, Eleutherium appellavit; vel certè præter morem fecit. Commune vitium est factiosis omnibus, heteroclitis exemplis tueri paradoxum. Sed magis adhuc peccant Quatuorviri isti, dum inutili telo, constantem veritatem ferire conantur. Imprimis si missio literarum paucorum hominum, ad Gallicanam Ecclesiam, illam potiùs quàm Romanam, Principem facit: cur non missio literarum Lucii Regis, & Britannorum omnium, ad Romanam Ecclesiam, Ecclesiam illam principem arguet? Ad Eusebium, & factum Phrygiæ Asiæque, dico: non constare ex Eusebio, literas è Phrygia in Galliam scriptas. Sed potiùs disertè affirmantur Martyres Galliæ, in Phrygiam, & in Asiam, & ad Eleutherium quoque, de controversiâ illâ scripsisse. Quem Eleutherium unicè rogabant, ut ejus authoritate controversia dirimeretur. nam ita Eusebius eo loco: *Cum Montanus, & Alcibiades, & Theodotus in Phrygiâ, jam tum prophetandi opinionem apud complures adepti fuissent: Cumq; de istis hominibus controversia orta esset. fratres, qui in Gallia habitabant, privatum judicium, idq; prudens, & rectum, de iisdem, Epistola, quam diximus, subjunxerunt. nonnullasq; & varias Martyrum literas, qui apud ipsos mortem oppetebant: quas cum adhuc tenerentur in vinculis, non modo fratribus in Asiâ & Phrygiâ; verum etiam Eleuthero Episcopo Romano (quem vehementer rogabant, ut pax & concordia in Ecclesiis sanciretur) exarabant, eidem Epistolæ adjecerunt.* Hæc ille. Quæ, nisi obliquis admodum oculis aspexeris, benè probant Martyres Galliæ, cum Lucio Britannorum Rege fuisse: cum Ecclesiarum pacem, ejus imperio sanciendam, petunt. Utrique eodem sensu ad Eleutherium miserunt, hac solùm differentiâ: quod Lucius pro regno suo, & Britannorum Ecclesiâ; Martyres, pro omnibus Ecclesiis supplicarunt. Putavit ergo Lucius Eleutherium, in Britanniæ regnum, seu Occidentis partem, potestatem habere: Martyres Galliæ, in omnes Occidentis & Orientis Eccclesias. Imperitè igitur Quatuorviri, in Romani Pontificis primatum pugnant, argumento Martyrum Gallicanæ Ecclesiæ: quo fortè primatus ille stabilitur multò luculentiùs, quàm facto, literis, & legatione Lucii.

Cont. suprà.

Eusebius l. 5. c. 3.

Euseb. l. 5. c. 3.

XIV. *Cent. 2. fol 142.* DE MISSIONE IRENÆI A GALLICANIS EPISCOPIS.

Iterum objiciunt adversarii. *Cur Irenæus, à Gallicanis, in Phrygiam missus est, ad deferendas literas, & componendum schisma?* nimirùm in controversiâ de Montano & Alcibiade. Facilis responsio. Non est missus Irenæus à Gallicanis in Phrygiam, ad componendum schisma: nec ita dixit Eusebius; sed ista confinguntur à Magdeburgensibus ad conflandum & fovendum schisma suum. Fuit quidem Irenæus, Lugdunensis Ecclesiæ Presbyter, literarum bajulus ad Eleutherium Romanum Pontificem, ut disertè affirmat Eusebius, nullâ vel missionis, vel profectionis in Phrygiam factâ mentione. Unde si è legationis munere metiendus est, aut Irenæi sensus, aut primatus Ecclesiæ, Romanæ Sedi omnia famulantur. Eò misit Gallicana Ecclesia: & eò missus Irenæus. Quod si in Phrygiam quoque missus est, ut volunt, sed non probant Magdeburgici: excutiendæ sunt literæ legationis ejus. Videndum inde, quorsum ad Eleutherium, quorsum in Phrygiam amandatæ. Enimverò si controversiæ judicium, atque decisio, & pacis ineundæ ratio Phrygiæ Ecclesiarum arbitrio permittitur; argumentum erit, putasse Galliæ Martyres; & Montano, & Alcibiadæ præcipere potuisse Ecclesiam illam; & illos obedire debuisse. Verùm si nuda rerum gestarum narratio, in Phrygiam mittitur: & Eleutherio interim supplicatur, ut controversiæ cardinem vertens, omnia componat, & in Phrygiam usque manum & correctionem porrigat, quâ odia sopiantur: Quis non videt, è Martyrum sensu, magnam esse Romanæ Ecclesiæ Diœcesim, quæ à Gallia in Phrygiam, hoc est, ab Occidente in Orientem, supplices preces excipit, & exercet imperium. Itaque sciat Lector, omnino tacere Eusebium, Irenæum missum in Phrygiam; tacere etiam Gallorum preces Phrygiæ porrectas pro pace Ecclesiæ: disertè verò dicere, exaratas à Martyribus literas *Eleutherio Episcopo Romano; quem vehementer rogabant, ut pax & concordia in Ecclesiis constitueretur.* Magnâ igitur telorum penuriâ laborant adversarii: qui iis tantùm pugnant, quæ Romanam Sedem efferunt, quàm premunt, magis. nunc historiæ filum resumamus.

XV. ELEUTHERII NUNTII IN BRITANNIAM VENIUNT.

Redeunt in Britanniam Eluanus & Meduinus, quos Lucius Rex in Urbem miserat, pro se regnoque oratores. & unà cum illis veniunt ab Eleutherio ad Lucium missi, Fugatius atque Damianus. Quos omnes priùs excutiam, quàm ad Regem deduco: & inquiram quinam illi, missi & remissi. Cujus, inquam, ordinis & instituti? nam variant historici: Eluanum & Meduinum; nunc rudes in Fide, & catechumenos, & Romæ primùm baptizatos: nunc dudum salutis aquâ lustratos, & provectos in Fide asserunt. Iterum

Eluanus et Meduinus quinam?

de Fugatio & Damiano, nunc majori Sacerdotio auctos, nunc è Romano Clero Sacerdotes simplices affirmant. Dicam quod est probabilius, nam antiqua hæc & remotiora, vix aliter decidi possunt. Eluanus & Meduinus, olim fideles, & diu in Christi schola versati, alios Fidem docuisse videntur. Hoc multa suadent: Fidelium multitudo frequentiaque in Britannia, jam inde à Josephi & Sociorum ingressu: muneris quod modò obeunt magnitudo & præstantia, quæ veteranos in Fide, non tyrones requirebat: denique sacri ordinis ad majus usque Sacerdotium susceptio, Neophytis interdicta. Quis enim dicet Eleutherium duos nuper baptizatos, evexisse statim vel ad summas infulas, vel ad Doctoris cathedram, hoc est ad maximos in Ecclesia Magistratus, in eo loco, ubi plures in fide consenuerant. Lego quidem in Landavensis Ecclesiæ Antiquitatibus: *Eleutherius gratias agens Deo suo, quod illa gens, quæ à primo Regionis inhabitatore Bruto, gentilis fuerat, tam ardenter ad Fidem Christi festinabat: consilio seniorum Urbis Romæ placuit eosdem legatos baptizari, & Catholica Fide suscepta ordinari, Eluanum in Episcopum; Meduinum autem in Doctorem: & propter eloquentiam, & scientiam, quam habebant in Scripturis, prædicatores ad Lucium in Britanniam reversi sunt.* Hæc, inquam, lego: sed plures, qui contradicant, invenio. Author ille Landavensis, supponit omnem Insulam à primo inhabitatore ad Lucium Regem, sine Deo vero, sine Christo ejus fuisse. Tacet Fidei sementem, olim Apostolica manu jactam, quæ jam in messem surrexerat. Unde nil mirum si Britannia in fide tantùm candidatos emisit. Meliùs itaque Nicolaus Harpesfeldus, Archidiaconus Cantuariensis, Eluanum vocat *Sanctæ Iosephi societati, collegioq; ascriptum*; & Meduinum *virum pium, doctumq;*, priusquam Romam mitterentur. Iterum Joannes Pitsius, de Eluano ita scribit: *Eluanus Avalonius, Britannus homo, in scholà Sancti Iosephi Arimathensis educatus, ab ipsis Apostolorum discipulis, fidei Christianæ mysteria didicit junior; & vir factus, Lucio Regi diligenter prædicavit: eumq; tandem cum tota gente convertit. In quibus omnibus, Meduinum habuit socium & cooperatorem, pietate & doctrina æqualem, educatione similem, omnium laborum socium, & comitem individuum.* Hæc ille.

Apud Broughton. cen. 2. c. 15.

Harpsf. in 6 secul. c. 3.

Pitsius in Eluano.

XVI. Josephi Arimathæi familia, et ordo Monasticus duravit.

Hinc sequi videtur, tam Eluanum quàm Meduinum, sanctioris instituti professores, in Josephi scholæ solitudinem coluisse, & monasticam vitam religiosè observasse. nec enim audiendi sunt, qui dicunt familiam à Josepho inceptam, in Josephi morte desiisse: licet fortè locum illum, à Regibus concessum, non semper incoluerint. nam Authores Glastoniensium Antiquitatum, Adamus de Domerham, & Joannes Monachus scribunt, familiam illam diuturnâ successione duravisse. *Isti duodecim,* inquiunt, *& eorum successores diu sub eodem numero, eremiticam vitam hic ducentes, magnam multitudinem Paganorum ad fidem Christi converterunt.* Ex his fuerunt Eluanus & Meduinus in Christiana Fide tam provecti; ut unus meritò creari potuerit Britannorum Doctor, alter Londinensis Episcopus. Ad hunc sensum scripsit de Josephi discipulis Pitsius ita: *Successu temporis, Britannorum misertus Deus; è Iosephi discipulis, excitavit duos Prophetas: videlicet insignes Doctores Britannos Christianos, in scholà Sancti Iosephi, imò Sancti Spiritus educatos; Eluanum scilicet & Meduinum: qui tanquam primi Britannorum in religione Christiana Doctores, & ductores, zelo divinæ gloriæ secundum scientiam pleni, docuerunt Lucium Regem Fidem Christianam.* Si duo illi in schola Josephi, & Spiritus Sancti educati: Evangelica consilia procul omni dubio integerrimè servaverunt. Unde fallitur anonymus, qui pro Clero dimicans, dicit, à morte Josephi, monasticum institutum, per annos centum in Britannia desiisse.

Antiq. Glaston.

Pitsius ætate 2.

XVII. De Fugatio et Damiano, quinam?

Ad Eleutherii legatos quod attinet, Fugatium & Damianum; majus dubium oriri potest. cum enim provinciam suscipiant, Regis baptizandi, convertendi Britanniam; & in omni opere, Romani Pontificis vice fungantur. è Clero Principes & Episcopos, cur non dicemus? Et sanè, si erectas ab eis Episcoporum sedes, dispensatas infulas, consecrata templa, & distinctas Britanniæ Diœceses lustramus, vix erit dubium quin competens authoritas intercesserit. Hinc Pontizus Virunnius eos vocat *Antistites: & nonnemo etiam contendit vocandos Episcopos. Ita saltem Godwinus in Catalogo, de Wintoniensi Ecclesiâ: Hæc Ecclesia in Christi honorem dedicata est, Octobris vigesimo nono, anno Domini centesimo octogesimo nono, per Faganum & Damianum Episcopos.* Passim tamen ab aliis Authoribus, nudo nomine *Sacerdotes*, vel *viri religiosi*, vel *pietate & doctrina præstantes*, appellantur. Unde presse loquendo opinor, Fugatium & Damianum, quantumvis amplissimo munere fungerentur, & legativa potestate Episcopos tamen non fuisse. Assumpti enim è Romano Clero, & Eleutherii vice fungentes, obire legationis munera poterant; & provincias circumire multò liberiùs; quàm si particulari Ecclesiæ conjugati fuissent. Addo in antiquioribus monumentis, in Beda aliisque, ubi eorum mentio, inauditum est nomen Episcopi; cur ergo recentiores illud effingent? Scio illos Lucium baptizasse, erexisse Episcoporum sedes, consecrasse Altaria, & alia fecisse summæ potestatis. Scio tamen hæc omnia nudo Sacerdotio committi posse, & sæpiùs esse commissa. Et quoniam ubique lego Eluanum, Britannum hominem, Romæ ab Eleutherio ad majus assumptum Sacerdotium: id sine dubio factum, ut iis in rebus, ubi Episcopi manus necessariò petebatur, Episcopus non deesset. Ideo statim dicam, Lucium à Romano Sacerdote baptizatum: ab Eluano Episcopo Sacramentum Chrismatis accepisse. Cæterum tres simul Episcopos in Britanniam mitti, in Britannicæ Ecclesiæ infantiâ, sine certo & antiquo Authore non ausim dicere.

Virun. l. 4. fin.

Godwin. in Winton.

XVIII. Pontificii Oratores Regem baptizant.

Fugatius & Damianus, ad Regem ingressi; Eleutherii, Romani Pontificis nomine datâ, acceptaque salute; tam ipsi, quàm omni provinciæ, fausta precantur, Christianæ Fidei mysteria compendio reperunt, & Lucium Regem, posito omni fastu, in genua abjectum, Romano ritu baptizant. Idem Reginæ, proceribus, & multo populo, Regis exemplum sequutis, factum. nam ita legitur in Romano Martyrologio: *Eleutherius Papa, multos nobiles Romanorum, ad Fidem Christi perduxit: & Sanctos Fugatium & Damianum in Britanniam misit, qui Lucium Regem, unà cum uxore, & toto fere populo baptizarunt.* Quo nomine dicta sit Regina, nemo, quod sciam, prodidit; fuisset tamen æternâ memoriâ dignum. Si Leonilla, quod non assero, vocabatur: tunc Licinius, Leonillæ conjux, in Lucium debet transire. Illustris est enim mentio Licinii cujusdam hâc ætate

Martyrol. Roman. 26. Maii.

Item Reginam.

conversio;

conversio; qui unà cum Leonilla uxore, multisque aliis baptizatur: & nulla, opinor, provincia baptismum illum vendicat. Putabam aliquando Licinium illum, Priscum fuisse Britanniæ Proprætorem, cujus suprà mentio. Sed ille, in Gallus, nuperâ tempestate, in orthodoxos ita efferbuit; ut anno centesimo septuagesimo nono plures violentâ morte oppressos, Martyrii gloria coronarit: & inter eos Marcellum de quo suprà. Adde quod Romanus homo, & magistratum gerens in Britannia, habere non potuit tot optimates sibi obsequentes, quot dicuntur cum Licinio & uxore baptizati. De eo enim ita scribunt Magdeburgenses: *Quidam referunt Taurinum Ebroicensem (alibi eum vocant Eboracensem) Episcopum, Licinii filium in vitam revocasse. Quâ quidem occasione, Licinius cum uxore Leonilla, & omnibus optimatibus, numero mille viginti viri baptizati sunt. Atque hac ratione latius Evangelium divulgatum est.* Hæc cum illi ad secundum sæculum referant, è Vincentii speculo: nullique provinciæ assignent: suspicio esse potest Licinium pro Lucio scribi: & tunc Lucii uxor, Leonilla vocabitur: & reverà optimates erunt, qui baptismo simul lustrabuntur: & Christi Evangelium latiùs divulgabitur. Sed ex illo hypocausto, nihil unquam cui magnopere fidendum prodiit.

V. an. 121. 2. & an. 135. 1. 2.

V. an. 179. 2.

Cent. 2. fol. 8.

Ibi fol. 222.

XIX Universa Britannia ad Christum convertitur.

Rege & Regina baptizatis, sequuti sunt ex utroque sexu, & omni ordine plurimi: sed ante omnes Emerita, Lucii soror, quæ fratrem ubique sequuta, locum tandem inter Sanctos merebitur. Ita brevi, quà Lucii Regis pietate, dictis, factisque ejus; quà Romanorum legatorum industriâ, quà denique præparatâ à Deo provincialium indole, effectum ut è plebe pauci, Procerum ferè nemo fuerit, qui ad Christum & Romanam Fidem, aut animum, aut aures obstinarit. Rex nullum imperio aut verbis premebat ad baptismi Sacramentum: quia longè suaviùs mortalium mentibus illabitur Deus, spontaneo nativoque impetu, quàm foris quæsito & coacto. Lucii factum permittentis civibus baptismi libertatem, sequuti sunt postmodum Constantinus Magnus, & Ethelbertus Christianorum Saxonum primus Rex, ab eâdem Romanâ Sede, eodem modo instituti. Nolo pluribus, hoc loco, dicere, quinam & quot è Britannorum gente, ad Christi sacra accesserint; cum Authores passim testentur, omnem ferè provinciam, baptizatum Principem sequutam esse. Unde qui fastos post Malmesburiensem digessit, hanc notam adjecit: *Circa hæc tempora, Lucius Britannorum Rex, Eleutherii Pontificis opera, unà cum universa Britonum gente, Fidem Christianam suscepit.* Quamobrem Romanæ Sedi, post Deum, deberi hanc maximam, Regiamque Britanniæ conversionem, nullmodo debet controverti. Fuere quidem plures, jam inde ab Apostolorum tempore, qui Christum clàm, & privatis in tectis professi sunt; quos ex Urbe quoque doctos ostendimus iis argumentis, quæ factiosus fortè declinare poterit. Sed voluit Deus hanc Regiam & illustrissimam Fidem, quæ omnem Insulam beavit, non aliunde quàm à primâ sede descendere: idque suffragio Scriptorum omnium manifestum fieri: ne posteri ullam defectionis umbram, aut subducendi se ab Urbis imperio ansam prætenderent.

Fasti ad an. 173.

Romæ debetur Britanniæ conversio.

XX. Factiosi frustra contra nituntur.

Subduxerunt se tamen moderni nepotes: & Urbem illam, Urbisque cultores immanè persequuntur. Quod ego hic dissimolarem: nisi illi ipsi, odium ac defectionem suam, primorum sæculorum reverentiâ tuerentur. Isti quippe, cæcutientes in meridie, negant Britannorum Fidem è Romano cælo descendisse, & novum finxere cælum, quo nova Fides triumpharet. Quod defectionis iniquitatem auget. Jam verò si Lucii baptismum urgeo, & ingens beneficium, quo provincia, Romanorum Oratorum operâ beatur: vel elevam factum illud: vel aiunt, Lucium à Britannis doctum; à Romanis ideo baptizatum, quòd eorum operâ, in regnum, scilicet, evectus sit. Ita Parkerus, Lucium non Pium, sed politicum facit. Nos dicimus Deum, Christianarum virtutum odore, multo miraculo, divino denique susurro traxisse Lucium ad Fidem Christi. Dicimus etiam Lucium benè doctum, è more sui sæculi, & omnium provinciarum, appellasse in negotio salutis primam & Principem sedem: enervat hæc omnia factiosus, commento politico; dum Cæsari potiùs quam Deo Lucium famulatum affirmat. Cæterùm, quia jam extra omnem controversiam est, Lucium ab Eleutherio postulasse: *Vt Christianus efficeretur*, inquit Beda: & eo symbolo baptismi ritum postulasse, & impetrasse: demumque à Romanis Sacerdotibus, Fugatio & Damiano baptizatum: erit magnum operæ pretium dispicere, quo demum modo, & quibus cæremoniis, Christianus (ut petebatur) effectus est. sive, quod idem est, qua ratione baptismi aquis ablutus. Cum enim hic Regius baptismus, primus omnino fuerit in Europæis Regibus; & constante Scriptorum voce, ritè, & Romano more porrectus. Quis non cuperet, & nosse illum, & *eo modo baptizatus esse.* Cumque nescio quæ lites baptismum hodie & Ecclesiam vexent circa ritus ejus: nunquam illæ opportuniùs, quàm inspectione primorum temporum componentur: ubi virgo Ecclesia, pura Fides, nulla contentio. Et eò in speciem sectarii provocant: sed illi probantur solum genuini Ecclesiæ filii, qui Romanæ Ecclesiæ solem, & ritus illos, fixis, non obliquis, oculis intuentur.

Antiq fo. 5.

Bed. l. 1. c. 4.

De Regio baptismo cur quærendum?

XXI. Novatorum calumniæ circa ritus Baptismi.

Sunt hodie, qui Romanam Ecclesiam ideo aversantur; quòd cæremoniis auctior, recesserit, ut putant, à prima Fidei puritate: & frequentes ritus, in ipsis etiam Sacramentis usurpet, quos nec Christus, nec Apostoli, nec prima sæcula dictaverunt. Verùm quod spectat Lucii ætatem, sperabam nullum fore, vel leve tantum dissidium. Quis enim, licet contentionis avidissimus, invenire maculas aut vellet, aut posset, in hac Virgine Ecclesiæ facie, quæ Christo & Apostolis proxima, excipiebat adhuc inde defæcatiorem lucem & primitias spiritus. Et tamen Novatores illi; nec Lucii sæculo parcunt, nec antiquitatem reverentur: sed quicquid factioni minùs favet, aut genio suo adulterinum vocant, & pro libidine respuunt. Baptismum in simplici aquâ, cum nudâ verborum formâ constituunt. Si quid additur, aut ad Sacramenti reverentiam, aut sensum actionis, aut cultum numinis: id omne cum supercilio rejiciunt, atque dehonestant. Videndum igitur, quid Lucio, & Britannis cum eo baptizatis factum. An Novatorum more, aquâ nudâ lustrati: An verò in solenni actione intercesserint ea, quæ hodie Roma cum baptismi formâ usurpat. Nec difficilis erit inquisitio. Cum enim à Fugatio & Damiano baptizati sint: & illi ab Eleutherio Papa, ad id missi: non erit opus porrò in Orientem aut Asiam pergere:

ſed inſpectâ ſolum Romanæ Eccleſiæ conſuetudine, & luſtratis ibi ſacris, baptiſmo hac ætate adhiberi ſolitis, apparebit ſtatim Lucii & Britannorum baptiſmus: & qua ratione perfectus.

XXII. BAPTISMI RITUS A PONTIFICIBUS PRÆSCRIPTI.

Clemens, Higinus, Pius, & Victor Romani Pontifices, & hoc ſæculo ſacrorum Principes, per univerſam Eccleſiam obſervanda præcepere aliqua, in adminiſtratione baptiſmi, quæ præſcripta olim ab Apoſtolis, non ubique forſan, cum debitâ reverentiâ fiebant. Inde patet præter nudam verborum formam, & aquæ aſperſionem; adhibere conſueviſſe miniſtros alia ſacra, quæ ad novæ prolis regenerationem, ſenſumque eorum quæ geruntur, faciebant plurimùm. Hæc in Lucii baptiſmo interceſſiſſe, vel inde evincitur, quod prætéritis aliarum provinciarum Eccleſiis, ad Romanam Eccleſiam provocaverit: *Obſecrans* (inquit Beda) *ut per Eleutherii mandatum Chriſtianus efficeretur.* Quicquid ergo ad Chriſtiani hominis conſtitutionem, formationem, perfectionem, Roma requirebat; id omne Lucio, & Britannis collatum. Quænam illa fuerint, tunc dicam, cum baptiſmi ſubſtantiam, à circumſtantiis diſtinxero: & privatum Sacramentum à publico, ac ſolenni. Enimvero ſubſtantialiter baptiſmum conferri, cum formâ debitâ, & materiâ, rectaque dantis mente, nemo negat. Controvertitur, poſsitne præterea, aut debeat Eccleſia, præſertim cum ſolenniter baptiſmi Sacramentum datur, adhibere alia myſterii ſenſum & ſacrorum effectum prodentia: licet nulla eorum in Scripturis mentio? Cui breviter dicendum: Matrem Eccleſiam, licet Sacramentorum ſubſtantias tangere, præſcribere, aut mutare non præſumat; præſumere tamen præſcribere circumſtantias; poſſe jubere filios, ut decorè, reverenter, & opportunè accedant; & debere filios audire matrem. Quod licèt hodiernis auribus, quæ Calvino auſcultant, non ſit gratum: ſequitur tamen vel ex ipſa Matris appellatione, vel certè ex illo Chriſti oraculo: *Qui vos audit, me audit.* Ad quid enim oraculum illud, ſi Eccleſiam ſacra dictantem non audimus? Quamobrem Romani Pontifices ſanciverunt, baptizandum Cruce muniri, oleo ungi, chriſmate liniri, baptiſmi aquam benedici: denique exorciſmis, ſacriſque precibus, humani generis hoſtem fugari. Quæ omnia, ut infinitis exemplis, averſati ſunt olim cacodæmones: ita nunc Romanæ fidei hoſtes obliquis oculis, auribuſque hauriunt. Videamus quid Lucio, Britanniſque, qui per baptiſmum Chriſtiani effici cupiverunt, factum.

Luc. 10. 16

XXIII. *Clemens Ep. 3.* OLEI UNCTIO.

Clemens, Romanus Pontifex, qui ſub initium hujus ſæculi, pro Chriſto Romæ ſedit, in Epiſtolâ tertiâ ita loquitur: *Baptizetur unuſquiſque in aquis perennibus, nomine Trinæ beatitudinis invocato ſuper ſe, perunctus primùm oleo, per orationem ſanctificato.* Ita ille: non lege de novo latâ, ſed jubens, quæ ab Apoſtolis acceperat, obſervari. Quis enim dicet, uſum aquæ, & Sanctiſſimæ Trinitatis invocationem ab eo inſtitutam eſſe: ac non potius, urgere cum imperio, quod Traditione acceperat. Idemque de oleo ſanctificato dicendum. Porrò non modò oleum benedici ſolitum in baptiſmi uſum; ſed ipſam quoque aquam, priuſquam eâ fideles tingerentur, teſtis eſt Pius, Romanus Pontifex, de quo legitur, quòd *baptiſterium in thermis Novati conſecraverit.* ut referunt Magdeburgici. Signo Crucis muniri ſolitos baptizandos & baptizatos, tot ſunt argumenta, quot Patres qui baptiſmi meminerunt. Et ego alibi oſtendi, nullo alio magis Chriſtianos, pro Chriſtianis olim agnitos, diſtinctoſque ab infidelibus, quàm ſigno Crucis. nimirum Chriſti charactere atque hieroglyphico. Hinc, è nummo antiquiſſimo, Regis imagine inſigni (inter Cottoniana κειμήλια) è Crucis ſigno, & literis LVC Chriſtianum fuiſſe Regem; nec alium à Lucio Britannorum Rege, collegit nuper Uſſerius in Primordiis, & eodem argumento colligere potuiſſet, orthodoxum ipſum, & Catholicum fuiſſe. nam è Cruce in fronte fidelium ſignatâ, Catholicam Eccleſiam colligi Tertullianus affirmat libro tertio contra Marcionem. Ubi cum Ezechielis verba recitaſſet: *Da ſignum Tau, in frontibus virorum*, addit: *Ipſa eſt litera græcorum Tau, noſtra autem T. ſpecie Crucis: quam portendebat futuram in frontibus noſtris, apud veram, & Catholicam Hieruſalem.* Quoniam verò in ſacris Literis, Crux hæc appellatur *ſignum Dei vivi.* Quis non videt, tranſituris ad Chriſti militiam, & ejus caſtra; eleganter vexillum illud, ſub quo militent, explicari.

BAPTISMI AQUA BENEDICITUR.

CRUCIS SIGNO BAPTIZANTI MUNIUNTUR.

EO SIGNO LUCIUS CHRISTIANUS COGNOSCITUR. *Uſſer. fol. 40.*

Tertullian. contra Marcion. l. 3. c. 22.

Apoc. 7. 2.

XXIV. QUOMODO BAPTIZATUS LUCIUS REX.

Lucius igitur à Romanis Oratoribus Cruce ſignatus, primum fidei rudimentum accepit; aquâ perſuſus eſt, quæ olei ſancti, & Chriſmatis mixtione, conceptâ verborum formulâ, fuit benedicta: denique invocato trium Perſonarum nomine, cum aqua perfundebatur, baptizatus eſt. Eodem modo Regina, Emerita, Lucii ſoror, proceres, & Britannorum reliqui abluti, devotè nomen Chriſto dederunt. Manent etiamnum ritus iſti, in orthodoxâ Eccleſiâ: & eſſe poſſunt illius notæ characteriſticæ. Chriſtus enim fundando Eccleſiam, firmitate conſtantiaque ita munivit, ſuper petram; ut voluerit eſſe perpetuam; & ita in veſtitu deaurato, circumdatam varietate; ut voluerit eſſe omni ſæculo cõſpicuam. Quod ergo Apoſtolos Chriſtus docuit, poſt reſurrectionem, per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei; æternùm ſcribi juſſit, ſervarique ab omnibus. Illi igitur à vero multùm aberrant, qui ſcripto verbo tam pertinaciter inhærent; ut præter illud, reſpuant omne, quod ſanctè ab illis, Chriſto ſuggerente, inſtitutum; quod à Patribus acceptatum, à majoribus probatum, quod quindecim ſæculorum tractu ratum, ad nos deſcendit. Eleganter Sanctus Baſilius, de Baptiſmi ritibus diſputans, & Novatores arguit, & probat ſuprà dicta. *Dogmata quæ in Eccleſia prædicantur*, inquit, *quædam habemus à doctrinâ, ſcripto proditâ: quædam rurſus ab Apoſtolorum Traditione, in myſterio, id eſt, in occulto tradita recepimus. Quorum utraque ad pietatem, parem vim habent. Nec his quiſquam contradicit, quiſquis ſanè vel leviter expertus eſt jura Eccleſiaſtica. nam ſi conſuetudines, quæ ſcripto prodita non ſunt, tanquam non multum habentes momenti conemur rejicere: imprudentes, & ea damnabimus, quæ in Evangelio neceſſaria ad ſalutem habentur. Imò potius ipſam Fidei prædicationem, ad nudum nomen contrahemus. Quod genus eſt (ut quod primum eſt, & vulgatiſſimum, primo loco commemorem) ut ſigno Crucis, eos qui ſpem collocarunt in Chriſtum, ſignemus; quis ſcripto docuit? ut ad Orientem verſi precemur; quæ nos docuit Scriptura? Invocationis verba, cum oſtenditur panis Euchariſtiæ, & poculum benedictionis; quis ſanctorum ſcripto nobis reliquit? Nec enim his contenti ſumus, quæ commemorat Apoſtolus, aut*

RITUS APOSTOLICA TRADITIONE AD NOS PERVENERUNT.

Baſilius de Spiritu S. c. 27. 28.

Evangelium:

Evangelium: verùm alia quoque, & ante, & poſt, dicimus; tanquam multum habentia momenti ad myſterium, quæ ex Traditione, extra Scripturam, accepimus. Conſecramus autem aquam baptiſmatis, & oleum unctionis: præterea ipſum, qui baptiſmum accipit: ex quibus ſcriptis? nonne à tacitâ ſecretaq; Traditione. Ipſam porro olei unctionem, quis ſermo proditus docuit? Iam ter immergi hominem, unde eſt traditum? Reliqua etiam quæ ſiunt in baptiſmo, veluti renuntiatio Satanæ, & Angelis ejus, ex qua Scriptura habemus? nonne ex doctrina, quam Patres noſtri in ſilentio; quod curioſos & otioſos ſubmoveret; ſervarunt? Pulchrè quidem illi, nimirum docti arcanorum venerationem, ſilentio conſervari. nam quæ nec intueri fas eſt non initiatis: qui conveniebat, horum doctrinam publicè circumferri ſcripto? Hæc omnia Baſilius, de cæremoniis Baptiſmi; quibus Lucius Rex, & Britanni, initiati ſunt; quæque in Romana hodie Eccleſia ad amuſſim obſervantur. Hæc conſtans rituum obſervatio, Apoſtolicæ Traditionis argumentum eſt, ut probat nobilis illa Auguſtini ſententia, cum de Baptiſmo contra Donatiſtas diſputat; *Quod univerſa tenet Eccleſia: nec conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt: non niſi authoritate Apoſtolicâ traditum rectiſſimè creditur.* Ergo rectiſſimè creditur eos factioſos eſſe, qui baptiſmi ritus, quos univerſa ſervat Eccleſia, exploſerunt.

Auguſt. de Baptiſmo cont. Dona. l. 4. c. 24.

XXV. BASILII SENSUS EXPENDITUR.

Hinc multa colligi poſſunt, pro verâ & orthodoxâ Eccleſiâ, pro Lucii & Britannorum baptiſmo, pro detegendâ ſectariorum factione, quam Baſilius graphicè notat, cum dicit conſuetudines non ſcriptas rejicere: gradum eſſe ad negandum ea, quæ in Evangelio, neceſſaria habentur ad ſalutem. Quod omni procul dubio factum eſt, hoc ſæculo. nulli enim in has conſuetudines pertinaciùs pugnant, quàm qui Calvini dogma ſectantur. Et illi eò jam devenerunt, ut poſt exploſos baptiſmi ritus, ipſius etiam baptiſmi ſanctitatem elevent; & neceſſarium negent ad ſalutem. Quod in Scotorum tenebris natum paradoxum, Britanniam noſtram, hac ætate, pervaſit. Adeo à Lucio, & majorum noſtrorum fide, in tenebras itum: & *Fidei prædicatio, ad nudum nomen contrahitur*: quemadmodum futurum Baſilius prædixit. Et ſol nunquam aſpexit eos, quibus id propiùs, quàm ſectariis congruat; qui nudam ſine operibus Fidem; nudum ſine Sacrificio, Sacerdotium; nudum ſine ritibus baptiſmum; omnem denique fidei prædicationem, ad nudum nomen adduxerunt. Nunc reliqua de Lucio & Britannis, quæque à baptiſmo lacta ſunt, proſequamur.

XXVI. *Actor. 8. 14.*

Quod dicitur actum, Actorum capite octavo: *Cum audiſſent Apoſtoli quod recepiſſet Samaria verbum Dei*, prædicante & baptizante Philippo: Idem omnino, baptizato Lucio, factum in Britannia. Ibi Petrus & Joannes oraverunt, ut acciperent Samaritæ Spiritum Sanctum: hîc Eluanus, Romæ conſecratus Epiſcopus, idem præſtitit; deditque Lucio & Britannis, unctione Chriſmatis, confirmationis Sacramentum. Hæc actio, de more, legeque ordinariâ, requirebat majus Sacerdotium. Quod ideo Eluano collatum; ne quid ſolenniſſimæ Baptiſmi adminiſtrationi, ad ſui integritatem, perfectionemque deeſſet. Erat autem unctio hæc, ab ea, quæ ſacro oleo, inter Baptiſmi cæremonias fiebat, diſtincta, re, & effectu. Illa à Magno Dionyſio appellata eſt puriſſimum ſeu ſanctiſſimum unguentum παναγίαστον μύρον: di-

LUCIUS ET BRITANNI CONFIRMATIONIS SACRAMENTUM ACCIPIUNT. DUPLEX

citúque illo ſolitas Baptiſmi aquas conſecrari: hæc θεουργικώτατον μύρον ab eodem dicitur: hoc eſt unguentum quod maximè divinos facit. Ab hac Chriſmatis unctione, Chriſtiani nomen & appellatio vel emerſit, vel perficitur: quod paucis oſtendendum eſt: quia ſunt hodie; qui ſe Chriſtianos jactant: imo puriſſimæ, ſcilicet, farinæ Chriſtianos: qui interim nihil cum Chriſmate commune habent: & tamen Chriſtianiſmum ſuum, è primorum ſæculorum puritate probant.

OLEI UNCTIO.

XXVII. UNCTIO CHRISTIANO NECESSARIA: ET IN USU APUD ORIENTEM ECCLESIAM.

Vivebat hoc tempore, cum Lucius baptizatus eſt, Sanctus Theophilus, Antiochenæ Eccleſiæ Epiſcopus: qui, teſte S. Hieronymo, tres libros ſcripſit ad Autolycum, adverſus Chriſtianæ religionis calumniatores. In eorum primo, hæc habet: *Quod tibi ludibrium debeo, dum me Chriſtianum nuncupas, non magni facio: imo reſpondeo te neſcire quid dicas. nam unctioni hoc nomen, imprimis bonum ſuaveq; eſt, nec riſum meretur. Quis mortalium, qui progreditur in hanc vitam, quæ certaminum arena eſt, & non oleo inungatur? Certè nulla alia ex re Chriſtianorum nomen traximus, quàm quòd divino oleo perfundimur.* Chriſma intelligit, unde Chriſtus, & Chriſtianum nomen fluxit. Hoc ſi verum eſt: ſi, inquam ita ſcripſit Theophilus, eo tempore, quo Lucius baptizatur: Quis non videt eum, in baptiſmo, divino hoc oleo, hoc eſt Chriſmate perfuſum? præſertim cum ſcribat S. Cyprianus Epiſtola 70. ad Januarium: *Vngi quoque neceſſe eſt eum, qui baptizatus ſit; ut accepto Chriſmate, id eſt unctione, eſſe unctus Dei, & habere in ſe gratiam Chriſti poſſit.* Cyprianus ſanè hanc Chriſmatis unctionem, ad Chriſtiani hominis conſtitutionem adeo neceſſariam exiſtimavit: ut pluribus contenderit, eo omiſſo, vel non orthodoxè adminiſtrato, nullum baptiſmum eſſe; quod licet Romana Eccleſia temperavit; id tamen arguit, ad Chriſtiani hominis formationem, ſummum olim momentum habuiſſe, in omni Eccleſia. Nam præter Antiochenam Sedem, ubi Theophilus; præter Carthaginenſem, ubi Cyprianus: præter Romanam, ubi Eleutherius; Jeroſolymitanam quoque Eccleſiam, ſacro Chriſmate uſam, pluribus oſtendit S. Cyrillus, illius Sedis Epiſcopus, in Catecheſi myſtagogicâ tertiâ, quæ tota eſt de Chriſmate. Ubi ſuper illud Joannis: *Vos unctionem Dei habetis:* hæc habet, inter cætera: *Participes ergo Chriſti effecti; meritò Chriſti, hoc eſt, uncti vocamini. Et Deus dixit de vobis: Nolite tangere Chriſtos meos.* & infrà: *Vobis poſtquam ex aquis ſacri lavacri aſcendiſtis; datum eſt Chriſma, quod imaginem gerit illius, quo unctus eſt Chriſtus, illo ſpirituali oleo exultationis unctus eſt, hoc eſt Spiritu Sancto: vos verò uncti eſtis unguento, facti participes, & conſortes Chriſti.* Tum narrat Author, cur, & quo modo, baptizati frons, aures, nares, & pectus Chriſmate liniri conſueverint: & addit: *Hujus ſacri Chriſmatis dono, meritò appellamini Chriſtiani; veram efficientes appellationem. Ante enim quam hæc gratia vobis donata eſſet: non eratis propriè digni eo nomine: ſed pergentes, eouſque progreſſi eſtis, ut efficeremini Chriſtiani.* Quaſi diceret: Chriſma quod poſt baptiſmum confertur, baptiſmi perfectio eſt, & hominis, & nominis Chriſtiani: quia baptizatus eo ungitur Spiritu Sancto, Chriſtique militiam integrè profitetur; accepto novo militiæ Sacramento; & quaſi voto ſolenni *Chriſtianus efficitur.*

Theophilus ad Autolycum l. 1.

A CHRISMATE CHRISTIANUS APPELLATUR.

Cyprian. Epiſt. 40.

Cyrill. Myſt. Catech. 3.

CHRISTI FIDEM PROFESSUS.

XXVIII. DE OCCIDENTIS

Quàm verò Occidentalis Eccleſia, ritum illum religioſè ſervaverit; patet è Cornelio Papa; qui

ECCLESIIS IDEM DICENDUM. *Apud Euseb. l. 6. c. 35.*

sine eo, non dari Spiritum Sanctum luculenter ostendit, illâ sententiâ; quâ Novatum schismaticum stringit. *In lecto*, inquit, *in quo decumbebat, aqua circumfusus, baptismum accepit. si modo talem hominem, baptismum accepisse dicendum sit. Verum morbo tandem elapsus; neque cætera, quibus post baptismum, secundum Ecclesiæ Canonem, imbui oportuerat, acquisivit: neque DOMINI SIGILLO, ab Episcopo obsignatus fuit. Quo quidem neutiquam potitus; quomodo quæso Spiritum Sanctum adeptus est?* Nota, Lector, Ecclesiæ Canonem à Cornelio citari, & puta intelligi Apostolicum illum, apud Clementem lib. 3. Constitutionum Apostolicarum. Ubi dixisset: *Baptizatu vos*, &c. mox addit: *Postea Episcopus liniat baptizatos unguento.* Quod hoc anno fecit Eluanus Regi Lucio, Reginæ, & Britannorum plurimis. Cæterùm eleganter Cornelius suprà Sacramentum Confirmationis appellat *Domini sigillum: quod Apostoli, teste Magno Dionysio, vocare consueverunt Unguenti mysterium.* Cum enim de baptismo dixisset, addit: *Est autem ei finitimum alterum Sacramentum, quod præceptores nostri Unguenti mysterium nominant.* & paulò infrà, effectum ejus explicans, ait: *Quin etiam ei, qui sanctissimo divini ortus sacro initiatus est; unguenti perfusio dat divini Spiritus adventum.* Hunc etiam effectum Tertullianus significat, cum ait: *Caro ungitur, ut anima consecretur: Caro signatur, ut anima muniatur: Caro manus impositione obumbratur, ut anima Spiritu illuminetur.* Ita de Chrismatis Sacramento, Asia, Africa, Europa: ita Oriens, & Occidens: ita prima & puriora sæcula dixerunt: Christianus ergo Orbis, in hoc conspirasse videtur, præsertim Lucii sæculo: neminem fidelium societati jungendum, vel junctum censendum esse; qui Sacramentum Chrismatis post baptismum non accepit. Quod Tertullianus satis clarè innuit, probans Romanam Ecclesiam cum Africanâ, in fide, convenire, illo argumento: *Videamus*, inquit, *quid (Roma) dixerit, quid docuerit: quid cum Africanis quoque Ecclesiis contesseraverit: Unum Deum novit, Creatorem universitatis*, &c. *Aquâ signat, Sancto Spiritu vestit, Eucharistia pascit, martyrio exhortatur, & ita adversus hanc institutionem, neminem recipit.*

Clemens Constitut. l. 3. c. 16.

Dionys. Eccl. hierar. c. 4.

Tertull. l. de Resurrect. carnis

Tertull. de Præscript. c. 36.

XXIX. Tertulliani sensus hic est: Quotquot in Romanam Ecclesiam admitti postulabant (ut postulavit Rex Lucius, paucis prius annis, quàm ille scripserat) docebantur inter alia per Confirmationis Sacramentum (quod modo *unguenti mysterium*, modo *manuum impositio*; modo *Domini sigillum*; modo *Chrismatis Sacramentum*; modo *Spiritu Sancto vestiri* dicitur) Spiritum Sanctum accipere. alia quidem & alia voce, sed una eademque mente sensuque. Cyprianus etiam *Dominicum signaculum* appellavit, eo loco, ubi Actorum caput octavum explicat in hunc modum: *Qui in Samaria crediderant, a Philippo Diacono baptizati erant: & idcirco, quia legitimum & Ecclesiasticum Baptismum consequuti fuerant, baptizari eos ultra non oportebat: sed tantummodò quod deerat, id a Petro & Ioanne factum est; ut oratione pro eis habitâ & manu imposita, invocaretur, & infunderetur super eos Spiritus Sanctus. Quod nunc quoque apud nos geritur: ut qui in Ecclesia baptizantur, Præpositis Ecclesiæ offerantur; & per nostram orationem, & manus impositionem, Spiritum Sanctum consequantur: ac signaculo Dominico consummentur.* Ita ille.

Cyprian Epist. 73.

XXX. Si horum Patrum suffragia, & varios loquendi modos, in unum contraxeris; probè cognosces, quid, & qua ratione, Lucius à baptismo, cum Eluanus ei manus imposuit; acceperit. nam Chrismate in fronte, & signo Crucis munitus, accepit Sacramentum illud, quod baptismi complementum est, & summa votorum Lucii qui ab Eleutherio postulaverat, *ut Christianus efficeretur.* quod priùs, in omni verborum proprietate non fuerat consecutus. Idem Reginæ, & toti ferè provinciæ factum. Unde Britannia meruit elogium illud à Parisiensi Episcopo Genebrardo, *Britannia omnium Regionum prima, Fidem Christianam profitetur.* Britanni ab eo tempore Christiani appellati sunt: & Lucius, Christianorum in Europa Regum primus: & demùm Insula, Romanæ Ecclesiæ *filia primogenita.* non solum quia per lavacrum regenerationis illam Christo peperit Romanus Pontifex Eleutherius: sed quia in utroque Sacramento sponsor fuit, atque ideo Pater. nam illam quoque cæremoniam, in hoc novo partu, requirebat Ecclesia. De jure primogenitæ filiæ dicam infrà. Hic longior fui in Lucii baptismo, & sacris ejus; quia prima sunt, illustria saltem, & conspicua Britannicæ Ecclesiæ fundamenta: & animus est ejusdem Ecclesiæ molem erigere, ac transmittere ad annos mille: quam una, eadem, & virgo Fides debet comitari. Quod fieri non poterit: nisi eadem Sacramenta, & eorum œconomiam, & sacros ritus, eosdem in substantia, unà deduxero. Lucium ergo sequi debent in Britannorum Rep. Helena & Constantinus: in Saxonum, Ethelbertus, & cum consequentes Principes: quos Cruce munitos, oleo unctos, & Chrismate delibutos, Christianos & orthodoxos vocare debeo: & irasci novis hominibus, qui in omnem antiquitatem frontem obstinantes; Crucem, oleum, Chrisma abjecerunt: & cum apostasiæ & perfidiæ arguuntur, Lucii sæculum à se stare mentiuntur. Sed luce clarius est, Lucium ad illam factionis classem cogi non posse. Quinam eò referendi, & in factiosorum numero censendi; ideo brevi digressione quæram, quia ut Romanæ fidei, origines, ita novæ factionis duces investigo, & utrorumque compositione, fidei sanctitatem.

Geneb. ad annum 198.

Hic n. 58.

XXXI. QUINAM BAPTISMI RITUS EXPLOSERINT.

Sunt qui Lutherum, aut certè Calvinum accusant, quod sacrorum rituum osores, illos primi exploserint; sed immeritò: Illi quidem nuper, stupente ad flagitium Orbe terrarum, sacris cæremoniis bellum indixerunt. Sed novi nihil ab ipsis inventum; renovarunt tantum antiqua carcinomata, & novo nomine donaverunt. Præcessit illos Novatianus (Eusebius Novatum vocavit) cognomento schismaticus: qui *baptizatus, cætera quibus post baptismum, secundum Ecclesiæ Canonem imbui oportuerat, non acquisivit, neque Domini sigillo ab Episcopo obsignatus fuit:* ut suprà dixit Eusebius. Si ille schismaticus à græcâ, latinaque Ecclesiâ habitus; qui neglexit Ecclesiæ Canonem unum: Innocentes erunt, qui contemnunt, irrident, explodunt omnes? Sed & Novatianus ducem habuit, & priorem se, qui Cruce, & Chrismate munitos in baptismo, abominatus est: quem ego in Calvini & sectariorum gratiam, in medium adducam: ne magistri erroris injuria habeantur, qui discipuli tantum fuerunt. Aurelius Prudentius, vir illa ætate illustrissimus notavit Sacrorum hostem & ducem primum; qui Julianum olim docuit Crucem odisse: & postmodum; eo præsente, & idolia sacrificante, *Chrismatis alumnum*, nimirum, qui in baptismo

Euseb. l. 6. c. 35.

frontem Chrismate signaverat, ferre non poterat. Quod Prudentius elegantèr his versibus expressit, factum suo tempore.

XXXII. *Prudent. in Apotheosi.* JULIANUS APOSTATA DESCRIBITUR.

Principibus tamen è cunctis non defuit unus
Me puero, ut memini, ductor fortissimus armis:
Conditor & legum celeberrimus ore, manuq;
Consultor patriæ, sed non consultor habendæ
Religionis, amans tercentum millia Divûm.
Perfidus ille Deo, quamvis non perfidus Urbi,
Augustum caput ante pedes curvare Minervæ
Fictilis; & soleas Iunonis lambere: plantis
Herculis advolvi: genua incurvare Minervæ.
Quin & Apollineo frontem submittere gypso,
Aut Pollucis equum suffire ardentibus extis.

ADEST SACRIFICIO.

Fortè litans Hecatem placabat sanguine multo,
Pontificum festis ferienda securibus, illic
Agmina vaccarum steterant; vitulaq; revincta
Fronte coronatas umbrabat tecta cupressus.
Iamq; infertato reserabat viscera cultro,
Vittatus de more senex; manibusq; cruentis
Tractabat trepidas lethali frigore fibras.
Postremosq; animæ pulsus, in corde tepenti,
Callidus interpres, numeris & fine notabat.

XXXIII. SACRIFICULUS TURBATUR: AD CHRISTIANI PRÆSENTIAM.

Cum subitò exclamat media inter sacra Sacerdos
Pallidus, Ecquid ago! majus, Rex maxime, majus
Nescio quod numen, nostris intervenit aris;
Quam sufferre queant spumantia cymbia lacte;
Cæsarum sanguis pecudum, verbena, coronæ.
Accitas video longè dispergier umbras:
Territa Persephone vertit vestigia retrò,
Extinctis facibus, tracto fugitiva flagello.
Nil agit arcanum murmur: nil Thessala prosunt
Carmina, turbatos revocat nulla hostia manes.
Nonne vides, ut thuribulis fugientibus ignis
Marceat? ut canis pigrescat pruna favillis?
Ecce palatinus pateram retinere minister
Non valet: elisa distillant balsama dextra.
Flamen & ipse suas miratur vertice lauros
Cedere, & incertum frustratur Victima ferrum.
Nescio quis certè subrepsit Christicolarum

BAPTIZATI ET CONFIRMATI.

Huc juvenum: Genus hoc hominum fremit Infula, & omne
Pulvinar Divûm: LOTUS procul absit, & UNCTUS.
Pulchra reformatis redeat Proserpina sacris.
Dixit: & exsanguis collabitur, ac velut ipsum
Cerneret exerto minitantem fulmine Christum.
Ipse quoque exanimis, posito diademate Princeps
Pallet, & adstantes circumspicit: ecquis ALUMNUS
CHRISMATIS, inscripto signaret TEMPORA SIGNO:
Qui Zoroastraeos turbasset FRONTE susurros.
Armiger, è cuneo puerorum flammis comantum
Purpureo custos lateris, deprenditur unus.
Nec negat: & gemino gemmata hastilia ferro
Projicit, & SIGNUM Christi se ferre fatetur.

XXXIV. Confirmantur hinc omnia, quæ de Baptismi ritibus, de Cruce, & Chrismate dicta sunt. & clarè patet olim fuisse, qui Ecclesiæ sacra & cæremonias impatienter tulerint. Sed non tacendum; frontem Chrismate & Cruce signari, ungique solitam, ut Poeta expressit. Quod ideò ab Ecclesia usurpatum; quia in fidei Christique crucifixi professione erubescendum non erat: præsertim eo tempore, cum Christi Crux, ludibrio infidelibus erat. Quam ob causam fideles illam præseferebant: illâ, honoris causâ frontem signabant, eo sacro symbolo Christum crucifixum confessi. Quod olim adeo necessarium censebatur, ut nec Reges ipsi, ab ea professione eximii essent. Hinc scripsit S. Martyr Ignatius: *Nemo erret: nisi crediderit IESUM CHRISTUM in carne conversatum, & crucem illius confessus fuerit, non assequetur vitam æternam. Sive Rex fuerit, sive Sacerdos; sive Princeps, sive privatus homo.* Hinc colligo in illustrissimâ Britanniæ conversione, Lucium cæterosque, Christi crucem professos, eandem in frontibus Chrismate expressam habuisse. Quod si aliqui, sine Episcopo, Chrismatis Ministro ordinario, baptismo postmodum lustrantur, Chrismate in vertice capitis, ne mysterio deesset Christiani nominis nuncupatio; ungebantur. sic Silvestri Romani Pontificis decretum intelligo, quo legitur edixisse: *Ut Presbyter, baptizati summum liniret verticem.* ut ipse simplex baptismus, totam Christiani hominis, & nominis perfectionem præstet.

Ignat. Epist. 10.

In Breviario Roman. ad 31. Decemb.

XXXV. QUID JUSTINUS DE RITIBUS BAPTISMI.

Cæterùm non foret dubium, quin Britanni omnes, eo quem dixi modo, in fide Christo renati sint: nisi sacrorum rituum osores aliqui contra niterentur, & Justinum nobis objicerent, qui baptismi formam describens, nihil de ritibus asseruit. Ita enim de eo Magdeburgici. *Iustinum,* inquiunt, *simplicem baptismatis formam describit: & nihil aliud cæremoniarum observatum olim, in eo ritu, tradit.* quod si verum vel ego hactenus Lectorem lusi; vel Magdeburgici centuriatim hallucinati sunt. Cedo igitur locum ubi Justinus, *Nihil aliud cæremoniarum* observatum tradit, præter simplicem baptismi formam. Respondent. *Authoris verba in Apologia 2. hæc sunt. Quotquot persuasi credunt ea quæ docemus vera esse: & ad eum modum vivere pollicentur. Ante omnia discunt precibus & jejuniis, petere à Deo præteritorum peccatorum veniam: nobis unà preces jejuniaq; jungentibus. Deinde à nobis ad aquam ducuntur: & renascuntur, modo renascendi, quo & nos renati sumus. nam in nomine Patris omnium, Dominiq; Dei, & Servatoris nostri IESU CHRISTI, & Spiritus Sancti, in aqua tunc lavantur.* & paulò post. *Invocatur super cupientes renasci, & resipiscentes, nomen Dei Patris omnium, & Domini. Invocatur interim etiam IESU CHRISTI, sub Pontio Pilato crucifixi, nomen: & Spiritus Sancti, qui Prophetarum præconiis de IESU prædixit omnia: atque ita hoc lavacro mersati lustrantur.* Agnosco Justini loca: tradit ille preces & jejunia præmitti baptismo: docet Imperatorem, quo nomine fideles baptizentur. Sed nusquam dicit: *Nihil aliud cæremoniarum observari:* ut scribunt adversarii. Immò expressè docet, se multa præterire: idque eodem loco. nam subdit: *Neque enim fieri potest, ut in his omnia perscribamus.* Quibus verbis manifestè declarat, se baptismi quidem substantiam tradidisse, sed plures baptismi circumstantias omisisse: quas infidelem hominem, & à Christianis aversum, nosse non erat necessum. Si ergo alii Patres, disertis verbis affirmant, quæ Justinus nullo modo negat; sed eorundem silentio potiùs insinuat: falli certum est eos, qui simili argumento ludunt in rebus seriis; & Romanam Ecclesiam, certissimam sacrorum rituum custodem lacerant, quòd Sacramentis cæremonias, præter Scripturæ mentem superinduxerit. Justini silentium tacentis baptismi ritus, laudavit & explicuit Basilius suprà, iis verbis: *Doctrinam* (de baptismi cæremoniis) *Patres nostri in silentio servarunt. Pulchrè quidem illi; nimirum docti arcanorum venerationē silentio conservari. nam quæ nec intueri fas est non initiatis: qui conveniebat horum doctrinam publicè circumferri scripto.*

Cent. 2. fol. 110.

Iustin. Apol. 2.

Idem suprà.

Basil. de Spiritu sancto c. 28.

XXXVI. Magdeburgensium quæstio satisfit.

Sed necdum quiescunt Magdeburgici. & quicquid Patres dixerint, quicquid sæcula crediderint, quicquid observarit Ecclesia; Chrismati nihilominus & oleo sacro irascuntur tam impensè, ut jure quis mirari possit, nisi certò sciret, olim illis torqueri solitos, qui à malo genio vexabantur. Ita ergo pergunt, cùm secundo hoc sæculo, Aquæ benedictionem, usum olei & Chrismatis recensuissent: *Quæ omnia* (inquiunt) *si vera sunt: quid certius, quàm jam tum mysterium iniquitatis in Romana Ecclesia egisse in contaminanda simplici baptismi forma?* Romanam tantummodò Ecclesiam nominant, sed Africanam, Asianam, & omnem omninò Ecclesiam calumniantur. Porrò, quia petunt: Quid certiùs, quàm contaminari simplicem baptismi formam? Respondeo, unum esse longè certius: nimirum ipsos de mysterio iniquitatis pessimè philosophari. Illud enim quod teste Spiritu sancto, & interprete ejus Paulo: *In novissimis temporibus* futurum dicitur, de iis, qui discedent à Fide, creaturas Dei rejicientes, quæ per verbum Dei & orationem sanctificantur: hoc est, de Luthero, Calvino & eorum sequacibus: impiè ad primas & integerrimas ætates referunt. eo paradoxo, non unam Romanam Ecclesiam, ut ipsi vellent, traducentes, sed Reges omnes & provincias, eo modo, Ecclesiam ingressos. Quis autem est, etiam è factiosis nostris; qui non summè glorietur, Lucium Britanniæ Regem, hoc sæculo baptizatum, priusquam inimicus homo fidei zizania superseminaret? Jam verò hunc ipsum referre in classem mysterii iniquitatis; est enormiter deturpare Christianam Insulam: & baptizatos omnes tunc primùm, nec ante, Baptismi Sacramentum ritè suscepisse, quàm sacris omnibus præesset, vel puer, vel fœmina, Calvino dictatore.

Cent. 2. fol. 111.

1 Timoth. 4.

XXXVII. A Romana Sede in Fide pendere, honorificum.

Lucii & Britannorum baptismus, magnum Insulæ ornamentum fuit. nam inde, pro jure primogenituræ, aliquando certatum: vocarique voluit Britannia, Romanæ Ecclesiæ *primogenita filia*. Quam honoris prærogativam, licet sectarii non admodùm ambiant, & facilè cedant aliis provinciis; Patres tamen, & prima sæcula, plurimi fecerunt. Augustinus enim in Hipponensis Ecclesiæ titulis ponit: quòd fuerit *Romanæ Ecclesiæ filia*. & eo antiquior S. Cyprianus gloriatur, sedem, cui præerat, *Romanæ institutionis* (hoc filiationem dicimus) esse: & ideo Romanam Ecclesiam *Matricem* vocat: quia non tantum Carthaginensis Ecclesia, ejus ubera fidemque suxerat: sed quæ sub ipsa censebantur, Mauritania, atque Numidia. Denique Tertullianus & ipse Afer, cum Romam nominasset; addit: *Vnde & nobis quoque authoritas præsto est, statu felix Ecclesia.* Et quis non ducet operæ pretium, ex illo fonte originem petere, inde fluere, atque descendere: ubi *totam doctrinam Apostoli cum sanguine profuderunt*. Quod si Afri, & extra Europam provinciæ, ambitiosè quæsiverunt cum illa Urbe cognationem: nobis qui Europam colimus, & Romanorum societatem, ut eadem gloriandi causa est, ita prærogativæ hujus facilior est probatio. Hic ergo quæritur, inter Romanæ Ecclesiæ filias, per Europam sparsas: quænam, & prior tempore, & primogenitæ jure potior? nec quæstio vulgaris est; aut de filia, quæ privatis in tectis, domibusque latuit: quia tenebræ ibi dubiaque facilè emergent: sed quæ Regio enixa thalamo, publicis regni & populorum suffragiis, legitima Princepsque fuit. Legitimam voco, quam Roma genuit; Principem, quam regius ornavit titulus & corona.

August. in Psal. cont. part. Donat.

Tertull. de præs. c. 30.

XXXVIII. De filia Ro. Ecclesiæ primogenita.

Hic avidè certant Provinciæ, & ambitiosè vellent præcedere. Hispani aliquando in Concilio Basileensi, sub annum Domini millesimum quadringentesimum trigesimum quartum, dubium super eo ventilarunt: & Flavius Dexter, tunc necdum editus, loqui non potuit, aut solvere quæstionem: sed Lucius Britannorum Rex, in medium allatus, dubium solvit. Cùm enim Anglorum Regis Orator, cum Legato Castellani Regis disceptaret; in pleno Patrum consessu, ita stipulatus est. *Ante quemcumque Regem Castellanorum, multi Reges Angliæ, sive Britanniæ, baptizati sunt: sacrosanctam recognoscentes Ecclesiam. Vnde quasi in primis cunabulis fidei, Lucius Rex Britannorum, auditâ solâ Fidei famâ, non vocatus, non alicujus prædicatione inductus, misit suas Epistolas ad Papam.* Ita ibi. Proximè nobiscum contendere potest Gallicana Ecclesia: quæ Sancto Clodovæo, à S. Remigio olim baptizato, jure gloriatur. Et reverà Rex ille, Romanæ Ecclesiæ filius devotissimus fuit: ut argumento est, missâ ab eo ad Hormisdam Papam coronâ aureâ, quæ Principem sedem notaret, ornaretque. Verùm Clodovæus, non hoc secundo sæculo, sed posteriùs baptizatus est, anno Christi, ut notat Baronius, quadringentesimo nonagesimo nono. Unde illo priores sunt Septentrionales nostri; qui Donaldo Principe gloriantur, à Romano Pontifice docto, & ejus imperio baptizato, sub initium sequentis sæculi, ut dicam ibi. Sed & eo adhuc major natu Lucius noster: cujus baptismi tempus, quomodocumque consideres (nam variæ sunt de anno sententiæ) conveniunt omnes secundum hoc sæculum non excedere. Unde pro Britanniâ nostrâ, & jure Primogeniti sic concluditur. Cum constet inter omnes, nullam Europæ provinciam, ante hunc annum centesimum octogesimum tertium Regem habuisse, qui supplici legatione, pro Fide Romam pulsaverit: qui Romani Pontificis imperio Baptismi Sacramentum susceperit, qui sedentem Romæ Episcopum veneratus sit: & modò constet Lucium Britannorum Regem, hæc omnia præstitisse; optimo jure Britannia audire potest, & debet, Romanæ Ecclesiæ Filia Primogenita. idque vel suffragio, vel silentio Scriptorum omnium. Hos inter *Sabellicus Æneade septima: *Omnium* (inquit) *provinciarum prima, Britannia publicitùs Christi nomen recepit, anno post ejus adventum centesimo octogesimo.* Nec Gallia id diffitetur: nam Genebrardus ita loquitur in Chronico: *Lucius Rex Britanniæ Insulæ, primus omnium Regum, prædicationibus Fugatii & Damiani Fidem Christi amplectitur. Inde Britannia omnium Regionum prima, publicè Fidem Christianam profitetur.* Vidit hanc Insulæ prærogativam Jacobus Gualterius in Chronologiâ: & pro Lucii, & Britannorum jure, ita disputat.

Dexter ad an. 36.

Hispania, quid?

Apud Vsser. in Primordiis, fol. 40.

Gallia quid?

Scotia Donaldum habet.

Britannia Ro. Ecclesiæ primogenita filia.

*Sabellic. Ænea. 7. Genebr. l. 3.

XXXIX.

Gualter. in Chronol. sæcul. 2.

Lucius Anglorum Rex, misso ad Eleutherium Papam Legato, qui pastores spirituales postularet: Fugatium & Damianum impetravit. Quorum auditâ prædicatione; Christianus ipse factus est. Regum omnium primus: Ipse, inquam, unà cum uxore, & subditis propemodum universis: adeo ut Fides in Anglia regnum fuerit palam introducta. Vnde Tertullianus, & post eum Genebrardus annotant: Angliam nationum omnium primam extitisse, quæ Fidem Christianam

publicè

publicè professa est. Hæc ille. Alios non urgeo: quia nemo, opinor, refragatur. Urgeo tantùm, quæsoque patriam, Isaiæ verbis: *Attendite ad Petram, unde excisi estis: Attendite ad Abraham Patrem vestrum, & ad Saram, quæ peperit vos: quia unum (Lucium) vocavi eum, & benedixi ei, & multiplicavi eum.* Quomodò Deus Lucio, nobisque benedixerit jam dicendum: si priùs obtestatus fuero Lucii posteros, ut memores antiquorum temporum, antiquæ fidei, & majorum suorum, ad nova novitiorum hominum commenta non descendant: quia excisos è Petra, in quam portæ inferi prævaluere nunquam potuerunt; non decet degenere levitate, mobiles esse, & ad omnem aëris intemperiem fluctuare. Quod futurum indubiè, nisi ad Petram redeant, & fidei constantiam, quam Insula per quindecim sæcula, religiosè coluit, & servavit. Interim adverto, si Britannia primogenitæ jure excidit, id ideo factum; vel quia Britanni regno exciderunt, vel quia nuper provinciales, in parentem fuerunt rebelles filii.

Isaia c. 51. v. 2.

Num Britannia primogenitæ iure exciderit?

XL. Romana Fide beatur Insula.

Restat dicendum, quomodo Deus, Lucio benedixerit, ex Isaiæ citato Vaticinio: nam vocatum eum, à Deo, jam dixi. benedictionem, Fidem intelligo, qua ille æternùm beatus est, & quâ, hoc sæculo, beata est Insula. Si quæras, quænam illa? facilis est responsio: ex Urbe descendit, à Romano Pontifice, Romano ore docta; & sacra, ritusque Romana manu porrecti. cum Romani dico; non urbicam, sed orbicam intelligo: illam, inquam, quæ non unius Urbis pomœrio; sed quà patet Christianus orbis, diffunditur. Enimvero supinè stupent adversarii, cum Crucis, Sanctorumque cultum, & sexcenta hujusmodi, quasi Romanæ Urbis dogmata, calumniantur: quasi essent Ecclesiæ, quæ aliter primis purisque sæculis crediderint: Ego Romanam Fidem appello, quæ major omnibus tenebris, in plenum diem emersit, & Europam, Asiam, Africam sua luce implevit. quæ una, sine dubio, eademque fuit. *Neque enim* (libenter Irenæum repeto) *quæ in Germania fundatæ sunt Ecclesiæ, aliter credunt: neque hæ quæ in Iberiis sunt: neque hæ quæ in Celtis: neque hæ quæ in Oriente: neque hæ quæ in Ægypto: neque hæ quæ in Lybia; neque hæ, quæ in medio mundi sunt constitutæ.* Tertullianus etiam plura loca enumerat, Britannias, Hispanias, Sarmatas, Dacos, Scythas, provincias denique Romanis inaccessas; in quibus una, vera, orthodoxa fides hoc sæculo triumphabat errores hæresesque omnes. Si ergo velis in Lucii & Britannorum Fidem mentemque altiùs ascendere: Intuere sensum hujus sæculi. Vide quid de Eucharistiæ Sacrificio, de honore, & cultu Sanctorum, atque reliquiarum, de libero arbitrio, cæterisque hodie controversiis, senserit Christianus & orthodoxus orbis. & habes Britannorum Fidei Synopsin. Hanc ne historiæ ordo, & rerum gestarum series nimium distrahatur, inferiùs contemplabor. Interim Lucii facta, Fidem testantia, paucis adnotabo.

Romana Fides quæ dicenda?

Irena. l. 1. c. 3.

Tertull. in Iuda. c. 7.

ANNUS URBIS CONDITÆ 935.

ANNUS CHRISTI 184.

ELEUTHERII PAP. 6.

LUCII REGIS 61.

COMMODI IMP. 3.

Sequitur Christi annus centesimus octogesimus quartus, Petronii Mamertini, & Rufi Consulatu notatus: quo Lucius Rex, quem naturæ bonitas, indolesque olim Pium cognominaverat; nunc sanctiori ascriptus militiæ, unius verique Dei cultor, veram nomini addidit pietatem. Adhibitis enim in consilium, Fugatio & Damiano, Romanis operis, Christianam Fidem, populo, proceribusque dicto, facto commendabat. Eluanus & Meduinus unà laborabant; & Apostolico quo fugebantur munere, toti erant in Christi Fide prædicandâ, idola confundendo, uniusque Dei asserendo Numine. quod doctis ad eam rem, ad vulgi tamen captum facientibus argumentis proponebant, ita: Pulcherrimam hanc mundi fabricam, cæli terræque concentum, elementorum nunc inter se amicitias, nunc odia, non aliter quàm unius Dei imperio constare semper posse: qui quod potentiâ crearit, sapientiâ suâ gubernet & bonitate moderetur. Quamobrem creata omnia, hunc unum Deum, muto etiam silentio loqui: dum ad universi constitutionem, quantumvis inter se contraria, suo quæque ordine opportunè concurrunt. Porrò si regna, provinciæ, Urbes, domusque singulas rectiùs ab uno, quàm à multis gubernantur: quantò magis rerum adeo inter se dissidentium, immensa hæc moles regi debet unius arbitrio. Denique Dei nomen mereri solum potest majestas illa, quæ immortalis, immensa, & infinita est: quæque omnis potentiæ & omnium perfectionum complexu, non tam continetur, quàm continet perfectionem omnem, nullis undequaque finibus circumscriptam. Deos autem quos Insula coleret, non esse hujusmodi: sed aut inferioris naturæ vitia, aut fictæ omnino virtutis ac potentiæ, qui mortales, à quibus colebantur, inani rerum specie ludos facerent. Non erat arduum suadere populo unius Dei Fidem cultumque; quia Lucius Rex exemplo præibat. Unde brevi factum, ut provinciales penè universi, baptismi aquis lustrati, & ita prioris vitæ errata diluentes, ad Christi castra transierunt.

I. Lucius Rex reverà Pius.

Eluanus et Meduinus Fidem docent. et Deum unum.

Tunc Lucius Rex, ad firmandam altiùs Christianam Fidem; idola per Insulam jubet demoliri: benè doctus, unum Deum cum multis, uno in regno, admodum pugnare: nec tenebris locum ullum esse, orto jam sole. Quare amovendis illis sordibus se totum impendit. Cæterùm scatebat passim Insula idolorum vanitate plurimâ: quam Druydarum auxerat superstitio, penes quos hactenus sacrorum rituum imperium fuerat. Nunc verò iis nequicquam obgannientibus, sacra illa neglectui, & idola contemptui erant. Juvit populum ad idola confringenda, deorum impotentia: quos vel homines nullo negotio deformare, vel elementa etiam absumere poterant. Purgatâ hoc modo Insulâ, restabat sanctior cultus, sine offensione inducendus: & infidelium Sacerdotia,

II. Idola per Britanniam amoventur.

in

in Christianos ritus transferenda. Præerant Deorum superstitioni Druydes: quibus licet grave principiò fuerit, Deorum suorum exterminium: tandem tamen veritati cedendum, vel inviti etiam fatebantur. Et si qui durioris cerebri obstinaverant animos; imperio Lucii vel oratione flectebantur. Sic quà populi genio, quà Christianæ religionis sanctitate, quà piis Lucii conatibus effectum, ut publico ab omnibus ritu, Deus coleretur; & Christiana Fides in honore & admiratione esset. Non eadem templorum, ac idolorum conditio fuit: his enim omnino sublatis, illa religiosa cæremonia expiantur. Ut qui olim dæmoni servierant, fierent nunc melioribus sacris divini cultus instrumenta. Hic Regis pietas lucebat maximè. nam quasi parum esset Fugatio & Damiano, omnia permittere: Ipse insuper operam omnem, ipse sumptus; & ubi opus erat, ipse accommodabat imperium: præclarè secum agi putans, si seniles annos, & quod reliquum erat vitæ, divinæ servituti, obsequioque manciparet. Futurus ergo sequuturis cum Regibus exemplum, explevit partes omnes Christiani Principis; se Deo, & subditorum saluti consecrando. Falsorum ita Deorum delubra in unius Dei & Sanctorum cultum transtulit: & aris, pulvinaribus, aliisque superstitionum ritibus amotis; erexit, ornavitque Christiano more Altaria.

TEMPLA EXPIANTUR.

ALTARIA ERIGUNTUR.

III. FUGATII ET DAMIANI ET LUCII GESTA, OLIM SCRIPTA, PER S. PATRITIUM INVENTA.

Multa in hoc genere à Lucio facta memorantur: & certum est plura fecisse; constarentque posteris, nisi edax rerum tempus, obliterasset antiquorum scripta, & in iis majorum nostrorum facta. Fuit aliquando, qui illa literis mandavit; ut legerent posteri Lucii pietatem: sed dudùm scripta perierunt: periisset etiam eorundem memoria; nisi S. Patritius, Hibernorum Apostolus, dum positam in Avallonia Deiparæ ædem reparat, in obscuras quasdam excesasque membranas, casu incidisset: ubi tam densæ fugientibus literis tenebræ erant; ut pauca tantummodo, cum magnâ etiam difficultate legerentur. Ibi erant Fugatii & Damiani gesta: & unà Lucii Regis pietas, quam hoc tempore, in Deum, & cives exeruit. Eminebat ibi fidei ejus ardor in abolitione Flaminum, & substitutione eorum qui Christianis sacris operarentur. Erant Flamines, Idolorum Sacerdotes, à Druydis delecti, qui provincias, inter se partiti, toti Insulæ, quoad sacra, præerant. Tres cum summo imperio, principes in Britanniâ Urbes regebant. Augustam unus (ita Urbem in Trinobantibus vocat Marcellinus, quæ prius & posterius Londinum dicitur) Alius pro Septentrione sedebat Eboraci, totique tractui, ubi nunc Scotia, jus dictabat & sacra. Tertius in Demetia, sive Meridionali Cambria, ad Urbem Legionum, & Oscæ fluminis ripam, imperitabat. Tres hi in minorum gentium Flamines, juris habebant dictionem aliquam. Ad Augustam sedenti parebat Occidentalis Insulæ pars omnis, Cornubia & Mercia, sive Insulæ Meditullium: Legionensi Cambria: Eboracensi omnis Septentrio. Suberant his tribus, octo & viginti inferioris subsellii Flamines. In quibus convertendis, & evertendis & Lucii Regis, & Fugatii atque Damiani industria desudabat.

FLAMINES IN BRITANNIA, CONVERTUNTUR.

IV. OBJECTIONI OCCURRITUR.

Hic objicit nescio quis Romanæ Fidei hostis: negatque Fugatium & Damianum in superstitione evellendâ operam minimve posuisse: eo solùm nomine, quod Britannicè loqui, atque ita cum provincialibus agere nescirent. Ita timet adversarius à Romanis fidem accipere, aut Urbi illi obligare Britanniam: mavult in Græciam ire, & Britannos in illa lingua, quàm in latina doctiores fuisse. Respondeo: quod in Fugatium & Damianum dicitur, quis non videt in omnes orbis Apostolos dici posse? qui varias mundi plagas, tam linguâ, quàm moribus differentes, ad Christi plagas, & Ecclesiæ retia adduxerunt; Christum, Fidemque ejus eleganter eloquuti: non tam verborum lenociniis, quàm ardore spiritus, vitæque sanctitate. Quid quòd Romana lingua, è diuturno Romanorum commercio, ac subjectione Britannis passim familiaris evaserat: adeo ut Martialis Poëta scribere potuerit:

LATINA LINGUA BRITANNIS FAMILIARIS.

Dicitur & nostros cantare Britannia versus.

Quasi vulgò latina carmina canerentur. Sed quicquid de vulgo fit, satis constat è supradictis; nobiliores omnes liberalibus artibus eruditos, quà domi, quà foris, & Romanorum institutione, & suopte ingenio, latinam linguam, etiam ad elegantiam imbibisse. Addunt aliqui Imperiali edicto cautum, ut qui Magistratum in Britannia gererent, latinè omnes loquerentur. Certè antiquus Romanorum usus id obtinuit, quem Valerius Maximus ita commendat: *Magistratus prisci* (inquit) *quantopere suam populique Romani majestatem retinentes se gesserint, hinc cognosci poterit: quod inter cætera obtinendæ gravitatis indicia; illud quoque magna cum perseverantia custodiebant; ne græcis unquam, nisi latinè, responsa darent: Quin etiam ipsa linguæ volubilitate, quâ plurimum valent, excussa, per interpretem loqui cogebant: non in Urbe tantum nostrâ, sed etiam in Græciâ & Asiâ, quo scilicet latinæ vocis honos, per omnes gentes, venerabilior diffunderetur.* Ita ille.

Val. Max. l. 2. c. 2.

Jam verò, si de Lucio, & Proceribus, ad quos imprimis missi sunt Oratores, quæstio est: vix dubium esse potest, Latinam eos linguam calluisse. nam plures Romæ enutriti, & cum Romanis in Britanniâ agere consueti, in eorum quoque mores, & linguam transiverant. Facit ad rem hanc, quod de Claudio Imperatore tradit Dio: quod nimirùm *Splendidum virum, Græciæque provinciæ Principem, sed latini sermonis ignarum, non modo albo Iudicum erasetit, sed etiam in peregrinitatem redegerit.* Omitto quod habet Joannes Caius Cantabrigiensis scholæ Advocatus, in historiâ, ubi scribit: *Cantabrigiam venerunt, ut fertur, Fugatius & Damianus: ubi postquam multùm varieque cum Philosophis disputatum est: baptizarunt uno die, & Philosophos omnes, & tria millia hominum.* omitto, inquam, quia ambitum olet: & Author sui oblitus, id tribuit interdum Eluano & Meduino, sub annum Christi centesimum septuagesimum octavum, cum necdum Eleutherius Romæ sederet. Porro major est Guilielmi Malmesburiensis authoritas, qui in Antiquitatibus Glastoniensibus scribit, Fugatium & Damianum venisse in Britanniam ad prædicandum Evangelium: Et prædicantes, & baptizantes universam Insulam peragrasse. Ex dictis inferri potest, Romanos Oratores, cum Druydis, cum Flaminibus, & sacrorum Ministris, & agere potuisse, & revera egisse de Fide Christianâ: cum multum interesset, adversarios Evangelicæ veritatis luce perstringi: ut apertis eorum oculis, facilius in aliorum mentes ejusdem lucis radii descenderent. Et ita factum. Convicti Flamines, manus dederunt, & locum suum operaturis melioribus sacris.

V.

Dio lib. 57.

Caius in hist. Cant.

Malmesb. in Ant. Glast.

Hic aliqui pluribus disputant, de Flaminum, VI

De Flaminum notione controversia.

Archiflaminum, & Protflaminum notione: quorum passim in Annalibus nostris mentio: præsertim cum de Lucio, & conversione ejus disceptatur. Verùm, si de nomine contenditur, non est pretium operæ vexare Authores, qui rerum magis pondera, quàm verba sectantur. Si de re, non est dubium, quin in omni Rep. beoè, aut mediocriter constitutâ, ordo aliquis fuerit, & Sacerdotii discretio, ac discrimen aliquod. Romani habuerunt Flamines, habuerunt Pontifices, & Pontificem maximum, Regémque sacrorum. Quis dicet eos omnes, loco, munere, dignitate, pares. Pontificem Maximum præcelluisse cæteris; argumento sit Cæsarum & Augustorum jactanoa, nomen illud suis titulis inferentium: ne scilicet esset in rerum naturâ aliquid Augusto augustius. Errant certè Magdeburgici, qui anarchiam in omni Rep. cupientes, dicunt *Certos gradus seu majoritates in Ecclesiâ non reperiri* primo sæculo. Sed dicamus rem constantissimæ veritatis, & Calvinistarum solùm auribus ingratam: nec sacra, nec profana, rectè administrari, nisi præsint hi; subsint illi: nisi gradus serventur, & munerum distinctio. Ita Angeli in cœlis vivunt: ita Legem natura dictavit, & Moyses suam: ita Christus statuit, & omnia post Christum sæcula servaverunt: ne Respublica sine rectore, ne Ecclesia sine Pontifice Summo, ne corpus esset sine Capite: & Flamines hunc ordinem servaverunt. Moderna primùm factio anarchica est, popularis est: & antiquato Flamine & Archiflamine, Episcopo & Archiepiscopo, novam Ecclesiæ faciem molitur. Nos redeamus ad antiquam, quam Lucius & Britanoi ornare incipiunt: & dicamus quod res est: Britannia infidelis plures habuit sacrificulos, qui sacris per universam Insulam præerant: & eos inter majores aliquos officio & dignitate. Hos omnes Lucius exauctoratos in ordinem redegit, & Christiano Sacerdotio locum fecit.

Cent. 2. l. 2. fol. 107.

Gradus in Ecclesia asseruntur.

ANNUS URBIS CONDITÆ 936.

ANNUS CHRISTI 185.

ELEUTHERII PAPÆ 7.

LUCII REGIS 62.

COMMODI IMP. 4.

I

ANNO Christi centesimo octogesimo quinto, Commodo quartùm, & Aufidio Victorino Consulibus, progressus in Britannorum Ecclesia fuit hujusmodi, qualem refert Matthæus, cognomento Florilegus: *Beati Doctores* (inquit, & Fugatium ac Damianum intelligit) *cùm per totam Britanniam paganismum delevissent: templaque in honorem plurimorum Deorum fundata fuerant; uni Deo, ejusdémque Sanctis dedicaverunt, diversisq; ordinatorum tatibus repleverunt.* Duo insinuantur à Doctoribus cum pietate facta: Flaminum ædes, & idolorum templa, sacris ritibus expiata, ad Dei & Sanctorum cultum translata, atque dedicata: & demum ea, eorumque bona sacris Ministris, Sacerdotibus & Episcopis attributa. Circa quod quærenda sunt aliqua ad historiam, Fidem, & Annales spectantia. Primum de Episcopis, eorumque sedibus, quot illæ & quibus in locis constitutæ. Secundo loco quæram de sacrarum ædium inauguratione, quam adversarii nostri nolunt tam antiquam esse.

Westm. hic.

Templa Sanctis dedicantur, et quomodo.

Quod ad primum attinet, ita Westmonasteriensis Matthæus, ad hunc annum: *Constituerunt* (inquit, de Fugatio & Damiano) *in diversis civitatibus regni viginti octo Episcopos, qui tribus Archiepiscopis, & sedibus Metropolitanis submittebantur. Prima sedes Londini erat, cui submissa Loegria & Cornubia: quas provincias Sabrina & Cambria sejungit. Secunda apud Eboracum; cui submissa est Deira & Albania, quas magnum flumen Humbri à Loegriâ secernit. Tertia in urbe Legionum: cui subjacet Cambria, id est, Wallia: quam Sabrina a Loegria secernit. Hanc urbem super Oscam fluvium in Glamorgantia olim fuisse sitam, veteres muri, & ædificia protestantur.* Hæc ille, è Galfrido Monumetensi, quem plures alii apud Usserum sequuti sunt: & Poeta qui Gildæ nomen præsumpsit, id versu expressit in hunc modum:

II. *Westmon. hic.* De Episcoporum Sedibus.

Assignant Urbes viginti octóque sacratis
Præsulibus totidem: sed submittunt tribus illos
Archipræsulibus: pars subjacet Eboracensi
Cum sibi submissu populis, pars Londoniensi
Pars Legionensi.

Apud Usser. fol. 57.

Licèt hæc Scriptores nostri passim, & externi etiam, Martinus Polonus, Joannes Baptista Platina, Philippus Bergomensis, Nauclerus & alii confirment: inde tamen dubia emergunt, quæ meritò Lectorem morari possunt. Unde Usserus hoc omne *Commentum*, & Godwinus, *Somnium* vocant. Et revera de tanta sedium, Episcoporum & Archiepiscoporum multitudine, in hac Britannicæ Ecclesiæ infantiâ, meritò dubitari potest, præsertim si hoc anno, imo hoc sæculo, impletas Episcopis sedes dixeris: quod Authores aliqui velle videntur: Sed facilis, vel carpendi Authores, vel à vero exertandi ansa præsumitur; si vel inverecundè verba, vocésve vexes, vel nimiùm premas: tunc enim commenta, & somnia pro libito finguntur: & in illa pugnare, quid aliud, quàm verbosiùs aërem ferire? Quod factum à Godwino, *somnium & commentum* conjungens ita loquitur: *Cæterùm in tota de Lucii rebus narratione, nihil est absurdius, quàm somnium illud de Archiepiscoporum & Episcoporum sedibus, ad Archiflaminum & Flaminum (si Diis placet) ethnicorum numerum aptandis. Commentum pace dixerim doctissimorum virorum, qui hoc aut tradiderunt, aut crediderunt, plane putidissimum, & plusquam puerile.* Ita gravis Author, suo magis sensui, quàm Authorum menti irascitur: & familiare est factioni huic, quæ novam hierarchiam condidit, antiquam vexare; & quæ obscuro, dubiové sensu proferuntur, in deteriorem partem trahere, quo nova hierarchia firmiùs, ut putant, subsistat: sed falluntur. nam insana illa novi Sacerdotii substructio, vix unius sæculi fuit: & quâ manu oritur eâdem occidit: sedésque, Parlamentaria authoritate impletæ, eadem nunc authoritate vacant, & desertæ sunt.

III. Supradicta in dubium vocantur. *Usser. fol. 57.*

A quibusdam exploduntur. *Godwin. in convers. r. 3. fol. 29.*

Sanctiùs à majoribus factum, qui Episcoporum sedes, super petram fixerunt, in multa sæcula permansuras: quæ non uno impetu, ut aliqui putant, sed per intervalla, fundatæ, erectæ, & impletæ fuerunt. non ergo putandum hoc anno viginti octo Episcopos, & tres Archiepiscopos, nominatos, institutos, consecratos esse. nam revera non multum à commento, & somnio abesse videtur.

IV. Exponitur quo sensu erectæ Sedes dicantur.

videtur. nam plures fortè fuissent consecrati Episcopi, quàm nudi Sacerdotes. duriusculè fateor loquutus est Martinus Polonus, cùm ait: *Prædicti Sancti, Fugatius & Damianus de mandato Apostolici, ubi erant Flamines instituerunt Episcopos; ubi Archiflamines, Archiepiscopos.* paullò mitiùs suprà Matthæus: *Constituerunt in diversis civitatibus regni viginti octo Episcopos.* Galfridus adhuc simpliciùs: *Ubi erant Flamines, Episcopos; ubi Archiflamines, Archiepiscopos posuerunt.* Quæ omnia hunc sensum habere possunt, & debent. Fundandæ Britannorum Ecclesiæ, Fugatius & Damianus, Apostolicæ Sedis vice & imperio, necessaria præparârunt; & quoniam spirituale ædificium, in magnum perfectionis culmen surrecturum erat; voluerunt altum esse fundamentum: non præcipite manu, & indigestè, sed providè prudenterque ponendum. Ut ergo pictoribus solenne est, rudi primùm penicillo delineare, quæ postea seria & castigata manu poliunt: Ita viri Apostolici, quorum intererat sanctiorem Remp. ad cælestis hierarchiæ normam componere, & Christiano gregi pastores præficere è præscripto Romanorum Pontificum: debuerunt Urbes, oppida, locáque illustriora nosse, & universæ Insulæ statum priùs contemplari, quàm Antistites iis locis decorè præficerentur: aut præficiendi dicerentur.

Apud Vsser. fol. 58.

Galfrid. l. 2. c. 3.

V. Quod igitur Anacletus Romanus Pontifex inchoasse dicitur, anno centesimo duodecimo, cùm Britanniam in provincias distinxit, Fugatius & Damianus perfecerunt: & conversâ jam omni penè Insulâ, Episcoporum Sedes, non tam per provincias, quàm per Urbes & oppida distinxerunt; probè docti, in tot numerosis urbibus, totidem Episcopos, è Canonum mente, sedere posse, cùm ibidem priùs impiorum sacrorum Ministri, stationem habuissent. Cæterùm in Britanniæ descriptione, octo & viginti oppida numerata sunt; ubi solennia sacra, & Major Clerus esse cum honore possint. Et quemadmodum in minoribus, minùsque celebribus locis, Clericos, qui populum docerent, & baptizarent, instituunt: ita locis celebrioribus majores designarunt, & unum aliquem, qui toti provinciæ præesset, & in rebus gravioribus, Ecclesiam, aut sacra spectantibus, legem ferret. Quod ad Fidei puritatem, ad Fidelium incrementum, ad parem Ecclesiarum, denique ad evitanda schismata, erat apprimè necessarium. Quod vel inde patet, quia hierarchiam hujusmodi, nec videre in primitivâ Ecclesiâ, nec eam nunc ferre factiosi possunt. Unde nuperæ factionis primipili Magdeburgenses, ingeniosè de Locii hoc sæculo, ita mentiuntur. *Si quis probatos Authores hujus sæculi perspiciat, videbit formam gubernationis* (de Ecclesiis loquuntur) *δημοκρατίας, similem fuisse. Singulæ enim Ecclesiæ, parem habebant potestatem; verbum Dei purè docendi, Sacramenta administrandi, absolvendi, & excommunicandi hæreticos, & sceleratos; cæremonias ab Apostolis traditas exercendi, aut etiam pro ratione ædificationis novas condendi.* Ita factiosi, non unum Regem sacrorum, sed infinitos, quò licentiùs in cudendis fidei dogmatis lasciviant, habere vellent. Quis enim non videt, hanc Ecclesiarum, quam describunt œconomiam, hæreseon, schismatum, & omnis factionis apertum esse conspicuúmque seminarium, & cum illâ stare non posse unitatem Fidei. Certè qui Orbem hodie contemplatur, ubi hæc anarchia regnat, & confusio democratica, putabit Majores nostros, & eos inter Fugatium atque Damianum, meliùs sapuisse: quòd credendi faciendique regulam & symbolum aliud condiderint, Ecclesiasticos gradus, munia, officia, distinguendo: & corpus Christi mysticum, sed visibile, non sine visibili quoque capite formando.

Vid. an. 112. n. 1. 2.

FUGATIUS ET DAMIANUS PERFICIUNT, QUOD ANACLETUS INCEPERAT.

Cent. 2. fol. 134. fin.

VI. Illi sanè Ecclesiæ, fideique monstra parturiunt; qui tantum Ecclesiarum numerum, tot fidelium populorum greges, sine ordine, cumulantes; Christi vestem inconsutilem fœdè lacerarunt. Anglia, Scotia, Belgium, Germania, Gallia, & quotquot ibi heterodoxi sunt, anarchiam hanc suaviantur. Suntne in unâ Fide concordes? nonne opinionum magis, quàm locorum differentia dissident? Ita est: nec aliter fieri potest, quamdiu errantes animi impetus, sine rectore, sine fræno vagari impunè permittuntur. Eleganter Cyprianus schismatum fontem aperuit, libro de unitate Ecclesiæ: quem si omnes sequerentur, non essent tot in Orbe terrarum Fidei scissuræ. Dicat ergo ille, unde in Ecclesiâ schismata oriantur: *Hoc eo fit*, inquit, *dum ad veritatis originem non reditur: nec Caput quæritur, nec Magistri cælestis doctrina servatur. Quæ si quis consideret, & examinet; tractatu longo & argumento opus non est. Probatio est ad Fidem facilis, compendio veritatis. Loquitur Dominus ad Petrum: Ego dico tibi*, inquit, *quia tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. Primatus Petro datur. ut una Christi Ecclesia, & Cathedra una monstretur.* Sed fortè dicent: Cyprianus non hujus, sed sequentis est sæculi: & cedo probatum Authorem, hoc secundo sæculo, qui parem Ecclesiarum potestatem vel neget, vel improbet. Opinor Clemens Romanus Pontifex, Irenæus, Tertullianus, probati Authores sunt & paritatem non admittunt. Irenæus suprà in Romanâ Ecclesiâ *potentiorem principalitatem* agnoscit. & Tertullianus, inde authoritatem Africanis Ecclesiis derivat: quod Nicæna postmodum Synodus confirmabit. Porrò Clemens Petri in Romanâ Sede successor, sine dubio è mente Apostolorum, Ecclesiastica munia, gradus, eminentias aptè distinguit, ita scribens in Epistolâ primâ: *Similis est omnis status Ecclesiæ, magnæ navi, quæ per undosum pelagus, diversis è locis, & regionibus, viros portat ad unam potentis regni urbem properare cupientes. Sit ergo navis hujus Dominus, ipse omnipotens Deus, gubernator vero sit Christus. Tum deinde proretæ officium Episcopus impleat; Presbyteri nautarum, Diaconi dispensatorum locum teneant. Hi qui catechizant, nautologis conferantur; Epibatis autem totius fraternitatis multitudo.* En officiorum, munium, graduum in Ecclesiâ distinctio.

EX ANARCHIA IN ECCLESIA, HÆRESES NASCUNTUR.

Cyprian. de Unit. Eccles. in princ.

V. an. 146. n. 2.

Clemens Epist. 1.

NAVIS ORTHODOXÆ ECCLESIÆ.

VII. Non ita navigant moderni sectarii: navim aliam construxerunt ubi omnes, etiam proletarii homines, æquo jure ad Ecclesiæ clavum sedere volunt. omnes proretæ sunt: omnes promiscuè, & ut lubet, vela contrahunt & expandunt: Scripturas pro libidine interpretantur. Nihil ergo mirum, si ubique fluctuant, si omni vento rapiuntur in syrtes & brevia: quia sine Capite feruntur, feruntur sine pondere & saburra Fidei. Urgeo hoc pluribus, quia videt ætas hæc nostra, nescio quod genus hominum, qui in omnem antiquitatem obstinati, sacrorum Antistites aversantur & novum Presbyteratus ordinem fabricantes, inauditam hactenus hæresim introducunt. Quo, sine alio argumento, novitatem monstrosi partus produnt: & errores hactenus in

A MODERNA BABELE DIFFERENS.

NOVUM PRESBYTERIUM EXPLODITUR.

Ecclesia exortos paradoxi enormitate superant. Multi quidem omni ferè sæculo, in Caput, hoc est in Romanam Ecclesiam, cujus censuram verebantur, pugnavere: sed ante moderna hæc tempora, & erectam Calvini cathedram: nemo in omnium Ecclesiarum capita, quo sua dogmata tueretur, surrexit. Hinc sectarum origo, opinionum Oceanus, hæreses infinitæ. Quibus non alia meliùs ratione obviam itur; quàm rectâ membrorum, ordinataque compositione: quàm munerum, officiorumque differentiâ: quàm præcipiendi, parendique conditione. sic membra foventur, conservantur; & corporis integritas & sanitas persevêrat. sic Fides, Christiani hominis anima, nullis erroribus obnoxia, secureque navigans in salutis portum, pura & intemerata custoditur. Prudenter Beda, cum Lucii ad Eleutherium legationem dixisset, & preces, ut *Christianus efficeretur*: subinfert. *Mox, effectum piæ postulationis consecutus est: susceptamq́, Fidem, Britanni usque ad tempora Diocletiani Principis, inviolatam integramq́, quietâ pace servabant.* Nimirum submiserat Eleutherius, Legatos suos, cum summo in omnem Insulam imperio: miserat Eluanum Episcopum, qui sacris præesset: misit denique Meduinum, qui Fidem doceret. Hinc unitas Fidei; hinc quieta pax, & diuturna animorum consensio. Diocletianus ea primus turbavit, quia hierarchiam subvertit. Germanus & Lupus Apostolicâ authoritate, illam restituunt; donec infidelis Saxo, sacra, profanaque omnia miscuit: & tum demum Gregorius antiquam hierarchiam constantiùs induxit, mansitque in Britanniâ per annos mille. Quid inde factum; & ut adulteratâ primùm, mox eversâ omni Ecclesiasticâ œconomiâ; hæreses, sectæ, schismata, monstra successerint: flendum potiùs, quàm dicendum est.

Bed. l. 1. c. 4.

Fidei unitas et integritas.

Nuper tantum vitiata.

VIII. Episcoporum Sedes designantur, solum.

Ad Romanos redeo, Britannorum Ecclesiam componentes; qui docente Lucio Insulæ descriptionem; statuunt quibus in locis erigi figique Episcoporum sedes debeant. Et quia oppida, Urbesque insigniores erant, octo & viginti: totidem ibi Ecclesiæ Prælatos sedere posse constituunt. Nec aliud hoc anno factum: & qui putant, sedes omnes Episcopis impletas, primum solis ortum, meridiem imperitè vocant. Corrige ergo abbreviationem Chronicorum, quæ Londini in magna tabula Paulinæ Ecclesiæ habetur: ubi dicitur: *Doctores ergo Faganus & Divianus, de consensu Regis; ubi erant Archiflamines, Archiepiscopos: & ubi Flamines, Episcopos, ordinaverunt & consecraverunt.* Unde enim, & quo miraculo, tot Episcopi, in infante Ecclesia, quæ adolesceos & adulta tot nunquam vidit? Melius ergo Abingdonensis liber apud Usserium: *Misit vir venerabilis Eleutherius Papa, ad Lucium Regem illustrem, nuntios suos, Faganum videlicet, & Divianum, viros religiosos; nec non in Fide Catholica sufficienter instructos. Hi viri, cum celebri devotione Regem ipsum, & populum suum, unanimi assensu, & pari concordiâ baptizaverunt; destruentes idola, & Ecclesias fideliter construentes. Quid multa? hi duo viri sincerè in omnibus, & per omnia Deo devoti, Christianitatis executores effecti, constituere decreverunt per loca singula, singulos Ministros Dei omnipotentis; & ubi Archiflamines secundùm legem gentilium invenerunt; loco eorum Archipræsules: similiter ubi Flamines, subrogaverunt Episcopos. fuerunt autem tunc temporis Archipræsules tres tribus in locis famosissimis, videlicet Londinis, Eboraci, & apud Urbem Legionum.* Hoc Romanorum legatorum, consilium, propositum decretum; non aliud fuit. Et quod novissimè de tribus Archipræsulibus *tunc temporis* existentibus, Archiflamines indubiè fuerunt. & satis probabile redditur, Lucii imperium regnumque, non omnem Insulam complexum esse.

Apud Usser. fol. 88.

Ubi suprà.

IX. De facto Eleutherii definientis Britanniæ terminos.

Apud Lambardum fol. 130.

Quamvis enim Eleutherius Papa, visa Lucii pietate, benedictam coronam ei porrexerit, & regni Britannici terminos descripsisse ac definivisse dicatur (ut in Archæonomia Lambardi legitur) id crudè accipi non debet, de utraque; sed de sanctiore tantum Rep. sic enim inter leges Edoardi Confessoris habetur. *Universa terra & tota, & Insulæ omnes usque Norvvegiam, & usque Daciam pertinent ad coronam regni ejus (Lucii) & sunt de appendiciis & dignitate Regis: & una est monarchia, & unum regnum. & vocabatur quondam regnum Britannia: modo autem vocatur regnum Anglorum. Tales enim metas & fines, ut prædicta sunt, constituit & imposuit coronæ regni hujus Dominus Eleutherius Papa sententiâ suâ, anno scilicet sexage-* 167.
simo septimo post Passionem Christi: qui primo destinavit coronam benedictam Britanniæ, & Christianitatem Deo inspirante, Lucio Regi Britonum. Hic auxesis est: sed ad summum, intellige Eleutherium cupivisse Christianam Fidem longè lateque propagari: & quia Britannia, Rege præeunte, ad Christi castra ferè omnis transierat: dilatandi Evangelii terminos Britannis imposuit; & ad Norwegiam & Daniam usque voluit eorum industriam desudare. nec enim alibi terrarum, tanta authoritate publicatum Christi Evangelium. Unde Reginaldi Poli Cardinalis, in publicis regni Comitiis, vox illa fuit: *Britannos primum; etsi exterorum, & Romanorum Cæsarum imperio subessent; tamen receptam publicè Christi fidem per totam Insulam promulgasse. non ut cæteræ gentes; quæ sensim, & diuturni temporis interpositâ morâ, fidem hauserunt: neque ut in horologiis usu venire solet: quæ temporibus paulatim succedentibus, horarum suarum accipiunt incrementa: sed uno eodemq́, penè momento, omnes simul Christianam religionem amplexos esse:* Illustrissimam ergo Britanniæ conversionem, sequi debuit vicinarum provinciarum, per Britannos ad Christi castra traductio. Hæc Eleutherii, cui solicitudo omnium Ecclesiarum, mens: hoc definiendi Britanniæ terminos consilium. Id probè à posteris intellectum, nam Britanniæ Reges, ad Norwegiæ conversiooem manum operamque admovisse, dicam sequenti tomo ad annum 531. n. 8. & iterum provinciam illam ab Anglis doctam anno Christi 1004. tomo 3. indicabo. notum denique est Nicolaum Hastifragum natiooe Anglum qui in Summum Pontificem assumptus, dictus est postmodum Hadrianus quartus, Norwegis Christi Fidem prædicasse. nunc ad Romanos Ecclesiam componentes redeamus.

Apud Usser. fol. 41.

X.

Et statim suboritur quæstio: quibus in Urbibus; si non erectæ, designatæ tamen sint Episcoporum sedes. Quot Urbes illæ, & quo demum nomine vocentur? Si Urbes solum numeraveris octo & viginti, ubi sedeant Episcopi: tres majores erunt Archiepiscopis assignandæ. Sic Urbes in Britannia plures numerabis quàm ab antiquis passim nominentur. Gildas, cognomento sapiens, Insulam describens, dicit illam, *Munitam bis denis, bisq́, quaternis civitatibus.* Quod Beda sic transtulit: *Erat Britannia, viginti & octo civitatibus quondam nobilissimis insignita, præter*

Beda l. 1. c. 1.

castella innumera, quæ & ipsa muris, turribus, portis ac seris erant instructa firmissimis. Hinc opinor fluxit vulgaris illa de totidem sedium erectione, sententia: quæ inde etiam limitanda & moderanda est; ut non viginti octo Episcopi, præter Archiepiscopos tres (ut Authores dicere videntur) sed tantùm quinque & vigioti designati, decretique sint. Tot enim Flamines nominat Platina, ita scribens: *Erant tum in Britannia Pontifices quinque & viginti, quos Flamines vocabant; inter hos autem, tres Archiflamines habebantur: quorum in loco Archiepiscopi tres constituti sunt, ut Ptolomæus ait: Protoflaminum verò loco primitivæ Ecclesiæ Patriarchas instituit.* Verùm si inter Flamines, Archiflamines numerentur; numerandi sunt Flamines octo & viginti. tot enim illustriores Urbes in Britannia recensentur. Unde omnium optimè, ante annos quadringentos, Martinus Polonus ita scripsit, in Eleutherio Papa: *Erant tunc in Britannia viginti octo Pontifices, idolorum, quos Flamines vocabant. Inter quos tres Archiflamines erant: Sed prædicti sancti de mandato Apostolico, ubi erant Flamines, instituerunt Episcopos; ubi Archiflamines, Archiepiscopos.*

Platina in Eleutherio.

Mart. Polon. ad an. 180.

XI. Urbium nomina ubi designatæ Episcoporum Sedes.

Hic curiosus Britannicarum rerum indagator, quæret; ubinam gentium tot sederint Episcopi: aut, quod potius dicendum, quænam Urbes illæ, ad Episcoporum sedes designatæ, dignæque habitæ eo sacro Magistratu? Sed quæstio difficulter solvitur: quia tanta regnorum, linguarum, præliorum vicissitudo, urbium nomina vel confundendo mutavit, vel obliteravit omninò. Volo tamen, in Lectoris gratiam, ex antiquioribus monumentis eruere, quod hoc anno, Fugatio & Damiano propositum, super locis, Episcoporum sedibus, Lucii & Britannorum judicio, opportunius. Collegit olim Urbium nomina Nennius Banchorensis: & post eum Huntindoniensis Archidiaconus; & nuper Jacobus Usserius, *ex duobus antiquissimis exemplaribus Cottonianis descriptum Catalogum, & cum novem aliis Manuscriptis collatum, cum Britannicorum nominum interpretationibus,* edidit in Primordiis, & ordine digessit hunc in modum. *Hæc sunt nomina omnium civitatum quæ sunt in tota Britannia quarum numerus est viginti octo.* I. *Cair GVINTGVIC: quæ Norvvicum fortasse fuerit (Britannis Cair Guntius appellatum) vel potius VVinvvick Lancastrensium. Veteri Nennii glossatori VVintonia est.* Ita de prima Urbe Usserius. paulo aliter Huntindonius. nam de Wintonia scribit in hunc modum: *Kaïr Guent, id est VVinceastria.* & nescio an Guintguic intelligat. pergit Usserius. II. *Cair MINCIP: vel Municip: apud Henricum Huntingdoniensem perperam mercipit scriptum: est Verolamium (juxta oppidum S. Albani) quod Romanorum temporibus Municipium fuisse ex Tacito constat.* III. *Cair LIQVALID, alias Legevit, & Lualid: id est Luguballia: quæ Huntingdoniensi Cair Leil: vulgo Carlile, dicitur.* IV. *Cair MEGVAID alias Meiguod, vulgò Mervod, in Mongomoriensi Comitatu posita: & Ptolomæo & Antonino Mediolanum olim dicta.* V. *Cair COLVN, vel Colon, quæ Galfrido, & Huntindonio Colcestria est, ad Colu fluvium sita, & Antonino in Itinerario Colonia appellata.* VI. *Cair EBRAVC, aliis Caïr Branc Eboracum est.* VII. *Cair CVSTEINT, id est, Vrbs Constantii, vel Constantini, Cair Seiont, est propè Caërnarvon.*

Usser. fol. 59.

I. Norwicum, vel Winwick.
II. Verolamium.
III. Carleolum.
IV. Meivonum.
V. Colcestria.
VI. Eboracum.
VII. Seguntium.
XII.

De septima hac Urbe, quæ vel à Constantio, vel Constantino nomen traxit, & Nennio Custenith dicitur, à sepulto ibi Romanorum aliquo, nomen videtur traxisse. Quis ille fuerit meritò dubitatur. Nennius enim ad Constantium, Constantini filium retulit. & ait: *Sepulchrum ejus monstrari juxta Urbem, quæ vocatur Cair Segeint. Vt literæ,* inquit, *quæ sunt in lapide tumuli ejus ostendunt.* Sed verosimilius, sepulchrum illud, Constantii majoris, patris, non filii Constantini Magni: qui revera in Britannia mortuus: & alter certò certius in Cilicia. Unde Matthæus Westmonasteriensis, ad annom Christi millesimum ducentesimum octogesimum tertium hæc habet. *Apud Caërnarvon, propè Suendunam, corpus maximi Principis, patris Imperatoris nobilis Constantini erat inventum: & Rege jubente in Ecclesia honorificè collocatum.* nimirum jubente Edoardo Rege, à Normannorum ingressu ejus nominis primo. Igitur à sepulto ibi Principe locus nomen sumpsit, qui priùs Cair Seiont dicebatur: ab Antonino Seguntium: nimirum à præterfluente fluvio, qui Seiont appellatur. estque in Ordovicibus, & Comitatu Caernarvon.

De Sepulchro Constantii.

VVestmo. ad an. 1283.

Octava Urbs, in Usserii computo, *Caïr CARATAVC,* vel *Caïr CARADOC,* in Salopiæ finibus, inter Themidem (sive Temdum) & Colunum fluvios sita est: licet Galfridus Monumetensis, & Huntingdonius, Salisburiam interpretentur: sed egregiè falluntur. nam Caractacus Lucii avus, loco nomen dedit. Ibi aggerem contra Romanorum impetum struxit, ibique ab Ostorio fusus est, ut suprà ad annum Christi quinquagesimum tertium notavi. Ibi igitur Urbs. postmodum erecta, Caractaci nomen perennavit. IX. Urbs, *Cair GRANT,* id est Granteceastria: quæ modo dicitur Grantebrigia, inquit Huntindonius. nomine ducto à Granta fluvio, quem idem Author alibi fluvium Cantabrigiæ vocat Alii Grontam appellant: ita Guilielmus de Ramsey, Abbas Croilandensis in vita S. Gutlaci, quam carmine composuit:

XIII. VIII. Cair Caradoc a Caractaco Rege.

V. an. 52. n. 9.

IX. Cantabrigia.

Huntindon. l. 1. Idem l. 5.

Est apud Angligenas à Gronta flumine, longo
Orbe per anfractus stagnesos & fluviales
Circumfusa palus.

Apud Vsser. fol. 61.

Et ante eum Felix Monachus Croilandensis qui ejusdem Sancti Gutlaci vitam descripsit, jussu Ælfwaldi Orientalium Anglorum Regis. *Est in meditullaneis Britanniæ partibus immensæ magnitudinis teterrima palus, quæ à Gronta fluminis ripis incipiens, haud procul à Castello, quod dicunt nomine Gronta. Vbi, Saxonicus interpres flumen Grante-ea castellum Grante-ceaster reddidit.* Sed adverto Saxonicum Ceaster, Urbem communiùs significare. Unde locus ille, Bedæ tempore, civitatula desolata dicitur, ut ipse lib. quarto historiæ, c. 19. affirmat. Ex hujus desolatæ civitatis ruinis nata est Cantabrigia, de qua sæpè infrà.

Ibidem suprà.

X. Urbs, *Cair MAVNGVID,* vel *MANCHGVID.* putatur Antonini Mancunium: id est Manchester, in agro Lancastrensi; vel si mavis, Manduessedum, vulgò Mancester, in Warwicensi provinciâ: ut malunt Usserius & Camdenus, qui ait: in Nennii Catalogo Caer Manchgued dicitur. XI. *Cair LVNDEIN,* vel ut alii Cair Lud: Londinum est & sufficit nominasse. XII. *Cair GVORTHIGIRN.* locus est apud Silures, in Radnoria, ubi Vortigernus, ob commissa scelera latuit: sed Deum latere non potuit. *nam nummis telo volante,* inquit Camdenus, *vindice igne cælitus demisso, cum Vrbe sua Caer Guortigerne, quam in subsidium sibi construxerat, deflagravit,* ut dicam anno 464. Verùm si locus ille à Vortigerno structus, Lucii sæculo

XIV. X. Manchester.
XI. Londinum.

Camden in VVarvvicon.

XII. Cair Guortigerne.

Camden. in Radnoria.

non eſt natus. quod fortè de locis aliis interdum dicendum erit.
XIII. Cantuaria.
XIII. Urbs, *Cair CEINT*, alias, & in eundem ſonum, Kent: nunc Cantuaria eſt, ſed multo prius Dorobernia dicta in agro Cantiano.
XIV. Wigornia.
XIV. *Cair GVIRAGON*, alias *Guorangon*. id eſt Wigornia: Britannis Cair Wrangon, Anglis Worceſter appellatur. Quam à Conſtantio Rege fundatam affirmat Roſſus Warwicenſis: Camdenus probabiliter aſſerit, tunc à Romanis conditam, *cum ad tranſabrinos Britannos cohibendos, ſecundum Orientalem ripam, urbes per intervalla diſponerent.* & addit. *Olim Romanorum (ut habet antiqua membranula) ſuperba mœnibus: nunc etiam muro ſatu firmo munita* Antoninus ejus meminit ſub nomine Branonii: quod non longè abeſt, à *Cair Wrangon*. præſertim ſi Ptolomæus accedat, qui Branogenium appellat: nam inde Saxones Wigeorna-ceſter: & demum latini Wigorniam nuncuparunt. Quo nomine uſus primum eſt Joſephus Exonienſis (qui Cornelii nepotis nomine circumfertur) in his ad Hubertum Cantuarienſem Archiepiſcopum verſibus: qui ſedem illam aſcendit an. 1193.

Apud Camden. in Wigornia.

In numerum jam creſcit honor, & tertia poſſit
Inſula, jam meminit Vigornia, Cantia diſcit:
Romanus meditatur apex, & naufragia Petri
Ductorem in mediis expectat cymba procellis.

XV. XV. Portceſter.
Quinta decima Urbs *Cair PERIS*, nunc *Portceſtre*. non à Porta Saxone, qui poſteriùs in Britanniam deſcendit: ſed à portu potiùs: & navium ibi ſtatione: unde Ptolomæo μέγας λιμὴν eſt, & magnus portus: ad quem olim appulit Veſpaſianus, cum militiæ rudimentum poſuit, ut dixi ad annum Chriſti quadrageſimum quartum. nunc Oceano recedente, portûs commoditatem locus ille tranſtulit alio; primùm in Inſulam Porteſea: & demum ad fluminis oſtium, quod Portiſmutha dicitur. Quam Urbem Elizabetha nuper, *magnis ſumptibus novis operibus ita quaſi armavit: ut jam nihil deſit quod in munitiſſimo oppido requiras.* inquit Camdenus.

V an. 44. n. 1.

Camden. in Hamſchi.

XVI. Doncaſter.
XVI. *Cair DAVN*. Antonino Danus: vulgus Dancaſter appellat. Eſt in Brigantibus, & Eboracenſi agro. Danus fluvius, & olim, & hodie nomen oppido fecit. Ubi, ut notitiarum liber prodidit, Præfectus equitum Criſpinianorum, ſub Duce Britanniarum, ſtationem aliquando habuit.
XVII. Ceſtria.
XVII. *Cair LEGION*. Urbs clara in Cornaviis, & Ceſtrenſi agro: quam à flumine, locum alluente, Antoninus Devam vocavit: nobis hodie Cheſter eſt; vel à ſitu, ad Occidentem, Weſtcheſter. nominis origo à viceſima Legione petitur, quam Julius Agricola, ſub annum Domini octogeſimum primum eò tranſtulit. Unde Saxones locum, Legeaceſter appellarunt: Romanorum inde habitatione celebrem. nam ita de Urbe illa Ranulphus ejus loci Monachus, in Polychronico: *Via ſunt hic*, inquit, *ſubterranea, lapideo opere mirabiliter teſtudineata: triclinia concamerata, inſculpti lapides prægrandes, antiquorum nomina præferentes: hic & numiſmata Iulii Cæſaris, aliorumq; illuſtrium inſcriptione inſignita, quandoq; ſunt effoſſa.*

V an. 81. n. 3.

Apud Camd. in Cheſter.

XVI. XVIII. Warwicum.
Decima octava, *Cair GVRICON*, vel *Guoricon*, apud Uſſerium; qui vel *Warwicum*, vel Ptolomæi Viroconium fuiſſe opinatur. Verùm quod ad Viroconium, ſive potius Antonini Uriconium, attinet, de illo dicam paulò inferiùs. nunc puto Cair Guoricon, vel potiùs (ut apud Camdenum) Cair Guaruinc, Warwicum eſſe: voce Guarth à Britannis ſumpta, quæ Præſidium notat. & fortè locum illum, qui Præſidium Romanorum in Britannia dicebatur: *Ibi, ut eſt in notitia provinciarum, Præfectus equitum Dalmatarum ſub diſpoſitione Ducis Britanniarum egit*; inquit Camdenus. Certè Epiſcopalem ibi ſedem Britannorum tempore fuiſſe affirmat Roſſus Warwicenſis: *Sanctus Dubricius*, inquit, *ſedem Epiſcopalem habuit; ubi nunc caſtrum Warwici ſitum eſt: Eccleſiamq; in honorem B. MARIÆ condidit, quæ uſque dies noſtros apparuit.* Alibi tamen id non invenio: & quicquid ſit; Dubricius vel Landaviæ, vel in Urbe Legionum ad Iſcam, conſtantiùs ſedem fixit.

Camden. in Warwico.

Apud Uſſer. fol. 978.

XIX. Silceſtria.
Sequitur Urbs XIX. *Cair SEGFINT*, id eſt Segontiacorum civitas: illorum, inquam, qui ſe olim Cæſari dediderunt ſedeſque habebant in agro, qui nunc Hamtonienſis dicitur. nunc urbs illa, Silceſter appellatur, quæ olim etiam Vindonum civitas. Ibi Conſtantium juniorem ſepultum eſſe fabulantur alii ob ſepulchrum ejus quod ibi viſitur. *Sed tumulum honorarium illi excitatum fuiſſe, non denegaverim*, inquit Camdenus: *& ſubdit. cum multis hujuſmodi tumuli poſiti fuerint: circa quos milites quotannis ſolenni ritu, in diſſuncti honorem decurrere ſolebant.* Quicquid ſit, Conſtantinum ibi Imperiali purpura indutum, dicam ad annum Chriſti quadringenteſimum ſeptimum.

Camden in Hamſhire.

XVII. XX. Legio ad Iſcam.
Vigeſima *Cair LEON ar Vſk*. Urbs Legionis ad Iſcam, notiſſima apud Silures, in agro Monumetenſi. Locus ita dictus à Legione ſecunda Auguſta, quæ etiam Britannica ſecunda nominatur. Hæc Legio ab Auguſto inſtituta, à Claudio è Germania in Britanniam, ſub Veſpaſiani auſpiciis tranſlata; cui imperium affectanti præſto fuit (ut dixi ad annum Chriſti ſeptuageſimum primum) hic demum in præſidio contra Silures collocata. De hac Urbe Giraldus in Itineraria Cambriæ: *Erat*, inquit, *hæc Urbs antiqua & authentica; à Romanis olim coctilibus muris egregiè conſtructa. Videas hic multa priſtinæ nobilitatis veſtigia: palatia immenſa, aureis olim tectorum faſtigiis, Romanos faſtus imitantia: eo quòd a Romanis Principibus primò conſtructa, & ædificiis egregiis illuſtrata fuiſſet.* plura refert in laudem Urbis, quæ prætereo. ſufficiat inſtituto meo: quod Archiepiſcopi ſedes fuerit hoc anno a Fugatio & Damiano dotata hujuſmodi prærogativa. Ibi tamen Epiſcopum ſediſſe, ante Dubritium non reperio. Ille autem à S. Germano, Romani Pontificis legatu conſecratus Landavenſis Epiſcopus, ſedem ſuam poſtea ad hanc Urbem, Cambriæ metropolin tranſtulit. Ibique Utherum primò, mox Arthurum, Britannici regni diademate, inſignivit.

Giraldus in Itine. Cambria.

XVIII. XXI. Wintonia.
Vigeſima prima: *Cair GVENT*. Wintonia eſt: quam Romani Ventam Belgarum appellarunt: non quod antiqui Britanni, Belgæ fuerint: ſed *quia Belgæ, in Britanniam, prædæ, ac inferendi belli cauſa tranſierant, & bello illato ibi remanſerant, agroſq; coluerant.* ut eſt apud Cæſarem. Cæterùm Belgarum Venta dicitur, ad diſcrimen aliarum Ventarum, à Romanis olim tam apud Silures, quàm Icenos ſic dictarum. Utrobique enim in Monumetenſi, inquam, & Norfolcienſi agro; Ventæ erant. & Silures etiamnum nomen ſervarunt ubi Caiergueint oppidulum, non procul à Sabrinæ æſtuario antiquitatem ſuo nomine oſtentat, & aliud nihil. Unde inter Ventas Wintonia caput effert: dignaque Epiſcopali ſede cenſetur: Ubi tamen, ante Saxonum tempora,

Cæſar apud Camden. in Belgis.

Episcopum sedisse non reperio. Porro structam ibi Ecclesiam, & regularis vitæ viros à Lucio Rege collocatos, dicam post annos duos.

XXII. BRISTOLIA.

XXII. *Cair BRITO*, Bristolia est, inter Avonam & Fomum fluviolum sita, in Somersetani & Glocestrensis agri confinio. Urbs hodie nobilis, civibusque frequens adeo, *ut inter Britanniæ primas, à Londino & Eboraco facilè vendicet*, inquit Camdenus.

XXIII. LEYCESTRIA.

XXIII. *Cair LERION*. Urbs est ad Soarum fluvium, quæ nunc Leicestria; olim Legecestria, & Leogora. aliquando Episcopi sedes, sed nunquam fixa ante annum sexcentesimum octogesimum.

XXIV. CAIR DRAITON.

XXIV. *Cair DRAITON*: quæ etiamnum nomen retinet. Sed quoniam plures per Insulam Urbes eo nomine appellantur: non est obvium distinguere, quænam in hoc numero Urbium veniat. Usserius putat in Salopiensi agro sitam. Ibi enim ad Ternam fluvium Urbs Dragton.

XIX. XXV. ILCHESTER.

Vigesima quinta: *Cair PENTAVELCOIT*. oppidum est ad Ivellum fluvium in agro Somersetensi, quod Ptolomæus Ischalim appellavit: vulgus hodie Ivelchester, & contractiùs Ilchester, nimirum à flumine. Unde etiam Britanni dixerunt. nam Pentavel, pro Pont Ivel: id est pons ad Ivel: adjectâ voculâ Coit, quæ silvam, & locum in silva fuisse significat. Usserus aliter hanc Urbem expressit. nam semel iterumque, non Pentavelcoit, sed Pensavelcoit scribit: & Pentsetam fuisse opinatur, oppidum in Regnis, & Sussexiensi agro: quod Normanni Pevensel vocaverunt: ubi nimirum Guilielmus, Normannorum Regum primus, in Angliam pro corona pugnaturus descendit: *Cui*, inquit, *& Britannici vocabuli Coit*

Usser. fol. 64.

adjectio non malè, cum silvestribus sepibus densa fuerit, in qua hæc sita est Suffexiensis Regio. Nec malè conjectat Author, si Cair Pensavelcoit, legendum est. Secùs si Pentavelcoit.

XXVI. WROXCESTER.

XXVI. *Cair URVAC*. Est Antonini Uriconium: locus in Cornaviis & Salopiensi Comitatu, quem antiqui Saxones Wreken-ceaster: nos hodie Wroxcester dicimus. *Urbs Cornaviorum præcipua* (loquitur Camdenus) *à Romanis, ut videtur condita, cum Sabrinæ ripam munirent.*

Camd. in Shropshire.

XXVII. CAMELET.

XXVII. *Cair CALEMION*: quam vocem transposita litera, Camdenus Calion putat legendum; & Camelet fuisse, in agro Somersetano: ubi castri expressa vestigia, & Romanorum numismata indies eruta, Romanorum opus fuisse demonstrant.

XXVIII. LINCOLNIA.

XXVIII. *Cair LUITCOIT*. vel potiùs Lind-coit. hanc Urbem Saxones Lindecollinum, & civitatem Lindecollinam appellarunt: nos hodie Lincolniam: Antoninus & Ptolomæus Lindum. quod ita intelligi debet, ut antiquum Britannorum Lindum, in ipso collis cacumine situm; nunc Lincolnia collis dorso insidens: non idem omnino locus censeatur. nam Saxones Lindo diruto, primùm australem collis partem occuparunt: illamque è Lindi ruinis munientes; propiùs ad fluvium descenderunt. Hactenus de Urbibus, quæ hoc tempore in Britannia censebantur.

XX. ALIA URBIUM ENUMERATIO.

Huntindonius paulo aliter eas enumerat: & missis aliquibus, earum loco substituit alias: nimirum *Cair GLOU*: id est Glocestriam. *Cair CEI*, Cicestriam. *Cair CERI*, Circestriam. *Cair DORM*: Durobrivas vocat Antoninus: nos Dornford in Icenis, & Huntindoniensi provinciâ. *Cair DAIRI*, vel Cair Dorm: ubi nunc Dorcestria. *Cair MERDIN*, nomen hodieque retinet, apud Dimetas, ubi dat nomen provinciæ, Merlini natalibus clarum oppidum. Verùm has Urbes, Lucii Regis tempore, vel eo nomine appellatas, vel etiam in rerum natura fuisse, non ausim affirmare. nam ut plures omittam. *Cair DRAITON*, Saxonicum sonat, à Saxone sine dubio nomen sortita. *Cair VORTIGERN*, si à Vortigerno Rege exordium sumpsit, ut passim Authores; Episcopi sedes esse non potuit, repugnante Lucio. Quod verosimilius est, in plerisque è nominatis Urbibus, Flamines, seu Deorum sacrificuli fuerunt. Quibus à Lucio exturbatis sanctiores viri successerunt. An mox ubique instituti Episcopi, & Clerus in singulis Ecclesiis, pro Episcopi dignitate; An verò in dictis locis propagandæ fidei invigilaverint solum aliqui inferiorum ordinum; prudentiæ regulis, rectæque rationis examine potiùs, quàm historicorum studiis metiendum. Ego puto non unius, aut paucorum annorum opus fuisse; in hac hierarchiæ infantiâ, invenire, inter tirones, tot cana capita, infulis apta. Quamobrem satisfaciet, opinor, historiis, qui dixerit: Fugatium & Damianum, Apostolicos Legatos, Britannorum Ecclesiæ formam statuisse: docuisseque quod Anacletus Papa dudum edixerat: *Ne Episcopi, in castellis, aut modicis civitatibus constituerentur. Quod idem à B. Petro & Clemente, prius cautum: videturque, à successoribus observatum: ne vilescat nomen Episcopi* (*subdit Anacletus*) *ad honorabilem Urbem titulandus, & denominandus est. Presbyter vero ad quemcumque locum, vel Ecclesiam in eo constitutam, præficiendus.* Nec aliud à Pontificiis Legatis factum.

Anaclet. Epistola.

XXI. BRITANNICÆ ECCLESIÆ FUNDAMENTUM QUALE?

Frustrà ergo laborant aliqui, in nominandis Episcopis, assignandisque sedibus, & componendâ hierarchiâ, omnibus suis numeris absolutâ. nam malo opinari primum Britannicæ Ecclesiæ fundamentum, altiùs, id est humiliùs positum: ut è parvis initiis, solideque collocatis, sublimiùs surgeret. Unde præter Eluanum, Romæ consecratum: & Theanum, qui primus scribitur Londinensis Archiepiscopus; alium ad majus Sacerdotium assumptum non invenio. Cæteri, vel discere prima elementa fidei, vel si dudum docti, altiora religionis arcana nosse priùs debent; quàm illa proponere, defendere, atque explicare: quod proprium videlicet munus Episcopi. Ideo paulò inferiùs laudabo Lucii Regis pietatem atque industriam: qui, quo æterna Doctorum hominum series esset, Scholas & Monasteria, quæ eorundem Seminaria sunt, extruxit. Inde factum, quod notat Beda, susceptam à Britannis Fidem, à Lucio Rege ad Diocletianum usque integram, inviolatamque fuisse. Quod Romanorum Legatorum industriæ, Lucii Regis pietati, & studio literarum debetur. Theanum dixi Londinensem Episcopum: Ille sub hoc tempus, Ecclesiam struxisse Londini dicitur, in colle frumentario, quem vulgus Corne-hill appellat: & à S. Petro Apostolorum Principe nomen imposuit. cæterùm Lucius ubique etiam audit illius templi conditor. Unde in tabula pensili ejus Ecclesiæ hæc leguntur: *Anno Domini centesimo septuagesimo nono. Lucius primus Christianus Rex hujus terræ fundavit primam Ecclesiam Londonia, scilicet Ecclesiam S. Petri in Cornhil: & fundavit illic Archiepiscopalem sedem, & primam Ecclesiam hujus Regni, & sic duravit spatio quadringentorum annorum usque ad adventum S. Augustini, Angliæ Apostoli*, &c. Sedi erectæ præficitur Theanus, qui primus inter Archiepiscopos Londinenses a Joceclino Furnesii Monacho

Beda l. 1. c. 4.

numeratur. *Thean*, inquit ille, *vel Theanus, qui Lucii Regis temporibus Londini Eccleſiam S. Petri in Cornhil conſtruxiſſe dicitur à Cirano Archipincerna Regio adjutus.* Ibi cum Theanus ſediſſet annos aliquot; locum Eluano ceſſit: qui paſſim ponitur ſecundus Londinenſium Archiepiſcopus. conſultius tamen foret, non prius Archiepiſcopi vocem uſurpare; quàm plures conſecrentur Epiſcopi, qui poſſint prærogativæ illi ſuffragari. Hinc fortè Malmeſburienſis ait: *Ubi fuerit Archiepiſcopatus tempore Britonum, cognitio labat.* Polyd. l.1. de Pont. Porro longè certius eſt, plures ab Eluano, ad Sacerdotii dignitatem aſſumptos, miſſosque in provincias, ut Eccleſiæ præeſſent, & Eccleſiæ Sacramenta fidelibus porrigerent. Quod ad fidei propagationem omninò erat neceſſarium. Non ita, id quod aliqui conantur adſtruere, plures ſtatim conſtitutos Epiſcopos, in hac Fidei, & Eccleſiarum aurorâ; quam habitura impoſterum erat in meridie. Nec enim omni Saxonum, & Normannorum imperio, cum florentiſſimæ per Britanniam eſſent Eccleſiæ, tot Epiſcoporum ſedes memorantur; quot paſſim hiſtorici, à Fugatio & Damiano, erectas, hoc anno numerant.

XXII. Scio quidem, in ſedium erectione, ac deſignatione, quæ hoc tempore facta dicitur; omnem Inſulam comprehendi, tam auſtralem, quàm Septentrionalem; quam poſtea Hiberni, Scotorum nomine, inſederunt. & tunc Eboracenſi Archiepiſcopo juſſæ ſunt parere provinciæ omnes, ad Septentrionem ſitæ: Quo poſito, octo & viginti ſedes, ſatis congruè Britannia continebit: & à tribus Archiepiſcopis, Anglia, Cambria, Scotia, concinnè adminiſtrabitur. Quod Scotia, Eboracenſem audire & obedire juſſa ſit, hac rerum & ſedium diviſione; patet è multis: ſed optimè, ex uſu, præſcriptaque conſuetudine. de qua Polydorus Vergilius: *Michaël Glaſenenſis*, inquit, *electus, in Scotiâ, Epiſcopus: munere conſecrationis accepto,* MORE MAIORUM, *in Thomæ Archiepiſcopi Eboracenſis, velut totius Scotiæ Primatus, verba juravit. Fecit idem poſtea Torhaldus, Divi Andreæ Epiſcopus. deditq; ei obedientiæ promiſſum. Et id quidem, ſicut in Annalibus Pontificum Eboracenſium extat, juſſu Malcolmi tertii, Scotorum Regis multo præſtantiſſimi, & ejus uxoris Margaritæ, fœminæ ſanctiſſimæ; qui ita providendum putarunt, ne contra quam Patrum decreta jubent, Epiſcopi inter ſe, pro ſuo jure, conſecrarent, cateráve peragerent, ſine authoritate Eboracenſis Archiepiſcopi: quæ* A PRINCIPIO, *ex illius voluntate fieri conſueverant.* Hoc Principium, hic mos majorum, è Fugatii & Damiani lege fluxit, quam hoc anno tulit: diuque ſacroſanctè obſervata eſt. Et licet poſterioribus ſæculis Scoti aliquando recalcitrarint: ſemper tamen coacti ſunt Eboracenſi parere. nam controverſia illa plurium Romanorum Pontificum exercuit induſtriam, ut notat idem Polydorus ita ſcribens de Concilio Northamtoniæ habito, ſub Henrico Secundo Rege, & Hugone Cardinali. *Poſtremò*, inquit, *agitatum eſt: ut Rogerio Archiepiſcopo Eboracenſi, qui id temporis eam tenebat Sedem, jus in Epiſcopos Scotos reſtitueretur. Quandoquidem Romani Pontifices, jam inde ab initio ſanxerant: ipſum Eboracenſem Præſulem, totius quoque Scotiæ, atque Orcadum, cæterarumq; Inſularum Primatem. Quam ſane datam legem, eorum locorum Epiſcopi, per multos deinde annos ſervarunt. Verum poſtea, cum illi ab officio diſceſſiſſent; ſimulq; eam injuriam Archiepiſcopi Eboracenſes continenter conquererentur: tum Romani Pontifices, Paſchalis Secundus, Caliſtus itidem Secundus, Honorius, Innocentius, Eugenius Tertius, Hadrianus Quartus, cauſam eam ſuſceperunt: crebroq; miſſis literis, illos ſub Eboracenſis provinciam rurſum redigere conati ſunt. Sed Scotis generatim reclamantibus; res demum controverſa ad Alexandrum Tertium relata: qui tamen ejus deciſionem non fecit.* Hæc Polydorus.

Scotia in ſedium erectione comprehenſa.

Polydo. l. 9.

Polyd. l. 13.

XXIII. Manſit hæc ſubjectio, de jure ſaltem, à prima ſedium in Britannia erectione: nimirum ab hoc anno centeſimo octogeſimo quinto, ad annum uſque milleſimum quadringenteſimum ſeptuageſimum primum. Quando Sixtus eo nomine Quartus, Romanus Pontifex, Epiſcopum, qui ad Sancti Andreæ ſedebat, totius Scotiæ Primatem declaravit. Eâ ferè de causâ. quòd ob crebras Anglorum & Scotorum inimicitias, impeditum iter, & Scotorum Epiſcopis, Eboracum tendentibus intutum eſſet. Et tunc primum ſoluta ſubjectio, Scotiaque Primatem, cum duodecim ſuffraganeis accepit. Scotia, utiquam, quæ nuper omnem Epiſcopo ſubjectionem negavit; itaque per defectionis gradus, ad impietatis fundum deſcendit: nam omnes Epiſcoporum ſedes, omnem ordinum diſtinctionem, omnemque ſacrorum œconomiam, eo facto evertit: & infecit, illâ factionis ſcabie, vicinam provinciam. Adeo malo genio, impetuque fertur, qui jugum excuſſit. Unde nihil mirum, ſi Eboracenſi ſubeſſe aliquando noluerunt. Mirum tamen eſt, & omnis poſteritas non deſinet mirari; quod paulò priùs provinciam ſeditiosè moverint, quod claſſicum ſonuerint, quod arma corripuerint; eâ potiſſimum de causâ: ne Fides & religio innovaretur: & ipſi interim Anarchiam, quam Scotia nunquam vidit, inducerent. Hoc enimverò eſt à Septentrione malum: cujus Scotiam, cum ſanæ mentis erit, procul omni dubio pudebit. Sed finio tractatum hunc de Sedium erectione: Scotiæ ergò ſubjectio ad Eboracenſem Sedem, cum nullæ adhuc ſedes, ſed nec Chriſtiana Fides, eſſet in illo Septentrione; argumentum eſt, Fugatium & Damianum diſtinxiſſe provincias, deſignaſſe loca Epiſcoporum ſedibus opportuna: non illas omnes impleſſe. Sic Hiſtoricorum vulgus intelligo, cum tot Epiſcopos, ſub hoc tempus conſtitutos ſcribunt.

Quando Scotia proprium habuit Archiepiſcopum.

XXIV. Reſtat aliud de Ædium ſacrarum inauguratione à Fugatio & Damiano factâ, de quâ ſuprà Florilegus. ubi duo dicit: & conſecrata ab illis templa; & ſanctis dicata: quæ ſectarii invitis oculis auribuſque excipient, niſi medicâ manu, & majorum Fide munita porrexero. Magdeburgenſes ſanè de primo ſæculo ita pronuntiant. *De magnificè extructis templis, præter Hieroſolymitanum: deq; eorum ornamentis, & altaribus: de Dedicationibus & conſecrationibus templorum; de nominibus & differentiis eorum; nuſquam in ſcriptis Apoſtolorum, & certis hujus ſæculi Authoribus, quicquam reperias, quæ ſæculis inferioribus, partim Iudaiſmi, partim Gentiliſmi ſuperſtitioſâ cacozeliâ inventa oſtendemus infrà.* Quos putas, Lector, accuſant Curiones iſti? Gregorium forte, cognomento Magnum, qui paſſim in moderno lexico audit cæremoniarum Author & Magiſter? non illum aut ejus ſucceſſores tantum, ſed Principes omnes Gregorio priores, & imprimis M. Conſtantinum, qui in magnificè extruendis templis, ornandiſque altaribus fuit eximius. *Veroſimile eſt* (inquiunt in alterâ Centuriâ, ubi de Lucii ſæculo loquuntur)

Eccleſiarum dedicatio.

Cent. 1. l. 2. fol. 453.

Cent. 2. fol. 120.

Eccleſiæ ſplendorem non ferunt factioſi.

Cent ſuprà.

ante Conſtantinum, dedicandorum templorum ritus in uſu non fuiſſe. Ita cacozeliæ & ſuperſtitionis crimen Conſtantino, & ejus ſæculo liberaliter impingunt. Si Regem priorem, magnúmve Principem nominare potuiſſent (ut ego Lucium) à Romanis doctum; eandem ſine dubio, in ipſo ſuperſtitionem notaviſſent. Nam ipſi ingenuè fatentur, primis Romanis Pontificibus tribui quæ ſequuntur: *In alterâ,* inquiunt, *Clementis Epiſtolâ, ita clarè ſcribitur: Eccleſias facite per congrua loca, quæ divinis precibus ſacrare oportet. & in ſingulis, Sacerdotes, divinis orationibus dicatos, pone. Ita & Evariſtus ſtatuiſſe dicitur: Baſilicas conſecrare per Miſſam; Altaria verò, unctione Chriſmatis, & Sacerdotali benedictione.* Hæc & plura referunt illi: quæ quia factioſo ſtomacho diſplicent, Judaiſmi, aut Gentiliſmi ritus vocantur. Quaſi dicerent: Licèt naturæ lumen Gentiles moverit: licèt Moyſis, Deique authoritas, Judæos docuerit; loca Deo dicata, communibus locis ſanctiora eſſe, & ſolenni aliquâ cæremoniâ ab illis diſtinguenda: Nos tamen omnium ſæculorum Critici, cenſemus aliter: & quicquid naturæ lumen, quicquid Moyſes dictaverit, omnem locorum ſanctitatem averſantur. Verùm quicquid Novatores ſenſerint, Romani nuntii, Romanorum Pontificum veſtigiis & præceptis inſiſtentes, & factis primi ſæculi, quæ Britannia & Glaſtonienſis ædes teſtari poſſunt: templa per Britanniam, quæ Flamines occupabant, ſacris precibus, ſanctæ Crucis erectione, Miſſæ Sacrificio, Chriſmatis unctione, & Sacerdotali benedictione, ad meliora ſacra tranſtulerunt: quæ Lucius ſplendido apparatu, & ſacra ſupellectile, divinum cultum, Deique majeſtatem conteſtante, inſtruxit, dotavitque, ut infrà. Nam ſi Apoſtolorum tempore, nudi erant, & rudes Eccleſiarum parietes: Id dandum eſt Fidei infantiæ, quam necdum Principes auxerant cultu Regio. Quod factum tamen ab iis, quos primis hiſce ſæculis Roma docuit in Britannia, in Gallia, in Africa, denique ubique. Teſtis eſt, & ſatis antiquus, Optatus Milevitanus, quem S. Auguſtinus vocat *Venerabilis memoriæ, & Catholicæ communionis Epiſcopum.* & Ambroſio, Cypriano, Lactantio adæquat. Teſtis, inquam, eſt quod ſuo tempore: *Erant Eccleſiæ, ex auro & argento, quam plurima ornamenta: quæ nec defodere terra conventus poterat,* &c.

Antiqua tamen Eccleſia ſplenduit.

Auguſt. l. 1. contra Parm. & l. de Unit. Eccl. c. 16. Optat. l. 1. cont. Parme.

XXV. Etiam ante Magnum Conſtantinum.

Sed iſtud fortè Conſtantino poſterius: & non ſunt falſi Magdeburgici, affirmantes ipſum ornamentorum Eccleſiæ, & ſplendoris primum parentem. Imò verò falſi ſunt. nam qui ante Conſtantinum perſecuti ſunt Eccleſiam: tam officioſi fuerunt, in nudandis exuendiſque templis, quàm illi, quos Lutherus, aut Calvinus docuit: & eodem impietatis pallio, ſuperſtitionem putaverunt. Enimvero ſub Valeriano Imperatore, qui Conſtantinum præceſſit, Præfectus Urbis, divitias, cultum templorum, ipſoſque Sacrificii ritus, Sancto Laurentio exprobravit, teſte Prudentio, eo carmine:

Prudent. de S. Laurent hymno 2.

Laurentium ſiſti jubet.
Exquirit arcam, ditibus
Maſſis refertam, & fulgida
Montes moneta condita.

Et paulò inferiùs:

Hunc eſſe veſtris orgiis
Moremq; & artem, proditum eſt
Hanc diſciplinam fœderis
Libent ut auro Antiſtites.
Argenteis ſcyphis ferunt
Fumare ſacrum ſanguinem
Auroq; nocturnis ſacris
Adſtare fixos cereos.
Tunc ſumma cura eſt fratribus;
Ut ſermo teſtatur loquax;
Offerre fundis venditis
Seſtertiorum millia.

Si Magdeburgici adfuiſſent pro S. Laurentio advocati; negaviſſent omnia: & quia necdum natus Conſtantinus; dixiſſent ſcilicet, nec auro libare Antiſtites; nec argenteis ſcyphis fumare ſacrum ſanguinem: nec cereos ſacrificio adhibitos. Verum Sanctus conceſſit omnia, & teſte Prudentio:

Eſt dives, inquit, non nego,
Habetq; noſtra Eccleſia,
Opumq; & auri plurimum:
Nec quiſquam in orbe eſt ditior.

XXVI. Calviniſtæ enormius peccant, quam olim infideles.

Noluit tamen Laurentius theſauros ſibi creditos, aut aurea vaſa & argentea tradere; ne infidelis homo tam impotenter Eccleſiæ bona invaderet, quam ſectarii nuper invaſerunt: quos tamen illo enormiùs peccaviſſe certum eſt: qui nec Chriſtum novit, aut majeſtatem ejus; nec habuit Cæſares, aut Auguſtos viros, uno orbem totum, aut ſæcula plurima, ſe priores; qui Eccleſiarum cultum, Sacrificii ritus, & ornatum probaverunt. Calviniſtas verò in Eccleſiam peccare, poſt facta Regia, & ſuffragia ſæculorum, non poteſt non eſſe impiiſſimum. Lucius ergo, qui primus Regum in Europa, Chriſtum & Romam coluit: primus etiam ditaſſe Eccleſias cultu ſplendido, & ſacra ac divite ſupellectile credendus eſt: Et quicquid olim in Deos prodegerat (prodegerat autem plurima, conſecutus inde cognomentum Pii) id omne nunc, pleniore manu, pientiore mente Deo Optimo Maximo ad meliora ſacra conſecraſſe. Etenim qui Chriſtum jam credebat dignius Numen; & Fidem cultumque ejus, idololatria potiorem: eò ſtudioſiùs, ac impenſiùs, interno, externoque ritu, animo nimirum & corpore, Numen illud adoravit. Pugnare itaque in ornatum ſplendoremque Eccleſiarum, argumento primi temporis, cum Eccleſias Cæſares lata lege perſecuti, conventus omnes, & hæterias prohiberent; eſt telam aranearum texere: & ibi ædificare nudifidiam Fidem, quæ omni vento agitata, ſine ullo ariete diſſolvitur. Pergo igitur ad aliud: nam præter templorum ornatum, nolunt etiam factioſi, ſanctis cælo donatis, templa conſecrari.

XXVII. Templa Sanctis religioſe dedicantur.

Quid facies huic hominum generi, qui reſpuunt omne ſacroſanctum? Si blandè egeris, medicinam nauſeant: ſi nolenti ingeris, adverſo ſtomacho parùm proderit. Ego tamen, quod inſtituti ratio poſtulat; ita recenſebo Lucii, & Britannorum geſta, maximè quæ Eccleſiam ſpectant, ut illorum Fidem, Chriſtianam fuiſſe, orthodoxam, à Chriſto & Apoſtolis dictatam, ac illis benè, purè, integrè, Romana manu traditam, oſtendam. Dico igitur Fugatium & Damianum, templa Deo imprimis omnia, & poſt Deum ſanctorum virorum & Angelorum memoriæ, dicaviſſe. Nec Deo hoc aut Fidei injurium. Quod ſi id ante Lucium ad Deum converſum, ab aliis factum probare non poſſum, vocali aut Regio argumento: non aliud in cauſâ eſt, quàm quod Lucius priorem ſe, qui publicum Dei cultum amplecteretur, nullum habuit Virum Principem. vel ſi habuit qui permitteret, habuit etiam templum

ſanctis

ſanctis ſacrum. Sic Caractacus (quem Arviragum vocant) Lucii proavus, Joſepho Sociiſque Fidem permiſit: permiſit etiam templum Deiparæ Virgini ſacrum ponere. Si non poſſum in hac Inſula altiùs aſcendere: in promptu eſt ratio: quia nullus in Britannia Princeps, qui Fidei cultores prius admiſit. Quare quod Magdeburgenſes ſuprà dixerunt *de templorum nominibus, & differentiis*: quod nuſquam in ſcriptis Apoſtolorum, aut certis primi ſæculi authoribus reperiantur: nullo modo mirandum eſt: quia Eccleſia recens nata, & in cunis adhuc vagiens, latere potiùs quàm lucere voluit, nam Deus bone! ſi privatis in tectis (ut hodie in Anglia) ſi in domorum angulis latebriſque, & cum paucorum conſcientiâ, conventus & ſacra ægrè, nec impunè, fiebant: quis ſanæ mentis, templa quæret, *magnificè extructa*, & templorum nomina, ſique differentias? Jam verò, Lucio Rege, populoque Chriſtum colente, ſi quæris in Britannia templorum nomina, & differentias; ſccipe. Olim in Avallonia templum erat Deo, Deiparæque ſacrum: hoc anno centeſimo octogeſimo quinto, Londini Deo aliud, Sanctoque Petro poſitum: Eboraci etiam & in Urbe Legionum, ad Iſcam, ubi duæ Archipræſulum deſignatæ ſedes; ibi etiam *templa, & ornatu & opere magnifico condita*, inquit Polydorus. Plura dabo inferiùs, ubi Fugatio & Damiano vacaverit plura conſecrare. Quod ſi quæris extra Britanniam templa & differentias; repete quod ſuprà de Anacleto dictum: qui *S. Petri memoriam*, hoc eſt, templum; etiam in illa temporum calamitate atque caligine, *conſtruxit*.

Polyd. l. 2. fol. 39.

V. an. 103. n. 1.

XXVIII. CULTUS SANCTIS DEBETUR.

Ioan. 12. 26.

Cæterùm nemo miretur Ædes ſacras, quæ Uni Deo inprimis eriguntur, ob tremendum Angelis, hominibuſque ſacrificium: Sanctos etiam, in aliquod honoris participium admittere. Quia Sanctos Deus ipſe honorat, & vult eoſdem à nobis honorari. *Si quis mihi miniſtraverit*, inquit Chriſtus, *honorificabit eum Pater meus.* Quos ergo Deus Pater in cælis honorat; nos humi poſiti, cur non colemus? præſertim cum ſcriptum ſit: *Mihi autem nimis honorificati ſunt amici tui Deus.* Stet ergo firma antiquorum Fides, colantur Sancti, & in eorum honorem, templa nominentur. nam ubi in anima rationali, excellentia cernitur, naturæ lumine cultus debetur, teſte Ariſtotele. Porro anima Deo grata, amica, quæque clara Dei viſione fruitur, æternumque fruetur; introducta in cellam vinariam, & torrente voluptatis potata: Anima, inquam beata, quæ omnium bonorum complexu gaudet; quæ utitur, fruitur, & repletur bonis, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis poſſunt aſcendere: ſine hæſitatione, aut tergiverſatione ullâ, multum habet excellentiæ. Cedo igitur animæ ſic dotatæ cultum. quia homines in terra minus beatos, minus excellentes; colendos, imo, officioſè quidem magis quàm latinè, colendiſſimos appellamus. Solent hic factioſi, omiſſâ rei veritate, verba vexare, & in tenebris ludere. Dicunt enim hominibus in terrâ degentibus, civilem cultum meritò exhibemus: at divinum cultum, Deo ſoli, non alteri debitum credimus. Ita os ſuum tergit adverſarius, dicens non peccavi, ſi Sanctos in cælo regnantes, omni honore cultuque exuo. Ecce in cultu divino tenebræ & nubes: quas ſi amoveris; lucem illicò & meridianum ſolem habebis. Si cultus divinus latriam induit, impius eſt quiſquis eo cultu Sanctos adorat. Si id ſolùm connotet, quod Dei, & donorum ſupernaturalium cauſa tribuitur: impius omnino eſt, qui Sanctis gloria & honore in cælo coronatis, cultum negat. Benè igitur Authores noſtri, tam antiqui, quàm moderni dixerunt; Fugatium & Damianum, cum per totam Britanniam paganiſmum deleviſſent, templa quæ in honorem plurimorum Deorum fundata fuerunt, Uni Deo, ejuſdemque Sanctis, conſecraſſe. Hunc modum colendi Sanctos, Eleutherius Romanus Pontifex, Lucium & Britannos docuit: & ſequentia ſæcula ſervaverunt.

Psal. 139. 17.

Florent. VVigorni. hoc.

XXIX.

Jam verò ſi Britannorum templa ingreſſus, ſcire cupit Lector, quid rerum ibi, quæ ſacra fuerint: vertat retrò oculos ad Chriſtianorum conventus, ſynaxes & hæterias, quas Imperatorum decreta, & adverſariorum iræ fecerunt illuſtres. Ibi cernet aliquos ad Sacerdotum pedes projectos, ſua crimina deteſtantes, ſpondenteſque meliorem vitam, abſolutionis beneficium conſequi. Videbit erecta Altaria, Sacrificii ſedes, & Miniſtros Deum Sacrificio propitiantes. Si religioſiùs accedat, obſervare poterit Sacrificii arcana; Infantem farre contectum, eundem immolatum: geſtabit carnem, & ſanguinem ejus; myſterium Fidei, ſacrorum epitomen. Leget Plinium Proconſulem Traiano ſcribentem: audiet Cæcilium, Chriſtianorum ſacra blaſphemantem. obique videre erit, quid Britanni fecerint in Ædibus ſacris; & quo ritu operati ſint. Et demùm intelliget, quod Florilegus ſuprà, Galfridus Monumetenſis, & ex utroque Joannes Seldenus ſcripſere: *Fugatus & Damianus* (poſtquam templa fundarunt, & conſecrarunt) *diverſis ordinatorum cætibus ea repleverunt.* nimirum Sacerdotes ad Sacrificii oblationem, ad Sacramentorum adminiſtrationem: alioſque inferiorum ordinum; ad Sacrificii & ſacrorum ritus neceſſarios, in templis ſtatuerunt: *In cathedralibus etiam Eccleſiis, Monachos caleſti converſatione praditos*, introductos eſſe, Giraldus Cornubienſis l. 1. c. 8. de geſtis Britonum, Hiſtoria Wintonienſis Joannes Caſtoreus, Uſſerius & alii referunt. Ut obique per Britanniam, fidelis populus, ſtatis diebus, conventus opportunè facere, à peccatis expiari, & Sacramentis muniri poſſent. Ita Fidei, & Fidelium incremento conſultum. Nihilque jam aliud ad Britannicæ Eccleſiæ perfectionem deerat: quàm ut Eccleſiarum omnium Princeps Eleutherius, ſupremam manum & benedictionem apponeret; omnia quæ Legati fecerant, approbando. Illud enim ratum, & omnibus ſuis numeris abſolutum ſemper eſt habitum, quod Romana Sedes imperio firmat. Itaque Fugatius & Damianus debent in Urbem reverti; & inde petere rerum à ſe geſtarum robur & conſcientiam.

V. an. 104.

Galfridus l. 2. c. 1. Ioan. Seld. Annal. l. 1. c. 1.

ANNUS

ANNUS URBIS CONDITÆ 937.

ANNUS CHRISTI 186.

ELEUTHERII PAP. 8.

LUCII REGIS 63.

COMMODI IMP. 5.

I. Romam profecti Apostolici nuntii, iterum revertuntur. *Florileg. hic.*

Annus Christi centesimus octogesimus sextus, Marcello & Æliano Consulibus Fogatii & Damiani profectione in Urbem, rebus ibi cum Eleutherio gestis redituque in Britanniam illustratur. Quod ad tempus spectat, Florilegus hunc annum coosignat ita scribens: *Anno Gratiæ centesimo octogesimo sexto, Beati Antistites Fugatius & Damianus, Romam reversi, quæ fecerant, impetraverunt à Papa beatissimo confirmari. Quibus peractis, redierunt in Britanniam præfati Doctores, cum aliis quamplurimis: quorum doctrina, gens Britonum, in fide Christi, in brevi fundata refulsit. Istorum autem nomina & aliis, in libro reperiuntur, quem Gildas Historicus de Victoria Aurelii Ambrosii conscripsit.* Hæc ille paucis. Idem habet è Galfrido Monumetensi, Rogerus Wendoverius, qui id refert ad annum gratiæ centesunum octogesimum quartum: Verùm uterque Matthæus noster, & Roffensis historiæ collector, ad annum centesimum octogesimum sextum. Nescio quis etiam sub Gildæ nomine, euntes, & redeuntes Legatos his versibus descripsit:

Apud Usser. fol. 101.

Sic disposita regione
Doctores Romam repetunt: confirmat eorum
Dictus Apostolicus factum. Sunt inde reversi,
Cum sanctis aliis: quorum doctrina fideles
Reddit, & informat in Christi lege Britannos.

II. Cur Romam itum.

Lubet paululum profectionis horum Legatorum causam excutere: & quid ab eis effectum Romæ? Nec enim Britannicæ Ecclesiæ fundamenta, oscitanter legenda, aut percurrenda sunt: ne posteris, aut in Orientem eundi, aut pro libidine sacra, ritus, Fidemque fingendi, occasio præbeatur. Si enim ab initio susceptæ Fidei, ad finem usque, semper Romam itum; semper appellatus ejus Urbis Pontifex; semper agnita, cultaque potestas ejus: ounquam in Orientem, aut in Græciam, missa legatio: nonne misero loco sunt sectarii, qui ad tuendam tegendamque factionem; Britannos ab Oriente doctos, & prima fidei elementa, inde didicisse mentiuntur? Dico igitur Fugatium & Damianum, Romam profectos, ot Universo Orbi, & posteris omnibus constaret; Britannorum Ecclesiam, ex illa Urbe fidei lucem, & ex illo sole, Ecclesiæ splendorem, nec aliunde, accepisse; nec hoc solum: sed velle insuper, continuo influxu, ex eo fonte fidei aquas haurire: unde fluit aqua illa, quam qui biberit, non sitiet in æternum: & deniquc ad Petram illam, anchoram figere, super quam Christus ædificavit Ecclesiam. Voluit ergo Lucius Rex, & omnis Britannia, prensare rursus illa ubera; quorum teneros amores, & dulcedinem semel cum voluptate gustaverat. Et quoniam infanti Ecclesiæ nihil magis noxium, quàm spiritus primitias non benè sancteque firmari: quod ritè fieri non poterat; nisi à capite ad inferiora membra, perennis sit vitalium spirituum fluxus & refluxus: optimè consultum est, cum illa sede fœdus commerciumque sancire, unde religionis nostræ mysteria puriùs defecatiusque descenderent. Hæc vera, itus Legatorum, reditusque causa. Ita nuper Lugdunensis Ecclesia Irenæum, Romam misit: *Ob quasdam Ecclesiæ quæstiones*, inquit S. Hieronymus. Et addit Baronius, cum Irenæi legationis meminisset: *Romanam Ecclesiam, in ambiguis consulendam esse, innumeræ, quibusq; seculis, ea de causa missæ legationes, certo certius manifestant.* nec opus est foris argumenta petere. Superiori sæculo, Petrum Romæ sedentem Britanni, missa legatione, pulsaverunt, anno Christi quadragesimo nono. Et iterum cum Petri Sedem Clemens intrasset: missi sunt è Britannia, qui sacra hic usorpari solita, ibi exponerent; à Romano Pontifice firmanda, vel infirmanda. Vide annum Christi centesimum n. 15. Quid inde commodi Ecclesiis omnibus, regnoque Britanniæ obvenerit; ibi contemplatus sum: cum hujus Insulæ fidem *integram inviolatamq; servatam* esse, è vicario hoc commercio ostendi. Et quæ incommoda, ac innumera detrimenta, è defectu hujus commercii oriantur & orta sint, ingemiscens terrarum Orbis satis deplorat, cum cernit regna & provincias, Romam aversantes; in omni credendarum rerum substantia fluctuare; & nullibi tutò pedem figere.

Hiero. de script. in Irenæo. Baron. an. 179. 13.

V. an. 49. n. 10.

III. Exponunt Eleutherio gesta in Britannia, petuntque approbari.

Exponunt igitur Fugatius & Damianus: quid actum in Britannia: ut avidè cives Principem sequuti, baptismum susceperint; & apertis auribus animisque Christianam doctrinam admiserint: egere solùm, qui esurientibus panem, & sitientibus aquam porrigant. Druidas & sacrificulos, manus veritati, & sedes sanctioribus Ministris dedisse. Eorum fana vel destrui, vel sacris precibus expiari. Londini in Urbe Principe, erectam Ecclesiam, præfectumque Theanum; & porrò in Septentrione, apud Brigantes, opportunè sedem aliam statuendam, quæ populo procul posito fidei alimenta subministret. Demum in Insulæ Mediterraneo collocandam aliam: quo nihil Britannis, ad animæ salutem, ad Ecclesiæ œconomiam, ad Sacramenta percipienda, desit. Si in tribus his locis Episcopi consecrentur: crescente fidelium numero, multiplicari sedes, & suffraganeos, quilibet habere poterit: viderique totius Insulæ complexum in octo & viginti Sedes distingui posse. Ita Lucium & Britannos petere. Ita sibi ad novæ Ecclesiæ ædificium opportunum videri. nec aliud deesse, quàm primæ Sedis ratam probatamque sententiam: sine qua nulla Ecclesiarum œconomia, nulla Sedium erectio firmitatem habet.

IV. Eleutherius nomina probat.

Quid ad hæc Eleutherius? scripsit fortè *operam suam supervacaneam aut inanem* esse ad confirmandam Britannorum Fidem? aut fortè dixit: *Suscepistis nuper miseratione divina, Legem & Fidem Christi: habetis penes vos in regno utramque paginam, ex illis Dei gratia, per consilium regni vestri sumite legem, & per illam Dei patientia, vestrum rege Britanniæ regnum: Vicarii Dei estis in regno,* &c? Ita vellent sectarii aliquot, qui literas, hoc tempore, scriptas aiunt, quas suprà recitavi. Sed non evincunt: quia quicquid à Legatis propositum, ab Eleutherio concessum est: probavit enim novæ Londini Sedis erectionem, confirmavit aliarum per Insulam Sedium institutionem, & omnem Septentrionis provinciam, ut Eboracensi Ecclesiæ subderetur, indulsit: Denique Druidarum, & sacrificulorum loco, Christianum

V. an. 183. 6.

Vide suprà ad an. 185. n. 10.

Sacerdotium jussit succedere. Unde Martinus Polonus signanter dixit: *Prædicti Sancti, de* MANDATO APOSTOLICO, *ubi erant Flamines, instituerunt Episcopos: ubi Archiflamines, Archiepiscopos.* Quicquid ergo à Fugatio & Damiano constitutum in Britannia est; quod ad Sedes, & subjectionem spectat; Pontificio responso, vel rescripto roboratum est: & pro mandato Apostolico habitum. Fides etiam Britannorum, & eorum sacra omnia, eodem oraculo, & hac legatione, probata sunt. Unde qui Florilegum impresserunt Protestantes nostri, ita ad Florilegi locum admarginant: *Fides Christi in Britannia confirmatur.* non ergo rescripsit, *inanem suam operam*; aut Fidem, ad Lucii, & Procerum subsellia remisit; nec Lucius unquam id præsumpsit, benè doctus sacram Rempub. ab altera distinctam.

V.

Seldenus in Edmerum.

SELDENI ASSERTIO EXCUTITUR.

Fallitur ergo Joannes Seldenus, in novo quàm antiquo jure consultior, dum in Spicilegio conatur ostendere, Britanniæ Principes, avito jure nixos, designasse olim majorum gentium sacros Antistites, annuli, & pastoralis baculi traditione. nam ille, quantumvis antiquæ literaturæ vir, hic tamen versatur solum in inferioribus: non ascendit ad prima, & purissima tempora. Omissis Lucio & Constantino; posteriores tantùm, nec primæ notæ, Fideique vocat in exemplum. Fallsus est etiam, qui insipidè Britannicæ Ecclesiæ jura commentus, è juris scientiâ famam collegit, Edoardus Coquus. dum integro id libro probare conatur: Quicquid in Ecclesiam præsumitur: id omne antiquis Insulæ legibus, olim permissum; ab iisque factitatum. Quod facilè ostenditur figmentum esse argumento primorum temporum. Et nunc Lucius esto in exemplum; cujus tempore, de *Mandato Apostolico* Episcoporum Sedes eriguntur, dispensantur jura: hi præesse jubentur; illi subesse. Et verò Eboracensis Sedes, In Caledonios, & omnem Albaniam prærogativam habebat, & juris aliquam dictionem, ut suprà dictum, & fatetur Seldenus in Analectis, ubi dicit: *Eboracensis Archiepiscopus, in omnes Scotiæ Præsules ac Antistites, jure Primatus, olim fungebatur.* Et unde, quæso illum, & quo Authore, hæc subjectio? num potuit fortè Lucius, inspectis sacris Literis, & adhibito Procerum consilio, aliorum terras, & regna suis adjungere? non opinor. Sed potuit Eleutherius, cui traditæ cælorum claves; & totius Ecclesiæ cura commissa, in omnem terram, pro Fidei, Ecclesiarum, & Christianæ religionis incremento, prærogativæ suæ manum extendere. Quod & fecit, cum Caledonios, & Septentrionem illum, nec Lucio, nec Romanis subditum; Britannorum Ecclesiæ, & Eboracensi Sedi submisit. quam subjectionem, sequentia, ut dictum est, sæcula probaverunt. Nihil ergo in Ecclesiam, aut Episcopos præsumpsit Lucius; sed Imperium illud iis permisit, qui Petro Apostolorum Principi succedentes, ædificandæ super petram Ecclesiæ, præerant.

Selden. in Analect. l. 1. c. 6.

V. an. 185. n. 22.

VI.

NUM ELEUTHERIUS PRIVILEGIA CANTABRIGIÆ INDULSERIT?

Qoid aliud Romæ à legatis actum, in causa Britannorum, in antiquis Authoribus non reperio. Recentiores aliqui volunt pro Cantabrigiensi Academia peroratum: indultùmque illi ab Eleutherio privilegium: cujus scilicet, post plures annos meminit Honorius Papa, in hæc verba: *Volentes igitur, ut tenemur, justitiâ suadente, paci & tranquillitati Universitatis vestræ, paternâ solicitudine salubriter providere. ubi clementia Salvatoris, poculum doctrinæ salutaris scientiæ hausimus tunc agentes in minoribus: Prædecessorum nostrorum Romanæ Ecclesiæ Pontificum, Eleutherii, Fabiani, Simplicis, Felicis, & Bonifacii vestigiis inhærentes, authoritate omnipotentis Dei districtiùs inhibemus, sub pœna Excommunicationis; quam veniens in contrarium, ipso facto incurrat: Ne quis Archiepiscopus, Episcopus, Archidiaconus, aut eorum Officiales, seu Visitatores generales, aut speciales à Sede Apostolicâ deputati; audeat in aliquem vestrum, suspensionis, vel Excommunicationis, seu interdicti sententias inferre, aut vos seu familiares vestros molestare præsumat*, &c. quæ non exscribo: quia suspecta, & ad Cantabrigiæ antiquitatem asserendam emendicata videntur. Ego non indigeo tali hederâ, pro Lucii & Britannorum Fide. Et Eleutherius potest esse Caput Ecclesiæ, licèt pro Cantabrigiensi scholâ nunquam scripserit. Unum miror: illos imprimis ambitiosos esse, in conquirendis propalandisque Romanorum Pontificum indultis, qui non solum exploserunt imperium illud: Sed negant illud his primis temporibus exercitum esse. Et tamen vix majus exercitæ potestatis argumentum excogitari potest; quàm ab Episcoporum & Archiepiscoporum jure aliquos eximios facere; & contumaces ferire excomonunirationis fulmine. Fuit quidem literarum amans Lucius: An Cantabrigiæ ita patrocinatus sit, dicam inferiùs. Interim dico: ex antiquioribus non constat Fugatium & Damianum, hujusmodi privilegium impetrasse. Sunt, scio, multa, jam pulvere obsita, quæ diuturnitas temporis obliteravit adeo, ut integrè legi non possint. Hæc ego in medium ita proferam, & pulverem aliquando ita excutiam, ut indicare potiùs illa, quàm probare velim, aut defendere. quamvis instituto meo favere, aut patrocinari videantur.

Apud Troynum in Apol. l. 1. fol. 60.

VII.

V. an. 185. 9.

DE CORONA BENEDICTA; ALIIS AB ELEUTHERIO, UT DICITOR, GESTIS.

Hujusmodi est illud de Coronâ, ab Eleutherio benedictâ, missâque ad Lucium, cum Fugatius & Damianus, hoc anno in Britanniam redierunt, de quâ dictum anno superiore. Illud etiam de designatione terminorum regni Britanniæ. Protestantes tamen hæc aliáque è scriptis antiquorum se eruisse testantur; sed oscitanter interdum id faciunt: & pulverem pro re natâ, vel excutiunt, vel inducunt. Ita Guilielmus Lambardus in Archæonomia; qui professus, se Antiquas Angliæ leges, è tenebris in lucem proferre, inter eas, hæc habet: *De Regis officio, & de Iure, & appendiciis coronæ regni Britanniæ:* sub quo lemmate, Eleutherii literas, coronæ benedictæ missionem, & Britannici regni terminos, ex Eleutherii oraculo prodit: sed imprimis hoc adfert de Regis officio, quasi ab Eleutherio dictatum esset: *Rex autem, quia Vicarius summi Regis est, ad hoc est constitutus; ut regnum terrenum, & populum Domini, & super omnia, sanctam veneretur Ecclesiam ejus, & regat, & ab injuriosis defendat: & maleficos ab ea evellat, & destruat, & penitus disperdat.* Quis non putaret hanc legem ab Eleutherio dictatam, jussúmque Lucium Ecclesiam regere, ut munus Regis proprium. Sed caligavit Lambardi oculus, vel pulverem noluit excutere, quò tempori-

Lambard. inter Leges Edordi.

bus serviret. Unde meritò controverti possunt, quæ de coronâ benedictâ, & appendiciis, eo lemmate promit. Enimverò Lambardo antiquiores aliter legerunt in Edoardi Confessoris legibus, & Regis officium religiosiùs collegerunt. Rogerus Hovedenus, quadringentis ferè annis eo antiquior, ita Regis officium è legibus illis recitat: *Rex autem, atque Vicarius ejus, ad hoc est constitutus, ut regnum terrenum, populumq; Dei, & supra omnia sanctam Ecclesiam revereatur, & ab injuriatoribus defendat, & maleficos ab ea evellat, & destruat, & penitùs disperdat.* Nihil hîc in Edoardi legibus, de regendo, sed de reverendo Ecclesiam, dictatur. Adeo injuriis, hominúmque fraudibus obnoxia sunt majorum scripta; & pro arbitrio conduntur. Sed tempus invisendi Rempublicam alteram.

VIII. Motus ad Septentrionem Britanniæ.

Qui ultra murum habitabant in Septentrione nostro Caledonii intellectâ Commodi Imperatoris ignaviâ, qui Romæ totus in luxu, & theatris marcebat: aut certè visâ hîc Lucii & Britannorum pietate; cum quâ fortitudinem consistere non putabant: bello, rapinâ, tumultibus omnia miscent. Principio murum trangressi, Romanum Ducem, & militem qui ad murum excubabat, obtruncant. Inde porrò progressi, longè latéque vagantes, depopulantur agros, & metu implent provincias. Quod ad tempus spectat, Gordonius in Chronogiâ, & Spedus hunc annum centesimum octogesimum sextum consignant. Trepidatum est Romæ ob hos tumultus: visumque è Republicâ fore; Ducem in Britanniam, qui rem restituat, & auxilia, submittere. Delectus in expeditionem hanc Ulpius Marcellus: de quo ita Dio Cassius: *Fuere Commodo etiam bella aliqua cum barbaris, qui ultra Daciam incolunt: ex quibus Albinus & Niger, qui postea bellum gesserunt, cum Severo Imperatore, magnam gloriam consecuti sunt. Sed bellum Britannicum, omnium longè maximum fuit. Quippe cum * Britanni essent cum murum trangressi, qui inter ipsos & Romanorum castra intercedebat; vastassentque multa, Romano Duce, & militibus quos secum habebat, cæsis: Commodus timore perterritus contra eos Ulpium Marcellum misit. Is erat homo modestus, & frugi.* prosequitur Author Marcellum à modestiâ, & continentiâ commendare hunc in modum: *Quod ad cibum*, inquit, *cæteraq; pertinet, vivebat more cæterorum militum; eratq; fortis ac magnanimus, quoties bella gereret: pecuniâ quidem certè non corrumpebatur: minimè tamen lenis, aut humanus erat. Dux fuit omnium vigilantissimus. Cúmque vellet cæteros, qui cum ipso erant vigilantes esse: duodecim tabellas, quales è tilia fieri solent, ferè quotidie perscribebat vesperi: mandabat uni è suis, ut alia aliis, atque aliis horis perferret ad diversos milites: quò Imperatorem suum vigilare semper rati, ipsi quoque minùs dormirent. Et quamquam somno alioquin resisteret à naturâ: quò magis id facere posset, inediâ perfecerat. nam, ut alioqui minimè cibis se plùs æquo satiabat; ita ne pane vepleretur cum Roma ad se curabat exportari. non quod panibus ejus regionis vesci non posset: sed ne vel paullò plùs, quàm esset necesse, posset propter vetustatem comedere. Nam cicatrices suas necdum benè curatas, ipsa siccitate panum eorum facilè purgabat. Studebat autem magis, & magis hujusmodi quid præseferre, ac fingere; ut quàm maximè vigilare videretur.*

Ad quem sedandum Ulpius Marcellus mittitur. Dio l. 72. in Commodo.

Nota. ut Britanni vocentur, qui trans murum in Romanos pugnant

IX.

Igitur Marcellus, tali ingenio præditus, maximis, atque gravissimis damnis, in Britannia barbaros affecit. Quo facto quanquam parum abfuit, quin virtutis ipsius ergò, Commodus eum necaret; tamen ipsum dimisit. Hæc omnia Dio, qui hoc sæculo scribebat, Romæ Senator. Incidit Marcelli virtus in tempora virtutibus inimica. nam Commodus, teste Lampridio, *Honestissimos quosque, aut per contumeliam, aut per honorem indignissimum abjiciebat.* Hunc igitur non diu pòst Magistratu movit: ut ad se unum, omnem profligati hostis laudem derivaret. nam ad Marcelli adventum, Caledonii territi, ultra murum in Septentrionem suum compulsi sunt: & ita demum compositi motus. Quod totum licèt Marcelli Ducis virtute, industriâ, & vigilantiâ factum: tamen Commodus Imperator, in suis ipse laudibus posuit; Britannici nomine assumpto: quod etiam nummis incidi è Senatusconsulto voluit: & unà poni Victoriæ monumentum. Ecce nummum hujusmodi inventum in Britannia.

Lampridius in Commodo c. 3.



Apud Camdenum n. 7. apud Spedū fol. 188.

Cum legis Commodum, *vocari Britannicum*, collige populum omnem, qui ultra murum Romanis, Britannisque negotium facessebat, necdum sortitum appellationem aliquam à Britannis distinctam. Necdum ergo Caledonii in Scotorum aut Pictorum nomen transierant: sed puri putique Britanni audiebant. Cur enim Commodus à Victoria BRITANNICUS *vocaretur*; nisi quia Britannos *vicerat*. Et quia ambitiosissimè quærebat, è novo cognomine argumentum gloriæ, puta, nullum ultra murum populum fuisse, qui in gentem noménque aliud surrexisset: nam Commodus procul omni dubio illud titulis inscripsisset. Cæterùm quàm avidè nova nomina venaretur, patet è cumulo titulorum, quem literis ad Senatum datis præposuit: cum ita, Dione teste, *scripsit Imperator, Cæsar, Lucius, Ælius, Aurelius, Commodus, Augustus, Pius, Felix, Sarmaticus, Germanicus, Maximus, Britannicus, Pacator Orbis terrarum, Invictus, Romanus, Hercules, Pontifex Maximus, Tribunitia potestatis XVIII. Consul VII. Pater Patriæ; Consulibus, Prætoribus, Tribunis plebis Senatuiq; Commodiano felici, Salutem.* Si Scotos aut Pictos, aut gentem aliam à Britannis differentem Commodus superasset, auxisset titulos illorum mentione. Quamobrem ex hujus & aliorum Imperatorum, qui in Septentrionem pugnaverunt silentio, confirmantur quæ suprà dixi: nullam adhuc aut in nostris, aut externis Authoribus, Pictorum, aut Scotorum mentionem esse. Et quamvis Tacitus, omnem Septentrionem lustrans, novarum gentium, aut populorum aliquando meminerit, quos Romani superarunt; uno tamen Britannorum nomine omnes comprehendit. Quod si, ut fit, auxiliares aliqui, è Scandia, aut Hibernia, aut aliis Insulis Caledoniis

Commodus Imp. titulorum avidissimus. Dio lib. 72.

accesserant:

Lamprid. in Commodo c. 8.

accesserunt: necdum eâ potentiâ numeróve surrexerant; ut novam provinciam à Britannis distinctam, nedum regnum facerent: alioquin *adulatores*, qui teste Lampridio, *Britannici nomen suggesserant*, vanissimo homini suggessissent cognomentum aliud.

ANNUS URBIS CONDITÆ 938.

ANNUS CHRISTI 187.

ELEUTHERII PAP. 9.

LUCII REGIS 64.

COMMODI IMP. 6.

I. LONDINI EPISCOPO SEDES ERIGITUR. ET UBINAM LOCI?

ANNO Christi centesimo octogesimo septimo, Materno & Bradua Consulibus: melior Britannia, crescente fidelium numero, cum templa Christianorum pietati non sufficerent, nova meditatur, Lucio Rege, manum, operam, opesque porrigente. Jam Londini, in Trinobantibus, Sedes Episcopo à Fugatio & Damiano designata, ab Eleutherio coofirmata surrexerat in colle frumentario. Fuit illa Britanniæ Metropolis, & Princeps Ecclesia, quamdiu Britannorum regnum stetit, & usque ad adventum S. Augustini, quem ad Saxonem misit Gregorius: tunc Sedis prærogativâ, Doroverniam, Romani Pontificis authoritate, translatâ, ut suo loco dicetur inferiùs. Sunt tamen qui potent, non eo loco Archiepiscopi Sedem, sed ad urbis illius Occidentem institutam esse: nimirum ubi Petrum aliquando Sacrum celebrasse superiùs innuimus: & ubi posterioribus sæculis cœnobium erat Petro Sacrum, dictumque à situ, Westmonasterium. Quod si Petrus ibi aram aliquando posuit, sine dubio locus ille prærogativam merebatur. Quod & Sulcardus ejus Monasterii Monachus affirmat. Est nonnemo, qui utrobique, hoc est, tam in colle frumentario, seu in ipsa Urbe: quàm extra ad Occideotem, Episcopum hoc tempore sedisse conjectat. Vel quia opinatur Londini Flaminem, & Archiflamioem sacris præfuisse; in quorum locum, Archiepiscopus cum Suffraganeo successerit. Vel quia Archiepiscopi Sedes, ad Occidentem primùm posita, potuerit postea in Urbem transferri. Quicquid dixeris Theanus ad Sedem illam consecratus est: & *Ecclesiam*, inquit Richardus Vitus, *tempore Lucii Regis consecravit: in eaq; præsidens, ope & auxilio Cyrani, à poculis Regis, quæ supererant facienda perfecit. Elvanus eum sequutus, Bibliothecam Ecclesiæ adjunxit, plurimosq; Druides ad Fidem Christi convertit.* hæc ille: utrumque conjungens; quia qoamdiu uterque sederit, ignotum: Usserus tamen in Indice Chronologico, hunc annum centesimum octogesimum septimum consignat, Theani morientis, & Eluani eidem succedentis.

V. an. 60. n. 13.

Sulcardus apud Seldenum in Anal. l. 2. c. 6.

Broughton. cent. 2.

Vitus l. 5. THEANUS LONDINENSIS EPISCOPUS.

II. Scripsit de Westmonasterii primâ constructione Sulcardus Monachus: & librum inscripsit Vitali, illius loci, à Guillielmo Normanno, præposito Abbati. Inde aliqui collegerunt, Apollinis delubrum, eò loci à gentilibus erectum, quod Antonino imperante corruit, ut suprà: & Lucium Regem in honorem Christi ædem ibidem struxisse. Addit Joannes Fletus (qui Sulcardum sequutus, anno Domini millesimo quadringentesimo quadragesimo tertio, de illiusetiam loci fundatione scripsit:) *Addit*, inquam, *è vetustissimo* (ut ipse loquitur) *Chronico, veteri Saxonum lingua conscripto*, hunc locum jam olim à Lucii Regis tempore, in Regum, Principumque sepulturam (ut hodieque cernitur) destinatum fuisse: & ita scribit: *A primitivo tempore Christiana Fides inter Britones habita: hoc est, à diebus Lucii, Regis eorundem, qui primus in hoc regno, id est, anno gratiæ centesimo octogesimo quarto legem divinam, simul & sancta regenerationis Lavacrum legitur suscepisse. Iste locus ad honorem Dei fundatus & consecratus fuerat, atque ad Regiam sepulturam, Regaliumq; repositorium specialiter erat deputatus.* Hæc ibi. Monachos, sive Regularis vitæ homines, locum illum primo incoluisse, simillimum vero est: tum quia suprà vidimus, Fugatium & Damianum, templa, *diversis ordinatorum cætibus replevisse.* Tum quia Radulphus Niger, ad annum mundi quinquies millesimum trecentesimum quinquagesimom octavum: *Tunc*, inquit, *fundata est Abbatia VVestmonasterii, ultimo anno Antonini (Marcum Aurelium Antoninum intelligit) sed postmodum præfata Abbatia diu destructa, ab Edvardo Rege reparata est, & nobiliter dotata.* Quale genus hominum hi Monachi fuerint, & à quo Regulam, vitæque institutum acceperint; dicam post annum alterum.

V. an. 154. 3.

Apud Usser. fol. 129. MONACHI OLIM APUD WESTMONASTERIUM.

V. an. 184. 1.

III. DE SEDE EBORACENSI.

Hactenus de prima Britannorum Metropolitana Sede; quam Londini Apostolici nuntii fixerunt. Sequitur altera, Eboraci ab eisdem fixa. Quam tamen non secundam, sed primam dignitate, affirmant aliqui, hoc primo tempore fuisse. Ita Philippus Berterius apud Usserium; cui & Usserius consentire videtur ita scribens: *Etsi hodie Londinum civitas sit totius regni Britannici nobilissima. Iamq; olim, ut vetus oppidum, ab Ammiano Marcellino: ut copia negotiatorum, & commeatuum maximè celebre, à Cornelio Tacito laudatum fuerit. Antiquam tamen Britanniarum Diæceseos Metropolim, Eboracum potius fuisse statuit doctissimus Berterius: non solum quod Romana esset Colonia. sed etiam quod Imperatoris palatium, & Britanniarum prætorium illic fuerit. Indeq; apud Spartianum in Severo civitatis nomen καθ' ἐξοχὴν obtinuerit. Pro quo etiam facit, quod in Arelatensi Synodo sub Constantino Magno celebrata, Eborius Eboracensis, ante Restitutum Londinensem Episcopum subscripsisse invenietur. licet in subscriptionibus ordinandis, senioris Episcopi potius, quàm Episcopatus rationem haberi solitam, non ignorem.* Ita Usserus. Quoniam verò Arelatensis Synodi facta est mentio, ubi tam Londinensis, quàm Eboracensis, Episcopi simpliciter vocantur: confirmor in eo quod suprà dixi: primos Insulæ Antistites, in prærogativis ambiendis solicitos non fuisse. quod adeo verum est; ut Guilielmus Malmesburiensis non malè dixerit in Prologo libri primi, de gestis Pontificum. *Caeterùm*, inquit, *ubi fuerit Archiepiscopatus tempore Britonum, cognitio labat: quia vetustas consumpsit nostri temporis memoriam.* Nec tamen Neubrigensi assentior, qui in suo Prologo: *Ne unum quidem Archiepiscopum Britones unquam habuisse*, affirmat. Id enim nimis universè dictum: ad primum saltem & alterum sæculum, non ultra, cootrahi debet. nam magnum Davidem Meoevensium Archiepiscopum, & septem Episcoporum Primatem, omnes agnoscunt. Quod si primos ille Menevensium fuit; alibi tamen, prius quàm Sedes Meneviam transferretur, Archiepiscopi

Usser. in Primord. fol. 97.

Malmesb. in Prol. l. 1. de Pont.

sederant vel Landaviæ, vel Carlegione. De Dubritio constat, quod Davidem præcesserit: *Qui per Germanum & Lupum, Præsules Gallicanos, in Archiepiscopum consecratus est: & sedem habuit Landavia nonnunquam, plerumque verò Carleona*, inquit Godwinus in Catalogo, & quoniam ille primus apud Cambros Archiepiscopi titulo insignitus legitur, quinto post Christum sæculo; frustra laborant, qui hoc secundo sæculo, pro tribus Archiepiscopis tam operosè disputant.

Godvvin. in Landavensis.

IV. De Sede Cambriæ apud Iscam Legionis.

De tertiâ Sede, ab Apostolicis legatis, Archiepiscopis designatâ jam ferè dictum. Urbs ad Oscam vel Iscam flumen sita, & à Legione secunda nomen sortita, cæteris Urbibus visa opportunior: de qua Pseodo-Gildas

Nobilis Vrbs & amœna situ, quam labilis Osca Irrigat.

Qois ante Dubritium, Sedem ibi, cum prærogativâ tenuerit, nemo quod sciam prodit. Huntindonius, cum octo & viginti Urbes in Britannia oumerat: ita de hac Urbe loquitur: *Kair LEGION, in qua fuit Archiepiscopatus tempore Britonum: nunc autem vix mœnia ejus comparent, ubi Vsca cadit in Sabrinam.* Ad eum modum, Giraldus Cambrensis, Metropolitanam ibi erectam Ecclesiam affirmat, in Itinerario Cambriæ libro primo, capite quinto. ubi hæc habet: *Tres egregia in hac Vrbe (Legionensi) antiquis temporibus fuerunt Ecclesiæ. Vna Iulii Martyris, Virginum Deo dicatarum choro venustata. Altera verò Beati Aaron ejusdem socii nomine fundata: & Canonicorum ordine præclaro nobilitata. Tertia verò Metropolitana Sede Cambriæ totius insignita.* Verùm nec hoc, nec sequenti sæculo, inveniemus qui Metropolitanam ibi Sedem impleverit. nam demus, Tremounum, quem Pseudo-Gildas Tremorinom vocat, locum Dubritio, vitâ functo dedisse; ille tamen vel à Galfrido fictus: vel à Gilda simpliciter Legionensis Episcopus appellatur. Dicendum igitur, Landavensem Ecclesiam videri, prærogativa illa prius ornatam, quàm Legionensis Ecclesia frueretur: & inde statim ad Legionis Urbem translatam. Ubi tamen diuturna non fuit: sed à secundo Archiepiscopo, Davide, viro sanctissimo, Meneviam migravit. De Landavensi Ecclesia ita scribit qui se Landavensem Episcopum scribit, Godwinus: *Ecclesia Cathedralis Landavensis (ut perhibent nonnulli) à Lucio Rege primùm est constructa, circa annum salutis centesimum octogesimum. Haud comperi tamen ibi loci aliquem consedisse ante Dubritium.* Et ille à Germano Altisiodorensi consecratus: *Super omnes Britannos, dextralis partes Britanniæ, à Rege, & ab omni Parochia electus est Archiepiscopus* (ut Author ejus vitæ apud Capgravium) non fixam in una urbe Sedem, sed in duabus habuisse videtur. de quo infrà.

Girald. in Itiner Cam. l. 1. c. 5.

Godvvin. in Landaven.

Capgrav in Dubritio.

V. an. 416. 2.

V. De Landavensi Ecclesia.

Landavenses Episcopi, posterioribus sæculis, Ecclesiæ suæ, Sedisque antiquitatem, ab Eleutherii tempore derivarunt: eoque forsan titulo Menevensi Archiepiscopo subesse noluerunt. Sic Urbanus Landavensis Episcopus, anno Domini millesimo centesimo decimo nono, in Concilio Rhemensi, coram Calixto Secundo protestatus est, à tempore Eleutherii Papæ, Episcopum Landavensem, oon fuisse Menevensi subditum. Ita enim Protestatio legitur in Regesto Landavensi. *A tempore antiquorum Patrum (dilectissime Pater & Domine) sicut chirographum Sancti Patronis nostri Teiliavi testatur: hæc Ecclesia priùs fundata, in honore S. Petri Apostoli, aliarum omnium Ecclesiarum Gualia semper Magistra extitit in dignitate & in omni privilegio: donec tandem per seditiones, & tot bellorum flagitia, & inveterato antecessore meo Herwvoldi, & inde debilitato; Ecclesia cæpit debilitari; & ferè viduata pastore, & annihilata crudelitate indigenarum, & invasione supervenientis gentis Normannica. Semper tamen religiosi viri ad serviendum in ea hæserunt. Tum propter Anglorum viciniam (à quibus in Ecclesiastico quidem ministerio, nihil discrepabant: quia apud eosdem fuerant tam nutriti, quàm eruditi.) Tum etiam quòd ab antiquis temporibus, hoc est, à tempore Eleutherii Papæ Sedis Romanæ, Episcopus illius loci, & post adventum Sancti Augustini, in Britanniam Insulam, Dorobernensis Ecclesiæ Metropolitano, ejusdem Archiepiscopo, simul & Regi Anglorum semper fuerat subditus, & per omnia obediens.* Ita dixit pro sua Sede Urbanus. Sed quomodo dicta firmaverit nescio. nam licet Ecclesiam Lucius ibi fundasse legatur, Episcopum tamen in eâ, ante Sanctum Dubritium, sedisse, sine Authore asseritur. Placet illud, quod ait: Landavensem Ecclesiam, post adventum S. Augustini, Dorovernensi Episcopo subditam fuisse. Unde dissidium illud, Augustinum inter & Britannos Præsules (ubi Novatores factionem ædificant) evincitur diuturnum non fuisse. Porrò quod ad Landavensis Ecclesiæ, cathedræ, inquam, Episcopalis primordia spectat: non malè in Germani & Lupi laudibus ponuntur. De quo Camdenus: *Cathedralem Landavensis Ecclesiæ, Germanus & Lupus, Gallici Episcopi tunc instituerunt; cum Pelagianam hæresim, latè per Britanniam grassantem compressissent, Dubritiumq; virum sanctissimum, primum Episcopum præfecerunt*, anno nimirum post Christum natum quadringentesimo trigesimo sexto, ut dicam ibi. nunc priora tempora repetamus, & Lucii opera pietatis.

Apud Vsser. fol. 65.

V. an. 604. per totum.

Camden. in Silures.

VI.

Alibi per Insulam surrexerunt Ædes sacræ, quæ Lucium, Pium Regem loquuntur: sed illis quærendis nominandisque insistere, præ Scriptorum inopia, arduum negotium est. Sunt qui in nostra Belgarum regione, erectam à Lucio Episcopi Sedem in agro Somersetano, scribant. Ita Author Glastoniensis Chronici, ante annos fermè quadringentos scripti. *Anno* (inquit) *Dominica Incarnationis centesimo octogesimo septimo, Episcopatus Somersetia per Sanctos Fuganum & Drunianum sumpsit exordium: & in Kungresburiâ per multum tempus Sedes Episcopalis fuit. Sederunt in eadem Sede plurimi Pontifices successivè, usque ad tempus Ina Regis VVessaxonum. Quorum numerum, gesta, & tempora nusquam reperimus descripta. In tempore autem prædicti Regis, Daniel, qui ut accepimus, in Cathedrâ de Kungresburiâ sedebat ultimus: Sedem illam, quæ illic per sexcentos annos, vel amplius, remanserat; ad villam quæ tunc Tethiscme, nunc vero VVelles nominatur, Ine Rege donante, & ei consentiente, transtulit. Iste autem Daniel in eodem Episcopatu erat ultimus Episcopus Britonum.* Hæc, vereor, sine teste, aut solido fundamento asseruntur. nam Urbs illa in agro Somersetano; cum à viro sancto, Cungaro nomine, exordium, & appellationem sumpserit: & ille ante annum Christi septingentesimum undecimom, oon innotuerit Insulæ: difficulter admodum opinari possumus, hoc primo tempore Episcopi Sedem fuisse, aut in rerum oatura Kungresburiæ nomen. Cæterùm quod de Ina Rege dicitur. Ille quidem, Cungarum Constantinopolitani Principis filium, latere in Britannia volentem, benignè peregrinum

Apud Vsser. fol. 65.

De Sede apud Kungresburiam.

excepit,

excepit, donavitque illa terræ portione, quæ nunc à sancto viro Cungresburia appellatur: imino ædificando illi oratorio opem operamque porrexit: nec aliud ab eo factum. Quod Wellensem Ecclesiam spectat, quam Inas Rex struxit, anno septingentesimo quarto; & Kenulphus Inæ in eodem Occidentalium Saxonum Regno successor, dotavit, anno septingentesimo sexagesimo sexto; *Cathedra Episcopalis* (ita Godwinus) *ibi loci adhuc non erat collocata, sed Collegium solum; seu mavis, Cænobium institutum.* Obscurum est, quod Author Chronici, Danielem nominat, Sedem è Cungresburia in Welles transferentem. notiora sunt Wellensis Ecclesiæ, & Sedis ibi positæ exordia: nec Daniel aliquis ibi primus Episcopus; sed Adelmus fuit: nec ante annum nongentesimum quintum sedere cepit. ut dicam alibi.

Godwin. in Wellen.

V. an. 905. n. 6.

VII.

Itaque nolo pluribus colligere loca alia, quæ fovendæ pietati Lucius erexisse dicitur: quia conjecturis potiùs, quam rerum veritati nitendum esset: Si enim meminisse velim Monasterii apud Abingtonam: in quo tunc parvus, postea Magnus Constantinus educatus affirmatur à nonnullis; fidem rebus certioribus detraherem. Multò certè probabilius est, quod Spedus aliique referunt; templum à Lucio positum ad nobilissimum Britanniæ portum Dover: quod idem Rex, portus illius vectigalibus auxit dotavitque. De illo hæc habet Usserus in Primordiis. *Quod tempore Lucii Sacellum in Doverensi Castro, Servatori Christo positum sit ex ejusdem Urbis Annalibus, venerandam antiquitatis præferentibus imaginem, refert Lelandus. Et ita quidem in Commentario, de Doverensis Castelli situ, legitur: Anno centesimo sexagesimo primo, Lucius Rex in summitate Castri Doverensis templum Christo ædificat, & maris tributo donat.* nec obest illud quod recentius Chronicon de Dover, Deiparæ Virgini consecratum affirmet, in hunc modum: *Inter alia beneficia, quæ fecit Deo, & Ecclesiæ, Lucius Rex, construi fecit in Castro Dover Ecclesiam in honorem gloriosæ Dei Genitricis MARIÆ: Ubi ipse Rex, & plebs sua Catholica, sua Sacramenta, & Sacramentalia habuerunt, & eorum Catholici successores.* non obest, inquam; quia Christo imprimis, omnes Ecclesiæ consecrantur (ideo Dominica appellatæ) post Christum Sanctis, & ante eos, omnium Sanctorum & Angelorum Reginæ. Restat videamus quid ultra nudos templorum parietes, pro Christiana Fide propaganda conservandaque, Lucius præstiterit.

De Abingtona.

De Ecclesia Doverensi.

Usser. fol. 130.

VIII.

Westmon. hic.

Ecclesiæ dotantur a Lucio. Earum immunitas.

Quod ad hujus anni res gestas, & Ecclesiarum religionem spectat, ita scribit Florilegus. *Anno gratiæ centesimo octogesimo septimo, gloriosus Britonum Rex Lucius: cum infra regnum suum, vera fidei cultum magnificatum esse vidisset; possessiones, & territoria, Ecclesiis & viris Ecclesiasticis abundè tribuens, chartis & munimentis omnia communivit. Ecclesias verò, cum suis cæmeteriis, ita constituit esse liberas: ut quicumque malefactor, ad illa confugeret, illæsus ab omnibus remaneret. Deinde in dilectione Dei, & proximi, feliciter vivens, regnum suum in tranquillitate maxima moderabatur.* Ita ille de profusâ Regis manu in Ecclesiam, & viros Deo & Ecclesiis famulantes. Et statim mihi occurrit, quod ait Aristoteles: Primum in unoquoque genere, normam esse cæterorum. Lucius enim, ut Constantinum nostrum, & consequentes eum hujus Insulæ Reges, ætate, & tempore præcessit: ita debuit pietatis, religionis, ac in Ecclesiam, resque & personas Ecclesiasticas, reverentiæ, illis esse prototypon. Quod illi revera sequuti sunt, fundando templa, ornando mirificè, ditando munificè, muniendo splendidè, & denique libertatem & privilegia piissimè concedendo. Alii Lucii pietatem in Ecclesiam ita explicant. *Gloriosus ac præpotens Rex Lucius, omnes Deorum cultus profanos; ne præstigiis dæmonum Britanni deinceps fallerentur; & simulachra tollebat: & prædia quæ ad ipsorum templa pertinebant, in usum meliorem convertens, plurima Christianis Ecclesiis addicebat: easq; sanctas Ecclesias, & amplioribus agrorum possessionibus, & omni quâ potuit immunitate, libertateq; donabat. Bene enim sciebat vir prudentissimus, his domibus Dei, majorem nunc honorem impendi oportere.* Ita Richardus Vitus. Si olim Idolorum templis honorem Britanni exhibebant: nunc ob veri Dei præsentiam, & sanctiora Sacramenta; longè sanctiorem & nobiliorem religionis cultum, Lucium & Britannos sacrosanctis Ecclesiis exhibuisse, dicendum est. Sectarii nostri à Calvino docti, nullo reverentiæ signo templa dignantur. Alii à Luthero (ut ipsi putant) doctiores, molliùs sentiunt, jubentque accedentes, vel per Altaria transeuntes, inclinare sese. Sed quorsum hic cultus & inclinatio, si nudum est Altare, & nullum Sacrificium? Nunc prodit in medium Lucius Rex, Ecclesias ornat, & revetetur, reverentiæque quam exhibet rationem reddere paratus est: quo rem controversam facti majestate componat.

Ri. Vitus l. 5. histor.

IX.

Unor Templis debetur cultus?

Supremus Dei cultus Sacrificium est, fuitque semper in omni lege naturæ, Moysis, & denique gratiæ, per JESUM CHRISTUM Dominum nostrum. Ab hoc Sacrificio cultus initium. Et illa magis, minusque cultu digna; quæ minùs magisve Sacrificium attingunt. Templorum parietes, & lapidum, laterum, lignorumque congeries; remotè tantum, per accidens, & populo magis, quàm Sacrificio serviunt: habent tamen, quà statarum precum beneficio, quà Crucis impressione, quà benedictione Præsulis sanctitatem suam; censenturque magis ad Dei cultum, quàm privati, profanique parietes, pertinere. Serviunt enim Sacrificii sedi, eamque, ut populum, ab auræ, temporumque injuriis muniunt. Ipsa ergo Sacrificii sedes, templorum parietibus sanctior, cultiorque æstimari debet, & verò semper habita est. Tum quia Dei corporis & sanguinis thronus, adeoque omnis divinitatis sedes. Tum quia, licet Sacramentum illud non adsit, Crux tamen semper, Fidei nostræ hieroglyphicum, Christique in ea fixi μνημόσυνον aderat: cui reverentia, ex omnium sæculorum sensu debetur. Unde dixit S. Ambrosius: *Sicut Ecclesia sine Cruce stare non potest; Ita & sine arbore navis infirma est.* Quòd cultus Altari Divinitatis Throno, ab ingredientibus templum præstari debeat, abundè probatur illo facto Davidis & Cantico: *Introibimus in tabernaculum ejus: adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus.* Sunt templa orthodoxorum, tabernaculo meliora: Altaria nostra Propitiatorio sanctiora: quia Sacrificium nostrum, Mosaico nobilius, præstantius, atque divinius. Et quemadmodum tenebras lux, umbram corpus, figuram veritas; ita Gratiæ Lex, priorem legem, quoad sacra, Sacerdotium, atque Sacrificium, antecellit. Quòd Crux in templo collocari solita, venerationem reverentiamque mereatur; sunt argumenta Regia: quamvis ante

Ambros serm. 56.

Psal. 131. 7.

Lucium, nulla: sed Lucium sequentes Christiani Principes, confirmabunt Lucii & Britannorum Fidem. Constantinus & Helena prodibunt suo tempore, Crucis cultus augustissimi testes: qui templa Cruci consecrantes, Crucem ab omnibus colendam dicent. Interim loquatur Theodosius Imperator: qui lata lege præcepit, delubra gentilium, Christianæ religionis cultui mancipari *Collocato in eis* (sunt verba Legis) *venerando Christianæ religionis signo.* Ita factum hoc tempore in Britannia, Fugatio & Damiano dictantibus, Eleutherio probante, Britannis excipientibus modum cultus.

L. ultima de Paganis Cod. Theodos.

X. TEMPLIS SECTARIORUM, AN CULTUS DEBEATUR?

Si quæras de templis Sectariorum, ubi nuda Fides, nudi parietes, Altaria nuda, vel nulla potiùs, nullum certè Sacrificium, nulla corporis, & sanguinis Christi præsentia; quis cultus illis debeatur? Difficilis hæc quæstio torquet hodie Lutheri & Calvini mystas: his negantibus; illis affirmantibus, cultum deberi. Ego nolo intercedere. Sed quia Aristoteles aliquando dixit: Ex nihilo, nihil fit. Sublatâ jam Cruce, sublato Sacrificio, sublato Corporis & Sanguinis Venerabili Sacramento. Ego (fateor) non invenio cultus objectum. In fide antiquâ, ratio cultus facilè ostenditur. Altaria vel Christum, vel Crucem saltem habere debent: & impius est, qui Christo cultum negat: & qui non vult se abjicere ad scabellum pedum ejus. Iterum orthodoxa Fides, Lucii pietatem probabit; quod templis tantum reverentiæ, tantum immunitatis, tam Regia concesserit privilegia. Quia domum Dei decet sanctitudo, decet magnificentia. Ibi Deus habitat, non ut olim in Salomonis templo, in nube, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos: sed verè & realiter est ibi Christus Dominus: *Et in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter. Nec enim est alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi sicut adest nobis Deus noster.* Quoniam verò suprema Dei majestas, ut rerum omnium supremum dominium habet: Ita dominii illius argumentum petit, cum bonorum nostrorum participio, submissionem maximam. Jam verò si tempore Julii Cæsaris, cum infideles Britanni illum repulissent; immani apparatu sacrificatum est Diis, qui nihil opis Britannis tulerant. Si, inquam, verum est quod Galfredus Monumetensis, & post eum Ponticus Virunnius dixerunt: *Litaverunt Londini Flamines quadraginta millia vaccarum, & centum millia ovium, diversorumq; generum volatilia, quæ leviter sub numero non cadebant: præterea triginta millia silvestrium ferarum cujuscumque generis collectarum:* oportet existimare Lucii & Britannorum manum, in Deo vero colendo, qui è Dæmonum servitute eos liberaverat, contractiorem non fuisse: ac inde concludere, templis ædibusque sacris collatum, quicquid ad earum splendorem, & sanctitatem facere videretur. hoc est, quicquid aut Fugatius & Damianus suggerere, aut Lucii pietas donare poterat.

Colossen. 2. 9.

Galfred. l. 4. c. 0.

XI. A QUO PRIMUM CONCESSA TEMPLIS IMMUNITAS?

Quod hic dicitur de Immunitate Ecclesiis indultâ, ideo notandum est; quia nullum in Europa præcesserat hujusce pietatis exemplum. Franciscus Suarez, ubi de reverentiâ agit debitâ locis piis: sciscitatur non immeritò, quàm antiqua sit in Ecclesia hæc immunitas, quæ in delinquentium tuitione & patrocinio consistit? Respondet autem: *Probabile est, cum ipsa templorum solemni dedicatione incepisse. Hoc est à temporibus Constantini. Ab eo enim tempore Ecclesiæ Christianæ publicè ædificata sunt.* Ita ille. Quia doctissimo viro videbatur imprimis consentaneum; ut solennem ritum dedicationis & consecrationis, privilegium illud sequeretur: & asylum esset, Dei majestas. Cæterùm quod dicit de Constantini temporibus; verissimum est, tunc lege latâ, per universum terrarum Orbem, ita templa, nec priùs, eximia fuisse. Verùm si in particulares provincias, aut in Britanniam nostram descendisset, invenisset longè priùs, cum solenni templorum encænio, illius etiam privilegii sanctionem. Quicquid enim in eo pietatis genere fecit Lucius; id omne scriptis literis, & regia authoritate munivit. Quamobrem, ut publica consecrationis Ecclesiarum solennitas, Lucium nostrum habet primum Principem: ita quæ illam comitari solent, & verò debent, sacri loci prærogativa & exemptio: quæ inde per totum Orbem, primùm consuetudine, tum lege, transivit; Christianis Principibus, & Constantino imprimis, Lucii factum probantibus. Unde ante annos mille & centum dixerunt Patres Concilii Aurelianensis primi. *De homicidis, adulteris & furibus, si ad Ecclesiam confugerint; id constituimus observandum, quod Ecclesiastici Canones decreverunt; & Lex Romana constituit: ut ab Ecclesiæ atriis, vel domo Episcopi, reos abstrahere omninò non liceat.* Horum Ecclesiasticorum Canonum, hujus Romanæ legis initium, Romanis nuntiis suggerentibus fuit Lucius. Hinc ortum quoque; ut Britannorum Ecclesiæ hujusmodi olim privilegia, & plura quàm alibi, & constantiùs servaverint.

Suar. de Rel. to. 1. l. 3. c. n. 12.

Con. Aurel. 1. c. 3. &c.

XII. BRITANNORUM RELIGIO IN ECCLESIAS.

Girald. in descrip. Cambriæ c. 18.

Enimvero Giraldus Cambrensis, ubi de Britannorum religione agit; quam à Lucii temporibus, per plura sæcula, religiosissimè custodivit Insula: ita scribit de honore, & immunitate Britannicarum Ecclesiarum. *Ecclesiis*, inquit, *& Ecclesiasticis viris devotam reverentiam exhibere; longeq; magis, quàm ullam gentem, honorem deferre videmus. Unde & Ecclesiæ istorum longè majorem quàm alibi, pacem habent. Non enim in cæmeteriis solùm, verùm etiam extra procul, per metas & fossas ulteriores, ab Episcopis, causa pacis, impositas, & constitutas, animalibus ad pascua pax servatur. Ecclesiæ verò majores, quibus majorem antiquitas reverentiam exhibuit. quatenus armenta manè, ad pascua exire, & vesperi redire possint, pacem habent. Unde si cum Principe, capitales quis inimicitias incurrerit; si Ecclesiæ refugium quæsierit; eadem sibi, & suis pace gaudebit. Adeo ut hac immunitatis indemnitate, longè Canonum indulgentiam excedente (qui corpori solum & membris, talis in casu salutem præstant) multi abutentes, audaciùs ob hanc impunitatem hostiliter excedunt; & ab his etiam refugii locis, tam patriam undique ipsam, quam Principem ipsum graviter molestant.* Hæc omnia Giraldus: quæ placuit adnotare; ut videat Lector, quàm religiosè posteri, tam Principes, quàm subditi, Lucii vestigia presserint: cum tot per Britanniam miserorum asyla, quot infrà recensebimus, permiserint. nam Saxonum Reges, religione in Deum, pietate in Sanctos, honore ac reverentia in Ecclesias, virosque Ecclesiasticos, Britannis non cesserunt. Jam verò cum hæc omnia à Romano Eleutherio mittente, & probante præcesserint, constat Britannorum Fidem, Romanam esse.

XIII. DE FESTO PASCHATIS.

Et eodem argumento constat, ritus omnes, & sacra, Ecclesiam spectantia, ex eodem fonte, ab eodem Eleutherio profluxisse. Et quoniam

potissima

potissima impostterum difficultas erit, de ritu observandi Paschatis: quem sectarii, non ex Urbe, sed ex Oriente, primis sæculis derivant: non abs re erit hic quærere: quidnam Eleutherius super eo festo præscripserit: hoc est, an Paschatis, & Dominicæ Resurrectionis diem, Judæorum more, Lunæ quartadecimæ; an vero diei solis alligaverit. Quod enim ille constituet, hoc omnis saltem Occidens, & Britannia imprimis religiosè servabit. Nec enim alium in finem; aut imploratæ à Lucio, aut missæ in Britanniam ab Eleutherio Romanæ operæ; quam ut Romano more, Britannorum Ecclesiæ formarentur. Docuerunt ergo Romani Sacerdotes, resurgentis Christi solennitatem, seu Paschatis festum, cum jejuniorum præviâ religione, die Dominico semper celebrandum. nam ita Pius Pontifex, ita demum Eleutherius omnibus Ecclesiis præscripserunt. De Pio dictum est, ad annum Domini centesimum quinquagesimum nonum. De Eleutherio ita scribit Anastasius Bibliothecarius.

Anastas. in Victore.

Victor, inquit, *constituit, ut Sanctum Pascha die Dominico celebraretur, sicut & Eleuther.* Idem habet Marianus Scotus.

Marian. in an. 194.

nullum ergo dubium, quin hunc morem celebrandi Paschatis Fugatius & Damianus, Britannorum Ecclesiis porrexerint. nam ut infrà patebit, sectariis nequicquam obstrepentibus, id ab omni Insula religiosissimè semper observatum. Taceat ergo Godwinus, vel retractet, quod aliquando scripsit: *Satis liquere arbitramur Paschalis festi celebrationem decimaquarta Luna, simul cum ipsa religione hic captam.* nam constat liquerè contrarium.

Godwin. in Cata princip.

XIV.

ROMANI IN BRITANNIA TUMULTUANTUR.

Ad hunc annum spectare videtur, quod Dio Cassius, Lampridius & alii referunt, de Romanorum militum in Britannia, turbis. Ubi ob motum Magistratu Ulpium Marcellum, Senatorii ordinis virum, qui strenuè rem Romanam egerat; & suffectos in ejus locum, equestris tantum familiæ homines, rebusque gerendis impares; tumultuatum est. Ægrè etiam ferebat veteranus miles, Romæ omnia unius Perennii arbitrio permitti: qui nuper Sarmaticæ Victoriæ laudem, per alios Duces obtentam, in filium suum derivarat; eo, ut ferebatur, consilio, ut viam sibi ad imperium muniret. Miserat etiam in Britanniam, publicanos nescio quos; emungendæ magis pecuniæ, quàm Reip. studiosos. Hæ causæ tumultuum. Quos ubi Perennius Romæ rescivit, acriter tumultuantibus increpitis, minas intentat, nullo malis remedio. Quod miles impatienter ferens, Romam magno numero advolat; Perennium in judicium postulat; & denique occidit. Rem gestam ita narrat Dio.

Dio l. 72.

Milites in Britannia objurgati, quòd seditionem fecissent; miserunt in Italiam mille quingentos milites, delectos ex ipsorum numero. Quibus, cum à nemine prohiberi, jam Romam adventarent, occurrit Commodus: eosq; ita interrogavit. Quid hoc rei est, Commilitones? Quamobrem venistis? Illi respondere: Propterea quod Perennius tibi insidias parat; ut filium suum Imperatorem designet. Quod ubi Commodus credidisset facile, instante potissimum Cleandro; qui Perennium graviter oderat; a quo omnia pro libidine agere vetabatur; Præfectum prætorii militibus quibus ipse præerat, dedidit. Nec est ausus mille & quingentos milites contemnere; cum ipse multò plures Prætorianos haberet. Illi Perennium cæsum verberibus, obtruncant; ejusdemq; uxorem, cum filiis duobus interficiunt. hæc Dio: Quæ ad hunc annum referenda sunt: quia mors Perennii ad Materni & Braduæ consulatum, à Gordonio consignatur.

ANNUS URBIS CONDITÆ 939.

ANNUS CHRISTI 188.

ELEUTHERII PAP. 10.

LUCII REGIS 65.

COMMODI IMP. 7.

I.

HELVIUS PERTINAX PROPRÆTOR IN BRITANNIA.

QUt sequitur Christi annus centesimus octogesimus octavus, Consules habuit Commodum Augustum V. & Acilium Glabrionem. Tunc cæso Perennio ab eo milite, qui superiore anno è Britannia discesserat; Commodus Imperator ut Insulæ motus componeret; Helvium Pertinacem jubet redeuntem militem comitari, & summæ rerum in Britannia, Marcelli loco, præesse. Fuerat is olim in Britannia miles, à Marco Antonino in Senatum lectus; & quatuor provincias Consulares rexerat, de Romano imperio optimè meritus: quem Perennius, ejus gloriæ æmulus, jusserat ex Urbe in Liguriam secedere. Eo jam mortuo, Commodus injuriam compensaturus, *Petiit per literas*, inquit Julius Capitolinus, *ut ad Britanniam proficisceretur. Profectusq; milites ab omni seditione deterruit. Cum illi quemcumque Imperatorem vellent, & ipsum specialiter Pertinacem. Seditiones quidem ipse composuit in Britanniâ. Verum ingens periculum adiit, seditione Legionis penè occisus: certè inter occisos relictus. Quam quidem rem idem Pertinax acerrimè vindicavit. Denique postea veniam Legationis petiit, dicens: sibi ob defensam disciplinam, infestas esse Legiones.* Hæc omnia Capitolinus, quæ licet conjunctim ponantur ab Authore: pluribus tamen annis contigisse, vero similius est.

Capitolin. in Pertinace.

II.

PERTINACI IMPERIUM PORTENDITUR.

Dum adhuc Pertinax in Britanniâ moraretur, Proprætoris munere fungens; contigit id quod narrat Dio, portenti loco habitum. Quo fata, scilicet, eidem Pertinaci Romanum imperium destinare censebantur. Quod ita à Dione narratur.

Dio in Pertinace.

Cum adhuc esset in Britannia Pertinax, post illam magnam seditionem quam sedavit: atque ejus rei causa, laude dignus ab omnibus judicaretur: Romæ equus, nomine Pertinax, Victor fuit. Cujus equi prasinæ factionis, Commodus studiosus erat. Cumq; vicisset: statim conclamatum est ab iis, qui erant earundem partium. En Pertinax est. Quo audito, ii qui erant alterius factionis, irati scilicet Commodo: Utinam esset, inquiunt; Quæ verba ad hominem, non ad equum referebant. Ita Dio; & vero post paucos annos Pertinax homo, & Victor Romæ, & Imperator fuit. ut infrà suo loco dicetur.

ANNUS URBIS CONDITÆ 940.

ANNUS CHRISTI 189.

ELEUTHERII PAP. 11.

LUCII REGIS 66.

COMMODI IMP. 8.

I.

CHristi Annus centesimus octogesimus nonus, Crispino & Æliano Consulibus; Lucii Regis pietatem iterùm explicuit. cum in

Ecclesia Wintoniæ extruitur, et dotatur. *Harpesf. c. 3. fol. 6.*

Hamptoniensi provinciâ ad Ventas Urbem, quam hodie Wintoniam appellamus, Ecclesiam extruxit Christo sacram: *Et pios quosdam viros ibi* (loquitur Harpesfeldus) *Præsidemq; illis Denotum nomine collocavit. Possessiones & prædia, quæ quondam fuerant ejusdem civitatis Flaminum; cum privilegiis & prærogativis, quæ Flaminibus Dunvallo Malmutius, decimus sextus Britonum Rex erogarat, liberaliter contulit.* ita ille. Juvat porro hoc loco legere; quàm primitiva hæc & adolescens Britannorum Ecclesia, largitione Regum, & Principum virorum dives fuerit. Moratius quidam, antiquus Author, Wintoniensis territorii, hoc est, Ecclesiæ jam ædificatæ limites, divino cultui mancipatos, accuratè describit in hunc modum: *Extendebantur limites ad duodecim millia passuum, per gyrum civitatis Winton: scilicet ab unaquaque plaga, in duodecim millia passuum. Erant ab unaquaque plagâ civitatis, in quolibet duodeno numero mille passuum octo viculi optimi.* Si tantum terrarum una & non princeps Ecclesia, in bonis numeravit, quid censendum de aliis?

Apud Harpesf. suprà.

II. Consecratur a Fugatio et Damiano. *Godwin. in Winton.*

Addit Franciscus Godwinus in Catalogo Episcoporum Wintoniensium: Templum hoc Christo sacrum à Fugatio & Damiano consecratum esse; ad vigesimum nonum Octobris, anno centesimo octogesimo nono. Quod si verum: non potest verum esse quod suprà Magdeburgici affirmarunt: Consecrationis & dedicationis Ecclesiarum vocem, primo alteroque sæculo inauditam. nam licet darem, consecrationis ritum, qui hodieque in usu, non priùs in Ecclesiam introductum esse; quàm authoritate publicâ, permissuque Principum templa conderentur: atque ita universè per Orbem terrarum, non posse demonstrari ritus ille, communis juris fuisse. Ostenso tamen Christiano Principe, probatoque in Ecclesiarum erectionem consensu ejus, non est ultra tergiversandum: nec opus Constantinum præstolari; sed omnino dicendum: Quamprimùm Idolorum fana cessere Christianorum sacris, illa priùs purgata, expiata, precibus Deo devota, Ecclesiasticorum Ministrorum operâ fuisse. quod patet ex Eusebio, qui ante Diocletiani tempestatem refert *Ædes sacras, precibus dicatas.* libro octavo c. 2. Atque ita factum hoc anno, in Wintoniensi Ecclesiâ, quam Fugatius & Damianus (id fatentibus sectariis) consecrarunt. Unde quidam nuper probare conatur, utrumque Legatum majori Sacerdotio ornatos fuisse, sed non evincit. Quia potest & solet Romanus Pontifex committere Altarium consecrationes inferioribus Episcopo Ministris; quantò magis nuntiis legatisque Apostolicis: qui omni Episcoporum jure, quod ordinem non spectat, suo merito fruuntur. Cæterùm quod ad Sacerdotum ordinationem in Britannia, nusquam illa legitur à Legatis facta. Nec vero opus, cum in eam rem Eluanus, ut suprà, Romæ ab Eleutherio consecratus sit Episcopus. Denique quod semel à Florilego vocentur *Beati Antistites:* non inde necessariò infertur, Episcopos fuisse: cum antiqui omnes, modò *viros insignes*, modò *religiosos viros*, modò *sanctos & doctrina præstantes*, modò *Monachos Cardinales* (ita Antiquitates Glastonienses) nunquam Episcopos appelleint.

Euseb. l. 8. c. 2.

Broughton. cent. 2 c. 15.

III. *Apud Usser fol. 1033.*

Non erit abs re Wintoniensis Ecclesiæ typum legere; quem Thomas Rudburnus in majore Chronico describit ita: *Erat mensura Ecclesiæ, quam primitus Rex Lucius fundavit (secundum Moracium libro primo, capitulo secundo) in longitudine ducentorum & novem passuum; in latitudine octoginta passuum; in altitudine nonaginta duorum passuum. Ab uno cornu ex transverso Ecclesiæ in alterum, passus centum triginta. Situs Monasterii ex parte Orientali Ecclesiæ erat centum passuum in longitudine, versus videlicet templum Concordiæ: & quadragintà passuum in latitudine, versus scilicet novum templum Apollinis. Ex parte aquilonari in longitudine erant passus centum sexaginta, in latitudine nonaginta octo. Ab Occidentali parte Ecclesiæ erant passus centum nonaginta; in latitudine centum. Ex australi plaga, erant passus in longitudine quadringenti quinque: in latitudine quingenti octoginta. In hac plagâ situm erat palatium Episcopale, domus necessariæ, ac officinæ Monachorum.*

Ecclesiæ Wintoniensis descriptio.

Sic constructa micat, & sic variata coruscat
Machina, quæ hanc matrem sustinet Ecclesiam.

IV. Quinam in Ecclesia ministraverint. *Brought. cent. 2. c. 21.*

Restat quærendum, quinam fuerint *Pii illi viri*, de quibus suprà Harpesfeldus; quos in Wintoniensis Ecclesiæ ministerium assumpsit Lucius: quique territorium bonaque possederunt Ecclesiæ concessa. nam inde primitivæ Ecclesiæ praxis, & horum templorum pietas, colligitur. Hos ergo Joannes Broughtonus benè censuit centuria 2. c. 21. Religiosi instituti viros fuisse: Godwinus, eos Monachos vocat: eosdem asserit Ecclesiæ præfuisse, authore Lucio. Thomas Radburnus, Menevensis Episcopus in Chronico majore Wintoniensem Ecclesiam à Lucio summè dilectam, & Monachis ab eo repletam scribit in hunc modum. *Aspiciens, utroque homine, gloriosus ac Christianissimus Rex Lucius, cultu veræ fidei mirificè suum regnum magnificatum esse: maximoq; gaudio repletus; possessiones & territoria, quæ prius templorum Flamines possederant, in meliorem usum vertens: ipsa Ecclesiis fidelium permanere concessit: augmentandoq; eas, amplioribus agris, & mansis, omniq; libertate sublimavit. Ecclesiam verò Wintoniensem, quam quadam speciali prærogativâ dilexit, solummodo à fundamentis renovavit. Monachis verò priusquam perficeretur, opus pro posse consummandum, mansiunculam cum Oratorio, dormitorio, ac refectorio construxit. Completo renovationis opere, quinto anno conversionis Regiæ, dedicaverunt eam prædicti Antistites & Monachi, Faganus & Duvianus in honorem Sancti Salvatoris, IV. Kalendas Novembris, anno gratiæ 169. (inverte, & lege 189. qui à Converso Lucio quintus est) & Monachis ipsam repleverunt, Deo devotè famulantibus. Abbatemq; loci constituerunt Monachum quendam vocabulo Denotum. Statuit insuper inclytus Princeps Lucius, Episcopo & Monachis Wentanæ Ecclesiæ, dari possessiones & prædia, quæ quondam erant ejusdem civitatis Flaminum, cum privilegiis eorundem.* Hæc ille.

Apud Usser. fol. 126.

V. Privilegia Flaminum, Ecclesiæ Winton. concessa: et quænam? *[a] L. 2. c. ult.*

Quænam fuerint Flaminum privilegia, idem Author paulò inferiùs narrat in hunc modum. *Dedit prædictus Christianissimus Rex Lucius, prædictæ Ecclesiæ, quam de novo fundaverat, suburbana civitatis ejusdem cum privilegio Dunwallonis Molmutii. Iste Dunwallo* (ut scribit Moracius & Gildas historiæ suæ capite decimo nono, & Gaufredus Monumetensis [a] in historia Britonum) *cum sextus decimus esset Britonum Rex, & paganitate nimis obvolutus; leges sanxivit, quæ Molmutinæ dicebantur, usque ad tempora Guilielmi Conquestoris satis celebres. Inter quæ statuit: ut civitates & templa Deorum, viæ ad illa ducentes, ac aratra colonorum, immunitate confugii congauderent. Ut quicumque fugitivus, sive reus ad ea confugeret, cum venia coram*

inimico suo abiret. Requievit ex tunc religio Monastica, in Ecclesia VVintoniensi, quietá in pace, & pacificâ possessione, Domino jugiter conjubilans, centum duobus annis: videlicet à primo anno regni Lucii Christianissimi Principis, usque ad secundum annum Diocletiani Tyranni. Hæc ille. nutat hic Chronologiæ ratio. Si enim primus regni, aut Conversionis annus ponitur ad annum centesimum sexagesimum quartum, ut Author innuebat suprà; ad annum secundum Diocletiani Imperatoris, anni centum & viginti duo numerandi sunt. si Diocletiani imperium ab anno ducentesimo octogesimo quarto, cum Baronio, auspicamur. melius ergo libellus Antiquitatum Wintoniensis Ecclesiæ, centum tantum annos Ecclesiam & Monasterium stetisse affirmat, *à* tempore regni, aut Conversionis Lucii: qui regni initium, cum Conversione componens, ita loquitur. *Duravit Christianitas in Britannia à tempore (videlicet à primo anno) Lucii Regis, primi Britannorum Christiani, usque ad primum annum Diocletiani Principis, quietá in pace; videlicet centum annis. Et tamdiu Monachi Deo servientes prædictum vetus Cœnobium quietè inhabitabant.* Ego infrà, cum Monasterium destruitur, anno Christi ducentesimo octogesimo nono, Cœnobii epocham, ab hoc anno, centum annorum fuisse facilè ostendam. Interim quod genus Monachorum fuerit, qui Wintoniensem Ecclesiam administrarunt, est operæ pretium indagare.

Apud Usser. fol. 128.

VI. MONACHORUM QUALE FUERIT INSTITUTUM?

Thomas Rudburnus suprà, cum Monachos Wintoniensis Ecclesiæ nominasset, mox addit: *Faganum & Duvianum Ecclesiam Monachis replevisse, Deo devotè famulantibus, ac professis secundum Regulam à Sancto Marco Evangelista traditam.* Cæterùm quænam illa fuerit, Author non explicat. Et tamen, quia ab eorum instituto, Britannicarum Ecclesiarum splendor processit, hoc primo Christianæ Fidei exordio: & alii postmodum, omni sæculo, primorum Monachorum æmuli, Anglorum fidem & Ecclesiam illustrarunt; digna certè inquisitio est: quam regularis vitæ rationem, & quo authore, coluerint. & quoniam à Marco Evangelista Monachorum regula fluxisse dicitur; constat institutum illud antiquissimum esse, & Christianæ fidei coævum. Cassianus ergo Regulam à Marco traditam sic explicat. *Cum in primordiis fidei pauci quidem, sed probatissimi, Monachorum nomine censerentur: qui sicut à beata memoria Evangelista Marco, qui primus Alexandrinæ Urbi Pontifex præfuit, normam suscepere vivendi. non solum illa magnifica retinebant quæ primitus Ecclesiam, vel credentium turbas in Actibus Apostolorum legimus celebrasse: Multitudinis, scilicet, credentium, erat cor unum, & anima una: nec quisquam eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. Quotquot enim possessores agrorum, aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum. Dividebatur autem singulis, prout cuique opus erat. verum etiam his multo sublimiora cumulaverant. Etenim secedentes in secretiora suburbium loca, agebant vitam tanto abstinentiæ rigore districtam; ut etiam his qui erant religionis externæ, stupori esset tam ardua conversationis eorum professio. Eo enim fervore, Scripturarum divinarum lectionibus, orationibusq; ac operi manuum, diebus ac noctibus incubabant: ut nec escarum quidem appetitus, vel memoria; nisi alio, tertióve die, corporis interpellaret inediam: cibumq; ac potum, non tam desideratum, quàm necessarium sumerent. Et ne hunc quidem ante solis occasum; ut tempus lucis cum spiritualium meditationum studiis, curam vero corporis, cum nocte sociarent, aliaq; his multo sublimiora perficerent.* Hæc Cassianus.

Cass. de can. Instit. l. 2. c. 5.

Actor. 4.

VII. OMNIS CLERUS REGULARIS ERAT.

Tales ergo erant, quos Lucius Rex Wintoniensi Ecclesiæ præficiendos curavit; quique Christianorum saluti, & Infidelium conversioni manum operamque commodabant. Nec mirum id videri debet, cum Clerus omnis, adhuc Spiritus Sancti primitias habebat, vitamque cum trinâ votorum religione, communem, ut optimè probat Joannes Colingtonus libro decimo Theatri sui. Hunc religiosum Clerum, Christo authore, & Spiritu Sancto ungente, Apostoli docuerunt; promiseruntque ad Lucii ætatem, tertiumque sæculum. Tunc crescente fidelium numero, & splendore Ecclesiarum: recessum est paululùm à fervore spiritus: & ut fit, in rebus aliis, naturæ vis, diuturnitate temporis minor, primæ charitatis impetum remisit. Tunc Clerus, castitatis voto integro, obedientia Canonica contentus, nullo paupertatis voto obstringi voluit. Itaque mansit, ad aliorum discrimen, sequentibus sæculis. nisi quod è Clero semper, populoque aliqui, ad sanctiorem illam, Christoque & Apostolis viciniorem vivendi rationem, se variis modis formare conati sint: idque in utroque sexu: de quibus Athenagoras, dum hoc sæculo pro Christianis orat. *Invenias*, inquit, *multos ex nostris, & viros, & fœminas, qui in cælibatu consenescunt: quòd Deo conjunctiores se futuros sperent.* Quod & voto firmabant; alias Tertullianus non dixisset: *Quot sunt, qui statim à lavacro, carnem suam obsignant? quot, qui consensu pari inter se matrimonii debitum tollunt?* Redeo ad Wintoniense Monasterium, quod hoc anno, à Lucio positum, per annos centum, Monachos habuit, Deo famulantes. Tunc Diocletiano Christum, & Christianos persequente, eo prorsùs modo corruit, quo nuper, post mille, & quadringentos annos, Monasteria omnia, simili impietate: sed mundo magis stupente, corruerunt.

Collingto l. 10. Theatri.

QUANDO CLERUS REGULARIS ESSE DESIIT.

Athenago. in Apol.

Tertul. l. 1. ad uxorem.

VIII. ECCLESIÆ WINTON. INCREMENTA, ET DECREMENTA.

Diocletiano purpuram exeunte, Wintoniense Monasterium iterum revixit: & denuò à Constantio Wintoniensi Episcopo consecratur decimo quinto Martii, anno trecentesimo nono: & à Sancto Amphibalo, qui paulò ante cum Albano nostro Martyrio fuerat coronatus, nomen accepit, & unà, ut priùs, Monachos, præfectumque illis Deodatum Abbatem. Accepit etiam immunitatis privilegium, ut suprà. Unde ejus templi meminit Historicorum nostrorum antiquissimus Gildas, ubi dicit Mordredi filios, eò confugisse, ob Constantini tyranni declinandam rabiem: sed frustrà. nam Constantinus nihil loci sanctitatem veritus, nec asyli prærogativam, *filios Mordredi cepit, & alterum juvenem Guintonia in Ecclesiam Sancti Amphibali fugientem ante Altare trucidavit*; inquit Florilegus. Aliud deliquium passa est Wintoniensis Ecclesia; cum infidelis Saxo, sacra omnia hujus Insulæ temeravit. Sed, ubi Saxo cæpit sapere, & Fidem Româ missam, ut Lucius, excipere: surrexit iterum Wintoniensis Ecclesia, & Monasterium aliud longè nobilissimum ab Hida nuncupatum, quod plurimorum Regum pietatem exercuit. De quo infrà sæpiùs. nam Regia Britannorum, & Saxonum Fides, una semper & eadem fuit, in Monasteriorum erectione, dotatione, tuitione, denique & cultu.

Westmon. an 543.

MONASTERIORUM ERECTIONE FLORET FIDES: EORUM EXTERMINIO LANGUET.

cultu. Et quemadmodum in Monaſteriorum poſitione, primis ſæculis, ad Fidem plantandam; confirmandam, dilatandam, ceu per tot gradus, aſcenderunt majores noſtri: Ita inferioribus ſæculis, per Monaſteriorum exterminium, & ruinam, neſcio qui nepotes, in errores, ſchiſmata, & hæreſes deſcenderunt. Quod non ſolum in Britanniâ noſtrâ illuſtriſſimè cernitur: ſed percurrenti terrarum Orbem, & Fidei ortum, occaſumque contemplanti, erit perſpicuum. Videbit enim ſtantibus & florentibus Monaſteriis, ſtetiſſe floruiſſeque pietatem & Fidem: iis autem languentibus & occidentibus; pietatem unâ & Fidem occidiſſe. Videbit etiam Reges, Principes, Prælatos, quotquot Monaſteria amaverunt, erexerunt, ditaverunt; eoſdem in omni virtutum genere eximios: quotquot autem illa averſati deſtruxerunt, vix alia re magis, quàm ſcelere inſignes. Quod in omni Republicâ noſtrâ Britannorum, Saxonum, Anglorum, manifeſtè apparet, & ſuo loco oſtendetur. Interim bonorum Principum prototypon, Lucius eſt. qui etiam Glaſtonienſem Joſephi ædem, Fugatii & Damiani procuratione ſtatim reparabit.

V. an. 191.

IX.

Sciebat jam Roma doctus ſolertiſſimus Princeps Lucius, potiſſima templorum ornamenta, non murorum ambitu & ſtructurâ; ſed inſtitutione hominum, & ingeniorum culturâ conſiſtere. Et tunc tantum regna, & Eccleſiam florere, cum formatis ad humanitatem animis, & omni literaturâ politis, abundant. Itaque in ſecundis habuit, doctis, docendiſque aliis gymnaſia ponere: quo doctorum hominum ſucceſſio eſſet æterna. In ea igitur Cambriæ parte, quam Deva fluvius alluit, nobiliſſimæ etiamnum cernuntur Banchorenſis Monaſterii ruinæ, quod à Lucio Rege ſub hoc tempus, initium ſumpſit. Academiam ab eo fundatam putant aliqui: alii volunt regularis vitæ viros locum occupaſſe. Sed ſi utrumque dixeris; à ritu primorum ſæculorum non exerras, nam ſine dubio, juventutem erudiri, & ad doctrinam formari, Lucius voluit: nec aptius ad id inſtrumentum, iis hominibus; qui Apoſtolico more, proximorum ſaluti incumbentes, Deo ſe totos, operamque ſuam, dedicant. Quod ad tempus pii operis, Joannes Pitſius hæc habet: *Banchorenſem Academiam à Lucio Rege, primo Chriſtiano, circa annum Domini 160. (Inverto & lego 190.) fundatam, poſt trecentos & quinquaginta plùs minùs annos, Congellus Banchorenſis primus Abbas in Monaſterium omninò mutavit.* Dixi invertendum numerum, legendumque centeſimum & nonageſimum annum: quia idem Author, paulò ſuperiùs, Lucii ad Fidem converſionem, ad annum conſignat centeſimum octogeſimum; Academia autem eſt converſione poſterior. Hic eſt locus ille, quem Beda dicit Monachis pleniſſimum, cum venit in Inſulam Auguſtinus: ab illo admodum differens, de quo in vita Sancti Malachiæ, Bernardus Sanctus mentionem facit, & Congelli primi Abbatis. Unde confundere Monaſteria videntur illi, qui utrobique Congellum nominant: & quia Pitſius, Balæum ſequutus, Congellum vult primum Abbatem fuiſſe: vereor ne nimiùm Apoſtatæ crediderit. nam Hiberni Congellum illum, ſive Comgallum, ſibi, ſuoque Monaſterio, multò rectiùs aſſerunt: ubi Benchor, in Ultonia locus, Malachiam Sanctum oſtentat. Cæterùm Bangor in Britannia, & Flintenſi agrò; ubi Bedæ Monaſterium, & pluſquam bis mille Monachi: & Bangor in Arvonia, ad Menaium fretum, ubi aliquando Epiſcopi Sedes, toto Oceano à Congelli Cœnobio differunt. Sanè, Balæus Epiſcopi Sedem, cum nobili Monaſterio imperitè confundit, cum ait: *Bannochorenſe Chriſtianorum Philoſophorum collegium: quod à Lucii Regis tempore, trecentos circiter, & quinquaginta duraverat annos: in Monachorum ſub Apoſtolici ordinis titulo Cœnobium permutavit Congellus: ex illius Præpoſito, anno Chriſti quingenteſimo trigeſimo, primus Abbas effectus.* Imperitè, inquam; quia ſub id tempus, novum Monaſterium à Daniele poſitum, in Arvonia, anno Chriſti quingenteſimo decimo ſexto; poſt paululum, in Sedem Epiſcopi migravit, Daniele in Sedem conſecrato, ſortè anno quingenteſimo trigeſimo. Imperitè etiam Joannes Henricus Alſtedius, ſed errore ſatis veniali, dixit: *Lucium Regem fundaſſe Scholam Bannachorenſem in Anglia; nam Britanniam meliùs nominaſſet.*

Banchorensis Monasterii initia.

Pitſ. in Proœmio. fo. 25.

Bangor in Arvonia, Sedes Episcopi.

Balæus cent. 1. c. 23.

Alſtedius in Chron. c. 23.

X. De Cantabrigiensi Schola.

Eodem modo intelligendus idem Author, cum ait: *Cantabrigienſi Schola in Anglia, primùm Lucius Rex, hoc tempore, privilegia dedit.* Sed dubium quoque hoc, & non affirmo; ne Oxonienſis Schola mihi litem intentet, velitque ipſa Cantabrigiam præcedere. Nec moveor Arthuri diplomate: licet privilegia enumeret, à Lucio conceſſa in hunc modum: *Arthurus, Regali à Deo fultus dignitate, omnibus ſuis ſalutem. Quia omnipotens Deus, per miſericordiam clementiæ, abſque ullo antecedente merito, ſceptra Regis mihi largitus eſt: Libenter ei, ex eo quod dedit, retribuo. Idcirco ejus gratia erudiius, pro amore cæleſtis gratiæ, remedioq; animarum anteceſſorum meorum Britanniæ Regum: pro augmentatione inſuper regni mei Britanniæ, ac profectu ſpiritualis Scholarium, in lege Domini jugiter Cantabrigiæ ſtudentium: conſilio, & aſſenſu omnium & ſingulorum Pontificum, & Principum hujus regni, & licentiâ Sedis Apoſtolicæ: ſtatuo præſenti ſcripto, & firmiter decerno; ut civitas ſcholarium prædicta (ubi hactenus ſplendorem ſcientiæ, & lumen doctrinæ, gratia favente Conditoris, mei prædeceſſores acceperunt) à publicis vectigalibus, & operibus oneroſis abſolvatur: ut quietudine Doctores ibi & Scholares valeant doctrinæ ſtudio inhærere. SICVT GLORIOSVS REX BRITANNIÆ Lucius decrevit, Chriſtianitatem amplectens prædicatione Doctorum Cantabrigiæ. Quamobrem ſint Scholares, atque Doctores Cantabrigiæ manentes in tranquillitate perpetuâ tuti, privilegiiq; muniti Regalibus, cum ſuis rebus & familiaribus, ab omnibus ſecularibus ſervitutibus: necnon à Regalibus tributis majoribus ſeu minoribus. Datum anno ab Incarnatione Domini, quingenteſimo trigeſimo primo, ſeptimo die Aprilis, in civitate Londinenſi.* Non moveor, inquam, hac hederâ: quia multa ſunt quæ ſuſpicionem adulterati diplomatis movent. Et certior eſt Lucii pietas, quàm quæ incertis probetur adminiculis. Porrò quicquid ſit de Schola hac; floruiſſe liberales artes in Britannia, non eſt dubium; cum religio Druidarum hic maximè floruerit, qui dicuntur litterarum amantiſſimi, & teſte Plinio, rerum cognitione florebant adeò, ut illam dediſſe Perſis videri poſſint. Recole quod dixit Tacitus ſuprà, Tito Imperante, Principum, nobiliumque filios, in Britanniâ, ſolitos liberalibus artibus eleganter expoliri Romanoſque tunc temporis, Britannorum ingenia, Gallorum ſtudiis prætuliſſe.

Arthuri diploma.

Evertitur.

V. an. 81. n. 2.

XI. In Mo-

Verùm ubi hæc culta ingenia; & quo in loco liberales artes traderentur, ante Chriſti Fidem,

NASTERIIS STUDIA FLORUERUNT.

in Insulâ doctam, non reperio. nam Cantabrigiam tunc notam aut natam fuisse, non ausim dicere. Tamen ubi Insula Christi jugum subiit, & onus leve: ut certum est, cultiores hominum mores; & mentes Fide illustriores fuisse: ita constat poliendis Britannorum ingeniis, formandisque ad humanitatem, plurimos studuisse. Unde non malè inferes; humanarum divinarumque literarum, quæ ad supradicta necessariæ essent, Doctores & Magistros fuisse, & loca studiis opportuna. Sed quia vix aliud in antiquioribus scriptis occurrit, quàm Ecclesiarum & Monasteriorum mentio: Ibi potiùs, quàm alibi, prima literarum studia floruisse; & fidei morumque disciplinam traditam, opinamur. Et quod ad Monasteria attinet, tot sequentibus sæculis, tam virorum, quàm mulierum, qui se Deo dicaverunt, examina legimus: ut necessum sit affirmare, magnum hoc primo tempore Seminarium, unde illa prodierunt, extitisse. Sic Antiquitatum Britannicarum Author, probaturus antiquam Insulæ Fidem, argumentatur in hunc modum. *Tot tantaq; Presbyterorum, Monachorum, Præsulum, Episcoporum, Cœnobiorum, Sediumq; vetusta nomina, quæ quovis sæculo extiterunt; etsi prætermittantur: tamen futuri temporis, ipsius Augustini ætate, eorumq;, qui eum sequuti sunt, recordatio, satis probat, Evangelium, quod primis illis Apostolorum temporibus, in Britannia nuntiatum, non modo semper retentum firmiter: sed singulis sæculis auctum, & dilatatum crevisse.* Quasi diceret: Monasteria plurima, Lucii ætatem statim sequentia; argumenta sunt, eorum quæ prius fuerunt: & omnia simul concludunt, Evangelium fidemque Christi, quam dictantibus Apostolis Insula excepit; non modo firmiter semper retentam, sed longè lateque propagatam esse: operâ nimirum industriaque eorum, qui in Monasteriis Regum & Principum pietate alebantur. Quo (ab adversariis) dato: orthodoxi sic subsumunt. Si hæc Monasteriorum series, & incrementum, arguit Christianæ, & Apostolicæ fidei constantiam in Britanniâ: ergo eorundem Monasteriorum destructio, & exterminium, probat Christianæ & Apostolicæ Fidei occasum atque exterminium. Hinc sæpè dicam in sequentibus, frustra sectarios nostros, à Saxone Romæ docto, ad Britannos hoc primo sæculo doctos appellare: quia quicquid Gregorium, & Saxonem peccasse causantur, illud idem à Britannis factitatum; si Antiquitatis rudera, vel paululùm moveantur; Monasteriorum, votorum, sacræ professionis religio, facilè ostendet. Pergo igitur ad annum sequentem.

Antiq. Britan. fol. 0.

ANNUS URBIS CONDITÆ 941.

ANNUS CHRISTI 190.

ELEUTHERII PAP. 12.

LUCII REGIS 67.

COMMODI IMP. 9.

I. DE LUCIO QUÆSTIONES ALIQUOT.

SEQUITUR Christi annus centesimus nonagesimus, Fusciano, & Silano Consulibus. Ubi de Lucio Rege quærendum, quid egerit? ubi vixerit? An Britanniam egressus? an domi manserit? & ubi denique mortuus? Inde oritur dubiorum ratio; qui Annales nostri, integrum decennium, cum magno Lucii silentio, transeuntes; nullam omninò ejus mentionem faciunt: & demùm decimo post anno, mortuum, nudè & simpliciter scribunt. Et tamen Antiquitatis studiosi, primi Christiani Principis vestigia lubentes sequeremur; avidè quid fecerit, inquirendo. Sequerentur, inquam; quia planè assequi, tot annorum centuriæ non permittent. Unde quid factum à Lucio, quid actum de Lucio, meritò à pluribus dubitatur, postquam se & omnem Remp. in Christi Fide confirmavit: adeo vetustas, & tot annorum ætates, hæc antiqua suis tenebris sepeliunt. Sunt qui velint Regem in Britannia quievisse; nec inde egressum: sed inter suos; *In dilectione Dei, & proximi* (ita Florilegus) *viventem, regnum suum in tranquillitate maximâ, moderatum esse.* Et certè, virum annis & ætate gravem, peregrè profectum; regnum sine hærede reliquisse, hactenus inauditum. Alii contra: Lucium è Britannia, in Gallias primò, inde in Germaniam transivisse, ibi Noricos docuisse, & demum Curiæ inter Rhætos mortuum, constanter affirmant. Sunt denique qui inter hæc duarum opinionum extrema; velut arbitri sedentes, ita pronuntiant. Lucium quendam in Germania Fidem prædicasse, ipsum è Britannia, & Regia stirpe, eò profectum: verùm non Coelli, sed Chlori, hoc est, Constantii Helenæque filium fuisse. & sic componunt, scilicet, omnem controversiam: ut Bavariæ suus Apostolus; & Britanniæ Rex suus postliminii jure tribuatur. Omitto quæ tradunt alii de Lucio Cyrenensi, & Lucio Pauli discipulo: quæ nullo fundamento, ut è discursu patebit, asseruntur.

Westmon. an. 187.

II. DUBIORUM SUBSTANTIA CIRCUMSTANTIIS VESTIENDA.

Enimvero periculosè satis navigat in historiarum Oceano, quisquis sine acu nauticâ, nullâ temporis ratione habitâ, cursum dirigit, aut dogma sententiamque definit. nam in scopulos, in syrtes, & magnarum difficultatum Euripos, inopinatò incidat, necesse est. Quod si altam antiquitatis caliginem ingreditur, majori procul dubio opus industria; quia majores ibi tenebræ; quæ nisi locorum, temporum, personarum circumstantiis, quantum fieri poterit, illustrentur: vel hæremus in vado, & porrò progredi non valemus: vel si conamur; in brevia, & devia abripimur quàm citissimè. In hac ergo quæstione, quæ multos exercuit, priùs excutiendæ sunt plures circumstantiæ; & certæ ab incertis secernendæ: & tum demum inspectis omnibus, affirmandum, quod est cæteris probabilius. Si enim superficie tenus tantum, res aliqua libretur; apparebit aliquando justi ponderis id, cui nihilominùs plura desunt justi ponderis momenta. Sit verbo exemplum. Qui novit Britannos, Germanosque de Lucio Rege contendere: quòd vivum Doctorem habuerint, & mortui exuvias. Ille videbitur, primis oculis, ingeniosè intercedere, & sine partium præjudicio suffragari. qui Lucium, primum Christianum Principem, Britanniæ; & Lucium alium, Magni scilicet Constantini fratrem, Germaniæ voluerit assignare. nam quis non dicet utrisque optimè satisfactum? Verùm coriosus Lector statim inquiret, de Norici primo Apostolo, & prima provinciæ illius conversione, quo anno facta? Quid ipsi Bavari, Germanique (nam illi in propositâ quæstione, præ cæteris interrogandi) sentiant? Inquiret

etiam de Conſtantii Helenæque liberis: quos antiqui, Latini pariter & Græci; ſacri etiam & profani Authores, indubiè nominabunt: & tum demùm, nec priùs, de re controverſâ, feret ſententiam. Si enim Germaniæ, aut Norici ad Chriſtum converſio, ad ſecundum ſæculum referenda: non erit Bavaris ſatisfactum; ſi ad quartum ſæculum illa referatur, & ad neſcio quem Helenæ Conſtantiique filium. Nec etiam Britanni quieſcent, ſi è regio Lucii diademate, titulisque, Apoſtolatus gloria, & ornamentum maximum detrahatur: atque ita poſt tale arbitrium ſummariè tantummodò factum; major altercandi cauſa naſcetur.

III. Quæ certò de Lucio aliquo traduntur.

Itaque in curioſi Lectoris gratiam; priuſquam Lucium, aut domi quieſcentem, aut foris peregrinum induo; ea in medium producam, quæ ſi non ſolvendæ quæſtioni penitùs inſervient (omnem enim lucem quis poterit pollicueri?) ad id tamen quod veritati proclivius, manducent. Cæterùm dicendorum fundamentum eſto, quod omnes admittunt: Lucium quendam in Germania, Chriſti Fidem, quà verbo, quà vita docuiſſe: Ibi in Rhætia mortuum, & demum inter Helvetios ſepultum, ubi nunc Curia, urbs, à Lucii ſanctitate nobilis. De hoc, opinor, nemo dubitat. Unde Gaſpar Bruſchius de Lucii aſceterio propè Curiam ita cecinit:

Gaſp. Bruſchius apud Raderum in Bava. ſancta.

Hoc tertum eſt quod quidam Lucius illic
Vir ſanctus, plebem Chriſti qui verba docebat
Vixerit: ædificans primò domicilia parva,
Atque anguſta ſibi: tumido qui pulſus ab Iſtro
Boiorum ruditate, ad Rhætos venerat exul.
Sed quis Lucius hic fuerit, quo ſanguine cretus:
Ex qua gente poteſt mihi diſceptatio oriri.

De tribus Luciis.

Hoc poſito indubiæ veritatis fundamento; Lucios in medium proferamus, & quis ad Boios primùm, inde ad Rhætos exul venire potuerit, Chriſtumque ibi primis ſæculis docere. Tres omninò, nec plures, nominantur: Cyrenenſis unus: alter Coelli Britannorum Regis filius; denique ex Chloro Conſtantio Helenaque genitus Lucion. Tres hi, pro Bavariæ Apoſtolatu, non tam contendunt ipſi, quàm Authores ſuper eo contentionem movent. Eſt & alius, ſi tamen alius, quem Doctor gentium Paulus ad Rom. c. 16. cognatum vocat. Sed is non videtur à Cyrenenſi alius: ex eorum præſertim ſententiâ, qui Cyrenenſem volunt Bavaros docuiſſe. De his igitur videndum; ubi Chriſtianæ Fidei in Germaniâ, aut ſaltem Bavariæ converſionis initia, priùs fuero contemplatus, quæ (quis dubitat?) à Germanis Authoribus petenda. nam illa temporis ratio, narrationis curſum ita diriget; ut, ſi non omnino veritatem aſſequi; vitare tamen poſſim devia ſcopuloſque; in quos minùs accurati homines plerumque impingunt. Enimverò ſi Bauari, primo alteróve ſæculo ad Chriſtum ſe converſos gloriantur: immeritò ad Chlori Conſtantii filium, qui quarto demum ſæculo fingitur vixiſſe, remittuntur.

IV. De tempore Converſionis Bavariæ.

Euſeb. l. 5. c. 21.

Marcus Velſerus duumvir Auguſtanus, eruditæ antiquitatis opinione clariſſimus, Rhætiæ converſionem ad Eleutherii Romani Pontificis tempora refert. nimirum, cum Euſebio teſte: *Commodo Imperium gubernante, noſtra Religio ad pacatum, & tranquillum ſtatum redacta fuit: & pax, divinâ gratiâ largiente, omnes Eccleſias in toto terrarum Orbe occupavit. Tunc enim* (nam placet argumentum nuper pro Britannia factum repetere) *ſalutaris Dei ſermo hominum mentes cujuſq; generis adeò attraxit ad piam Dei omnium rerum Conditoris religionem, cultumq;: ut jam Romæ complures & genere illuſtres, & rerum affluentia admodum locupletati, unà cum omni familia, & cognatione ſua, ſe ad ſuam ipſorum ſalutem amplexandam reciperent.* Hæc benè probant, non modò Britanniam, quæ Romana provincia cenſebatur; ſed plures alias Romani Imperii provincias, Chriſti Fidem amplecti potuiſſe, & verò amplexatas eſſe. Raderus etiam in Bavariâ Sanctâ, quæſtionem hanc tractans, cum Velſero eſt: & Bavariam à Lucio Sancto doctam affirmat, Eleutherio Romæ ſedente. Ægidius, de priſcâ Rhætiâ nominat annum centeſimum ſeptuageſimum ſextum, conjungitque illi anno Sedem Eleutherii, & ait: *Lucius amore plantandæ Chriſtianæ Fidei, veniſſe dicitur in Bavariam; eamq; ad Fidem convertit: poſthac ſecedens in Rhætiam*, &c. Andræas Preſbyter, paulò ſeriùs, Lucium in Germaniam conducens, ait: *Circa annum Domini centeſimum octogeſimum ſecundum, præſidente Eleutherio, duodecimo à B. Petro, Commodo Romanorum Imperatore regnante, Lucius &c. nudus & expeditus, peregrinatione ſuſcepta, partes Bavarorum, & totam Rhætiam, inter Alpes ſitam, miraculis & prædicationibus, ad Fidem Chriſti creditur convertiſſe.* Eundem annum habet Aubertus Miræus in Faſtis Belgicis; ubi ita: *Romana*, inquit, *Eccleſia faſti S. Lucium celebrant, qui Chriſti ſacris initiatus: relicto patrio cælo & regno, in Germaniam circa annum Domini centeſimum octogeſimum ſecundum venit: & Norico, Vindeliciâ, Rhætiaq; peragratâ: demum Curiæ Rhætorum beato fine obdormivit.* Denique Joannes Henricus Alſtedius in Chronologia, capite 27. quod inſcribitur: *Converſionis populorum ad fidem Chriſtianam*: hæc habet: *Anno centeſimo nonageſimo, Lucius quidam prædicavit Evangelium Auguſtæ Vindelicorum.* Quis non videt, hos Authores, Euſebii teſtimonio nixos, admodum probabiliter, de Bavaricæ converſionis exordio loqui. nimirum ſtatim à bello Marcomannico: ubi Deus tam prodigioſè pluit. ut Noricum, & loca contermina; ubi Quadi & Marcomanni habent; nullo negotio noſſe potuerint, id Chriſtianorum precibus factum, atque ita Chriſti fidem opportunè ſuſceperint.

Ægidius de priſca Rhæt. c. 18.

Apud Raderum in Bavar. Sancta.

Miræus in Faſtis 22. Decem.

Alſted. in Chron. c. 27.

V. Quis Lucius Bavariam converterit?

Nunc videndum: Quis Lucius fuerit tanti Author beneficii. Aubertus Miræus, ex aliorum ſententiâ loquens, ita ſcribit: Sunt qui tradunt Lucium Cyrenæi illius, qui Chriſto ſub Crucis mole fatiſcenti, in illa geſtanda vicariam operam præſtitit, filium, S. Pauli ſectatorem & comitem per Illyricum, & Germaniam, primùm Ratiſponæ Evangelii lucem promulgaſſe. Intelligit, opinor, Centuriatores Magdeburgicos, qui ita de Cyrenæo Lucio: *Enumerans* (inquiunt) *Lucas, Actorum decimo tertio, Prophetas, & Doctores in Eccleſiâ Antiochenâ, meminit & Lucii Cyrenenſis; quem ad Romanos ſexto, Paulus videtur appellare ſuum cognatum. Qui ſine dubio, è Cyrenenſibus illis unus fuit, qui Antiochiam ingreſſi, Græcis magno cum fructu, & acceſſione credentium, Chriſtum prædicarunt, Actorum 11. Et recentis memoriæ Ioannes Aventinus, Lucium hunc Cyrenenſem, commilitonem & cognatum Pauli, in Vindelicia, & Rhætia, provinciiſq;, Danubio conterminis, Chriſtianæ pietatis ſemina propagaſſe ſcribit.* Hæc illi. Et idem ſentire videntur Gaſpar Bruſchius, Feuardentius, & Sebaſtianus Munſterus: exiſtimantes hunc Pauli diſcipulum, Paulum ab Antiochiâ in Occidentem ſequutum.

Addit. ad cent. c. fol. 324.

Act. 13. 2. — *Martyrol. Roman. 6. Maii.* — *Pantal. de Viris illust. par. 2.*

Sed præterquàm quòd isti nimiùm properent, in Boiorum asserendâ Conversione, non videntur sacræ Scripturæ sensum plenè assequoti. Neo enim inde colligi potest, Lucium cum Paulo in Occidentem venisse: sed contrarium potiùs. nam cum Sanctus Lucas, Lucium, Barnabam, & Manahen nomioasset: mox addit: *Ministrantibus autem illis, & jejunantibus: dixit illis Spiritus Sanctus: Segregate mihi Paulum & Barnabam in opus ad quod assumpsi eos. Tunc jejunantes imponentesq; eis manus, dimiserunt illos*, &c. E quibus verbis segregatio, dimissio, & divisio potiùs, quàm conjunctio innuitur. Er verò Cyrenensis Lucius, apud Cyrenem urbis consecratus Episcopus; ibidem mortuus legitur in Romano Martyrologio, ad sextum Maii. Qui autem Rhætos docuit, Curiæ quiescit; ut omnes affirmant. Denique qui Noricorum Apostolus dicitur, in Curiensi Breviario, vocatur, *Regio stemmate apud Britannos ortus*: vel or habent Pantaleoo & Stumfius, *Regio Britannorum sanguine prognatus*. quod de Cyrenensi dici non potest. Unde erratum sine dubio in Lucii cognomine. Qui enim Curiensis aliquando appellatus est, è loco mortis, & cultus ejus; Creticus aliquis, notiore in Scripturis nomine, Cyrenensem dixit. Adde quod Novarores, qui se à Romanâ Ecclesiâ subduxerunt; facilè in Oriente errent, ubi habent factionis socios: suspectæ igitur merces, quæ inde à sectariis petuntur.

CURIENSIS LUCIUS IN CYRENENSEM TRANSIIT.

VI. DE LUCIONE CONSTANTINI M. FRATRE.

Hollinsh. in; de scrip. Britan. — FABULA DE HELENÆ LIBERIS.

Alii igitur videntes hæc temporis, locorum, atque personarum *absurda & quæ consistere non possunt ἄτοπα καὶ ἀσύστατα*: ut charibdim errorum vitent, ad Magni Constantini tempora referunt, quæ de Lucio scribuntur. Et ne cogantur in Orientem proficisci, inveniunt è vicino Lucium, è Regio Britannorum sanguine: non illum Coelli filium, qui Fidem Româ, solenni legatione, petiit: sed alium multò posteriùs, è Chloro (scilicet) Constantio, Helenaque genitum: & ita, quis dubitat, de Regio Britannorum sanguine prognatum. Raphaël Hollinshedus, è nescio quibus apocryphis, ita recitat. Constantio, qui Helenam Britannam fœminam cepit uxorem, quatuor sunt nati, ex eadem Helena, liberi: primogeniti nomen, nunquam innotuit: secundò genitus, Lucion, cum primogenito rixatus, illum occidit. Quam ob causam, à Constantio proscriptus, in Gallia exulavit. Ibi tactus cousciensscientiâ sceleris, Deos ejurat, Christi Fidem, & sacra amplexus, multa inde fecir pietatis opera. Qui porrò in Germaniam progressus, cum Sorore Emerita: precibus ibi, & contemplationi deditus; primò Sacerdos, inde Episcopus consecratur. Oratorium etiam construxit, quod tractu temporis in Abbatiam surrexit. Huic sententiæ subscripsit Joannes Broughtonus centuriâ tertiâ, & pluribus in locis illam conatur asserere: argumeotis inde sumptis. tum quia in Curiensi Breviario hymnus legitur cum hoc exordio: *Gaude Lucionum* &c. Tum quia ibi passim, & ab Authoribus sæpè, Curiensis Lucius, legitur è Regio stemmate Britannorum: quæ optimè in Lucionem cadunt, Helenæ filium. Tum denique quia Lucii Britanni orbs, Curia, nondum erat hoc secundo sæculo, Episcopi Sedes. nam ut habet Bruschius in Catalogo: *Episcopatus Churensis, vel Curiensis in Rhætis, unus è vetustissimis Germaniæ Episcopatibus, capit circa annum Christianæ redemptionis, quadringentesimum quadragesimum.* nullo igitur modo, ad Lucium Regem & secundum hoc sæculum referri potest. Ita putanr Authores isti salvari omnia: vnarique difficultatum charibdin; in quam incidere putant illos, qui aut Cyrenensem Lucium, ab Oriente in Germaniam trahunt: aut multæ ætatis Britannorum Regem, coronâ & provinciâ suâ exuentes, Norici Doctorem creant.

Io. Broughton. cent. 3. c. 2. & 12. — *Brusch. in Catalog. Episc. initio*

VII. EXPLODITUR.

Sed vereor oe in Scyllam incidanr: dum à primo, aur secundo sæculo, in quartum, quintumqoe declinanr: parum Britanniæ, nihil Germaniæ, nihil veritati velificantes. Discussi aliquando quæstionem hanc, Raphaëli Hollinshedo penè indignatus; quod levi calamo, Lucio Rege exauctorato, nescio quem Luciooem substituerit: cujus in probatis Authoribus nulla mentio. Accusavi etiam tempora sanctis inimica: quòd cultum primò, inde Apostolatus dignitatem inviderint. nunc debeo moderatiùs agere, cum videam orthodoxum, multæque lectionis virum, in eandem manibus pedibusque ire sententiam, & pro Lucio stare, Constantii filio. Coosto mihi tamen & dico

Incidit in Cyllam, cupiens vitare Charibdim,

quisquis Curiensem Lucium, Helenæ filium facere contendit. Et sanè si innominatos, aut non tanti splendoris parentes, in sententiæ suæ patrocinium hi Authores vocassent, refellendi non leve negotium fuisset. Nunc verò candorem laudo; quod par illud Augustorum, in disputationis arenam produxerint: quorum nomina, liberos, acta, Scriprores Græci pariter, & Larini loquuntur. nam inde constare poterit, quot, & quos liberos ex Helena Britannâ, Constantius susceperit. Quòd si Lucionem, vel Lucium hunc taceanr; meritò admirari potero eos, qui sine teste novos partus fingunt, obtruduntque lectoribus, non sine læsæ veritatis & majestatis crimine. Si verò antiquiores passim affirment, Constantinum, Constantii Chlori Helenæque filium primogenitum fuisse; nonne in errorum Scyllam impegerunt, qui duos finxerunt illo priores? Denique qui Sanctam Helenam à prole, pietate, ab inventâ Cruce laudaverunt: Si Constantinum, unicum ejus filium agnoscunt; multo satis argumento probabitur, figmentum esse Lucionis fabula: & verus Norici Doctor, sive Curiensis Lucius, manifestè apparebit.

VIII.

Baron. an. 306. n. 21. — HELENÆ FILIUS UNICUS CONSTANTINUS.

Baronius tomo tertio; ubi scrupulosè parentes Helenæ, conjugem & liberos exponit; ita demùm concludit. *At de Helenâ modò hactenus: ex quâ Constantium genuisse alium filium, vel filiam, præter Constantinum, nulla memoria est.* Ergo primogeniti Lucionis nulla memoria est, aur Emeritæ filiæ. & corruat necesse est, quicquid de Lucio fingitur Helenæ filio. Nec foret opus ariete; nisi animus esset pro veritate altiùs stipulari: nè res in se, & diuturnitate temporis obscura, obscurior fieret aliorum fingendi libidine. Dico Magnum Constantinum, ut Helenæ unicum; ita Constantii primogenitum fuisse. Affirmat id Eusebius Constantino familiaris, ita Constantii Patris mortem describens: *Constantium in medio filiorum pariter, & filiarum, ipsum instar chori illum cingentium undique se statuens: & in ipsâ Regiâ, inq; Regio cubili decumbens; regni hereditate, filio qui reliquos ætate antei bat communi lege naturæ traditâ, decessit è vitâ.* Quid clarius, Constantinum, qui natalium jure imperium obtinuit, primogenitum fuisse. Hinc laudandi ansam arripuere Oratores omnes, qui panegyres scripsere. Inter

Euseb. in vita l. 1. c. 15.

quos

quos Eumenius ita orat, laudatque Constantium, qood Constantinum hæredem dixerit: *Quin imo,* inquit, *sententiam rogatus Constantius, cui imperium decerneret, dixit ut decebat Constantium pium: manifestè enim sententiâ Patris electus es Imperator.* Profectò, omisso primogenito, & secundo genito, tertium eligere, præter communem naturæ legem, nec Pium decebat, oec Constantium patrem. Addo eundem, argumentum hoc prosequentem fusiùs: cujus verba ferè singula, Constantinum faciunt Constantii primogenitum. *Inter omnes,* inquit, *participes majestatis tuæ, hoc habes Constantine præcipuum: quod non posit fortuna numini tuo imputare, quod tuum est* (hoc est, interprete Livineio, quod uni tibi, & natalibus debetur) *omisso habitu & suffragatione, non fortuita hominum consensio: non repentinus aliquis favoris eventus, te Principem fecit. Imperium nascendo meruisti. Quòd quidem mihi Deorum immortalium munus, & primum videtur & maximum, in lucem statim felicem venire: & ea quæ alii, vix totius vitæ laboribus consequuntur; jam domi parta suscipere. Quamvis enim magna sit & admiranda felicitas, quæ stipendiis in ordinem meritis, militiæ gradibus emensis, ad fastigium illud majestatis ascendit: & virtutis nixa radicibus, ad tantum potentiæ robur invaluit, &c. Magnum, inquam est, à se profectum, ad maxima pervenire: longè tamen aliud est, nisi per ardua; & juga montium patere plano: aliud ipsa ortus sui sublimitate, fultum verticem tenere fortunæ: & quæ summa sunt, non sperare, sed tenere.* Sanè qui nascendo meruit Imperium: qui ortus sui sublimitate felicitatis verticem tenuit, Constantii primogenitus videtur fuisse.

Eumen. Pan. 9.

Idem suprà.

IX. CONSTANTINUS CONSTANTII PRIMOGENITUS.

Sed clariora sunt quæ sequuntur: & Constantinum jure hæredem primumque Constantii filium disertè affirmant. nam ita pergit Eumenius Constantinum laudare: *Sacrum illud palatium, non candidatus imperii, sed designatus intrasti: confestimq́, te illi paterni lares successorem videre legitimum. Neque enim erat dubium, quin ei competeret hæreditas; quem PRIMVM Imperatori filium, fata tribuissent.* En extra dubium, & certò constans, Constantinum Constantii primogenitum esse. Illi ergo erraverunt ab utero, & loquuti sunt falsa, qui duos finxerunt Constantii liberos, Constantino priores. Sed erratum fortè in ordine filiorum. & Lucion non primò, sed secundò genitus fuit. Esset profectò venialis error, si in ordinis tantùm circumstantiâ, narratio claudicaret: sed revera peccat ubique, & παράζυμα est, quod de pluribus Constantii Helenæque filiis dicitur. nam cum Eumenius Constantinum suprà vocasset primum Constantii filium, mox addit: *Te enim tantum, ille & Imperator in terris, & in cælo Deus, in primo ætatis suæ flore generavit, toto adhuc corpore vigens illa præditus alacritate,* &c. Hinc benè Livincius, exponens panegyricum alium, Maximiano & Constantino dictum; in quo hæc habentur: *Quanto nunc gaudio potiris, Dive Constanti: quanta voluptate perfrueris: cum talem hunc filium tuum; qui te primus Patrem fecit, in Imperii tui possessionem, idem Pater, idem Socer, idem Imperator induxerit.* Confirmat, inquam, Livincius hac periodo, quod suprà dixerat Eumenius: *Quem primum Imperatori filium fata tribuissent.* & mox: *Addo,* inquit, *& unicum quoque, ut mox dicet, ex Helena quidem: nam cæteri ejus, quà fratres, quà sorores, è Theodora Herculis Augusti privigna. Nolo plures testes ciere in re perspicua: sufficiat cum Baronio dicere ex Helena Constantium genuisse alium filium aut filiam, præter Constantinum nulla est memoria.* Hoc est antiquorum nemo, non Græcus, non Latinus, Lucionis meminit, aut Emeritæ, è Constantio Helenaque genitorum. Quo ergo modo potuit Constantii filius, Constantino natu major, tanto silentio Noricum docere; ut ejus nemo meminerit? Quamobrem Lucius alius quærendus est, qui docendi Bavaros provinciam, certiore suffragio, suscipiat.

Eumen. pan. 9.

Incerti pan. 5.

X. LUCIUS BRITANNORUM REX BAVAROS DOCUIT.

Habitá ratione temporis (quæ dubiarum rerum optima moderatrix est) quo Bavari, & Rhætia in Christum crediderunt: & consultis in Germaniâ, antiquæ literaturæ peritissimis: inspecto etiam Curiensis Ecclesiæ breviario; ubi Lucius Regio Britannorum sanguine prognatus, Apostoli dignitatem obtinuit: cum Authores omnes, ad id munus Lucium nominent: cum nemo in Orientem pro Cyrenensi, ascendere; nemo in quartum sæculum pro Lucione descendere, sine certo naufragii periculo possit: dicamus quod est cæteris omnibus longè probabiliùs: Lucium Britannorum Regem, cognomento Pium, ab Eleutherio conversum; Primitias spiritus habentem, Cum Christi fidem in suo regno stabilitam cerneret; fundatis Ecclesiis, erectis Monasteriis, positis erudiendæ juventutis collegiis; constitutis Episcoporum Sedibus, dotatisque; non contentum sparsisse lucem, in orbe suo; quæsivisse alium, in quem se, & pietatis suæ igniculos effunderet. Quod tanto tamen silentio fecit; ut latere potiùs, quàm lucere voluerit. Quod obstinatè latere voluerit, argumentum est, Authorum nostrorum de eo sanctum silentium. Quod foris luxerit (nam lucem qui fugit, lucem meretur) testantur exteri, qui profectionem ejus, itinera in Galliam, Bavariam, & denique in Rhætiam opportunè collegerunt. Et quod instar multorum testium est, Romanum Martyrologium, hunc oostrum Britannorum Regem Lucium, Curiæ apud Rhætos sepelivit, ut infrà. Itaque si dixero, cum hoc anno centesimo nonagesimo, positâ coronâ regnom reliquisse: Et vel Romam peregrinandi desiderio: vel alibi fidem, Christumque, quo erat plenus, prædicandi ardore profectum: nihil dixero, à Regiâ Principum hujus Insulæ Fide & pietate alienum, aut insolens. Quis enim nescit in more Britannis positum fuisse, Romam & ad sacra loca, pietatis causâ proficisci? Unde Giraldus Cambrensis antiquorum Britannorum Fidem explicans; quam Germanus Antisiodorensis & Lupus Trecensis Episcopi, in Insula invenerunt, & confirmaverunt: inter cætera ait: *Præ omni autem peregrino labore, Romam peregrè libentius eundo, devotis mentibus Apostolorum limina propensius adorant.* Nec hoc è plebe solùm: sed ipsi quoque Reges, in omni Rep. nostra fecere. Et cum Lucius Christianorum Regum primus fuerit; cur non etiam opinabor ipsum quoque fuisse, in hoc pietatis fideique genere, prototypon? Hic certè nullum errandi periculum. Et qui Spiritus Sancti primitias debitè contemplatur; videbit innumeros, omnibus fortunæ bonis, ad Apostolorum pedes projectis, se suaque omnia reliquisse. Nihil ergo est, inspectâ Lucii pietate, fidem superans.

Girald. descrip. Cambriæ c. 18.

XI. BROUGHTONI OBIECTIO SOLVITUR.

Hinc solvitur objectio Joannis Broughtoni, qua dicit, repetitque, non uno in loco: Lucium *salvâ conscientiâ,* imo *salvâ justitiâ, & charitate;* non potuisse regnum suum, rebus in Britannia

Cent. 3. c. 2. n. 4. & c. 22. n. 5.

turbatis,

turbatis, relinquere. nam scrupulus est, & facilè tollitur: si dixeris Lucium, Christi vocem excepisse, sine ullâ exceptione, affirmantis: *Qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Putabat enimvero sibi licere Christi nomen in Germaniâ prædicare: inde tutâ conscientiâ ad Romani Pontificis, qui Insulam Fide beaverat, pedes, sceptrum, coronam, regnum, denique seipsum projicere. Nihil enim horum Christus exceperat. Hos ergo scrupulos, ceu aranearum telam rumpebant facilè Heroes isti; qui calente adhuc Christi sanguine madebant, Spiritus Sancti musto pleni. Quid enim? Debéntne in judicium citari, nobilissimi Principes hujus Insulæ; Offæ, & Seberti in Oriente; Cedwallæ, & Inæ in Occidente; Offa quoque, & Burrhedus, Merciorum Reges: denique Ethelwolfus & Alfredus Monarchæ, qui rebus aliquando turbatissimis, reliquerunt omnia, & sequuti sunt Christum? Si Reges illi, cum omni in cives imperio; laudem à posteris; & ab Ecclesia, propterea meruerunt sanctitatis præmium: cur vitio dabitur Lucio Regi, si cives reliquit, in quos Romani majus, quàm ipse, imperium præsumpserant? Jam verò si sanctiorem Remp. spectes, nihil ibi turbarum, erant pacata omnia, ornatæ Ecclesiæ, distinctæ & designatæ, imo Broughtono teste, impletæ Episcoporum Sedes: apertæ Scholæ ad æternitatem Fidei: nihil denique reliquum, in quo Regis pietas aut industria desudaret. Quid ergo ille, amabo te, in justitiam peccavit: qui se & sua omnia reliquit? Quid in charitatem, qui amore Dei, & proximi totus ardebat adeo, ut se suaque ad id impenderet? Hic nova amoris lex, nova justitia fingitur; ut novus Lucion, nova apotheosi; exauctorato, traductoque Sancto Lucio, in Germaniæ Apostolatum intrudatur. Dico igitur, Regiam Britannorum & Saxonum sequutum, nullam impietatem esse, depositâ coronâ, Romam pietatis ergo proficisci; & Christum, ubi transis, prædicare.

Mat. 19. 29.

Broughton. cent. 2. c. 19.

XII. Cur senex Lucius peregre profectus?

Absoluto à criminis suspicione Lucio: videndum quæ alia profectionem ejus, & iter impediant. Et illud imprimis; quod multæ ætatis vir, & annis gravis, ad quietem magis, quàm ad itineris labores, & molestias opportunior videretur: cur ergo peregrè sepulchrum quæreret; qui domi cum majoribus sepeliri posset? Ita benè philosophatur humana prudentia: sed moneo; quoties cælum loquitur, aut spiritus Dei; facessat caro, & quicquid illi blanditur: quia divinior impetus trahit ad humanis sensibus majora. non domi quiescere, sed exire de terra facit, & omni cognatione. Imò nescit tarda molimina, quem semel introduxit Rex in cellam vinariam, & in eo ordinat charitatem. Qui Romanam Fidem devotè expetiit, excepitque Lucius, cognomento Pius, mavult ad Apostolorum limina mori, quàm domi, & in aula quiescere. Ita posterioribus sæculis in Britannia dictum factumque à Cedwalla, Occidentalium Saxonum Rege (Britannum non Saxonem putat Baronius:) *Cum genti suæ* (loquitur Beda) *duobus annis strenuissimè præfuisset; relicto imperio propter Dominum, regnumque perpetuum, venit Romam. Hoc sibi gloria singularis desiderans adipisci: ut ad limina Beatorum Apostolorum, fonte baptismatis ablueretur: in quo solo didicerat, generi humano patere vita cælestis introitum. Simul etiam sperans; quia mox baptizatus, carne solutus, ad æterna gaudia jam mundus transiret. Quod utrumque ut mente disposuerat, domino ordinante completum est.* Ecce, quod Lucio objicitur itineri impedimentum, mors vicina; ambitio, & illecebra sanctis viris, non impedimentum est. Ivisset fortè Romam baptismum petiturus Lucius; si senectutis incommoda, viarumque pericula, baptismum non accelerassent: sed Romæ, aut in itinere mori, non timebat vir cæli, quàm regni aut quietis appetentior. Si nulla hujus generis Regum nostrorum exempla sequuta fuissent; minueret fidem quod de Lucio diximus: sed cum Reges nostri frequentes Romam iverint; regnum & coronam reliquerint; imo Romæ sorisque mortui: Cur miramur Lucium, qui privilegio nominis, divinoque consilio præire alios & prælucere debuit, exemplo fuisse? Et cur difficilè creditur in primo Principe, quod certò scitur, à sequentibus frequentatum.

Baron. an. 689. Beda lib. 5. c. 7.

XIII. De Authorum nostrorum silentio.

Verùm Lucio nostro nihil magis obest, quàm Authorum nostrorum modestia; qui profectionem ejus silentio involventes, vel eo solùm argumento suspectam reddiderunt. nec id solùm; sed disertè affirmant aliqui Lucium in Britannia mortuum, & sepulturæ locum designant. Ita Galfridus: *In urbe*, inquit, *Claudiocestria ab hac vita migravit, & in Ecclesia primæ Sedis honorificè sepultus est:* Cur ergo privamus Insulam tam sancto Principe; ditamusque exteros tanto thesauro? Argumentum mortis, locique sepulturæ, est ænea lamina, quæ Claudio-cestriæ visebatur, effigie Lucii Regis manibus templum gestantis insignis.

Galfrid. l. 5. c. 1.

Solvitur objectio.

Respondeo: Quod Britannorum res gestæ silentio sepultæ sint domi, non potest obesse eorum industriæ, qui foris eas collegerunt. Si Lucius obstinatè latere voluit: & regnum suum Romanis, vel quod sacra spectat, Episcopis permittere; ut sibi Deoque vacaret: quid mirum, si parva ejus mentio reliqua est, in paucis, quæ temporum injuriam superarunt, scriptis Britannorum. Sed & silentium hoc, meæ causæ patrocinatur. nam si domi, & in coronâ vixisset: illustriora forent ejus acta: nec Authores nostri illa tacuissent. nunc solùm retinuit Britannia beneficii memoriam, quo Lucius beavit patriam; cum Roma Fidei Doctores petiit: & sufficiebat hoc ad æternitatem nominis. si omisit alia, permisitque illis, quos ipse docuit, modestiæ majus, quàm negligentiæ argumentum erit. Spectabat ad Bavaros, Helvetios, & Rhætos; ea literis mandare, quæ apud ipsos gesta: & inde Britanniæ nostræ laus illustrior; quàm si domestici testes, in patriam ferè proniores, ea propalarent. Testis Galfredus, qui Lucium in Britannia sepelivit. Ille in patriæ laudes tam effusus est, in Arthurum Regem, ejusque gesta, tanto orationis impetu fertur; ut veritatis metas sæpiùs prætergressus, nullam sibi laudem, nullam Arthuro gloriam pepererit. Parva ergo ejus authoritas in re domesticâ: nec potest gravissimam aliorum authoritatem, nullo fuco sibi aliisque blandientium elidere. Hi nullo in patriam affectu, solo veritatis studio ducti, Fidei suæ incunabula recensent atque conservant.

XIV. Corollarium ex prædictis.

Itaque si Curiensis Ecclesia, jam aliquot annorum centuriis, Lucium Britanniæ Regem coluit: si dixit Doctorem Fidei & primum Apostolum: si corpus ejus olim cives religiosè venerati sunt, hodieque ostentant sepulchri locum: si corporis

exuviæ per Germaniam sparsæ, ab orthodoxis cum honore cultuque servantur: si Romanum Martyrologium, omnium Ecclesiarum Archivium, & rerum è virtute gestarum custos fidelissima, quotannis canit ad tertium Decembris: *Curiæ in Germania, Sancti Lucii, Britannorum Regis: qui primus ex iis Regibus Christi Fidem suscepit tempore Eleutherii Papæ.* Denique si Germani Scriptores, primæque notæ, huic veritati astipulantes, Lucium nostrum, Norici Doctorem, & Bavarorum Apostolum indigitant. Quis Galfrido centies claudicanti, & paucos post se ducenti, fidem adhibebit; eo solùm argumento, quod antiquiores Lucii profectionem tacuerint? Certè lamina ænea, cum Lucii effigie, templum manibus gestantis, indicium esse potest, templum à Lucio structum fuisse: nullo modo probat Lucium ibi sepultum. Nam si ibi sepultus; ædes illum tenere, non ille ædem tenere debuisset. Quinimmò Wintoniensis quoque Ecclesia gloriari solebat aliquando, se Lucii corpus habere: quod de sacrarum Reliquiarum parte, potest intelligi. & fortè eo modo creditum, Lucium Claudiocestriæ quievisse. nam ubi pars corporis pietatis causa ponitur, sanctum in corpore ibi quiescentem coli, mos est, fuitque; ut pluribus dicam in Protomartyre Albano. Unde qui vulgi Dialectum, & Scriptorum aliquorum loquendi morem intelligit; probè novit synecdochicos sæpè dici, corpus sancti ibi esse, ubi pars solummodò corporis religiosè colitur. Ad eum modum Richardus Vitus libro quinto historiæ: *Lucii corpus* (inquit) *in Britanniam reportatum Claudiocestriæ honorificè sepultum esse fertur.* nimirum è Curiensi Ecclesia, ubi illud Vitus sepeliverat. Unde quod Lucius dicatur Claudiocestriæ conditus, nullum contra Curiensis Ecclesiæ traditionem argumentum est. Sicut nec illud quod in Londinensi apud Cornhil tabula legitur: *Secundum quadam Chronica Lucius Londini sepultus est.* Eò enim, ceu ad Urbem Regiam, ejus reliquias allatas, cultasque à fidelibus, vix est dubium. Quamvis inde forsan orta sit Londinensis sepulturæ mentio: quòd Galfredus suprà dixerit; *in Ecclesia primæ Sedis honorificè sepultum.* & primæ Sedis nomine Londinensis Sedes perperam intellecta: cum Claudiocestria non nisi hoc ultimo schismate Sedes Episcopi fuerit: Sed Galfredi dialecto, Ecclesiam Glocestriæ principem, nec aliud eo modo loquendi venire, benè notat Usserus.

Rom. Martyrolog. 3 Decemb.

De Lucio Claudiocestriæ sepulto.

Apud Usser. fol. 140.

Usser. fol. 140.

XV. Confirmatur Lucius Bavarorum Apostolus.

Præparatâ in hunc modum viâ, fimmotisque offendiculis, quæ eunteın Lucium morari poterant: repeto filum narrationis nostræ, & consilium profectionis ejus: quam nunc munio eorum authoritate, qui affirmant Bavaros, Rhætosque, non ab alio, quàm à Lucio Britannorum Rege, ad Fidem conversos esse. Imprimis quotquot suprà, eorum conversionem ad Eleutherii Pontificis tempora retulerunt, Britannorum Regem disertè loquuntur. Marcus Velserus de Cyrenensi Lucio, qui fingitur, ita scribit: *Eorum nugæ, qui Cyrenensem Lucium, cum Britannico miscent: nec temporis, quanta intercapedo sit, vident, responsione indigna sunt.* Idem, opinor, dicturus, de Lucione Constantii filio; quia temporis intercapedo major. Matthæus Raderus in Bavariâ Sanctâ, ubi de primis Fidei præconibus, apud Boios, agit: cum dubios recensuisset, ita de Lucio nostro: *De Britannico Fides certa, ex antiquissimis & primæ notæ Scriptoribus.* Denique Ægidius Scudus, libro de priscâ Rhætiâ: Andreas Presbyter; Petrus Mersæus, in Catalogo; Hermannus Schedel, Stumsius, Aubertus Miræus in Fastis Belgicis, Joannes Nauclerus, Jacobus Godwinus, Richardus Vitus, Usserus in Primordiis, Notkerus Balbulus in Martyrologio. Denique Baronius in notis ad tertium Decembris. Addam Coronidis loco, quæ Raderus, de Lucio Bavariæ Apostolo scribit, & ejus genere; ut videat Lector, illum ipsum esse, quem hactenus descripsimus. Cum enim illum ornasset hac epigraphe:

Velser. l. 6. rerum August.

Rader. Bavaria Sancta

SANCTUS LUCIUS BRITANNORUM REX CHRISTIANUS, NORICI DOCTOR.

Mox addit: *Multa Germaniæ terræ Britannia, Scotia, Hibernia, lumina Fidei misit; quæ offusas nobis ignorantiæ tenebras, calestibus veritatis radiis dispellerent. Hoc primum fuit, eoq; illustrius; quod ex claro Regum solio, Sol hic ortus, noctem in Norico in Rhætia fugarit: ut liberalem Dei beneficentiam agnoscas. Latuisset hoc sidus in vetustatis antiquitate. nisi è sublimi Regii fastus tribunali, in humilium servorum, aut certe peregrinorum formam, cum Emeritâ germanâ suâ descendisset. Clarior nunc ubique gentium habetur, postquam claritudinem titulorum abjecit: ut enim alta premere Deus; ita pressa rursum protollere consuevit. Coëllo Rege, Marii F. Arviragi nepote natus Lucius; cum de Christo & Christianâ disciplinâ multa cognovisset: misit Legatos ad Eleutherium, rei tum Christianæ summum Romæ Antistitem; sanctioris religionis Magistros petiturus. A quo Fugatius & Donatianus missi, Lucium Christianis sacris initiarunt. Institutus ergo religionis nostræ sacris, & calesti Baptismatis fonte tinctus, fortunâ Regia, cum Christi paupertate, mutatâ; sequutus priscorum Doctorum vivendi rationem: relicto patrio solo, tituloq; regni abdicatis: ut hoc certius regni immortalis heres scriberetur; quam ipse lucem è cælo hauserat; ut eandem aliis luceret, Noricum, Vindeliciam, & Rhætiam peragratus, multa indigna forti pectore perpessus, multos ad Christi castra pertraxit.* Hæc omnia Raderus, quæ ideo præmitto, ut mox à me dicenda firmentur.

Rader. suprà.

Redeo igitur in Britanniam, contemplaturus Deum, formantem Lucium omnibus pòst Regibus futurum exemplum. Et verò si liberalem Dei manum, si nascentis Ecclesiæ primitias, si novitium ardorem, & calentem adhuc crucifixi sanguinem intueor: Is sine dubio Lucius fuit, cognomento Pius, qui Christum arctissimè sequeretur. Igitur utràque Rep. sanctè compositâ: & omnium civium moribus, in meliora mutatis, ita secum ratiocinatus est. En tibi Luci, Evangelii lux orta, & sapit Christus: Quid ultra tibi sceptrum & corona? Enimvero non illa Deo meo; sed arundo, & spinæ placuerunt. Ergo cui ille sapit, ista desipiant, necesse est; muta igitur amores tuos: & mundum falle, qui fefellit multos: tunc liberiùs tuo Christo frueris, & ipsum tenebis arctiùs. Quid patriam moraris? una Christianis omnibus patria est: quam nobis crucifixi Dei sanguis asseruit. Viles sunt mundi deliciæ; & nulla ejus gaudia, cælos, & quæ ibi sunt æternitatis præmia contemplanti. Sed durum fortè mundum abjicere, & commune naturæ beneficium, ac publica regni munia, privatis affectibus posthabere. Durum profectò assuetum honoribus animum, ad ignominias & infima

XVI. Lucius de profectione deliberat.

condemnare.

condemnare. Imo viam hanc quam nemo trivit, ſine duce inire, temerarium. Et, vel porro non perges; vel ſuccumbes inglorius. Sed apage hæc parvæ mentis terriculamenta, has timorum umbras, vanoſque metus. Durum non eſt, ſed voluptas ſumma; ut fruaris cælo, mundum projicere: & naturæ beneficia, quæ ſæpè mortalibus nocent, præſtantioribus gratiæ beneficiis commutare. Nec arduum erit Crucifixum intuenti, ignominias & viliſſima quæque ambire. Honores, ſuperbiæ ſtimulos, & alia vitiatæ mentis mala, ſecretior, ſqualidiorque vita fruſtrabitur: & illa omnia quæ mortales, in errores & devia ducunt ac præcipitant; tanquam deſtituta alimentis incendia, minùs nocebunt. Et ubi mens vitiorum jugo excuſſo, nativo ſplendori redditur: mox exciſo, aut caſtigato effrenis naturæ impetu, virtutem ſuaviſſimè amplectetur: & facilis de cætero erit in cælum via. Nec deſunt exempla, ex quo è Patris ſinu, unigenitus Filius, Chriſtus Dominus (quem ſequi certum eſt) ad mundi hujus ludibria deſcendit: ſpretiſque omnibus, quid fugiendum, quid ſequendum, quid denique pretioſum eſſet, oſtendit. Illum ſi Ducem habeo, nullum erit in via periculum: & ſi quid fortè occurret, ille benigniſſimè manum porriget.

XVII. In Galliastrajicit.

In hunc modum Lucius, cum ſua ſolerter conſilia probaſſet, vidiſſetque conſtare, quærit modum exequendi præclari facinoris. Et ratus non futurum è re ſuâ, ſuorum Procerum ſententias exquirere: paucis conſilii & itineris conſciis, mentem ſenſumque profectionis ſuæ aperit: & unà cum ſorore Emeritâ, quæ Chriſtum quoque caſtiſſimè ſequi cupiebat, in Gallias trajicit, hoc, opinor anno, centeſimo nonageſimo. Hinc nata quorundam ſuſpicio, ipſum poſt ſeptem à baptiſmo annos, mortuum: cum reverà non niſi mundo, regnoque & civibus ſuis, mortuus eſſet. Hinc etiam altum de eo in Annalibus noſtris, poſt hæc ſilentium, & major apud externos Lucii memoria. Quod aliqui in veritatis præjudicium traxere: ſed ſi latendi propoſitum expendatur, favet potiùs, quàm adverſatur profectioni ejus. Quid deinde extra Britanniam Lucius egerit; ut ad Noricos iverit; ut in Rhætia quieverit, dicam infrà ſuo loco. nam quamvis Alſtedius ſuprà dixerit, Lucium quendam anno centeſimo nonageſimo, prædicaſſe Evangelium Auguſtæ Vindelicorum: intelligit profectionis initium, tempuſque quo ſe ad iter accinxit. Et quoniam illi, per Galliam primò tranſeundum erat, ibi hoc anno, nec inutiliter laboraſſe, multi crediderunt. Quod in Gallias primo trajecerit, poſt alios affirmat Jacobus Malbrancque; qui ſatis officioſè illum in Morinis excipit; & inde obſervatis ejus veſtigiis, in Germaniam deducit: & præfatus pauca de Lucii pietate, hæc habet libro ſecundo de Morinis. *Lucii Regis Fides, tanto ex illa Romanæ legationis acceſſione lumine coruſcavit: ut jam in mirandas Chriſtianæ charitatis faces exardeſceret. Britanniam omnem ſibi velles perſimilem: nec ſedula ejus hactenus opera defuit, quò minùs ad ſaniorem mentem tota rediret. Modò tamen, occaſione neſcio quâ, mirâ incenditur cupidine, in tranſmarinos Evangelicum ſtudium transferendi. Cum verò tradatur, concionum ſuarum à finibus Gallicis, telam orditus, quam Germania pertexerat: eiq; expeditioni, via noſtra eſſent maximè opportuna: Morini Bononienſes primò obvii, ſalutaribus ejus orationibus, atque hortamentis beantur. Deinde per Minoriacum noſtrum in Nervios patuit iter: ac poſtea in Treviros. Pluribus quippe Galliæ locis concionatus perhibetur.* hæc ille: qui in Lucii quoque laudibus ponit; quod de hoc tempore à Nicephoro, refert Genebrardus: *Gallia* (inquit ille) *ferè tota Chriſtiana efficitur, ſub Severo Imperatore: Vniverſæ enim multitudines, & domus tota, ad Fidem accedebant.*

Malbrancque de Morinis l. 4. c. 8.

Genebrardus an. 200.

ANNUS URBIS CONDITÆ 942.

ANNUS CHRISTI 191.

ELEUTHERII PAP. 13.

LUCII REGIS 68.

COMMODI IMP. 10.

I.

ANno Domini centeſimo nonageſimo primo, dicati ſunt Conſules Junius, atque Servilius: & in Anglicano Martyrologio, mortui inter Sanctos conſignantur Fugatius & Damianus Apoſtolicæ Sedis Legati: olim quidem ad 26. Maii: ſed in recentiori ad 24. Maii anni centeſimi nonageſimi. Verùm cum conſtet eos in Britannica Meſſe diutiùs laborantes, Glaſtoniæ novennio quieviſſe: dicendum fortè, diu adhuc ſuperſtites fuiſſe: præſertim cum Malmeſburienſis ſcribat: *Phaganus & Deruvianus venerunt in Britanniam, ad prædicandum Evangelium. Qui baptizantes, & prædicantes univerſam Inſulam peragrarunt.* Illi ergo, ſub hoc tempus, dum Inſulam religioſè circumeunt, intellecto Joſephum, & undecim Socios, ante annos centum, Chriſtianæ Fidei ſementem aliquam in Britannia ſparſiſſe: & demum Glaſtoniæ mortuos: inviſunt locum illum; & ea quæ ſupererant Chriſtianæ religionis monumenta, quæ accuratè colligentes, poſteritati commendarunt. Ibique, loci religione capti, plures annos manſere. Quamvis autem Apoſtolici officii memores, ſæpè per provinciam, divini verbi prædicandi causâ, ut nubes volaverint: frequenter tamen reverſi, quaſi columbæ ad feneſtras ſuas, novum ſpiritum, quem in proximos eructarent, hauſerunt. Cæterùm quod dicti ſancti, Glaſtonienſem locum elegerint, illa ratio reddi poteſt: quod Monachis vel mortuis, vel aliò dilapſis, locus in ſolitudinem ferè abierit: quem ad poſterorum memoriam conſervari, colique oportebat. In vitâ Joſephi apud Capgravium ita legitur: *Capit idem locus* (Glaſtonienſis) *eſſe ferarum latibulum, qui prius fuerat habitatio Sanctorum: donec placuit Beatæ VIRGINI ſuum oratorium reducere ad memoriam fidelium.* Quod modò putamus eveniſſe Fugatio & Damiano Glaſtoniam luſtrantibus, & Joſephi Sociorumque fidem probantibus. Porrò quod attinet ad eorum moram, in dicto ſeceſſu, & quid ibidem fecerint: enucleatè deſcribitur, in loci illius Antiquitatibus, quas Guilielmus Malmeſburienſis, aliique poſt eum deſcripſerunt in hunc modum.

Martyrol. Anglic. 26 Maii in correctiore 24. Maii anno 190.

Antiq. Glaſton.

Fugatius et Damianus per Inſulam prædicant.

Capgra in Ioſepho.

II.

Duo viri ſanctiſſimi Phaganus & Dirivianus, prædicando, & baptizando partes Britanniæ peragrantes, in Inſulam Avalloniæ, more Moyſis Legiſlatoris, interiora deſerti penetrantes, ſunt ingreſſi. Ubi antiquam, Deo Duce, repererunt Eccleſiam, manibus diſcipulorum

Antiq Glaſton.

Glastoniæ quieſcunt.

Christi constructam, & humanæ saluti à Deo paratam. Quam postmodum ipse cælorum fabricator, multis miraculorum gestis, multisq; virtutum mysteriis sibi, Sanctæq; Dei Genitrici MARIÆ, se consecrasse demonstravit. Igitur prædicti Viri sancti, oratorio illo sic reperto, ineffabili sunt referti gaudio. Ibidem in Dei laudibus moram trahentes diuturnam, per novem videlicet annos. Locum igitur diligenter perscrutantes FIGVRAM NOSTRÆ REDEMPTIONIS, aliaq; signa manifesta repererunt: quibus benè cognoverunt, quòd Christiani priùs locum inhabitaverant. Postea cælesti perpendentes oraculo, quod Dominus ipsum locum præ cæteris Britanniæ elegerit, ad nomen gloriosæ Dei Genitricis suæ ibidem invocandum, & auxilium de eadem Virgine pro cunctis necessitatibus impetrandum: omnem etiam narrationem in antiquis scriptis invenerunt. Qualiter Sanctis Apostolis per universum Orbem dispersis, Sanctus Philippus Apostolus, cum multitudine Discipulorum, in Franciam veniens, duodecim ex ipsis in Britanniam misit ad prædicandum. Qui prædictam Capellam, Angelica docti revelatione, construxerunt. Quam postmodum Filius altissimi, in honorem suæ Matris dedicavit. Ipsisq; duodecim, tres Reges, licet pagani, duodecim portiones terræ dederunt, ad eorum sustentationem.

Signum Crucis manifestum signum Christiani nominis.

III
De more Crucem figendi.

Priusquàm pergo in rerum narratione: observo, figuram nostræ Redemptionis, Glastoniæ inventam, Crucem fuisse à Josepho Sociisque ibi fixam, vel formatam: quâ conspectâ & inventâ, non ampliùs dubitarunt Apostolici viri; quin ibi Christiani sedem aliquando fixissent. Illam sine dubio primi illius loci incolæ, in oratorio quod extruxerant, & ubi Deo preces fundere soliti, statuerant. Antiquum enim Christianis morem fuisse, ita Crucifixum invocare, fusè probat Jacobus Bosius in Cruce triumphante libro sexto, capite octavo; cui lemma ita inscripsit. *Quod veteres Catholici, jam ab eo tempore, quo Sancti Apostoli in humanis agebant: ut sese ab hæreticis dissimiles ostenderent; & ad propriam contra dæmones, & sæculi hujus adversitates tutelam: non transitorio tantùm Crucis signo, quod posteà invisibile erat, utebantur: sed Cruces ex lignea, aliaq; visibilibus & solidis materiis, ad illius similitudinem, in qua Salvator noster pati voluit, construendas curabant. & illas in circulum, locis divino cultui dicandis, erigebant, Crucesq; in Ecclesiis insculpere ac pingere consueverant: illas in Altaribus, & aliis earum locis valde conspicuis statuentes: ut ab ingredientibus statim adorarentur. Ecclesiasq; ipsas in Crucis formâ exstruebant.* Ita Bosius in argumento Capitis: & habes hic Glastoniæ illustre hujusce veritatis & antiquum paradigma. ubi Christianæ & Catholicæ professionis nota characteristica, Crux habetur. Hanc à Josepho in pretio habitam suprà dixi. Hæc nunc à Fugatio & Damiano, ineffabili gaudio refertis, inventa. Inter hujus Crucis amplexus, sequenti sæculo, Albanum videbimus Martyrii gloria coronatum: & quarto demum sæculo, Helenam, filiumque M. Constantinum Cruci devotos. Ex hoc ætatum primarum sensu, & consensu, colligo pro orthodoxa Britannorum fide elegans argumentum: & dico Ecclesiam illam, Christianè fundatam, quæ Crucem amat & amplectitur. Illi verò super arenam, & in lubrico ædificant, nec ad Christi castra pertinent, qui sine Cruce sunt, non habentes *signum Dei vivi*: & notam, qua Christiani esse probentur. De Philippo Apostolo, qui Josephum misisse dicitur, suprà dixi. nunc Glastoniam

Bosius de Cruce l. 6. c. 8.

V. an. 64. 7.

Apoc. 7. 2.

V. an. 63. 14.

redeo ad Fugatium & Damianum, illam perlustrantem: de quibus ita Antiquitates loci:

IV.
Antiq. Glaston.
Fugatius et Damianus socios colligunt.

Insuper gesta Iosephi & Sociorum invenerunt: ideoq; locum ipsum, præ cæteris dilexerunt. Qui etiam in memoriam primorum duodecim, ex suis Sociis duodecim elegerunt: & in præfatâ Insulâ, Rege Lucio consentiente, habitare fecerunt. Qui postea in diversis locis, sicut anachoritæ manserunt ibidem. In iisdem videlicet locis, in quibus duodecim primi habitaverant. In vetustam tamen Ecclesiam, ad divina obsequia, devotiùs complenda, crebrò convenerunt. Et sicut tres Reges pagani, dictam Insulam, cum adjacentiis suis, duodecim primis Christi Discipulis dudum concesserant. Ita prædicti Phaganus & Diruvianus, istis duodecim Sociis, & aliis imposterum sequuturis, ab eodem Rege Lucio eandem confirmari impetrarunt. Sic autem multi aliis succedentes, semper tunc in numero duodenario, per multa annorum curricula, usque ad adventum Sancti Patricii, Hibernensium Apostoli, in memoratâ Insulâ permanserunt. Hinc etiam Ecclesia sic reperta, aliud addiderunt Sancti Neophyta oratorium opere lapideo: quod Christo, Sanctisq; Apostolis, Petro & Paulo dedicaverunt. Per revelationem etiam Domini, Sancti Phaganus & Diruvianus, in cacumine montis, qui eminet in eadem Insula, Oratorium ædificaverunt, in honore Sancti Michaelis Archangeli. Horum ergo opera, restaurata fuit vetusta Sancta MARIÆ, in Glaston, Ecclesia: sicut fidelis per succedua sæcula non tacuit antiquitas. Sunt & illæ non exigua fides literæ, apud Sanctum Edmundum repertæ, quòd hanc sanctissimam Ecclesiam Glaston non fecerunt aliorum hominum manus; sed ipsi Discipuli Christi eam ædificaverunt. Hactenus Malmesburiensis. quæ non uno, sed pluribus annis gesta. Quæ ideo huc rejeci: quia Fugatii & Damiani mortis mentio, cogit me illa præmittere: & Antiquitatum Author, non observata ratione temporis, supradicta ferè refert, priùs à Legatis facta, quàm Romam reversi, Eleutherio legationis ordinem retulissent. nam sequitur ibi: *Restauratis omnibus in regno Britanniæ, quæ ad Christi cultum pertinebant; redierunt Sancti Romam, & cuncta quæ fecerant, à Beatissimo Papa confirmari impetraverunt.* Verius tamen, post consultam Apostolicam Sedem, compositamque sacram Rempublicam; tum demum Apostolicos Sacerdotes, fixam Glastoniæ Sedem habuisse; & novennium moræ, non à reditu, sed à primo eorum in Britanniam adventu, numerandum. & eo sensu, non malè mortis annum, ad Christi annum centesimum nonagesimum primum collocamus.

Oratorium extruunt in honorem S. Michaelis.

Antiq. Glaston.

Quando mortui?

V.
Dedicatio Oratorii SS. Apostolorum.

Adverto, Oratorium Apostolorum Principibus factum, à Fugatio & Damiano dedicatum dici, non item ædem aliam Deiparæ sacram: quia opus non erat manum operi admovere, cui Christus admoverat suam. Hæc ergo omissio, consecrationis priùs factæ argumentum est. Retinuit ergo locus ille Deiparæ nomen cultumque, & probaverunt Legati Britannorum Fidem, cultumque Virginis. Et quoniam Britanniam Virgini devotam, decebat quoque sanctissimis Angelis supplicem esse: quo provinciales ad eorum cultum excitarentur, Oratorium aliud, Angelorum Principi in montis cacumine extructum impetratâ, fortè cum Romæ adhuc Legati essent, ab Eleutherio Papa triginta annorum indulgentiâ iis, qui devotè locum illum, Ædemque Deiparæ inviserent. Ita enim in dictis Antiquitatibus legitur. *Triginta quoque annorum indulgentiam, ab ipso Papa Eleutherio impetrarunt, omnibus*

Antiq. supr.
Indulgentiæ

AB ELEUTHERIO CONCESSÆ. *Christicolis, vetustam Ecclesiam, & Ecclesiam Sancti Michaëlis, in monte, piâ voluntate visitantibus: reversiq; in Britanniam, compluribus aliis comitati, gentem Britonum, in fide Christi corroboraverunt.* Hinc fortè aliqui putaverunt Apostolicos viros, secundò Romam perrexisse: & demum post sacræ expeditionis novennium, Glastoniæ quievisse. Quod ad Indulgentias spectat ab Eleutherio concessas: si Sectarii nostri, tam antiquum haberent, ad eas oppugnandas argumentum, dudum illud ursissent: nos, nec Sanctorum aut Angelorum cultum, nec Indulgentiarum morem, è tenebris hisce & Antiquitatibus, quæ nullam adhuc lucem aspexerunt, asserimus: possumus enim hoc ipsum, sanctiore argumento (si opus esset) probare. Eleutherium, inquam, Ecclesiis nostris pientissimè indulsisse, & solitos ab Apostolica missos, hujusmodi privilegia, ab Apostolica Sede impetrare. Nam Patricius Sanctus, quem Cælestinus Papa ad Hibernos, eo modo quo Eleutherius ad Britannos, Fugatium & Damianum misit, Glastoniam veniens, invenit librum, in quo horum duorum Legatorum acta, structi templi in honorem Sancti Michaëlis, & Indulgentiarum mentio, legebantur. Ita enim inter cætera, (quæ suo loco inferiùs recitabo) scribit. *Dicebat eadem Scriptura; quod praedicti Phaganus & Deruvianum, moram ibi fecerint, per novem annos: & quod ipsi perquisierant triginta annorum Indulgentiam omnibus Christicolis, locum ipsum, ob honorem B. Michaelis piâ voluntate visitantibus.* Et paulò superiùs: *Iuvens*, inquit Sanctus, *in scriptis vetentioribus; quod Sancti Phaganus & Deruvianum perquisierant ab Eleutherio Papa, qui eos miserat XXX. annos indulgentiae, & ego frater Patritius, à piae memoriae Caelestino Papa, XII. tempore meo acquisivi.* Integram Patricii Epistolam do inferiùs: ubi ratio redditur, cur Sancto Michaëli Oratorium à Fugatio & Damiano fuerit Glastoniæ extructum: *Quatenus ibi* (ita Patricius) *ab hominibus honorem haberet; qui homines ei perpetuos honores, jubente Deo est introducturus.*

V an. 430. & an. 439.

V. an. 430. 4.

VI. FUGATIUS ET DAMIANUS MORIUNTUR.

Cum ita novem annos, sanctissimis institutis, duo Apostoli Fugatius & Damianus, Britanniam instruxissent; laborum suorum fructum, & mortem simul, & munere Apostolico functi acceperunt, ad vigesimum quartum Maii (olim 26. Maii) vel saltem immortale nomen in Fastis nostris meruerunt: ubi ita legitur. *Glastonia in agro Somersetano, commemoratio Sanctorum Fugatu & Damiani Confessorum & Pontificum, qui missi in Britanniam ab Eleutherio Papa, Lucium Regem baptizarunt, & praedicatione suâ, magnam regni partem ad Christum converterunt.* Eorum mors consignatur, in primâ editione Martyrologii ad annum Domini centesimum nonagesimum primum: in alterâ, mortui dicuntur circa annum Christi centesimum nonagesimum. Erat ergo apud majores nostros in more positum, hos Apostolicæ Sedis Legatos, annuis honoribus prosequi: ut æterna accepti ex Urbe beneficii memoria perennaret: scirentque posteri nihil à Britannis olim creditum, aut credendum, quàm quod ab Urbe illa prodiisset. Cæterùm quod ad locum mortis spectat, & an Glastoniæ sepulti sint, non possum certò affirmare. Qui enim illius Monasterii Antiquitates scripsit, ubi agit de Sanctis ibidem quiescentibus, ita inquit: *De Sanctis Phagano & Deruviano, qui Lucium Regem, cum gente Britonum baptizaverunt; non est nobis certitudo, si ibidem requiescunt: licet legamus eos illic per novem annos moram fecisse.* Si tamen conjecturis, è more virorum Apostolicorum agendum sit, putamus eos, post labores in Fide plantanda, & propaganda susceptos; quietem, & secessum ambivisse. nec sanctior in Britannia locus, aut sepulchro opportunior, quàm cum Josepho, qui Sepulchrum Christi accommodaverat, sepeliri.

Mart. Angl. 24. Maii.

DE EORUM SEPULCHRO DUBIUM.

Antiq. Glaston.

ANNUS URBIS CONDITÆ 943.

ANNUS CHRISTI 192.

ELEUTHERII PAP. 14.

LUCII REGIS 69.

COMMODI IMP. 11.

SEQUITUR Christi annus nonagesimus secundus supra centesimum: quo creati Consules Commodus Augustus VI. & Petronius Septimianus. quo tempore Pertinax, quem in Britanniam, à Commodo missum, suprà dixi, compescuisse tumultuantem in Insula militem; legationis, officiique pertæsus, veniam petit, & rede donari. Audivit orantem Commodus Imperator, & successorem designat Clodium Albinum, virum antiquæ familiæ, multæque virtutis; & ideo vel iram Commodi, vel invidiam promeritum. Cæterùm Pertinax missionem petiit, *dicens ob defensam disciplinam infestas sibi esse Legiones*, inquit Capitolinus, qui etiam cur infestæ Legiones fuerint aliam causam innuit, cum dixit paulò ante: *Pertinax malevolentiae notam subiit; quod dictus est insimulasse apud Commodum, affectari imperiu Antistium Burrum, & Arrium Antoninum.* Et sanè videntur multi ægrè tulisse crudelem & lascivum Principem; qui rerum novandarum studio addicti, meliorem optabant. Quos ut Commodus declinaret; Clodium Albinum, (ut sibi conciliaret) non solum Britanniæ Magistratu auget: sed eidem Cæsaream dignitatem, & in imperio societatem, callidè magis, quàm benevolè indulget: misso in Britanniam diplomate, sua manu scripto, in hunc modum.

L

V an. 188 1.

CLODIUS ALBINUS PERTINACI SUCCEDIT.

Capitol. in Pertinace c. 3.

Idem suprà.

IMPERATOR COMMODUS Clodio Albino.

ALIAS *ad te publicè, de successore, atque honore tuo misi: sed hanc familiarem, & domesticam, omnem, ut vides, manu mea scriptam Epistolam dirigo: qua tibi do facultatem: ut si necessitas fuerit, ad milites prodeas, & tibi Caesareum nomen assumas. Audio enim, & Septimium Severum, & Nonium Murcum, malè de me apud milites loqui, ut sibi parent stationis Augustae procurationem. Habebis praeterea, cum id feceris, dandi stipendii, usque ad tres aureos, liberam potestatem. Quia & super hoc, ad procuratores meos literas misi; quas ipse signatas excipies signo Amazonio: & cum opus fuerit, rationalibus dabis, ne te non audiant, cum de aerario volueris imperare. Sanè ut tibi insigne aliquod imperialis majestatis accedat, habebis utendi coccinei pallii facultatem, me praesente, & ad me, & cum mecum fueris habiturus & purpuram: sed sine auro: quia ita & proavus meus Verus, qui puer vita functus est; ab Hadriano, qui eum adoptavit, accepit.*

II.

Capitol in Clod. Albino.

ALBINUS CREATUR CÆSAR.

III. QUANDO DATUM DIPLOMA. *Capitolin. in Clodio Albino. c. 6*

III. De tempore & anno, datarum literarum, nihil possum affirmare: cum Author qui illas recitat; referat, quondam à Commodo missas, *cum successorem*, inquit, *Albino daret*. quod sæpiùs factum. nam *Egit tribunus equites Dalmatas: Egit & Legionem quartanorum* (verba sunt Capitolini) *& Primanorum: Bithynicos exercitus, eo tempore, quo Avidius rebellabat, fideliter tenuit. Deinde per Commodum in Gallias translatus: ubi fusis Frisiis transrhenanis, celebre nomen suum, & apud Romanos, & apud Barbaros fecit.* Hæc ille. Opinor itaque successorem ei datum, cum è Galliis in Britanniam transfertur, cum rebus præclarè celebritatem nominis meruisset. Itaque Clodius acceptis literis, quibus Cæsarea dignitas à Commodo oblata; fraudem suspicatus, prudenter honorem declinavit, dicens: *Commodum quærere, qui aut cum eo perirent; aut quos, cum causa, ipse posset occidere.* Inde intellecto per errorem Commodum obiisse: quod nescio qui, sub hoc tempus, sparserant; militem in concionem vocat, & ita Senatui adulatus, dixit pro Republica. *Si Senatus populi Romani, suum illud vetus haberet imperium: nec in unius potestate res tanta consisteret: non ad Vitellios, neque ad Nerones, neque ad Domitianos, publica fata venissent. In imperio Consulari, nostræ illæ gentes Ceioniorum, Albinorum, Posthumiorum: de quibus Patres vestri, qui & ipsi, ab avis suis audierant, multa didicerunt. Et certè Africam Romano Imperio Senatus adjunxit: Galliam Senatus subegit, & Hispanias. Orientalibus populis Senatus dedit leges. Parthos tentavit Senatus: & subegisset, nisi tam avarum Principem Romano exercitui fortuna Reip. tunc dedisset. Britannias Cæsar subegit, certè Senator, nondum tamen Dictator. Hic ipse Commodus, quantò melior fuisset, si timuisset Senatum. Et usque ad Neronem quidem Senatus authoritas valuit: qui sordidum, & impurum Principem damnare non timuit; cum sententia in eum dicta sunt, qui vita necisq́; potestatem, atque imperium tunc tenebat. Quare Commilitones, ego Cæsareum nomen, quod mihi Commodus detulit, nolo. Dii faxint, ut ne alii quidem velint Senatus imperet, provincias dividat: Senatus nos Consules faciat. Et quid dico Senatus? Vos ipsi, & Patres vestri: Eritis enim ipsi Senatores.* Ita dixit Clodius in Britanniâ, ratus Imperatorem Commodum non vixisse: cum adhuc reverà viveret. Quod & brevi sensit. nam delatâ ad eum Concionis summâ, Legatum movit provinciâ, *misitq́; successorem Iunium Severum, unum è contubernalibus suis.* inquit Capitolinus, & pergit: *Senatus autem tantum placuit, ut miris acclamationibus absentem eum ornaret & vivo Commodo, & deinceps interempto.*

CLODIUS CÆSARIS TITULUM RESPUIT.

Idem suprà c. 13. REIPUBLICÆ ADULATUR, APUD MILITEM.

CLODIO ALBINO SUCCESSOR MITTITUR. *Capito. suprà c. 14.* JUNIUS SEVERUS PROPRÆTOR NOMINATUR.

IV. De tempore initi à Junio Severo Magistratus, tacent Annales nostri; & externi missum tantummodò Albini successorem notant. Sed quia supradicta contigerunt, vivente adhuc Commodo; & ille post sequentem annum moritur: ideo huc eejicio, & brevem puto Albini in Britannia præfecturam fuisse: licet eum iterum, idq́ue brevi, in Insulam debeam revocare: nam Commodo mortuo, cum Pertinax successisset; ille Clodium Albinum, ne cum Senatu res novas ageret, in Britanniam, remisit. Commodus interim ad Albinum premendum totus incubuit: scriptisq́ue ad Præfectos Prætorio literis, ita illum sugillat:

AURELIUS COMMODUS Severus Præfectis, Salutem.

Apud Capito. suprà. COMMODI LITERÆ CONTRA ALBINUM.

AVDISSE *vos credo primùm, fictum esse, quod meorum consilio interfectus essem. Deinde Concionem Clodii Albini, apud milites meos habieam: qui se multum Senatui commendat: idq́; quantum videmus, non frustra. Nam qui Principem unum negat in Rep. esse debere: quique asserit à Senatu oportere totam Remp. regi. Is per Senatum sibi petit imperium. Caveto igitur diligentissimè. Iam enim scitis hominem vobis, militibus, populoq́; vitandum.*

ANNUS URBIS CONDITÆ 944.

ANNUS CHRISTI 193.

ELEUTHERII PAP. 15.

LUCII REGIS 70.

COMMODI IMP. 12.

I. SEQUITUR Christi annus centesimus nonagesimus tertius, Bradua Secundùm & Aproniano Consulibus. quo quærendum est, quid de Lucio, quondam Britannorum Rege actum? & quia n per peregrinum induimus, & in Gallias deduximus; quis Britanniæ sensus, quis rerum ibi status sit? Imprimis quod ad Remp. attinet: ut omnes passim fatentur Lucium, Romanorum benevolentiâ quos unicè colebat, regnasse; ita eo jam amoto, Britannis ademptam fuisse publico, & perpetuo Romanorum decreto dignitatem Regiam. Observarunt hoc Scotorum Chronologi, Joannes Fordonus, & Hector Boethius. Fordonus ita loquitur, libro 2. Scoto Chronici: *Defuncto, vel ut alibi, non comparente Britonum Rego Lucio; post quem eorum Regia stirps in Britanniâ regnare desiit, Tribuni pro Regibus constituuntur, ibidem à Romanis.* Verùm de tribunitiâ potestate, vel à Romanis impositâ, vel à Britannis assumptâ, nihil tradiderunt Authores nostri: & frustra fuisset potestas illa; ubi omnia penes militem essent. Boethius ergo, cum dixisset Lucium Britannis, Cæsaris benevolentiâ & authoritate imperitasse, & Romanorum fautorem extitisse, mox addit: *Post Lucium Britonum Regem extinctum: Romani gnari, Britannos Reges multarum in populo seditionum & rebellionum in se Authores fuisse: Vt res Romana in Britanniâ foret quietior, publico vetuero decreto: ne quisquam Britannici sanguinis deinceps regiâ insigniretur dignitate.* Verùm apud antiquiores decretum hoc non eeperio, & contra Romanorum morem fuisse suprà docui, cum Britannorum Regum jura firmavi. Quicquid sit; adverto Fordonum cautè dixisse: *Defuncto, vel non comparente Lucio:* quo satis indicat; de Lucio non constitisse; mortuúsne, an aliò profectus, in Britannia non comparuerit. Rescitum tamen est postea, & traditum à fide dignis, ipsum in Gallias primò; inde Christianæ fidei propagandæ studio, in superioeem Germaniam concessisse; ac Christi nomen populo instillasse: Noricos imprimis docuisse: doctosq́ue Christianis sacris imbuisse: suo labore & industriâ consecutum; ut provinciæ Apostolus, hodieq́ue nuncupetur.

BRITANNIÆ STATUS AMOTO LUCIO.

Fordon. l. 2. Scoti Chro. c. 41.

Boëth. l. 5. histor.

V. an. 1. n. 2. SCOTORUM παράφραξις.

II. Cum Marcus Velserus, in Galfrido Monumetensi legeret, Lucium in Britannia mortuum:

Hoc,

Velser l. 6. rerum August an. 179.

Hoc, inquit, neque cum Annalibus nostris privatis; neque cum tabulis Ecclesiæ Curiensis, quæ nonnullis publici juris Authoribus juvantur, convenit. His quippe relatum: Lucium relicto regno (cujusmodi exempla prisca ætas tulit plura) magna terrarum spatia obivisse: ut pietatem, qua ipse imbutus, alios doceret. Res in Germania gestæ ab eo, qui Christi gloriam unicè quæsivit, obscuræ fuerunt.

Lucius Augustæ Vindeliciorum prædicat.

Unum nescio quomodo, ex antiquorum monumentorum ruderibus, posteritati reliquum est: quod in Vindiliciam, ubi Augusta urbs princeps, profectus; Campestrium civem nobilem, Christo genuerit, & unà familiam ejus integram. Ubi cum Lucii pietas, magnos titulos, summâ humilitate tegentis emineret; ipsos cacodæmones, superbiæ principes, in sui odium concitavit. nam peregrinam sanctitatem non ferentes, & inultam à castris suis defectionem; plebem in Lucium sociosque irritarunt. Unde, ut sunt procacia plebis ingenia; præcones Christi verberibus exceptos, tacere jubent Christi nomen.

Lucius a plebe male excipitur.

Sed Lucius, nec minis, nec verberibus cedens, ab efferatâ plebe saxis contunditur, nec illo contumeliæ genere contenti, ipsum Christi nomen inclamantem, in altissimum puteum præcipitant. Ubi certam mortem adiisset, nisi fidelium quorundam, quos ipse docuerat ope (quam tamen difficulter præstare poterant) evasisset. Meminit hujus persecutionis Nauclerus, qui ita de illâ:

Nauclerus vol. 2. gener. 7.

Lucius, inquit, cum Sueviam Vindelicam, quæ modo Augusta Urbs clara est, ingressus, IESUM prædicaret; populus, quasi novam religionem perosus; virum lapidibus obrutum, in puteum quendam demisit. Unde à Christianis, qui erant illic, est clam extractus, & ad Curiensem civitatem ductus, ubi Martyr vitâ functus est. Verùm de morte, & martyrio ejus postea: nam hoc anno, ipsum de vita periclitatum, & profectionem in Rhætiam contigisse putamus: sed diu adhuc superstitem.

III. Emerita Lucii soror martyrio vitam finit.

Cæterùm Lucii soror Emerita, totius hujus expeditionis socia, laboribus & ærumnis impar; cum in Helvetiorum provinciam venisset; quà præterita calamitate fracta; quà novis indies emergentibus attrita, mortalem hanc vitam, cum immortali mutans, ad virginitatis lauream, martyrii quoque coronam meruit. De eâ sic legitur in nostro Martyrologio, ad quartum Decembris.

Martyrol. Anglic. 4. Dec.

Trimis in territorio Curiensi, provincia Helvetiorum, festivitas Sanctæ Emeritæ Virginis & Martyris, sororis Lucii Britannorum Regis quæ cum fratre in Germaniam profecta, ab infideli populo illius regionis ob Christianæ fidei confessionem, gloriosum martyrium igne consummavit circa annum Domini centesimum nonagesimum tertium. Integra historia vitæ ejus legitur in Curiensi Breviario. Ita ibi. Ejus mentionem faciunt Isengrenius, Hermannus Schedelius, in Chronico; Ægidius Tscudus, de priscâ Rhætia. & Philippus Ferrarius, in Catalogo Sanctorum, qui in Romano Martyrologio desiderantur; è tabulis & Breviario Ecclesiæ Curiensis, Decembris die quatto:

Philippus Ferrarius de S. Emerita, et loco mortis.

Curia in Rhætia: sed è Breviario & Kalendario Scotico, Maii vigesimo sexto: *Trimontii, in Scotia, Sanctæ Emeritæ Virginis memoriam celebrari notat*; addens: *Trimontium oppidum esse in ora Occidentalis Scotiæ, ab ostio Solvei ad sex millia passuum, hodie Atterith appellatum.* Ita refert è Ferrario Usserus: qui addit:


Usser fol. 137.

In quo à Dempstero (quem ducem maximè infidum sequi solet) in errorem procul dubio inductus est. Trimontium enim illud, sive Trimas, ubi Emerita martyrium subiisse dicitur; Castellum urbi Curiensi finitimum fuisse docet Schedelius: ab eâ videlicet unius horæ spatio distans, ut (qui loca illa optimè novit) Ægidius Tscudus clarius confirmat. Ita Usserus. nunc è Germania in Britanniam transeo.

Ibi Christianæ rei summa penes Ecclesiarum Præsules erat: & silentio fides pulcherrimè surgebat: sed amoto Lucio, & Romano milite Insulam premente, Idola aboleri non poterant. Julius Severus Legati munere fungebatur hoc anno, Bradua Secundùm & Aproniano Consulibus, quando Publius Ælius, qui in Britannia militabat Jovi Magno, aram posuit in Cumbrorum provincia, cum hac inscriptione

Idola adhuc in Britannia coluntur.

Apud Camdenum in Cumberland.



si implexas hasce literas, explicare vis, ita resolvendæ videntur. Jovi optimo maximo Ala Augusta, ob virtutem appellata, cui præest Publius Ælius, Publii filius Sergia Magnus de Mursa, ex Pannonia inferiore, præfectus: Aproniano & Brodua Consulibus. Eodem in agro ara altera visitur, cum hac Epigraphe BELATUCADRO JULIUS CIVILIS OPTIO. Erat illud Britannorum idolum: sed ara à Romanis constituta, qui numina locorum in quibus militabant, sibi militiæque suæ propria reddere solebant. & fortè Britannorum pietas in templis extruendis, ornandisque, Romanum militem exciverat, ne inferiores in Deorum suorum cultu viderentur.

ANNUS URBIS CONDITÆ 945.

ANNUS CHRISTI 194.

VICTORIS PAP. 1.

LUCII REGIS 71.

COMMODI IMP. 13.

I. Moritur Eleutherius Papa.

ANNO Christi centesimo nonagesimo quarto, Commodo Augusto Septimùm, & Pertinace Secundùm Consulibus: Eleutherius Romanus Pontifex, cum sedisset annos quindecim, in cælum evolavit, laborum suorum, & Britanniæ conversionis præmium recepturus. Verè pater Patriæ nostræ, interque Apostolos numerandus. Unde in Romano Martyrologio ad vigesimum sextum Maii, ita canitur: *Romæ Sancti Eleutherii Papæ & Martyris; qui multos nobiles*

Mart. Rom. 26. Maii.

Britannia a Romanis Pontificibus semprr docta.

Romanorum ad Fidem Christi perduxit: & Sanctos Damianum & Fugatium in Britanniam misit: qui Lucium Regem, una cum uxore, & toto fere populo baptizarunt. Adverto, quod factum ab Eleutherio, ab aliis quoque Romanis Pontificibus tentatum est, super Insulæ conversione: Petrus Romæ sedens, Britannorum legationem excepit, Fidemque illi porrexit: sed & Roma pulsus, Britanniæ in eodem pietatis genere præsentior fuit; cum ipse ibi Ecclesiam ordinavit: Clemens Britannorum sacra confirmavit: hæc primo sæculo. sequuti: Eleutherius, præcedentium Pontificum vestigia premens, non ultra silentio, sed publico, solenni, vicarioque commercio fidem explicat, populum, proceres, Reges ad veri numinis cultum excitat; Ecclesiasticam œconomiam ordinat, consecrat Episcopos, ubique Patrem, & Principem agit. Eleutherium sequuti sunt Victor, Stephanus, Cælestinus, Magnus Gregorius, & alii plures; qui Insulam quasi hæreditario jure, ad Romanam Sedem pertinentem, docuerunt. & tamen non desunt rebelles posteri, qui sedem illam, parentem nolunt: & Britannos non inde sed ex Oriente doctos, contendunt. Tanta est modernæ factionis, Romam aversantis, iniquitas, & perfidia. nec minor illa, qua Eleutherii fidem à M. Gregorii fide distrahentes; benè Eleutherium Britannos; perperam Saxonem Gregorium docuisse contendunt. Quod sequenti tomo, figmentum esse facilè ostendam per Reges, & annos singulos.

II. Victor Papa.

Successit Eleutherio in Romanâ Sede Victor, natione Afer; & reverà Eleutherium benè sequutus est. nam ut Britanniæ partem cultiorem, ad Christum traxit: ita ille Septentrionem, populumque illum, qui Romanorum Imperatorum jugum noluit admittere, nec armis cogi potuit; traxit ad jugum Christi, ut dicam sequenti sæculo. Interim moritur Commodus Imperator, à Narcisco strangulatus; cum paulò ante plures ad necem destinasset. Eo malo sublato, Romana nihilominus Resp. quam ille vitiaverat, curata non est; sed variis vexata morbis, Capite imprimis laboravit. multis imperium prensantibus, ut infrà.

Commodus Imp. moritur.

ANNUS URBIS CONDITÆ 946.
ANNUS CHRISTI 195.
VICTORIS PAP. 2.
LUCII REGIS 72.
PERTINAX IMPERAT.

I.

Anno qui sequitur centesimo nonagesimo quinto, Sosio Falcone, & Erutio Claro Consulibus; gemuit Romana Resp. tot lacera factionibus, quot capitibus abundavit. Siquidem cum Commodo successisset Ælius Pertinax, Prætorianorum militum ope; & ille Clodium Albinum in Britanniam iterum legavisset: non multò post, cum Remp. restituere; & prava, quæ irrepserant, ad antiquum morem revocare conaretur, à Prætorianis militibus, à quibus creatus, extinctus est; cum imperasset mensibus duobus, diebus viginti quinque. Hic est ille, qui in Britanniam missus à Commodo, missionem ab eodem & veniam legationis petiit, dicens ob defensam disciplinam infestas sibi esse legiones, ut suprà. mortuo Pertinaci, milites, infami ad omnem ætatem exemplo, Romanum imperium auctionati, Didium Julianum, pecuniosum hominem, sed cætera imbellem, promoverunt. Tum demùm in varias partes urbs distrahitur; indignante Senatu Urbis majestatem turpari: flente populo, omnia è militum libidine geri: gemente universo Romano Orbe, miseram servitutem: cum ipsa Orbis Regina vilissimis sectoribus inserviret. Tunc Pescennius Niger, qui Syriam procurabat; tam suorum militum suffragio, quàm urbis voto, purpuram præsumpsit. Et obtinuisset porrò, si par voto populi, diligentia adfuisset. Severus interim in Illyrico, meliori fortunâ & arte usus; specie pietatis, urbisque tuendæ, festinatò Romam contendens, Clodium Albinum, quem Pertinax in Britanniam legaverat, Cæsarem appellat; quod novorum tumultuum causa. nam miles in Britanniâ, non contentus appellatione Cæsaris; quam dudum Commodus concesserat; Albino, paulo post, purpuram, nec invito, injecit. Sic aquila triceps orbem, & urbem imprimis, terruit.

Pertinax imperat et occiditur.

V. an. 192. 1.

Didius Julianus imperat.

Hinc tumultus, cum Pescennius Niger, Severus, et Albinus pro imperio certant.

II. Severus Imperator. Severus Romam occupat et imperat.

In hoc rerum dissidio, contentioneque pro principatu, Severus cæteris sagacior, Urbem occupat: ratus eum qui in Syria, & eum qui in Britannia, faciliùs à purpura pelli, aut prohiberi posse, si ipse imperii caput possideret. Veritus tamen, ne Albinus in Britannia Augusti titulum præsumeret, officiosè illum per literas invitat, & ad societatem allicit, promisso majestatis & purpuræ participio. Sciebat enim, non posse Syriam, aut Nigrum domari; si potentissimus hostis à tergo relictus, imperio inhiaret. Ut verò, cum Clodio egerit, hominemque honoris specie, ad se pellicere conatus sit, ita narrat Herodianus. *Severus providus homo, at sobrius, nonnullâ suspicione tenebatur, de Britannicis exercitibus, maximis videlicet, pugnacissimisq́; quibus præerat universis Albinus, Senatoriis, patriciisq́; generis vir, summis opibus ac deliciis innutritus. Hunc sibi igitur Severus, astu ratus adjungendum. ne scilicet divitiis, genere, exercitibus, famaq́; nominis, magnus ad concupiscendum imperium facibus, instinctus; summam sibi rerum posceret, Romamq́; haud procul à Britannia distantem, se bellis Orientalibus implicito, occuparet: statuit eum, specie quadam honoris inescare: levem alioquin, & simplicem, tum vero etiam multa per literas jurantis credentem. Quare eum Cæsarem appellans, spem cupiditatemq́; hominis anticipat, potestate participanda. mittit item plenas humanitatis literas; obsecrans, ut ipse potissimum curam suscipiat imperii. opus esse viro aliquo nobili, & ætatis integra; qualis ille foret. Se jam senem, morboq́; articulari affectum, natos adhuc infantes. Quibus creditis Albinus honorem suscepit, lætus citra pugnam, aut discrimen ullum, compotem se votis factum. Cæterùm Severus, quo omnia credibiliora forent, iisdem illis ad Senatum relatis, nummisq́; imagine ejus percuti jussis, statuisq́; erectis: simul aliis collatis honoribus, fidem gratiæ suæ fecit. Quæ postquam sapienter ab eo provisa sunt; nullo jam, è Britannia, impendente metu, collatis in unum circa se Illyricis exercitibus, copias adversus Nigrum educere instituit.* Hæc Herodianus, de Severiani imperii initiis; quæ conciliatâ sibi Britanniâ, & quieto Occidente, satis prospera fuere. Sed quies parum diuturna fuit; Albino, è literis Severi, titulisque ab eo collatis, animos sumente; speranteque purpuram, suis æquè ac Severi humeris sessuram benè.

Herodianus l. 2. fine.

Albinum officiosè prensat.

ANNUS

ANNUS URBIS CONDITÆ 947.
ANNUS CHRISTI 196.
VICTORIS PAP. 3.
LUCII REGIS 73.
SEVERI IMP. 2.

I.

Christiana Fides in Britannia floret.

Niceph. l. 5. c. 20.

SEQUITUR Christi annus centesimus nonagesimus sextus; quo Severus Imperator, & Clodius Albinus Cæsar, Consules creantur. Tunc nequicquam obstante armorum strepitu, Christiana Fides in Britannia egregiè florebat; nec Severo quicquam imperii sui exordio; nec aliis contra illam molientibus. Cæterùm non modo hic in Insulâ; sed alibi passim, eo beneficio gaudent Ecclesiæ. Unde Nicephorus: *Cum Severus, inquit, successisset: tum quoque satis bono loco, res nostræ fuere: indicsq; fidei professio, augmenta sua cepit, idq; in maximis potissimum ubique urbibus &c. Universa enim multitudines, & domus tota, ad Fidem accedebant: quidvis facere ac pati parat a; quam ut quicquam contra religionem nostram agerent, aut novarent.* Unde pro Britannorum fidei puritate sumo argumentum. Nihil novum, aut oon primitus acceptum à majoribus, Insulam pervasisse. quod Beda in Britannia religiosè observatum dixit, ita scribens: *Susceptam Lucii tempore Fidem, Britanni, usque in tempora Diocletiani Principis inviolatam integramq;, quietâ pace servabant.* Quasi diceret: Quantumvis alibi errores in Fide & schismata aliquando essent: Licet Theodotus Byzantius, divinam in Christo naturam negaret; cum Severus secundum annum ageret in imperio: licet Praxeas, & Monarchici, aliæque pestes, sparsas per orbem Ecclesias turbarent: Britannia tamen, ab omni pestis contagione libera, & immunis fuit. Cujus illa potissimum ratio assignatur: quòd nuper nata primogenita filia, à parentis Romæ ubere tota pependerit. Et illa vicissim ingenti curâ, teneroque amore, fidei alimenta porrexerit. Victor etiam Romanus Pontifex, Theodotum hæresiarcham, à fidelium communione separarat; ne alii incautè sorberent quod ille impiè eructasset. Quo remedio, & Britanniæ & aliis Ecclesiis consultum. ut antea quoque factum ab Eleutherio; qui Cerdones, Marciones, Valentinos, simili sententià ab orthodoxis distinxerat.

Bed l. 1 c 4.

II.

Severus novis artibus firmat imperium.

Hoc anno Severus alia parat arma; quibus instructus Pescennium Nigrum in Oriente, Romano imperio inhiantem premat, & in ordinem redigat. Interim quo sibi Urbem conciliet: Pertinacis nuper occisi nomine assumpto, se in genus M. Aurelii Antonini inserit: sperans illorum nominum splendore, & lenocinio, Senatum populumque sibi devincire. Simili artificio Albinus in Britanniâ, gnarus quibus artibus ille sibi imperium firmaret; nobilitatem generis, nova nominum adoptione mentiendo, sua ipse nomina titulosque non aliunde emendicatos, sed revera debitos, connatosque explicat: ratus Senatum populumque Romanum, verâ, genuinâ, & vernaculâ nobilitate, potiùs quàm Africanæ originis, novique splendoris umbrâ capiendum. Et verò Senatus illi amicissimus, totus ab Albino stabat. Quem ideo post Albini mortem, Severus, severè satis tractavit. Interea tamen virum Senatui gratum, ideo commendabat; ut non divisum, sed unum utriusque imperium videretur.

Et Clodius Albinus similiter.

ANNUS URBIS CONDITÆ 948.
ANNUS CHRISTI 197.
VICTORIS PAP. 4.
LUCII REGIS 74.
SEVERI IMP. 3.

I.

Pescennius Niger occiditur.

SEQUITUR annus nonagesimus septimus super centesimum, Flavio Tertullo & Flavio Clemente Consulibus, Pescennio Nigro fatalis; ideoque firmavit magis Severi imperium. Etenim Nigri exercitu apud Cyzicum fuso: & ipso demum capto, occisoque: purpuram jam sibi deberi, non ultra Severus dubitavit. Nec enim ambitioni ejus obstaculum aliud, quàm Clodius Albinus in Britannia; vel dolo, vel aperto marte amovendum. Ille, inquam, quem generis claritudo, quem Cæsarea dignitas, quem Britannicus exercitus, quem denique Senatus populique vota, ad imperium vocare videbantur. Hunc ergo tot viis ad purpuram currentem, Severus sistere conatus: literas honoris & amoris plenissimas ad Albinum datas, per fidissimos nuntios mittit, jubetque in publico recitari. Tum sub secreti specie, mandat colloquium petere, & incautum opprimere. Albinus, rem, ut erat, suspicatus; fraude detectâ, palam cum Severo congredi, & de summa rerum certare decrevit. Quid inde factum narrat Herodianus in hunc modum.

Severus Albino insidias parat.

Sed deteguntur.

II.

Herodia. l. 3.

Severi oratio contra Albinum.

Quibus cognitis, Severus, homo iracundo ingenio; non jam celandas sibi inimicitias putavit: sed omni convocato exercitu hujusmodi habuit orationem. Neque levitatis me quisquam, ob antealta insimulet: neque infidum aut ingratum me putet adversus eum, quem pro amico habuimus. Omnia nos quidem præstitimus, etiam in partem Principatus, & quidem stabilissimi, recepto: quod ne geminis quidem fratribus facile quisquam indulserit. Quod cum vos uni detulistis, id ego cum illo communicavi. Tantis autem beneficiis nostris, pessimam videlicet gratiam retulit Albinus; contempta virtute nostrâ, suaq; immemor fidei; ardensq; inexhaustâ cupiditate, id universum periculose præripiendi, cujus particeps esse, citra bellum, ac dimicationem ullam potuisset. Neque Deos reveretur, per quos toties juratus; neque vestris parcit laboribus, quos tantâ cum gloriâ virtuteq;, pro nobis pertulistis. Quippe successuum vestrorum nec ipse fructu carebat. Imo autem, si fidem servasset, major illi portio contigisset. Vt autem, si ipse author malorum sis, injustus videare; ita si non ulciscaris acceptas injurias, ignavus. nam cum bellum adversus Nigrum gessimus; non ita quidem speciosas inimicitiarum causas habebamus. non enim quasi raptorem occupati à nobis principatus oderamus; sed positum cum in medio atque adhuc in disceptatione versantem, pari uterque ambitu, ad se trahebat. Verum Albinus, despecto fœdere, ac jurejurando, cum sit nostro munere adeptus, quæ tantum legitimis liberis tribuuntur; hostis esse mavult nobis, quam familiaris. Vt igitur pridem beneficio affectum honore gloriaq; cohonestavimus: ita nunc perfidiosum atque imbellem ipsius animum coarguamus armis. Neque enim sustinere ille exercitus poterit exiguus, atque Insularis, vires nostras. Nam cum vos propemodum soli, alacritate quadam, & virtute vestrâ, tam multis præliis pervinceritis, totumq; vobis Orientem subegeritis: quis dubitet, quin nunc quoque, tantarum accessione virium (quippe hic totus penè Romanus exercitus) facilè

profligaturi paucos fitis; nè sub viro quidem sobrio, nedum sub forti Duce, militantes? Quis enim luxuriam illius ignorat, vitamq́, hominis scurrarum potiùs gregibus, quam militum legionibus congruentem? Proinde eamus audacter in illum, quâ solemus alacritate animi, atque virtute: Diis freti authoribus, ab eodem impie pejeratis; simul memores excitatorum sæpè a vobis trophæorum, qua scilicet ab ipso despecta sunt.

III. *Hæc loquuto Severo, confestim universus exercitus, Albinum hostem declarat. Exceptoq́, faustis acclamationibus ipso: nihil non alacritatis, & studii, clamoribus ostendentes magis, magisq́, hominem, spe additâ, succenderunt. Quos amplissimo donativo milites prosequutus; statim universos contra Albinum educit.* Hæc omnia Herodianus. Porro quod Severus suprà Albini exercitum vocarit *exiguum, & Insularem*. id non alia ratione dictum; quàm ut militum animos in spem victoriæ erigeret. nam ut patebit infrà, Britanni milites, & magnitudine animi, & alacritate pugnandi, nihil Severianis concesserunt. Sed & omnis victoria, ita in Britannorum manibus fuit, ut non nisi casu, & victoriam negligentibus, exciderit. Quod verò ad numerum militum spectat, Herodianus statim dicet, Albini aciem potiorem fuisse. Unde magnum utrimque conflatum exercitum; & tam Orientis, quàm Occidentis vires concurrisse, necessum est affirmare. Sed de illo rursus post annum sequentem, quo pugnatum est.

Num Insularis Albini exercitus exiguus fuerit.

ANNUS URBIS CONDITÆ 949.
ANNUS CHRISTI 198.
VICTORIS PAP. 5.
LUCII REGIS 75.
SEVERI IMP. 4.

I. Controversia de Festo Paschatis.

ANNO qui sequitur nonagesimo octavo, suprà centesimum, Consulatum gerentibus, Dextro & Prisco, non leve dissidium de celebrando Paschate universam Christi Ecclesiam exercuit. quando nimirum uno dic Oriens; alio Occidens, festum illud celebrandum esse contenderunt. Et licet Britannia constantissimè ab Occidente, tam situ suo, quàm sententiâ & opinione fuerit; Romano more religiosè servato: nuper tamen sectarii, qui Romam ejurantes, factionis socios quæsiverunt; Britannos olim cum Oriente Pascha celebrasse; & ubique Orientis sacra servasse, nullo cum Romanis commercio; magnis vocibus, sed nullo jure, pronuntiant. Quasi verò, tam citò Insula, aut oblita fuerit recentis beneficii ab Eleutherio accepti: aut tam citò exuerit, quod tam anxiè quæsierat, servitutis & obedientiæ jugum. Et fanè factiosi, licèt passim errando peccent: nullibi tamen id licentiùs faciunt, quàm in proposita quæstione. In qua ferè sola defectionis suæ à Romana Ecclesia Babelem fundant. nam ita philosophari solent. Ritus celebrandi Paschatis à Britannis usurpari solitus, non Romanus, sed Asiaticus fuit. Inde inferunt contentiosissimè primò; Britanniam olim, non ex urbe, sed ex Oriente doctam Christianam Fidem: ac proinde nihil Romæ se debere, cum sacra aliunde exceperint. Iterum Romanam Ecclesiam, primis hisce sæculis, non fuisse, è Britannorum sensu fideque sacrorum Principem. Denique in postremis habent Romanæ Ecclesiæ ritus & imperia: quia antiqui Britanni aliud, scilicet, & aliunde docti. Suprà verti quæstionis hujus cardinem, dixique frequentem fore ejus in Annalibus nostris memoriam: quia inde non solùm Britannorum Fidei puritas sanctitasque; sed adversariorum etiam inaccurata philosophandi ratio, & nequam impetus, detegetur. Dicam igitur quid hoc anno in ea quæstione motum: quæ studia partium fuerint: qui pro Oriente, qui pro Urbe steterint: & inde quid factum à Britannis meridiano sole clariùs concludetur. V. an. 159.

II. Ratio temporis.

Quod spectat ad tempus motæ litis, ita Magdeburgenses pronuntiant. *Victor anno Domini centesimo nonagesimo primo, Commodi verò undecimo; non rixas aut dissentiones de Paschate; sed bellum propemodum triste movit.* Ita inaccurati homines, nec annum Domini, nec Commodi Imperatoris; nec Victoris Papæ de universa Ecclesia solicitudinem benè explicant. Meliùs itaque Eusebius in Chronico, & ex illo Baronius ita scribunt: *Centesimo nonagesimo octavo Christi anno, Dextro & Prisco Consulibus, annum quartum Severo in Imperio inchoante: quæstione iterum orta in Asia, inter Episcopos: An secundum legem Moysi decima quarta mensis, Pascha observandum esset: Victor Romana Urbis Episcopus, & Narcissus Hierosolymorum, Polycrates quoque & Irenæus, & Bacchillus, plurimiq́, Ecclesiarum Pastores; quod sibi probabile visum fuerat, literis ediderunt; quorum memoria ad nos usque perdurat.* Hæc illi longè quàm Magdeburgenses, modestiùs. Jam verò si nosse Lector desiderat: quænam Ecclesiæ, & cum quibus concurrerint. Quænam inquam pro Luna decima quarta; quænam pro Dominica steterint. Idem Eusebius in Historia sic explicat. *Illis temporibus pro festo Paschatis, in honorem Salvatoris observando; non exigua concitata erat propterea controversia. Quod omnes Ecclesia Asia, antiqua quadam Traditione adducta; censebant decimo quarto die Luna (quo Iudæis olim præceptum erat, ut agnum immolarent) festum illud celebrandum, & omnino eo die, in quemcumque hebdomada diem fortè incideret, jejunii finem statuendum. Et quod positum in more esset cæteris Ecclesiis per universum terrarum Orbem dispersis, qua consuetudinem ex Apostolica traditione, ad hoc usque tempus, continuatam tenebant (nimirum ut non alio die, quam eo quo Salvator à mortuis resurrexerit, jejunia dissolverent) istum modum observare. Idcirco concilia, & conventus Episcoporum, in unum cogebantur: & omnes una sententia decretum Ecclesiasticum. nempe, ut non alio die aliquando, quàm Dominico mysterium Domini resurrectionis à mortuis celebraretur: & ut in hoc solo, jejuniorum, qua circiter Pascha fieri solent, finem faceremus; per literas ad omnes Ecclesias scriptas, ratum faciebant. Decretum autem Episcoporum, qui tum erant in Palæstinâ convocati, ad hanc usque ætatem scriptis custoditum est. In quorum Synodo Theophilus Cæsariensis Ecclesiæ Episcopus, & Narcissus Episcopus Hierosolymorum Præsides fuerunt.* Hæc Eusebius: nec recitat decretum ab Episcopis factum: quod tamen fuisset pretium operæ. Beda noster ob frequentes super eo, Scotos inter & Saxones, controversias; illud antiquitatis monumentum ab interitu vindicavit, legiturque tomo 2. operum ejus, cum hac epigraphe.

Euseb. in Chron. Baron. hoc.

Euseb. l. 5. c. 22.

Status controversiæ.

DE

Beda de Æquinoctio Verno. tom. 2.

DE ORDINATIONE FERIARUM PASCHALIUM per Theophilum Episcopum Cæsariensem, ac reliquorum Episcoporum Synodum.

III. Synodus Palæstinæ pro celebratione Paschatis.

Tum quod ad propositam quæstionem à Victore Papa hæc habet. *Tunc Papa Victor, Romana Vrbis Episcopus direxit authoritatem ad Theophilum Cæsariensis Palæstinæq; Antistitem: Vt quomodo Pascha recto jure à cunctis Catholicis celebraretur Ecclesiis, inibi fieret ordinatio, ubi Dominus & Salvator mundi fuerat in carne versatus. Perceptâ itaque authoritate, prædictus Episcopus, non solùm de sua provincia, sed etiam de diversis regionibus, omnes Episcopos evocavit. Vbi cum illa multitudo Sacerdotum convenit: tunc Theophilus Episcopus protulit authoritatem ad se missam Victoris Papæ: & quid sibi operis fuisset injunctum ostendit. Tunc pariter omnes dixerunt Episcopi. Nisi prius quomodo mundus fuerit à principio, investigetur; nihil potest de observantia Paschæ salubriter ordinari. Dixerunt ergo Episcopi: Quem credimus factum fuisse in mundo primum, nisi Dominicum diem? Theophilus Episcopus dixit: Probate, quod dicitis. Responderunt Episcopi: Secundùm Scripturæ authoritatem factum est vespere, & mane dies primus: deinde secundus, tertius, quartus, quintus, sextus, septimus: In quo septimo die requievit Deus ab omnibus operibus suis: quem diem Sabbathum appellavit. Ergo cum novissimum diem signet Sabbathum; quis potest esse primus nisi Dominicus dies?*

Primus mundi dies est Dominicus.

IV. *Theophilus Episcopus dixit: Ecce de die Dominico, quia primus sit probastis: de tempore enim quid dicitis? Quatuor enim mundi tempora accipiuntur, Ver, æstas, autumnus, hyems. Quod ergo tempus primum factum in mundo? Episcopi responderunt, Vernum. Theophilus Episcopus dixit, probate quòd dicitis. Et illi responderunt: Scriptum est: germinet terra fœni herbam, secundum genus suum: & lignum fructiferum, ferens fructum suum. Hoc autem temporibus veris accipitur. Theophilus Episcopus dixit: In quo loco, caput mundi esse creditis? In principio temporis; an in medio tempore; aut in fine? Episcopi responderunt. In Æquinoctio, octavo Kalendarum Aprilium. Theophilus Episcopus dixit: Probate quod dicitis. Et illi responderunt. Scriptum est: quia fecit Deus lucem. & vocavit Deus lucem, diem: & fecit Deus tenebras: & vocavit tenebras noctem: Et divisit inter lucem & tenebras, æquas partes. Theophilus dixit: Ecce de die, vel tempore probastis, de Lunâ, quid vobis videtur? utrum crescentem, an eam plenam, an imminutam à Deo fuisse consecratam? Episcopi responderunt plenam. Et ille: Probate quod dicitis. Responderunt: & fecit duo luminaria magna: & posuit ea in firmamento cæli, ut luceant super terram. Luminare majus, in inchoationem diei: luminare minus in inchoationem noctis. non poterat aliter, nisi esset plena. Nunc ergo investigavimus, quomodo in principio factus fuerit mundus; id est, die Dominico, Verno tempore, in æquinoctio: quod est octavo Kalendarum Aprilium, luna plena, per ipsum tantummodo tempus, & elementa resurgunt*

Mundus in Vere creatus. In Æquinoctio. In plenilunio.

V. *Theophilus dixit, nunc igitur agendum est de ordinatione: quomodo debeamus Pascha tenere. Episcopi dixerunt: nunquid potest dies Dominicus præteriri, ut in eo Pascha minimè celebretur: qui tot & talibus benedictionibus sanctificatus est? Theophilus dixit: Dicite ergo quibus & qualibus benedictionibus, eum esse sanctificatum asseritis, ut scribere possimus. Episcopi dixerunt. Prima illi benedictio est: quia in ipso tenebræ sunt remotæ, & lux apparuit. Secunda est illi benedictio: Quod de terra Ægypti, velut de tenebris peccatorum, quasi per fontem baptismi, per mare rubrum populus fuit liberatus. Tertia illi benedictio est: quia in eodem die, cælestis cibus manna, hominibus data est. Quarta benedictio est: Quia Moyses mandat ad populum: Sit vobis observatus dies primus, & novissimus. Quinta benedictio est, ut in 117. Psalmo dicit: Circumdederunt me sicut apes: & exarserunt, sicut ignis in spinis. De Resurrectione autem Domini dicit: Hæc est dies, quam fecit Dominus: exultemus & lætemur in ea, usque ad cornu altaris. Sexta illi benedictio est, quod in ipsa Dominus resurrexit. Vides ergo, quia dies resurrectionis Dominicus singulariter in Pascha teneri possit. Theophilus dicit: De tempore autem mandatum est à Deo: Hic mensis erit vobis initium mensium, Pascha facite in eo. Omnes ergo triginta dies à Domino consecrati sunt. Episcopi dixerunt: Iam superius dedimus responsum: principium mundi esse Æquinoctium octavo Kalendarum Aprilium, & ab octavo Kalendarum Aprilium usque in octavum Kalendas Maias legimus esse consecratos. Theophilus dixit: Ecce impium non est, ut Passio Dominica tantum Sacramenti mysterium, extra limitem excludatur. Passus namq; Dominus ab undecimo Kalendarum Aprilium; quâ nocte à Iudæis traditus est: & ab septimo Kalend. resurrexit. Quomodo ergo tres dies extra terminum excludantur? Omnes Episcopi dixerunt: nulla ratione fieri debet, ut tantum Sacramentum extra limitem excludatur: sed hi tres dies intra limitem indicantur: & de subter retrahere constitutum est.* Hactenus Beda.

Benedictiones diei Dominici.

VI. A Britannis hæc Synodus conservata et quare? *Baron. hic n. 6.*

Descripsit hæc è Beda Baronius: & benè docet Decretum hoc Britannorum præsertim industriâ conservatum: quia ibi posteriùs de observatione Paschatis controversia admodum efferbuit. *Quod enim in Britannia* (inquit ille) *vehementius atque diutius, dicam & pertinacius, ea controversia de Paschate fuerit agitata. Idcirco hæc & alia de Concilio sub Theophilo celebrato, à piis hominibus ibi in longissimum tempus servata, haud mirandum est.* Cæterùm ego inter cætera, & præ cæteris noto; amplissimam Victoris potestatem, ab Asianis Episcopis, & ab omni Synodo agnitam, cultamque: & inde colligo Romanam Sedem Principem fuisse. Quod si potuit Victor, remotissimo Orienti, & primis ibi Sedibus injungere, & authoritatem mittere: Quid putandum potuisse in Occidentem? Est hoc tam vocale argumentum Romanæ Ecclesiæ principatus, ut Magdeburgenses scripserint: occasione hujus controversiæ *cœpisse Romam suum caput efferre, & tyrannidem exercere.* Verùm si prior aliqua controversia super ritu Ecclesiastico, inter orthodoxos solenniter tractari, ac definiri potuisset: ut potuit hæc de Paschate, Severo Imperatore cum Christianis, ut suprà, indulgentiùs agente; eadem ratione Romanæ Sedis eminentia constitisset. Imo eadem semper constitit; ubi errores & vitia, in Fide nascebantur: tunc enim observare licet, tacentibus passim aliis Episcopis Romanum Pontificem tulisse sententiam. quam bonis omnibus illam amplexantibus, soli (ut hodie) factiosi respuerunt. Sed pergamus in historia.

Victoris potestas in Oriente agnita. *Cent. 2. fol. 152.*

VII. *Euseb. l. 5. c. 22.* Alia per Orbem

Plura per orbem concilia, Victoris imperio coacta sunt, de quibus breviore compendio Eusebius. *Aliud,* inquit, *Episcoporum, qui Romæ similiter conveniebant, de eadem controversia statutum. quod quidem Victorem eo tempore Episcopum fuisse*

declarat.

CONCILIA, PRO DIE DOMINICO.

declarat. Aliud etiam Episcoporum Ponti, quibus Palmas, utpote antiquissimus & maximè venerandus præsidebat. Aliud Ecclesiarum Galliæ, quas Irenæus regebat Episcopus. Aliud porrò Ecclesiarum, quæ Osroenam & reliquas in eo loco civitates incolebant. Aliud separatim Bacchilli Ecclesiæ Corinthiorum Episcopi: & alia denique aliorum propè infinitorum, qui uno consensu judicioq; uno, eandem de illius festi observatione tulere sententiam. Atque istorum omnium, una hæc, quam docuimus, consentiens erat decisio. nimirum non alio, quàm Dominico die Paschatis festum celebrandum. Cum hæc Eusebius recitasset; transit ad Episcoporum dissidium, in Asia, quibus Polycrates præerat: qui morem à majoribus traditum causatus; noluit aliarum Ecclesiarum consuetudinem sequi: sed Lunâ decimâ quartâ, cum Judæis, nullâ Dominicæ diei reverentiâ, Pascha celebrare: quem morem cum obstinatè defenderet, Victor eum, aliosque paocos cum eo sentientes; quia à communi, receptâ, sancitaque universitatis Ecclesiæ sententia recesserant; ab universalis quoque Ecclesiæ communione separavit. Hæc est gestorum summa: ubi integrè habes, qui cum Roma; & Occidente: qui cum peccante Asia, contra universalis Ecclesiæ consuetudinem steterint.

POLYCRATES IN ASIA PRO LUNA XIV. STAT.

A VICTORE EXCOMMUNICATUR.

VIII. Cum nihil hic de Britannorum Ecclesiis dicatur; multò minùs, quòd cum Asia & Judæis peccaverint: valdè mirandum est, quid Sectariis nostris in mentem venerit affirmare, Britannorum Ecclesias, hoc anno, à Romanæ Ecclesiæ communione recedentes; non Occidentalium, sed Orientalium, & Judæorum ritu, celebrasse. Dixi suprà, nec hîc repeto, quàm levibus à conjecturis, quàm futilibus indiciis, decumanam hanc calumniam Britanniæ affinxerint. nunc quæso tantùm adversarios; si peregrinari in Oriente, & Asia libido fuit, cur non itum Cæsaream, aut Hierosolymam, principes in Asia sedes: sed ad Polycratem & factionem ejus? Respondebunt fortè: Scoti posteriùs erraverunt, in festo Paschatis, traxeruntque post se Britannos. Sed profectò: nunquam Scoti, nunquam Britanni, nunquam Occidens, aut ullus in Occidente angulus, Pascha celebrarunt more Judæorum, more peccantis Asiæ, decimæ quartæ Lunæ religiosè inhærendo. Quod solùm Victor, & Occidens horruit. malè igitur collegerunt, quotquot, quo Romam fugerent, Britannicæ Ecclesiæ fundamentum, super peccantis Asiæ crimen, & Judaicam perfidiam (ita vocat infrà errorem hunc M. Constantinus) posuerunt. Quamobrem cogor dicere: quemadmodum muscæ & alia animalcula, ad ulcera potiùs feruntur, quàm ad vivam vegetamque carnem, eoque modo saginantur. Ita humanæ conditionis vitia, nullo delectu, ea solùm lambunt, & avidè sorbent, quæ virtuti inimica fovere possunt errantem impetum. Cum ergo libido esset Romam ejerare: nec ullum libidini suppeteret constans ex antiquitate suffragium; quo se revera probarent innocentes, conspicati aliquid in Asia peregrinum & insolens, eò imperitè fugiunt, conanturque secum trahere Britannorum fidei primitias: nunc videndum quàm verè.

SECTARIORUM OSCITANTIA IN RE GRAVISSIMA.

V. an. 325. 30.

IX. Supra dixit Eusebius; cum Asiæ errorem Romanæ consuetudini contrarium recensuisset, *cæteras Ecclesias per universum terrarum Orbem dispersas*, cum Româ fuisse: & inde quivis colligendi peritus, facilè poterat concludere; quid Britannorum Ecclesia, quam Petrus, Clemens, & nuper Eleutherius, Romani Pontifices docuerunt, sequuta sit. nam si omnes Ecclesiæ extra Asiam, resurgentem Christum colebant, non alio, quàm Dominico die: cur sine teste, sine sensu, sine argumento ullo, nobilissimam Britanniæ Ecclesiam, & Lucio Rege illustrissimam, excludimus, aut extra universum terrarum Orbem collocamus? Nec unus Eusebius id affirmat, Socrates quoque & ipse græcus, Romanæque Ecclesiæ splendoris æquè ac Sectariorum ullus impatiens, cum Eusebio est. nam minoris Asiæ errorem describens, de aliis Ecclesiis ita loquitur: *Cæteros Universos, qui partes versus occasum solis & Oceanum accolebant; ex veteris traditionis præscripto, post æquinoctium idem ipsum celebravisse constat.* Constat ergo Britanniam, quæ ad Solis occasum & Oceanum est, cum Oriente & Asia minore non fuisse. & æquè constat hallucinari eos, & cum extremâ fortunâ confligere; qui defectionis, schismatis, & novæ Ecclesiæ basim, super hoc fundamentum erexerunt: quod olim Victoris tempore, imò priùs, posteriusque, Britannorum Ecclesiæ, cum minoris Asiæ Ecclesiis contesserarint in festo Paschatis. Qoo, ut ad fœdandam Insulam fidemque nihil potuit excogitari vitiosius: ita nihil magis à veritate alienum esse, qui omnes bujus controversiæ circumstantias inspexerit, judicabit. Et tamen eo argumento in Romam disputant, non solùm è grege hominum aliqui, cum quatuor Magdeburgicis: sed arietes ipsi, *& pastores populi, καὶ ποιμένες λαῶν*; Ecclesiæ, inquam suæ Antistites & Prælati, & quotquot à scriptione nomen existimationemque consequuti.

QUÆNAM PROVINCIÆ CUM ROMA PASCHA CELEBRARUNT.

Socrates l. 5. c. 22.

X. Quamobrem corruit moles illa quæ factionis nuperæ Babelem sustinet: & aries, aërem tantummodò verberat, quam in constantissima Romanæ Urbis mœnia erexere, probare conantes Britannorum Fidei primitias, ritus, & sacra omnia, non ex urbe, sed Oriente fluxisse, eo potissimùm argumento, quòd Britanni olim cum Asia minore fuerint in ritu celebrandi Paschatis. Quî enim fieri potuit, ut Insula, Romæ quàm Asiæ multò conjunctior, totiesque ab orbis illius Episcopis docta: quæ nuper Eleutherium supplici legatione pulsavit, cupivitque ab eo doceri: & quam tunc Eleutherius Paschatis ritum, ut suprà docuit: Quî, inquam, fieri potuit, ut vivente adhuc Lucio, tantum ab illius Sedis reverentiâ, obsequioque recesserit; ut doctrinæ immemor, Asiaticas Ecclesias, non primas illas, principesque, sed nescio quas heteroclytas sequuta sit; cum quibus inauditum hoc omni sæculo commercium? Dic igitur ad Fidei historiæque veritatem consequentius, Britanniam hoc anno, vel statutum aliquod, inter *alia propè infinita*, de quibus suprà Eusebius, illisque conforme tulisse: vel cum Romanâ Ecclesiâ (à quâ nunquam vel minimum deviavit) consensisse; vel denique quod verius videtur, plantatam quondam, & nuper irrigatam à Fugatio & Damiano Christianam Fidem, & Romanæ Ecclesiæ sacra, nulla adhuc factione, dubióve turbata, ritum quem heri didicerat, sine ullo quæstionis examine servavisse. præsertim cum Beda de hoc tempore loquens disertè affirmet libro primo capite quarto historiæ suæ: *Britannos susceptam ab Eleutherio fidem, ad Diocletianum usque quieta pace, integram inviolatamq; conservasse.* quod nullo modo dicendum,

V. an. 187. 18.

Bed. l. 1. c. 4.

si cum

Error Scotorum et Britannorum posterior fuit, et nunquam Asiaticus.

si cum Polycrate peccassent. Nec enim Victor qui Orientem percusserat, sivisset Occidentis Insulam, in alieno Paschatis ritu quiescere. Cæterùm quando peregrinus celebrandi festi ritus, Insulam pervasit: & quis qualisque fuerit, dicam suo loco opportuniùs: ubi ejus initium, progressum,& denique epocham indicabo, nunc sufficiat dicere Asiaticum non fuisse; quia semper Britanni, & Scoti qui Britanniam infecerunt, Dominicum diem religiosè servarunt.

XL Sed obstrepunt hic factiosi, & Victorem accusant, quòd Asiaticos ab Ecclesiastica communione removerit; ideo solùm, quod decreto ejus de observatione Paschatis parere recusarunt. Magdeburgenses ita Victoris factum elevant: *Victor furens, & male sibi temperans, missis literis, fratres omnes Asiaticos, & Ecclesias vicinas, à se, à communione Ecclesiæ exclusos, & rejectos palàm denuntiat. Qui furor præceps, aliorum Episcoporum animos non leviter movit; & Ecclesiis (ut res Episcopum minimè decens) majorem in modum displicebat: adeo ut & acerbiùs à quibusdam parùm reveritis Romani Pontificis, quam hic usurpare cepit, primariam potestatem, duriùs & asperiùs Victor objurgaretur. Irenæus quoque etiamsi cum Victore sentiebat; tamen minimè cum molliter reprehendit: peccasse eum, & indignè fecisse, quòd tot Ecclesias perturbasset, & à corporis unitate abscindere conatus sit.* Ita ipsi, de Victore Papa, quem omnia sæcula, etiam factiosissimi quique, Sanctum & Martyrem appellarunt. hic tamen audit furiosus, intemperans, præceps, & cætera quæ nequior impetus suggessit. Sed dicamus sobriè quod res est. Victor sanctus justissimè motus, excommunicationis fulmine percussit in Oriente aliquos, qui sancitum à cætero terrarum Orbe, Paschatis ritum observare noluerunt. Eo facto se Ecclesiarum omnium, & sacrorum Principem ostendit: & Orbis terrarum, cum Irenæo Lugdunensi Episcopo, ita credidit, qui dividentem, fulminis ictum agnovit, deprecatusque est. Quòd justè motus, sententiam tulerit, Montani hæresis in causa fuit, quæ inter cætera dictabat, quasi divinâ lege, ab ipso suo paracleto, Pascha cum Judæis, & decimâ quartâ Lunâ celebrandum, secusque facientes admodum errare. Ita malo, si habenas permittas, difficilior est medicina: & tandem serpit adeo, ut leni pharmaco curari non possit. Tum, quis neget, emissione, causticis, abscissione opus: ne pars affecta totum corpus inficiat? Hoc prudentis est,ut furentis,solum medicinam respuere, ut faciunt Magdeburci, qui ponunt in cælum os suum, Sanctosque calumniantur, & quod ex arte factum, Irenæum cupiunt factionis socium. Sed ille, cum Victore est, non solùm in ritu Paschatis, sed in asserenda potestate ejus. Et solum Victorem *appositè, & convenienter admonet* (verba sunt Eusebii) *ne tam multas Ecclesias, propter traditionis ex antiquâ consuetudine observationem, à corpore universæ Christi Ecclesiæ, penitùs amputet.* Et quod ad alios Episcopos attinet, idem Author, factum Victoris *cæteris omnibus*, inquit, *parùm placebat Episcopis.* quod factiosi vertunt, *majorem in modum displicebat.* quasi idem esset: quatuor Magdeburgenses sunt parùm sapientes; & sunt majorem in modum insipientes. Quicquid dixeris, tam Irenæus, quàm alii Episcopi, Victoris authoritatem, magno argumento probaverunt: quando tanto conatu, pro Oriente ne fulmine feriretur, oraverunt: non ita facturi, si irritus fuisset ictus, aut vana sine viribus ira. Sciebant abscissum à corpore membrum, illico putrescere. & membro illi cavebant: nesciebant procul positi Victoris consilium: expedire perire partem, ne totum inficeretur.

Cent. 2. fol. 131.

Victoris factum sectariis displicet.

Sed defenditur.

Eusob. l. 5. c. 24.

XII. Moritur hoc anno, si fastos sequimur Meduinus Anglo-Belgius, qui Romam in Lucii & Britannorum causâ profectus; ibique *ab Eleutherio Papa gentis Britannicæ Doctor solemniter*, creatus est, inquit Pitsius: qui etiam affirmat eum Acta Fugatii & Damiani, ab eo conscripta posteris reliquisse. Illa nimirum, quæ Sanctus Patritius Glastoniæ reperit: cum eò quietis causâ secessit. quorum aliqua suprà retulimus. Hic cum utilem Britanniæ operam, tam in Lucii Regis conversione, quàm alios docendo posuisset: meritò suo in Anglicano Martyrologio locum habet ad primum Januarii, ubi mortuus ponitur circa annum Domini centesimum nonagesimum octavum: & Glastoniæ sepultus. Verùm quod ad sepulchri locum spectat, non invenio Meduini nomen in illius loci Antiquitatibus à Malmesburiensi collectis; qui antiquiores Glastoniæ sepultos accuratè collegit. pergo igitur ad annum sequentem.

Meduinus moritur. Pitsius in Meduino.

Martyrol. Anglic. 1. Januarii.

ANNUS URBIS CONDITÆ 950.

ANNUS CHRISTI 199.

VICTORIS PAP. 6.

LUCII REGIS 76.

SEVERI IMP. 5.

I. SEQUITUR Christi annus centesimus nonagesimus nonus, Laterano & Ruffino Consulibus: quo Romani pro Imperio contendentes, Occidentem nostrum turbis, & milite impleverunt: nec Britannia immunis fuit: ubi Clodius Albinus Legatus primò, inde à Severo Cæsar renuntiatus, non contentus appellatione illa, Augusti cognomen ambivit. Quod Severus,consortis impatiens hoc anno parat ulcisci: cum priùs Orientem, Byzantio occupato, & in vici formam redacto,sibi conciliasset. Movit itaque,hoc anno, ex Italia, Galliam versus; quò etiam Albinus & Britannia solvens, multo comitatus milite contendit. Cæterùm quomodo utrimque concursum, Herodianus exposuit in hunc modum.

Byzantium destruitur a Severo.

Albinus e Britannia solvit in Gallias.

II. *Postquam nuntiatum Albino est, nihil cunctari Severum, sed adesse jam: supinus hactenus, & delicias agitans, magno tum metu perculsus, statim è Britannia transmittens, in adverso Galliæ litore castra collocavit: literisq; ad vicinarum gentium Præsides missis; pecunias commeatumq; exercitibus juvandis corrogabat. Sed ubi jam in Galliam, Severi copiæ pervenerunt; levis quædam primò pugna, quasiq; velitares fuerunt: donec postremò apud Lugdunum, magnam urbem, atque opulentam; prælium in manibus fuit. nam cum se manibus tenuisset Albinus, exercitus emisit in pugnam. Ut verò ad manus ventum; diu quidem utrimque decertatum est, æquis viribus: sic ut ambigua fortunæ victoria penderet. Neque enim Britanni, vel animi magnitudine, vel aviditate cædis, Illyricis concesserunt. In conflictu primo valentissimorum exercituum, neutram in partem acies inclinabat. Atque, ut nonnulli prodidere ejus ætatis Authores, qui*

Herodian. lib. 3.

Certatur pro Imperio.

non ad gratiam, sed ad fidem loquuntur; longè potior fuit Albini acies, qua in parte Severus curabat: sic ut fugerit quoque, & ab equo deciderit, abjectóq; paludamento delituerit. Sed insequentibus jam, ululantibusq; Britannis, ceu planè victoribus; apparuisse ex templo Latum, Severi Ducem, cum eo cui praeerat, recenti adhuc exercitu, & qui extra pugnam fuerat. Severiani pelluntur. *Quippe malè audit, quasi eventum pugna expectaverit; cunctatus de industriâ, recente milite: ut sibimet imperium vindicaret. Siquidem non priùs in pugnam protulit pedem; quam ubi Severus cecidisse nuntiatus. Quam suspicionem etiam deinde eventus approbavit. Quippe rebus omnibus ex sententia mox compositis; atque in maxima securitate agitans Severus; cum ceteros belli duces magnis affecisset praemiis: Latum ipsum tamen, ut par fuit, memor proditionis morte multavit. Sed ista quidem post fuere.*

III. Redintegratur prælium.

Tunc autem conspecto ut diximus, Lato; cum recenti adhuc exercitu, spes addita Severianis est. ac sublatus in equum Severus, & paludamento purpureo circumdatus. At Albiniani jam se victores rati, confusis ordinibus, incitante se in eos de improviso valida recentiq; hostium manu; cum paulum primo restitissent, terga demum verterunt. Albiniani funduntur. *Fusos ergo fugatosq; eos persecuti Severiani, magna edita strage, ad urbem ipsam pervenerunt. Occisorum utrimque aut captivorum numerus, variè prout visum ejus ætatis scriptoribus proditur. Direpta mox incensaq; Lugdunum: & Albino caput abscissum, perlatumq; ad Severum est.* Albinus occiditur. *Ita duo maxima excitata trophæa, ad Orientem, ac Septentrionem, sic ut nihil sit, quod cum Severi contentionibus, aut victoriis conferas; sive copiarum multitudinem, sive nationum motus, sive itinerum longitudinem, celeritatemq; consideres. Hunc finem vitæ habuit Albinus, brevi sanè lætatus funesto honore.* Hæc omnia Herodianus, qui pergit narrare, ut Romam missum Albini caput, & minæ additæ provinciis, quæ ab Albini partibus steterant: & demum concludit: *Rebus igitur Britanniæ ordinatis; cum totius Insulæ administrationem bifariam dispertisset: itemq; omni Galliâ, (quemadmodum quidem sibi videbatur) compositâ ex sententia: suppliciòq; de Albini amicis sumpto; sive quos ei sua quemq; voluntas, sive necessitas adjunxerat, bonisq; ipsorum publicatis; continuò Romam proficiscitur; exercitum secum omnem adducens, quo terribilior videretur.* (Herodian. l. 3.)

IV. Locus pugnæ.

Quod ad locum pugnæ attinet, ex editionum varietate, variant quoque Authorum sententiæ. Spartianus in Severo, *apud Trinurtium contra Albinum felicissimè pugnatum* scribit. (Spartian in Severo c. 10.) Hinc, opinor, Critici ad Trinobantum urbem prælium referunt: & demum Londini, utramque aciem concurrisse putaverunt. sic aliqui Herodianum imprimentes, Lugduni loco, Londinum substituunt. sed omninò falluntur; nam in Gallia pugnatum (Galliæ voce pressè sumpta) non solum Spartianus affirmat, qui paulò superiùs Galliæ nomine Britanniam intellexit: sed Julius Capitolinus Lugdunum nominat: & Dionis Epitome, Lugduno Rhodanum conjungit, ubi de Albini interitu loquens: *Albinus,* inquit, *in domum quandam ad Rhodanum confugerat: quam ut sensit septam undique custodiâ teneri, mortem sibi conscivit.* (Xiphil. in Severo.) Legendum ergo in Herodiano, ut Politianus vertit, Lugdunum. sed ubi idem interpres habet: *totius Insulæ administrationem bifariam dispertitam* à Severo: ansam videtur præbuisse Scriptoribus, affirmandi omnem omnino Britanniam, penes Romanos hoc tempore fuisse: quod satis à veritate alienum. nam Dio de Britanniâ, & Severi imperio loquens: *Hujus Insulæ,* inquit, *pars paulo minus, quam dimidia, nostra est.* (Dio l. 76. in Severo.) quomodo ergo Severus dici potuit, *totius Insulæ administrationem bifariam* divisisse? Reverà non divisit omnem Insulam: nec ita dixit Herodianus, si fideliter, & genuinè transferatur. Notum enim, & hactenus è dictis constans est, Caledonios omnes, totumque Septentrionalem tractum, nunquam Romanæ servitutis jugum subiisse. Peccavit ergo hac vice doctissimus Interpres, & græca non ad amussim reddidit. Herodianus ita dixit Διοικήσας δὲ τὰ κατὰ τὴν Βρεττανίαν, καὶ διελὼν εἰς δύο ἡγεμονίας τὴν τοῦ ἔθνους ἐξουσίαν. quæ meliùs ita reddideris, distribuens veluti per Diœceses ea quæ Britanniam spectabant, & dispertiens in duo regimenta illius gentis potestatem. (Herodiani locus restituitur.) Quæ aliud non significant, quàm Severum, priusquam Romam rediret, Romanum exercitum, qui in Britannia erat, in duos divisisse, & duobus legatis rem omnem permisisse. Hactenus enim unica tantum provincia Romanorum in Britanniâ censebatur: nunc Severus, victo Clodio Albino, duplicem constituit: Superiorem unam, Inferiorem alteram. sic Dio Cassius lib. quinquagesimo quinto, ubi de Romanorum Legionibus agens: secundam Legionem Augustam & Victricem vicesimam in Superiori Britannia: Legionem sextam Victricem, in Inferiori collocat. (Britanniæ divisio per Severum.) Superiorem vocans, quæ Romæ proximior; Inferiorem quæ remotior erat. Quæ Insulæ divisio, non nisi victo Clodio, à Severo facta, ex hoc Herodiani loco colligitur.

V. Heraclianus in Britanniam mittitur.

Hinc solvitur nodus, quem passim Historici nostri texunt; sed non retexunt. Scribunt enim missum primò in Britanniam à Severo Imperatore Heraclianum (Heraclitum * vocat Spartianus) legatum; nimirum cum Clodius Albinus appellatus est Cæsar: & mox, inquiunt, in Herocliani locum missus est † Virius Lupus: quem Ulpianus Britanniæ Præsidem appellat. (* Spartian. in Severo c. 6. † Et Virius Lupus.) non distinguunt hi Authores Legatorum annos, & cum Albini præfecturâ confundunt. Spartianus tunc missum Heraclitum putat, *ad obtinendas Britannias:* quando Plautianus mittitur ad occupandos Nigri Pescennii liberos: hoc est, priusquam Albinus esse desierat. Joannes Spedus missum asserit Heraclianum, à morte Albini; ipsique successum, à Virio Lupo. Verùm è dicto Herodiani loco, opinor, utrumque simul à Severo rebus Britannicis præfectum, statim ab Albini nece. nec enim probabile, eo vivo, & Cæsare, & Britanniæ Legato; alium aut missum, aut admissum esse. Quod enim Spartianus aliquando dixit: *Severo Romam redeunti, post bellum civile Nigri. aliud bellum civile Clodii Albini nuntiatum est, qui rebellavit in Galliâ:* (Spart. suprà c. 9.) & inde concludunt Albinum in Britanniâ non fuisse; παρόραμα est. nam Galliæ nomine, eo in loco, constat Britanniam intelligi: quæ Spartiani tempore pars præfecturæ Galliarum censebatur. Unde non erat opus Galliæ vocem in Walliæ transsabrinæ inflectere: quod factum à Richardo Vito dicam inferiùs. Albinus itaque in Britannia fuit, ibi legatum egit, ibi defectionem exorsus, nec inde nisi ad mortem discessit.

VI. Heraclianus ad austrum, Virius Lupus à Septentrione præsunt.

Hinc colligo Herodiani sensum, & factum Severi. Ille devicto Albino, Britanniæ exercitum, & rem Romanam illius Insulæ, in duas præfecturas divisit: Militi, coloniisque qui ad austrum erant, Heraclianum præfecit: iis verò qui ad Septentrionem & murum excubabant,

Virium Lupum. Et hujus quidem Legati plura sunt vestigia, quæ etiamnum in Brigantibus & Eboracensi agro leguntur: quæ fidem faciunt, eum Severi Imperatoris tempore Legatum fuisse. Ad Olinacam urbem (ita Ptolomæus vocat oppidum, quod nunc Ilekely vulgò est) rudera visuntur. Unde non obscurè colligitur, locum illum à Virio Lupo illustratum esse, Severo Imperante: nam inter cætera lapis ostenditur, ita inscriptus.

IM. SEVERVS
AVG. ET, ANTONINVS
CÆS. DESTINATVS
RESTITVERVNT, CVRAN
TE VIRIO LVPO LEG: E
ORVM PR. PR.

VII. Exponitur inscriptio.

Benè probat hæc lapidis inscriptio Virium Lupum Proprætorem in Britannia fuisse, Severo Imperante. nam id postremæ literæ significant. Sed non probat, quo tempore præfecturam Virius Lupus acceperit. Joannes Spedus è literis incisis colligit erectum lapidem anno Christi centesimo nonagesimo septimo: putat enim sequenti anno, Bassianum (qui & Antoninus) Severi filium, Cæsarem factum. ideoque *destinatum Cæsarem* scribi. Sed revera Albinus tunc Britanniæ præerat: & Bassianus necdum, aut Antoninus, aut Cæsar. nam ut Spartianus: *Cum Severus iret contra Albinum* (quod hoc anno, cum Baronio factum putamus) *in itinere apud Viminatium, filium suum majorem, Bassianum, apposito Aurelii Antonini nomine, Cæsarem appellavit.* Quod si Bassianus, simul factus est Antoninus & Cæsar; ut passim creditur, nunquam potuit Antoninus destinari Cæsar; licet potuerit superiori anno Bassianus. Dico igitur incisam epigraphen hoc anno centesimo nonagesimo nono; cum Lupus in Britannia pacem firmavit, receptis, quos Mæatæ abduxerant, captivis. *Tunc enim* (ut scribit Dio) *in Britanniâ, tam propter eam causam, quòd Caledonii promissis non institerent, paratì ad defendendos Mæatas; quàm quòd Severus, id temporis, finitimo bello intentus esset, coactus fuit Lupus a Mæatis, magnâ pecuniâ pacem redimere, paucis quibusdam captivis receptis.* Ita habent Dionis excerpta à Theodosio; ubi Albini cum Severo bellum exponitur. Lupus igitur sub hoc tempus cum Mæatis paciscitur, quando Bassianus, Antoninus & Cæsar nuper declaratus, Imperio etiam destinatus scribi potuit: non solùm, quia Severi Imperatoris primo-genitus: sed quia parens, anno sequenti, ut dicetur, illum Augustum declaravit.

Bassianus Cæsar appellatur, et Antoninus.

Spartia. in Severo c. 10.

Dio l. 75. è Theodosio.

ANNUS URBIS CONDITÆ 951.

ANNUS CHRISTI 200.

VICTORIS PAP. 7.

LUCII REGIS 77.

SEVERI IMP. 6.

I. Bassianus Augustus declaratur.

ANNO qui sequitur, Christi ducentesimo, Saturnino & Gallo Consulibus: Severus Imperator filium nato majorem, Bassianum, & à vestimenti genere Caracallam dictum, quem suprà Cæsarem appellavit, Tribunitia potestate auctum, Imperii consortem & Augustum dixit, cum ipse sextum in imperio annum ageret. Matrem Bassianus habuisse dicitur, Martiam nomine, quam Galfridus Monumetensis, Richardus Vitus, Broughtonus, & alii contendunt Britannam fuisse. Duxit illam Severus, cum tribunatum plebis obtinuit, tempore M. Antonini, cognomento Philosophi, suscepitque ex ea Caracallum Lugduni in Gallia, qui rerum potitus, *Britannicus Maximus* voluit appellari: An quia è Britanna matre natus, an aliam ob causam, dicam inferiùs: ubi plura de ejus matre, de nomine, patriaque. Severus pater, Romam reversus, delatum sibi triumphum, ob rem in Gallia feliciter gestam, noluit; ovatione contentus.

Galfri. l. 2 c. 2. Vitus l. 4. & 5 Broughton. cent. 3. c. 5.

V. an. 214. 3. &c.

CONTEMPLATIO SECUNDI SÆCULI, ET REGIÆ FIDEI BRITANNORUM.

II.

SUPEREST hujus sæculi contemplatio: quam ita expediam, ut brevi solùm compendio contrahiam illa, quæ sparsim suprà suis locis adnotavi. Jucundum imprimis erit Ecclesiæ Britannicæ, seu Lunæ nascentis incrementa cernere: ut in quam Christianæ fidei lux, è primi sæculi tenebris emergens, in splendidissimam auroram primò surrexerit: Inde Lucio Rege, in apertum diem; Deum trinum & unum, Christumque ejus palàm professa. Latuit enimverò primo sæculo, Christianorum in hac Insula fides, pietasque inter idolorum sordes, & superstitionum rudera: nunc videre est, post infidelitatis noctem, pulcherrimè lucentem: & non modò Britanniam, sed Gallias, Germanias, & Italiam quoque suis radiis illustrantem. Ut enim Galliam, Germaniamque Lucius docuit: ita primo lucis ortu, solis instar, quod erat in Christiano orbe eminentissimum indicavit, Romam & Eleutherium appellando. Quò enim Princeps Lucius, pro principe Sacramento, nisi ad sacrorum Principem iret? Aut navigaturus in Oceano, scopulis, syrtibus, brevibusque plenissimo: ubi nisi in statione tutissimâ quiesceret, aut anchoram figeret: nisi ad Petram illam, supra quam Christus ædificavit Ecclesiam? Hoc in Lucio jucundissimè contemplamur, qui omnes Europæ Principes, & Britanniæ imprimis, ad idem faciendum, sua luce, suo nomine, suo duxit exemplo. nam Donaldos & Constantinos video Lucii vestigia prementes in hac Insula: video Clodovæos in Galliâ, & Saxonum nostrorum Reges, in Lucii lumine ambulantes; Romanæ Sedis dignitatem, illustrissimam fecisse. Unde stupendus est eorum stupor, & nullâ hostia expiandus, qui Regiæ Fidei nostræ exordia, aliunde quàm è Lucii & Romano fonte derivant. Sed notus est schismatis, & factionis genius, ad imperium ubique recalcitrans. nos Britannicæ Fidei lucem, & in illa, Ecclesiæ splendorem videamus.

Britanniæ Fides illustris.

Ibi Sacrificium, quod Petrus olim, vel ejus discipuli, obscuriùs, & inter Romanorum iras, clanculum celebrarunt, hoc sæculo luculentiùs apparuit, constantiùs peractum est, & certiore suffragio comprobatur. Imò nequid tractu temporis (ut in rebus aliis) vitiosum esset, aut à Petri more devians; itum video ad Petri successorem Clementem; video porrigi illi preces, supplici legatione, rogarique judicem: & hoc

III. Britannorum Sacrificium.

quid aliud niſi principatus argumentum? Sed infinita ſuppetunt hujuſcemodi. Quò enim eminentior Eccleſia; eò illuſtrior eſt majeſtas Capitis. Ad Sacrificium redeo, luſtraturus ea quæ ibi peraguntur. nam Rege, populoque baptizatis; patent Eccleſiæ: & quæ clam priùs, & cum paucorum conſrientiâ fiebant, ſilentioque tradita ſunt, ut dixit ſuprà Magnus Baſilius, jam in Britanniâ noſtrâ in propatulo fiunt, clareque cernuntur. Ibi rerum, rituumque veritas manifeſta eſt; ibi pietatis unguenta expandunt odorem ſuum: Ibi denique Chriſti nomen, magis quàm alibi, magis quàm antea, *oleum effuſum*. Enimvero templorum dedicatio, & altarium conſecratio, quam ſuprà probavimus, arguit in divino cultu, ſolemne aliquid Deique majeſtate dignum, cum ſacris operamur: & cedo aliud præter ſacrifirium: quo Dei ſupremum dominium, & mortalium ſervitus elegante*r* exprimuntur. nam eo modo Deum coli, placarique, naturæ lex, in ipſa mundi infantiâ ſuggeſſit. In eum finem Moyſes, illuſtriùs ædes, altaria, ritusque plurimos, dictante Deo, extruxit. Et Chriſtus, qui non venit, aut naturæ, aut Moyſis legem ſolvere; ſed implere omnia, rerum veritate, ſanctiore ritu, melioribus ſacris: hunc ſupremum religionis actum, hujus ſupremi dominii, humanæque ſervitutis Sacramentum abolevit? Eſtne aliquis tam obeſæ naris, qui hoc dicat?

V an. 183. 24.

V. an. 185. 1. & 24.

IV.
Cent. 2. fol. 49.
MAGDEBURGICI ARGUUNTUR.

Imò verò ſunt Quatuorviri, qui Magdeburgi ita ſcripſerunt. *Patres ſecundæ centuriæ, ſimpliciter negant, Eccleſiam Chriſti, aut alia habere Sacrificia, aut aliud quicquam ſolere offerri Deo, quàm invocationem, celebrationem, & gratiarum actionem.* Addunt è Juſtino conſtare, abolitis jam Moyſaicæ legis ſacrifiriis, reſtare tantummodo, *oblationes laudis, & gratiarum actionis.* Video Calviniſtas pugnare hoc argumento non ſolùm in Sacrificium; ſed in templa omnia atque altaria: Quæ revera moriente Sacrificio, quorſum ſurgerent, aut conſiſterent? cum è divinis literis conſtet, Sacrificio imprimis illa ſerviiſſe. Quod à Chriſti adventu conſtat longè vocalius, poſtquam à Dominico Sacrificio, Magnus Conſtantinus Dei monitu, templa juſſit appellari Κυρίακα. Sacrificium ergo, templorum fundamentum eſt, lapiſque angularis: quo ſublato, quis neſcit templum ruere. aut certè malè materiatum ſtare? Et Sacrificium illud laudis & gratiarum actionis, in conclavi aliquo, & ſcrinio pectoris offerri poteſt multò commodiùs. Hoc ariete, his cuniculis, multa per Europam templa, multa antiquæ pietatis monumenta ruinam minantur. Sed quid? Juſtinus & Patres hujus ſæculi huic impiiſſimæ cauſæ ſuffragantur? Nihil minùs: ſed humani generis, Deique juratus hoſtis; qui Deo ſimilis eſſe aliquando concupivit: ſpe fruſtratus, in omnem Dei cultum, claſſicum ſonans; eo potiſſimùm arguitur argumento: eoque Sectarios, & Calviniſtas, & hujuſmodi portenta armat in Deum & Eccleſiam. Sed prodeant Patres hujus centuriæ: prodeat Juſtinus, recitentur ejus verba: & facilè obturabitur os loquentium iniqua.

V Euſeb in laudibus Conſtantini.

V.
JUSTINI SENSUS DE SACRIFICIO CHRISTIANORUM.

Juſtinus cum Triphone, contra Judæorum perfidiam pluribus agens, non uno in loco Sacrificiorum meminit. Dicit quidem Moſaicæ legis Sacrificia deſiiſſe: quia figuræ erant, & umbræ futurorum. Unde quivis argumentandi peritus, concluderet potiùs, abeunte figura, ſucceſſiſſe figuratum: nimirum umbratica quidem Sacrificia ceſſiſſe: & plenius aliquid, ac ſolidius, cui illa ancillabantur, ſucceſſiſſe: præſertim cum Chriſtus diſertis verbis affirmaverit: *Non veni ſolvere Legem, aut Prophetas; ſed adimplere.* Verùm hoc non ago, de Juſtino lis eſt, an è mente ejus, veterum Sacrificiorum umbræ, ita deſierint, ut eorum loco nihil ſucceſſerit. *Vacca*, inquit ille, *quæ pro iis, qui elephantiâ expiarentur, immolari juſſa eſt, figura erat, & quoddam quaſi ſimulacrum PANIS EUCHARISTIÆ; quem mortis ſuæ recolendæ cauſa, quam pro iis, quorum animi, ab omni ſcelere expiarentur, pertulit IESUS CHRISTUS, Dominus noſter, faciendum eradidit, ut Deo gratias agamus.* Ubi habes Britannorum Sacrificium, quod Euchariſtiam dicimus, è Moſaïci Sacrificii umbrâ, in Evangelicæ lucis veritatem tranſiiſſe, teſte Juſtino. Sed excipiet fortè factioſus: hic aliquam panis Euchariſtici, nullam verò eſſe Sacrificii mentionem. Doce ergo, è Juſtino, Euchariſtiam hanc, Sacrificium eſſe, è Judæorum ritibus, umbriſque emergens; & hoſtiam eſſe offerri ſolitam; aut nodum non ſolviſti. Solvat Juſtinus, ita Judæos alloquens: *De hoſtiis, quas tunc immolabatis, Deus per Malachiam unum ex duodecim loquitur hoc modo. Non eſt in vobis voluntas mea, ait Dominus: nec Sacrificia veſtra ex manibus veſtris accipiam. quod nomen meum, ab ortu ſolis, ad occaſum, in gloria fuit in gentibus: in omniq; loco odores incenſi nomini meo offeruntur, mundumq; Sacrificium: quod magnum eſt in nationibus nomen, ait Dominus. Vos autem illud inquinatis & polluitis. De hoſtiis, quæ ipſi à nobis gentibus ubique offeruntur; id eſt, de pane Euchariſtiæ, & poculo ſimiliter Euchariſtiæ, tum prædicit, cum ait: à nobis nomen ſuum gloria affici, à vobis autem pollui.* Hæc ille: & pergit dicere, Circumciſionis legem, baptiſmi Chriſtianorum ſimulachrum fuiſſe. Unde philoſophandi peritus è mente Juſtini colliget, non ita ceſſaſſe circumciſionis Sacramentum, quin in nobilius ſanctiusque Sacramentum tranſierit: cujus olim umbra fuit. Eodem modo Judæorum Sacrificia; veluti ſacrarum rerum hieroglyphica; ceſſere quidem ipſa, præſentibus rebus: res tamen ipſas, veriſſimam habere Sacrificii notionem, atque ſanctitatem. Hoc inquam, omninò dicendum; quia Juſtinus diſertè affirmat, panem Euchariſtiæ, hoſtiam eſſe, mundumque Sacrificium, prædictum ab Iſaïa, offerendum à gentibus.

Matt. 5. 17.

Juſtin. in Tryph. ante med.

Idem ſuprà.

VI.
SECTARIORUM SACERDOTIUM QUALE?

ORTHODOXORUM SACERDOTIUM NOBILE.

Hinc orthodoxi meritò gloriantur, Sacerdotium ſuum, à Sectariorum Sacerdotio immanè differre: quia hoc nudum, nuperum, vacuum, inane: illud plenum, Regale, divinum, & infinita Sacrificii ſanctitate animatum. Hæc dignitas Romani Sacerdotii, plures olim hodieque traxit è ſummis locis: Reges, inquam, & Principes: ut ſacris ordinibus initiati, ſacris Altaribus aſſiſterent, & Lucium Britannorum Regem, aliqui ſatis probabiliter nominant. Heterodoxi nullum habent, qui amore ſuorum ſacrorum, aut Sacerdotii reverentiâ, titulos aut ſceptra depoſuerit; quo nudum panem, poculumque propinaret populo. Deſinant ergo novam fidem nundinari, nullo ſolenniori ritu Deum adorandi, nullo, inquam Sacrificio nobilem. Et audiant iterum Juſtinum aſſerentem, Sacrificia à Sacerdotibus noſtris oblata, à Deo præſcripta, Deo eſſe gratiſſima. *Neque verò*, inquit ille, *a quoquam hoſtias Deus accipit; niſi a ſuis Sacerdotibus. Itaque omnia Sacrificia, quæ ſuo nomine facienda IESUS CHRISTUS eradidit. id eſt, in Euchariſtia panis & poculi, quæ in*

Juſtin. in Trypho. ante finem.

omni loco à Christianis fiunt (nimirum hoc secundo saculo, regnante Lucio) praeoccupatione usu Deus, sibi grata esse testatur. Igitur cum Justinus aliquando dixit: Preces & gratiarum actiones bonorum perfectas, solas esse Deo gratas hostias, in aridi humidique cibi sumptione: Quis nescit Eucharistiam (quæ latinis gratiarum actio est) imprimis intelligi & illam non modo Sacrificium esse; sed solum, perfectumque Sacrificium?

VII. QUID EUCHARISTIÆ SACRAMENTO CONTINETUR.

Solùm quæri potest: quid per cibum aridum humidumque: quid per panem Eucharisticum Justinus intelligat? nam Sectarii, arido quoque & insipido Sacrificio, aut certè Sacramento, & ipsi interdum gloriantur. Nisi ergo se latiùs explicet: & Sacramenti verborumque vim enucleatiùs edisserat: cum Calvino cænabimus sub umbris rerum atque figurarum. Itaque Justinus, cum Antoninum Imperatorem docuit Christianæ fidei mysteria; Eucharistiæ Sacramentum ita exponit. *Non enim, ut communem panem, neque communem potum ista sumimus. Sed quemadmodum per verbum Dei, caro factus IESVS CHRISTVS Salvator noster, & carnem & sanguinem salutis nostra causa habuit: ita alimoniam, per precationem verbi, ab ipso profectis, eucharistizatam, ex qua sanguis & caro nostra, per mutationem aluntur, incarnati illius IESV carnem & sanguinem esse edocti sumus.* Quasi diceret Eucharisticus panis, non est ille quem Calvinistæ fingunt: sed sicut Christus verè carnem humanam & sanguinem assumpsit: ita docemur, docemusque ipsiusmet incarnati Christi carnem & sanguinem esse; idque vi verborum quæ Christus protulit in ultimâ cænâ. Nihil hoc apertius pro Britannorum Fide; nihil constantius in adversariam factionem dici scribive potuit. ἐδιδάχθημεν, inquit, dudum edocti fuimus, Eucharistiam tam verè, & realiter esse carnem, & sanguinem Christi: sicut dudum docti sumus, eundem Christum verè & realiter incarnatum esse. Ubi tacitè innuit vir doctissimus, eadem potentiâ, panem, carnem fieri posse, quâ potuit Deus homo fieri: Utrumque miraculum perfici *per verbi Dei, per preces verbi, διὰ λόγυ Θεοῦ, δι᾽ εὐχῆς λόγυ.* Et ipsissimum docti sunt Britanni & dudum à Petro, à Clemente, ab Eleutherio docti. Sed & alii Patres hujus sæculi idem affirmarunt: unum dabo Britanniæ vicinum.

Iustin. Apol. 2.

VIII. Irenæus Lugduni hoc sæculo sedebat, hæresum monstra, quæ in Christiano orbe nascebantur, erudito calamo notans, & impugnans. Erant tunc aliqui humiliùs de Christo sentientes; cum quidem Dei filium; sed non universitatis conditorem asserebant: licet illi ipsi, cum omni orthodoxo orbe crederent in Eucharistiæ Sacramento veritatem carnis & sanguinis. In eos ita calamum stringit Irenæus: *Quomodo constabit eis, eum panem, in quo gratia acta sunt, corpus esse Domini sui, & calicem sanguinis ejus: si non ipsum fabricatoris mundi filium dicant. id est, verbum ejus per quod lignum fructificat, defluunt fontes; & dat primum quidem fœnum, deinde spicam, deinde plenum triticum in spica. Quomodo autem rursus dicunt, carnem, in corruptionem devenire, & non percipere vitam; qua à corpore Domini, & sanguine alitur? Ergo aut sententiam mutent, aut abstineant offerendo, qua prædicta sunt. nostra autem consonans est sententia Eucharistia: & Eucharistia rursus confirmat sententiam nostram. Offerimus enim illi, qua sunt ejus, congruenter communicationem & unitatem prædicantes carnis & spiritus. Quemadmodum enim qui est à terra panis, percipiens vocationem Dei, jam non communis panis est: sed Eucharistia ex duabus rebus constans terrena, & cælesti (intelligit panis accidentia, & corpus Christi) sic & corpora nostra percipientia Eucharistiam, jam non sunt corruptibilia, spem resurrectionis habentia.* Hæc omnia Irenæus. quod alibi paucioribus explicat libro 5. cap. 2. *Quando ergo, & mixtus, & factus panis percipit verbum Dei; fit Eucharistia sanguinis & corporis Christi.* Porro Sacramentum hoc, verissimam habere rationem Sacrificii atque oblationis, idem Irenæus affirmat illâ sententiâ, ubi dicit: *Novi Testamenti novam docuit Christus oblationem.* nimirum cum dixit: *Hoc est corpus meum: Hoc facite &c.*

Irenæ. l. 4. c. 34.

Idem l. 5. c. 2.

IX. Vides Lector, in luce hujus sæculi, Sacrificii, Sacramenti, Sacerdotii veritatem: quam Christus Apostolos, Apostoli Britannos docuerunt: eandem à Patribus assertam, probatamque: à Judæis, Infidelibus, Gnosticis, & Imperatoribus Ecclesiam persequentibus modò improbatam: & jure mirari poteris, nepotes nescio quos, qui in Christi verbis ludentes, Patrum testimonia vel enervant, vel depravant; ut Altaria, templa, supremum denique Dei cultum impugnent. Quo nescio an potuerit humani generis hostis majorem arietem admovere, ad totius Christianæ religionis exterminium. nam amoto Sacrificio, Altaria primùm, mox templa deseruntur: Et sanè Calvini secta, hoc veneno infecta, disertè profitetur: Concioni habendæ, & Dei verbo enuntiando (nam statas preces aversatur) tecta quælibet inservire, & æquè opportuna esse posse. Ita Deus, templis, altaribus, & supremo religionis cultu privatur. Ad hunc impietatis gradum, non uno gradu, sed pluribus descensum. Enimvero non potuit malus genius, pugnandi peritissimus, uno primoque impetu, in Deum, Deique cultum insurgere: aut Christum Dominum è Christianorum mente penitùs eradere. Humiliùs ergo cæptum, à cultu Sanctorum, quem Dei cultui injurium, scilicet, mentitus est. Inde gradu facto, omnem nomini JESU reverentiam, & genuflectionem prohibet: Christi nascentis, resurgentis, ascendentis, Spiritum sanctum mittentis, aliaque Christum loquentia solennia obliterat: denique altaria, sacrificium, templa profanat. Et quis non dicet, impiorum mundum, qui diabolo suggerente, à politheismo incepit, Calvino duce, in Atheismum desiturum. Huc magnis passibus à sectariis curritur. Sed avertam oculos, ab hujusce temporis cæcitate; in secundi sæculi luce perrecturus.

QUIBUS GRADIBUS AD CALVINISMUM DESCENSUM?

X. SANCTORUM CULTUS, ET EORUM SUFFRAGIA. ETIAM PRO DEFUNCTIS.

Ibi cum supremo Dei cultu, pulcherrimè, & sine ulla creatoris injuria, vigebat Sanctorum cultus, surgebant templa, sanctorum nomine insignia: ornabantur altaria, sacrificii sedes: & quia domum Dei decet sanctitudo, solenni ritu, majestatem Dei testante, augebantur omnia. nec solum sancti in templis, & sacrificio culti, sed defunctorum animabus per Sanctorum suffragia consultum. quod licet factiosi non admittant: admiserunt tamen Britanni hujus secundi sæculi: & reverà orthodoxi omnes. Quos Tertullianus intellexit, cum ait: *Oblationes pro defunctis, annua die facimus.* Quod fidei dogma, ab Apostolis doctum, Traditione in Ecclesiis omnibus observatum, eleganter expressit in sequentibus, ita scribens: *Harum & aliarum hujusmodi disciplinarum, si legem expostules Scripturarum, nullam invenies. Traditio tibi prætendetur, auctrix, consuetudo*

Tertul. de coro mil. c. 3.

Idem suprà c. 4.

confirmatrix, & Fides obſervatrix. Habes hic hujus ſæculi *conſuetudinem*, annuâ die pro defunctis oblationes facere. Unde Purgatorium locum, certiſſima conſequentia colligi, nemo non videt. Iterum idem Author, viduæ cujuſdam, erga maritum defunctum, pietatem ita explicat, libro de monogamia: *Enimvero*, inquit, *& pro animâ ejus orat, & refrigerium interim expoſtulat ei, & in prima reſurrectione conſortium. Et offert annuis diebus dormitionis ejus.* Britanni ita mortuis faciebant benè. Cæterùm Sanctos in cælo régnantes, Angelos, & Angelorum Principem Michaelem, ſtructis in eorum cultum templis honorabant. ut ſuprà. Quod ubique ab orthodoxis fieri ſolitum hoc ſæculo, Antoninum Imperatorem docuit Juſtinus Martyr, eo loco ubi probat orthodoxos, atheos non eſſe. *Deum*, inquit, *filiumq́, qui ab eo venit, & aliorum ſequentium aſſimulatorumq́, bonorum Angelorum exercitum, & ſpiritum propheticum colimus, & adoramus, verbo, & veritate venerantes: idq́, omnibus qui diſcere velint, ut edocti ſumus, candidè tradentes.* Britanni, qui nuper ab Eleutherio doceri cupiverunt; id ipſum, Fugatio & Damiano, candidè hunc morem tradentibus, edocti ſunt. Tranſeo ad alia, quæ ſectarii controvertunt.

Idem de Monogam. c. 10.

V. an. 155. 27. & an. 191. n. 4.

Iuſtin. Apol. 2.

XI. ARBITRII LIBERTAS ET ILLAM CONSEQUENTIA.

Si de Arbitrii libertate quæritur, aliiſque inde conſequentibus; non eſt dubium Britanniam cum orthodoxo orbe conſenſiſſe; arbitrii ſervitutem ignorantes. nam neminem hac ætate invenire eſt, qui aliter ſenſerit. Unde Magdeburgenſes ingenuè confitentur, Doctores omnes pro arbitrii libertate ſcripſiſſe. *Clemens*, inquiunt, *liberum arbitrium ubique aſſerit: ut appareat, in hujuſmodi tenebris, non tantum fuiſſe OMNES ejus (ſecundi) ſæculi Doctores: verùm etiam in poſterioribus, eas ſubinde creviſſe & auctas eſſe.* Quid dicturi de reliquis, quæ è libertate arbitrii neceſſariò ſequuntur: de poſſibilitate legis: de bonorum operum ſanctitudine: de Juſtificatione: de votorum denique perfectione? Dicant illi, qui ſuprà: *Uſitata*, inquiunt, *& vera eſt ſententia: Dato, uno inconvenienti, ſequi ſolent infinita. Poſito igitur hoc fundamento, manſiſſe liberum arbitrium: ſicut Author Reſponſionum in Iuſtino, ex profeſſo ad legis poſſibilitatem inclinat: & Irenæus l. 4. c. 30. Denique Clemens libro 2. Stromatum: Doctrina de Iuſtificatione, negligentiùs, & obſcuriùs ab his Doctoribus tradita eſt.* Hinc ſequitur (& inimici noſtri ſint judices) infinita illa, quæ ex arbitrii libertate naſcuntur, quæque Sectarii inconvenientia reputant, Britanniam crediſſe: quia nemo erat, qui aliter doceret: nemo qui diceret humanam voluntatem, Dei gratia adjutam, ſervandæ legi imparem eſſe: nemo qui ſolifidium dogma (quod nuperæ factionis idolum eſt) aſſereret. nemo denique qui vota, Monachos, Monaſteria, factioni ſine dubio inconvenientia, condemnaret. Quo poſito, conceſſoque ab adverſariis; miſero loco eſſe oportet eos, qui putida dogmata, & nuperas merces, antiquitatis pallio mentientes à Magno Gregorio, qui Saxonem docuit, ad Eleutherium, ad Lucium, ad Britannos primorum ſæculorum provocant. ut ſua nugamenta, & paradoxa tueantur.

Cent. 2. fol. 59.

Idem ſuprà.

XII. TRIA POTISSIMUM SECTARII CONTROVERTUNT.

Sed quia novi propolæ in tribus tantùm tricari ſolent: de Romani Pontificis imperio in Britanniam; de ritu Paſchatis, & continentia Clericorum: Quæ ſcilicet Gregorius aliter, quàm Eleutherius Britannos docuit. Illis tantùm immorabor. De primo: multis jam argumentis conſtat hallucinari omnes eos, qui negant Britannos Romanæ Sedis imperium ignoraſſe. nam prima fuit Chriſtiani Alphabeti litera, & prima ad Eccleſiæ ingreſſum janua: quam doctus Lucius, Romam miſit, voluitque non aliunde, quàm à Romana Sede doceri: & Regium verticem nonniſi ſacrorum Principi ſubmittere. Vide ſuprà Doctorum ſenſum, provinciarumque conſenſum, ſuper Legatione Lucii: & puta Britannos omnes Romanæ Sedis eminentiam agnoviſſe. Et dic paucis: Lucium inter infidelitatis tenebras, vidiſſe majorem in urbe, quàm alibi lucem: certiorem ibi, quàm alibi veritatem: ſolidiorem ibi, quàm alibi petram: Ideoque jeciſſe ibi fidei, ſpei, & charitatis anchoram.

ROMANÆ SEDIS PRIMATUM BRITANNI AGNOVERUNT.

V. an. 182. &c.

XIII. ROMANO MORE PASCHA FECERUNT.

Nec minùs cæcutiunt adverſarii, affirmantes Britannos Judæorum more Paſcha celebraſſe: quod peſſimo impetu, & in veritatem peccante, dictum, oſtendi, cum quæſtionem Victoris tempore motam aperui: nec opus actum agere. nam quod Parkeri, Godwini, Magdeburgici, aliique contendunt Inſulam ex Aſia, aut Oriente, heteroclitum morem didiciſſe; figmentum eſt. & è græcis, latiniſque Authoribus probatum ſuprà, Britanniam cum Roma fuiſſe, feciſſeque. quod infrà quoque confirmabitur, cum Magnus Conſtantinus Britanniam disertè nominabit, dabitque Aſiæ, & Orienti, in Romani Paſchatis exemplum. Pergo igitur ad tertium, ubi factioſi cauſantur Britanniæ Sacerdotes, conjugatos fuiſſe, his primis puriſque ſæculis; ita nimirùm à Græcis & Oriente doctos. Sed caſtior hæc ætas, & Apoſtolis proxima, innumera habet continentiæ argumenta, nullum ſacri ordinis ita proſtituti fæminis. Sed nec Græcia adhuc tam inverecundè peccavit, aut Paphnutius aliquis pro nuptiis interceſſit. Quotquot hoc ſæculo Clero jungebantur, præſertim aucti Sacerdotio, Apoſtolicæ vitæ perfectionem, cum trina votorum obſervantia, ſequuti; Deo, Chriſtoque ejus, ceu triplici funiculo religioſè obligabantur. Teſtes in Britanniâ Eluanus & Meduinus: Teſtes Fugatius atque Damianus; quos ſuprà recenſui, Glaſtonienſis Monaſterii incolas; cum Deo agentes, animarumque procurationi incumbentes, omnia mundi delectamenta reliquiſſe. Quod ſi Hieronymi ſæculo, *Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi, aut virgines eligebantur, aut vidui, aut certè poſt Sacerdotium æternùm pudici*; ut ipſe affirmat: id multo magis de ſuperioribus ſæculis dicendum: quando calente adhuc Chriſti ſanguine, fidelium mentes, torrente voluptatis ebriæ, procul ab aliis amoribus erant. Magnam itaque primitivæ Eccleſiæ labem inurunt, & Spiritus ſancti primitiis injuriam faciunt; qui caſtiſſimæ ætatis, & Occidentis provinciis, hunc incontinentiæ nævum affingunt.

V. an. 325. 33.

BRITANNI SACERDOTES CONTINENTES FUERUNT.

Hieronym. Epiſt. 50.

XIV.

Juſtinus Martyr de ſuo, hoc eſt, ſecundo ſæculo ita ſcribit. *Pleríque, ac pleraque, ſexaginta atque ſeptuaginta annos nati, qui à puero ſe in Chriſti diſciplinam tradiderunt, incorrupti permanent: & glorior, quod in cuncto hominum genere monſtrare poſſim.* Ita docuit Antoninum Imperatorem Juſtinus, cum pro Chriſtianorum fidei puritate dixit. neſcio ſi Clerum Juſtinus intellexit: ſcio tamen Clerum, in eo caſtitatis genere eminuiſſe adeò, ut laicis præbuerint. Unde Anicetus Papa & Martyr in Epiſtola ad Epiſcopos Galliæ: *Prohibete*, inquit, *fratres, per univerſas regionum*

Iuſtin. Apol. 2. ante med.

Anicet. ex fol. 10 1. Conc.

vestrarum

vestrarum Ecclesias, ut Clerici, qui Laicis, & simplicibus, virtutis, honestatis, pudicitia, & gravitatis exemplar, esse debent; ac seipsos, tanquam signum purioris vitæ, rudioribus ad imitationem prudenter exhibere: juxta Apostolum, comam non nutriant: sed desuper caput in modum sphæra radant: quia sicut discreti debent esse in conversatione; ita & in tonsurâ, & omni habitu discreti debent apparere. Fuerunt fateor etiam hoc sæculo inter Christianos monstra, & portæ Inferi aliquando patuerunt; orthodoxam fidem, & Ecclesiam, impuro dogmate maculantes, Carpocratiani & Gnostici: qui votorum sanctitate neglectâ, nullum continentiæ frenum tenuerunt. Fuit & Marcion, Cerdonis discipulus: qui ob violatam virginem, gradu primùm, inde fide, excidit. Nihil horum Occidentem nostrum pervasit: ubi Clerus audivit Apostolum docentem. *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus, ut ei placeat cui se probavit.* nec enim aut major implicatio, aut majus negotium sæculare, conjugio. Cujus usus, militi Romanæ Reip. & Imperatoribus militanti, olim prohibitus; ut Tacitus & Dio testantur, & ego suprà ostendi id lege cautum. Quanto magis Deo militantibus prohibendum? Et demùm ut summatim complectar omnia, Britannia hoc sæculo Romam, Sanctos, Sacrificium, arbitrii libertatem, & infinita inde pendentia coluit, credidítque. Religiosè cum omni Occidente Paschatis festum, & Clericorum continentiam observavit. Nunquam à Romani Pontificis imperio; nunquam ab illius Sedis fide ritibusque discessit; denique integerrimè orthodoxa fuit, atque Romana.

[Margin: Tonsura Clericorum. — 2. Timoth. 2. — V. an. 49. 2]

ANNUS URBIS CONDITÆ 952.

ANNUS CHRISTI 201.

VICTORIS PAP. 8.

LUCII REGIS ULTIMUS.

SEVERI IMP. 7.

I. Lucius moritur Sanctus. — V. an. 193. 2.

SEQUITUR Christi annus ducentesimus primus, Anullino, & Frontone Consulibus: quem Lucius, olim Britannorum Rex, sua morte, sanctissimè obita, illustravit, amore Christi pauper factus, & apud Helvetios peregrinus. Dixi suprà ut Vindelicos & Augustanæ urbis cives, ad Christi fidem conduxerit: ut ingenti periculo defunctus, aliò secesserit: ut denique sororem virginem ad cælum præmiserit. nunc peregrinationis ejus reliqua videamus. Augusta igitur Reginoburgum (hodie Ratisbonam) profectus; Christianæ religionis & sanctitatis suæ semina jecit: ut Juvaniæ etiam, & passim in Norico, donec secretioris vitæ studio, solitudinem inter montes ambivit, invenitque, ut Deo arctiùs frueretur. Hanc ob causam, in Rhætiam, & ad Alpes perrexit, consilio, animoque forsan, Romam & Apostolorum limina invisendi. Sunt qui asserant, eum priùs quàm Sedem in Rhætia fixisset, peregrinum Romæ fuisse: & mihi tot Regum nostrorum exempla, qui idem fecere, intuenti, nullo modo videtur fidem superare. Nec moveor, parvam ejus rei memoriam extare: nam qui latere domi, forisque obstinatè decreverat; noluit Romæ palam esse, nedum lucere. Sed voluit potiùs, ubi Sanctorum cineres & loca illustria, religioso silentio coluisset; montes repetere, ibi se abdere, Deoque soli vacare. Quod factum ab eo constat. nam in Alpinam Rhætiam reversus, ædiculam exstruxit, non procul à loco, ubi Curia urbs est: & quod reliquum erat vitæ, Deo consecravit. Ibi denique, cum vitæ sanctitate, aliquos ad Christum pellexisset, obdormivit in Domino: & à morte magis, quàm in vita claruit: suique nominis ac pietatis monumenta, plura ibi, quàm alibi reliquit.

II. De tempore mortis.

Quod ad annum spectat mortis ejus, multum inter se variant Authores: quorum sententias cum Jacobus Usserus recensuisset, ita tandem nec malè conclusit: *Nos in tanta Scriptorum dissensione, eò potissimum inclinamus, ut tertii in Christo sæculi, anno primo, Lucium vita excessisse, dicendum existimemus. Quandoquidem in annum ducentesimum primum, non solum Salisburiensis Ecclesia Annales, & Chronicon Britonum abbreviatum, & Tabulas Londinenses: sed etiam Rogerum VVendoverium, Matthæum utrumque (Parisiensem & VVestmonasteriensem) una cum Roffensi Historia, consentire animadvertimus.* Hæc ille: In hanc ergo sententiam ita scribit Florilegus. *Anno gratiæ ducentesimo primo, Inclytus Britannorum Rex Lucius, in bonis actibus assumptus, Claudiocestriæ ab hac vita migravit, & in Ecclesia primæ Sedis honorificè sepultus est.* Fefellit hunc Authorem, quoad locum sepulturæ Godefridus Monumetensis, vel Author ejus libri, qui prono nimis in patriam affectu noluit solem alibi lucere. Si Lucius Claudiocestriæ sepultus fuisset, antiqui Britanni Sanctorum corporum & reliquiarum, religiosissimi custodes (ut infrà patebit) ejus ossa, utpote primi Regis & fidei fundatoris, nominatim tunc extulissent; cum anno quadringentesimo sexagesimo secundo, infideles Saxones (ut postea Calvinistæ) in Sanctorum corpora sævierunt. Verùm, cùm ejus nulla tunc mentio in Authoribus nostris: cum Rhæti & Germani omnes, olim, hodieque contra nitantur: vix dubio locus est quin ibi mortuus, ubi frequens olim memoria, ad hanc usque ætatem, nomen ejus promisit, sacrique corporis exuvias monstrat. Quod frequens olim in Rhætia Lucii memoria fuerit, testatur clivus ille à Lucio dictus, de quo Ægidius Scudus: *Lucius.* inquit, *Rex Britanniæ, secedens in Rhætiam; transcensoque colle, qui est supra arcem Gutenbergam (unde nomen illi clivo in hodiernum diem mansit, ut Sancti Lucii clivus appellaretur) venit in Regionem ubi jam est urbs Curia, una cum S. Emerita, quæ in Trimis, loco unius horæ spatio, à Curia distante, ob Christi Fidem prædicatam, supplicium extremum passa est. At Sanctus Lucius continuit se, in quadam montis caverna supra Curiam, prædicans Christi Fidem.* Sed & locus ille, ubi oratorium struxit, eloquens testis est & sanctitatis, & incolatus ejus. nam ibi postmodum Abbatia surrexit Ordinis Præmonstratensis; quæ à Lucio nomen & prima fundamenta cepit. Quod enim à Josepho, & Sociis factum primo sæculo; sequenti sæculo à Lucio factitatum videtur. Uterque peregrè profectus, & Christum coluit, & coli ab aliis curavit. Uterque ædem fundendis precibus, Deoque sibi & aliis propitiando posuit: uterque monasticæ aut eremiticæ, secretioris certè vitæ fundamenta jecit, promisitque ad posteros. Ille primus in

[Margin: W. Westmon. hic. — Lucii monumenta apud Rhætos. Scudus de prisc. Rhæt. c. 18.]

Britannia, Glastoniæ. Iste primus (opinor) in Germania, Curiæ, regularis vitæ Seminarium fuit.

III. Sacræ Reliquiæ S. Lucii.
Miræus in Fastis 21. Decemb.

Sed majus adhuc argumentum sepulti apud Rhætos Lucii, sunt sacri ejus corporis exuviæ: quæ ibi primùm conditæ, inde per Germaniam sparsæ coluntur. Aubertus Miræus, è Germaniæ monumentis, & Ecclesiæ fastis ita collegit: *Romanæ*, inquit, *Ecclesiæ fasti, Sanctum Lucium Britannorum Regem celebrant, qui à Fugatio & Damiano, Sancti Eleutherii Papa legatis, Christi sacris initiatus; relicto patria cælo & regno, in Germaniam circa annum centesimum octogesimum secundum venit: & Norico, Vindelicià, Rhætiáq; peragratâ; demum Curiæ Rhætorum, beato fine obdormivit. In qua Diœcesi Abbatia visitur Ordinis Præmonstratensis, ejus nomine inscripta, ubi & quiescit.* Similia habet Raderus: *Lucius*, inquit, *in Alpinam Rhætiam progressus, Curiæ tertio Decembris, beato fine conquievit. Ubi & Cœnobium ejus nomine inscriptum, hodieq; visitur: in quo anniversario cultu, ejus memoria, solenni cæremoniâ instauratur.*

Raderus in Bavaria Sancta.

Porrò quòd sacræ Lucii corporis exuviæ, inde per Germaniam dispersæ, piè à fidelibus colantur, augustissima testis est Augusta. *Ubi in Sancti Francisci æde, & Societatis IESV templo, nonnihil de sacris corporis exuviis servatur*, inquit Raderus.

Idem suprà.

Has ego, quæ in templo Societatis JESU, argenteâ thecâ inclusas, anno Christi millesimo sexcentesimo trigesimo nono, per Germaniam transiens, oculis lustravi, ibique religiosè veneratus sum. Nec potui de earundem fide dubitare, quas doctissimorum virorum testimonio niti firmarique vidi. Et putavi longè probabiliùs, illas è Curiensi Ecclesia, quàm è Claudiocestriæ templo illuc evectas esse. Quòd si Doboni, ubi Claudiocestria; aut Belgæ nostrates, ubi Wintonia, gloriati sunt aliquando, se Lucii corporis custodes esse, ut suprà innui:

V. an. 190. 14.

quivis judicandi peritus, pronior erit ad opinandum; Britannos fideles à Curiensibus, sui Regis reliquias emendicasse, & quovis sumptuum dispendio evexisse: quàm Curienses à Britannis, nullis locorum aut commerciorum societate conjunctis, illas impetrasse. Et licet Insula emiserit aliquando Sanctorum corpora, ne Saxo, aut Danus illa temeraret; plerumque tamen, aut Bergas, aut Gandavum Flandriæ urbes, aut certè vicinum nobis Belgium, nec procul inde misit. Quamobrem, cum longè constantiùs probetur, Lucium Curiæ, quam in Britannia mortuum, è Romano Martyrologio, è Curiensi Breviario, è locis templisque à Lucio nuncupatis, è Germanicæ Ecclesiæ traditione. Cum plures Authores, eruditione & pietate magni, id affirment, probentque argumento corporis. Cum denique Scriptores nostri, aut omnino taceant, aut leviter tantùm contrà nitantur; dicamus, quod res est, Germanos longissimi temporis præscriptione tutos, Lucii Britannorum Regis corpus omni jure possidere.

IV. Lucii sepulchrum miraculis claret.
Notkerus 25. Maii.

Notkerus Balbulus in Martyrologio, ad VIII. Kalendas Junii, addit: Lucii sepulchrum miraculis claruisse, ita scribens: *Lucius spretis omnibus mundialibus rebus, nudus & expeditus, peregrinatione susceptâ; partem Boiariorum, & totam Rhætiam inter Alpes sitam, miraculis & prædicationibus, ad fidem Christi convertisse creditur. cujus sepulchrum creberrimis virtutibus illustratur.* Quod licèt Thomas Dempsterus, obliquis oculis (ut cætera de Lucio) legat, & controvertat, in apparatu ad Historiam Scoticam: nolitque Lucium miraculis claruisse: alio tamen non utitur argumento, quàm, quia Guilielmus Malmesburiensis, de Sancto Oswaldo scribens, ait ipsum genti suæ primitias sanctitatis dedisse: quippe, *nullus ante ipsum* (inquit) *Anglus, miraculis quod sciam, claruerit.* E quibus verbis Dempsterus ita concludit. *Vel Sanctus Lucius, miracula non patravit; vel Anglus non fuit.* Ineptè. Oswaldus genti suæ, hoc est Northumbriæ populis, sanctitate præluxit: & primus ex ea provincia miraculis claruit. At hoc, Lucio Britannorum Regi, qui nec Anglus, nec è Northumbriæ provinciâ fuit, quomodo præjudicat? Benè Usserus Dempsteri inscitiam arguens: *Nostrarum*, inquit, *rerum admodum imperitum esse oporteat; qui Anglorum gentem, Lucii temporibus, in ulla Britanniæ parte consedisse, sibi persuaserit.*

Dempsterus arguitur.
Malmesb. de Reg. l. 1. c. 9.
Dempst. in Apparatu.
Usser. in Primord. fol. 131.

V. Num Martyr Lucius.
Baron. in notis ad 9. Decemb.

Superest quærendum, quo mortis genere Lucius ad immortalem vitam transierit. nam ita de illo Baronius, in notis ad Martyrologium: *Non prætereundum*, inquit, *Lucium hunc Martyrem scribi, in Actis ejus: Eundem in Germaniam fidei causâ profectum, Curiæ Episcopum factum, & à paganis esse lapidatum & occisum.* Ita ille. Et verò multi sunt, qui Martyrem indigitant, ut Anglicanum Martyrologium, & plures alii. Unde Ægidius Scudus ita de illo: *Tandem Lucius ab infideli populo, & præfecto Regionis illius in arce Martiola, juxta Curiam interfectus est.* Addit Usserus: *Cum in Curiensi provincia, in qua potissimum vixit, idololatricas opiniones reprehenderet; & fidem Christi cum suis amplificare, & propagare non desineret: atque Romani eam religionis mutationem ferre non possent; Antoninus Verus Imperator, qui Christianos tunc persequebatur, eum de religione tentavit, & cum nollet abnegare, occidi jussit.*

Scudus de prisca Rhætia
Usser. in Primord. fol. 107.

Sed parachronismus est: & qui supra mortuum posuit, ad annum Christi ducentesimum primum, non debuit Antoninum mortis ejus reum dicere: præsertim cum è chronologiâ, quam sequimur, Lucius, nonnisi mortuo Antonino, ad Christi castra transivit. Cæterùm plures Lucium gravia quidem apud Vindelicos passum; sed naturali morte apud Rhætos defunctum, affirmant. Quibus ego ita accedo, ut tamen martyrii lauream Lucio non defuisse existimem, atque ita Martyris appellationem mereri: quia illo sæculo vixit, quo Martyres censebantur, quotquot Christi nomen quomodolibet confessi, constantes in illa fide, & peregrè profecti, fidei causa, morerentur. Ita Eleutherius Papa, natione Græcus, qui Lucium convertit, Martyris nomen obtinuit, sine morte violenta. Quod in Lucio magis eminet, qui pro Christi fide gravia passus asseritur. *Cum certum sit*, loquitur Baronius, *Martyris nomen tribui consuevisse, non iis tantùm, qui violenta morte, Christi causa mori quodammodo coacti essent. Sed & commune fuisse iis, qui fidei confessionis causâ, cruciamentum aliquod subiissent: licet Martyrium minimè consummasset.*

Baron. an. 194. n. 1.

VI. Colitur apud Curienses.

Lucius igitur qui Fidei causâ regnum, patriam, omnia reliquit: qui gravia fidei nomine pertulerat; qui denique Christum ad mortem usque constantissimè professus est; omni merito Martyr appellandus. Hinc Romana Ecclesia eum mortuum coluit, non solum repetitâ quotannis ejus memoriâ: sed templa & altaria eidem consecrando. Curienses imprimis in ejus cultu fuerunt, quem ut Ecclesiæ suæ tutelarem, & fidei parentem agnoscunt; ita novem lectionum

officio,

officio, & octo dierum obsequio, olim venerati sunt. Britannia deberet eos in hoc pietatis genere præcedere; quia plura nobis reliquit virtutum exempla, & majorem fidei splendorem: Denique omnis Insula, ejus operâ industriaque Christiana fide beatur. Unde ante annos quadringentos, in ejus laudem seriò lusit Alexander Nechamus:

Necham in Sapientia divina.

Prima Britannorum fidei lux Lucius esse
Fertur: qui rexit Mœnia Brute tua.

VII. INSULÆ STATUS A MORTE LUCII.

Quod ad Britanniæ statum alterum spectat: Lucio à civium oculis dudum, & hoc anno, morte sublato, coronæ nemo successit: translatâ in Romanos rerum summâ: quod fortè dissidio portam aperuit; de quo ad hunc annum Florilegus. *Lucio defuncto*, inquit, *dissidium inter Britannos surrexit: quia sine herede decessit: & Romana potestas infirmata est.* nimirum aberat Lucius Romanis conjunctissimus, qui cives in officio, & erga Romanos observantiâ, continebat. Unde corruit Boëthii lemma, Britannos Reges, multarum seditionum & rebellionum Authores, causam Romanorum decreto dedisse: ne quisquam Britannici sanguinis, Regia deinceps insigniretur dignitate: quod suprà rejeci. Et idem rejicere debent quotquot probare conantur Severum Imperatorem, & Bassianum ejus filium, cognomento Antoninum, Britannici sanguinis fuisse, regnique legitimos hæredes: qood licet ab Hardingo, Broughtono, & aliis constanter satis asseratur; mihi tamen non probatur: quia Severi genus, & patria Dioni, Herodiano, Spartiano, & antiquioribus notior, quàm ut à recentioribus possit, aut debeat controverti. Illi enim in Africa, & civitate Lepti nato, nulla cum Lucio, aut Britannia necessitudo intercessit. De Bassiano Lugduni nato, & altera parente ejus dicam inferiùs. Interim dico: dissidium, cujus hic mentio, mors Lucii induxit: nam eo amoto, facilè solvi, aut laxari potuit obedientiæ & servitutis vinculum: & Romanorum jugum Britannorum cervices fortiùs premere, præsertim si in Australibus Insulæ tumultuatum est. Sed verius puto, non illos, sed Caledonios de more surrexisse. quò respexit Nauclerus, cum ait: *Interea in Britannia, cum interregnum esset, variè tumultuatum: donec Severus Princeps, eò cum exercitu profectus est.* quod factum post annos novem. Et bellum tunc illi, cum Caledoniis, & transmurano populo, non cum Australibus fuit. Interim legati duo Heraclianus & Virius Lupus, Romani Imperii jura, in Romana Insula, armorum vi tuebantur.

TUMULTUS IN BRITANNIA: UNDE, ET UBI.

V. an. 199. 1.

Broughton. cent. 3 c. 5.

V an. 214. 3.

Naucler. vol. 2. gener. 7.

VIII. ECCLESIÆ STATUS, ET QUIES.

In sanctiori Republicâ major quies, nihil turbarum, nullus motus fuit. nam Lucius Fidem doctus, Ecclesiæ jura Clero permiserat. & ille negotium Fidei, è Romani Pontificis mente, sanctissimè procurabat. Unde nec Theodoti hæresis, nec impia Montani dogmata, nec aliæ Inferorum portæ, quæ hoc tempore, Ecclesiam alibi vexarunt, Britannorum Ecclesiam vexaverunt. Unde Beda verissimè scripsit. *Britanni susceptam, Lucii tempore, fidem, usque in tempora Diocletiani Principis, inviolatam, integramq́, quietâ pace, servarunt.* Quod si verum est, & nemo prudens hactenus controvertit: dissimulare nec volo nec debeo, quod nuper Thomas Dempsterus, præter omnium annalium fidem, de hoc tempore, & Lucii provincialium Fide, audaciùs, quàm veriùs pronuntiat. *Si vera est*, inquit, *de Lucio Britannorum Rege relatio: certum est; Rege Fidem amplexo, populum infidelem, quingentis annis totis permansisse.* Ita ipse in apparatu ad Historiam Scoticam. ubi cum pluribus contendisset (quod nemo unquam negavit) Anglos Fidem excepisse, Augustini & Sociorum operâ, tempore Gregorii Magni: tunc quasi re confectâ, ita sibi applaudit: *Hæc satis arbitror ad repellendas aniles, de Lucio Rege, fabulas, ex Gallis, Germanis, Italis, ipsis Anglis.* Quasi diceret: Constat Anglos à M Gregorio doctos Fidem Christi: ergo fabula, & commentum est, Lucium & Britannos, in fide præcessisse. Usserus cum hæc, in Dempstero, legeret; merito homini indignatus, noluit multiplici argumento, in eum pugnare: sed tantum: *Non advertit* (inquit) *Dempsterus, insanire se solennia; ridendumq́, se omnibus propinare: dum diversissimas gentes, inter se confundens: & conversionem Britonum, a conversione Anglorum, vel nescivit, vel noluit distinguere.*

Bed. l. 1. c. 4.

DEMPSTERUS REIICITUR.

Dempst. in Appa. c. 6.

Idem ubi suprà.

Usser. in Primord. fol. 142.

IX. Dic ergo Scotum, in Lucem pugnantem, enormiter duo peccasse. primò cum asserit, à Lucio Rege & deinceps, Insulam per quingentos annos, infidelem, & sine Christo fuisse. Iterum quòd Britannos, ab Anglis, imperitè admodum non distinxerit. Ad primum quod attinet, non solùm Beda disertè refragatur: sed Ivo Carnutensis in Chronico, Gotzelinus in majore Historiâ: Joannes Major de gestis Scotorum, Polydorus Vergilius, & plures alii quos refert Usserus, quos non adduco; quia brevi proferam nubem testium: Sanctorum, inquam, examina, Patricios, Davides, Helenas, Constantinos, Ursulas, pro Britannorum fide stipulantes: qui Dempstero silentium imponent. Non sum nescius, nec omnino negandum est, mansisse aliquos in Insula, hoc tertio sæculo, qui nullum cum Romanis aut Romano Pontifice commercium habuerunt: ideoque infideles. quos Origenes intellexit, tractatu 28. in Matthæum, ubi ait: *Quid dicamus de Britannis, aut Germanis, qui sunt circa Oceanum, vel apud Barbaros, Dacos, & Sarmatas, & Scythas? quorum plurimi nondum audierunt Evangelii verbum.* nam reverà plurimi ad Septentrionem fuerunt, & incultam Insulæ partem, (à quibus Scoti & Dempsterus oriundi) quos nec Romani Imperatores; addo nec Romani Pontifices, adhuc poliverant. Et erant etiam per Insulam sparsi Idolorum cultores. Sed omnis cultior Britannia; tam populus, quàm proceres, Lucium sequuti, in Christum, & unum Deum consenserant: quod probè intellexit idem Origenes, ita in Ezechielem scribens: *Quando terra Britanniæ, ante adventum Christi, in unius Dei consensit religionem? nunc verò propter Ecclesias, quæ mundi limites tenent, universa terra cum lætitiâ clamat ad Dominum Israël, & capax est bonorum secundùm fines suos.* Et iterum: *Virtus Domini Salvatoris, & cum his est, qui ab orbe nostro in Britannia dividuntur, & cum his qui in Mauritaniâ, & cum universis, qui sub sole, in nomine ejus crediderunt.* Hos etiam cultiores Britannos intellexit Romanum Martyrologium, ubi dixit Fugatium & Damianum, Lucium Regem; unà cum Reginâ, ac toto ferè populo baptizasse. Et hæc sufficiunt ad firmandam Britannorum Fidem, & obturandum os loquentium iniqua.

Apud Usser. suprà.

BRITANNI SEPTENTRIONALES, NEC ROMANOS IMPP. NEC ROMANAM FIDEM PERCEPERUNT.

Origen. in Ezech.

Idem hom. 6 in Luca cap. 1.

ANNUS URBIS CONDITÆ 953.
ANNUS CHRISTI 202.
VICTORIS PAP. 9.
SEVERI IMP. 8.

I.

ANNUS Christi ducentesimus secundus, Claudio Severo, & Aufidio Victorino Consulibus; illustrissimum exhibet primitivæ & virginis fidei exemplum. Ubi legere est, quod olim orthodoxi, cum Cæsari jubentur obsequium præstare, fidemque illi juramento sancire; facere consueverint. Et inde colligas quid sequi debeant, primam virginemque Fidem professi; quoties in Principum verba jurare, & servitutem vovere constringuntur. Nihil enim succedentibus sæculis eveniet, cujus in prioribus non præcessit exemplum. Et ille benè beateque vivere dicendus est, qui vitam suam, ad majorum, qui purissima pietate præcesserunt, normam componit. Prodeant ergo Scillitani Martyres, qui hoc anno Carthagine passi sunt: & passionis circumstantias legentes, colligamus inde Christianæ religionis, Fidei & fortitudinis argumentum. *Extant*, inquit Baronius, *Proconsularia acta Martyrum Scillitanorum, digna quæ ad verbum Annalibus intexantur.* & mox: *Existente Claudio Consule, quarto decimo Kalendas Augustas Carthagine Metropoli, statuto forensi conventu, præceperunt Magistratus astare sibi Speratum, Narzalem, Cittinum, Donatam, Secundam, & Vestinam.*

Quinta persecutio sub Severo. *Baron. hoc s. & c.*

II. Primitivæ fidei constantiæque exemplum.

Astantibus iis, Saturninus Proconsul dixit: Potestis veniam a Dominis nostris Imperatoribus, Severo, & Antonino promereri: si bono animo conversi fueritis ad Deos nostros. Speratus dixit: Nos minimè aliquando malum fecimus: neque iniquitatem sequentes, in peccatis egimus operationem: nec aliquando cuiquam maledichimus: sed malè suscepti à vobis, gratias egimus semper. Quamobrem Dominum verum, & Regem adoramus. Saturninus Proconsul dixit: Et nos electi sumus, & mitissima est elegantia nostra. Et juramus per GENIVM Domini nostri Imperatoris: & pro salute ejus intercedimus: quod & vos facere debuistis. Speratus dixit: Si tranquillus adhibeas mihi aures tuas dicam mysterium mansuetudinis. Saturninus Proconsul dixit: Dicente te de mysterio, non inferam mala: tantùm jura per genium Regis nostri. Speratus dixit: Ego Imperatoris mundi genium nescio: sed cælesti Deo meo servio: quem nullus hominum vidit: sed nec videre potest. Ita ille: & cæteri cum eo, Severi Genium, in juramenti formula nominare renuerunt. Unde in Actis sequitur. *Proconsul videns ipsorum mentis stabilitatem, & Fidei firmitatem, dedit in eos sententiam per exceptorem dicens sic: Speratum, Narzalem, Cittinum, Veturium, Felicem, Acyllinum, Lætantium, Ianuariam, Generosam, Vestinam, Donatam & Secundam, Christianos se esse confitentes: & Imperatoris honorem, & dignitatem dare recusantes, capite truncari præcipio.* En causa martyrii, Cæsaris genius, juramento appositus; in speciem quidem, ceu fidelitatis signum, reverà autem infidelitatis symbolum. Solebat enimvero Christianæ religionis hostis, quos fallere non poterat apertâ Idololatriâ: eosdem civilem honorem divino miscentes, mentito læsæ majestatis crimine perdere. Honorem Cæsaris, reverentiamque meritò, & lubentes quidem Sancti Martyres dederunt: sed numen in ipso (quod genius innuebat) agnoscere noluerunt: aut vocem illam juramento jungere: probè docti sanctitatem juramenti, cum Imperatoris genio, stare non posse.

Jurare jubentur Christiani per genium Cæsaris. Id nolunt Christiani.

Et quorsum?

III. Nova juramenti formula cuditur.

Erat in more positum (quod Tertullianus testatur) in rebus seriis, per salutem Cæsaris obtestando, vitam Cæsari, & omnia prospera adprecari. Fideles eo modo Severum reveriti, fidem, obsequiumque suum probabant. Ethnici, hoc anno, novam jurisjurandi formulam cudentes; usurparunt vocem, in Christianorum Fidem, Deumque, ut Martyres credebant, peccantem. Nam Genii appellatione, nescio quid, supra communem hominum sortem, ex modo jurandi, intellexisse videntur. Et hoc, ceu idololatriæ proximum horrebat orthodoxus. Poterat ille quidem Genii notionem premendo, elicere sensum alium, & innoxium. nam quilibet suo genio agit, agiturque: & eo sensu, in Severi genio, non erat errandi periculum. Sed quia ex Ethnicorum mente, jurare cogentium; falsi numinis reverentia non obscurè latebat: noluit purior hæc ætas, unius verique numinis religione, Genium agnoscere. Tertullianus in hac quæstione pulsatus, ita respondit: *Sed & juramus; sicut non per Genios Cæsarum; ita per salutem eorum, quæ est augustior omnibus Geniis.* Et dicti rationem addens: *Nescitis*, inquit, *Genios, dæmonas dici?* Quorsum ergo profanam vocem, cum juramenti religione Martyres miscerent? Aut quomodo sensum alium, à dictantis mente, sensuque alienum, cum Christianæ fidei præjudicio, venarentur? Video itaque proboque morem hujus sæculi; quo plurium Deorum cultum aversantes orthodoxi, etiam Deorum umbras, & omne quod vel eminùs alienum cultum saperet, fugiebant. Interim tamen cultum omnem, omneque obsequium, quod cum Fide orthodoxâ consisteret, Principi exhibebant. Unde in iisdem Actis legimus: *Saturninus Proconsul sedens pro tribunali dicit ad fœminas: Honorate Regem nostrum: & sacrificate Diis. Tunc Donata dixit: Honorem quidem Cæsari, tanquam Cæsari. Deo autem nostro honorem & orationem offerimus.* Quod elegantissimè dictum, ostendit civilem cultum, ab eo qui Deo debetur, deberi distingui. Et ita dandum Cæsari: quod est Cæsaris, ut inde Deo, fideique præjudicium nullum enascatur. Idem superiore sæculo à Polycarpo factum, qui tam constanter Imperatoris Fortunam horruit, quàm Scillitani Martyres, genium Cæsaris.

Tertul. in Apolo. c. 32.

Apud Baron. hic.

V. an. 169 s. 2.

IV. Quæ licite jurantur a Christianis.

Hæc ideo allata sunt; ut videant posteri, quid facto opus, cum Principes jura urgent & imperia. Enimvero si auxilium, obsequium, & opes petuntur; ut sibi, regno, aut Reip. consulatur: impius est, qui moras nectit, aut imperium declinat. nam Cives debent Regi parere: & bona privatorum externa, communi bono, Reipublicæ nimirum, servire. Ad hæc si militiam imperet & arma, in regni defensionem: quis non videt oportere membra, etiam cum vitæ periculo, caput defendere. Ita olim Christiani milites, Imperatorem quantumvis infidelem, in bellum sequuti: si non pro aris, pro focis tamen pugnantes, fidem Imperatori juramento firmabant. Vegetius de re militari scribens, ait: Christianos milites, ita solitos militiæ Sacramentum facere. *Iurant*, inquit, *per Deum, Christum, & Sanctum Spiritum, & per majestatem Imperatoris; quæ secundum Deum humano generi diligenda &*

Vegetius de re milit. l. 2.

colenda. Iurant autem milites, omnia se strenuè facturos, quæ praeceperit Imperator; nusquam se deserturos militiam, nec mortem recusaturos pro Romanâ Republicâ. Hanc porro juramenti formulam, quâ Dei majestas, cum Cæsaris majestare componitur, Tertullianus probasse videtur illâ sententiâ: *Credimus humanum Sacramentum, divino superinduci licere: & in alium Dominum respondere post Christum.* Hæc omnia orthodoxi integrè, libenter, religiosè magistratui præstabant: gnari hominem non sibi soli, sed Reip. imprimis natum.

Tertul. de corona mil. c. 11.

V. ET QUÆNAM ILLICITE?

Verùm si Cæsar, aut Magistratus juberet aliquid Fidei, qua Deo erant obnoxii, adversum, aut divino cultui injurium: si juramentum porrigebant, divinis humanisque juribus confusum, distrahensque animos jurantium, in aliquod prostituendæ religionis periculum. Tunc enimvero, scrupulosè hæsitantes, excusso diligenter omni verborum apice, curiosè lustrabant singula: Et parum soliciti, quid verba in cortice sonarent: aut si in benevolum sensum trahi possent, ingenio, aut arte aliqua; in ipsam dictantium mentem descendentes, inde potissimùm metiebantur juramenti sensum. Quem si in radice vitiatum reperissent: si vel Infidelitatis umbram, aut in fide scopulum aspexissent: salvo Cæsarum jure; pro Deo, fideque orthodoxa, constanter stabant. Quod si inspectis omnibus, dubium adhuc suspensam mentem tenebat: tunc, si civem inter, & Principem quæstio; Principi, cujus certa in cives potestas: si vero Cæsaris, Deique jus controversum erat, Deo, cujus certa, certior, certissima majestas, adhærescebant. Quando verò divini juris humanique interpretes, juramenti formam, probam definiebant, aut improbam; tum verò orthodoxi captivabant intellectum in obsequium Fidei. horrentes *genium*, & *fortunam* omnem, quæ fidei maculam induceret. Talis, tantaque erat primitivæ virginisque fidei integritas, quæ plures hoc sæculo utriusque sexus gloriâ & honore coronavit: ut hoc anno testantur Scillitani Martyres.

ANNUS URBIS CONDITÆ 954.

ANNUS CHRISTI 203.

VICTORIS PAP. 10.

SEVERI IMP. 9.

I. DONALDI PRINCIPIS CONVERSIO, ET QUIS ILLE?

QUI sequitur Christi annus ducentesimus tertius; Annio Fabiano, & Nonio Mutiano Consulibus: Septentrionalis populi in Britanniâ, quem Caledonium suprà vocavimus, ad Christum conversione illustratur. Præerat illi populo Donaldus, eo nomine primus: pro patriæ libertate in Romanos pugnans. Et illam Britanniæ partem tuebatur, quæ posterioribus sæculis, in Scotiæ nomen concessit. nam hactenus, ut è dictis, & græcis, latinisque Scriptoribus, constat: aut Scotiæ, aut Scotorum, in Britannia, nomen inauditum. Hinc tamen moderni Scoti, Donaldum, & quicquid apud Caledonios illustre, sibi arrogantes, laudem fortasse mererentur, si Britannos, quod jus æquitasque postulant, in laudis societatem admitterent. Sed illi, Caledonios, quos antiqui omnes, Britannos vocant; Scotos fuisse, atroganter quidem & sine teste, fingunt. Do tamen, Donaldum, virum inter suos principem; Christianam fidem, in illam Britanniæ provinciam, quæ nunc est Scotia, intulisse: eo planè modo, quo Lucius cultiorem Britanniam, superiori sæculo, illustravit: & quemadmodum Angli, ad austrum Lucio Rege, qui Britannus, non Anglus fuit, gloriantur, ut Britannorum hæredes: Ita Scoti ad Septentrionem, qui Caledoniis succedunt. Britanniæ populis; Donaldo Principe, qui Caledonius, non Scotus fuit, non immeritò possunt gloriari. Sicut etiam Authores aliquando *abusivè* καταχρηστικῶς Lucium vocant Angliæ & Anglorum Regem; eâdem licentiâ, Donaldum alii Scotiæ & Scotorum Regem vocaverunt. Verùm ut Angli presſè, propriéque loquendo, non nisi, septimo post Lucium sæculo, regnare in Britannia ceperunt, ut tomo tertio probabitur; ita Scotorum regni exordia non ante annum Christi quadringentesimum vigesimum secundum, quo regnare ipsi revera ceperunt, consignanda. nam Romani Imperatores, qui hactenus, & imposterum, ad Septentrionem pugnarunt; non in Reges, quod Romani Scriptores non tacuissent, sed in rebelles certarunt. Hi ergo, qui Romanum jugum obstinatè recusarunt; nunc suave Christi jugum admittunt, & Tertulliano ansam dederunt scribendi, *Britannorum inaccessa Romanorum loca, Christo subdita esse*: de quo infrà. nunc provinciæ conversionem legamus.

Tertul. cont. Iudæos c. 7

II. DONALDUS EX URBE DOCTORES PETIT. *Boeth. in histor. l. 5. sub finem.*

Donaldus, vir inter Caledonios princeps, auditâ Lucii Regis, & sancti Principis, fama: & visâ insuper idolorum vanitate: statuit Regem, & sanctum sequi, cum priùs ejus mentem cælesti luce illustrasset Deus. De quo ita scribit Hector Boëthius, qui Regem ubique vocat. *Talem dederat Regi Donaldo animum, pacis Princeps & author Christus Dominus, quod vera pietati, aspernato malorum dæmonum cultu, sese paulò ante addixerat. Nam Severo imperante Romanis, apud Victorem Pontificem maximum, qui quintus-decimus post Petrum, Ecclesiæ præfuit, per legatos obtinuit; ut viri doctrinâ, & religione insignes, in Scotiam ab eo missi, se cum liberis & conjuge, Christi nomen profitentes. baptismate insignirent. Regis nobilitatem Scotica nobilitas sequuta, aversata impietatem, Christi religionem complexa, sacro fonte est abluta. Fuit annus ille, quo Scoti ad lumen veræ pietatis, Dei Optimi Maximi benignitate, vocati sunt, & recepti, ab eo qui primus fuit humanæ salutis tertius supra ducentesimum.* Hæc ille, hisque similia habent plures Scoticarum rerum Scriptores, qui Donaldum hunc Scotiæ Regem, & Scotorum Regum Christianorum primum indigitant. Sed tenebræ sunt, & nisi Historiæ luce illustrentur, meritò Lectorem morabuntur: præsertim si toties Scotiæ, Scotorum, & Scoticæ nobilitatis mentio occurrat: cum hactenus nulla ne nominis quidem in Britanniâ mentio. Enimverò si prima hæc, & Regia Scotorum conversio, & cum illustrissimis conferenda: cur non æquè ab antiquioribus memoratur? Cur Marianus, insignis & antiquus Chronologus, cognomento Scotus, silentio rexit, quod locum imprimis in Annalibus merebatur? Dic ergo posteriores Scotos, quærentes argumenta gloriæ, Britannorum provinciam invasisse primùm: inde quod illustre, quod laude dignum, quod sanctitate ibi olim eminebat, deprædatos; quia tamen pietatis professione peccant, absolvendos.

MARIANI SCOTI DE HAC CONVERSIONE SILENTIUM.

III. Quid de illa Gordonius? *Gordon. an. 210.*

Quod ad tempus illustrissimæ conversionis, Jacobus Gordonus & ipse Scotus, sed cæteris ubique modestior, in Chronologiâ, transit hunc annum, ducentesimum tertium, nulla Donaldi mentione. Inde ad annum decimum hujus sæculi scribit in hunc modum. *Iam sub Victore Papa, & Donaldo Scotorum Rege, Scotia receperat Christiana sacra, ut monui ad annum centesimum octogesimum tertium.* Verùm eo anno Gordonius solùm monuerat, Lucium in majori Britannia Regem, Christiana sacra amplexum, moxque addiderat: *Britannorum inaccessa Romanis loca, Christo tunc subdita*, ait Tertullianus contra Judæos cap. 7. *nulla Donaldi Regis mentione.* Verùm è Tertulliani sententiâ, qui librum illum, decimo hujus sæculi anno composuit, non aliud colligitur, quàm insignem aliquam Caledoniorum conversionem, ante annum illum contigisse. Quod opinor esse verissimum: & in Donaldi principis conversione ratum: quem Regem, & Scotorum Regem, recentiores tantummodo Scoti creaverunt. Nec aliud fortè intellexit Joannes Duræus, antiquiores citans: *In vetustissimis*, inquit, *Annalibus nostris legimus Donaldum Scotorum Regem, anno circiter salutis ducentesimo tertio, Romam legatos ad Victorem misisse Pontificem: ut ad se Doctores mitteret: qui se gentemq; suam Christi mysteriis initiarent. Hoc enim Pontifice, nos fidem suscepisse, adeò nostra omnes historia testantur, ut in omnium ore tritissimus ille rithmus, in hodiernum usque diem versetur.*

Idem an. 183.

Duræus in Whitakerum fo. 412.

Christi transactis tribus annis atque ducentis:
Scotia Catholicam cœpit habere Fidem.

IV. Unde Septentrionis provincia ad Fidem convertitur. *Dempster. in Appa. l. 1. c. 6.*

Quod ad modum conversionis attinet; non una est Scotorum sententia. Joannes Fordanus Donaldum vult Paschasii cujusdam operâ usum, ut refert Thomas Dempsterus. Ille autem Fulgentium nominat; quem Britanni Fulgenium vocant. De Paschasio ita scribit: *Ioannes Fordonus putavit Paschasium quendam siculum, prima Christianæ pietatis rudimenta, mandante S. Victore, in Scotiâ nuntiasse, & tyrocinia Fidei fecisse. Id probat è veteri Codice Basilicæ Lismorensis, quæ omnium Scoticarum prima habebatur. Addit idem, nullum unquam populum, leviori operâ, ad Christum esse conversum: ac tantum fuisse ad sacros Doctores concursum, ut baptizando populo Sacerdotes deessent. Ab eodem etiam est traditum, hunc Paschasium, relictis in Scotiâ sociis, qui rudem adhuc Christianorum rituum populum impensiùs sacra docerent, Romam rediisse, & Regis Donaldi nomine, sanctissimo Pontifici gratias egisse, de tam singulari beneficio accepto. Sed antequam ille appelleret, ex hac vita Victor migraverat: & successor datus erat Zephyrinus: Vt appareat manifestò, Victoris ultimo anno Scotiam ad Fidem conversam.* Ita è Fordano Dempsterus. Sed contra insurgit Usserus, & ait: *In iis quibus ego sum usus Ioannis Fordoni exemplaribus, exstabat istorum nihil: ut de horum Fide perinde ego addubitem: ac de iis, quæ ex anonymo illo Lismorensi, & Breviariis nescio quibus, idem Dempsterus alibi retulit.* Cæterùm quod ille in Breviariis reperit nescio quibus; Paschasius in urbem ad Victorem mittitur, eo modo quo nos Eluanum & Meduinum, suprà misimus ad Eleutherium Papam. nam ita in Menologio Scotico: *Dorni in Suterlandia, duodecimo die Decembris memoria celebretur Paschasii, qui ad Sanctum Victorem Papam, à Donaldo Rege missus Orator, Doctores Christianos impetravit.* Nescio an hæc finxerit Dempsterus; constat tamen argumento omnium sæculorum, in Regum & provinciarum conversione, pulsari Romam, vel eam Provincias ultrò pulsare. Quod in hac Insulâ adeo solenne, ut nemo super eo dubitare possit. Et ideo nihil in hac conversione probabilius, quàm Victoris eam operâ industriaque factam.

Usser in Primord. fol. 613.

Dempst. in Menolo. 12. Decem.

V. Dempsterus rejicitur. *Dempster. in histor. l. 6. n. 547.*

Non ita placet Dempsteri sententia, Fulgentio conversionis laudem tribuentis. nam vir ille Marti addictus; odio in Romanos, quàm in propagandâ fide, notior est. Unde quod Dempsterus velit ipsum scripsisse, *De Fide Christi librum unum. Quod opus* (inquit) *utinam hodie extaret. haberet certè Scotia quo fervorem, & antiquitatem Fidei ostentaret; paucis Europæ regnis cessura permulta verò superatura.* Hederæ sunt, & quæsita per fas & nefas historiæ ornamenta: & Dempsterus in rebus asserendis promptior passim, quàm prudentior. Unde Joanni Pitsio, viro docto, & benè de doctis merito, iratus, admodum irreverenter ita scribit: *Fulgentium stupidissimus bipedum, nullo Authore adducto, Ioannes Pitseus Anglum non erubescit facere: cum Scotus suppetias à Rege suo destinatas, in Angliam duxerit; ut suo sanguine eam à servitutis contumelia vindicaret.* Sed facilè Lector judicaverit, major ne Pitseo insit, an Dempstero stupiditas. Fateor, si Anglum Pitseus vocavisset, eo modo stupuisset, quo Dempsterus, qui Scotum vocat: cum hoc sæculo in Britanniâ, par utriusque, hoc est, nulla mentio. Sed doctior Pitsius, *Britannorum Regio ortum sanguine* scribit. Quod Dempstero fortè novum, in Scotia passim erranti: sed antiquioribus, & doctioribus Scotis, & cognitum & confessum. Hector Boëthius in Historiâ libro quinto: *Fulgentius vir nobilis*, inquit, *veteri Britannorum Regum sanguine prognatus.* Joannes etiam Leslæus, Scotus licet, Fulgentium Britannum disertè vocat, de rebus gestis Scotorum libro 3, in Rege vigesimo septimo, ubi ait: *Fulgentius Britannus, vir nobilis, suæ gentis servitutem non ferens, Scotis, Pictisq; in belli societatem ascitis, Romanos variis cladibus affecit.* Fordonus etiam in Scoto Chronico, Fulgentium inter Britannos numerans, à Scotis planè distinxit; *Quasi totaliter*, inquit, *ab Australibus boreales Britones divisi sunt: atque seipsos ad invicem, ubique consumentes. Scoti siquidem cum Pictis, more solito, crebris irruptionibus, propinquas eis Fulgentii partes vastando dilacerant, prædas innumeras abducentes. Quod utique Fulgentius, ut undique bello impeteretur, non sustinens; fœdus cum Scotis, ad tempus init: & ex parte pace firmatâ, Britones socios, toto conamine, Romanorumq; patricios, qui patriam eo tempore regebant, invasit.* Absolvendus ergo Pitsius, qui Fulgentium Britannum dixit: & Dempsterus sine dubio corrigendus: qui Anglum, cum Britanno ubique confundens, Pitsium nullo Authore nixum affirmat.

Idem suprà. Fulgentius cujas fuerit.

Boëth. l. 5.

Lesla. l. 3.

Fordon. in Scoti chro.

Absolvitur Pitsius. Dempsterus corrigitur.

VI. Vera causa conversionis Donaldi.

Ex hac Fordoni narratione colligi potest, Donaldi conversionis exordium. Enimvero Fulgentius ab Australibus Britannis aliquando steterat: Lucii partes, & Fidem sequutus: nunc Romanorum injuriâ, & militum insolentiâ irritatus, ad Caledonios secessit: cum eorum Principe fœdus percussit: Christianam Fidem, inter infideles professus. Sic solvitur dubium, quod docti movent: quâ ratione potuerit Christi Fides in Septentrionem illum penetrare. & quomodo amari Romanæ Sedis Episcopus; ubi Romanæ Urbis immane odium? Respondetur

enim, Lucii Regis exemplum; Fulgentii narratione eorum animos perculisse; quos Deus ad vitam præordinavit æternam. Et verò Eleutherius ita Christianam Remp. distinxerat in Britanniâ; ut convertendis aliis trahendisque ad ovile Christi invigilarent plurimi. Et quamvis terminum, Dei proximique charitas non haberet: prudenter tamen ita Ecclesiarum œconomiam ordinarat; ut Sedes quælibet, authoritatis jurisque sui dictionem cognosceret; quibus potissimùm sementem fidei, & Christianæ religionis rudimenta porrigeret. Sic Eboracensi Sedi, Caledonios, & Mæatas, & Albaniam omnem submiserat; eo fine. ut Romana Fides, Romanæque Infulæ pervaderent, quo Romanæ aquilæ penetrare non poterant. Et ita factum, cum Donaldus ibi, intellecto vicinum Regem, & multum populum, ad Christum transivisse: statuit in eisdem castris & ipse militare. Suggessit Fulgentius, quibus gradibus ad illud felicitatis culmen, Lucius surrexisset: & consultò voluit Donaldus vestigiis ejus insistere; primumque Regem, in sacrorum inauguratione, imitari. Hinc factum; ut licet provinciam suam Eboracensi Ecclesiæ subjectam nosse potuerit: existimaret tamen, pro primo Sacramento, porrò pergendum ad sacrorum omnium Principem. Sic missus à Donaldo Paschasius, qui votum principis, & provinciæ, Victori coram exponeret: peteretque viros ad Caledonios mitti; qui Donaldum & provinciales, baptismi aquâ lustrarent: Annuit hoc anno Victor, priusquam moreretur, & Marcum atque Dionysium (ita Boethius & Leslæus) ex urbe misit: ut iisdem sacris, eodem modo, Principem & cives, expiarent: eandemque Fidem docerent: quam nuper Lucium docuerant, Fugatius atque Damianus.

VII. CUR SCOTI IN CONCILIIS, DE PRIMA SEDE NUNQUAM DISPUTARUNT.

Vidimus suprà, è Lucii baptismo, Angliæ Reges, regni sui dignitatem, in duobus Conciliis Basileensi & Constantiensi propugnasse: & quia Lucius prior tempore, Christum agnovit; Hispaniæ Galliæque Reges antevertens: ideo jure potiores esse Lucii successores. Cur non eodem argumento pugnarunt aliquando Scotorum Reges? nam revera si Donaldus Scotus, & Scotorum Regum primus, qui hoc anno baptizatur; fortiùs pro Scotorum eminentiâ, quàm pro Lucio, premeret argumentum. Angli enim & nomine, & re, & natione, & toto ferè cælo, à Britannis differunt. Scoti Septentrionem nostrum insederunt, (si Scotis est habenda fides) trecentis triginta, ante natum Christum annis, Fergusio scilicet Scotorum Rege: & Donaldus ex eadem origine, & eodem sanguine, eodem prorsus nomine à Scotis perhibetur. Cur non exclusis Anglis, posthabitis Gallis, Hispanisque, pro primâ in Conciliis, & Romanâ Curiâ sede disputarunt? Sed quæstio facilè solvitur, si dixeris: multa dici, scribique possunt privatis in tectis, quæ domi laudem, & fidem aliquando impetrent; quæ si foras produxeris, in lucem populorum atque provinciarum; nullam laudem, nullam lucem, nullam fidem merebuntur. Erunt enim oculati, qui Romanorum bella in Britanniâ & itinera legent; & inde, tenebras à luce distinguent. Enimvero cum diu jam à Romanis in Septentrionem pugnatum sit: cum Tacitus suprà curiosè satis militiam lustraverit; & legatos, ad ultimum Septentrionalis Britanniæ angulum prosecutus sit: cum postea Imperatores alii, vario certamine, omnem ibi populum recensuerint: cum nuper Commodus è victoriis cognomina quæreret: & nunquam hactenus, aut Scoti alicujus, aut Scotiæ appellatio, in antiquis Authoribus; qui centies nominandi occasionem, tùm & necessitatem, habuere: mirabuntur sanè oculati, derepentè emergere novum populum, novum Regem, Septentrionem nostrum occupantem: quem nec priùs, nec posteriùs Romanus miles, non dico expugnare, sed nec invenire potuerit, tot annorum, tot bellorum industriâ & labore. Augetur miraculum, quia statim Severus Imperator in Britanniam descendet, pugnaturus in omnes, qui Romanum ibi Imperium detrectant. Authores ejus temporis, Dio, Herodianus, & alii, rerum ab eo gestarum diarium conficient: Septentrionem illum invisent, lustrabunt provincias, distinguent populos; Caledonios, Deucalidonios, Vecturiones, Mæatas, nominabunt: & Dio disertè dicet: *cæterorum autem nomina ad hos referuntur.* quos omnes uno Britannorum nomine comprehendit; nullâ prorsus Scotorum factâ mentione. Tunc enimvero oculatè concludent; Donaldum quidem in Septentrione esse, & præesse potuisse: sed Scotum fuisse, aut in Scotiâ regnasse, παράδοξον judicabunt. Hiberni certè potentiùs Donaldum ad se trahent: cum constet, Scotos qui Britanniam & Septentrionem illum posterius coluerunt, ex Hibernia profectos; ibi primò sedem, inde regnum fixisse: sed ipsi, quia Patritium agnoscunt primum Apostolum, recusabunt fortè verecundiùs Christianum Regem, ante Patritium, nominare.

V. an. 186. 10.

Dio l. 76.

VIII. DONALDI FIDES QUAM PATRIA POTIOR?

Restat unum; majoris momenti quæstio, oppidò necessaria: sive Donaldus Scotus, Hibernus, sive Britannus fuerit. nimirum, Quid Victor Septentrioni porrexerit? & quid Donaldus cum provinciâ exceperit, quod fidem Christianam spectat? quia provinciales nunc Septentrionem habentes, revera Scoti, sed nescio an Donaldi Fide, quem suum Regem jactant, possent meritò gloriari. Ille imprimis Romanum Pontificem; ut ante eum Lucius; religiosè coluit: Romanæ Ecclesiæ more baptizatus, Cruceque signatus est. & quia Crucem credidit orthodoxæ fidei symbolum: statim à baptismo, Fidem professus; nummos Cruce signatos excudi jussit: primus fortè omnium Principum, in eo genere pietatis. Unde Rosierius de eo ita scribit: *Donaldus primus, Ethodii frater, Rex clementissimus, primus Scotorum Regum, Catholicam & Romanam Fidem professus; primusq; nummos aureos & argenteos, Cruce ornatos in Scotia cudit.* Eodem modo Arnoldus Mirmannus: qui & addit, Crucem fuisse orthodoxæ religionis tesseram. *Donaldus*, inquit ille, *primus omnium Regum Scoticorum cudit nummos: eosq; Cruce insignes esse voluit, velut religionis tesseram.* Hanc mentem Donaldo Fulgentius injecisse videtur; si verè sensit scripsitque Dempsterus. nam ita loquitur. *Fulgentius cognomento Audax sub Donaldo primo Rege, magnâ ingenii famâ vigebat, siquidem Rex ille, septimio Severo Augusto, qui Eboraci in Angliâ obiit: & religionem, pietatemq; amplexus Christianam, æs, aurum, atque argentum primus signavit, usus fideli Fulgentii operâ.* Servántne moderni Scoti hanc Catholicæ religionis tesseram? an Julianum Apostatam potiùs imitantur; crucem ab orthodoxis fixam, refigentes?

CRUCE PECUNIAM SIGNAT.

Rosier. to. 6. in stem. Lotha.

Arnold. in theatro Convers.

Dempst. in histor. l. 6. n. 347.

IX. Quod ad morem signandi Cruce pecuniam: ut neminem video, Donaldo priorem: ita plures

Principum effigie signabantur nummi.

eum olim sequutos. Passim enim aurei argenteique nummi, Imperatorum quondam effigiem præferebant, aut certè viri Principis, cujus erat in alios suprema potestas. Quod si Idoli alicujus simulacrum addebatur: id enimvero religionis ergo fiebat, & censebatur vani illius numinis cultus. Jam verò Donaldus, doctus Crucem, Christi insignia esse, & ejus fidei symbolum: orbi testatum esse voluit, se Christianum esse argumento poblico: & Christum, quem colebat, rerum suarum supremum Dominum. Quòd oemo Donaldum præcesserit, in eo genere religiosæ pietatis: ex eo colligitur, quod Tyrannus Laurentio Sancto (cum ab eo pecunias extorquere niteretur) exprobrarit, Christianorum Deum nullam hactenus pecuniam signasse. sic enim Laurentium alloquitur:

Sic dogma vestrum est, audio
Suum quibusq; reddito:
En Cæsar agnoscit suum
Numisma nummis inditum.
Quod Cæsaris scis, Cæsari
Da: nempe justum postulo
Ni fallor, haud ullam tuus
Signat Deus pecuniam.

X. Christiana consuetudo signandi pecuniam. *Prosper de Prædict. l. 3. c. 34.*

A Donaldo & deinceps, Christiana consuetudo obtinuit, sacro Christi hieroglyphico nummos insigniri. Sic in Arcadii Imperatoris (sequenti sæculo vixit) laudibus ponitur, quod eo modo pecuniam cudi mandaverit. nam ita de eo S. Prosper: *Sanè nostris temporibus, apud Persas, persecutionem factam novimus, imperante Arcadio, religioso ac Christiano Principe. qui ne traderet ad se confugientes Armenos; bellum cum Persis confecit. Eo signo, antequam potitus victoriâ, jam coëuntibus in prælium militibus, aërea Cruces in vestibus apparuerunt Unde etiam Victor, auream monetam, cum eodem signo Crucis, fieri præcepit: quæ in usu totius Orbis & maximè Asiæ, hodieq; persistit.* Ita ille. Unde satis constat Crucem Christi, à Principibus viris in pretio habitam. quod magis patebit in M. Constantino: cujus ut major gloria, ita fides illustrior. Interim vide, ut in fidei symbolo, orthodoxi omnes conveniunt: & paradoxos puta eos omnes, qui Crucis signum obliquis oculis aspiciunt. ut hodie à Calvino docti Scotorum plurimi, in Donaldi & primorum sæculorum Fidem turpiter peccantes.

XI.

Cæterùm cum duos Christianos Principes ediderit Britannia, priusquam Europa reliqua habuerit unum: juvat Scripturarum oracula suavissimè trahere in hanc provinciam. Lego igitur in Isaiâ prophetâ, vocari ad Fidem Insulas, & populos, qui longè ab Oriente erant, & unà Reges: *Audite Insulæ, & attendite populi de longè.* Hanc prophetiam relegens Prosper Aquitanus, impletam affirmat suo tempore: Reges nimirum humiliter Christo accessisse, signo Crucis in Insulis collocato. Ita enim capitis quadragesimi noni versum vigesimum secundum commentatur. *Ecce tollo in gentes manum meam: & in Insulis tollam signum meum: & adducent filios tuos in gremio; filias autem tuas super humeros tollent. & erunt Reges nutritores tui, & principes feminæ, psaltrices tuæ.* Quæ cum de Insulis dicta sint, & populis de longè; nemo mihi succenseat, si nactus hic primos Christianæ Fidei Principes, de Britanniâ imprimis putem Isaiæ vaticinium intelligi. Præsertim cum ibidem iterum dicatur. *Ecce isti de longè venient: & ecce illi ab Aquilone, & mari, & isti de terra Australi.* Quæ optimè in Lucium & Donaldum cadunt. Quorum hic ab Aquilone: ille à terrâ australi, uterque à mari (Occidentem hebræum ים significat) postulaverunt Fidem in Insula prædicari. Cæterùm quod Isaias Reges intelligat, inde manifestum est; quia paulo antè, eodem capite dixerat: *Reges videbunt, & consurgent Principes, & adorabunt propter Dominum; quia fidelis est: & sanctum Israël, qui elegit te.* His adde quæ idem Propheta capite quadragesimo primo habet; *Taceant ad me Insulæ, & gentes mutent fortitudinem.* & iterum: *Viderunt Insulæ & timuerunt, & extrema terræ obstupuerunt: appropinquaverunt, & accesserunt.* Hæc omnia si componas. Ecce tibi Reges & Principes, ex Insula, è mari, (ex Occidentali Oceano, inquit Pagninus) ab Aquilone, ab Austro, à longè, ab extremis terræ, qui Christum inter primos adorabunt. Meritò igitur ad laudandum Deum, idem Propheta Insulanos invitat, dicens: *Cantate Domino canticum novum: laus ejus ab extremis terræ. Qui descenditis in mare, & plenitudo ejus. Insulæ, & habitatores earum.*

Prædictum in Insulis figendum Crucis signum. * *Isaia 49.*

Prosper Promis. & Præd. p. 5. c. 36.

Isaia 49.12.

Idem v. 7.

Idem c. 41. 1.

Ibi v. 5.

Idem c. 42. 10.

XII. Moritur Victor Papa. Succedit Zephirinus.

Hoc eodem anno moritur Victor Papa; cum decem ferè annos Ecclesiam rexisset: & benè administratæ Reip. præmium, martyrii coronam accepit. Excepit eum in Romana Sede Zephirinus Papa, qui Victorem & Eleutherium imitatus; Britannorum orthodoxam Fidem promovit, missis in Insulam, qui illam confirmarent: vel certè dicendum Paschasium, cum Romam è Britanniâ redusset, Donaldi nomine Victorem veneraturus, Zephirino successori legationis suæ rationem reddidisse, piumque Pontificem, filium recèns genitum in Fide confirmasse.

ANNUS URBIS CONDITÆ 955.
ANNUS CHRISTI 204.
ZEPHIRINI PAPÆ 2.
SEVERI IMP. 10.

I.

ANNO Christi ducentesimo quarto, Severo Augusto tertiùm, & Antonino filio Augusto, Consulibus: Virius Lopus, Proprætor in Britanniâ; cum pacem, à Mæatis, pecunia ouper redemisset; vidit venalem pacem, diuturnam esse non posse. Mæatæ propè vallum, Romanis conjunctiores, inducias cum Legato fecerant: Caledonii id ægrè ferentes, & novarum rerum cupidi; Duce Fulgentio, omnem movere lapidem; ut Severo Augusto, procul, & bellis implicito; Mæatæ à pactis resilirent. Itaque sub hæc tempora junctis viribus, murum perrumpentes, Romanam provinciam invadunt, ferro, igneque omnia vastantes. Erat Fulgentius, elati vir animi; & quia è Regum sanguine prodierat, Regis etiam titulum videtur præsumpsisse. ita enim de illo Jo. Pitsius: *Fulgenius, vel Fulgentius, Regio Britannorum sanguine ortus: & ipse invitis Romanis, Britanniæ Rex, vir elati animi, magni ingenii, plus quàm mediocris doctrinæ, miræ eloquentiæ, & ad alliciendos hominum animos in dicendo incredibilis gratia: Hic ferre non potuit, ut apud suos Britannos Regia dignitas abrogaretur, potestas supprimeretur, & Romanis iis dominarentur. Quare Britannos ad defectionem, vicinos Scotos, & Pictas, ad suppetias*

Fulgentius pro Regia dignitate contendit. *Pitsius in Fulgenio.*

Britannis ferendum sollicitavit. Hic ergo novorum tumultuum caosa; & Fulgentium, Britannum fuisse, & Lucio conjunctum significant.

II. BRIGANTIUM PROVINCIAM VASTAT.

Interea Virius Lupus, & Romanus miles, Mæatarum & Caledoniorum impetum strenuè primo sustinent: inde post aliquam agrorum vastationem, conquisitum hostem sistunt; nè porrò progrediatur, impediunt, denique profligant. Videtur Fulgentius provinciam illam depopulatus, quæ in Brigantibus, Richmondia vocatur. nam ibi loca aliqua exusta, à Virio Lupo restituta videntur. Ut locus ille, ubi Romanorum balnea fuisse, conjectura est, inde fortè ducta, quòd Antoninus Lavatram appellaverit: hodie Bowes est. Primam Thracum cohortem, sedem ibi fixisse, argumentum est, hæc lapidis inscriptio, quam Valerius Fronto, sub hæc tempora erexit.

DAE .I. FORTVNÆ
VIRIVS LVPVS
LEG. AUG. PR. PR.
BALINEVM VI
IGNIS EXVST-
VM COH. I. THR
ACVM REST
ITVIT. CVRANTE
VAL. TRON
TONE PRÆF.
EQ. ALÆ VETTO

III. EXPONITUR INSCRIPTIO.

In voce DAE, vel excidit E litera: vel quod obvium magis in D erasa est. Si enim ita includatur Ɖ. habes compendio verbum integrum, quod resolvitur in Deæ. Cæterùm quod in Epigraphe sequitur .I. obscurius est: nec enim aliquid videtur repetere. nam Fortuna, non erat Romanis ita singulariter Dea, ut alia numina non coluerint. Imo hoc illis proprium, ut singularum nationum Deos asciverint: quo faciliùs earum regnis ac provinciis imminerent. Notavit hoc Minutius Fœlix, Scriptor hujus sæculi, & in persona Cæcilii narrat religione cultuque omnium Deorum, Romani Imperii magnitudinem surrexisse. *Videmus*, inquit, *singulos sacrorum ritus gentiles habere, & Deos colere municipes: ut Eleusinios, Cererem: Phrygas, magnam matrem: Epidaurios, Æsculapium: Chaldæos, Belum: Astartem, Syros: Dianam, Tauros. Gallos, Mercurium: universa, Romanos. Sic eorum potestas & authoritas, totius Orbis ambitus occupavit. Sic imperium suum, ultra solis vias, & ipsius Oceani limites propagavit.* Quibus verbis innuit; non unius, sed omnium Deorum cultu, domitam esse Britanniam. nam illa periphrasi, *ultra solis vias*, & *Oceani limites* satis patet hanc Insulam intelligi: quia paulò inferiùs idem Author ait: *Britannia Sole deficitur: sed circumfluentis maris tepore recreatur*. Quod tamen stare non potest, cum eo, quod scribit Eumenius Orator. *Diem in Britannia penè continuum.* Item: *Longissimos ibi dies, & nullas sine aliqua luce noctes: dum illa littorum extrema planities, non attollit umbras; noctisq́; metum, cæli & siderum transit aspectus. ut sol ipse, qui nobis videtur occidere, ibi appareat præterire.* Quæ omnia, licet non in omnem Insulæ partem, in extremum tamen Britanniæ refert Tacitus, inquiens: *Dierum spatia, ultra nostri orbis mensuram, & nox clara, & extrema Britanniæ parte brevis: ut finem atque initium lucis, exiguo discrimine internoscas. Quod si nubes non officiant, aspici per noctem solis fulgorem, nec occidere. nec exurgere, sed transire affirmant. Scilicet extrema, & plana terrarum, humilis umbra, non erigunt tenebras, infraq́; cælum, & sidera nox cadit.* An hoc à solo proveniant, ut hi Authores affirmare videntur; an verò à Sole, cursuque ejus, disputent Mathematici. Interim dicat Plinius. *In Italia*, inquit, *longissimi dies sunt, horarum quindecim: in Britannia septemdecim: ubi æstate lucida noctes, haud dubiè † repromunt, id quod ratio cogit credi; solstitii tempore, accedente sole propè verticem mundi, angusto lucis ambitu subjecta terra, continuos dies habere senis mensibus, noctesq́; è diverso, ad brumam remoto.* Sed hæc fortè parerga. ad Fortunam redeo.

Felix in Octavio.

BRITANNIÆ DESCRIPTIO.

Eumen. paneg. 9.

Tacit. in Agric.

Plin apud Lipsium in notis ad Agric.

† repromittunt.

IV. FORTUNAM AFRI DEAM COLEBANT.

Ad Deam, inquam, cujus suprà in Virii Lupi trophæo, est mentio. Erectum illud videtur, cum Mæatas, & Caledonios ultra murum ille coëgit. & dico Deam ibi antonomasticè, pro Fortunâ positam: illudque interstitio illo .I. significari. Hanc Deam Afri imprimis colebant, & Severi Imperatoris in Africa nati, erat simulacrum. Miles ergo, qui ad murum excubabat; quo Imperatori suo blandirentur, omnia Fortunæ commeodabant, & ejus numini. Porro Afros solitos Fortunam colere, testis est Philastrius. *Est*, inquit, *heresis in Iudæis, quæ Reginam, quam & Fortunam Cæli invocat; quam & cælestem vocant in Africa, eiq́; sacrificia offerre non dubitant*. Quam religiosè severus Fortunam coluerit: & quomodo statuam ejus geminare statuerit in Britannia; dicam post annos aliquot; cum in Britanniam venerit, & Eboraci moriturus decumbet. Nunc in Syriâ pugnans, decimum Imperii annum, crudeli in Christianos persequutione fædat. *Iudæos fieri*, inquit Spartianus, *sub gravi pænâ vetuit. Idem etiam de Christianis sanxit.* Hanc persecutionem Orosius quintam: Sulpitius Severus, sextam: alii quartam vocant. Causa persequendi, Christianorum conventus fuit. Illud, inquam, quod Traianus suprà, & aliæ inferorum portæ, odio iniquo oderunt, & hactenus persecutæ sunt. Sacrificium dico, & supremum cultum, quem Lucifer olim ambivit, Christoque deinceps invidit. Severus itaque conventus, hæterias, & coitiones vetuerat; uno verbo, & modernâ dialecto; missas celebrari, & edicto suo, & Senatusconsulto, prohibuerat: contraque facientes punivit. Hinc Tertullianus pro Christianorum innocentiâ scribens; ait illos non aliter peccasse: *Nisi forte*, inquit, *in Senatusconsulta, & in Principem mandata, coïtionibus opposita deliquimus.* Refert Ulpianus partem rescripti Severi Imperatoris, ad Præfectum Urbis. *Divus*, inquit, *Severus rescripsit eos qui illicitum collegium coisse dicuntur, apud Præfectum Urbis accusandos.* Itaque quod superioribus sæculis erat *Conventus, synaxis, hæteria*: nunc *Collegium & Coitio*; sequenti tempore, *Dominicum* vocabitur: diversa nomina: sed idem innuentia. Unum illud necessarium, sine quo Catholica Fides, & Ecclesia stare non potest. Unde Diocletiano persequente Christiani clamabunt, interrogati cur contra mandata Principum Coitiones, & Dominicum fecerint: *Christiani sumus, & sine Dominico esse non possumus.* Ubi dicemus, Dominicum illud ipsum esse, quod olim Traianos postea Antoninus Philosophus, nunc Severus, prohibere, & impedire conati sunt.

Philastrius apud Baron. an. 199.

Spartian. in Severo c. 17.

SEVERUS CONVENTUS CHRISTIANORUM VETAT.

Tertul. in Com. de iejun. c. 13.

L. 1. in fine. ff. de offic. Præfec. urbis.

ANNUS URBIS CONDITÆ 956.

ANNUS CHRISTI 205.

ZEPHIRINI PAP. 3.

SEVERI IMP. 11.

Severus cognomina devictarum gentium ambit. *Herodia. l. 3.*

SEQUITUR Christi annus ducentesimus quintus, Plautiano Sillano Secundùm, & Geta Cæsare, Consulibus: quo Severus, ex Ægypto Romam rediens, de Parthis triumphavit: & quia decimum Imperii annum absolverat, erogatis in Prætorianos milites, & populum, tot aureis, quot annos imperasset; Decennalia celebravit. Et Parthicám quidem Victoriam *Fortunâ magis* (inquit Herodianus) *quam consilio adeptus; literas ad Senatum populumq́; Romanum de se magnificas dedit: ac depictas in tabulis pugnas, victoriasq́; suas publicè exposuit: nihil non honorum decernente Senatu: & super his* COGNOMINA *imponente devictarum gentium.* Quod ideo notandum; quia brevi Severus ad nostrum Septentrionem pugnans, gentes debellabit. ad Caledonios & Mæatas, & ultimum ibi Septentrionis angulum penetrabit. Quibus militari virtute domitis, devictarum gentium cognomina, tam ipsi, quàm filii assequentur. & inde historicâ deductione concludam: an Scoti in Britannia hoc tempore regnaverint: quod toties ad nauseam à recentioribus Scotis asseritur. nihil enim potentiùs Severum in Britanniam traxit, quàm hujusmodi cognominum ambitio. Cum enim in Insula tumultuatum, audivisset: *Lætus ea Severus accepit* (inquit Herodianus) *quippe homo suapte naturâ gloriæ appetentior: post victoriam ad Orientem, Septentrionemq́; & cognomina utrimque parta: etiam contra Britannos tropæa excitare aliqua cupiebat.* Sed de Britannicâ expeditione plura inferiùs. *Herodia. suprà.*

ANNUS URBIS CONDITÆ 957. 958

ANNUS CHRISTI 206. & 207.

ZEPHIRINI PAPÆ 4. 5.

SEVERI IMP. 12. 13.

I. Plautianus occiditur.

ANNUS Christi ducentesimus sextus, Consules habuit Chilonem Septimium, & Annium Libonem: quo Plautianus Exconsul, post plures honorum titulos, misera catastrophe vitam conclusit, Deo Christianorum injurias ulciscente. Ille enim post datam filiam Antonino Augusto in conjugem: post congestos honorum & divitiarum cumulos; quos nemo infrà Cæsares legitur adeptus; post fusum denique Christianum sanguinem; dum altiùs volare, & ad summum Imperii fastigium niti creditur, miserè corruit: Antonini jussu hoc anno occisus.

II. Natalii poenitentia.

Anno sequenti, Antonino Augusto Secundùm, & Geta fratre Consulibus: Natalius quidam, Theodoti hæretici (quem Victor Papa à fidelium consortio removerat) erroribus infamis, Romam (flagellatus priùs ab Angelo) venit: & facti pœnitens, ad Zephirini pedes abjectus, admissorum veniam petiit, & impetravit. Quem enim Romanus Pontifex ligaverat: à Romano Pontifice solutionem petere oportebat. Rem gestam narrat Eusebius l. 5. c. 27.

ANNUS URBIS CONDITÆ 959.

ANNUS CHRISTI 208.

ZEPHIRINI PAP. 6.

SEVERI IMP. 14.

I. Caledonii in Romanos surgunt.

ANNO qui sequitur Christi ducentesimo octavo, Annio Albino, & Fulvio Æmilio, Consulibus: Caledonii iterum murum perrumpentes; Romanæ provinciæ limites ingressi, agros populantur. Causa motuum variè exponitur: imminuta, per mortem Lucii, Britannorum majestas; Romani militis insolentia, Fulgentii ad regni titulum aspirantis ambitio: Ego causam refero in rigidum cælum, duroque sub æthere natos homines, qui collum nullo servitutis jugo inflectere didicerant. Cur enim aut Caledonii aut Mæatæ (nec alius ad Septentrionem illum populus) pro Lucii subditis, & cultiori Britanniâ pugnarent: qui hactenus illam, & illos, omni injuriarum genere vexaverant? Aut cur eorum causâ, bellum susciperent; quorum bona jugulumq́ue petebant? Dic ergo inquietum, & agreste genus hominum, Regiæ majestatis impatiens; pro libertate tuendâ, pro servitute declinandâ, & omni in se imperio, decertasse. nam Regibus, & Imperatoribus subdi, servitutem appellarunt. Cui morbo cælum illud admodum obnoxium, ut sequentia sæcula testabuntur, in utraque Republicâ; etiam cum Caledoniis & Mæatis, Scotus successit: ut non tam hominibus, quàm cælo irasci debeamus. Cæterùm quid hoc anno turbarum egerint, aut quem agrum invaserint, non reperio.

II. Severus Imp. de periculo monetur.

Interim Virius Lupus, Romanorum Legatus; qui ad hujusmodi motus ad murum vigilabat: cum insolentis populi impetum fregisset: crescente indies hostium numero: & coeuntibus in fœderis societatem, vicinarum Insularum incolis; ex Hiberniâ præsertim Scotorum patriâ: cum se tot populis imparem fore timeret, Severum Imperatorem per literas monuit, quo loco Romana res in Britannia esset: ut ruptum à barbaris fœdus; ut jura violata: ut major hostium, quàm sociorum numerus. Mitteret ergo, vel potiùs veniret ipse; remq́ue jam inclinatam auxiliaribus copiis restitueret. Severus Romæ agebat, regendo quidem moderandoq́ue orbi Romano par: sed continendo filios in officio impar. Illi enim; Antoninus & Geta, in omni vitiorum genere, sed fraterno imprimis odio, eminebant. Et quasi liberas habenas nacti, Augustus, & Cæsar, & dudum Consules: nullis Severi monitis cohiberi potuerunt. Nec aliud malo remedium parandi occurrebat: quàm è luxu urbis eductos, & vitiorum illecebris, in Britanniam amandare, militia laboribusq́ue frangendos. de quo plura anno sequenti. Licet Usserus in Indice, Severi expeditionem in Britanniam, ad præsentem annum referat. *Usser. in Indice ad an. 208.*

ANNUS URBIS CONDITÆ 960.

ANNUS CHRISTI 209.

ZEPHIRINI PAP. 7.

SEVERI IMP. 15.

SEVERUS IN BRITANNIAM COGITAT. *Herodia. l. 3.* *Vitus histor. l. 5.* *Herodia. l. 3.*

ANNO Domini ducentesimo nono, Flavio Apro, & Allio Maximo Consulibus; contigisse illud videtur, quod de Severo Imperatore, duobusque filiis Antonino & Geta, narrat Herodianus in hunc modum. *Hanc liberorum suorum vitam, & indecora in spectaculis studia, ferens graviter senex Imperator: literas à Britannia Præfecto accepit: quæ docebant, barbaros illic seditiones agitare, regionemq́, omnem incursionibus, ac depopulationibus vastare. quare majori manu ad resistendum, vel etiam Principis ipsius præsentia opus esse.* Ita ibi. Hunc Britanniæ Præfectum Richardus Vitus, Heraclitum vocat, ab eoque scriptas literas affirmat. sed quia ille Australem Britanniæ provinciam procurabat: & Viris Lupi monumenta plura ad murum leguntur: ab eo potiùs (nam duos legatos nunc habet Britannia) datas existimo. Quicquid sit: *Lætus ea accepit Severus* (pergit Herodianus, & repeto) *quippe homo suapte naturâ gloriæ appetentior: post victorias ad Orientem Septentrionemq́, & cognomina utrimque parta: etiam contra Britannos trophæa excitare aliqua cupiebat. Ad hæc filios abducere ex urbe; ut procul à munditiis urbanis, in castris, militari vita, ac sobria, juvenes insuescerent. Ita expeditionem in Britanniam edicit: senex jam, & morbo articulari laborans: tanta autem animi virtute, quanta nemo unquam vel juvenum.* Quod spectat ad tempus susceptæ expeditionis, vel potiùs consilii profectionis, benè ad hunc annum illud refert Gordonius, dicens: *Anno ducentesimo nono cogitat Severus Britannicam expeditionem & reverà anno sequenti, profectus est.*

ANNUS URBIS CONDITÆ 961.

ANNUS CHRISTI 210.

ZEPHIRNI PAPÆ 8.

SEVERI IMP. 16.

I. DIO SENATOR SEVERI ITINERA PER BRITANNIAM DESCRIBIT.

SEQUITUR Christi annus ducentesimus decimus, Antonino Augusto tertiùm, & Geta, Cæsare secundùm, Consulibus: quando Antonini decennalibus Romæ celebratis; Severus Imperator inde discedens, Britanniam versus iter instituit. Commodum accidit, & finiendis controversiis opportunum: Dionem Cassium, qui hoc omni tempore Romæ Senator, Romani Imperii prospera & adversa, accuratè literis mandabat: non solum Severi profectionis meminisse: sed itinera omnia Romani militis in Britanniâ legisse: acta digessisse: & nominasse hostes, in quos pugnaverit. Inde enim constabit: quæ gentes, qui populi, quæ nomina ad Septentrionem sederint, Romanis, & cultiori Britanniæ graves. Severus enim, non ut alii Imperatores, qui hactenus Britanniæ tantum litus salutarunt, sed Insulæ penetralia pervasit: Caledoniamque ingressus, *non destitit*, inquit Dio, *quousque ad extremam Insulæ partem venit.* Hinc colligemus: an Scoti, an Picti, an populi alii, à Britannis diversi, & ubinam, sedem fixerint: an verò alii, pro illis sedem, & sedes finxerint. Quod ut distinctiùs innotescat: Britanniæ descriptionem, & populorum gentiumque nomina, quæ illam Britanniæ partem, Romanis adversam, incolebant, ex ipso Dione non gravabor exponere. ait ergo. *Dio l. 76.*

II. *Dio l. 76.* BRITANNORUM IN QUOS ROMANI PUGNANT, DESCRIPTIO. QUÆ LOCA INCOLIS. QUIS VICTUS? ET VESTITUS? EORUM SOCIETAS. MORES. ARMA. INEDIAM TOLERANT.

Severus in Britanniam, cum exercitu proficiscitur: duos filios intemperantes esse, & legiones nimio otio diffluentes, corrumpi videt. Idq́, fecit, cum sciret se inde non esse reversurum. Cæterùm Britannorum duo sunt præsertim genera (nimirum in quos pugnandum erat) Caledonii & Mæatæ: nam cæterorum nomina, ad hos ferè referuntur. Incolunt Mæatæ juxta eum murum, qui Insulam in duas partes dividit: Caledonii post illos sunt. Possident utrique montes asperrimos, & sine aquâ: itemq́, campos desertos, & plenos paludibus. Quodq́, mœnia non habent, nec urbes, agros nullos colunt. De prædâ, & venatione, fructibusq́, arborum vivunt. nam pisces, quorum ibi maxima est, & innumerabilis multitudo, non gustant Degunt in tentoriis nudi, & sine calceis: uxoribus in commune utentes, liberosq́, omnes alunt. Apud hos populus, magna ex parte, principatum tenet: latrocinantur libentissimè. militant in curribus: equos habent parvos, & celeres: pedibus currunt celerrimè. Dum stant, firmissimi sunt: Horum arma sunt scutum, & hasta brevis; in cujus inferiore parte, pomum est ex ære: ut dum concutitur, hostes sonitu perterrefaciant. Pugiones quoque habent: & imprimis famem, frigusq́, ac labores omnes perferunt. nam mersi in paludibus capite tenus, per multos dies inediam sustinent. In silvis autem, corticibus, atque radicibus arborum aluntur. Certum cibi genus parant ad omnia: quem si ceperint, quanta est unius fabæ magnitudo, minimè esurire, aut sitire solent. Cum igitur Britannia Insula talis sit, incolas hujusmodi habet. Hæc omnia Dio. Ubi habes, mores, victum, arma, & nomina eorum (magna præsertim) in quos Romani hactenus pugnarunt: in quos hoc anno Severus movit: & à quibus devictis cognomen assumet. Ut meritò irascendum sit Historicorum vulgo, asserentium Scotos, Pictosque à Britannis distinctos, Romanorum iras, & arma sensisse.

III. PICTI HIC DESCRIBUNTUR. *Herodia. l. 3.* BRITANNI PACEM A SEVERO PETUNT.

Cæterùm Pictos hic describi, à Dione, Britanniæ populum: quamvis necdum ita passim appellatos, ex Herodiano facilè ostenditur. qui etiam sui, hoc est, hujus temporis gesta, & Severi Britannicam expeditionem narrans, satis insinuat, eos quos Dio Mæatas, & Caledonios vocat, posteriore sæculo, in Pictorum quoque nomen transiisse. Juvat ergo ipsum audire. nam ibi legitur, quid hoc anno factum; cum Imperator, novus hospes, primùm appulit. Ita enim ipse Severum in Britanniam Româ deducit. *Igitur Severus*, inquit, *iter ingressus, lecticâ plurimum vehebatur; nulloq́, cessabat loco. Quare confecto itinere, unà cum filiis; speq́, omni, ac sermone celeriùs, enavigato Oceano; Britanniam ingressus est. collectiq́, militibus, ac maximis conflatis viribus, bellum comparabat. Cæterum Britanni, repentino Principis adventu perculsi: auditoq́, tantas contra se comparari copias. legatos ad eum de pace; ac sepsos expurgatum, de iis quæ antea deliquerant, miserunt. At Severus, moras de industria nectens: ne vacuo sibi Romam redeundum foret: cupidus victoriæ, nominisq́, Britannici:*

Sed non impetrant.

Legatos quidem, re infectâ, domum dimittit: Ipse quæ bello usui forent, magnâ solertiâ comparabat. Sed imprimis tamen curæ habuit, pontibus occupare paludes: ut stare in tuto miles, faciléq; per eas discurrere possent, atque in solido præliari. Siquidem Britanniæ pleraque loca, frequentibus Oceani alluvionibus paludescunt. Per eas paludes barbari natant, excursantq; ad ilia usque demersi: ac pleraque corporis nudi, cœnum contemnunt. Neque enim vestis usum cognorunt: sed ventrem atque cervicem ferro incingunt: ornamentum id esse, ac divitiarum argumentum, existimantes: perinde ut aurum cæteri barbari. Hinc Pictorum notio, et natio. *Quin ipsa notant corpora* PICTVRA *Variâ, & omnifariam formis animalium. Quocirca ne induuntur quidem; videlicet Picturam corporis ne adoperiant. Sunt autem bellicosissima gens, atque avidissima cædis; tantum scuto angusto, lanceáq; contenti, præterea gladio, nudis corporibus, dependente: loricæ ac galeæ penitus ignorant usum, impedimentum id esse transgrediendis paludibus arbitrantes: quarum vaporibus, æstuq; cœlum ibi semper caliginosum.* Hæc omnia Herodianus.

IV. De quibus prædicta intelliguntur.

Sunt hic quædam animadversione digna, pro Pictorum origine: quæ arguunt, ab incultorum Britannorum origine non differre. Nec enim supradicta in omnem Insulam, sed in eam solum referenda, quæ civilem vivendi consuetudinem, exosa, ad urbanitatem cogi non potuit. Itaque tam agrestes Mæatæ, quàm inculti Caledonii; nudi plerumque, præsertim in tentoriis; ut uterque, Herodianus & Dio affirmant; incedebant. quod de Australi Britanniâ non potest intelligi; quia ante annos ducentos scripserat & Cæsar, Augustus, & oculatus testis; eos *pellibus vestiri solitos*. (*Cæsar l. 5. de bello Gall.*) Porro transmurani, corporis nuditatem pictura ornabant, cæruleo superinducto colore; unde & Cærulei Britanni, & Cærulei Brigantes, appellati; ut suprà observatum. (V. an. 56. §. 4.) Denique variorum animalium formis, imaginibusque corpori impressis; vel hostibus terrori, vel amicis voluptati erant. Et hæc pingendi consuetudo, quæ ultimo in Mæatis, Caledoniisque mansit, Pictorum illis nomen induxit: tunc nimirum, quando plures ex Hibernia, & vicinis Insulis, in fœderis societatem coëuntes, in numerum primò, inde in gentem, & demum in regnum surrexerunt: quod deletis primum Pictis, revera Scotorum regnum appellatur. Id necdum factum. Licet enim non abnuerim, aliquos è viciniâ, in suppetias Britannis venisse; ut passim fit in diuturni temporis bello: hactenus tamen, nullam in Britannia provinciam nacti sunt, aut insederunt, ita, ut illam à se denominaverint. Mæatas porrò, & Caledonios hosce; qui variâ picturâ corpora ornabant; Britannos fuisse: & omnia supradicta, & Britannici cognomen, quod Severus statim assumet, & denique probat ille versus Ausonii:

Ausonius.

Viridem distinguit glarea muscum
Tota Caledoniis talis pictura Britannis.

V. Caledoniorum ad bellum apparatus.

Satis hæc de Pictorum origine: prosequamur Severi reliqua. Cum ejus animum Caledonii supplicatione explorassent, & sensissent ad bellum, quàm ad pacem, proniorem: obfirmaverunt se iterum, ad fortiter pro libertate pugnandum: & vocatis undique, in belli societatem, auxiliis, Romanorum impetum excipere, & repellere contendunt. *Ad hæc Severus* (inquit Herodianus) *nihil non comparabat, quod usui Romano militi, quod detrimento barbaris, impedimentoq; foret. Ubi verò satis è sententia, prompta sibi & parata omnia intellexit; Iuniorem filium, Getam nomine, in parte Insulæ Romanis subjecta, reliquit: ut juri dicundo, rebusq; civilibus administrandis præesset: eiq; consiliarios, ex amicis natu grandioribus, reliquit: Antonino secum adversus barbaros educto.*

Herod. l. 3. Item Severi Imperatoris.

Geta Eboraci relinquitur.

Inter consiliarios Getæ relictos, quorum hic mentio, unus fuit, illud juris civilis oraculum, Æmilius Papinianus; qui eo tempore, Prætorio in Eboracensi urbe erecto, inde leges & jura dictabat: & inter cætera, legem illam post duos annos latam, quam illi recito. nam priùs servato rerum gestarum ordine, Severi expeditionem recenseo. (V. an. 212. 1. *Idem suprà.*) *Transgresso igitur Romano exercitu* (prosequitur Herodianus) *amnes, aggeresq;, qui objecti barbaris, Romanorum fines disterminant. pugnæ quædam tumultuariæ fiebant, & excursiones, victore semper Romano: cæterùm facilis erat ex fuga receptus: barbaris quippe inter silvas, ac paludes, & loca ipsis notissima delitescentibus: Quæ omnia Romanis adversa, moram bello addebant.*

VI. Difficulter a Severo in Septentrione pugnatum.

Severus pacem detrectarat, ratus non magni momenti rem, & ingentis gloriæ futurum, paucos Britannos, inermes ferè ac nudos, ad servitutem cogere: sed eventus docuit, difficile prælium, & victoriam incertam fuisse. quod Dio Cassius ita expressit. *Cum Severus vellet omnem Insulam in suam potestatem redigere: ingressus est in Caledoniam; eamq; dum perstransiret, habuit maxima negotia; quod silvas cæderet, & loca alta perfoderet. quodq; paludes obrueret aggeres & pontes in fluminibus faceret. nullum enim prælium gessit, neque copias hostium instructas vidit. A quibus proponebantur consultò oves, bovesq;, ut cum ea milites nostri raperent: ac per fraudem hanc longè à via declinarent, facile opprimerentur. Ad hæc nostris aquæ valdè oberant: dispersisq; insidiæ parabantur: cumq; non possent iter facere, occidebantur à suis, ne ab hostibus caperentur. Itaque mortui sunt è nostris ad quinquaginta millia.* (*Dio l. 76.*)

Authorum dissidium.

Hic nota Authorum inter se dissidium. Herodianus suprà dixit victoriam à Romano semper milite stetisse. Dio nullum prælium Romanos inter, & Britannos, gestum affirmat. Porrò quod ad pugnam tumultuariam, & excursiones attinet; cum facilis esset Britannis receptus, paludum silvarumque adminiculo. Et interim cum quinquaginta Romanorum millia desiderata sint; frequentes non potuerunt esse Romanorum victoriæ. Ita pietatis amore interdum peccant historici. nec nostros hic absolvo; qui non solum Fulgentium magno apparatu in arenam deducunt, armantque in Severum: sed insuper aiunt Severum ab eo sub hæc tempora interfectum. Ita Godefridus Monumetensis, & eum sequuti recentiores aliqui. Quorum unus (quod satis mirandum) scribit id esse certissimum. (*Broughton. cent. 3. c. 6. §. 4.*) Cujus tamen contrarium est longè certius, ut inferiùs dicam. Cæterùm cum Dio dixerit, nullum prælium fuisse: & Herodianus, tumultuarias tantum excursiones: nescio quid nostris Authoribus in mentem venerit, Fulgentium cum Severo committere. Sed reliqua prosequamur, & Severum ad Britanniæ extrema penetrantem.

VII. *Dio l. 76.* Severus ad extremum Insulæ pervenit.

Neque tamen (loquitur Dio) *destitit Severus, quousque ad extremam Insulæ partem venit: ubi diversum, quàm apud nos fit, cursum solis, itemq; noctium, ac dierum, tam æstivorum quam hibernorum magnitudinem diligentissimè cognovit. Tandem per omnem ferè terram hostilem vectus (nam plurimum*

propter

propter imbecillitatem, operta lectica vehebatur) revertit ad socios, Britannis ad fœdus faciendum coactis, ea conditione, ut non parva regionis parte cederent. Hæc Dio. Et habes Severum, Septentrionis extremum penetrasse, ubi cursus solis à nostro diversus, satis innuit remotissima ibi loca lustrasse: Habes etiam hostem; quem quæsivit, invenit, & ad fœdus coëgit. Qui cum Britannis ubique nominetur, à Dione, ab Herodiano, ab antiquis omnibus: à Romano Senatu, ab ipso Severo, qui ab hoste devicto BRITANNICUS appellabitur: Scotum in illo terrarum tractu, sedem hoc tempore fixisse, fabula est, regnasse, solœcismus in historicam veritatem, eruditis auribus, oculisque minimè tolerandus. Quod ad fœdus attinet cum Britannis initum; an illi, vel Romani lubentiores accesserint, difficultas est. Opinor: Severum, cum lustrato omni Septentrione, ingentia pericula, impedita itinera, incommoda plurima comperisset: & nullum, vel certè impar operæ pretium; subductis rerum momentis; pacem æquè ac Britannos ambivisse. Hoc Antonini filii pessimi mores: ejus in Getam fratrem, addo & parentem, odia: hoc Severi morbus & invaletudo: hoc denique cæli, solique inclementia, quam Romani non ferebant; facilè persuadent. Tractatum hoc anno de fœdere, sequenti percussum.

Fœdus cum Caledoniis initum.

VIII. Interea Titus Aurelius Aurelianus, quod Romanæ Reip. consultum cuperet: votivam tabulam, titulari Brigantum Deo, ad Calderam fluvium erexit: ubi etiamnum hæc inscriptio, utrimque incisa, legitur:

Ex una parte.

DUI CI. BRIG.
ET NVM. AVGG.
T. AVR. AVRELIAN
VS DD. PRO SE
ET SVIS. S. M. A. G. S.

In aversa parte.

ANTONINO
III. ET GET. COSS.

Brigantum Deus.

V. an. 204. 9.

Aram hoc anno erectam indicant ascripti Consules. Sed quis ille Brigantum Deus, cujus ibi mentio, meritò quæritur: cum inter Romanorum sacra, numen illud non sit invenire. Notandum ergo quod suprà monui, nationes omnes, suos habuisse municipes Deos; quos cum opus, colerent. Romanos verò, longè lateque dominantes, hosce Deos municipes colere solitos: quo locorum genios religiosè traherent in vota sua. Cum itaque Britannorum Deum singulariter, & sæpè sæpiùs à Christianis nominari, colique religiosissimè eernerent, extructis templis & altaribus (Deum tunc Britanni DITE vocabant, unde & ibi oppidum Duisburgum.) Cum iterum feirent, & nupero contra Marcomannos bello didicissent: quàm lubens, & liberaliter, in supplicum vota veniret Deus ille; cur non putem CIVIUM BRIGANTUM DEUM, in tabula nominatum; Deum unum trinumque, quem Christiani colerent, fuisse: eumque invocatum, cum Severus Septentrionem omnem subjugare contenderet. Certè suprà vidimus, Belatucardum; & infrà videbimus Andates, aliaque infidelium Britannorum idola, à Romanis, simili de causa invocari. quod argumentum est, hac vice, verum Deum à Romanis, in Britannia militantibus, quoquo modo cultum.

ANNUS URBIS CONDITÆ 962.

ANNUS CHRISTI 211.

ZEPHIRINI PAPÆ 9.

SEVERI IMP. 17.

SEQUENTEM annum ita auspicatur Cæsar Baronius: *Ducentesimo undecimo Christi anno, Claudio Pompeiano, & Lolliano Avito Consulibus: Severus Britannos coërcuit. Sed &, quod,* inquit Spartianus, *maximum ejus imperii decus est; muro per transversam Insulam ducto; utrinque finem Oceani communivit. Unde etiam Britannici nomen accepit.* Hæc ille compendio; quæ lubet diffundere, habita jam certa temporis ratione. nam Severi iter, ingressus in Insulam, & Britanniæ peragratio, & denique missæ ultro citroque de pace legationes, anni spatium impleverunt. Unde potuit sequenti anno quiescere, & rerum à se gestarum trophæa figere. Tria igitur hoc anno tractanda sunt: De fœdere Severum inter & Caledonios: De muro per eum ducto: De nomine BRITANNICI, quod titulis suis, hoc anno, Severus inseruit. Quæ omnia Dio, & Spartianus commemorant. nec ab Annalium Ecclesiasticorum tractatione aliena sunt: qui benè probant, plus potuisse Romanas Insulas, quàm Aquilas; & Christi imperium, faciliùs, latiùs, luculentiùs, jura finesque suos, quàm Romanorum Imperatores, tanto armorum strepitu, protulisse. Quod argumentum Tertullianus in Judæos scribens doctè prosequitur, petito à Britannis exemplo: *Britannia,* inquit, *intra Oceani ambitum conclusa sunt: Maurorum gens, & Getulorum rabies a Romanis obsidentur, ne Regionum suarum fines excedant.* Deinde recensitis Romani Imperii viribus, longè præstare illis omnibus, inermem Christianorum religionem significat. Atque inde ita concludit: *Quippe cum Romani tot Legionibus imperium suum muniant: nec etiam istas gentes porrigere regni sui vires possint. Christi nomen & regnum ubique porrigitur, ubique creditur, ab omnibus gentibus suprà numeratis colitur, ubique regnat, ubique adoratur.* Quod in Britanniâ patet esse verissimum. ubi Romani Imperii terminum, nullum Christianæ Fidei, leges.

I. Baron. hic.

Quæ hoc anno tractanda.

Tertul. in Iudaos c. 7.

II. Ad fœderis pacisque conditiones sanciendas coïsse videntur Britannorum primi, Caledoniam & Montana tenentes: quorum nomina Romani Scriptores posteris inviderunt. Unius tantummodo memoria superest, cujus Dio meminit, occasione conjugis, quæ etiam sanciendo fœderi interfuisse videtur. nec mirum illud; quis Severus Juliam quoque conjugem, ex urbe in Britanniam; inde in ultimum Septentrionem circumduxit; quam Britannæ quoque fœminæ comitatæ sunt, ut infrà. Priùs ergo quàm Severus ad pacis conditiones descendit; jussi sunt Caledonii (si Dioni credimus) in Romanorum manus arma deponere. Ita enim ille, Antonini filii, in parentem facinus narrans, scribit: *Perturbabat Severum Antoninus, & solicitabat maximè, non solum*

De fœdere Britannorum cum Severo.

Dio l. 76.

ANTONINUS PARENTEM CONATUR OCCIDERE.

quòd libidinosè & petulanter viveret: sed etiam quòd perspicuum esset, ab eo, cum primùm daretur potestas, fratrem interfectum iri. Quod jam ipsi Severo insidias fecisset, &c. Præterea cum ambo proficiscerentur ad Caledonios, ut arma ab eis caperent; & de fœderibus colloquerentur: Antoninus ipsum palam sua manu occidere est conatus. nam cum fortè equitarent unà (Severus enim licet ei plantæ pedum, quæ sana non erant, secta essent; tamen equo vehebatur) equitaretq́; pariter, reliquus exercitus, hostium copiæ viderentur. Antoninus, equo refrenato, magno silentio, percommodè gladium distrinxit, ut tergum patris percuteret. Quod ubi animadverterunt ii, qui simul equitabant; exclamaverunt protinus: eoq́; clamore perterritus Antoninus, se abstinuit. Severus etsi ad clamorem eorum conversus, gladium vidit; tamen nullum verbum fecit. Sed peractis pro tribunali rebus necessariis, revertit in prætorium. Hæc Dio. Et quia hoc factum in hostium conspectu colligitur è sequentibus: Ideo Severus pro tribunali sedens, ad quasvis pacis conditiones facilè descenderat; quarum hæc summa fuit: Ut Caledonii inter suos montes se contineant arma projiciant; nec ultra in Romanam provinciam excurrentes, Britannorum agros invaderent.

III. QUID ROMANIS HAC EXPEDITIONE ACCESSERIT?

Cæterùm quod Romani Scriptores, Caledonios, è pactis, non parvâ Regionis parte cessisse affirment: Ita sine dubio scripserit Romam Severus, Senatumq́ue docuerit; ut aliquid in Britanniâ fecisse videretur. Verùm si vallum, murùmve, ab eo factum contemplemur, de quo Spartianus, Beda, cæteriq́ue omnes: nihil, hac Severi expeditione, Romano Imperio adjunctum: & nihil Caledonios Severo cessisse, facilè cernemus. Imo si Julii Agricolæ labores, itinera, victorias, & bello parta relegimus, decessisse potiùs Romanæ potentiæ, quàm accessisse dicendum est. Agricola enim Imperii limitem, ad Caledoniæ usque montes protulerat; interq́ue Glottam & Bodotriam claustra posuerat, quibus cultiores Britanni à Barbaris distinguerentur, ut suprà demonstratum. nunc per Severum, Laxatus Caledoniorum ager: & magnus terræ tractus, amœna satis planities, agriq́ue campestres, omnes omnino Mæatarum sedes, hostibus remissæ: constituto Romanæ provinciæ limite, ad Tinæ fluminis ostium, ad Orientem Insulæ; & Itunæ æstuarium, ad ejus Occidentem. Unde Romano militi nihil profectò in lucro numerandum. Quamvis ut Britannici cognomen Severus obtineret: victoriæ gestaque in Britannia, efferri cantariq́ue debuerunt. nec alia potior causa muri construendi, quàm ut Romani Imperatoris, qui ibi pugnaverat, æternum monumentum esset: atque eo loco legeretur, quod etiamnum legitur, Severi nomen. nam Severi murus vulgò dicitur.

V. an. 83.

IV. DUARUM FÆMINARUM CONTENTIO.

Sed priusquàm murus à Severo poneretur: & silente armorum strepitu; duæ fæminæ inter se, salsène dicam, an insulsè? contenderunt. Julia Augusta, Severum in Caledoniam comitata, eoque pro tribunali sedente, in Britannam fæminam, jocóne, an seriò luserit, judicet Lector. Recitat Dio Juliæ Augustæ in fæminam dicterium: argutâ satis ejusdem dicacitate refutatum: *Vrbanè* (inquit ille) *Argentocoxi Caledonii uxor, Iulia Augusta, quæ ipsam mordebat, initis fœderibus: quòd ipsæ impudenter cum maribus versarentur; dixisse fertur: Nos multo meliùs explemus ea, quæ natura postulat necessitas, quàm vos Romanæ:* nos enim apertè conversamur cum melioribus, vos occulté adulteratis cum pessimis, ἡμεῖς γὰρ φανερῶς τοῖς ἀρίστοις ὁμιλοῦμεν· ὑμεῖς δὲ λάθρα, ὑπὸ τῶν κακίστων μοιχεύεσθε. *Id quidem ab illa muliere Britanna dictum.* Ita Dio. Et Juliam sine dubio verba pupugere; quam Spartianus *famosam adulteriis*, vocat: quod Argentocoxi uxor probè docta, silere non potuit. Fuit revera infamis Julia, quæ post Severi conjugis mortem, privigno nupsit, Antonino Caracallo: *Interest scire*, inquit Spartianus, *quemadmodum novercam suam Iuliam Antoninus uxorem duxisse dicatur. Quæ cum esset pulcherrima, & quasi per negligentiam, se maxima corporis parte nudasset: dixissetq́; Antoninus: Vellem si liceret. respondisse fertur: si libet, licet. An nescis te Imperatorem esse, & leges dare, non accipere? Quo audito, furor inconditus ad effectum criminis roboratus est; nuptiasq́; illas celebravit, quas si sciret se leges dare verè, solus prohibere debuisset.* Hæc modesta fœmina, uxoribus Britannis, pudicitiæ leges dictare debuit? Sed Severum in extruendo in Britannia muro occupatum revisamus.

Dio l. 76.

Spartian. in Severo. c. 48.

JULIÆ AUGUSTÆ MORES.

Spartian. in Antonino c. 10.

V. SEVERUS MURUM DUCIT, ET QUO IN LOCO?

Ille, ne nihil in Insula fecisse diceretur: cum pacem sanxisset; munire Romanam provinciam; & Mæatas Caledonios à sociorum finibus prohibere decrevit. Verùm quonam in loco provinciæ munimentum (quod Dio διατείχισμα *propugnaculum*, Herodianus χῶμα *aggerem* vocat) posuerit; è Bedæ loco difficultas nascitur: qui l. primo capite duodecimo, de ultima muri constructione (de quo ad annum quadringentesimum vigesimum secundum) inter duo freta Dunbrittanicum, & Edenburgicum, illum collocavit: addiditque interposita parenthesi (*ubi & Severus vallum fecerat.*) Unde sequitur putasse Bedam, ibi hoc anno, munimentum, & Romani imperii terminum à Severo constitutum esse: Et revera ibi Julius Agricola, & Lollius Urbicus, claustrum posuerant: sed veriùs, misso illo terrarum tractu, Severum Mæatis illum concessisse: & ibi vallum fecisse, vel refecisse potius, ubi prius Hadrianus Imperator illud fixerat. *Ille enim anno Christi centesimo vigesimo tertio: ex magnis stipitibus in modum muralis sepis funditùs jactis, atq́; se connexis, aggerem posuerat*, inquit Spartianus. Nunc Severus eodem in loco, nempe ab Itunæ æstuario, ad Tinæ fluminis ostium, per milliaria circiter octoginta, vallum fecit; si murum nolis appellare. Beda paulò scrupulosior, murum fuisse negans, vallum vocat; ubi & Severi prælia varia, & gravia commemorans, ita loquitur, libro primo, capite quinto: *Severus victor civilium bellorum, quæ ei gravissima occurrerunt: in Britanniam, defectu penè omnium Sociorum trahitur. Vbi magnis, gravibusq́; præliis, sæpè gestis, receptam partem Insulæ, à cæteris indomitis gentibus, non muro (ut quidam æstimant) sed vallo distinguendam putavit. murus enim de lapidibus: vallum verò (quo ad repellendam vim hostium castra muniuntur) fit de cespitibus: quibus circumcisis è terra, velut murus extruitur, altus super terram: ita ut in ante sit fossa, de qua levati sunt cespites, supra quam sudes de lignis fortissimis præfiguntur. Itaque Severus magnam fossam, firmissimumq́; vallum, crebris insuper turribus communitum, à mari ad mare duxit.* Ita Beda.

Beda l. 1. c. 12.

Spartia. in Hadriano c. 11.

Beda l. 1. c. 5.

VI. MURI PER SEVERUM

Sed & ante Bedam, Paulus Orosius disertè affirmat vallum fuisse, & addit per centum triginta duo millia passuum à mari, ad mare ductum. Quam tamen longitudinem Beda, qui cætera exscripsit, meritò omisit. nam natus propè

Orosius l. 7. c. 17.

vallum,

DUCTI LONGITUDO.

vallum, ad Girwicum oppidum vulgò Jarrowe, ignorare non potuit, Insulam eo loco non tantum patere. Igitur Authores aliqui centenarium numerum, in Orosii locum vitio irrepsisse putant, & numeralem literam C. omittentea legunt tantum triginta duo millia passuum: ducti illa Eutropii sententiâ, ubi scribit: *Severus novissimum bellum in Britanniâ habuit: utq; receptas provincias securitate muniret, vallum per triginta tria millia passuum à mari, ad mare deduxit.* Ita legunt vulgata exemplaria: sed Fuldensis Codex, centenariam notam præponit, ut advertit Fredericus Silburgius in notis ad Eutropium. Eam notam præfigit Hieronymi Chronicon, & Aurelius Cassiodorus in Fastis Consularibus: denique Joannes Sarisburiensis, qui non centum triginta duo millia, sed centum viginti duo legisse videtur in Orosio quem citat sequiturque. Verùm situa loci, litem dirimit: cumque centum millia passuum à mari ad mare numerari non possint: quidni dicendum C. literam in dictis Authoribus, paulò rectiùs nec ita curvè ponendam, formandamque verius in L. ut quinquaginta tantummodo signet, sic enim exibunt millia passuum octoginta duo. & tot millia Spartianus suprà numeravit, cum de Hadriano Imperatore, in Britanniâ laborante, dixit: *Murum per octoginta millia passuum primus duxit. qui barbaros, Romanosq; divideret.* Hic murus, seu vallum, maximum Severiani imperii decus ab eodem Authore appellatur; & revera inter Romanorum monumenta, quæ plurima in Britannia cernuntur, censetur illustrissimum: quod & Severo BRITANNICI cognomen dedit. nam ita Spartianus: *Severus Britanniam, quod maximum imperii ejus decus est, muro per transversam Insulam ducto, utrimque ad finem Oceani munivit: Unde etiam BRITANNICI nomen accepit.* Enimvero ambitio hujus nominis, ex urbe, senem, & ægrum pedibus traxit in Britanniam. Unde scriptia ad Senatum literia, expositisque victoris, Britannos nempè ad pacem coactos: Severo honores decreti, & cognomentum Britannici. Hoc cusa numismata testantur: & ecce unum in quo Severi effigies, BRITANNICA VICTORIA, & BRITANNICI cognomen abundé probant, Severi hostem in Septentrione non alium quàm Britannum fuisse.

Eutrop. l. 8.

Hieron. in Chronico Cassiod. in Fastis Sarisberien. l. 8. c. 19.

V. an. 123. 4. *Spartian in Hadria c. 11.*

Spart. in Severo c. 18.

Nummus X. apud Camd.



VII Interim Romani per Insulam sparsi: Severo, qui provinciam pacaverat fausta precantur. & Publius Saltienus secundæ Legionis præfectus quæ in Silurum agro vigilabat, votivam tabulam hoc anno erexit, ut ascripti Consules, Pompeianus & Lollianus, licet mutilo aliquantum nomine, testantur. Sed militea ab urbe remoti, & Consulum quotannis mutatio, peccandi in nomine causa fuerunt. Inscriptio autem est hujusmodi:

PRO SALVTE
AVGG. N.N.
SEVERI ET ANTO-
NINI. ET † GETÆ CÆS.
P. SALTIENVS P. F. MÆ-
CIA THALAMVS HADRI.
PRÆF. LEG. II. AVG.
C. VAMPEIANO ET
LVCILIANO

VOTIVA TABULA PRO SEVERI SALUTE.

† Getæ nomen erasum, vide causam infrà an. 214. 2.

Refert hanc tabulam Camdenus; aitque nuper inventam in Monumetensi agro apud Iscam Legionis, urbem Romanorum tempore nobilem; quæ à Legione secundâ, cujus mentio in Epigraphe, vel Legio secunda, vel Britannica, & Augusta dicebatur. Augustus enim Legionem illam instituerat olim, & Claudius, ut * suprà dixi, è Germaniâ, sub auspiciis Vespasiani in Britanniam deduxerat, & ad Iscam fluvium, premendis Siluribus opportunam collocaverat, Meminit Dio hujua Legionia, enumerans Legiones, quæ Severi Imperatoris, & suo tempore, Romani Imperii limites muniebant. Et ait. è viginti tribus, vel viginti quinque Legionibus, quas Augustus instituit; *Nostro tempore, solum novemdecim restant: nempe secunda Legio Augusta, cujus in superiori Britanniâ sunt hiberna,* &c. *Sexta dua: una in inferiori Britanniâ Victrix: altera in Iudeos,* &c. *Vigesima Valeriana & Victrix in Britanniâ superiori versantes.* Tres itaque Romanorum Legiones Britanniam premebant: & premebant adeo, ut Christianam fidem non sinerent eminere. nam quàm quærebant lucem Romani, factaque sua efferri: tam Christiani latere, & humili loco esse, cupiverunt. Hinc plura visuntur, Romanorum & impietatis, quàm Christianorum & fidei monumenta. Romano milite omnia demoliente, & sua tantummodo trophæa propalante. Sic Dianæ templum, quod Lucius aliquando destruxerat: Secunda Legio ad Iscam, & Titus Flavius Posthumius, veteranus cohortis sub hæc tempora restituunt, ut legere est in eruto nuper lapide, qui sic inscribitur.

Camden. in Silure.

LEGIO SECUNDA AD ISCAM, ET ALIÆ DUÆ PER BRITANNIAM.

* V. an. 185. 17.

Dio l. 55.

T. FLAV. POSTVMIVS VARVS
V. C. LEG. TEMPL. DIANÆ
RESTITVIT.

VIII. Sed tempus murum repetendi, & laborantem ibi Romanum militem. Solebat enim Severus Imperator operas invisere, laudare industriam, & in multa sæcula laudem promittere. Inde cum rediret aliquando; quasi sibi congratulans magni præclarique facinoris felicitatem: cogitare cœpit, eò quòd primum omen occurreret: unde beatitatem sibi polliceri posset. Et dum fausta sibi blandiendo promittit; sensit adversum potiùs, quàm secundum numen. Ita illud refert Spartianus: *Severus post murum, apud Vallum missum in Britanniâ: cum ad proximam mansionem rediret; non solùm victor, sed etiam in æternum pace fundatâ: volvens animo quid ominis sibi occurreret: Æthiops quidam è numero militari, clara inter scurras fama, & celebratorum semper jocorum; cum coronâ è cupresso factâ, eidem occurrit. Quem cum*

INFAUSTA OMINA SEVERO OCCURRUNT. MORTIS PRÆNUNTIA.

Spartia. in Severo c. 22.

ille iratus removeri ab oculis jussisset: & coloris ejus tactm omine, & corona, dixisse illi dicitur joci causa: Totum fuisti: Totum vicisti: jam Deus esto Victor. Accepit Imperator omen adversi numinis: crevitque metus, cum Eboracensem urbem ingressus, sacrificioque admotus; iterum infausto colore hostiæ maculantur. nam ita prosequitur Spartianus: *In civitatem veniens, cum rem divinam vellet facere: primùm ad Bellonæ templum ductus est, errore aruspicis rustici. Deinde hostiæ fuscæ sunt applicitæ. Quod cum esset aspernatus, atque ad palatium se reciperet; negligentia ministrorum, nigræ hostiæ, usque ad limen domus palatinæ Imperatorem sequutæ sunt.* Hæc fuere mortis præsagia, brevi sequuturæ.

Idem suprà.

ANNUS URBIS CONDITÆ 963.

ANNUS CHRISTI 212.

ZEPHIRINI PAPÆ 10.

SEVERI IMP. 18.

I. ANNUS qui sequitur ducentesimus duodecimus, Faustinum & Rufinianum Consules habuit: quando Severus sedem imperii Eboraci figens, Legem Cæciliæ de jure querenti dictavit in hunc modum. *Etiam per alienum servum, bona fide possessum, ex re ejus qui eum possidet, vel ex operis servi, acquiri dominium vel obligationem placuit. Quare si tu quoque, bona fide possedisti eundem servum: & ex nummis tuis, mancipia eo tempore comparavit: potes secundum juris formam, uti defensionibus tuis. Mancipium autem alienum, mala fide possidenti, nihil potest acquirere. Sed qui tenet, non tantum ipsum, sed etiam operas ejus, nec non ancillarum partus, & animalium fœtus, reddere cogitur. PP. III. Nonas Maii Eboraci Faustino & Rufo Coss.* Ita Cassiodori quoque Chronicon Consules vocat. In hunc modum Severus & Antoninus Augusti, de jure consulò, ex Eboracensi urbe rescripserunt. *Nam hoc tempore*, inquit Forcatulus, *Eboraci prætorium, sive tribunal fuit, vel eo nomine felicissimum, quod Æmilium Paulum Papinianum, juris ac legum oraculum habuerit*, ut refert Vitus in notis ad librum quintum.

Cod. l. 3. titulo 32. de rei vendic. l. 1.

Apud R. Vitum in notis ad l. 5.

II. Ad hunc eundem annum, & Eboracensem urbem, referunt aliqui Fulgentii Ducis mortem, quam in certamine contra Severum, è vulnere contraxisse dicitur. *Fulgentius*, inquit Pitsius, *in prælio contra Septimium Severum letaliter vulneratus, apud Eboracum mortuus, & sepultus est anno salutis humanæ ducentesimo duodecimo.* Sed incerta sunt, quæ de Fulgentio à recentioribus afferuntur: & illud imprimis, quod Martiæ Severi Imperatoris primæ conjugis, frater, & Antonini Caracalli avunculus fuerit. Iidem enim Authores Severum à Fulgentio occisum, aliaque referunt, ad ornandam potiùs fabulam quàm historiam, quæ reverà hujuscemodi narrationibus deturpatur. Quis enim credet, Severum è Regio Britannorum sanguine natum, verum ac legitimum Britannici regni hæredem; non pro Romano Imperio, sed suo in Britanniam pugnasse? Cum Spartianus, ita Severi vitam, & incunabula ordiatur: *Interfecto Didio Iuliano, Severus Africa oriundus, imperium obtinuit. Cui civitas Leptis, Pater Geta, majores, equites Romani, ante civitatem omnibus datam. Mater Fulvia Pia, patruus Marcus Agrippa, & Severus Consulares. Avus maternus, Macer: paternus, Fulvius Pius fuerunt.* nulla hic Britannici Regiique sanguinis mentio. Sufficisset ad Insulæ gloriam, primam Severi conjugem, Martiam nomine, Britannam fuisse, aut inde saltem oriundam: quod aliqui constanter satis affirmant; fortè quia Severus eam Lugduni in Gallia duxit: & Gallia nobis, quàm Africa vicinior. Libenter certis insisto: Antiqui qui Severi patriam, genus, parentes, conjuges, & minutiora de illo referunt, supini admodum fuissent, si Regium ejus sanguinem, & Insulæ principatum, ei debitum jure natalium, silentio texissent. Ego sanè non audeo illis tantam inscitiæ, aut oscitantiæ ootam inurere.

Pitsius in Fulgentio.

De Fulgentio figmenta briiciuntur.

Broughton cent 3 c. 5. §. 3.

Ut etiam de Severo legitimo Britanniæ hærede.

Spartian. in Severo c. 1.

Severi patria, et parentes.

De Martia prima Severi coniuge.

III. Cum prosperè Romanorum res in Britannia succederent, & Severus provinciæ pacem feliciter redemisset. Antoninus, major natu filius, paternam felicitatem, immani crimine turbavit. Nam patrem è medio tollere, clandestinis primùm consiliis, mox aperto non semel scelere aggressus est, pellectâ etiam in criminis societatem, Juliâ, Severi patris conjuge. De quo ita ad hunc annum Baronius. *Severus Imperator, qui hactenus ob adeptum imperium, & tot gentes debellatas, felicissimus habebatur: in filiis se esse omnium miserrimum expertus est. Ab Antonino enim sæpè occidi tentatus, beneficio amicorum est à nece subductus.* Dixi suprà quid Severo ad fœdus sanciendum pergenti acciderit; nunc quid post evenerit, ex Herodiano accipe. *Interea Severum jam senio confectum, longior invasit morbus: sic ut ipse domi residere, atque Antoninum mittere in bellum, ad Imperatoris obeunda munera cogeretur. Cæterùm Antoninus, haud magnoperè de barbaris sollicitus; exercitum sibi adjungere, & confirmare universos tendebat; uti se unum intuerentur; soli sibi imperium vindicans, ac germano obtrectans. Quin longior quoque patris valetudo, ac mortis mora diuturnior, anxium videlicet adolescentem habebant: sic ut medicis, ministrisq́; subinde conaretur persuadere, senem ut è medio quamprimùm quoquomodò tollerent.* Ita ille. Antopini consilia, & machinationes Severum non latebant: Qui quantumvis æger pedibus; mente tamen, consilioque valebat. Et gnarus, aliquos ita filio adhærere, ut illum solum Imperatorem & Augustum colerent; statuit in illos saltem animadvertere. *Tolli se* (scribit Spartianus) *atque in tribunal ferri jussit. adesse deinde omnes tribunos, centuriones, Duces, & cohortes: quibus Authoribus id acciderat. Sisti deinde filium, qui Augusti nomen acceperat. Cumq́; animadverti in omnes Authores facti, præter filium, juberet: rogareturq́; omnibus ante tribunal prostratis, caput manu contingens, ait: Tandem sentitis caput imperare, non pedes.*

Severum Antoninus filius conatur occidere.

Baron. hic.

Herodian. l. 3.

Spartian. in Severo c. 18.

IV. Dum hæc Eboraci, à Romanis, fiunt; & miles in urbem illam cogitur: Caledonii occasione usi, & oihil reveriti pactorum fidem; in Romanorum fines irrumpunt. Quod pessimè Severum habuit; oon tam pedum ægritudine, quàm filiorum morbo laborantem. Quid inde factum narret Dio. *Post hæc*, inquit, *facta est iterum defectio Britannorum. Quamobrem Severus, convocatis militibus jussit, ut regionem illorum invaderent. Atque omnes quibus occurrissent, interficerent: idq́; præcepit his versibus:*

Nemo manus fugiat vestras, cædemq́; cruentam,
Non fœtus gravida mater, quem gestat in alvo
Horrendam effugiat cædem.

Caledonii rupto fœdere Romanos vexant.

Dio l. 76.

Quo

Quo facto: quòd Caledonii cum Maatis defecerant; comparabat se, ut ipsemet bellum illic gereret. Hæc Dio. Verùm mors, quæ sequente anno insequuta est, bellum distulit, iratamque Severi manum continuit.

ANNUS URBIS CONDITÆ 964.
ANNUS CHRISTI 213.
ZEPHIRINI PAP. 11.
ANTONINI ET GETÆ IMPP. 1.

I. ANNO Christi ducentesimo decimo tertio, Gentiano, Bassoque Consulibus, fata ultima Severum urgebant: & Antoninus filius tristissima expectatione præstolabatur imperium: cum tandem Severus, *mærore magis, quàm morbo consumptus, vitaq; defunctus est.* Tempus, locumque mortis Spartianus ita explicat: *Periit Severus Eboraci in Britanniâ, subactis gentibus, quæ Britanniæ videbantur infestæ, anno imperii decimo octavo.* Sed aliqua mortem præcedentia relegamus. Paulò priùs quàm naturæ concederet, cùm moriendum sibi esse constaret: *Fortunam Regiam, quæ Principes comitari solebat, poniq; in cubiculo,* (ita Spartianus) *geminare statuerat: ut sacratissimum simulacrum, utrique relinqueret filiorum: Sed cum se videret perurgeri sub horam mortis, jussisse fertur: ut alternis diebus, apud filios Imperatores, Fortuna in cubiculis poneretur.* Ultima morientis Severi vox hæc fuit: *Turbatam Remp. ubique accepi: pacatam etiam Britannis relinquo. Senex & pedibus æger, firmum imperium Antoninis meis relinquens, si boni erunt; imbecillum, si mali. Jussit deinde* (prosequitur Spartianus) *signum Tribuno dari, LABOREMUS; quia Pertinax quando in imperium ascitus est, signum dederat, MILITEMUS.* Hæc ultima Severi vitam clauserunt. Unde non in campo, aut in Fulgentium pugnans, occiditur: sed Eboraci in suo Prætorio morbo extinctus, moritur. Quod non solùm P. Orosius & Beda disertè affirmant: sed Dio, Herodianus, & Spartianus, qui Severiano sæculo vixerunt. Eutropius etiam ἐτελεύτησεν πρεσβύτης, senex vitam finivit. Victor etiam in Cæsaribus, ita loquitur: *Britannia municipio, cui Eboraci nomen, annis regni duodeviginti, morbo extinctus est.* His ego potiùs quàm Godefrido Monumetensi assentior: qui fabulis ubique scabens, & historiam vitians, incautos aliquot traxit in errorem.

Herodian. l. 3.

SEVERUS IMPERATOR MORITUR.

Spartian. in Severo c. 23

Apud Spart. suprà.

Orosius l. 7. c. 17.

Beda l. 1. c. 5.

Eutro. l. 8.

Victor in Cæsari.

II. Ut aliqui Romanorum acta, quo patriæ blandiantur, nimiùm premunt: ita contra Authores aliqui, nimiùm, opinor, eadem efferunt, fucoque ornant. Illi nimirum, qui Severum, omnem in Britannia hostem vicisse, totaque Insula potitum dixerunt: quod cum sale legendum. Pitsius de Antiquitate Ecclesiæ Britannicæ scribens hæc habet: *Insula tota jugum Romanorum nunquam suscepit, usque ad postremos Severi Afri annos: qui toto regno, in Romanorum potestatem redacto; brevi post tempore, ibidem apud Eboracum mortuus, & sepultus est, anno post Christum natum ducentesimo decimo sexto.* Ubique auxesis est: & annus mortis, & sepulturæ locus, malè consignantur. quodque his majus est: non est Severus omni Insula potitus. Herodiani locus, quem suprà exposui, vel potius Politiani interpretis commentarius, Pitsium aliosque fefellit. Fortè, quia Severus, sub finem vitæ, Britanniæ intima, & ultima penetravit: opinati sunt aliqui omnem Insulam penes Romanos fuisse: Sed aliud est fugare hostem, ejus agrum irrumpere, provinciam flamma ferroque vastare: aliud provinciam illam, Romanam facere. Primum Severus hac expeditione perfecit: ut Herodianus, Dioque testantur. & aliud nihil. nihil inquam nunc, quod non prius, Romano imperio acquisitum. Hujus rei, muri extructio, immortale argumentum est; & planè significat, nihil ultra murum, Romanæ potestatis, jurisve dictionis fuisse. Unde omnis Mæatarum ager, & Caledonia universa, Severi cessione; ex pactorum fide, Caledoniis, Mæatisque remissa. Sed nec Antoninus, qui nuper à parente jussus est, armata manu, hostilem provinciam invadere, Romanæ Urbis pomærium ampliavit. nam teste Herodiano: *Antoninus, cognito parum sibi tem adversus exercitum procedere: ictto cum barbaris fœdere, dataq; pace, & obsidibus acceptis; decedens illinc, ad matrem germanumq; festinat.* Severi ergo laus illa, & sola est; quod *receptam Insulæ partem*, quam Caledonii nuper invaserant, ab eisdem distinxerit. cæterùm eos (quos Authores suprà *indomitas gentes* vocant) ad Romanæ servitutis jugum inflectere non potuit.

Pits. de Antiq. Eccl. Britan. in scriptor.

V. an. 199. §. 4.

NIHIL ROMANO IMPERIO ACQUISITUM.

Herodia. l. 3.

III. Quod suprà dictum, de loco sepulturæ, constat Eboracum non fuisse. nam licet ibi mortuus, & mortui corpus, igni traditum, ibidem in cineres solutum sit. Cineres tamen aliò deportati, ut mox dicemus; nam prius de Severi filiis & Imperii successoribus dicendum. Duo erant, non uterini, sed ab alia & alia matre, filii, Bassianus & Geta, Bassianus, novo & adoptato cognomine Antoninus, & à militari veste Caracallus: hic patre mortuo: sive quod natu major, sive quod Martiâ genitus (quam Britannam fœminam R. Vitus, & nostrates aliqui vocant) ambitiosè satis, solus imperare conatus est. Unde Duces exercitus magnis muneribus, & majoribus promissis adhortatur & urget, sibi uni rei summam permittant. minas addit, & supplicia; occisis medicis, qui jussi non acceleraverant parentis mortem. sed & plures alios, votis suis ambitionique contrarios, è medio sustulit. nec ita tamen imperium, ut optabat, consequutus. nam communi exercitus suffragio, Geta frater, Augustus quoque à milite salutatur. Bassianus ut advertit, in Britanniâ, consilia minus è voto succedere: statuit pietatis specie, cum Severi cineribus, Romam pergere, ratus in itinere tantoque terrarum tractu, aptiorem insidiis, tollendoque fratri, locum fore. Ne autem bellum à tergo relinqueret; aut turbatam à morte parentis provinciam: cum Mæatis & Caledoniis, indomitis gentibus, fœdus init, datis utrinque acceptisque obsidibus. Sic Britannia, hoc anno ducentesimo decimo tertio, duos simul Imperatores habuit, Antoninum & Getam.

SEVERUS UBI SEPULTUS?

UT SEVERO A MORTE SUCCESSUM.

ANTONINUS ET GETA SIMUL IMPERANT.

IV. Omisissem ego hanc Insulæ laudem, nisi Justus Lipsius, oculatus vir in Romanâ historiâ, Panegyrici mentem, & verba premendo, Britanniæ Constantini natales detraxisset. Cum enim Orator magnis laudibus Britanniam extulisset, ob ortum M. Constantini: Lipsius, Livincius, & eos sequuti, non alium quàm imperii ortum volunt intelligi. Quod quia animus est, infrà pluribus refellere: hic solùm adverto, inconcinnè Panegyricum Britanniam vocare *Omnibus beatiorem terris*;

PANEGYRICI MENS DE CONSTANTINI NATALIBUS EXPENDITUR.

quòd unum Constantinum Cæsarem prima viderit: cum eadem, hoc anno, duos simul Augustos & Imperatores viderit, Antoninum & Getam. Quam nemo tamen, aut foris, propterea laudavit, aut domi idcircò gloriatus est. Alium itaque Constantini ortum, & solidiorem Insulæ laudem, ex illo Constantini ortu, inferiùs suo loco deducam: nimirum quod Helenam Augustam, lectissimam Heroinam, post annos triginta tres; & Magnum inde Constantinum, maxima Britanniæ ornamenta ediderit. Unde revera, non umbraticè, laudari Insula, & cæteris per orbem provinciis beatior dici opportunius potuit. Interim reviso fratres duos, in una Imperii sede non benè collocatos, sed immanè inter se, ad interitum usque dissidentes. Nec opus dissidii causas operosè quærere: aut aliquam fingere: ut Godefridus finxisse videtur, cum ait: *Reliquit Severus Imperator duos filios Bassianum & Getam, quorum unus, Geta, matre Romana genitus erat: Alter vero Bassianus, matre Britannica. Defuncto igitur Eboraci patre ipsorum; Romani Getam, quod utroque parente Romanus erat, fecerunt Regem. Britanni autem Bassianum elegerunt; quia materno sanguine conjunctus ipsis fuerat: Proinde fratres odium inter se habuerunt. quo Geta interficitur, & Bassianus regno potitur.*

Godefrid. l. 2. c. 2.

DISSIDII INTER EOS CAUSA FINGITUR.

V. REFELLITUR GODEFRIDI COMMENTUM.

Hæc historiæ carcinomata, & traxerunt aliquos ad fidem fabulis dandam, ornandamque spartam, quam errore nacti essent. Hic Geta Romana matre, addo, & Romano patre, nova & antiquis inaudita nativitate nascitur: & eâdem, opinor, fide, Bassianus, Britannâ fœminâ. Quis credet, Godefridum in Bassiano, rem acu tetigisse: qui in fratre Geta turpiter hallucinatur? Severum non Romanum, sed Afrum suprà dixi, & historici passim affirmant. Juliam, alteram Getæ parentem, natione Syram, è Syriâ Severo conjunctam, ita narrat Spartianus: *Cum Severus, amissâ uxore (Martiâ) aliam vellet ducere: genituras sponsarum requirebat: ipse quoque Matheseos peritissimus: Et cum audisset, esse in Syria, quandam, quæ id genitura haberet, ut Regi jungeretur; eandem uxorem petiit, Iuliam scilicet: & accepit, interventu amicorum. ex qua statim pater factus est.* En Syram, Getæ matrem: & Afrum, patrem: Godefridus tamen, Getam utroque parente Romanum finxit. Et vereor ne, eâdem imo majore licentiâ, Martiam, Britannam fœminam, sine teste, vocet. Qui enim calamum, frontemque contra expressam, de Syrâ fœminâ mentionem, obfirmavit: liberiùs, nemine antiquorum contradicente, Britannam asserere potuit. Sed de utraque Severi conjuge, rursum anno sequenti. ubi Julia, materna in Bassianum æquè ac Getam viscera aperiet. nunc uterque Augustus in urbem festinat; eoque in suis cineribus parentem deducit. Ubi, quibus cærimoniis, mortuum Imperatorem, de Rep. benè meritum, Romanorum potiùs, quàm filiorum pietate, inter Divos relatus sit, ideo describam: quia Christianum etiam sepeliendi morem, paulò post exponere necessum erit. Itaque Antoninos & Geta, *pari honore* (inquit Herodianus) *imperium gerentes solverunt è Britannia: Romamque, cum patris reliquiis contendebant. nam corpusculo ignibus tradito, cinerem ipsum cum odoribus, in vasculum alabastri conjectum, Romam referebant: ut videlicet in sacris Principum monumentis componeretur. Ipsi exercitum deportantes, victoresque jam Britannia, in adversam*

Spartian. in Severo c. 3.

Herodian. l. 3.

IMPERATORES E BRITANNIA SOLVUNT.

Galliam, emenso Oceano pervenerunt. Ita Author.

VI. BRITANNI ILLOS COMITANTUR. INTER EOS AMPHIBALUS.

Sequuti sunt hos Imperatores in urbem (nil dubio) Britannorum aliqui, vel honoris, vel comitatus, vel peregrinandi studio. Unus instar omnium nominatur, juvenis Amphibalus, ab Isca Legionum, urbe celebri Monumetensis agri. Ille nimirum, futurus aliquando Albani Doctor, & Collega martyrii, qui Diocletiani tempore, Britannorum Fidem testabitur, morte constantissimâ. Quoniam verè sanctorum virorum initia, ac vitæ rudimenta, Annalibus inseri digna sunt. Accipe quod de juvene Amphibalo tradunt Authores. *A teneris annis* (inquit Pitsius) *in bonis literis educatus; simulque in Christianâ religione institutus in Britanniâ, græcas & latinas literas, & eloquentiam juvenis didicit. Deinde Romam ad altiora studia se contulit ubi se totum dedit sacrarum literarum studiis, usque ad initium persecutionis Diocletiani.* Verùm quod attinet ad diuturnam Romæ moram: non de primâ, sed alterâ in urbem profectione vellem intelligi. Porrò eum hoc anno Imperatores in urbem sequutum, Zephirinum Papam audivisse, Christianæ legis interpretem, testatur Martyrologium nostrum: ubi additur: auctum Sacerdotio ab eodem Pontifice, remissum esse in Britanniam. Boëthius etiam & Balæus, Monæ Episcopum faciunt. Sed hæc posteriùs: nam juvenis adhuc formari debet ad illam palæstram. Interim spectemus novos Imperatores, Romam ingressos, Romanorum applausu excipi. de quo Herodianus.

Pitsius in Amphib.

Martyrol. Anglican. 25. Iunii.

VII. *Herodian. l. 3.*

IMPERATORES ROMAM INGRESSI SALUTANTUR.

Postquam in urbem perventum, populus eos universus laureatus excepit, & Senatus consalutavit. Præibant igitur Principes ipsi, cum purpurâ Imperatoriâ: post sequebantur Consules, urnam cum Severi reliquiis gestantes. Qui autem novos Imperatores consalutaverant; progressi deinde, Urnam quoque ipsam supplices adorabant. Ita comitati magna pompa composuerunt ipsum in templo; ubi Marci, & superiorum Principum sacra visuntur monumenta. Re igitur divinâ, cæremoniisque de more concelebratis; uterque in Regiam discedunt; partiti inter se domum; januisque secretioribus obstructis; publicis tantum, atque atriensibus promiscuè utentes. Quin & custodes corporis, separatim sibi delegerunt; vix unquam congredientes: nisi pauxillum duntaxat, ut in publico à multitudine ipsâ conspicerentur. Sed imprimis tamen justa parenti persolverunt. Et quoniam sacris profanisque explicandis interdum ritibus soleo immorari: dicam hoc loco, de nova Severi apotheosi, & ritu Deos consecrandi: ut videat Lector, omni tempore, virtuti quantumvis adumbratæ, delatum honorem à majoribus esse. Veræ autem & Christianæ pietati, tractu sæculorum, & gravi hominum, divinoque testimonio probatæ, multo magis, deferendum. nam ea semper, apud omnes, sanctitatis atqoe virtutis opinio fuit: ut passim existimaverint homines, non debere mori eorum memoriam, quos benè beatèque actæ vitæ gloria commendasset. oon moror itaque factiosos bomines, orthodoxam Ecclesiam calumniantes, quod gentilium superstitiones æmulata, cultum mortuis hominibus induxerit. Quia qood gentiles, virtuti præmium, & honores dederint, ob dona naturæ: cur oos Christiani divinæ gratiæ dona, virtutesque supra naturam, ubi Dei digitus eminenter cernitur, non honorabimus? Severus itaque à morte, in hunc modum honoratus, à Romanis inter Divos refertur.

Mos

VIII. *Herodian. l. 4.* ROMANORUM APOTHEOSIS.

Mos est Romanis (ita narrat Herodianus) *consecrare Imperatores qui superstitibus filiis, vel successoribus, moriuntur. Quiq; eo sunt honore affecti, relati dicuntur inter Divos. Est autem tota urbe, quasi luctus quidam festa celebritati promiscuus. Quippe functum vita corpus, ritu hominum sumptuoso funere sepeliunt: sed ceream imaginem defuncto quam simillimam fingunt; eamq; in regia vestibulo proponunt, supra eburneum lectum maximum atque sublimem, vestibus instratum aureis. Et quidem imago illa ad ægroti speciem pallida, recumbit. Circa lectum verò utrinque, magnam partem diei sedent; à levâ quidem Senatus omnis, vestibus atris amictus: à dextrâ autem matronæ, quas virorum, aut parentum dignitas honestat. Harumq; nulla, vel aurum gestans, vel ornata monilibus conspicitur: sed vestibus albis exilibus indutæ, mærentium speciem præbent. Hæc ita per septem dies continuos faciunt: medicis ad lectum quotidie accedentibus; inspectumq; velut ægrum, deterius se habere, subinde pronuntiantibus. Deinde, ubi jam visus obiisse diem; lectum humeris attollunt equestris, Senatoriiq; ordinis nobilissimi, ac lectissimi juvenes: perq; viam sacram, in vetus forum deferunt: ubi Magistratus Romani deponere imperium consueverant. utrimque autem gradus quidam sunt, ad scalarum similitudinem exstructi in quibus altera ex parte puerorum chorus est, è nobilissimis atque Patriciis: altera fæminarum illustrium, hymnos in defunctum, pæanasq; canentium, verendo ac lamentabili carmine emodulatos. Quibus peractis tollunt iterum lectum; atque extra urbem perferunt in Campum Martium. ubi quà latissimè campus patet, suggestus quidam, specie quadrangulâ, lateribus æquis assurgit; nullâ præterquàm lignorum ingentium materiâ compactus, in tabernaculi formam. Id quidem interius est totum aridis fomitibus oppletum: extrà autem intextis auro stragulis, atque eboreis signis, variisq; picturis exornatum. Infrà verò alterum minusculum quidem positum est: sed forma & ornatu persimile, portis januisq; patentibus: tertiumq; item & quartum, semper superiore contractius: ac deinceps alia, donec ad extremum, quod est omnium brevissimum perveniatur. Possis etiam ædificii formam comparare turribus his, quæ portubus imminentes noctu, igne prælato, naves in tutas stationes dirigunt. Pharos vulgo appellant.*

IX. SEVERUS INTER DIVOS REFERTUR.

Igitur lecto in secundum tabernaculum sublato, aromata & suffimenta omnis generis, fructus, herbas, succosq; omnes odoratos conquirunt, atque acervatim effundunt. Quippe, neque gens est, neque civitas, neque qui honore aliquo aut dignitate præcellat; quin certatim pro se quisque suprema illa munera Principis honori deferant. Ubi verò ingens aromatum acervus aggestus est, ac locus omnis expletus. tum circa ædificium illud adequitant; universis Equestris Ordinis, certâ quàdam lege, ac recursu, motuq; pyrrichio, numeroq; in orbem decurrentibus. Currus item circumaguntur, insessi purpuratis rectoribus, qui personas ferant Ducum omnium Romanorum, Principumq; illustrium. Quæ ubi celebrata sunt; facem capit Imperii successor, eamq; tabernaculo admovet. Tum cæteri omnes undique ignem subjiciunt; cunctaq; ilico fomitibus illis aridis, odoramentisq; referta, igni valido corripiuntur. mox ab extremo minimoq; tabernaculo, tanquam è fastigio quodam, simul cum subjecto igni, Aquila dimittitur: quæ in cælum creditur ipsam Principis animam deferre. Ac jam ex illo, unà cum cæteris numinibus Imperator colitur. Hactenus de Severi & Romanorum more Herodianus. quæ statim in Christianum sepeliendi modum commutabo. Quia post unum alterumve annum, Donaldus in Septentrione nostro, vir Princeps, moritur; & ut moderni Scriptores affirmant, *Christiano more, sine ullis ethnicorum cæremoniis sepelitur.* Quem ego morem ibi explorabo. *V. an. 216. n. 4.*

ANNUS URBIS CONDITÆ 965.

ANNUS CHRISTI 214.

ZEPHIRNI PAPÆ 12.

ANTONINI ET GETÆ IMPP. 2.

I. IMPERATOR UTERQUE BRITANNICI COGNOMEN ACCIPIUNT.

SEQUITUR Christi annus ducentesimus decimus quartus, Asperis duobus Consulibus. Cum Senatus populusque Romanus, inter alia salutationum elogia, Britanniam à novis Imperatoribus domitam proclamassent, hoc anno, utrique, ob devictos Britannos, BRITANNICI cognomen, è Senatusconsulto inditum est: ut nummi eodem anno cusi testantur. Ecce unum Antonini Caracalli nomine insignem

Nummus VIII.



Nummi inscriptio ita legenda. M. Aurelius Antoninus Pius Augustus, Britannicus. Ex alia facie: Victoria: Pontifex Maximus: Tribunitiæ potestatis XIV. Consul III. Pater Patriæ. E tribunitiæ potestatis numero, colligit Camdenus, Antoninum insignem de Britannis Victoriam, anno Christi ducentesimo decimo quarto, consequutum esse. Et reverà quod ad tempus spectat, Tribunitia potestas XIV. in hunc annum cadit: quia anno Christi ducentesimo, Antoninus à patre Augustus, appellatus, Tribunitia quoque potestate auctus est, ut dictum ibi. Verum inspectâ rerum ab Antonino gestarum serie; Romæ hoc anno fuit nec in Britanniâ pugnavit: & Victoria, cujus in nummo est mentio, Severi auspiciis virtutique debetur; qui re feliciter gestâ, filios, ut imperii, sic honorum & titulorum reliquit hæredes. Trophæum illud quod in nummo legitur; arma, inquam, & truncum corpus, quercui impositum, spolia significant, militari manu à Caledoniis detracta. Qui si nudi pugnaverunt, opima esse non poterant: Romani tamen, quo militem simul & Imperatorem efferrent: devictæ quodammodo Insulæ, & sub jugum missæ decus, Severi filiis libenter concessere. & simul victorum insignia, quæ olim Virgilius ita descripsit:

Ingentem quercum decisis undique ramis,
Constituit tumulo, fulgentiaq; induit arma:
Mezenti Ducis exuvias: tibi magne trophæum
Bellipotens: aptat rorantes sanguine cristas
Telaq; trunca viri.

II. Getæ monumentum.

Eodem modo Romani cives Getæ gratulati, nummos ejus nomine & effigie insignes, cum Britannici cognomine, & Victoria cuderunt: ut videre est in subjectâ figurâ

Nummus XL. apud Camden. fol. 94.



Occiditur ab Antonino.

Verùm Geta non diu ad Victoriæ gloriam superfuit. nam Antoninus cum Imperium dividi ægerrimè ferret: noluit fratrem diutius regnare: sed ipsum hoc anno in gremio matris occidit, natum annos duos & viginti: causatus, ut fit, id à se factum: quia tutò sibi esse, & procul à periculis, eo vivo, non licebat. Habet suos fucos ambitio, & videri in propriâ specie, crimina erubescunt. Adjecit parricidio immane odium. nam Getæ amicos, & fautores, eosque inter, Papinianum, interfecit. Jussit etiam eradi, & obliterari Getæ nomen, ubicumque sive in nummis, sive titulis occurreret: idque pœnâ negligentibus inflictâ. de quâ Dio: *Si quis vel solum nomen Geta scripsisset, aut pronuntiasset; statim morte multabatur: adeo ut ne poëta quoque in Comœdiis eo nomine deinceps uterentur.* Britannia videtur Antonino paruisse, ut incisi lapides argumento sunt, Antonini nomen habentes, Getæ nomine eraso, è quibus unum suprà posui ad annum ducentesimum undecimum. Hoc facto Antoninus, cum multa largitione militem corrupisset, dixissetque: *Imperium Iupiter, sicut ipse inter Deos solus possidet. Ita etiam uni tantum mortalium adjudicat:* solus imperavit; vel potiùs, Romanum solus fœdavit imperium.

Dio l. 77.

V. an. 211. 7.

Herodian. l. 4.

III. Antonini patria.

Miratus sum aliquando cur Historici, nullo antiquorum suffragio, Antoninum, Britannâ matre natum, tantopere contendant. Enimvero si talis vita moribusque fuisset: ut meritò pro eo pugnandum foret; laudarem eorum pietatem & industriam, qui ornandæ illustrandæque patriæ studuerunt. Verùm cum fraudibus, homicidiis, parricidiis, & infinito scelere, imperium sumpserit, sibique dein firmaverit: mallem alios pro Antonino contendere. Cæterùm quod ad matrem ejus attinet: Aurelius Victor in Epitome, & iterum in Cæsaribus, Juliam, novercam ejus vocat. Spartianus etiam Severum bis maritum vocat, & priorem conjugem Martiam; alteram Juliam nominat. quam cum Severus duxisset, quod id genituræ haberet, ut Regi jungeretur: addit Spartianus, *Ex quâ statim Pater factus est.* Unde suspicari quis possit; nullam ei à priore conjuge susceptam prolem. & Antoninum non è Martiâ, sed è Juliâ natum. Sed quia idem Author paulò inferiùs, disertè affirmat Antoninum è priore matrimonio; Getam è Julia genitum. & iterum dicit Antoninum, novercam duxisse uxorem; satis probabiliter loquutos puto, qui duobus Severi filiis, duas matres assignarunt. *Qui tamen Dionem & Herodianum, non audita, ut Victor, & Spartianus, sed sui temporis gesta narrantes legunt; meritò mirari poterunt, Juliam ab eis matrem Antonini semper vocari; nulla Martiæ, nulla novercæ, mentione. Sanè quod Herodianus scribit de studio, conatuque Juliæ pro fratrum concordia; jure suadere potest, utrique parentem fuisse. Sic enim ille: *Cum diu frustra mater discordantes inter se germanos, redigere in gratiam studeret; visum aliquando ambobus est, imperium inter se dividere: ne Romæ agitantes; alter alterius essent insidiis opportuni. Quare convocatis paternis amicis, coram ipsa Matre, de imperio dividendo disceptabant. Sic ut Europa omnis Antonino: tellus autem adversa, quæ omnis Asia appellatur, Getæ adjudicaretur. Ita enim divinâ quadam providentiâ, utramque continentem, Propontidis incursu disterminari.* &c. *Hæc dum illi agitarent; reliquis omnibus mœsto vultu terram intuentibus; ita Iulia loquuta est. Terram quidem, & mare, ô filii! jam invenistis, quo pacto dividatis: & continentem utramque, ut dicitis, Ponticis discriminant fluctus: Matrem verò, quonam modo dividetis? Quonam modo infelix ego distribuar inter utrumque vestrum, aut dissecabor? Memet primum occidite, dimidiamque, uterque apud se partem sepeliat: ut quoque inter vos, cum mari terraque, ipsa dividar. Hæc loquuta multis cum lacrymis, ejulatuque, manus ambobus injiciens, complexa utrumque, reconciliare inter se conabatur. Quare coorta miseratione, cunctis discessere, improbato consilio, ipsique in ædes suas reversi sunt.* Hæc acta sunt hoc anno, vel sub finem præcedentis: paulò, ut videtur, ante Getæ mortem.

Julian Antonini novercam vocant Victor, et Spartianus.

Spartian. in Severo c. 9.

* Dio et Herodianus matrem.

Herodian. l. 4.

De dividendo imperio quorundam consilium.

IV.

Idem suprà.

Cum postea Antoninus in Orientem ivit: cum Julia quoque comitata est, ubi nec Alexandrini populi evasit dicteria. *Quare*, inquit Herodianus, *cum multa in Antoninum dixissent, ne dissimulata quidem fraternâ cæde: matremque etiam Iocastam vulgo appellarent*, &c. *Denique cum Antoninus occiditur: Macrinus tradito igni corpusculo, reliquias intra urnam conjectas Matri ad sepulturam remisit. Ea tunc Antiochiæ morabatur: moxque ob similes liberorum calamitates; incertum sponte, an imperio alicujus, abstinentia mortem sibi conscivit. Hunc finem habuerunt Antoninus & Iulia mater.* Hæc Author: quæ Antoninum non minùs quàm Getam, à Juliâ genitum dicere videntur. Sed fortè muliebria illa lamenta, fictæque lacrymæ, Syræ & versutissimæ fœminæ; non facilè persuadebunt, aut Victorem, aut Spartianum errasse. Ille tamen Alexandrinorum sarcasmus, quo Julia Jocasta vocatur, Antoninum filium potiùs, quàm privignum, significat. Jocasta enim, Lai Thebæorum Regis uxor, post mariti mortem, Oedipum filium suum, ignoranter tamen, matrimonio sibi copulavit. Quamobrem Errici Memmii commentarius, ad dictum Herodiani locum: *Quod scilicet, ut Iocasta Oedipo filio; ita Iulia Antonino privigno nupta esset.* minùs plenè sensum reddidit. nam si privigno tantum Julia nupsisset: argutiùs & propiùs vero, si alio fœminæ nomine, quæ eo solum modo peccasset, Julia vocaretur. Cæterum Alexandrini, *sunt homines*, inquit Herodianus, *natura dicaces, atque ad describendum illudendumque, maximè facti.*

Herodian. l. 4.

V. Dio Juliam Antonini matrem ubique vocat.

Jam verò si Dionem interrogo, qui Severum, Antoninum, & Juliam probè norat; Romæque Senator vivens, eodem tempore, cum illis familiariter egerat; augetur difficultas; quomodo Antonino Julia noverca esse possit, quam ille matrem semper, Novercam nunquam appellat.

nolo

nolo loca enumerare, ubi Julia Augusta Antonini mater audit; quia nimius essem: Duo tantum dabo, ubi cum Matris appellatione; aut intimæ cognationis, aut certè ordo originis, maternæ appellationis proprietatem insinuat. Primus ille sit, ubi Antonini fraudes, dolosque & centum fallendi vias explicans, ita concludit. *Inerat Antonino fraus, & malitia Matris, Syrorumq́, ex quâ illa orta fuerat.* Hoc de Matre propriè dicta, videtur intelligi: & Antoninum Matre Syrâ, non Britannâ, editum, innuit. Julium autem talem fuisse, è Spartiano suprà dixi. & hujus Syræ mores, Antoninum cum lacte suxisse, superior sententia significat. Alter Dionis locus est, è libro 78. inter ejus fragmenta, in vitâ Macrini; ubi hæc leguntur: *Cum audisset Iulia, quæ de ipsius filio fuissent dicta; vitæ diutiùs propagandæ studium abjecit. Cumq́, nonnihil à cancro, quem in mamillâ, longo jam tempore quiescentem, ea tunc irritavit verberibus, quibus planctu propter obitum filii (Antonini) sibimet ipsi pectus percusserat, adjuvaretur: accedente tandem mediâ, vivendi finem fecit. Illa quidem in hunc modum, è genere plebeio, in altum evecta; posteaquam imperante marito, vitam in dolore gravi, propter injurias Plantiani, exegisset; alterumq́, filiorum natu minorem in sinu suo cæsum vidisset: majorem, dum viveret, odio semper habuisset: & ita ut diximus interfectum accepisset: imperii de culmine vita dejecta; ac præterea seipsam confecit.* Denique idem Dio, cum Antoninum dixisset, Caracallum vulgò, & Tarantem appellatum: subdit. *Cæterum Iulia Tarantis mater, quæ tunc erat Antiochiæ; cognita filii cæde, ita statim affecta est; ut se graviter percuteret, ac mortem sibi consciscere conaretur.* Ita Dio, & Xiphilinus: ubi Julia semper ἡ μήτηρ; nunquam μητρυιά: Antoninus υἱὸς, καὶ υἱὸς; nonquam πρόγονος *privignus*, dicuntur. Hæc extra ordinem ideo à me allata; ut judicet Lector (ego arbitrium non interpono) utrùm Antoninus Martiâ, Britannâ fœminâ, natus sit: an Juliâ Syrâ. quam etiam Angelus Politianus, Antonini matrem vocat, in argumento libri 4. Herodiani.

Dio l. 77.

V. an. 213. 5.

Dio l. 78. fol. 899.

Dio l. 78. fol. 885.

ANNUS URBIS CONDITÆ 966.

ANNUS CHRISTI 215.

ZEPHIRINI PAPÆ 13.

ANTONINI IMP. 3.

I. CATAPHRYGARUM HÆRESIS PREMITUR, ET QUOMODO?

SEQUITUR Christi annus ducentesimus decimus quintus; Antonino Augusto quartùm, & Cœlio Balbino Consulibus: quo nobilis disceptatio, orthodoxos inter & Cataphrygas, Romæ describitur, sedente Controversiarum judice Zephirino. Cataphrygæ spiritum jactabant paraclitum, & nescio quas prophetias sequuti; illas, & alia dogmata, suo genio metiebantur: Orthodoxi contra; Ecclesiæ authoritatem, Doctorum scita, majorum suorum sensum, fidemque tuebantur. Stabat pro orthodoxis Caius: & Proclum Cataphrygarum Ducem vario argumento convicit. De eo ita Eusebius: *Confirmat itidem vir Ecclesiasticus, Caius nomine, qui Zephirini Romani Pontificis temporibus vixit: inq́, disputatione scriptis proditâ, quam cum Proclo Cataphrygarum hæresis, & opinionis patrono, habuit; eadem ipsa de locis, ubi sacra Apostolorum tabernacula locabantur, asserit. Ego, inquit, Apostolorum trophæa perspicuè possum ostendere. nam si lubet in Vaticanum proficisci, aut in viam quæ Ostiensis dicitur te conferre, trophæa eorum, qui istam Ecclesiam suo sermone, & virtute stabiliverunt, invenies.* Ita Caius hoc anno pro Romanâ Fide & Ecclesiâ stipulatus: planè docet Ecclesiam illam non solùm à Petro Apostolorum Principe fundatam; sed ad eam quoque in dubiis recurrendum. Fecit ergo Zephirinus in hac controversiâ: quod aliàs à Romanis Pontificibus fieri solitum. Doctorum virorum sententias exquirit: exquisitas examinat, Lydioque admotas lapidi probat, an Scripturæ & Traditioni conformes. Quæ spuria & adulterina, excernit. Denique cui accedendum, à quo recedendum, dictat: jubetque fideles omnes ita sentire. Ita damnavit hoc anno novas Montani prophetias, & omnes illis pertinaciter inhærentes: non Proclum, non Tertullianum veritus: quos ab Ecclesiæ consortio, suo nimiùm cerebro confidentes (quod factiosorum est vitium) separavit. Ita se Petri successorem, & omnium Ecclesiarum Patrem, præsidemque probavit. ad quem sine dubio spectat, lolia in Dominico agro succrescentia, authoritatis suæ falce resecare. nec enim juxta Clementem Alexandrinum: *Homo Dei, & fidelis Domino permanere potest; qui adversus Ecclesiasticam recalcitravit Traditionem, & in humanarum hæresum desilit opiniones.*

Euseb. l. 2. c. 24.

Clemens Alex. l. 5. stromatum

II. ANTONINUS QUOMODO, CHRISTIANO LACTE EDUCATUS?

Zephirini sententiam de falso paracleto, fictisque prophetiis, secuti aliarum Ecclesiarum Præsules: indictis passim conciliis, eandem, de more, firmaverunt. Enimvero potuerunt, hoc anno, conventus fieri, quia Antoninus Imperator, *Christiano lacte educatus* (ait Tertullianus) nullam Ecclesiis molestiam exhibebat. Hinc fortè aliqui putaverunt, Martiam Antonini matrem, à Spartiano assertam, & Christianam fuisse, & in Britanniâ natam: quæ Severo priùs juncta, quàm Augustus esset, eidem Lugduni filium peperit quem Christiano lacte educare potuit. Sed quia Martia, Antonino nato (si mater fuit) parum superfuit. Et quia Dio, aliique, Evodum nominant, Antonini educatorem: cujus conjugem Christianam fuisse colligit è Tertulliano Baronius: inde potiùs humanitatem in Christianos, blandosque in pueritia mores hausisse, probabilius est. nam ita de eo puero Spartianus. *Hujus Antonini pueritia blanda, ingeniosa, parentibus affabilis, amicis parentum jucunda, populo accepta, grata Senatus; ipsi etiam ad amorem conciliandum salutaris fuit. Non ille in literis tardus, non in benevolentiis segnis; non tenax in largitate, non lentus in clementiâ. Denique si quando feris objectos, damnatos vidit; flevit, aut oculos avertit. Quod populo plusquam amabile fuit. Septennis puer, cum collusorem suum puerum, ob Iudaicam religionem (Christianam fidem intellige cum Baronio) graviùs verberatum audisset; neque patrem suum, neque patrem pueri, vel Authores verberum diu respexit.* Hinc, Caracallo imperante, Ecclesiarum pax sequuta, & tranquillitas, adeo, ut conventus fieri, cogi concilia, de Fide disputari, & Zephirinus Pontifex potuerit explicare imperium suum.

ANTONINI PUERI MORES.

Baron. an. 213. n. 2.

Spartian in Caracallo c. 2.

ANNUS URBIS CONDITÆ 967.

ANNUS CHRISTI 216.

ZEPHIRINI PAP. 14.

ANTONINI IMP. 4.

I. Donaldus moritur.

Anno qui sequitur, ducentesimo decimo sexto, Messala & Balbino Consulibus: Scoticarum rerum Scriptores, Donaldi Principis mortem consignant. Ita Hector Boëthius, Raphael Holinshedus, & alii: qui addunt Christiano eum more, sine ullis ethnicorum cæremoniis, sepultum. Quod quia tam signanter exprimitur: & quia nuper Severi vanissimam apotheosin descripsi: lubet paululum in Donaldi sepulturâ immorari: & quærere, quidnam fieri solitum in funere Christianorum? qui ritus, quæ vota, precesque, hoc tertio sæculo? nam inde fidelium sensus, & Christiana Fides, quam imprimis cupio explorare, elucescet. Nec quæstio de illis est, qui fuso pro Christo sanguine, fidem ejus illustri argumento probaverunt: nam eos suprà honore cultuque prosecutus sum: sed de illis tantùm: quorum licet nota Fides; nullum tamen ratæ, certæque sanctitatis argumentum apparebat. nam ingens inter eos differentia. Ad Martyres, preces fundebant, eâ reverentiâ, cultuque, qui cæli cives, Angelorum socios, & immortales mentes decebat: ut in Clemente martyre, suprà vidimus: & infrà sub Diocletiano, in Emerentianâ virgine, ad Agnetis collactaneæ sepulchrum orante, videbimus. Pro aliis, Deo preces fundebantur, offerebantur sacrificia, votaque fiebant; ut anima à pœnis libera, cælo (quò nihil coinquinatum penetrat) inferatur. Utrumque paucis ostendam; quia nupera ætas, antiqui moris oblita, utrumque in dubium vocat. Priùs tamen pauca de Donaldo Principe. Quem quia Scoti officiosissimè arrogant, Regemque suum indigitant, ipsos audiamus.

V. an. 102.

II. Donaldus Christiano more sepultus.

Boethius histor. l. 5. sub finem.

Hector Boethius ita Donaldum deducit ad sepulchrum, anno ejus regni vigesimo primo: cum reverà septennio inter Caledonios principatum habuisset: Ita ergo ille: *Donaldus primus omnium Scotorum Regum, (ut in Annalibus nostris proditum est memoria) nummum argenteum aureumque signavit, unâ parte salutiferæ Crucis; alterâ sui capitis effigie expressâ. Quæ suscepta à se primum in Scotos Reges Christianæ pietatis memoriam, ad posteros propagaret. Moritur tandem religiosis & urbanis operibus clarus, vigesimo primo anno, quam Scoticarum rerum fuerat potitus: Christianoque more (Sacerdotibus qui tum Sacram rem inter Scotos tenebant, persuadentibus) in agro, Christianorum sepulturæ, multis & piis precationibus, ut fieri solet, dicato conditur.* Hæc ille: & juvat hunc morem inspicere: quænam & quorsum precationes illæ, in funere Christianorum, hoc tertio sæculo? Imprimis Martyrum corpora illis precibus non condebantur; sed honore cultuque diverso. Unde Origenes: *Rationalem animam honorare didicimus: hujus organa sepulchro honorifice demandare. non enim par fuerit, rationalis animæ domicilium, utcumque sors tulerit; quemadmodum & brutorum solemus, inhonoratum abjicere. Et illud præcipuè, quod animæ sanctioris receptaculum fuerit.* Ita ille, contra Celsum, qui aliter sentiebat: & fortè cum illis, qui nuper Sanctorum corpora, abjecerunt; stupente mundo ad eorum impietatem: qui tot patriæ argumentis docti, Sanctos colere; patriæ fidem prodiderunt. Quod si petas ab Origene: quorsum Sanctorum corpora præcipuè honoranda asserat: respondet homiliâ vigesimâ sextâ: * *Quis enim dubitat: quod Sancti quique Patrum, & orationibus nos juvent, & gestorum suorum confirment, atque hortentur exemplis.* Ad hos igitur vita functos, orationes fiebant, eorumque patrocinia religiosè implorabantur, teste Origene, hoc ipsum faciente. nam inquit: *Incipiam me genibus prosternere, & deprecari universos Sanctos; ut mihi non audenti petere Deum, propter nimietatem peccati, succurrant. O Sancti Dei, vos lacrymis & fletu, pleno dolore deprecor,* &c.

Origenes contra Celsum l. 8.

Cur Sancti a nobis honorantur?

* Origen. hom. 26.

Origen. in planctu.

III. Suffragia pro defunctis.

Cæterùm in eorum sepulturâ; qui fideles quidem, sed sine certo sanctitatis suffragio, vitâ fungebantur; preces Deo, pro eorundem animæ refrigerio, fundi sunt solitæ. Unde Purgatorii locus, necessariâ consecutione colligitur. Magnus Dionysius. caput septimum Ecclesiasticæ Hierarchiæ sic inscripsit. *De iis quæ fiunt in iis qui dormierunt. ubi inter cætera hæc habet. Convocato sacro choro, divinus Antistes; si is qui excessit è vitâ, erat ordinis Sacerdotum: cum ante sanctum Altare eum posuit, Deum precari incipit, eique agere gratias: sin autem sacris Monachis, sanctòve populo annumeratus erat, eum ad veneratione dignum chori locum collocat, ante Sacerdotum introitum: Deinde perficit sacrum solenne precationis; quâ agit Deo gratias Pontifex. Deinde Ministri promissis veris, quæ feruntur in Scripturis divinis, de nostrâ Resurrectione, recitatis sanctè canunt cantus Psalmorum, qui ejusdem rationis sunt: atque idem valent. Tum Ministrorum primus Catechumenos dimittit, sanctosque qui jam dormierunt prædicat: cum quibus pari laudatione dignum judicat eum, qui paulò ante excessit e vita, hortaturque omnes ut beatum in Christo finem petant. Tum accedens divinus Antistes et sanctissimas preces adhibet: Quibus rite perfectis: & ipse eum qui è vita migravit, salutat; & secundum eum, omnes unà qui adsunt. Cum eum omnes consalutarunt. Tum Antistes oleo mortuum perfundit, sanctaque precatione, pro omnibus adhibita, in loco honorato corpus cum aliis ejusdem ordinis sanctis corporibus reponit & condit.* Hæc omnia Dionysius. quæ si contraxeris, hunc sensum elicies. Demortui corpus, ad Ecclesiam defertur, ante altare ponitur, funduntur preces, canuntur Psalmi. Illis finitis, & dimissis Catechumenis, secretiora sacrificii mysteria peraguntur. Et ubique pro defuncto preces fiunt. Hoc ipsum sequenti sæculo fieri solitum, teste S. Augustino, dicam ibi. Si quis non putet è mente Dionysii preces fundi pro defuncto, ut ei peccata, & debitæ peccatis pœnæ remittantur; legat quæ sequuntur: ubi fusè satis contemplatur & explicat, quid sit mortuo sanctè precari, eumque salutare. *Deinde,* inquit, *accedens divinus Antistes, ipsi mortuo sanctè precatur: atque post precationem, & ipse eum salutat, & ordine omnes qui adsunt. Precibus quidem à divina benignitate contendit: ut & omnia peccata, quæ humana fragilitate imbecillitateque, admissa sunt; ei qui excessit è vita remittat: & eum in lucem & regionem vivorum, in sinum Abrahæ, Isaac, & Iacob deducat in locum, à quo fugit dolor, tristitia & gemitus.*

Dionys. de Eccl. hierar. c. 7.

Mos sepeliendi Christianos.

Dionys. supra.

IV. Objectio

Cum hæc scripsisset Dionysius, mox dubitatiunculam movit. Qui fieri possit, ut preces mortuo prosint: cum sæpè in Scriptura dicatur,

DIONYSII AB EODEM SOLUTA. *Dionyſ. ſuprà.*

recepturam à morte animam, ſecundùm ea quæ geſſit in corpore, ſive benè, ſive malè? Et eandem doctiſſimè ſolvit in hunc modum. *Verùm dicos fortaſſe: hæc quidem rectè à nobis dicta eſſe: ſed tamen dubitare, & quærere: cur divinam benignitatem roget Antiſtes; ut ea, quibus à mortuo peccatum eſt, remittat; eiq́; det parem iis, qui Deum imitati ſunt, præclariſſimamq́; hæreditatem. Si enim præmia, à divinâ Iuſtitiâ conſtituta conſequetur, eorum bonorum, aut malorum, quæ in hac vita geſſit: Perfecit autem is, qui migravit è vitâ, hunc vitæ conſentaneas actiones. Quibus Antiſtitis precibus, in aliam quietis ſedem migrabit, præter eam quæ eo digna eſt, & quæ vitæ hic actæ reſpondet? Equidem probè ſcio, Scriptis divinis aſſentiens; unumquemque præmium accepturum, pro dignitate. Clauſit enim, aiunt, Dominus ſuper ſe. Et referet unuſquiſque propria corporis, prout geſſit, ſive bonum, ſive malum. Sed tamen Iuſtorum bonorumq́; etiam preces, in hac vitâ; nedum poſt mortem, in tantum prodeſſe, qui digni ſunt ſanctis precibus; ea quæ prodita ſunt divinarum literarum monumentis nos docent. Num aliquid à Samuele Saul adjutus eſt?* &c. *quæ probant indignis preces non prodeſſe: Hoc autem ſtatuo, cum Scripturis divinis, perutiles eſſe in hâc vitâ ſanctorum preces, hoc modo. Si quis ſacrorum munerum cupiditate ducitur, & ad ea percipienda benè animo conſtitutus eſt: tanquam parvitatis ſuæ conſcius, adeat ad aliquem ſanctum hominem, petitum, ut ſe adjuvet, ac pro ſe roget: is ille adjumentum omnium maximum afferet. Quæ enim petit, aſſequetur divina munera, probante eum & divina benignitate, & ſua religioſa conſcientia, & ſanctorum reverentia; laudabili eorum, quæ petita ſunt deſiderio, & conſentanea, divinaq́; animi conſtitutione. Eſt enim hoc quoque divinis judiciis ſancitum; ut divina munera, iis qui digni ſint, qui accipiant, ordine honeſtiſſimo dentur ab iis, qui digni ſunt tradere. Hanc ergo ſi quis ſanctam diſciplinam improbaverit: elatuſq́; opinione, dignum ſe divino colloquio exiſtimaverit, ac ſanctos contempſerit: & tamen ea quæ indigna Deo ſunt, ac nefaria petierit: nec deſiderium divinarum rerum intentum habeat, ſibiq́; conſentaneum; nunquam per ſeipſum ſtultum optatum conſequetur.* Hæc omnia Dionyſius: quem non eſt opus pluribus explicare: quia Kemnitius hæreticus fatetur eum docuiſſe vivorum preces mortuis prodeſſe.

Kemnit. in Exa. Tridens. p. 3.

V. PRO DONALDI ANIMA SACERDOTES SUPPLICARUNT.

Habes hic Lector, quid in Donaldi ſepultura factum: quid Sacerdotes illi, qui rem ſacram apud Caledonios procurabant, egerint: habes etiam, quid multæ illæ, & piæ precationes, intenderint. nimirum ejus animæ refrigerium. nec fruſtrà ibi Sacerdotum mentio: quia illi imprimis, ſacrificiorum oblatione, animæ quietem, pœnarumq́ue remiſſionem impetrant. ſi quidem in Eccleſiæ communione, quis moritur: ſecus, ſi extra fidelium numerum, aut ejectus ab Eccleſiâ, deceſſit. imò ne pro talibus ſacrificium offeratur, cautum. Sic Sanctus Cyprianus, pro Geminio Victore, noluit ſacrificium hoc ſæculo offerri; quia moriturus, tutorem teſtamento ſuo, Presbyterum, contra Epiſcoporum ſtatuta nominaverat: ſed ſcripſit: *Quod Epiſcopi, antecesſores noſtri, religioſè conſiderantes, & ſalubriter providentes, cenſuerunt: ne quis frater excedens ad tutelam, vel curam, Clericum nominaret. Ac ſi quis hoc feciſſet, non offeretur pro eo, nec ſacrificium pro dormitione ejus celebraretur. Neque enim apud altare Dei meretur nominari, in Sacerdotum prece; qui ab altari Sacerdotes & Miniſtros voluit avocare.*

Cypr. ep. 66.

En Cypriani mentem & plurium Epiſcoporum, de Sacrificio pro mortuis offerri ſolito. Quod ideo pluribus conor Lectori perſuadere, hoc ſæculo uſurpatum: quia ſæpè in his Annalibus occurret mentio ſacrarum Ædium & Monaſteriorum, aliorumq́ue piorum operum, ultima morientium voluntate fundatorum *ob refrigerium animæ ſuæ, & parentum ſuorum.* Quæ verba, moderna factio, ſummè averſatur; ut reverà omnia paſſim pietatis opera. mihi ſufficiat oſtendere, Donaldi ætate, creditum orari pro defunctis, & ſacrificium ſolitum. Quod & Magdeburgici fatentur. *Eſt* (inquiunt in tertiâ Centuriâ) *oblationum frequens mentio apud Tertullianum: ut in libro de coronâ militis: Oblationes pro defunctis annuè facimus. & tale quiddam l. 1. ep. 9. habet, ubi eas oblationes, Sacrificia vocat pro dormitione mortuorum.* nec plura urgeo; quia factionis modernæ primipilus Calvinus, ingenuè admittit, ante mille trecentos annos, in more poſitum, orare pro mortuis. & hoc ſæculum intellexit, quo Origenes, Cyprianus, & Tertullianus floruere. Quid fecerit pro matre ſuâ Monicâ Auguſtinus, dicam inferiùs.

Cent 3. fol. 238.

V. an. 389. 5. & an. 400. 29.

VI. PURGATORII LOCUS ASSERITUR.

Concludo Donaldum in Septentrione noſtro, more Chriſtianorum ſepulturæ mandatum, ſine ullis ethnicorum cæremoniis. nam mortuus & elatus, ad Eccleſiam defertur. ante altare collocatur. ubi fuſæ pro eo preces: oblatum Miſſæ Sacrificium: quæ Britannorum fidem eleganter explicant, & ſenſum de Purgatorii pœnis, peccatiſq́ue illis, quæ à morte expiantur. De quibus Origenes ita ſcripſit. *Manifeſtè oſtenditur eſſe quædam peccata ita levia, ut ſtipulæ comparentur: cui utique ignis illatus diu non poteſt immorari. Alia verò fœno eſſe ſimilia: quæ ipſa non difficulter ignis abſumat: Verùm aliquantò tardiùs quàm in ſtipulis immoretur. Alia verò eſſe, quæ lignis conferantur. In quibus pro qualitate criminum, diutinum & grande pabulum ignis inveniat. Ita ergo unumquodque peccatum, pro qualitate, vel quantitate ſui, pœnarum juſta perſolvit.* Quæ in Calvini gratiam recito, nullam peccatorum diſtinctionem admittentis: quod non modo Origeni, Scripturæq́ue ab eo citatæ repugnat; ſed lumini quoque naturæ, uſui hominum, rebuſq́ue publicis benè ordinatis; ubi graviora ſcelera, gravioribus ſuppliciis; leviora, mitioribus, caſtigantur. Et contra ſi fieret; juſtitiæ ordo periret, quæ ſuum cuique, juſtiſſimo rerum, & momentorum libramine reddit: Et debitum, ſi quod eſt, ſolvi petit ad ultimum quadrantem.

Origen. in Levit. homil. 14. m.

VII. CHRISTIANORUM SEPULCHRA, AB INFIDELIBUS DISTINCTA.

Eſt & aliud animadverſione dignum; & hoc Donaldi ſæculo uſurpatum: Chriſtianorum ſepulchra, à gentilium ſepulchris, alia, planeq́ue diſtincta fuiſſe. † Cyprianus enim Martialem Epiſcopum, inter alia, accuſat: quòd filios, in profanis gentilium ſepulchris ſepeliverit. * *Quibus planè ſignificatur* (loquitur Baronius) *Chriſtianos à gentilibus ſepulchra diſcreta habere ſolitos: nefaſq́; fuiſſe, ſe illis poſt obitum commiſcere; à quibus viventes abhorruiſſent.* Et ratio ſine dubio fuerit; quia locus Chriſtianorum corporibus tumulandis aſſignatus, multis & piis precationibus dicatus eſt, ut ſuprà dixit Boethius. Donaldus ergo non majorum ſepulchro, ut Principes ſolent; ſed loco precibus benedicto illatus, benè dicitur Chriſtiano more conditus. Cruce etiam diſtingui Chriſtianorum ſepulchra, dicam *infrà, ubi Patritium è Britanniâ, in Hiberniam emiſero,

† Cyprian. epiſt. 68. ** Baron an. 258.*

CRUCE SEPULCHRA DISTINGUUNTUR.

** V. an. 432 4.*

virum ſanctum & illius gentis Apoſtolum. Porro Donaldi ſepulchrum ita ſignatum ornatumque fuiſſe, ejus ſuprà in Crucem reverentia facilè perſuadet.

ANNUS URBIS CONDITÆ 968.

ANNUS CHRISTI 217.

ZEPHIRINI PAPÆ 15.

ANTONINI CARACALLI IMP. 5.

ANNO Chriſti ducenteſimo decimo ſeptimo: Æmilius Lætus, & Anicius Cerealis, Conſules fuerunt: quando Antoninus Caracallus, Germaniâ, Aſiâ, Syriaque luſtratâ, Alexandriam venit, populumque multis fraudibus circumventum, immanè perdidit. nec multo poſt Oſroënorum Regem Chriſtianum Abagarum (quem Dio Augarum vocat) mala fraude captum conjecit in vincula: urbemque Oſroenem, Rege deſtitutam cepit. Ubique plùs dolo, quàm armis fidens. Unde benè dixit Dio, & hic repeto. *Inerat Antonino fraus & malitia matris, Syrorumq; ex quibus illa orta fuerat.*

Dio lib. 77.

ANNUS URBIS CONDITÆ 969.

ANNUS CHRISTI 218.

ZEPHIRINI PAP. 16.

ANTONINI CARACALLI IMP. 6.

Historici corriguntur, qui Carausium hic nominant.

SEQUITUR Chriſti annus ducenteſimus decimus octavus, Sabino II. & Annullino, Conſulibus: quo corrigi debent Scriptores illi, qui Galfridum Monumetenſem ſequuti, affirmant Carauſium quendam, Britanniæ regnum invaſiſſe: cum priùs Antoninum Baſſianum, in bello occidiſſet. *Hollinſhedus hoc refert ad annum Chriſti ducenteſimum decimum octavum. Sed conſtat Antoninum, hoc anno, procul Britanniâ, in Oriente fuiſſe: & Parthos, matrimonii ſpe, cum filiâ Regis Artabani, oppreſſiſſe. Conſtat etiam Galfridum multa fabulatum, ſæpè rerum noſtrarum veritatem vitiaſſe. Carauſius quidem, ut infrà dicetur, purpuram in Britanniâ ſumpſit: ſed nondum natus, regnare non potuit; nedum Baſſianum occidere. Cæterùm à morte Severi Imperatoris, per annos ferè ſexaginta, Romanarum rerum Scriptores, nullam Britanniæ mentionem faciunt. Et hoc ſilentio uſi noſtrates aliqui, vel fabulas pro libito interſerunt: vel temporis, rerumque geſtarum ſerie neglectâ, inaccuratè ſcribunt. Quamobrem ſequentes annos, jejuna tempora, ita percurram, ut breviter ſuccinctèque recenſitis Romanorum Pontificum, & Imperatorum nominibus, (nam utriſque paruit Britannia) interſeram ea ſolùm, quæ Annalium propria videbuntur.

** Hollinſhed in hiſtoria Angl. fol. 91.*

V. an. 286. 44.

ANNUS URBIS CONDITÆ 970.

ANNUS CHRISTI 219.

ZEPHIRINI PAP. 17.

MACRINI IMP. 1.

I. *Baron. hic.* Baſſianus Imp. occiditur.

ANNUS, qui ſequitur, Chriſti ducenteſimus decimus nonus, Præſente & Extricato Conſulibus: *Imperatori Antonino fatalis fuit: qui in Meſopotamiâ, inter Edeſſam, & Carras, operâ Macrini, & Marciano Centurione, pugione confoſſus, occiditur; cum imperaſſet annos ſex, menſes duos, dies quinque, ætatis annum agens undetrigeſimum.* Ita è Dione, & Spartiano Baronius, ad hunc annum. Verùm cum hic opera recognoſceret, poſt editum Annalium ſuorum tomum undecimum: Hæc ſupradictis verbis juſſit adnotari. *Variant de ejus vita annis Authores: ut & de matre ipſius. Dum alii, Iuliæ, ſecundæ Severi uxoris: alii Martiæ prioris conjugis, filium faciunt. Quod qui ſentiunt, ut Spartianus: longiorem Antonini hujus vitam aſſerant, neceſſe eſt. cum à Martiæ exceſſu ad Antonini cædem, anni fluxerint ſuprà quadraginta.* Ita Baronius: qui ſatis inclinat, quod ſuprà conatus ſum oſtendere, Martiam, Antonini matrem non fuiſſe. Quo poſito, Galfridi & ſequacium, de Britannâ feminâ, commentum corruit, Severum ſcilicet, Antoninus ejus filius, adde & Antonini filium Heliogabalum, legitimos & indubitatos Britannici regni hæredes fuiſſe.

Baron. in recogni poſt to. 11. ad hunc annum.

II. Macrinus imperat. *† Spartian. in Macri. cap 2.* Diadumenus Cæsar.

In Antonini locum, ad Romani Imperii clavum ſucceſſit Macrinus: † *Quem odio Antonini, Senatus Imperatorem lubenter accepit*; inquit Spartianus. fuerat Prætorio præfectus, humili loco in Mauritaniâ natus; & intellecto, Antoninum ſe ad necem deſtinaſſe, ipſum prævertit: ſolicitato Centurione ut illum interficeret. Diadumenum filium ſibi Imperii conſortem aſcivit, factus Imperator: ſed neuter pupuram diu geſtavit.

ANNUS URBIS CONDITÆ 971.

ANNUS CHRISTI 220.

ZEPHIRINI PAPÆ 18.

HELIOGABALI IMP. 1.

Macrinus Imp. occiditur.

ANNO Chriſti ducenteſimo vigeſimo, Diadumeno & Advento Conſulibus: Macrinus Romanorum Imperator, cum filio Cæſare, Imperio vitaque defunguntur à milite occiſi. Succeſſit eorum loco M. Aurelius Antoninus, è Sacerdote Solis (quem Phœnices Elagabalum vocant) ad purpuram muliebri arte aſſumptus. Fuit Semiamiræ, ſive Sœmiadis filius, Antonino, ut creditur Caracallo genitus. Quem Mœſa, Semiamiræ mater, & Juliæ nuper Auguſtæ ſoror; urbe à Macrino in patriam (Phœniciam) pulſa, militi oſtentans, & Caracalli filium appellans; viam illi ad imperium fecit. nam inde miles Macrini crudelitatem exoſus, ab eodem defecit: & Mœſæ largitione delinitus, ejus è filia nepoti purpuram injecit. Altera Mœſæ filia, Mammæa, Alexandri mater, qui ſtatim imperabit. nam turpiſſimam Heliogabali vitam Roma non diu feret. quantumvis Antonini nomen præſcripſerit.

Antoninus Heliogabalus Imp.

ANNUS URBIS CONDITÆ 972.

ANNUS CHRISTI 221.

CALLISTI PAPÆ 1.

HELIOGABALI IMP. 2.

I. ZEPHIRINUS PAPA MORITUR.

ANNO Domini ducentesimo vigesimo primo, Antonino Augusto II. & Sacerdote Consulibus, Zephirinus, Romanus Pontifex, cum sedisset annos octodecim, diesque totidem; vivendi finem fecit: cum priùs, decreto de anniversaria sacrosanctæ Ecclesiæ communione, circa ferias Paschatis, Christianorum pietatem excitasset; & Amphibalum nostrum, in fide confirmasset. nam hos omni tempore, nimirum à morte Severi, eum Romæ commoratum, probabile est. Zephirinum hunc Joannes Alstedius admodum oscitanter Montanistam vocat. sed suprà vidimus, id injuriâ dictum, cum Montanum & Cataphrygas condemnavit.

Alsted. in Chronol. Papa.

II. CALLISTUS PAPA.

Zephirino succedit Callistus, patria Romanus: qui jejunium authoritate sua confirmavit, quod quater in anno, ex Apostolica Traditione celebratur: Quod igitur ab Apostolorum successoribus acceperat, usu piaque consuetudine observatum; legis vim, authoritatemque habere voluit. Et Britannia legem excepit, religiosè servavit, transmisitque ad multa sæcula.

III. CADORUS LONDINENSIS EPISCOPUS MORITUR. SUCCEDIT OBINUS.

Ibi Cadorus Londinensis Episcopus, Christianam rem procurabat. sed quamdiu ibi sederit, incertum: incertum quoque quando mortuus. Hic ergo illi successorem damus, Obinum nomine, qui quartus in ordine ponitur Londinensium Episcoporum: nec aliud quàm nomen posterorum memoriæ relictum.

ANNUS URBIS CONDITÆ 973.

ANNUS CHRISTI 222.

CALLISTI PAP. 2.

HELIOGABALI IMP. 3.

ANNO Christi ducentesimo vigesimo secundo Consulatum inierunt M. Aurelius Antoninus II. & Eutychianus, quo nihil præclarè tali Consule, tali Augusto actum. nec enim animus est Heliogabali facta, tenebris quàm luce digniora, in Annales referre. Illud certè effæminati Principis argumentum esto, quod refert Lampridius; & Gordonius ad hunc annum consignat: nimirum factum ab illo in monte Quirinali Senaculum, hoc est, Mulierum Senatum: *Ubi Senatusconsulta ridicula* (inquit Author) *de Legibus matrimonialibus facta sunt: quæ, quo vestitu incederent: quæ ad cujus osculum veniret: quæ pilento; quæ equo sagmario; quæ asino veherentur:* & alia quæ mulierum cupiditatibus, & ambitioni famulantur.

Lamprid. in Heliogab. c. 2.

ANNUS URBIS CONDITÆ 974.

ANNUS CHISTI 223.

CALLISTI PAP. 3.

HELIOGABALI IMP. 4.

ALEXANDER CÆSAR CREATUR.

SEQUITUR Christi annus ducentesimus vigesimus tertius, Grato & Seleuco Consulibus: quo Alexander Mammææ filius, Heliogabali consobrinus Cæsar creatur: Imperator mox futurus. nec aliud Annalibus proprium.

ANNUS URBIS CONDITÆ 975.

ANNUS CHRISTI 224.

CALLISTI PAP. 4.

ALEXANDRI IMP. 1.

I. HELIOGABALUS IMP. OCCIDITUR.

ANNO Domini ducentesimo vigesimo quarto, Antonino Augusto IV. & Alexandro Cæsare Consulibus: cum Antoninus Heliogabalus, tres annos, & novem menses (Herodianus Sexennium tribuit) Romani Imperii purpuram fœdavisset, & omnem mulierum mollitiem superasset, Senatui, populo, & exercitui, odio habitus, occiditur, ejus corpus in plateas abjectum, tractum, & in Tiberim mersum, infamiam nominis auxit. nam inde Tractitius, & Tiberinus meruit appellari. In ejus locum, miro militum consensu, Alexander, Mammeæ filius, sufficitur. Fuit virtutis laude ita conspicuus, ut prædecessoris vitia magis eminerent. quæ ut illi odium, sic Alexandro amorem, ut ferè semper virtûs solet, conciliarunt. Mammæa mater, laudatissima fœmina, sub origine Christianam Fidem audiens, filium docuit Christianos non odisse. Et verò licet ille Antonini nomen, & Magni; quod Senatus rogabat, modestissimè declinasset; factis tamen Antoninos, & optimos quosque Imperatores æquavit. *Immo Christo* (loquitur Lampridius) *templum facere voluit, eumq́, inter Deos recipere: sed prohibitus est ab iis, qui sacra consulentes, repererant, omnes Christianos futuros, si id optatò evenisset; & templa reliqua deserenda.* Unde pro Christiana Fide, & sanctitate ejus, elicitur elegans argumentum. Tanta enim est Evangelicæ legis celsitudo & majestas; ut si lucere, & in sua specie prostare permittatur: longè eam cæteris religionibus præcellere necessum sit. Et idem, inter Christianos, de orthodoxâ Fide censendum. nam adeo illa inter sectas eminet, puritate, unitate, constantiâ suâ; ut nullo negotio omnium ad se oculos animosque convertat: Unde nuper in Angliâ legere erat Senatorum ad Principem literas; idem illi, quod olim Alexandro, suggerentes; deserenda sectariorum templa; si orthodoxis suus cultus impunè permittatur.

ALEXANDER IMPERAT.

EIUS ELOGIUM.

Lamprid. in Alexandro c. 43.

II. ALEXANDER CHRISTIANIS INDULGET SACRA.

Cæterùm illud quod à Joanne Spedo de Alexandro scribitur, admodùm probabile est: Ipsum edicto Imperiali, hæterias & conventus Christianis indulsisse. Intelligit Author Lampridium, Imperatoris judicium recensentem, pro Christianis

Lamprid. sup. c. 49.

latum. *Cum Christiani (inquit Lampridius) quendam locum qui publicus fuerat, occupassent: contra popinarii dicerent, cum sibi deberi: rescripsit Alexander: Melius esse, ut quomodocumque illic Deus colatur, quàm popinariis dedatur.* Ita censuit Alexander. Hunc locum de quo quæstio, conjectat Baronius, Tabernam esse meritoriam, trans Tiberim positam: ex qua oleum, magno miraculo, è terra erumpens, fluxerit, Augusti tempore: Christi ad nos venturi præsagium. Igitur Christiani, locum adepti, nobilem ibi Ecclesiam, Deiparæ sacram erexerunt: quam Callistus Papa consecrasse dicitur. nam ita in libro de Romanis Pontificibus, de eo legitur. *Hic fecit Ecclesiam Sanctæ MARIÆ trans Tiberim.* Hinc collige Lector, conventus olim prohibitos; Sacrificii loca fuisse.

Baron. his n. 2.

CONVENTUS PROHIBITI SACRIFICII LOCA FUERUNT.

ANNUS URBIS CONDITÆ 976.
ANNUS CHRISTI 225.
CALLISTI PAP. 5.
ALEXANDRI IMP. 2.

I.

MAMMÆA NON FUIT CHRISTIANA.

Broughton. cent. 3. c. 8. n. 1.

Annus qui sequitur ducentesimus vigesimus quintus, Consules habuit Maximum & Æmilianum. Ubi de Alexandro Imperatore, & Mammæâ matre quæritur, quo affectu in Christianam Fidem, ejusque cultores fuerint. Quia, quæ suprà de Alexandri rescripto, & Mammææ cum Origene notitiâ, ac familiaritate dicta sunt: utrumque Christianis benevolum arguunt. Contra tamen Martyrologia passim, plurium mortes recitant, Alexandro imperante, pro Christo obitas. Quod ad Mammæam attinet, sunt qui Christianam, & laudatissimam fœminam vocant. fortè quia legunt eam aliquando, Origenem admiratam esse. Sed aliud est Origenem ab ingenio, eruditione, indoleque commendare: aliud ejus fidem amplecti. Quæ cum superioris ordinis, & supra naturæ bona sit; puriore igne, flammaque opus, & lumine gratiæ. Probabilius itaque Mammæam Christianam non fuisse. nam quantumvis initio, laudem ab omnibus, cum filio, meruerit: postea tamen imperium nacta, & summam potestatem, descendit ab illa probitate moribusque, qui prius illam commendaverant, avaritiæ nota infamis.

II.

Lamprid. in Alexan. c. 22.

De Alexandro scribit Lampridius: *Christianos esse passus est.* Sed quia idem Author subdit: *Pontificibus tantum detulit, & Quindecimviris, atque auguribus: ut quasdam causas sacrorum, à se finitas; iterari, & aliter distingui pateretur.* facilè cernitur, non ejus unius arbitrio, Romanorum sacra, & religionem stetisse. Adde Jurisconsultorum opera, Domitii Ulpiani, Pomponii, Sabini, aliorumque usus, qui Christianis erant infensissimi, urgebantque Romani juris, & legum apices: ipse quoque mores, cum matre mutavit; & Christiano sanguine fœdari imperium suum, & Christi Ecclesiam illustrari permisit. Permisit, inquam; quia non tam genio suo, quam aliorum impulsu, & authoritate; qui aut sacra, aut Leges curabant, in Christianos inquisivit. Ita fieri potuit, ut qui Christianos esse aliquando passus est: faciles aliquando aures Christianorum hostibus, fideique calumniatoribus, aperuerit. ut constabit anno sequenti.

PERSECUTIO SUB ALEXANDRO.

ANNUS URBIS CONDITÆ 977.
ANNUS CHRISTI 226.
CALLISTI PAP. 6.
ALEXANDRI IMP. 3.

CALLISTUS PAPA MORITUR.

Anno Christi ducentesimo vigesimo sexto, Juliano & Crispino Consulibus: Callistus Romanæ Urbis Episcopus, cum sedisset annos quinque, mensem unum, dies duodecim, martyrio coronatus est: cùm priùs sacris ordinibus initiatos & Evangelica consilia sequutos, castè vivere, è sacrorum Canonum præscripto docuisset, eo decreto. *Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis & Monachis, concubinas habere, seu matrimonia contrahere, penitùs interdicimus: contracta quoque matrimonia ab ejusmodi personis disjungi; & personas ad pœnitentiam redigi debere, juxta sacrorum Canonum definitiones judicamus.* Ita Callistus. qui, qua ratione vitam finierit, ita refert Romanum Martyrologium. *Pridie Idus Octobris Romæ viâ Aureliâ, natalis B. Calisti Papæ & Martyris, qui Alexandri Imperatoris jussu, diutius fame in carcere cruciatus, & quotidie fustibus cæsus, tandem è fenestrâ domus, in quâ custodiebatur; præcipitatus, victoriæ triumphum promeruit.* Unde corrigi debet Herodianus, affirmans Alexandrum, ad quatuordecim annos imperium deduxisse ἀναίμακτον, sive incruentum. nam Lampridio potiùs credendum, ita dicenti. *Alexandri imperium incruentum quidam literis prodiderunt. Quod contra est. Nam & Severus appellatus est à militibus, propter austeritatem: & in animadversionibus asperior in quibusdam fuit.* Unde superioris anni dicta confirmantur.

D. 27. ca. Presbyteris.

CLERI CASTITAS PRÆCIPITUR.

Rom. Martyrolog. 14. Octob.

Herodian. l. 6.

Lamprid. in Alex. c. 25.

ANNUS URBIS CONDITÆ 978.
ANNUS CHRISTI 227.
URBANI PAPÆ 1.
ALEXANDRI IMP. 4.

Anno Christi ducentesimo vigesimo septimo, Consules creantur Dexter & Rufus: quando in Callisti locum Urbanus successit, patriâ Romanus. de quo Magdeburgenses ita scribunt. *Sanctitate vitæ, & doctrinâ tantum præstitit; ut multos ad fidem Christianam, ac baptismum, ethnicos converterit.* Et tamen post aliqua, ita quatuor versipelles de illo censent. *Sed blasphemè dicit, per manus impositionem Episcoporum accipi Spiritum Sanctum.* Quasi verò Tertullianus, Cyprianus, & alii de quibus suprà, blasphemi fuerint de Confirmationis Sacramento loquentes: & non illi potius, qui Sacramenta omnia, cælestis gratiæ instrumenta maxima, inanes tantum titulos, & rerum umbras vocaverunt.

URBANUS PAPA.

Cent. 3. fol. 227.

V. an. 183. 28. 29.

ANNUS URBIS CONDITÆ 979.

ANNUS CHRISTI 228.

URBANI PAP. 2.

ALEXANDRI IMP. 5.

MARTINA VIRGO ET MARTYR.

ANNO Christi ducentesimo vigesimo octavo, Alexander Augustus secundùm, & Marcellus Consules nominantur. Tunc Martinà Virgo & Martyr, Romæ passa probat Alexandri imperium sine sanguine non fuisse: Illa iterum, atque iterum, affecta verberibus; uncis, ungulis ferreis, testarum fragmentis lacerata; acutissimis gladiis membratim concisa, adipe serventi peruncta, demum in amphitheatro damnatur ad bestias: sed illæsa, capitis abscissione martyrii palmam promeruit. Urbano Papa ejus nominis primo sedente. Cujus corpus post annos mille quadringentos, Urbano octavo, in pervetusta ejusdem Martinæ Ecclesia, ad Mamertinum carcerem, in Capitolini clivi radicibus repertum, eodem loco in meliorem formam redacto, magno populi concursu, ætate nostra repostuum, colitur.

ANNUS URBIS CONDITÆ 980.

ANNUS CHRISTI 229.

URBANI PAP. 3.

ALEXANDRI IMP. 6.

I. HIPPOLYTUS MARTYR.

SEQUITUR Christi annus ducentesimus vigesimus nonus, Balbino & Maximo Consulibus: illustri martyrio Hippolyti Portuensis Episcopi insignis. fuerat olim Arabiæ Metropolitanus: & inde Romam, sub Calisto Papa, veniens, ab eo Portuensem sedem accepit; vir sanctitate & literis, cum primis sui sæculi comparandus. Scripsit inter extera, de consummatione mundi, & Antichristo librum; ubi Fidei, & perfidiæ symbola explicans docet imprimis Christum peculiarem habere characterem, quo se, Fidem suam, & eam sequentes; distinguit ab iis qui Christi non sunt; nec ad ejus castra pertinent: Crucem nimirum, quæ Scriptura teste, est *signum Dei vivi* (Apocal. 7. 2.) *signum filii hominis* (Matthæi 24. 30.) Tum pari modo docet, Antichristum quoque habere characterem, seu insignia quædam, quibus cultores & sequaces ejus, à Christi cultoribus secernantur. Et quænam illa, Sancte Hippolyte? quæ ingens hodie controversia est: sed antiqui temporis suffragio facilè componitur. nam inde patet, amorem, usum, cultumque Crucis, Christianæ religionis symbolum: abusum, contemptum, odium Crucis, Antichristi characterem esse. Dicat id doctus, & Sanctus Martyr: *Dabit Antichristus*, inquit ille, *characterem in dextrâ manu, & fronte; ne quis dextrâ suâ pretiosam illam Crucem pingat in fronte. Ex quo tempore, non poterit ullum signare membrorum suorum: sed adhærebit seductori, eiq; serviet.* Ita ille. Unde pro Britannorum Fide infero: illos à Christo stetisse. nam Cruce in fronte, & in baptismo munitos, suprà dixi. Cæterùm illi qui Crucem aversantes, eandem abjiciunt, & nullum volunt signare membrorum suorum; videant, quò, Hippolyto judice, referri debeant.

CHARACTER CHRISTI SIGNUM CRUCIS.

CHARACTER ANTICHRISTI, ODIUM CRUCIS.

Hippolyt. de Consum. mundi & Antichristo.

V. an. 183. 23.

II. SACRIFICIUM CORPORIS ET SANGUINIS CHRISTI NON ERIT SUB ANTICHRISTO.

Sed quid fiet Sancte Martyr, quando Antichristi sequaces hujusmodi, incipient Crucem odisse: aut quod signum adventus eorum, & consummationis fidei? † *Tunc*, inquit ille, *lugebunt Ecclesiæ luctum magnum: quia nec Oblatio, nec suffitus fiet: nec cultus Deo gratus: sed Ecclesiarum ædes sacræ, tugurii instar erunt.* PRETIOSUMQUE CORPUS, ET SANGUIS CHRISTI, *non extabit in diebus illis: liturgia extinguetur: psalmorum decantatio cessabit, Scripturarum recitatio non audietur. sed erunt apud homines tenebræ.* Quæ utinam Anglia hodie non videret. ubi ædes sacræ, Monasteria omnia, tuguriolorum instar, ubique per Insulam jacent; ubi Paulina Londinensis Ecclesia, cum illustrissimis Europæ Ecclesiis numeranda, equile factum: ubi oblatio prohibetur, & Missæ Sacrificium, cultus Deo gratus omni ævo. Sacramenta viluerunt. & Sacramentorum omnium augustissimum, inane est, umbra est, nihil est, Calvino Dictatore. Quis hic non agnoscit Antichristi characterem, si benè Hippolytus judicavit? Alexander persecutus est, quod ille credidit: Crucem, oblationem, sacrificium, liturgiam, pretiosum Corpus, & Sanguinem Christi. Quæ omnia in Ecclesiis mansura prædixit Martyr, donec Antichristus perfidiæ vexillum explicaturus esset. Et certo certius hoc sæculo explicuit.

† Hippolyt. suprà.

ANNUS URBIS CONDITÆ 981.

ANNUS CHRISTI 230.

URBANI PAPÆ 4.

ALEXANDRI IMP. 7.

ANNUS Christi ducentesimus trigesimus, præter Consules Modestum & Probum, nihil habet nostris Annalibus proprium: nisi fortè dixeris, Origenem hoc anno ad Presbyterii gradum assumptum, disputandi ansam Episcopis præbuisse super Canone de exsectis. Unde Origenis ordinatio reprobatur.

Origenis ordinatio controversitur.

ANNUS URBIS CONDITÆ 982.

ANNUS CHRISTI 231.

URBANI PAP. 5.

ALEXANDRI IMP. 8.

ANNO Christi ducentesimo trigesimo primo, tertium Consulatum iniit Alexander Augustus, unà cum Dione, quem suprà sæpè loquentem audivimus.

ANNUS URBIS CONDITÆ 983.

ANNUS CHRISTI 232.

URBANI PAP. 6.

ALEXANDRI IMP. 9.

S. Cæciliæ Virginis martyrium.

Annus Christi ducentesimus trigesimus secundus, Agricolam & Clementinum Consules habuit; viditque in Cæciliâ Virgine illustrissimum, pro Fide, certamen; quæ cum sponsum, sponsique fratrem, & alios ad cælum præmisisset. ipsa variè probata, & tam Fidei, quàm virginitatis custos integerrima, tertiò percussa, tandem hoc anno, Urbano Papa herede relicto, Martyres in cælum sequuta est; cum nec gladius, nec persecutio, separare illam possent ab amore Christi. Urbanus eam in Callisti cæmeterio sepelivit, Ecclesiâ in virginis ædibus consecratâ. nimirum ut fideles eò Sacrificii, & Sacramentorum causa, convenirent. nam frequens, hoc tempore, ad sacra concursus, & Ecclesiæ magis lucere cæperunt. referunt enim, authore Damaso, Magdeburgenses: Urbanum constituisse, *utendum in ministerio vasis argenteis, & patenis, quæ priùs vitreæ fuerant.* Certum est sacros Calices intelligi. Cæterùm decretum illud, argenteos esse debere, opportunum fuit, ad sacra distinguenda. nam Alexander Imperator contra decreverat. De quo Lampridius: *In templis, nunquam præter quatuor, aut quinque argenti libras auri, ne guttulam quidem, aut bracteolam Alexander posuit; furfuram versum Persis:*

Cent. 3. fol. 277. Urbani decretum de Calicibus argenteis. Lamprid in Alexand. c. 44.

Dicite Pontifices, in sacro quid facit aurum?
Quod Alexandri consilium illi videntur assecuti, qui majorum pietatem condemnantes, in Ecclesiarum vasa aurea, argentea, & pretiosa quæque involarunt. Cæciliæ virginis corpus, castissimæ mentis domicilium, post sexcentos annos, sine labe inventum, cum honore cultúque reconditum, dicam ad annum Domini octingentesimum decimum nonum. ubi etiam, de mirabili corporis integritate, post mille trecentos, ab ejus morte, annos assertâ magnorum virorum suffragio agetur.

V. an. 819. 13. & 14.

ANNUS URBIS CONDITÆ 984.

ANNUS CHRISTI 233.

PONTIANI PAPÆ 1.

ALEXANDRI IMP. 10.

Anno Christi ducentesimo trigesimo tertio, Pompeiano & Feliciano Consulibus, Urbanus Pontifex Martyrio coronatur, cum sedisset annos sex, menses septem. Successit in ejus locum Pontianus, patria Romanus.

Urbanus Papa moritur Martyr. Pontianus Papa.

ANNUS URBIS CONDITÆ 985.

ANNUS CHRISTI 234.

PONTIANI PAPÆ 2.

ALEXANDRI IMP. 11.

Christi annus ducentesimus trigesimus quartus, Consules numerat Lupum & Maximum: & aliud nihil Annalibus suppeditat.

ANNUS URBIS CONDITÆ 986.

ANNUS CHRISTI 235.

PONTIANI PAP. 3.

ALEXANDRI IMP. 12.

Annus Christi ducentesimus trigesimus quintus, Maximo & Paterno Consulibus, nullâ re aliâ, quæ Ecclesiam spectat illustratur. & ideo Baronius, *Rebus Ecclesiasticis scriptorum inopiâ sterilem* vocat. Baron. hic.

ANNUS URBIS CONDITÆ 987.

ANNUS CHISTI 236.

PONTIANI PAP. 4.

ALEXANDRI IMP. 13.

Anno Christi ducentesimo trigesimo sexto, Maximo & Urbano Consulibus: Alexander Imperator, in Orientem profectus, nobilem de Persis victoriam reportavit, fugato Artaxerxe; qui omnem de pace conditionem priùs detrectârat. Unde Alexandro Victori è Senatusconsulto decretus est triumphus.

Alexander Artaxerxem vincit, et triumphat.

ANNUS URBIS CONDITÆ 988.

ANNUS CHRISTI 237.

PONTIANI PAP. 5.

JULII MAXIMINI IMP. 1.

Sequitur Christi annus ducentesimus trigesimus septimus, Severo & Quinctiano Consulibus, quando Alexander versis in Septentrionem armis, Germaniam versus contendit, tumultu autem ibi militem, & Germanorum In Galliam irruptiones prohibiturus. Priùs tamen quàm urbe discederet, in Pontianum Romanæ Sedis Episcopum, exilii legem tulit. nam in libro de Romanis Pontificibus hæc habentur. *Eodem tempore, Romanus Episcopus Pontianus, & Philippus Presbyter, in exilium, ab Alexandro deportati sunt in Sardiniam: Severo & Quinctiano Coss.* Sed malè cessit Alexandro, exilii sententia. nam hoc ipso anno; cum procul urbe esset, militum suorum

I. Pontianus Papa exulat. Apud Baronium hic. Alexander Imp. occiditur, et ubi?

factione

factione occiditur. Quod ad mortis locum attinet; ideo quærendus est, quia Lampridius Britanniam, meticulosè, Aurelius Victor, constantiùs nominat. Lampridius ita: *Gallicanæ mentes, ut se habent duræ ac retrogradæ, & sæpè Imperatoribus graves, severitatem Alexandri nimiam; & longè majorem post Heliogabalum, non tulerunt. Denique agentem cum paucis in Britanniâ, vel ut alii volunt in Galliâ, in vico cui Sicila nomen est, non ex omnium sententia; sed latrocinantium modo, quidam milites, & hi præcipuè qui Heliogabali præmiis effloruerant, cum Severum Principem pati non possent, occiderunt.* Hæc ille. Victor, sine dubio Britanniam nominat, ita scribens. *Alexander fuso, fugatoq́; Artaxerxe, in Galliam maturimè contendit, quæ Germanorum direptionibus tentabatur. Ibi tumultuantes Legionum plerasque constantissimè abjecit. Quod in præsens gloriæ, mox exitio datum. nam cum tanta severitatis vim milites inhorrescunt (unde etiam Severi cognomentum accesserat) agentem casu cum paucis, vico Britanniæ, cui vocabulum Sicila, trucidavére.*

Lamprid. in Alex. c. 59.

BRITANNIAM NOMINANT LAMPRIDIUS ET VICTOR.

Victor in Cæsarib.

II. APPLAUDIT R. VITUS.

R. Vitus in notis l. 5. not. 18.

SED REFELLITUR.

Hinc quorundam opinio manavit: Alexandrum in Britanniâ mortuum, & Richardus Vitus, unius Lampridii authoritate dicit *id perspicuum* esse, & addit vicum illum Sicilam, locum in Britanniâ ita dictum à Sisilio, Guintelini Regis filio, quem Polydorus Vergilius Sicilium vocat. Sed ignotum, per ignotius. Et veriùs puto Alexandrum hunc, Britanniam nunquam vidisse. nec enim turbæ ibi aut motus ullus. Germanos autem in Romanum Imperium surrexisse, & eam solùm ob causam profectum Alexandrum, Authores passim consentiunt. Lampridius ita narrat. *Cum ingenti amore apud populum, & Senatum viveret Alexander: & sperantibus victoriam cunctis, & invitis eum dimittentibus, ad Germanicum bellum profectus est; deducentibus cunctis, per centum & quinquaginta millia. Erat autem gravissimum Reip. atque ipsi, quòd Germanorum vastationibus Gallia diripiebatur: pudoremq́; augebat; quòd victis jam Parthis, ea natio imminebat Resp. cervicibus, quæ semper etiam minusculis Imperatoribus subjecta videbatur. magnis igitur itineribus, lætis militibus contendit.* Hæc ille, nec transitus in Britanniam meminit. Herodianus etiam, nulla Britanniæ mentione, Alexandri profectionem describens satis accuratè, apparatum belli ad ripas Rheni fluminis narrat, nuda Germanorum capita, prægrandia corpora, & ita sagittariorum ictibus obvia. Tum fessum bello Imperatorem, pacis consilia tractavisse. Illud ægrè tulisse Romanum militem, & denique creato Maximino, injectaque ei purpurâ, Alexandrum periisse. Itaque cum Galliæ Germaniæque solùm nominentur, opinor in utrorumque confinio mortuum, nimirum in agro Moguntino, ad Rheni fluminis ripam, qui Galliarum nomine audiebat. Ita Julius Capitolinus Galliam expressit: *Nam cum in Galliá esset* (inquit ille) *& non longè ab urbe quadam castra posuisset; subitò immissis militibus; ut quidam dicunt; ab ipso (Maximino) ut alii, à tribunis barbaris, Alexander ad matrem fugiens, interemptus est.* In eandem sententiam Onufrius Panuinius l. 1. Romanorum Principum scribit eum *Occisum, Moguntiaci in Galliis, vico cui Scila nomen est, tumultu militari, & insidiis Maximini.* Moguntiacum etiam in Gallia nominat Platina in Pontiano, Eusebius in Chronico ad hunc annum, Baronius, & Gordonius. Quorum suffragio sine dubio standum est. præsertim cum nulla Maximini memória in Britanniâ supersit. Vide quæ habet Hermannus Crombach in Ursula Vindicata to. 2. lib. 5. c. 9.

Lamprid. in Alex. c. 59.

Herodian. l. 6.

Capitolin. in Maximino c. 7.

MOGUNTIÆ OCCIDITUR.

Onufr. Panuu. l. 1. Rom. Princip.

Platina in Pontiano

Eufeb. in Chronico

Baron. Gordon. ad hunc an.

III. MAXIMINUS IMPERAT.

Victor de Cæsari. c. 25.

Capitolin. in Maximino c. 7.

VICTORIS LOCUS RESTITUITUR.

Elato Alexandro, Caius Julius Maximinus, Legionum suffragiis factus est Imperator: quod Senatus, populusque Romanus, dum periculosum existimant inermes armato resistere, approbarunt. *Fuit* (inquit Victor) *Præsidens Trebellicæ, cum electus est.* quod difficulter intelligitur. Sed quia Julius Capitolinus scribit: *His rebus conspicuum Maximinum, Alexander magnorum meritorum judex, in suam perniciem, omni exercitui præfecit:* corrigi fortè Victor potest, si legatur: *Fuit Præsidens rei bellicæ.* nusquam enim mentio Legionis Trebellicæ. nec ille uni Legioni, sed omnibus præfuit, cum Alexandrum occidit.

IV. AMPHIBALUS IN BRITANNIAM REVERSUS DOCET CALEDONIOS.

* V. an. 213. 6.

CHRATHLINTUS IN SEPTENTRIONE PRINCEPS AMPHIBALUM EXCIPIT.

Boëth. l. 6.

ECCLESIAM ORNAT ET DITAT.

In Britanniâ Christiana religio magnis incrementis efflorescens, non solùm in australibus provinciis feliciter stabat: sed ad Septentrionem quoque, ubi à morte Donaldi, Christiani Principes successerant. Eos inter Chrathlintus, qui Româ Magistrum accepisse dicitur, Amphibalum illum, quem * suprà dixi cum Antonino Caracallo Romam perrexisse, & à Zephirino Pontifice institutum. Jam verò in Britanniam reversus, Caledonios docuisse scribitur. Illum Chrathlintus recta monentem sequutus, & honore prosecutus est: nihil desiderari permittens, vel illi ad vitæ commodum, vel Ecclesiis ad ornatum. Cæterum quos ritus & sacra Amphibalus tradiderit, aut Caledonii amplexi sint, ex Hectore Boethio discimus: sic enim ille ait: *Chrathlintus Rex sacram ædem Antistitis Amphibali muneribus ornavit amplissimis, calicibus, pateris, candelabris, aliisq́; similibus ad sacrorum usum commodis, ex argento auroq́; fabrefactis: altariq́; cupro & ære clauso. Proventus ad ea ex agris, in sacræ ædis vicinia, constituit. Fuit templum illud omnium primum Christiano ritu, ubi Pontifex sacerq́; Magistratus sedem haberet primariam, inter Scotos, cujus nostri meminere Scriptores, dedicatum.* Hæc Boëthius: & habes sacrorum rituum compendium. Habes etiam Britanniam, Urbani Pontificis mandato parentem utentemque *in ministerio vasis & pateris argenteis*: ut Magdeburgenses suprà è Damaso legem recitarunt. Ædes sacra, quæ primaria inter Scotos dicitur, fuit in Monâ Insulâ, ut idem Author affirmat. non illa Druidum sede, quam olim Paulinus Suetonius expugnavit: sed Menavia potiùs, quam Manniam dicimus. nam inibi antiquam fuisse Episcopi Sedem omnes fatentur. Addit Boëthius: *Nunc vocant Sadorense fanum. cujus nominis rationem, sicut aliarum complurium rerum & locorum, vetustas ad posteros obfuscavit.* ita ille. Alii tamen rationem nominis reddunt: & Sodorensem Sedem ideo appellatam volunt, quia Amphibalus illam Salvatori, græcè τῷ σωτῆρι, dedicavit. unde Soterensis, & paulo corruptiùs, Sodorensis Ecclesia dicta.

ECCLESIA SODORENSIS IN MANNIA.

V. DE AMPHIBALI REDITU QUÆSTIO.

Quod ad tempus spectat hujus splendoris, ornatusque Ecclesiæ apud Caledonios: licet nullo modo dubitari possit, quin rebus omnibus in Britanniâ quietis, hæc fieri potuerint, Antoninis & Alexandro regnantibus; aut sub initium Maximini: tamen certum annum reditus Amphibali, aut profectionis ejus in alteram Britanniæ partem assignare non possumus; multò minùs dedicationis Ecclesiæ, quæ primaria dicitur. Adde quòd cùm Amphibalus Magisterii sedem

ascendere, & Albanum nostrum docere: inde in arenam, pugnaturus, descendere debeat, post annos quinquaginta: meritò dubitaveris, num idem Amphibalus, Caledonios hoc tempore docere potuerit, ædemque sacram consecrare. Qui Scotiæ historiam scripsere (ut & nostrates aliqui) à Bassiani Caracalli rebus gestis, ad Carausii purpuram transeunt, quasi junctim & immediatè consecuta. sicque ne plurium annorum hiatus fiat, historiam malè consarcinant. Hinc vereor quicquam de ratione temporis constanter asserere: adeo lubrica sunt, & ambiguæ fidei quæ Scoticarum rerum Scriptores, de Regnis Regibusque suis nundinantur. Quos rogatos velim, è Romanis aut classicis historicis hujus temporis, Scotiæ aut Scotorum in Britanniâ nomen eruderent: quod magnum erit pretium operæ, & eorum quæ asserunt firmamentum: Aut si id præstare nequeant, Scotiæ nomen aut Scotorum è scriptis suis eradant: quoties de rebus hactenus in Britannia gestis, mentionem injiciunt. Et interim Donaldi, Chrathlinti, & quotquot in Septentrione nostro rerum potiuntur, Britanni sunto: sive Mæatæ, sive Caledonii, nam alios incolas (de advenis non loquor) nec Romani, nec Græci Scriptores invenerunt. quantumvis omnem Septentrionem illum sæpiùs pervagati.

VI. SEXTA PERSECUTIO SUB MAXIMINO. PONTIANUS PAPA MARTYR. ANTERUS PAPA.

Maximinus in Imperio confirmatus, Christianam religionem hoc anno persecutus, sextæ persecutionis (ita numerant S. Augustinus & Orosius) author habetur; ideo imprimis quia in Ecclesiæ Præsides sævüt. Enimvero Pontianus, qui nuper in Sardiniam Alexandri jussu relegatus est, Maximino jubente, fustibus cæsus, Martyrio coronatur, decimo nono mensis Novembris. In ejus locum successit Anterus Papa natione Græcus, qui ab eodem Imperatore, sequenti anno, eandem ob causam occisus est, ut infrà. Quæ cum ita sint, manifesti erroris arguuntur illi, qui Pontiani successorem faciunt, nescio quem Cyriacum: ut author fasciculi temporum, Bergomensis, Henricus de Erfordia, & Nauclerus: quos ideo ignobiles Scriptores vocant Magdeburgici. Cum illis etiam erraverunt Author Chronici Coloniensis, & Harigerus Abbas qui nacti in Romana Sede Cyriacum Papam, historiam sanctissimæ Virginis, & constantissimæ Martyris Ursulæ, & Sociarum, ad hæc tempora retulerunt. Addunt nunc moderni Authores, Cyriacum hunc è Britanniâ ortum, Pontiani exulis vicarium fuisse: nec ob aliud Romani Pontificis nomen meritum: quàm quia, Pontiano exule, Pro-pontifex fuerit: eo autem mortuo Anterum successisse. Verùm nulla ratione Martyrium Ursulæ huc referendum censuit Cardinalis Baronius, tam in notis ad Romanum Martyrologium, quàm ad hunc annum ducentesimum trigesimum septimum. Itaque melioribus conjecturis, infrà indagabo annum, quo Britannia nostra Virginum exercitum, trans mare primùn, inde in cælum miserit. Priùs ergo quàm occidat Ursula, Cynosura minor, nasci debet in cælo nostro luminare aliud. Helena Sancta, quæ plenilunium Ecclesiæ, non solùm in hac Insula, sed ubique terrarum demonstrabit.

CYRIACUS PAPA REJICITUR.

DE URSULÆ MARTYRIO QUORUNDAM OPINIO.

V. an. 453. n. 5.

VII. CONTROVERSIA NUPER EXORTA, DE URSULÆ MARTYRII TEMPORE.

Cum hæc & multò plura sequentibus annis, de Ursulæ martyrio scripsissem, è Coloniensi urbe; ubi summa religione sanctarum Virginum corpora coluntur; venerunt in Angliam literæ, ab eo datæ, cui scribendi vitam martyriumque Ursulæ demandata fuerat provincia. Is pro suâ modestiâ, studioque non errandi (quod utinam omnes qui Sanctorum vitas colligunt, sequerentur) ab Anglis doceri petiit, quid ipsi ex antiquiorum monumentis elicere, de tempore, aliisque circumstantiis passionis earundem, possent. Et quia sensum suum de tempore, in literis, aperuit, inclinavitque in hunc annum ducentesimum trigesimum septimum: idque probare conatus est: illas hic apponam.

LITERÆ PHILIPPI BEBII PRO S. URSULA.

Ego infra-scriptus, jussu Superiorum, cæpi scribere Latinè, & Germanicè vitam Sanctæ Ursulæ, & Sodalium ejus. Rogo, ut si habeatis aliqua adjumenta, ea mecum communicetis; sive impressa sint, sive manuscripta. Sanctam Ursulam dico fuisse filiam Dionethi Regis Hiberniæ. Idq; probo præcipuè ex duabus revelationibus, primò S. Elizabethæ, secundò Hermanni. In his revelationibus habentur nomina præcipuorum Regum, & Episcoporum. Beati Hermanni qui scripserat etiam genealogias, Regum, Ducum, Comitum, &c. Sed hic liber videtur amissus: quia nusquam reperiri potest. Quæso si quid reperire possitis, Coloniam mittite. Galfredi Monumetensis narrationem dico esse fabulosam, sicut & Cardinalis Baronii qui Galfredi fabulas, ut veram historiam obtrudit. Idem tamen Baronius in notis ad Martyrologium Romanum citat tres vel quatuor Scriptores Anglos (de quibus agit Pitsius, libro de Scriptoribus Angliæ) hos optarem habere, quia mecum sentire videntur.

VIII.

Sancta Ursula martyrium dico accidisse anno ducentesimo trigesimo septimo, vel ducentesimo trigesimo octavo, sub Maximino; qui occiso Alexandro Severo, Mammææ filio, Imperium Romanum invasit: & Coloniam (quæ in Senatus Romani obsequio contra invasorem manebat) obsidens, Sanctam Ursulam cum Sodalibus, tanquam sævus tyrannus occidit. Jussu ejusdem etiam, uno mense post S. Ursulam, occisus est in Sardinia, S. Pontianus Papa, qui in exilium sub Alexandro missus fuerat. Hujus S. Pontiani exulis, Vicarius fuerat S. Cyriacus, ex Britanniâ ortus, uno anno, atque undecim septimanis. Qui ideo dicitur Papa, quia officia Papalia Romæ exercuit Sancto Pontiano adhuc in exilio supervivente. Cyriacus ergo verus Papa non fuit, sed tantum Vicarius, Pontiano adhuc vivente, Occisores Virginum appellantur Hunni; primo vel tanquam nomine generali, pro sævis tyrannis sumpto: ut sæpè fit: vel quia Maximinus erat Gothus, matre Alana. Gothi autem valdè usitatè pro Hunnis usurpantur. Hæc sunt præcipua historiæ Ursulanæ fundamenta. Si in his aliquid auxilii adferre possitis: quæso id fiat ad honorem Dei, & Sanctorum ejus. E Collegio Coloniensi 12. Decemb. anno 1636.

PHILIPPUS BEBIUS
Societatis JESU Sacerdos.

IX.

Accepi ego has literas, & unà mandatum, pio Bebii desiderio respondendi: quod lubens meritoque pro viribus præstiti. Collegi ergo quæ ad hunc annum ducentesimum trigesimum septimum dudum notaveram: & plura quæ pro anno trecentesimo octogesimo tertio (quò alii Ursulæ certamen referunt) scripseram. Denique quæ anno quadringentesimo quinquagesimo tertio (quo Ursulam passam verior est opinio) deserviunt. Quæ omnia Coloniam misi additis ad Bebium literis, quæ virum veritatis amantem,

&

& in Oceano Britannico navigare incipientem; nè in brevia, syrtesque incurreret, monuerunt in hunc modum.

X. RESPONSUM LITERIS SUPERIORIBUS.

EST profectò difficultatum Oceanus, quem ingreditur R. V. dum vitam Sanctæ Vrsulæ, & Sodalium ejus aggreditur: quem ut enatare feliciter possit, Deum O. M. supplex rogabo. Ego interim libentissimè manum porrigerem, & adjumenta, quæ haberi possunt. Sed diu laborans in hoc Euripo, cum Britannicæ Ecclesiæ Annales conficerem, ante annos quatuordecim: & sæpè cum dubiis, fluctibusq́; colluctatus, ingenuè fateor, admodum operosè conatus sum, sed conatus tantum, temponere difficultates omnes rerum, temporum atque personarum. Quia tamen in eo opere laboranti necessum erat, non obiter aut oscitanter, de Vrsulâ agere, & ejus comitatu: genus, patriam, & parentes exponere: notare passionis, martyriiq́; tempus. & alia scribere, quæ historiæ conducebant: possum fortè manum aliquam porrigere: non quâ sine omni periculo naviges: sed tantum monere possum & cavere, ne nimium impingas. Possum, inquam, indicare scopulos, quos fugere; scyllam quam declinare, charibdim quam evitare debeat, quisquis navigaturus est in Oceano nostro. nam revera hic scopulus, hîc scylla, hîc charibdis sunt. Baronius, historicorum nostri temporis eminentissimus, Galfredum secutus, in charibdim impegit, ut benè notat R. V. sed pace tuâ dictum sit: in scyllam incidisti, dum illum, & illam vitas.

XI. *Scribis enim primò, Vrsulam filiam Dionethi Regis Hiberniæ, & probas è revelationibus. Secundò dicis accidisse martyrium ejus, anno ducentesimo trigesimo septimo, vel octavo. Vtrumque discussi ante annos duodecim: & mitto quæ tunc à me observata sunt tam ad annum illum, quàm ad annum 383. Denique rectiùs, opinor, definivi annum passionis, & patriam Vrsulæ ad annum Christi quadringentesimum quinquagesimum tertium. Quæ omnia mitto submittoq́; judicio saniori. Nunc addo. Qui Vrsulam*

DIONETUS BRITANNUS, NON HIBERNUS.

Hibernam faciunt (ut Hiberni) non Dionethi, aut Dionoti, sed majoris Regis filiam scribunt. Dionothus enim passim Britannus, & Cornubiæ Regulus audit. Iterum, qui Hibernam scribunt, & referunt martyrium ejus ad annum ducentesimum trigesimum septimum, manifestè labuntur, graviter in Chronologiam peccantes. Enimvero Patritius noster, primus in Hibernia Evangelium prædicavit, ut canunt Martyrologia, & omnes fatentur. Sed & ipse Patritius id testatur, in legatione suâ, quæ extat in magnâ Bibliothecâ Patrum, tomo quinto, parte 3. Patricius autem Hibernos convertit, tempore Cælestini Papæ, sub annum Domini quadringentesimum trigesimum, id est, ducentis annis à martyrio (quod asseris) Vrsulæ. estne autem credibile, Insulam unam, undecim millia Christianarum Virginum, aut potius triginta hominum millia emisisse, priusquam Insula Christiana esset? Deinde quis credet, Maximino imperante, qui, teste Eusebio, acerbam persecutionis tempestatem concitavit, licuisse tam publicum religionis ac pietatis exercitium, quale ab eis fingitur, qui Vrsulam Romæ peregrinam induerunt, cum tot Sociarum millibus?

XII. PEREGRINATIO URSULÆ REIICITUR.

Hos ego scopulos fugiendos putavi, ceu peccantes in historicam veritatem solœcismos. Quare Constantinus noster debet Vrsulam præcedere, Romanam Remp. Christo subdere: & Helena nostra, in Orientem proficisci, Crucem ibi eruere, purgare loca sancta, eadem colere, & peregrinationis pietatem publicè prima profiteri. Sic orbis docebitur Sanctorum Apostolorum limina frequentare. Aliàs miraculum foret, à nullo Authore tacendum, tot hominum millia, tam difficili tempore, urbem petere cultu peregrino. Hoc, inquam, in eorum sententiâ, qui Romanam profectionem in Vrsulâ agnoscunt. Cæterùm ego ab improbabilibus abstinens, profectionem illam non agnosco. Et licet minori miraculo fieri potuerit, anno quadringentesimo quinquagesimo tertio, simpliciùs puto nullam fuisse. Qui enim potuit tantus populus, tot terras, tot provincias, tam periculosò & Christianis infesto tempore, emetiri, ire, redire, silentio tanto; ut nemo profectionem adverterit, aut aliquod saltem vestigium ejus? Sæpè Reges nostri Romam perrexere, minori comitatu: & possumus consignare tempus, nominare Comites, legere plures itineris circumstantias; De Vrsulæ & Sociarum peregrinatione, nihil. Imo ante Vrsulam, Lucius in urbem misit Oratores: ipse etiam in Germaniâ peregrinus: & expeditionis illius habemus eloquentia argumenta, de Vrsula, & Romana Sociarum peregrinatione, nihil. Quare si me audis, sequere certiora, Dic Vrsulam & Socias, conscendisse naves in Thamesi fluvio, eo tempore, quo revera, turbatâ omni Britanniâ, fugiendum erat: & moriente Britannorum regno, regnum aliud nasciturum, fœminarum numero, & æternâ prele. Dic egressas fluminis ostium, dum dextrorsum flectere, & Armorices petere contenderent; adversantibus ventis, fluctibusq́; ad Rhenum delatas. Ibi terram nactas: dum mare nauseantes terrestre iter ad Armoricos parant; in Hunnos incidentes, cælum meliori compendio petiisse. Hic nulla salebra, nulla syrtes, nihil creditu asperum, nihil historiâ indignum. Hunnum tunc in Rheno vastantem; Armoricam Britanniam Orientem, Britanniam nostram Occidentem, sub annum Domini quadringentesimum quinquagesimum tertium loquuntur omnes historiæ, nostra, Gallica, Romanæ. Addo Gildam illi sæculo coævum, Britannorum fugam, & mulierum lacrymas, in fugâ colligentem.

XIII. *At inquies. Ergo Sanctorum revelationibus nulla fides adhibenda? Absit. nam certum mihi est, Deum sæpè, secreta sua cum amicis conferre (*Manifestabo ei meipsum*) sed addo: Certum quoque esse, Sanctorum revelationibus, dubia, incerta, falsaq́; aliquando misceri; seu pietatis impulsu sive impetu factionis? Hæc aliqui avidiùs, quàm par est, arripiunt: & ornant spartam, fuco interdum pessimo. Et vulgo quidem vendibilis, placetq́; fabula, & crescit eundo: denique membranis inscribitur. Tanta fuit antiqua temporum ostitantia, aut, par huic vitium, credulitas. Quis hoc non videt? Quis non ingemiscit? Quod si unquam hoc factum est: Id factum dico, in Vita Vrsulæ apud Capgravium. In qua tot sunt* ἄτοπα, *tot* ἀσύστατα, absona, & quæ non consistunt, *ut nunquam imperare mihi potuerim integram ejus lectionem. Habent hæretici in hujusmodi narrationibus quod meritò carpant. Licet enim passim peccent Sanctorum vitas & miracula elevando: non possumus tamen illis irasci, si aliqua premant, quæ incautior, & incomptior ætas obtrusit. Vrsula potest, Virgo esse, Martyr esse, Sancta esse: licet Romam non iverit, stipata Cyriaco nescio quo, Regibus, Ducibusq́; nescio quibus.*

Joannis 14. 21.

XIV. DE PATRIA URSULÆ.

Quod ad patriam spectat, Britannam, Britanniq́; Principis filiam, antiqui passim dixerunt: & recentiores ferè omnes. Sed in tacentibus, res ipsa loquitur; consilium, inquam, & terminus profectionis earundem. Certè non cupio vocalius argumentum: quàm quod provincia quò tendebant, subministrat. Ibi Britannus miles, è Britannia eductus, sæculo Vrsulam præcedente, Armoricam, à se Britanniam nominarat:

& quo æterna esset nominis memoria, ambibat sexum alterum; quærebatq́; : è Scotiâ forsan, quæ nunc Hibernia? & tunc Caledoniis juncta inimicis Britannici nominis, & sanguinis? Ab iis, inquam, qui Britannorum jugulos petebant, necdum posita ira, armisq́;? Noli id dicere. Sed potius petebat sponsam ab amico, cognatoq́; litore: & eo tempore petebat, quo educi tot Virgines, & imbellior sexus, poterant: & verò debebant. Vel Gildam consule, illi sæculo supparem: & perpende, si non prudens, & necessaria illius sexus, eo tempore, emissio. Hibernos duo fefellerunt: Amor patriæ, veniale peccatum: Scotiæ nomen, quæ cum modo Septentrionalior Britanniæ pars sit; & superioribus sæculis ab Hibernis insessa: eiusndicandi Sanctos è Britanniâ nostrâ, ansam præbuit. Tu doctior, & Britannum, opinor, censere debuisti, quando pro indagandâ historiæ veritate, non in Scotiam, non in Hiberniam, sed in Britanniam misisti. Ita scriptum, responsumque Superioribus literis, sub initium anni millesimi sexcentesimi trigesimi septimi.

XV. Nescio an hæ literæ, in Bebii manus pervenerint: non enim meditatum opus absolvit, morte præventus. Qui illi, in eo opere successit, Hermannus Cromback, successit etiam in ejus sententiam, & revelationes sequutus consignat Ursulani martyrii annum ducentesimum trigesimum septimum vel sequentem: Ursulam patriâ, & parente Hibernam asserit. Christianam illam; sed sponsum ejus Britannnum, & infidelem. In uno certè Bebium oon sequutus. nam iste è Britanniâ *adjumenta*, pro rerum veritate quæsivit: ille contra censuit: dataque operâ probat, pro historiæ Ursulæ nihil è Britanniâ petendum; quia nimirum multa variaque Saxonum, & aliarum gentium incursione, literarum monumenta perierunt. Ita ille in libro cui titulum fecit *Ursula vindicata.* Non est animus vindicias in vindicias scribere: & amicum lacessere. Volo tamen, quod olim pro Ursulâ, pro patriâ, pro veritate scripsi, firmare: non hoc loco; quia frustra fieret. Qui enim pro Ursulæ patria, pro tempore passionis ejus, proque tanto fœminarum comitatu contendit, nisi plures rerum temporum, locorum, personarum, circumstantias inter se conferat; aerem feriat necessum est. Quo in genere immane peccant, qui nudas Sanctorum vitas inspiciunt iisque conscribendis religiosiùs quàm oculatiùs insistunt. nam rectè dixit Aristoteles, *Ad pauca respiciens facilè pronuntiat.* nec ad Miracula aut Revelationes, in circumstantiis hisce investigandis, quæ humanâ industriâ colligi debent, recurrendum: & cum illa (ut in Ursulæ Legenda) nimia facilitate ingeruntur; illud Euripidis est serio revolvendum:

V. Ursulam Vindica. l. 2. c. 21.

* Σώφρονος δ' ἀπιστίας
Οὐκ ἔστιν οὐδὲν χρησιμώτερον βροτοῖς.

Euripid in Helena Act. 5
* Prudenti incredulitate nihil mortalibus utilius.

Cum Britanni Romanorum Imperatorum jussu, in Gallia militabunt: cum Armoricam pro stipendio accipient: volentque ibi prolem ad sequentia sæcula transmittere: cum Britannia viris exhausta fiet præda Saxoni: cum Gilda teste, fugere cogentur viri fœminæque, & Transmarinas regiones petere. Cum Rhenum, & Gallias, Hunni infestabunt. Tunc castissimum Ursulæ exercitum, nullo miraculo, & citrà fabulas è Britanniâ eductum, transmittam ad Armoricos, Britanniam alteram: & Hunni iter impedient. quod ante annum quadringentesimum quinquagesimum tertium, nec scribi, nec dici potest: Unde non placet assertio illa: *Si ullum post Christum natum, ad Constantinum usque magnum tempus cum S. Ursula collectione tanta Sodalitatis, peregrinatione Romana, & martyrio Coloniæ tolerato congruit, nullum certè melius, & aptius, eo cui Coss. Severus & Quintianus in fastis ascripti nominantur.* de quo effato dicam inferiùs ad an. 453.

ANNUS URBIS CONDITÆ 989.
ANNUS CHRISTI 238.
FABIANI PAP. I.
JULII MAXIMINI IMP. 2.

SEQUITUR Christi annus ducentesimus trigesimus octavus, Maximino Augusto & Africano Consulibus: quo Anterus Papa, per Vitulianum Præfectum Prætorio, & Sabinum urbis Præfectum pro Christi nomine Martyrio coronatur. In ejus demortui locum, Fabianus, mirabili ostento subrogatur. de quo Eusebius: *Post Anteri mortem aiunt Fabianum unà cum aliis, ex agro Romam commigrasse: ibique sua collocasse domicilia. ubi divinâ, & cælesti gratiâ largiente, ad Cleri administrationem, mirandum in modum electus est. nam cum omnes fratres, causa deligendi ejus, qui Episcopatum gereret, in Ecclesiâ convenissent: & multi de multis illustribus, & præclaris viris, ad illud munus obeundum idoneis, cogitarent. Quamquam Fabianus, qui tum fortè præstò erat, nemini in mentem venerat: derepentè tamen columbam, è sublimi devolantem (quæ similitudinem Spiritus Sancti super Servatorem in specie columbæ descendentis repræsentare videbatur) ejus capiti insedisse memorant. Ac propterea populum universum pariter, uno sacrati Spiritus instinctu, commotum, magna cum alacritate & uno animorum consensu, eum eo dignitatis gradu dignum clamasse: & absque mora abreptum in Sede Pontificali collocasse.* Hæc Eusebius, Græcus homo, & Romanæ Ecclesiæ lucis ac splendoris satis impatiens. I.

ANTERUS PAPA MARTYR.

Euseb. l. 6. c. 22.

FABIANUS PAPA MIRABILITER ELECTUS.

Qui Romanæ Urbis statum alterum vel eminùs contemplatur, facilè judicabit suspectæ fidei esse ea omnia, quæ Ursulam & illa Sociorum & Sociarum millia Romam deduxerunt, Maximino Augusto & Africano Consulibus; hi enim in Revelationibus (de quibus superiori anno) nominantur, in Ursulæ & Sodalium necem conspirasse. Hæc enim ibi, Beata Vetena narrante, habentur. *Cum essemus Romæ, fuerunt ibidem eo tempore duo Principes iniqui, quorum nomina erant Maximinus & Africanus: qui videntes magnam esse multitudinem nostram, & multos confluere ad nos, & nobis associari; indignati sunt vehementer adversum nos: & metuebant nè fortè per nos multum crescere & roborari deberet religio Christiana. unde cum explorassent iter nostrum, quò perrectura eramus: miserunt cum festinatione legatos ad quendam cognatum suum, nomine Iulium, qui erat Princeps gentis Hunnorum: hortantes eum, ut educto exercitu suo, persecutionem nobis inferret, ac deleret nos. Qui citò acquiescens voluntati eorum, cum armata multitudine egrediens irruit super nos, cum essemus Coloniæ: ibique effudit sanguinem nostrum.* Multa in hac oarratione sunt, in historiam peccantia. Maximinus, qui ibi (opinor) Maximus appellatur, hoc anno Romæ ooo fuit: nec unquam II.

Apud Usser. fol. 623.

Romam,

Romam, aut Consul aut Imperator vidit. nam Julius Capitolinus ita de illo: *Senatus cum tantum timuit: ut vota in templis publicè, privatimq́, mulieres, etiam cum suis liberis facerent; ne ille unquam Vrbem Romam videret.* Iterum quod de Julio dicitur Hunnorum Principe, novitatem sapit necdum enim Hunnorum mentio; & illi cum Scotis in Britanniâ, ad posteriora rejiciendi. nam benè Ammianus Marcellinus: *Hunnorum gens,* inquit, *monumentis veteribus leviter nota.* Sed Ursulæ vita ubique scatet hujusmodi dialectis. nam in exordio narrationis seu revelationis, de Ursulæ Sodalitio hæc habentur. *De diversis* (inquit) *partibus erant, videlicet Anglorum, Britonum, Wallionum, Scotorum, atque de aliis adhuc pluribus regnis & regionibus fuerunt oriundæ.* Anglorum, Wallionum, Scotorum nomen, adhuc incognitum, sufficienter ostendit narrationis acumen nullum fuisse. Omisissem ego id notare, si *Vrsula* benè *Vindicata* fuisset.

Capitol. in Maximino.

Marcell. l. 31. c. 2.

Apud Capgravium in Vrsula.

ANNUS URBIS CONDITÆ 990.

ANNUS CHRISTI 239.

FABIANI PAP. 2.

JULII MAXIMINI IMP. 3.

ANNus qui sequitur, Christi ducentesimus trigesimus nonus, Perpetuo, & Corneliano Consulibus, Romanum imperium tumultibus implevit. Afri rebellantes, occiso provinciæ curatore, Gordianum Imperatorem creant. Ille volens, nolens, sumptâ purpurâ, quam Senatus, populusque Romanus approbavit: eâdem mox, & vitâ exutus, reliquit aliis certamen de Imperio. Tum demum Roma, & omnis Italia tumultuari: creatisque è Senatus suffragio, Maximo, Pupieno, & Clodio Balbino, Imperatoribus, militum animi exasperari. Germania, ubi Maximinus, cum exercitu, indignè ferre, se pro Rep. laborantem negligi: Iterum Romanus populus, non è Senatorum ordine, sed ex Augustorum sanguine Principem velle, & demum Gordiani mortui, è filiâ nepotem, Cæsarem petere. Ita miles in Senatum: & in utrumque populus surgere. Interim Britannia nullis addicta partibus, Deo & literis vacare potuit. Quod reverà hoc tempore dicendum est: si benè scripsit Honorius Papa, anno Domini sexcentesimo vigesimo quarto, in diplomate illo, quod Caius, Cantabrigiensis Academiæ Advocatus recitat, probatque inde scholam illam à Fabiano Papa, probatam confirmatamque, ut suprà: sed quicquid sit de hederâ illâ, non est dubium, quin Fabianus in omnium Ecclesiarum commoda vigilaverit, doctisque faverit. Unde ad eum scripsit Origenes, *de doctrina suæ orthodoxiâ,* ut testatur Eusebius: & procul dubio, ab ore ejus, in rebus fidei, bonorumque morum pendebat omnis Britannia.

TUMULTUS SUPER ROMANO IMPERIO.

V. an. 186. *a.*

Euseb. l. 6. c. 29.

ANNUS URBIS CONDITÆ 991.

ANNUS CHRISTI 240.

FABIANI PAP. 3.

JULII MAXIMINI IMP. 4.

ANNO Domini ducentesimo quadragesimo, Ulpio, & Proculo Pontiano Coss. Maximinus Imperator, è Germaniâ in Italiam pergens, superatis Alpibus Aquileiam, munitissimam urbem, sibique resistentem expugnare aggreditur. sed miles ejus diuturnam obsidionem, & Imperatoris sævitiam pertæsus, eum, & unà filium, quem imperio asciverat, obtruncat. Tunc Maximus, & Balbinus, quos Senatus adlegerat Imperium nacti, ad paucos tantùm menses à morte Maximini, illud tenuerunt. nam miles Imperatorem legere assuetus, à Senatu electos noluit: sed utrumque dum Ludi Capitolini aguntur, interficit: Gordiano Cæsare, sedecim annorum juvene, Augusto creato, injectaque illi, de more, purpurâ.

MAXIMINUS OCCIDITUR.

GORDIANUS IMPERATOR.

ANNUS URBIS CONDITÆ 992.

ANNUS CHRISTI 241.

FABIANI PAP. 4.

GORDIANI IMP. 1.

ANNus Christi ducentesimus quadragesimus primus, Consules nominat Gordianum Augustum, atque Aviolam. nec aliud Annalibus suppeditat.

ANNUS URBIS CONDITÆ 993.

ANNUS CHRISTI 242.

FABIANI PAP. 5.

GORDIANI IMP. 2.

ANNus Christi ducentesimus quadragesimus secundus, Consules dedit Sabinum & Venustum: & Romano Orbi pacem. quando Virio Lupo Britanniam administranti suffectus est Nonnius Philippus: cujus nomen è ruderibus tantùm, infrà ponendis elicimus. nam antiqui Scriptores tegunt silentio quicquid rerum in Britanniâ hoc tempore gestum est. Unde corruit, quod scribit Richardus Vitus libro quinto historiæ, ubi Maximino imputat Regium Britannorum sanguinem extinctum: & Gordianum vult illum vindicasse. *Iam enim,* inquit, *sumptâ quasi vindictâ Regis Britannorum sanguinis, à Maximino extincti; nullus in Insula per aliquot annos Rex; nec ullus Britanniæ Præses, aut Legatus erat constitutus: sed Imperatores Romanorum, vel jure, vel injuriâ rem administrabant militesq́, publicis editis signis, eos, eorumq́, conjuges ac liberos ornabant.* Ita ille. Cæterùm Nonnium Philippum, post annum sequentem, in Britannia Legatum, & Proprætorem fuisse, votiva tabula demonstrabit.

L.

NONNIUS PHILIPPUS PROPRÆTOR BRITANNIÆ.

Ri. Vitus l. 5.

II. Num Regius Britannorum sanguis extinctus?

Quod de extincto Regum sanguine scribit: de tituli prærogativa intelligendum est. nemo enim à Lucii morte Regis nomen præsumpsit. Cæterùm Regius sanguis, non ideo extinctus, aut minor fuit. nam Cloelus, vel qui molliùs efferebant, Coëlus superstes erat, vir princeps inter suos Christianæ-fidei cultor, & in sanctâ prole illustrissimus. Dixi Principem inter suos: & Trinobantes, Regnos, & Icenos intelligo, provincias quas illi tenebant. Inter quos brevi Helena nascetur, Coëli filia: quam piè adolescentem Constantius Chlorus amabit, beabitque orbem Constantino filio. & tunc demum Regius Britannorum sanguis, modo pressus, respirabit.

ANNUS URBIS CONDITÆ 994.
ANNUS CHRISTI 243.
FABIANI PAPÆ 6.
GORDIANI IMP. 3.

SEQUITUR Christi annus ducentesimus quadragesimus tertius, Gordiano Augusto & Pompeiano secundùm Consulibus: quo natum est bellum Persicum, de quo Capitolinus: *Adolescens Gordianus* (inquit) *priusquam ad bellum proficisceretur, duxit uxorem, filiam Misithei, viri doctissimi: quem causa eloquentiæ, dignum parentela sua judicavit, & Præfectum statim fecit.* Tacet Capitolinus, & alii antiqui, quo nomine Misithei filia, Gordiani uxor, & Augusta appellata sit: Britannia tamen, prolatis tabulis statim testabitur, Sabinam Furiam Tranquillam dictam esse. Paulus Diaconus Tranquillinam vocavit: cum ait: *Gordianus admodum puer, cum Tranquillinam Romæ duxisset, uxorem, Iani Gemini portas aperuit.* nimirum hoc anno. nam sequenti Gordiani uxor in Britannia celebratur.

Capitol in Gordiano Tert. c. 23.

Gordiani uxor Sabina, Furia, Tranquilla.

Paul. Diac. l. 10.

ANNUS URBIS CONDITÆ 995.
ANNUS CHRISTI 244.
FABIANI PAPÆ 7.
GORDIANI IMP. 4.

I. ANNUS Christi Ducentesimus quadragesimus quartus, Consules habuit Atticum & Prætextatum: quando Gordiano, ad bellum contra Persas profecto Romanus miles, qui in Britanniâ excubabat, Imperatori suo, uxori, totique domui Augustæ fausta precatus est. Huic rei argumentum suppeditat votiva tabula, quam Æmilius Crispinus, Præfectus Equitum, apud Tuidrum oppidum in Africâ natus (ibi fortè, ubi Gordianus, Africæ Proconsul, Princeps est acclamatus, Victore teste, licet oppidum Thydri, Capitolinus Tysdrum vocent) posuit. In eâ tabulâ legimus, quis fuerit eo tempore, pro Romanis, Britanniæ Legatus, & quo demum nomine, Misithei filia vocaretur. Ita enim in Brigantibus, & Cambriæ provinciâ tabula inscribitur.

I. O. M.
PRO SALVTE IMPERATORIS
M. ANTONI GORDIANI P. F.
INVICTI AVG. ET SABINIAE TVR
IAE TRANQVILE CONIUGI EIVS TO-
TAQUE DOMV DIVIN EORVM ALA
AVGG. GORDIA OB VIRTVTEM
APPELLATA POSVIT: CVI PRAEST
AEMILIVS CRISPINVS PRAEF.
EQQ. NATVS IN PRO: AFRICA DE
TVIDRO SVB CVR. NONNII PHI-
LIPPI LEG AVG PROPRETO.
ATTICO ET PRETEXTATO
COSS.

Non est tacendum, quid Persicâ expeditione à Gordiano factum; quia inde pro patriâ Constantini, quem Nicephorus & Græci aliquando arrogarunt, argumentum sumitur. sic ergo Capitolinus: *Prætextato & Attico Consulibus, Gordianus, aperto Iano Gemino; quod signum erat belli indicti, profectus est contra Persas, cum exercitu ingenti; & tanto auro, ut vel auxiliis, vel militibus, facilè Persas vincere posset. Fecit iter in Mœsiam atque in ipso procinctu, quicquid hostium in Thraciis fuit, delevit, fugavit, expulit, atque submovit. Inde per Syriam, in Antiochiam venit, quæ à Persis jam tenebatur. Illic frequentibus præliis pugnavit, & vicit, Persarum Rege submoto. Et post Artaxansem, & Antiochiam recepit, & Carras, & Nisibin. quæ omnia sub Persarum imperio erant. Res sanè Persarum, tantum Gordianum Principem timuit: ut cum instructus esset, & suis copiis, & nostris: tamen civitatibus ipse præsidia sponte deduceret; easq; integras suis civibus redderet; ita ut nihil quod ad earum fortunas pertineret attaminaret.* Hæc ideo è Capitolino recitavi; quia post aliquot annos Græci Constantinum volent in Oriente natum esse; quia Constantius scilicet eò missus est, ut Persas Romano Imperio formidabiles, precibus, muneribusque ad pacem, & amicitiam flecteret. statui ergo Persarum motus, rerumque apud ipsos vicissitudines explorare: ut quæ de Constantini natalibus inferiùs dicenda sunt, meliùs innotescant, atque firmentur.

II.

Capitol. in Gordia. c. 26.

Gordianus in Persas pugnat.

ANNUS URBIS CONDITÆ 996.
ANNUS CHRISTI 245.
FABIANI PAP. 8.
GORDIANI IMP. 5.

ANNO Christi ducentesimo quadragesimo quinto, Apriano, & Pappo Consulibus: Cum Gordiani fortuna, imperiique felicitas staret in Misithei manu prudentiaque: cujus consilio tam domi, quàm foris, belli pacisque negotia gerebantur: Ecce tibi hoc anno ingens facta est felicitatis inclinatio, per ejusdem Misithei mortem: Philippi (ut putatur) qui statim regnaturus est, operâ acceleratam. Ipse certè Philippus, imperio inhians, Gordiano socius in imperio, & collega fieri, sollicitatis militum animis, ambivit, & obtinuit. I.

II. ECCLESIA CHRISTI NUNC ILLUSTRIOR. *Baron. hic.*

Ad Ecclesiam quod attinet, fides Christiana ubique cepit illustrior esse & quod Fidem sequitur, Ecclesiæ passim, in magnâ animorum pace surgebant non in Britanniâ modò, sed passim per Romanum orbem. Unde ad hunc annum ita Baronius. *Cum hoc tempore,* inquit, *omni ex parte persecutione cessante, Dei Ecclesia tranquillè ageret. Eâ benè usi occasione Ecclesiarum Præsides, Christianam religionem propagare, propagatamq́; illustrare ædificiis pro viribus studuerunt. Hinc factum, ut Fabianus Papa, multa ædificia in cæmeteriis fieri jusserit. Quæ enim subtus terram, latebant in cryptis arenariis, sepulchra Sanctorum Martyrum; erectis desuper ædificiis, reddita sunt clara atque conspicua, Christianorumq́; usui opportuna: qui ex more, eadem cæmeteria, ut orarent, frequenter adire solerent. At non Fabianus tantùm, hoc pacis tempore Romæ struebat Ecclesias: sed alii quoque Episcopi, in suis quisque Sedibus, ad fidelium commoditatem Deo dicanda ædificia erigebant. nam Gregorius Nissenus in omni loco, tunc templa atque altaria a fidelibus erecta testatur.* Hæc ideo à me allata sunt, non tam ut idem in Britanniâ factum ostendam, quàm ut probem, quæ suprà de Britannorum templis, altaribus, sacrificio, dicta sunt, Catholicam & orthodoxam Fidem esse: nec unius Insulæ angustiis circumscriptam; sed crescente fidelium numero, & infidelium furore quiescente, per universum terrarum Orbem dilatatam. Potuit hæc sacrarum ædium structura, Romæ, & alibi, ubi Imperatores in Christianos sævierant, nova & insignis videri: non ita in Britannia, quò nulla adhuc pervaserat persecutionis acerbitas. Ibi ergo Obinus Londinensis Episcopus, ut alii, per Orbem, Ecclesias erigere, vel erectas ornare potuit. Et idem præstare potuit, qui Obino successisse dicitur, Conanus, quintus in serie Londinensium Episcoporum.

CONANUS LONDINENSIS EPISCOPUS.

ANNUS URBIS CONDITÆ 997.

ANNUS CHISTI 246.

FABIANI PAP. 9.

PHILIPPI IMP. 1.

GORDIANUS OCCIDITUR.

ANNUS Christi ducentesimus quadragesimus sextus, Peregrino & Æmiliano Consulibus, Gordiani Imperatoris morte funestus fuit. Hic Philippi collegæ factione occisus, docuit in lubrico stare, qui purpurâ vestiuntur. Hoc etiam Gordiani successor brevi testabitur: cum eâdem, quâ ascendit arte, de culmine decidet. In uno cæteris fælicior, quòd ambitionis & homicidii crimen, baptismi aquis eloet, & millesimum Urbis Conditæ annum religiosè celebrabit.

ANNUS URBIS CONDITÆ 998.

ANNUS CHRISTI 247.

FABIANI PAPÆ 10.

PHILIPPI IMP. 2.

I. SEQUITUR Christi annus quadragesimus septimus supra ducentesimum, Philippo Augusto, & Fabio Titiano Consulibus: Helenæ natalibus illustrissimus. Jam suprà vidimus benè fundatam, Lucio Rege, Britannorum Ecclesiam, & Regiæ pietatis fructum aliquem delibavimus. Sed fuit Christianæ religionis aurora tantùm, ob tenebrarum confinium. nunc altiùs surget Ecclesia, & lucere magis incipiet, *pulchra ut Luna*, sub natam Helenam: inde *electa ut Sol*; cum fidei radii, ubique spargentur, Imperante Constantino. Qui cum è cælo nostro fluxerint; quivis colligendi peritus; quàm Christiana prius fuerit Britannorum Ecclesia, facilè conjiciet. Succedat ergo Lucio sancto, Helena mater M. Constantini, prodeatq́ue in Lucem, & patriæ statum, Fidemq́ue testetur. Priùs tamen duo paucis indicabo, vel supponam potius: & Britanniam, Helenæ patriam esse, & illam sub hæc tempora natam. Primùm infrà, in Constantino filio, cum ille nascitur, fusiùs ostendam. Alterum, non alio argumento probare possum, quàm affirmando Helenam, octoginta ferè annos natam, vivendi finem fecisse, (quod affirmat Eusebius) sub annum vigesimum sextum sequentis sæculi. ut ibi dicetur probabiliter. Et quia subducto calculo ab anno ducentesimo quadragesimo septimo, ad sequentis sæculi annum sextum & vigesimum exeunt anni ferè octoginta: ideo natalem Helenæ huc referimus.

HELENA SANCTA NASCITUR.

Euseb. l. 3. in vita c. 45.

II. V. an. 242. 2. HELENÆ PARENTES.

Nascitur Helena, è patre Coëlo, quem suprà dixi virum Principem, in Trinobantum, Regnorum, & Icenorum provinciis. An apud Regnos, vel potius apud Trinobantes nata sit, quæstio esse potest. (de qua infrà ad an. 275. n. 61.) quia utrobique parens principatum tenebat. Communior nostrorum opinio, pro Trinobantibus est: ubi Essexiensis ager & urbs Colcestria, illius agri primaria, Helenam suam civem & Principem asserit. Fuit certè hoc tempore urbs illa florentissima. *Vt infinita vis antiquorum nummorum, quotidie eruta planè docet*, inquit Camdenus, & addit: *In nullos tamen Gallieno antiquiores incidimus. Erant Tetricorum, Victorinorum, Posthumi, Carausii, Constantini, & qui subsecuti sunt Imperatorum.* Hi sunt, (de primis loquor) qui tyrannidem usurpantes sub Helenâ virgine, aut parente; Britannias in factionem suam traxerunt. Cæterùm quòd Helena in supradicta urbe nata sit, probat idem Author non contemnendo argumento. *Cives Colcestriæ* (inquit) *Flaviam Iuliam Helenam, Constantini Magni matrem, suam alumnam fuisse asserunt, ex Coëllo Rege natam. Et in memoriam Crucis ab ea reperta, Crucem nodosam, inter quatuor coronas positam, publico in clypeo gerunt.* In eâdem quoque urbe natum ex Helenâ Constantinum, dicam infrà, cum Græcorum fabulam excutio, & pro Constantini & Helenæ patriâ disputo.

Camden. in Colcestria.

V. an. 275. 61. 62.

III. OBIECTIONI OCCURRITUR.

Interim scrupulum eximo, qui incuriosos aliquando premit. Quî fieri possit, ut Helena dicatur, è Coëlo nata, viro Principe, & regii generis: cum Eutropius aliq́ue plurimi, ex obscuro matrimonio editum Constantinum dixerint. Quibus addi potest S. Ambrosius, qui Helenam stabulariam appellavit: quæ de Principis filiâ inconcinnè dicuntur. Respondeo breviter (infrà fusiùs cum Constantini natales explico) Antiquorum, hac in re habendam esse rationem, & ex eorum verbis, menteq́ue, posteriorum voces metiendas. Panegyrici oratores, qui Constantinum coram & publicè laudaverunt; non aliud frequentiùs usurpant, quàm de illius generis

nobilitate sermonem: & sine dubio utriusque parentis originem exprimunt, cum dicunt: *Tanta est nobilitas originis tua: ut nihil tibi addiderit honoris imperium.* & iterum de eodem: *Qui ortus sui sublimitate, verticem felicitatis tenuit adeo, ut non posset esse nobilior.* Quod verum esse nullo modo potest, si revera altera parente vili, stabularia, aut hospitis filia nascitur. Sed quia Oratores in Constantini laudes effusi; Helenæ nomen silentio tegunt: dicat religiosus Abbas Berengosius, qui in magnâ Patrum Bibliothecâ legitur sæculo septimo, quænam fuerit Constantini mater Helena. *Helena*, inquit, *nobilis fuit genere, sed nobilior sanctitate. Etenim nobilitate morum suorum, nobilitatem præcellebat aliorum.* Et quoniam Helena non Regi, non Cæsari, sed tantum Senatori Constantio nupsit, ut infrà dicetur. Ideo idem Author affirmat Helenam marito nobiliorem fuisse. nam ita alibi loquitur: *Vnde cum melior esset Helena Galerio, & nobilior Chloro (ita Constantius à pallore dicebatur) mirum non est, quod tam nobilis femina, tam nobili sociata est viro.* Cæterùm cur Helenæ Constantiique nuptiæ, *obscurum matrimonium* aliquando vocentur. Iterum, cur Helena, modo *Concubina*, modo *stabularia* audiat: cùm illa Constantio jungetur, exponam.

Eumenius pan. 9.
Idem suprà
Berengo. l. 2. de Inuen. Crucis c. 2.
Idem suprà l. 3. c. 2.
V. an. 275. 44.

ANNUS URBIS CONDITÆ 999.

ANNUS CHRISTI 248.

FABIANI PAPÆ 11.

PHILIPPI IMP. 3.

ANNO Domini ducentesimo quadragesimo octavo, Præsente & Albino Coss. Cum Philippus Imperator, filium sibi cognominem, anno superiore, collegam in Imperio declarasset; uterque hoc anno, in Christianam Fidem propensus, Fabianum, Romanum Pontificem, libenter de Christo, & unico Deo disserentem audivit. Severa quoque Augusta, Philippi Senioris uxor, Christiana fæmina, utrumque pellexerat, eo fructu quem statim spectrabimus.

SEVERA AUGUSTA CHRISTIANA.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1000.

ANNUS CHRISTI 249.

FABIANI PAP. 12.

PHILIPPI IMP. 4.

I. ANNUS qui sequitur Christi Domini ducentesimus undequinquagesimus, Duobus Philippis, Patre secundùm, filio primùm Consulibus; numerat ab undecimo Kalendas Maii, annum ab Urbe conditâ millesimum: & utrumque Consulem Christianum vidit. In actis Pontii Martyris, conversionis eorum exordia describuntur in hunc modum. *Pontius, præfecturâ auctus, familiariter notus erat, & amicus Philippis Imperatoribus. Illi verò, anno conditæ Vrbis millesimo, dixerunt ei: Eamus, & propitios nobis faciamus Deos magnos, qui nos in hunc Romanæ Vrbis millesimum perduxerunt. Pontius verò, multis modis subterfugere nitebatur: sed illi, ut amici cogebant eum facere Sacrificium. Tum ille, credens sibi oblatam a Deo occasionem, O piissimi, inquit, Imperatores, cum a Deo collatum vobis sit augustum in homines imperium; cur non eum potiùs adoratis, à quo tanto aucti estis beneficio. Philippus Imperator respondit. Ego verò eâ causâ, magno Deo Iovi sacrificare cupio: quòd ab illo mihi collata sit hæc potestas. At Pontius subridens: ne erres Imperator, est Deus omnipotens, in cælis, qui omnia condidit verbo suo, & spiritus sui gratiá animavit. Quid plura? Imperatores, hi, & alii ejus sermonibus permoti, crediderunt, & à Sancto Fabiano Papa baptizati sunt.* Hæc ibi, meminere hujus conversionis Vincentius Lirinensis, Orosius, Cassiodorus, & alii. Et Vincentius, Philippum propterea vocat *primum Romanorum Imperatorem, qui Christianus fuerit.* Quod de privata Fidei professione intelligendum. Cæterùm quia M. Constantinus ultra progressus; & publicis edictis idola demolitus, Christianæ religionis pomœrium, longè lateque tam in Oriente, quàm in Occidente protulit: meritò Christianorum Imperatorum primus Princepsque, publicis Ecclesiæ tabulis, inscribitur.

Apud Surium to. 7 die 14. Maii
PHILIPPI AUGUSTI AD FIDEM CONVERTUNTUR.

II. Ita Philippus à Fabiano Pontifice baptizatus, benè Lucium Britannorum Regem sequutus est: eisdem sacris, eodem modo, ab eadem Ecclesiâ sacris initiatus. Quod non est opus pluribus ostendere: quia, ut in fide, ita in ritibus integerrima, & eadem hactenus mansit Romana Ecclesia. Cæterùm qui Philippi Fidem, & orthodoxæ Ecclesiæ ritum, penitius intueri vult: legat quæ habet Eusebius, de Fabiano Papa, jubente illum, inter pœnitentes stare. *Fama est*, inquit ille, *Philippum (Christianus namque erat) cum precationum, in die postrema vigiliæ Paschatis, unà cum multitudine, in Ecclesiâ particeps fieri vellet: non prius ab Episcopo, qui tum Ecclesiæ præerat, permissum esse intrare: quam se confessus fuisset, & inter eos, qui peccatorum vinculis adhuc tenebantur astricti, locumq́; pœnitentiam agentibus præstitutum occupabant, se sua sponte collocavisset, Episcopumq́; dixisse: eum non alia conditione, nisi istud faceret, propter multa delicta, quæ ab illo ferebantur admissa, aliquando ab ipso, in Ecclesiam receptum fore. Imperatorem autem alacri animo, & lubenti, Episcopo morem gessisse; & ingenuam modestiam, ac religiosam, piamq; affectionem, Dei timore incitatam, reipsa declarasse memorant.* Hæc Eusebius. dignum Regiæ pietatis exemplum, quod cum Lucii præcedentis, & Constantini subsequentis modestia componatur. Philippus, pessimo facinore regnum invaserat; nec debuit Ecclesia id dissimulare. Jubet ergo dignos pœnitentiæ fructus facere: & publicè luere, quod publicè peccaverat: Ita cum Philippo factum: quo discerent Principes, nullum esse iniquitati pallium, purpuram.

PHILIPPI BAPTIZANTUR.
Euseb. l. 6. c. 27.
PHILIPPUS IMP. PÆNITENS.

III. Cum Philippo Patre, baptizatus est filius. nam hoc anno simul Augusti, simul Consules fuerunt. Uterque Christianam Fidem amplexus, uterque in eâ mortuus. Utriusque memoriam Britanni conservarunt, in pervetusto saxo, inter rudera invento, in vico Thorisbcio, apud Cambrios in Brigantibus: ubi ad modum columnæ, inscriptâ Epigraphe, fortè hunc annum designat, quo Junior Philippus, primùm Consul fuit. Inscriptio autem est hujusmodi.

MONUMENTUM PHILIPPORUM IN BRITANNIA.

IMP. CÆS.
M. IVL.
PHILIPPO
PIO FELI-
CI.
AVG.
ET M. IVL. PHI-
LIPPO NOBILIS-
SIMO CÆS.
TRI. P. COS.

IV. DE NOMINE UTRIUSQUE PHILIPPI.

Hinc corrigi fortè potest, Aurelius Victor in Epitome: qui Seniorem Philippum, Marcum Julium Philippum; Juniorem verò Caium Julium appellat: cum reverâ uterque Marcus Julius dicatur; quod patet etiam è nummis apud Baronium in millesimi Urbis anni monumentum cusis: ubi uterque M. Jul. Philippus Aug. inscribitur, de quibus statim.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1001.

ANNUS CHRISTI 250.

FABIANI PAP. 13.

PHILIPPI IMP. 5.

I. CIRCA calculum anni ducentesimi quinquagesimi, variant historici: Quidam huc referunt Urbis conditæ annum millesimum, nimirum cum Philippus Pater tertium, Philippus filius secundum Consulatum gererent. Ita Scaliger, & alii, apud Gordonium hic. Quod probari videtur, è nummis, de quibus suprà ubi milliarium ponitur illis Consulibus: & ecce illos.

Baron. an. 249. Ponitur uterque Nummus.



II. Verùm cùm suprà dixerim millesimum Urbis annum à palilibus numerandum, & undecimo Kalendas Maii: Consules autem Magistratum inire soliti sint Kalendis Januarii: sub finem anni millesimi, hoc est, anno ducentesimo quinquagesimo, nummi illi cudi potuerunt; adeoque Philippo tertiùm, & filio secundùm Consulibus. Unde non malè ponitur millesimi initium, anno superiore. Ideo porro millesimus hic annus in historiâ curiosè mihi explorandus & observandus est; quia multa in Authoribus occurrunt, quæ annorum seriem continent; quæque ab Urbe conditâ numerantur. & Justus Lipsius; quicum infrà de patriâ Constantini disputandum erit; Constantinum natum asserit, circa annum millesimum vigesimum tertium U. C. Tunc itaque, per me licet, Helena Constantinum pariet. quæ modò trimula, tunc justæ ætatis, Constantii uxor, mater esse poterit, de cujus ad pietatem indole, mox dicemus.

III. CYPRIANUS CARTHAGINENSIS EPISCOPUS.

Hoc anno Cæcilius Cyprianus factus est Carthaginensis Episcopus, vir ob insignes animi dotes, ingeniique præstantiam, laude & Annalibus dignissimus. De eo Lactantius Firmianus, ejusdem cum eo sæculi, hæc habet. *Multa admodum conscripsit Cyprianus, in suo genere admiranda. Erat enim ingenio facili, copioso, suavi & , quæ sermonis maxima est virtus, aperto. ut nequeas discernere; utrùmne ornatior in eloquendo, an facilior in explicando, an potentior in persuadendo fuerit.* Magis adhuc ornat Cyprianum Gregorius Nazianzenus, ita illum alloquens. *Sive me tibi doctrina tua, atque eloquentia conciliet: quá tu tantò reliquos mortales antеibas, quantò nos bruta animantibus præstamus.* Hunc tamen virum factiosi pro libito exagitant.

Lactant. Instit. divi. l. 5. c. 1.

Nazian. orat. de laude Cypriani.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1002.

ANNUS CHRISTI 251.

FABIANI PAPÆ 14.

PHILIPPI IMP. 6.

ANNO Christi ducentesimo quinquagesimo primo, Æmilianus & Æquilinus Consules fuerunt: quo mortuum Philippum plurimi affirmant: sed Eusebius Cassiodorus, Baronius, & alii, ejus vitam ad sequentes annos prorogant.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1003.

ANNUS CHRISTI 252.

FABIANI PAP. 15.

PHILIPPI IMP. 7.

ANNO, qui sequitur, ducentesimo quinquagesimo secundo, Decius & Gratus Consulatum ineunt: & Alexandriæ persecutio in Christianos excitatur. Ita lætis rebus solet Deus miscere tristia.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1004.

ANNUS CHRISTI 253.

FABIANI PAP. 16.

DECII IMP. PRIMUS.

I. Annus Christi ducentesimus quinquagesimus tertius, Decii & Etrusci Consulatu notatus, ab Urbe conditâ millesimus quartus numeratur. Decii imperio, & Philipporum morte cruentus. Ille purpuram affectans Philippum Patrem ex urbe evocavit, pro imperio certaturum, cumque Veronæ interfecit: cum eodem ferè tempore, eâdem factione, Philippus filius Romæ occiditur. Ita uterque principatum scelere partum, pari scelere amisit. Successit Decius, Christianum sanguinem, quem in Augustis gustaverat, admodum sitiens; qui crudelissimâ persecutione Christianos vexavit adeò, ut nisi abbreviati fuissent dies ejus, non fieret salva omnis caro.

Uterque Philippus occiditur. Septima Persecutio sub Decio.

II. Quod ad rationem temporis attinet, quæ rerum gestarum optima moderatrix est. scio multos, Philipporum mortem, ante biennium, recensere: Baronianam Chronologiam causantes, quòd Imperatorum annos malè digesserit. sed novorum ingeniorum vitium est, novis rebus delectari, & antiqua nauseare. Benè igitur Baronius hoc anno sententiam suam firmat prolatis tabulis. *De nece Philipporum*, inquit, *hoc anno (ducentesimo quinquagesimo tertio) vetus extat monumentum Veronæ, ubi senior necatus est, his verbis conscriptum.*

ANNO CHRISTI CCLIII. IMP. DIVUS PHILIPPUS SENIOR, VERONÆ: ET ROMÆ JUNIOR, A SATELLITIBUS INTERFICIUNTUR.

Astipulatur inscriptioni huic Paulus Orosius, qui libro septimo disertè scribit: *Anno ab Urbe conditâ millesimo quarto, Decius, civilis belli incentor, & repressor; occisis Philippis, vigesimus quintus ab Augusto, invasit imperium, tenuitq; annis tribus.* Quod si dixerimus, Philippum ad septimum regni annum pervenisse: necessum quoque erit affirmare, occisum non anno ducentesimo quinquagesimo, ut plerique volunt, sed biennio post. Cæterùm qood septem annis regnaverit, multi constanter affirmant. & Florentius noster Wigorniensis ita de eo: *Romanorum vigesimus octavus, Philippus, cum Philippo, filio suo, secundùm omnes* (antiquos fortè intelligit) *regnavit annis septem.* & paulò inferiùs: *A conditione Urbis, ad obitum Philippi mille tres anni.* completos intelligit, nam post aliqua, de Deciani regni exordio, ita scribit. *Decius secundùm Orosium regnavit annis tribus, mensibus tribus. juxta Eusebium & Bedam, atque Cassiodorum, anno ab Urbe conditâ, millesimo quarto. incipiens.* Videant ergo qui levi calamo Baronii Chronologiam lacerantes, biennio post illum, in annorum calculo claudicant. nunc ad Decii persecutionem, & Christianam Remp. transeo.

Orosius l. 7.
Quot annos Philippus regnavit.
Wigorniensis ad an. 256.

III. Surrexerat Christi Ecclesia pulcherrimis incrementis; & ubique per orbem Christiana Fides, depressis idolorum sordibus, eminebat: cum inferorum portæ eandem aggressæ, obliterare omninò conatæ sunt. Gregorios Nissenus statum hujus temporis ita describit. *Iam in omnem partem pervaserat divina prædicatio: & omnes tam in civitate, quàm in eâ quæ circumcirca sita est regione, ad piam rectamq; dogmatis Fidem erant traducti. Altariaq;, & templa, & quæ in eis fuerant simulacra erant eversa. Ex purgatâ autem humanâ vitâ, ab idolorum inquinamentis, extinctusq; erat sceleratus nidor sacrificiorum, ablutusq; cruor ex altaribus, & sordes cæsorum animalium. Omnes autem in omni loco, in Christi nomine templa erigebant & oratoria: cum Romanorum, qui tum erat, Imperatorem subiit ira, atque invidia; propterea quòd falsa ejus patria neglectui esset superstitio. Augebatur autem mysterium Christianorum, & per totum Orbem terræ multiplicabatur Ecclesia, per eos qui semper verbo adjutebantur. Et cum existimasset fieri posse, ut divinæ virtuti sua resisteret acerbitas: & reprimeret quidem verbi prædicationem; dissolveret autem cætus Ecclasiarum: ad gentium Præsides mittit edicta, terribiles supplicii minas in eos statuens, nisi omnibus probris, contumeliis & cruciatibus afficerent eos, qui nomen Christi adorabant.*

Felicem Ecclesiæ statum persecutio excipit.

Cætus prohibentur.

IV. Hæc Decii tempestas Dominicam arcam pervadens, & persecutionis vento concutiens; paleas à frumento pulcherrimo excrevit, atque distinxit. Ex isto panem mundum, cælesti mensâ dignum confecit Ecclesia, misitque hoc anno in cælum, Fabianum Papam, Babylam Antiochenum, & Alexandrum Hierosolymorum Antistites. Illæ ab horreo Christi ejectæ, æterni ignis pabulum fuerunt. Has paleas ego breviter colligam, quò videant posteri primitivæ Ecclesiæ fideique puritatem: & quâ ratione ab illâ fiat descensus. nam Britannia, ubi hoc tempore surgebant Ecclesiæ, & ubi fiebant Christianorum cætus; vel tempestati huic obnoxia fuit ut illi putaverunt, qui Beatum Angulum Londinensem Episcopum sub Decio passum affirmant (de quo ad annum trecentesimum quintum) vel si legum suarum, locique privilegio, ut hactenus tuta: poterit tamen, tractu temporis, eodem modo tentari. Juvat ergo majorum exemplo muniri: & quomodo in Fide standum, & quanto cum periculo vacilletur, edoceri. Nam fortè posterioribus sæculis nihil eveniet, quod non præcesserit in primis. Hinc primæ Ecclesiæ facies, ceu speculum ob oculos ponenda: quo quid deceat, dedeceatque videamus. Cæterùm quia Christianæ fidei puritas, ut pupilla oculi, facilè læditur, & vel minimo nævo multùm vitiatur: ideo majori studio inspicienda, contemplanda, conservanda est.

Fabianus Papa Martyrio coronatur.

V. Inter electa plurimorum Martyrum grana, quæ Decii Imperatoris turbo ventilavit, paleæ fuerunt ex horreo, ut dixi, hac tempestate excussæ. Illos dico, vel qui tormentorum metu persequentibus cesserunt viles animæ, idolis thura cultumque præstantes: vel qui utroque pede claudicantes, non quidem publicè Christum negare, aut idola colere; clàm tamen, & tectâ verborum formulâ, Christo, fideique injurii fuerunt. & qui ne publicè ad idola raperentur, immunitatem pecuniâ, cùm priùs clàm Christo renuntiassent, redemêre. Hi dicti sunt Libellatici (quòd libellum immunitatis à Magistratu impetrassent) quos Romana Fides semper abhorruit: quæ non tantùm Fidei substantiæ, sed omnibus

Inter grana fuerunt paleæ, et quænam.

Libellatici et cur ita dicti?

fidei circumstantiis cavet. Et amphibia animalia, quæ unum ore, aliud corde sentiunt, ceu immunda reputat. Prætendebat hoc hominum genus, Cæsari dandum aliquid, & edictis ejus, sub cujus imperio vivebant. Fidemque publicis factis, & cordis conscientiâ, non privato opere, metiendam. Hoc impietatis pallio perfidiam occultans: cum reverà prudentia carnis esset, & genius nequam. Cyprianus, quem nuper laudavi eleganter hoc ulcus detexit his verbis. *Dissimulanda (fratres) veritas non est: nec vulneris nostri materia, & causa reticenda. Decepit multos patrimonii sui amor cæcus: nec ad recedendum parati, aut expediti esse potuerunt, quos facultates suæ, velut compedes ligaverunt. Illa fuerunt remanentibus vincula, illæ catenæ; quibus & virtus retardata est, & Fides pressa, & mens vincta, & anima præclusa: ut serpenti terram, secundum Dei sententiam devoranti, præda, & cibus fierent, qui terrestribus cupiditatibus inhærerent.* Ita ille, de pessimâ hac prævaricatione; de igne fatuo hominem in devia seducente. Quo seducti videntur, qui aliena sacra adeundo, civilis obedientiæ pallium induunt: eoque peccatum vel tegunt, vel defendunt. Quos ideò prima hæc, & virgo Ecclesia, Lapsos vocat.

Cyprian. de Lapsis.

PATRIMONII CÆCUS AMOR MULTOS DECIPIT.

VI. Sublato per martyrium Fabiano, Romanæ & Catholicæ Sedis Episcopo: tanta erat persecutionis immanitas: ut Clerus pro novi Pontificis electione convenire non posset. Ita mansit Ecclesia, per annum & suprà, Pastore viduata. Cum enim Ecclesiarum imprimis Capita peterentur; consultius visum, Christianum gregem, Vicario tantùm imperio regere, quàm Principem eligendo, Imperatoris servitiæ illum exponere. Quod si hoc Romanæ & universali Ecclesiæ necessarium censebatur. Id inferioribus Ecclesiis, cum pericula ingruunt, aut adversariorum ira timetur, erit aliquando longè consultissimum. Nec hoc est Fidem prodere, aut in ullâ circumstantiâ claudicare: sed tantùm Ecclesiastici ordinis splendorem paululùm continendo; tenebris & iræ locum dare: donec dies illucescat, & Lucifer oriatur in cælo nostro.

ECCLESIA ROMANA VIDUA LUGET PER ANNUM ET SUPRA.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1005.

ANNUS CHRISTI 254.

CORNELII PAP. 1.

DECII IMP. 2.

I. ANNO Domini ducentesimo quinquagesimo quarto, varii Consules recensentur Decius tamen tertiùm, & Gratus secundùm fuisse videntur. Tunc cum diu Romana Sedes vacavisset, electus est magno Cleri consensu, in primæ sedis Antistitem, Cornelius; qui egregiè constanterque defendit Ecclesiam, quam novi homines lacerabant. Quod priusquàm aggredior; Decius Imperator, qui multum Christiani sanguinis fudit, debet fundere & suum. Ille hoc anno, contra Gothos, qui Mœsiam, Thraciamque vexaverant, profectus; à Treboniano Gallo, Duce exercitus proditus; cum filium interfectum cerneret, in paludem insiliens, armorum vi depressus, nunquam apparuit. In quem jure Constantinus noster, in oratione, quam ad Sanctorum cultum habuit, sic invehitur. *Abs te, Deci, jam sciscitari volo, qui aliquando justorum laborem insectatus es; qui Ecclesiam odio habuisti; qui pœnam sanctè pieq; degentibus irrogasti: Quid crudelitatis jam post hanc vitam patras? Imo verò, quibus, & quàm acerbis calamitatibus, ipse quasi irretitus teneris? Tuam profectò miseram, & infelicem conditionem satis declaravit illud temporis intervallum; tanquam inter vitam & mortem interpositum, cum ipse in agris Scythicis, una cum omnibus copiis prostratus, Imperium Romanum, omnium ore celebratum, Getis ludibrio, & despectui objecisti.* Ita Constantinus in virum sanguinum, qui non dimidiavit dies suos.

CORNELIUS PAPA.

DECIUS OCCIDITUR.

II. Extincto Decio, Trebonianus Gallus invasit imperium, & filium Volusianum, collegam ascivit. Quorum initia, halcionios dies in Ecclesiâ fecerunt, & plurimi Confessionis gloriâ illustres; quos Decius in vinculis, & squalore tenuerat, soluti sunt. sed in pace amaritudo mea amarissima. Novatus ex Africa, quam turbaverat, Romam veniens, non sinit illam quiescere: sed nactus ibi Novatianum, è Romano Clero Presbyterum, ob Cornelii electionem, invidiæ & ambitionis stimulo turgidum, illum in novi schismatis societatem trahit. Causa prætenditur (nunquam deest schismati fucus) Lapsorum reconciliatio: quos scilicet Novatus, etiam pœnitentes, in Ecclesiam, & fidelium communionem admitti nolebat. Cum prius tamen in Africâ, Cyprianum arguisset, quòd Lapsos non admiserit: sed jusserit, pacis tempora expectare. Ita factiosi plerumque versipelles sunt. Quid plura? inito cum paucis fœdere, Cornelii electio in dubium primò vocatur. mox nulla prætenditur: & demum Novatianus, è factiosorum subsellio Pontifex decernitur. Sed melior orbis monstrum horruit; & Cornelium, ut priùs, veneratus est. Britannia certè ab ipso stetit, fictitium caput detestata. nam ita Gildas cognomento Sapiens Insulæ excidium deplorans. *Novatus* (inquit, & Novatianum intelligit, ut benè probat Baronius) *Roma, Dominica conculcator margarita, porcus niger, patria ingerit violentas manus; non tam dignus venerabilibus aris, quàm flammis inferni ultricibus.* Ita ille, de Novatiano & similibus, quos etiam verè, Diabolica organa vocat. Porrò quod Novatianum, Novatum vocet; Eusebium in eo sequutus, excusari potest. nam ille libro sexto historiæ c. 35. eodem modo Antipapam vocat, cum ejus scelera recensens, è Cornelii literis, hæc habet inter cætera: *Novatus in lecto in quo decumbebat, aqua circumfusus, baptismum accepit. Verùm morbo tandem elapsus: neque cætera, quibus post baptismum, secundùm Ecclesiæ Canonem, imbui oportuerat, acquisivit: neque Domini sigillo ab Episcopo obsignatus fuit. Quo quidem nentiquam potitus; quomodò quaso Spiritum Sanctum adeptus est?* Sic Ecclesiasticorum rituum declinatio, in apertum schisma inclinatio est: & illa tandem in hæresim desinit.

TREBONIANUS GALLUS ET VOLUSIANUS FILIUS IMPERANT.

NOVATUS EX AFRICA NOVATIANI SCHISMA PROMOVET.

Gildas in Excidio.

III. Quàm immane Novatiani flagitium hoc fuerit, quo Romanæ Ecclesiæ unitatem scidit, declarat Dionysius Alexandrinus, ad quem ille scripserat de electione suâ, quam invitus, scilicet, subiisset: nam ita rescripsit. *Novatiano Fratri salutem. Noléusne ad Sacerdotium fueris inductus; ita demùm ostendes, si volens cesseris. nam oportuit, quidvis etiam hac gratiâ perpeti, ne*

Apud Hieronymum de Script. Eccl.

discinderetur

Præclara Dionysii sententia.

discinderetur Ecclesia Dei. Neque minùs præclarum ex hoc contigisset testimonium, quod voluisses dissidium inducere: quam proficisci solet ex eo, si quis recusset simulacris immolare: atque adeo præclarius etiam, mea quidem sententia. Siquidem illic, unius, propriæque, consulitur animæ: hic totius Ecclesiæ negotium agitur. Unde illi arguuntur impiissimè fecisse; qui nuper, ob res, ut ipsi vocant, non fundamentales, à Romana Ecclesia, Fideique fundamento secessionem fecere; cum debuissent priùs gravissima pati, quàm discinderetur Ecclesia Dei. Et qui, in tali schismate, constantes in orthodoxâ Fide stetere; æquali cum illis elogio digni sunt, qui simulacris immolare recusarunt: nam pari videntur impietatis passu incedere; qui alienis se sacris ingerunt, & qui ad simulacra procumbunt. utrique enim cerebri idola sequuntur: non rectam, oon Romanam, & orthodoxam Fidem.

IV. Novatianus Antipapa negat Lapsis pænitentiam.

Novatianus, non jam in Romana Sede, sed in cathedra pestilentiæ sedens, literas dictat, mititque per orbem; ac decernit, eos qui in Decii persecutione simulacris immolassent; * *minimè ad mysteria admittendos*, inquit Socrates, *sed ad pænitentiam remissionemque, permittendos Deo, qui potest, & habet potestatem dimittendi peccata.* Cornelius contra: iisdem Ecclesiis significat: spem veniæ, etiam illis qui post baptismum deliquissent, reliquam esse. Ita divisus Christianus orbis: & tunica Christi inconsutilis, paucorum factione laceratur. Cyprianus, convocato Episcoporum concilio, pro Cornelio dixit, scripsitque ita: *Scripturis, diu ex utraque parte prolatis, temperamentum salubri moderatione libravimus: ut nec in totum spes communicationis & pacis, lapsis denegaretur: ne plùs desperatione deficerent: & eò quòd sibi Ecclesia clauderetur, secuti sæculum gentiliter viverent. nec tamen rursus censura Evangelica solveretur, ut ad communicationem temerè prosilirent: sed traheretur diu pænitentia & rogaretur dolenter paterna clementia: & examinarentur causæ, & voluntates, & necessitates singulorum.* Hæc Cyprianus: & idem hoc anno in Romana Synodo decretum, cum hoc auctario: ut Sacerdotes lapsi, ad laicam tantummodò communionem admitterentur.

* Socrates l. 4. c. 23.

Cyprian. Epistola 52. ad Antonianum.

Sacerdotes lapsi ad laicam communionem admittenoi.

V. Cypriani liber de Unitate Ecclesiæ.

Cyprianus in hoc schismate componendo, omnem ingenii vim adhibuit. scripsitque librum de Unitate Ecclesiæ, qui ad tundendos schismaticos, cuneus fortissimus, & ad incursus illorum declinandos, turris instar munitissimæ esset. Ibi unam tantummodo Ecclesiam, eamque in Petri cathedrâ, cognoscendam: cæteras, eidem, ut membra Capiti connexas, ita probat; ut apertè significet, omnes ab hac Ecclesia divisos, vel hæresis morbo, vel schismatis malo laborare; itaque in Fide naufragari. Eleganter etiam schismatis in Ecclesiâ fontem & originem aperit, illâ sententiâ. *Hoc eò fit fratres charissimi, dum ad Veritatis originem non reditur, nec Caput quæritur: nec Magistri cœlestis doctrina servatur. Quæ si quis consideret, & examinet, tractatu longo & argumentis opus non est. Probatio est ad Fidem facilis, compendio veritatis. Loquitur Dominus ad Petrum. Ecce dico tibi*, inquit, *quia tu es Petrus; & super istam Petram ædificabo Ecclesiam.* Et post aliqua. *Primatus Petro datur; ut una Christi Ecclesia, & cathedra una monstretur. Et pastores sunt omnes sed grex unus. Hanc Ecclesiæ unitatem qui non tenet, tenere se fidem credit? Qui Ecclesiæ renititur, & resistit: qui cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia, deserit; in Ecclesiâ se esse confidit?* Ita ille sui sæculi doctissimus, Christianæ Fidei testis, & Martyr eximius. quæ sanè tam pungunt modernos nostros, qui ab ea sede recesserunt; quàm Novatianos, atque schismaticos.

Cyprian. de Unitate Eccles. princ.

VI. Cur Britanni fideles Romæ semper adhæserint.

Vides hic opinor, Christiane Lector, & unà causam vides; cur Britanni, omni sæculo, Romanam Sedem venerati sint. Cur Lucius eò legationem miserit, *ut Christianus efficeretur*: cur omnia in sanctiore Rep. ordinata, probata, confirmata sint, *mandato Apostolico.* nam Petri sedem, veritatis originem, & caput esse crediderunt: quia Petra est super quam Christus ædificavit Ecclesiam. Ex eo igitur fonte Britanni potaverunt, ex illâ Petrâ, Fidei constantiam acceperunt: Denique ex eo Capite Scripturæ sensum, mentemque Spiritus Sancti, sine erroris periculo hauseruot. Itaque pulcherrimo rituum fideique commercio: *Susceptam initio fidem, usque in tempora Diocletiani Principis inviolatam integramque, quietâ pace servaverunt*, inquit Beda, *quæ aliter ivisset per abrupta viarum, & sæpiùs in schisma, in hæresim, in errores denique impegisset.* Quemadmodum impingunt, qui Ecclesiæ unitatem scindunt: qui Caput Ecclesiæ negant, qui Petram (ubi fidei constantia est) aversantur: nam illi vario vento, quolibet feruntur sine pondere & saburrâ fidei. Unde ad Novatiani classem spectant Novatores, qui hoc nupero sæculo in Petri sedem surgentes; & illo antiquato Capite, novum Scripturæ sensum, nova dogmata confinxerunt. Illi cum Cypriano sunt, qui in dubiis, ad veritatis originem, fontemque recurrunt; ad Petram confugiunt: ibique captivant intellectum in obsequium Fidei. Quod Britannos integerrimè fecisse ostendam infrà: cum Arius, Pelagius, & similes maculæ, latinæ Ecclesiæ puritatem inquinarent.

Beda l. 1. hist. c. 4.

VII. Novatiani Calvinistarum præcursores, et quare?

Nec omittendum hoc loco est Novatiani sectatores, Calvinistis, & re & nomine præluxisse. Eusebius enim hæc habet de Novatianâ sectâ. † *Novatus*, inquit, *proprii cujusdam erroris, & sectæ eorum, qui præ inflatâ quâdam mentis insolentiâ, seipsos καθαροὺς esse, id est, puros & vacuos à labe peccati asseverant, author & dux fuit.* Causa hujus nuncupationis illa præcesserat, quod idem Novatus: (sed Novatianum intellige) *arrogantiâ quadam & fastidio, contra Lapsos elatus asseruit; non ampliùs illis; quamvis omnia quæ viderentur ad veram pœnitentiam, ad conversionem animorum, ad puram denique confessionem spectare, omninò peragerent; spem ullam salutis, omninò reliquam fieri.* Unde concessam Ecclesiæ, & Sacerdotio potestatem solvendi omnia peccata, ad sui cerebri sensum traxit; ut hodie faciunt Novatores; quos unà cum Novatianis, Cornelius Papa, sequenti anno in Romana Synodo sexaginta Episcoporum, condemnavit: illique Synodo consequentia semper sæcula subscripserunt. Unde S. Augustinus eleganter Novatianum dogma perstringit. *Non audiamus*, inquit, *eos, qui negant Ecclesiam Dei, omnia peccata posse dimittere. Itaque miseri, dum in Petro, Petram non intelligunt; & nolunt credere datas Ecclesiæ claves regni cælorum, ipsi eas de manibus amiserunt. Isti sunt qui super doctrinam Apostolicam se prædicant esse mundiores: qui nomen suum si vellent agnoscere, mundanos se potiùs, quam mundos vocarent.* Ita in Puritanos S. Augustinus. & in omnes illos, qui clavium à Christo concessarum potestatem, vel ignorant, vel enervant.

† Euseb. l. 6. c. 35.

Idem suprà.

August. de Agone Christi c. 31.

Quos

Quos hujus seculi tertii Doctores, Clemens Alexandrinus libro 2. stromatum. Origenes multis in locis præsertim homilia 2. in Leviticum: & homilia 2. in Psalmum 77. & denique S. Cyprianus sermone de Lapsis, eruditè confutant.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1006.

ANNUS CHRISTI 255.

CORNELII PAP. 2.

GALLI ET VOLUSIANI IMPP. 2.

I.

Cornelius Papa pro Ecclesia vigilat.

Apud Baron. hic n. 47.

Conventus iterum prohibentur.

SEquitur Christi annus ducentesimus quinquagesimus quintus, Gallo & Volusiano secundùm Consulibus: quo iterum Ecclesia persecutione tentatur & ne dispergerentur oves; Cornelius communis & universalis Pastor vigilavit. Ita Galliæ timens, ubi Lupicinus sedebat Viennensis Episcopus, has ad eum literas dedit. *Scias, frater charissime, aream Dominicam vento persecutionis acerrimè commoveri: & edictis Imperatorum Christianos ubique tormentis variis affici. nam in Vrbe Romanâ, Imperator ad hoc constitutus est. Vnde publicè, neque in cryptis notioribus, Missas agere Christianis licet. Exhortetur itaque charitas vestra, omnes credentes in Christum ne timeant eos qui occidunt corpus: sed potiùs eum, qui habet, corpus & animam potestatem perdendi. Iam plures Martyrio coronati sunt. Ora ut perficiamus cursum nostrum, nobis à Domino revelatum. Vale frater in Domino, & saluta omnes qui nos amant, in Christo.* Ita ille Martyrii candidatus. & habes iterum persecutionis notissimum characterem; quem singulæ ætates variè describunt: sed unum idemque significant. nam quod Traianus prohibuit anno Domini centesimo quarto: cætus Christianorum, & hæterias: Idem prohibuit M. Aurelius Antoninus cognomento Philosophus anno centesimo sexagesimo quarto; quando edixit, ne conventus fierent. Cæterùm quid in cætibus hisce & conventibus fieret, primis seculis non admndùm apparuit: sed processu temporis arcana mysteria patuerunt: & modò enucleatè dicitur: quod *publicè, neque in cryptis notioribus Missas agere Christianis non licet.* Missa ergo sudes erat in infidelium oculis, & illam semper persecuti sunt: ab eo sine dubio incitati, qui Deitatem affectans; cum illa excidisset, debitum divinitati cultum impedire conatus est. Sed nunquam potuit è fidelium cordibus sacrificii amorem, votumque illud frequentandi eradere: unde paulò posteriùs, Diocletiano illud persequenti, interrogantique, cur Dominicum Sacrificium (quod hic Missa dicitur) contra Imperatorum edicta celebraverint, constantissimè dicent: *Christiani sumus, & sine Dominico esse non possumus.* Hoc ideo frequenter iteramus; quia factiosus nimis surdaster est, ad Missæ nomen.

II.

Cornelius Sacrificium offerens, capitur, et occiditur.

Hanc tamen Romanam & orthodoxam fidem esse, testatur Cornelius Romanus Pontifex: hoc anno, quia Cæsarea edicta violaverat, Martyrio coronatus. Id patet ex actis, quæ Adonis Martyrologium recitat in hunc modum: cum priùs Salustiam, Cerealis uxorem paralyticam, miraculo sanitati restitutam dixisset. *Tunc enim* (inquit) *viso tanto miratulo milites quoque qui erant cum Cereali, omnes se ad Cornelii Papæ pedes posuerunt: timentes atque petentes se quoque baptizari velle. Cornelius videns Dei manum, in his omnibus, baptizavit eos: & obtulit pro iis Sacrificium laudis, & sic participati sunt omnes corpore, & sanguine Domini nostri IESV CHRISTI. Audivit hæc omnia Imperator: & mittens tenuit omnes, qui erant ex domo Cerealis credentes, cum militibus baptizatis. Qui simul cum Beato Cornelio, ducti sunt ad sacrificandum. Sed illi nolentes facere; atque expuentes in templum Martis, decollati sunt, unà cum beatissimo Papa, numero viginti unus. & cum eis Cerealis quoque cum uxore suâ Salustiâ, decimo octavo Calendas Octobris.*

Ado. Marty 24. Septem.

III.

Lucius Papa.

Valerianus salutatur Imperator.

Successit in Cornelii locum, & orthodoxæ Ecclesiæ Principatum, Lucius, qui unà cum Cornelio confessionis gloria illustris, exulare jussus fuerat: nimirùm quia *Missas agere* consueverat. Quo etiam anno, Valerianus Censor, ab Alpino milite, acclamatus Imperator, & Tribunitiâ potestate auctus, Gallienum filium Collegam ascivit: & inde, imperii sui annos, regnantibus adhuc Gallo & Volusiano, inchoavit

ANNUS URBIS CONDITÆ 1007.

ANNUS CHRISTI 256.

LUCII PAPÆ 1.

GALLI ET VOLUSIANI IMPP. 3.

I.

ANno Domini ducentesimo quinquagesimo sexto, Maximo & Valeriano Coss. Persarum motus fuerunt: quos ideo non possum silentio præterire: quia ad Cnnstantini, brevi nasciturì, patriam explorandam spectant. Itaque teste Zonara (qui Galli & Volusiani acta recenset) Persæ Armeniam occupant: & Scythæ prioribus prælis audaciores facti; jam Macedoniam, Thessaliam, & Græciam incursant: aliæque alibi nationes barbaræ Romanum Imperium vexant. Zosimus etiam hanc Romani Imperii calamitatem ita recenset: *Cum negligenter imperium Gallus administraret; primùm quidem Scythæ, nationibus sibi finitimis turbas dabant. Deinde paulatim progressi, ad ipsum usque mare sita, rapinis exhauriebant: adeo quidem, ut nulla Romanæ ditionis gens ab eis non vastata manserit,* &c. *Persæ verò in Asiam pedem intulerunt. Tum Mesopotamiam excidio dantes, tum in Syriam progredientes, ad ipsam usque Antiochiam: donec & illam cepere, totius Orientis Metropolim: & incolis ejus partim cæsis, partim in servitutem abductis; infinitâ cum prædæ copiâ domum discesserunt.* Hæc inclinatio Romanæ Reip. non potuit Constantium M. Constantini Patrem, in Orientem trahere (ut tractum eò finxit Nicephorus) nedum in amorem Helenæ. Quia motus isti, Constantii conjugium longè præcesserant, & necdum per ætatem nubilis Helena, quæ Constantinum peperit.

Zosim. l. 1.

II.

Helenæ indoles.

Regia tamen virgo adolescebat in spem magnam, & domus suæ, & humani generis. Parentes enim aliâ prole carentes, in hac unâ ornandâ toti erant: & illa, eleganti facilique ingenio, hauriebat quicquid optimorum morum ab iis ingerebatur. Adeoque prompta fuit ad artes illas, quæ naturam poliunt, atque perficiunt; ut olim

Vita Helen apud Capgrav.

in ejus vitâ ita ſcriptum legatur. *Nec uſpiam reperiebatur altera, quæ in muſicis inſtrumentis, aut liberalibus artibus, Helena doctior haberetur. Caruerat enim Pater alterâ ſobole, quæ regni ſolio potiretur. Unde & eam ita laboraverat docere; & moribus, atque virtutibus exercere, ut poſt patris obitum regnum facilius regere ac tractare valeret.* Quæ hîc de regno dicuntur, non debent de totius Britanniæ imperio intelligi; quia Coëlus in Trinobantibus, Regnis, & Icenis tantùm, principatum habebat. Sed quoniam paulò poſt, cum de Inſulæ dominio quæſtio erit: ipſe præ cæteris, aut ejus jure Helena, Princeps nominabitur. Ideo non immeritò hæc unica proles, parentum conſilio, ad magna parabatur. Sed altior adhuc divina mens, puellam ad feliciſſimum partum deſtinaverat, & Chriſtianæ religionis per univerſum terrarum Orbem, propagatricem. Quamobrem Deus interno magis virtutum decore, & venuſtate, quàm externo fuco tenellam ætatem informabat; quo magis idoneum foret maximarum rerum inſtrumentum. *Erat* (benè ſequitur in ejus vitâ) *Helena humilis & pudica, prudens & pacifica, cunctis eam conſiderantibus amabilis & gratioſa, ac bonis operibus pleniſſima.* Quæ ſi vera ſunt; ut exitus docuit eſſe veriſſima: Quis non iraſcetur Nicephoro; quoties narratio ejus de Conſtantini natalibus, obverſabitur animo? Quis enim exiſtimare poterit Virginem hanc, naturæ gratiæque donis magnam, divina, humanaque arte edoctam, & denique ad omnem virtutem feliciter natam factamque; à Deo Opt. Max. demùm in magnam matrem præparatam; Conſtantii tandem amoribus viliſſimo pretio proſtitutam. Quod quia de Britanna Virgine non poterat fingi: Helena debuit Bithyna dici & hoſpitis filia, commento ſcilicet haud paulò aptiore. Verùm abſterſo illo fuco, ſpongiâ veritatis, genuinus Helenæ color, nativa virtus, & patria apparebit.

Apud Capgrav ſuprà.

III. HELENA CHRISTIANA PROBATUR.

Sequitur, ut Helenæ virginis Fidem, cujus mihi potior, quàm patriæ inquiſitio, ſpectemus. Scio quidem opinatos aliqoos, non fuiſſe in infantiâ baptizatam. & inter eos Author vitæ apud Capgravium ſuprà, ubi hæc leguntur. *In Fide inſuper Catholicâ, etſi aliqualiter inſtructa Helena, atque edocta: non tamen in quantum reperire potuimus adhuc ſacri baptiſmatis undâ extitit perfuſa. Sed tamen repræſentabat in ſua converſatione ſacri Baptiſmatis myſteria.* Hinc fortè Magdeburgenſes ſcribunt Helenam à Silveſtro Romano Pontifice poſteriùs converſam eſſe. Sed quia Nicephorum citant in illius opinionis ſubſidium, olet hoc Drepanenſem Camerinam. Decepit hos Euſebii narratio; qui ubique in Conſtantinum, quàm in matrem pronior; dixit aliquando, Helenam à filio doctam eſſe pietatem. Quod ut fuerit: ſi tamen de Chriſtianâ Fide quæſtio eſt; ſanctiores mihi teſtes ſunt, Paulinus, Ambroſius, & Magnus Gregorius: qui Helenæ Fidem, non à Conſtantino, ſed Conſtantini Fidem derivant ab Helenâ. Paulinus enim qui ſequente eam ſæculo vixit hæc habet. *Manſit hoc ſæculi prioris nefas, in tempora noſtris proxima Conſtantini: qui Princeps eſſe Principibus Chriſtianis, non magis ſuâ, quam Matris Helenæ FIDE meruit.*

Apud Capgrav in Helena.

Cent 4. c. 2. fol. 30.

Euſeb. in vita Conſt. l. 3. c. 46.

Paulin. Epiſt. 11.

IV. HELENÆ CONSTANTINUS

Addo huic Sancto teſti, Sanctum Ambroſium affirmantem Helenam plus Conſtantino dediſſe, quàm ab eo accepiſſe. Quod ſive Crucem, ſive Chriſtianam Fidem ſignificet: ſatis oſtenditur matrem præceſſiſſe. nam ita Ambroſius. **Helena multò ampliùs invenit, quod Imperatori conferret: quàm quod ab Imperatore acciperet.* Falſum enimverò id eſſet, ſi filio debebat Helena ſperandarum rerum ſubſtantiam, atque fundamentum. Eſt etiam Gregorii noſtri illuſtre argumentum, ſcribentis ad Aldibergam Anglo-Saxonum in Cantio Reginam: jubentiſque illam, Ethelbertum conjugem, & Anglos ei ſubditos, ad Chriſti fidem accendere; exemplo Helenæ, quæ filium Conſtantinum & Romanos, ad Fidem olim accenderat: & ecce ipſum loquentem. *Nam ſicut per recordandæ memoriæ Helenam, matrem piiſſimi Imperatoris, ad Chriſtianam Fidem, corda Romanorum accendit (Deus) ita per gloriæ veſtræ ſtudium, in Anglorum gentem ejus miſericordiam confidimus operari* Nec Latinorum ſolùm eſt hæc aſſertio: nam Græci fatentur, Conſtantinum à Britannis Fidem, aut Fidei ſaltem prima rudimenta accepiſſe. Ita Sozomenus conſtanter id affirmat. *Apud Britannos,* inquit, *& reliquos illius orbis incolas; liquidò conſtat inter omnes, Conſtantinum primùm religione Chriſtianâ imbutum eſſe.* Hactenus de Fide Helenæ.

FIDEM DEBET, NON CONTRA.

**Ambroſ. in obitu Theod.*

Gregor. l. 9. Epiſt. 59.

V.

Quod ad pietatem ſpectat, hallucinatus eſt Euſebius, cum Conſtantino nimiùm adblanditur, ubi ait: *Helena immortali planè memoriâ celebranda; non modo propter pia vitæ officia, ſed propter eximium illud, & admirabile germen ab ipſa editum. Conſtantinum dico: quem quidem cum ob cæteras res omnes: tum ob pietatem in parentem, & procreatricem ſuam: beatum judicare par eſt. qui illam cum jam antea pietate minimè eſſet imbuta; ita piam reddidit; ut à primo tempore ætatis, ab ipſo communi omnium Servatoris ore inſtituta fuiſſe videretur.* Hic, inquam, Author hallucinatus videtur: non ſolùm, quia ſupradictis Patribus adverſatur: ſed quia Theodoretus, & ipſe Græcus, Conſtantini pietatem fert matri acceptam, cum ejus literas, de Hieroſolymitani templi ædificatione recitaſſet. *Hujus,* inquit, *Epiſtolæ perferendæ negotium; non alius quiſpiam, quam ipſa Imperatoris mater, tam præclari filii procreatrix: cujus laus omnium piorum ore, ac ſermone prædicata eſt, ſuſcepit. Quæ & hoc eximium mundi luminare peperit: & PIETATIS alimenta ei ſuppeditavit.* Adde huic græco latinum Berengoſium: qui ubique Helenam Chriſtianam affirmat, priuſquam Conſtantio jungeretur, & Conſtantinum ediſſet. Ita enim loquitur libro 2. de Inventione Crucis. *Helena perfecta in Fide, & perfectior in charitate, nobilis erat genere, ſed nobilior ſanctitate. Unde & ex ſemine Senatorum nobilium, nobilem quendam genuit filium: qui ſecundum luminare majus, quod videtur præeſſe diei, ſplendor fuit imperii, in his quæ erant ſæculi, & in his quæ erant Dei. Sed licet ſecundùm dignitatem ſæculi, nobilis eſſet ex ſemine Patris; nobilior tamen in his quæ Dei ſunt, erat ex progenie Matris. Dum poſt acceptam gratiam Dei viventis, nobilitati corporis, nobilitatem prætulit mentis.* Hæc ille. & iterum libro 3. c. 2. de Helenæ dotibus animi, & corporis: *Helena intrinſecùs tantis ac talibus decorata fuit virtutibus; idcirco per omnia, in omnibus, divinis placebat obtutibus. Quia verò ſpecie ſua & pulchritudine forinſecus erat ornata: ideo viro ſuo Conſtantio amabilis videbatur & grata. quoniam interna pietatis, & externa pulchritudinis ita inſtructa eſt norma, ut & Deo placeret in animo, & Conſtantio in forma. Secundùm opinionem enim vulgi, & veritatem rei: officioſa erat in obſequio viri: ſed officioſior*

Euſeb. in vita Conſt. l. 3. c. 46.

CONSTANTINUS NON DOCUIT HELENAM, SED AB EA DIDICIT PIETATEM.

Theodor. l. 1. c. 18.

Berengoſ l. 2. de Inv. Crucis c. 1.

Idem l. 3. c. 2.

EX FIDE HELENÆ COLLIGITUR PATRIA.

in

in obſequio Dei. Hæc antiquus Author. Quæ do fuſiùs; ut unà cum Helenæ pietate, Britannorum Fidem exponerem. Nam inſpectâ Annalium ſerie, Lucii Regis converſione, & ferè totiua Inſulæ: ſtatim apparet hæc Patrum encomia, in Britannam Helenam cadere poſſe, nec aliò facilè referenda: quia nuſquam tam citò, tam feliciter, tanto in honore Chriſtiana Religio, apud Principes viros fuit.

VI. Helena dudum baptizata.

Denique cum Beda teſte, à Lucio Rege, ad Diocletianum uſque orthodoxa Fides intemerata manſerit in Britanniâ: & nata ſit Helena diu antequam Diocletianus imperaret; nimirum, ſub Philippis Principibus Chriſtianis: cur illam ad infidelitatis tenebras condemnamus, quas dudum Lucius ab Inſulâ, & imprimis à domo Regiâ fugaverat? Aut quorſum debuit Helena Baptiſmi Sacramentum, ad multam ætatem differre: quod nuper omnis penè Britannia tantis votia expetiverat? Dudum igitur illa, Chriſtiano more baptizata, dudum Cruce ſignata, & liuta Chriſmate, Chriſtianæ profeſſionis teſſeram acceperat. Imò tam altas in ejus pectore radices egerat Evangelica doctrina: ut poſt annos paucos, Conſtantio conjugi Author futura ſit, Chriſti Fidem amplectendi, ut infrà ex Euſebio colligam. Unum adhuc Helenæ, & Baptiſmo ejus obſtare videtur: nimirum quod Acta Silveſtri, S. Antoninus, Vincentius Belvacenſis, & alii ſcripſerint: Helenam poſt Conſtantini baptiſmum, à Judæorum partibus ſtetiſſe; conatamque eò filium pellicere, ſed infrà ad annum Chriſti trecenteſimum decimum quintum, excutiam figmentum illud: & obturabo fontem, unde decumanus ille error, in hiſtorias irrepſit. Quod licèt alio opere præſtiterim: tamen annorum ratio ſuadet, ut quicquid de Helenâ dicitur, ſuis conſignatum annis excutiam.

V. an. 315. per totum.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1008.
ANNUS CHRISTI 257.
STEPHANI PAPÆ 1.
VALERIANI ET GALLIENI IMPP. 3.

I.

ANno Chriſti ducenteſimo quinquageſimo ſeptimo, Valerianus & Gallienus, Conſules ponuntur: Gallo adhuc & Voluſiano regnantibus: qui Lucium Papam Martyrio coronarunt, licet ejuſdem paſſio Valeriano paſſim tribuatur. cujus hæc ratio aſſignatur. Quia Valerianus olim à Decio factus Cenſor, ſeveriſſimas in Chriſtianos leges tulerat: quæ diu poſt Decium vim habentes, anſam Scriptoribus dederunt affirmandi eos, ſub Decio & Valeriano paſſos, qui earum Legum rigore, martyrium, etiam poſtea, ſubierunt. Porrò Gallus & Voluſianus, cum Eccleſiæ caput ſuſtuliſſent; miles occaſionem ſumpſit, eodem jure in eorum capita ſæviendi. Quod ab iiſdem mox patratum; cum injectâ in Æmilianum purpurâ, utrumque contra nitentem occiderunt. Æmiliano breve imperium fuit. nam eo poſt menſem interſecto; Valerianus, qui ſuprà ab Alpino milite Imperator electus fuerat, integro imperio potitur. Et quia Tribunitiâ poteſtate nunc auctus ſcribitur: ideo tertiua ejus, filiique ejus imperii annus numeratur, ut ex inſcriptionibus, quas alii tamen controvertunt, colligit Baronius. Principio Valerianus in Chriſti cultores non admodum ſæviit: & feliciter aliquamdiu imperavit: Poſtea Fidem perſecutus, ſenſit iratum Deum, & ipſe Novercæ fortunæ ludibrium factus.

Lucius Papa martyrio coronatur. Gallus et Volusianus occiduntur. Valerianus Imp.

II. Stephanus Papa.

Lucio Papæ in Romana Sede ſucceſſit Stephanus, patriâ Romanus: quem Britannia noſtra Principem coluit: ut è vita Sancti Melanii colligitur: Qui adhuc infidelis, dum Romam è Britannia mittitur, provincialium nomine, ut tributum de more perſolveret: ibi Stephanum Papam de Fide diſputantem audiens baptiſmi aquis, Eccleſiæ ritibus, & Stephani imperio ſanctiori ſe facilè ſubmiſit. nam ita de eo in antiquis Britanniæ monumentis legitur. *Tempore Valeriani Imperatoris, Mello quidam de Britanniâ majori oriundus, Romam venit; ut patria ſua tributum ſolveret, & Imperatori ſerviret. Ibique, ſicut moris erat, cum ſociis ſuis ad templum Martis ductus eſt, ut ſacrificaret.* Hinc Gentilem fuiſſe conſtat, & ideo fortè ad munus legationis electum; quia alienia ſacris intereſſe oportebat eum qui Imperatorem tributo culturus erat. Et quia Britannia, bello parta; ideo Marti ſcilicet opima ſpolia debebantur. Templi Martis, in Via Appia, mentio habetur in vita Stephani Papæ, de quo infrà: & eò Chriſtiani plures adducti, ut idolis facerent. milites præſertim, qualis erat Mello, qui Valeriano ſe devoverat. Verùm legatione functus, tributoque ſoluto, ubi primùm cum Stephano, ſacrorum Chriſtianorum Principe amicitiam contraxit; mutavit militiam, & aliud cingulum induit. nam ita pergunt Acta, quæ plures recitant: Vincentius in Speculo, Petrus de Natalibus, Joannes Tinmutenſis atque Capgravius: *Mello audiens Stephanum*, inquiunt, *paucis Chriſtianis Evangelium Chriſti prædicantem: verba ejus attendit, & credidit: baptiſmum ab eo petiit, & accepit. Et inſtructus ab eo, quicquid habebat vendidit, & arma etiam cum quibus militabat, pauperibus erogavit.*

Melanius Britannus a Stephano baptizatur.

Apud Capgravium in Mellone.

Apud Capgrav. in Mellone.

III.

Hunc virum variis nominibus appellatum ſcribit Uſſerus in Primordiis: *Sancti Mellonis Britanni*, inquit, *Malloni, Melani, & Melonius aliis nuncupati, celebris extitit memoria: qui relictâ patriâ primus Rhotomagenſem Eccleſiam Archiepiſcopus rexiſſe dicitur.* Quod ad tempus baptiſmi ejus ſpectat: illi videntur nimiùm feſtinare, qui annum Chriſti ducenteſimum quinquageſimum ſextum conſignant. ut Conſtantinius Guinius, in natalibus Sanctorum Canonicorum. ibi ſcribit Mellonem à Stephano Papa, *in fide Chriſtiana inſtructum, baptizatum, Clericum, & gradatim Sacerdotem ordinatum, atque divino oraculo Rotomagenſem Epiſcopum conſecratum fuiſſe anno Domini CCLVI.* Verùm cum melior Chronologia, Stephani Pontificis exordium, ad annum ſequentem differat: & infidelem hominem fidei myſteria doctum, baptizatum, uno impetu ad omnes in Eccleſia ſacros ordines promovere, ſit præter fidem, moremque Eccleſiaſticum; longiori morâ opus fuiſſe credendum eſt. Licet non negarim, Mellonem, è fideli & Chriſtianâ Inſulâ profectum, adeoque in Chriſtianâ Fide non omnino rudem; non eguiſſe longo annorum ſpatio, ut ad primum Chriſtianæ militiæ Sacramentum, uti nec ad reliqua, erudiretur.

Uſſer. in Primord. fol. 145.

Varia eius nomina.

Apud Uſſer. ſuprà fol. 140.

IV. Stephanus Papa plures baptizat. *Apud Baron. an. 259. n. 22.*

Quod Stephanus Melanium (ita cum Romano Martyrologio libenter cum voco) & plures alios baptizaverit; apparet ex Actis quæ Baronius probat antiqua esse. nam ibi hæc habentur: *Facto sequenti die conventu, in eâdem cryptâ inventi sunt promiscui sexus viri, & mulieres, numero centum & octo: quos omnes idem Stephanus, in nomine Domini nostri IESV CHRISTI baptizavit, & signo sacri mysterii consecravit: obtulitq́, pro iis sacrificium: quo participati sunt omnes. Alterâ autem die ordinavit idem Stephanus res Ecclesiæ, committens eas tribus Presbyteris, Diaconis septem, ac Clericis sexdecim. Sedens docebat omnes, de rêgno Dei, & vitâ æternâ. Ad quem etiam veniebant gentiles, ut audirent, & baptizarentur ab eo.* Hæc ibi. Sed & vetus baptizandi ritus in eisdem actis exprimitur. quem ideo do, ut quæ suprà de Lucii baptismo dicta sunt, confirmentur. nam præter Confirmationis Sacramentum, à Baptismo collatum; quod suprà vocarunt acta Signum sacri mysterii: nimirum quia Chrismate, & Cruce fiebat: habes etiam fontem, & aquam benedici solitam. Sic ergo in Actis legitur cum Nemesius, ejusque filia baptizantur. *Iubet Stephanus* (inquiunt) *Nemesium duci ad Titulum Pastoris: ubi cum catechizasset eum, & filiam ejus, secundùm consuetudinem Christianorum; & indixisset jejunium, usque ad vesperam. Cum diei hora appropinquasset vespertina: in eodem Titulo fontem benedixit: & deponens Nemesium in aquam, dixit: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti baptizo te. Et ad filiam Nemesii conversus: Credis,* ait, *in Deum Patrem omnipotentem? Respondit, Credo. & in IESVM CHRISTVM Dominum nostrum? Respondit, Credo. Remissionem omnium peccatorum? Respondit, Credo. Carnis resurrectionem? Respondit, Credo domine, &c. Tunc etiam cœperunt multi ad vestigia Beati Stephani Episcopi prosternere se, & flagitare cum lacrymis, ut baptizarentur ab eo. Baptizavit itaque eadem die promiscui sexus, numero sexaginta duos. Et deinde multi ex gentilibus occurrere Beato-Stephano viri honesti, petentes baptizari, ab eo: Beatus vero Stephanus repletus gratia Spiritus Sancti, per cryptas Martyrum Missas, atque Concilia celebrabat.* & sequitur ibi de Templo Martis, ubi milites potissimùm sacrificare soliti sunt.

Ritus Baptismi.

V. Hinc Lector facilè conjiciet, ea quæ de Melanio, à Stephano docto, & baptizato diximus, lucem habere: cum enim Acta plures gentiles, & honestos viros nominent; Melanium, & fortè sociorum aliquos, Christianorum sacris accessisse, putandum est. Nec mirum videri debet, plures à Stephano hoc tempore baptizatos; & ad conventus, Missasque convenire potuisse: quia Licet Valerianus octavæ persecutionis author habeatur, & reverà fuerit: principio tamen indulgentior fuit. de quo Dionysius Alexandrinus Episcopus ita scripsit apud Eusebium. *Quamdiu mansueto animo, & benigno, erga Sanctos Dei homines affectus erat Valerianus; nemo Imperatorum, qui eum anteverat, tantam benevolentiam, & comitatem adversus illos declaravit. Immò verò, nè illi quidem, qui Christiani erant, eoq́, nomine palam appellati, ita hos sunt amplexati, ut ille. Qui quidem initio imperii sui, quàm familiarissimè & amicissimè, idq́, in oculis omnium eosdem excepit, & tota domus ejus piis hominibus complebatur: eratq́, planè Ecclesia Dei.* Potuit ergo Stephanus Papa hoc anno, *per cryptas Martyrum Missas & Concilia celebrare*: Baptismi Sacramentum tot hominibus conferre: & eos inter Melanium è gentili Christianum facere. licet ante duos annos, Cornelius Papa ad Lupicinum scripserit, id Romæ minimè licuisse: quia nimirum Valerianus imperii exordia mansuetudine temperans, biennio Christianis favit. Inde magis, nescio cujus impulsu, Legum, quas sub Decio, censor tulerat, acerrimus vindex extitit, & plurimum Christiani sanguinis fudit: quamobrem non dimidiavit imperium suum.

Euseb. l. 7. c. 9.

Valerianus octavæ persecutionis author.

VI. De Melanio plura sequenti anno, quando à Stephano consecratur Episcopus, & Rotomagensem Sedem accepit. Iterum de eo, quando Sedem mutavit, immortalem consecutus in cælo, sub annum Domini ducentesimum octogesimum. Hic tantùm de patriâ breviter statuo, Britannum ab omnibus dici. Unus Dempsterus eâ voce abusus, in Menologio Scotico, ad vigesimum secundum Octobris, Scotum appellavit; eâ Fide, qua plures alios eo nomine adoptat. Sed quoniam affirmat Antoniû Possevinum, in Apparatu sacro, pagina 433. ita dicere: quis non crederet Melanium, Scotum fuisse etiam è mente aliorum. Qui tamen penitiùs legationis ejus in urbem causam contemplatur: jure mirari poterit, Scotum hominem, tributum Romæ solvere: cum non solùm Scotiam Romani nunquam vicerint: sed nullam prorsus Scotiæ mentionem Romani hactenus Scriptores fecerint. Quod si è Caledoniis, aut trans murum Septentrionali populo, Melanius fuisset, ubi Scoti revera posterius habitarunt, iterum, mirabitur tributum ab eis pendi, qui extra Romani imperii pomœrium positi, nunquam subdi voluerunt. Quid ergo Possevinum movere potuit, ut Melanium natione Scotum diceret? facilis responsio: nihil Possevinum movere potuit: Dempsterum aliquid movere potuit (amor patriæ) ut Possevino illud imponeret, quod nunquam Possevino in mentem, nedum in calamum incidit. Possevinus enim loco citato, hoc solum de Melanio: *Mellanius Probus* (inquit) *Britannus, scripsit quasdam homilias, Vivebat anno ducentesimo sexagesimo.* Ita ille. Quotquot ergo his primis sæculis Britanni vocantur, in Dempsteri Lexico, Scoti censentur. Quo posito; potiore jure insurgunt Hiberni: & quia sine ullo dubio, Scotorum patria, Hibernia est: Quos ille in Scotiam: isti in Hiberniam trahent. Sed pro Melanio benè intercedit Usserus, Hibernus ipse & dicit: Melanium *Scotum ipse Dempsterus, & primus, & solus fuisse somniavit.* qui reverà frequenter ita somniat.

Melanii patria.

Dempsterus arguitur.

Usser. in Primord. fol. 140.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1009.

ANNUS CHRISTI 258.

STEPHANI PAP. 2.

VALERIANI ET GALLIENI IMPP. 4.

I. Anno Christi ducentesimo quinquagesimo octavo, Valeriano tertiùm, & Gallieno secundùm Consulibus: Dum Imperatorum indulgentia, nullo externo hoste, aut bello turbatur Ecclesia, laborat intestino. In Italiâ, Hispaniâ, Galliâ, Africâ, inter ipsos Ecclesiarum Præsides, motus fuerunt. & nisi Stephani Romani Pontificis eminuisset authoritas, fuissent æterni. Antistites aliqui Hispani, Gallique, libelli infamia

Motus in Ecclesia Stephani authoritate componuntur.

laborantes; non modo ad Ecclesiæ communionem redire; sed iterum Ecclesiis præesse contenderunt. Et quidem Cyprianus in Africâ, hoc etiam anno, de baptisinate hæreticorum perperàm senserat. Et cum eo, non Africa modo; sed Asia quoque & Cappadocia consenserant. Valuit tamen, & inter eos prævaluit Stephani sententia, ad Romanæ Ecclesiæ Traditiones appellantis, & dicentis: Lapsos Episcnpos laica communione contentos esse debere: & in baptismate Hæreticorum *nihil innovandum, nisi quod traditum est*. Britanniam cum Stephano sensisse, vel inde colligitur, quod Melanium Britannum hominem Episcopum consecraverit; & Rotomagensi Ecclesiæ præfecerit. Quod insigni prodigio factum, narratur in ejus vita, hunc in modum.

II. *Apud Capgravium in Mellone.* MELANIUS A STEPHANO CONSECRATUS EPISCOPUS. forte *via

*Mellonem præfatus Papa Stephanus, sibi adhærentem, per omnes Ecclesiæ gradus, usque ad Sacerdotium promovit. Cumq; jejuniis & vigiliis instaret: quadam die, Missam eo celebrante, viderunt ipse & Papa, Angelum Dei stantem ad dextram altaris: qui peractâ Missâ, dedit ei Virgam pastoralem, quam manu tenebat, dicens: Accipe Virgam, sub quâ reges populum Rotomagensis civitatis, in Neustriæ finibus. Tibi enim ibi præparatus est à Deo locus. Et licet labor incognita tibi *vita, tibi sit onerosus; nequaquam tamen tibi timendum: quoniam sub umbrâ alarum suarum proteget te Dominus* IESVS CHRISTVS. *Tunc acceptâ benedictione à Papa, iter arripuit. Et cum venisset Altisiodorum, virgam tenens quam ab Angelo acceperat; quendam bipenni vulneratum, cujus pes in duas partes divisus erat, oratione factâ, illico sanavit.* Hactenus de Melanio. Quem à Stephano consecratum colligit Baronius è libro de Romanis Pontificibus, sub Damasi nomine, ubi hæc habentur. *Stephanus fecit ordinationes duas, per mensem Decembrem, Presbyteros sex, Diaconos quinque, & Episcopos per diversa loca tres. Ex iis*, inquit Baronius, *unus fuit Melanius Rotomagensis Episcopus, sanctitate celebris*: Hunc primum Rotomagensem Archiepiscopum vocat Molanus in Additionibus ad Uswardum: & videtur probari posse è vetusto Rotomagensis Cleri versiculo:

De Rom. Pontif. in Stephano.

Baron. an. 260. 6.

Antistes Sanctus Mallonus in ordine primus
Excoluit plebem doctrina Rotomagensem.

Apud Ordericum l. 5. histor.

Sed antiquior Traditio habet Nicasium in ea sede Melanium præcessisse. *Sed prisca gentilitas* (inquit Ordericus Vitalis) *martyrizato prædicatore Rothomagum diu possedit: & innumeris idolorum spurcitiis, usque ad Sanctum Mellonem Archiepiscopum, replevit.*

Orderic. l. 5. histor.

III. STEPHANUS PLURES IN ORIENTE EXCOMMUNICAT. *Euseb. l. 7. c. 4.*

Nec mirum videri debet, Stephanum in Ecclesiis Gallorum Episcopum præfecisse; qui in remotissimum Orientem imperium exercuit. nam ibi, quotquot in Ciliciâ, in Cappadociâ, & Galatiâ rebaptizabant hæreticos, excommunicationis sententiâ, à fidelium consortio removit. Testatur id Dionysius Alexandrinus, apud Eusebium, ubi ita loquitur. *Stephanus scripserat Epistolam de Heleno & Firmiliano, de omnibus Episcopis, qui erant ex Ciliciâ, & Cappadociâ, & Galatiâ, & ex omnibus gentibus, quæ erant finitima: quod neque cum illis quidem ob eam causam, omnino communicare vellet. nam illi*, inquit, *hæreticos rebaptizant*. Stephanus ergo Victorem Papam, in Romanâ Sede secutus; pontificiæ potestatis authoritatem, ut ipse, ubique exercuit. Et quamvis aliqui hoc anno recalcitrarint: sequenti tamen, in Stephani sententiam concesserunt.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1010.

ANNUS CHRISTI 259.

STEPHANI PAPÆ 3.

VALERIANI ET GALLIENI IMPP. 5.

I. OCTAVA PERSECUTIO.

ANNUS Domini ducentesimus quinquagesimus nonus, Valerio Maximo, & Acilio Glabrione, Coss. rerum vicissitudine illustris: primo Ecclesiarum pace, & animorum concordiâ lætus; mox ob bellum Christianis indictum lacrymabilis fuit. Itaque Oriens, & quotquot Stephano adversantes, hæreticorum baptisma reprobaverant; nunc contentionis studio deposito, in Stephani verba juraverunt. Quæstionis statum, & disputationis ordinem, & controversiæ solutionem, ita breviter narrat Eusebius. *Cyprianus Ecclesiæ Carthaginensis Pastor, primus inter homines ejus ætatis, non aliter quam per lavacrum baptismatis, hæreticos erroris maculis antè ablutos, in Ecclesiam admittendos existimavit. Verùm Stephanus, nihil novi, aut alieni à Traditione, ex Apostolorum traditione derivatâ, moliendum arbitratus, hac de re, animo vehementer commotus est. Dionysius igitur, ubi longum sermonem, cum Stephano, per literas de hac controversiâ contulit; tandem declarat; quo pacto perturbationis fluctibus sedatis, omnes ubique Ecclesiæ, nova, ac perversa Novati hæresis pravitate repudiatâ, pacem inter se reconciliassent. Sic enim scribit. Iam scito, frater, omnes Orientales Ecclesias, quæ antea fuerant propter earum perversitatem, nonnulla dissensione distracta, ad concordiam denuò esse reductas. Omnes etiam Ecclesiarum Præsides, qui ubique locorum sunt, summo animorum consensu conspirare. Et ob pacem hanc, præter omnium expectationem constitutam, incredibili lætitiâ affici.* Hæc de Ecclesiarum pace, quam bellum sequitur.

Euseb. l. 7. c. 3.

PAX IN ECCLESIA RESTITUTA.

II. VALERIANUS ECCLESIAM PERSEQUITUR.

Enimverò hoc eodem anno Valerianus Imperator, qui hactenus, ut dictum, Christianis favere visus est, in Ecclesiam surrexit, Christi fideles immanè persecutus: Romæ præsertim; ubi plurimorum Martyrum constantia eminuit: Duravit hæc persecutionis acerbitas, quamdiu Valerianus in Imperio permansit; inde octavæ persecutionis author habitus. Oceanum tamen Britannicum hæc procella non pervasit: quia Insula, ea lege, Cæsarem admiserat, suæ ut civibus leges, & jura manerent integra.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1011.

ANNUS CHRISTI 260.

STEPHANI PAPÆ 4.

VALERIANI ET GALLIENI IMPP. 6.

I. STEPHANUS PAPA MARTYRIO CORONATUR. *Apud Baron. hic*

ANNO Christi Domini ducentesimo sexagesimo, Valeriano quartum, & Gallieno tertium Consulatum gerentibus: Stephanus Papa, quarto nonas Augusti, martyrio coronatur. De quo hæc habentur in Actis ejus, scitu digna. *Valerianus misit milites, qui tenerent B. Stephanum, & eos qui cum eo erant Clericos. Ductiq; sunt ad*

Valerianum: qui Stephanum tantum ad se perduci jussit: & dixit: Tu es qui Remp. conaris evertere: & suasionibus tuis populum, à Deorum cultu recedere suades? Ad quem Stephanus: Ego quidem Remp. non everto: sed populum moneo atque hortor: ut relictis dæmoniis quæ in Idolis coli solent, Deum verum agnoscant, & quem misit IESVM CHRISTVM. Tunc jussit Valerianus eum duci ad templum Martis: ibiq; sententiam ex tabellà recitari. Tunc B. Stephanus ductus extra urbem, viâ Appiâ, cum pervenisset ad Martis templum; elevatis in cælum oculis, dixit: Domine Deus Pater, qui destruxisti turrim confusionis in Babylone: destrue locum hunc, in quo diabolus superstitione decipit populos. Tunc facto tonitruo, una cum fulgure, & coruscatione, percussoq; templo, ex parte corruit. Cum milites fugientes reliquerunt Stephanum solum. Qui una cum suis perrexit ad proximum cæmeterium Lucillæ. ubi multis

Sacrificium offerens occiditur ad altare.

exhortatus est suos ad tolerantiam martyrii. Post hæc obtulit sacrificium Deo omnipotenti. Audiens hæc omnia Valerianus, misit ad eum capiendum milites; inveneruntq; eum Sacrificium Deo offerentem. Qui intrepidus, & constans, perficiens cæpta mysteria, in eodem loco ante altare, in sua decollatus est sede: quarto Nonas Augusti. Factus est ibi planctus maximus Christianorum, quòd tanto pastore essent orbati. Hactenus Acta.

II. Sixtus Papa 2.

In locum Stephani successit Sixtus, eo nomine, Secundus, natione Græcus, patriâ Atheniensis: qui integro anno non est permissus Sedem occupare. Intravit enim vigesimâ quartâ die mensis Augusti: & anno sequenti, ad sextum Augusti martyrii palmâ donatur: cum priùs in extirpandis hæresibus Sabellianorum, Cerinthianorum, & Nepotianorum plurimùm laborasset.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1012.
ANNUS CHRISTI 261.
SIXTI PAPÆ 1.
VALERIANI ET GALLIENI IMPP. 7.

I. Sixtus Papa martyr.

SEQUITUR Christi annus ducentesimus sexagesimus primus, Aurelio Memmio Fusco, & Pomponio Basso Consulibus. Quo Sixtus Papa, cum contra Valeriani edictum cæmeteria, precum & Sacrificii causâ frequentaret, inventus in cæmeterio Callisti, capite truncatus est: absentiam pii patris lacrymante & deflente Laurentio: qui post triduum sequutus est Sacerdotem Levita: cujus martyrium eleganter versu descripsit Aurelius Prudentius; qui quæ hactenus dixi, de Sacrificio Christianorum, & ritu illud celebrandi (persecutionum òmnium potissimâ causâ) optimè expressit his versibus, ex infideli ore dictatis.

Prudent. hym. 2.

Hunc esse vestris Orgiis
Moremq; & artem proditum est
Hanc disciplinam fœderis:
Libent ut auro Antistites.
Argenteis scyphis ferunt
Fumare sacrum sanguinem
Auroq; nocturnis sacris
Altare fixos cereos.

II. Sacrificium

Hæc sacra, quæ Valerianus in Sixto, & Stephano persequitur; omnes ante eum Nerones persecuti sunt. & non sunt illa quæ Calvinus metaphoricè & figuratè fabricatus est: ubi nulli Antistites, nulli Episcopi: nulli auro libantes: nec sacer sanguis in scyphis argenteis: sed liquor nescio quis, fumentis fide decoctus. ubi nullum sacrificium, nullum altare: ubi denique nullum Christianæ religionis vestigium, quod Valerianus persequeretur, inveniri potuisset. Laurentius tamen hæc omnia admisit: sacrificanti Sixto dexter aderat: altariâ coluit, & magis in argenteis scyphis fumantem sanguinem: & pro ea Fide sanguinem fudit. Erat Diaconorum Princeps; & altari serviebat: Testatur id Prudentius hisce versibus:

Persecutionum omnium causa.

Prudent. suprà.

Hic primus è septem viris
Qui stant ad aram proximi;
Levita sublimis gradu
Et cæteris præstantior.

III.

Si Calvini factio martyrem unum tam antiquæ notæ ac constantiæ virum nominare posset, qui sacrificium, aureos & argenteos calices, altaria, cereos reprobasset: dudùm ille majusculis & cerussatis literis, in Calendario prodiisset. magnoque contra nos argumento pugnasset. Verùm cum Romani Pontifices, Cornelius, Stephanus, Sixtus, sacrificantes deprehensi sint: cum Cyprianus in Africa centies sacrificium clamet in Epistolis, & ritus ejus: proque illis hoc ipso anno moriatur decimo octavo Calendas Octobris. Denique cum tria hæc prima sæcula, Romano hodie sacrificio faveant, proque eo sanguinem fundant. Nullos omninò ea factio socios reperiet; nisi Nerones, Domitianos, Traianos, Valerianos, & similes diaboli satellites: quos, Calvinistæ in persequendo sacrificio, & occidendo sacrificantes, egregiè referunt, atque æmulantur. Porrò Cypriani martyrium illustrissimum fuit: & Acta passionis, martyrii causam exponunt. nimirum jussisse Proconsulem: ut *nulla conciliabula faciant* (conventus, hæterias, & sacrificii loca intellexit) *neque cæmeteria ingrediantur: quod qui facere deprehensus fuerit, capite plectatur.* Deprehensus est Cyprianus: & securi collum porrexit. Priùs tamen quàm feriretur: fideles qui aderant, *Flentes*, inquiunt Acta, *linteamina, & oraria ante eum ponebant, ne sanctus cruor defluens absorberetur à terra, quod alia acta ita reddunt: Linteamina, & manualia à fratribus ante eum mittebantur.* Tanti faciebat Christianus populus Martyris reliquias. Quòd si ex Africâ Romam revertimur: Ibi quoque Laurentium religiosè ab omnibus coli videbimus, teste Prudentio qui ita cecinit.

Cyprianus martyr.

Apud Baron. hic.

Prudent. hym. 2.

Quicquid Quiritum sueverat
Ornare nænias Numa,
Christi frequentant atria
Hymnis resultant Martyrem.
Ipsa & Senatus lumina
Quondam Luperci & Flamines
Apostolorum & Martyrum
Exosculantur limina.

IV. Dionysius Papa.

In locum Sixti substitutus est Dionysius, ex Monacho assumptus, à Maximo Ostiensi Episcopo consecratus. Quo sedente, crudelissimè tam Romæ, quàm in Africâ, Galliâ, Hispaniaque in Christianos Valerianus insaniit: & porrò perrexisset; nisi divina manus ferocienti compedes injecisset: quod factum anno sequenti.

V.

In Britanniâ, Fusco & Basso Consulibus, quietæ Romanorum res fuere. Ibi Desidienus Ælianus, militibus ad Caledoniorum impetus

frangendos

frangendos excubantibus, præfuisse videtur. nam pro ejus salute, miles erectâ arâ, tabulaque votivâ precatus est. Visitur in Ottadinis, ubi nunc Northumbriæ comitatus est, hæc inscriptio.

Desidieni Æliani monumentum.

PRO SALVTE
DESIDIENI Æ-
..LIANI PRÆ..
ET SVA S.
POSVIT VOT.
..AO. SOLVIT LIBE-
NS TUSCO ET BAS-
SO COSS.

Erratum fortè in Consulum nomine, & Legendum Fusco. Licet in Cypriani Martyris Actis, ex antiquo libro descriptis, non Fusco sed Tusco legatur. major difficultas de anno quo Consulatum Fuscus. & Bassus gesserunt. Baronii Chronologia hunc annum ducentesimum sexagesimum primum assignat: Fasti nostri post Malmesburiensem collecti, Camdenus, & Gordonius annum ducentesimum quinquagesimum nonum. Quæ duorum annorum differentia passim occurrit: & illam componere non est, fateor, mearum virium. Baronium tamen libentiùs sequor; quia ille conscribendis Annalibus, labore & industriâ præcessit omnes. An Ælianus iste Britannias turbaverit, sub Probo Imper. dicam infrà ad annum 282. 2.

anno præsumpserunt. Addit Fabianus, historicus noster non ignobilis, Coelum Colcestriæ Comitem, Helenæ patrem anno ducentesimo sexagesimo secundo, Britannis primùm imperasse: quod è dissidio omnium provinciarum admodum probabile redditur. Potuit enim inter suos eminere, cum Romani Imperatores adeo distracti: ut unus in Perside captivus, alter in omni voluptatum genere lasciviens; non solùm remotiora, sed nec propè posita, continere in officio potuerint. Nec inter Tyrannos ab authoribus Coelus numeratur, quia è Regum Britannorum sanguine descendens, non aliud quàm natalibus suis debitum præsumpsit. Hinc Constantius post decennium, Romanam rem restituturus in Britanniâ, ad Coelum divertens, cum Rômæ conciliabit, & Helenam sibi. Itaque Valeriani captivitas, & Gallieni Imperatoris ignavia, multorum motuum causa fuerunt. quod Eumenii panegyricus ita deplorat. *Minus*, inquit, *indignum fuerat. sub Principe Gallieno, quamvis triste harum provinciarum à Romano Duce dissidium. Tunc enim sive incuriâ rerum, sive quadam inclinatione fatorum, omnibus ferè membris erat truncata Resp. Tunc se nimium & Parthus extulerat, & Palmyrenus æquaverat. Tota Ægyptus, Syriaq; defecerant: amissâ Rhetiâ, Noricum, Pannoniaq; vastatæ: Italia ipsa gentium Domina, plurimarum urbium suarum excidia merebat* Hæc ille. Britanniam mox nominabit idem orator. nimirum cum Gallia Gallienum abjecit: & Galliæ Britannia nostra de more accessit.

Fabian. in histor. — Coellus in Britannia Princeps. — *Eumen. paneg. 10.*

ANNUS URBIS CONDITÆ 1013.

ANNUS CHRISTI 262.

DIONYSII PAPÆ 2.

VALERIANI ET GALLIENI IMPP. 8.

I. Valerianus à Persis capitur.

ANNO Domini ducentesimo sexagesimo secundo, Gallieno quartùm & Valeriano juniore Consulibus: Valerianus Imperator in Persas ducens exercitum, dum Edessæ obsidionem solvere nititur, Macriani Ducis proditione, Persis deditur. & à Sapore Persarum Rege abductus in Persidem, crudelitatis in Christianos exercitæ pœnas dedit. nam ut Victor, Eutropius, & alii testantur: *Quamdiu Valerianus vixit, miserabili servitute consenuit. Quippe Rex barbarus nimiâ fortunâ elatus, quoties equum conscenderet; Valeriani dorso, suppedanei loco utebatur. adeò nulla majestas à fortuna ludibrio tuta.* nec ibi finis infelicitatis ejus. nam, teste Magno Constantino: *Excoriatus etiam, & sale conditus, sempiternum sui infortunii trophæum, ante oculos omnium statuit.*

Oratione ad Scotorum cœtum apud Eusebium.

II. Sed quid audio? ergo Romanis Persæ dominantur, eo ferè tempore, quo nasci debet Constantinus? Si ita est, cur Nicephorum infrà, & Lipsium premo, cum Constantium ad Persas pro pace Legatum mittunt? sed facilis est responsio. Laceratur omninò sub hæc tempora Romanum imperium: & ob fusum Christianum sanguinem, plures Tyrannos habuit. nam victo Valeriano; Aureolus in Illyrico, Valens in Achaiâ, Piso in Thessaliâ, Æmilianus in Ægypto: denique in Galliâ Britanniaque Posthumus, Tyrannidem hoc

Tumultus in Romano Imperio.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1014.

ANNUS CHRISTI 263.

DIONYSII PAP. 3.

GALLIENI. IMP. 9.

I. Posthumus in Gallia imperat.

ANNO Christi ducentesimo sexagesimo tertio, Gallienus quintùm, & Victorinus Consules fuerunt: & Posthumus, cui Gallienus, Galliam, & Saloninum filium crediderat, à Gallis Imperator acclamatus, purpuram sumpsit. de quo Trebellius Pollio. *Cum Galli vehementissimè Gallienum odissent: puerum autem apud se imperare ferre non possent; eum qui commissum regebat imperium, Imperatorem appellarunt; missisq; militibus adolescentem interfecerunt. Quo interfecto, ab omni exercitu, & ab omnibus Gallis, Postumus gratanter acceptus; talem se præbuit per annos septem, ut Gallias instauraverit: cum Gallienus, Luxuria & popinis vacaret, & amore barbaræ mulieris consenesceret.* Hunc virum, qui Gallias optimè rexit; ut Pollio affirmat, Britannia sequuta est. Quod vel inde probatur: non solùm quia ad Galliæ motus Britannia passim movebatur. Sed quia Posthumi, sive Postumii nummos Insula Imperatorem admittens plures percussit: ut *infinita vis nummorum*, (inter quos erant Posthumi numini) de quibus suprà Camdenus, docet. Innuit hanc Britanniæ à Gallieno defectionem Eumenius illâ panegyri, quâ Constantium laudat M. Constantini parentem. Cum enim dixisset omnibus suis membris truncatam fuisse Remp. Gallieno Principe: mox de Britanniâ infert: *Et sanè non sicut Britannia*

Pollio in 30. Tyrannis. — Posthumum Britannia sequitur. — V. an. 274. 1. — *Eumen. paneg. 10.*

nomen unum, ita mediocris jactura erat Resp. terra tanto frugum ubere, tanto læta numero pascuorum, tot metallorum fluens rivis, tot vectigalibus quæstuosa, tot accincta portubus, tanto immensa circuitu. Quam Cæsar ille author vestri nominis, cum Romanorum primus intrasset; alium se Orbem terrarum scripsit reperisse, tantæ magnitudinis arbitratus, ut non circumfusa Oceano, sed complexa ipsum Oceanum videretur. Posthumus ergo Britanniam in suam factionem traxerat: & illi potiùs, quàm Gallieno Insula paruit: mansitque ita sub Victorini, & Tetrici tyrannide; donec Aurelianus Imperator devicto Tetrico, restituit rem, Senatore Constantio in Britanniam misso, ut dicetur.

V. an 274. 9.

II. Interim meliori Principi, qui Romæ sedebat; Dionysio, inquam, Romano Pontifici fideliùs servivit Insula; in eis quæ erant Christianæ fidei: nec enim audire voluit perversa, & heterodoxa sentientes. Laborabat hoc anno Sabelliana peste Christianus orbis: quæ nescio quam divinarum personarum confusionem obtruserat: eratque morbus eò periculosior; quia Alexandrinus Episcopus Dionysius alter, pestem quidem illam aversatus, sed pessimum pesti remedium attulerat; divinas personas nimium distrahendo. Re ad Romanum Dionysium delatâ, anno Christi ducentesimo sexagesimo tertio: dictæ sunt, & auditæ Patrum sententiæ: decretumque quid credi, quid doceri, à Christiano & orthodoxo orbe oporteret. Scripsit tunc major Dionysius, quid de divinis personis sentiendum: & docuit; cum divinæ naturæ unitate, stare differentiam personarum. Et ne ad nimiam personarum distractionem divisionemque, animorum inclinatio esset, [quod Alexandrini Dionysii sententia inferebat] in tribus personis naturæ essentiæque identitatem asseruit. Quam doctrinam, cùm Africa nutaret, Britannia constanter tenuit, nec ullam in fide maculam admisit, à Lucii conversione, ad Diocletianum usque, quod benè signanterque à Bedâ notatum est; quia plures per Christianum orbem, hæreses, omni eo tempore emerserant.

Sabellii hæresis turbat Ecclesiam.

Dionysii Papæ industria respirat.

III. Sub hoc etiam tempus, Conano Londinensi Episcopo mortuo, successisse dicitur Paludius: cujus nudum nomen, posteris relictum.

Paludius Londinensis Episcopus.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1015.

ANNUS CHRISTI 264.

DIONYSII PAP. 4.

GALLIENI IMP. 10.

Consules fuerunt anno Domini ducentesimo sexagesimo quarto, Balbinus, & Maximus: quando Millenariorum hæresis, à Nepote, Episcopo in Ægypto, defenditur: à Dionysio Alexandrino destruitur. Potuerunt enim Christiani fidei quæstiones agitare; quia pacem illis quietemque Gallienus indulserat: à Deo propterea, contra varios Tyrannorum impetus, mirabiliter defensus.

Millenariorum hæresis oritur, et occidit.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1016.

ANNUS CHRISTI 265.

DIONYSII PAP. 5.

GALLIENI IMP. 11.

Christi annus ducentesimus sexagesimus quintus, Gallienum sextò; & Saturninum Consules habet. & in utraque Rep. turbas. Ecclesiam Pauli Samosateni hæresis afflixit, qui filium Dei substantivum, personalem, & sempiternum esse negavit, Arii præcursor. Alteram Remp. Odenatus, Palmyrenorum Rex & Zenobia conjux turbavit, totius Orientis imperium nacti. de quibus infrà erit necessariò facienda mentio.

Paulus Samosatenus vexat Ecclesiam.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1017.

ANNUS CHRISTI 266.

DIONYSII PAP. 6.

GALLIENI IMP. 12.

Sequens Christi annus ducentesimus sexagesimus sextus, Valeriani & Lucilli Consulatu notatur: cum Pauli Samosateni hæresis, in Synodo Antiochenâ jugulata est, eo modo quo oportet omnem hæresim profligare. nimirum Ecclesiasticarum Traditionum majestate. ne cuilibet permittatur fidei dogmata, & Scripturæ sensum, pro libidine eruere: nam eo modo, haud dubiè omnis Fides evertitur. Unde doctè censuit Origenes, & dixit: *Cum multi sint, qui se putent, sentire quæ Christi sunt: & nonnulli eorum diversa à prioribus sentiant: servetur verò Ecclesiastica prædicatio, per successionis ordinem, ab Apostolis tradita, & usque in præsens, in Ecclesiis permanens: Illa sola credenda est veritas, quæ in nullo ab Ecclesiastica discordat Traditione.*

Hæresis Pauli Samosateni, Traditionum authoritate extinguitur.

Origen. in proœmio l. 1. περὶ ἀρχῶν.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1018.

ANNUS CHRISTI 267.

DIONYSII PAP. 7.

GALLIENI IMP. 13.

I. Anno qui sequitur ducentesimo sexagesimo septimo, Gallieno septimùm, & Sabinillo Consulibus: Gallienus Imperator, recuperaturus provincias, quæ in Occidente defecerant; in Gallias descendit; Posthumum, qui purpuram sumpserat, vel dolo, vel armis oppressurus. Et ille quidem Lolliani dolis & conspiratione occiditur: Gallieno tamen nihil accessit. Victorinus enim sequenti anno Lollianum è medio sustulit: & biennio in Galliâ Britanniaque, invito Gallieno, regnavit. Ad tempus quod attinet, si Posthumus septennio [Eutropius habet decennio] Gallias rexit, ut Trebellius Pollio affirmat, vel citiùs debuit purpuram sumere, vel illam

Eutrop. l. 9.

Posthomus, Lollianus,

gestare

VICTORINUS IN BRITANNIA PRINCIPANTUR.

gestare paulò diutiùs. Lollianus ejus in purpurâ successor, idem fortè cum illo est quem paulò ante Britannia Præfectum habuit: quique in votivâ tabulâ †superius positâ, Ælianus scribitur. Enimvero licet Eutropii Latinus textus habeat * *Lolliano res novas moliente*, Græcè tamen ita redditur, Λευκίῳ Αἰλιανῷ συστρατευομένῳ, *Lucio Æliano in bello socius fuit*, quod contractius scriptum L. Ælianus facili inflexione in Lollianum desiit. Baronius quidem vult Ælianum, Lolliano successisse: sed Trebellius quem citat, & sequitur, unius tantum Lolliani meminit. Hunc ergo Victorinus sustulit, & Gallias ad se traxit. Quod Britannia cum Victorino fuerit, probant nummi ejus effigie insignes de quibus Camdenus in Trinobantibus. Unum exhibuit Joannes Spedus: IMP. C. VICTORINUS P. F. AUG. ex altera parte PIETAS AUG. Habentur etiam ibidem Posthumi, Æliani, Tetrici, effigies: quos omnes in Britannia quoque regnasse argumentum est.

† V. an. 261.
* *Eutrop. suprà.*
Spedus in historia fol. 138.

II. GALLIENI VITIA ROMANAM REM PERDIDERUNT.

Nec mirum videri debet Britanniam à Gallieno defecisse in tanto provinciarum dissidio: quia nobiliores cultioresque Romani, & miles ubique qui pro Romano imperio certabat, ignavo & libidinoso capiti parere recusabant. Unde Gallienus passim accusatur, quòd Remp. vitiis luxuque perdiderit: & qui purpuram sumpserunt, à læsæ Romanæ majestatis crimine aliquandò excusantur. Certè Trebellius de triginta Tyrannis scribens, ita loquitur. *Gallieno perdente Remp. in Gallia primùm Postumus, deinde Lollianus, Victorinus deinceps, postremò Tetricus, assertores Romani nominis exstiterunt.* Quamvis ergo nulli animorum, aut armorum motus in Insulâ fuerint: & quamvis imperium ibi nullus adhuc occupârit: provincia tamen Galliarum Imperatori, magis quàm Gallieno studuit. Et ille, qui hoc anno pro recuperandâ Galliâ frustrà laboravit; de subdendâ Britanniâ, cur cogitaret? Hæc causa silentii apud Authores, quo deceptus J. Lipsius, contendit, Aureliani Imperatoris tempore, non potuisse Constantium in Britanniam mitti: quia scilicet nulli ibi motus. Sed qui attentè Romani Imperii statum inspexerit, à capto Valeriano, & deinceps: qui Gallieni sanda & nefanda legerit, & populorum, gentiumque defectiones, in Oriente & Occidente; facilè judicabit Britanniam Galliarum motus sequi debuisse: & illâ domitâ, tum demum, nec priùs, ad servitutem rediisse.

Pollio in Lolliano.

BRITANNIA GALLIÆ MOTUS SEQUUTA.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1019.

ANNUS CHRISTI 268.

DIONYSII PAP. 8.

GALLIENI IMP. 14.

ANNUS Domini ducentesimus sexagesimus octavus, præter Consules, Paternum, & Arcesilanum, nihil habet quod propriè spectet ad nostros Annales.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1020.

ANNUS CHRISTI 269.

DIONYSII PAPÆ 9.

GALLIENI IMP. 15.

I.

DUCENTESIMO sexagesimo Christi anno, creati sunt Consules Paternus iterum atque Macrianus. Tunc Gallienus Imperator, in Aureolum pugnaturus (*qui Illyricianos exercitus regens, in contemptum Gallieni, coactus à militibus, sumpsit imperium:*) [inquit Pollio] dolo Claudii, propè Mediolanum, unâ cum fratre, filiisque occiditur. & in ejus locum, militum suffragio Claudius eligitur. Hic est ille Flaviæ gentis parens Claudius, qui è fratris filiâ Claudiâ, nepotem habuit, Helenæ futurum conjugem Constantium Chlorum. qui hoc tempore Senatorii ordinis vir, militari laude florebat: juvenis adhuc, sed natus ad magna. Claudius turbatum barbarorum irruptione imperium accepit: scripsitque ad Senatum ita:

Pollio in 30. Tyran & Aureolo.

GALLIENUS OCCIDITUR.

CLAUDIUS IMPERAT.

SENATUI POPULOQUE ROMANO, CLAUDIUS PRINCEPS.

P. C. militantes audite quod verum est. trecenta viginti millia barbarorum, in Romanum solum armati venerunt. Hæc si vicero; vos vicem reddite meritis. Si non vicero: scitote me post Gallienum velle pugnare. Fatigata est tota Resp. Pugnabimus post Valerianum, post Ingenuum, post Regillianum, post Lollianum, post Posthumum, post Celsum, post mille alios, qui contemptu Gallieni Principis, à Rep. defecerunt. Non scuta, non spatha, non pila jam supersunt. Gallias & Hispanias, vires Resp. Tetricus tenet: & omnes sagittarios (quod pudet dicere) Zenobia possidet: Quicquid fecerimus satis grande est. Ita Claudius.

Trebellius in Claudio c. 7.

Tetricus cujus hic mentio, agebat in Galliâ, cum Victorinus ab actuario milite interfectus, purpuram exuit. de quo Trebellius: *Interfecto Victorino, & ejus filio, mater ejus Victoria, sive Victorina, Tetricum Senatorem, populi Romani, præsidatum in Gallia regentem, ad imperium hortata: quod ejus erat, ut plerique affirmant, affinis, Augustum appellari fecit, filiumque ejus Cæsarem nuncupavit.* Quod Britannia illum agnoverit Augustum, & filium Cæsarem, è nummis, eorundem effigies, & titulos præseferentibus colligitur: quos hoc loco exprimendos ideo duxi operæ pretium, quia Constantium, post paucos annos, in Britanniam venisse testari possunt.

II. TETRICUS IN GALLIA AUGUSTUS APPELLATUR.
Trebellius in 30. Tyr. c. 22.





Apud Spedum fol. 138.

TETRICUS AUG. TETRICUS CÆSAR.

III.

Richardus Vitus l. quinto Historiæ ita scribit: *Lollianus atque Posthumus, Victorinus, & duo Tetrici Principes, in Britannia rerum potiti, Insulamque adversus Gallienum tenuisse dicuntur.* Camdenus etiam illos ipsos in Britanniâ Augustos appellatos,

R. Vitus l. 5. histor.
BRITANNIA TETRICUM AGNOSCIT.

ſcribit. quod fieri non potuit; niſi Inſula à Gallieno, & ſucceſſoribus defeciſſet. Sanè cùm Romani, qui in Britanniâ militabant, Victorinos erectis hic monumentis honoraverint, nullus dubio locus eſſe poteſt, quin in eorum verba juraverint. Viſitur itaque ſepulchralis tumulus, in Hamptonienſi agro, olim erutus, Victorinæ memoriæ in hunc modum inſcriptus:

MEMORIÆ
FL. VICTORI-
NÆ T. TAM:
VICTOR CONIUX
POSVIT

Si hæc eſt illa Victorina, Caſtrorum mater, quæ plures Auguſtos, in Gallienum armavit, quod aliqui apud Camdenum affirmant: erit extra controverſiam, Romanum in Britanniâ militem, cum Galliâ, contra Gallienum ſtetiſſe.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1021.
ANNUS CHRISTI 270.
DIONYSII PAPÆ 10.
CLAUDII IMP. 2.

Claudius Christianos persequitur.

SEQUITOR Chriſti annus ducenteſimus ſeptuageſimus, Claudio Auguſto iterum, & Paterno Conſulibus. Cum Claudius Imperator feliciſſimè gladium in Romanæ Reip. rebelles ſtrinxiſſet, & multa deleviſſet barbarorum millia, Chriſtianum etiam, & innocentem ſanguinem fudit: & hoc anno Sanctum Marium, & Martham conjuges, Audifacem & Abachum eorum filios; qui è Perſide, Romam Apoſtolorum cineres veneraturi acceſſerant, juſſit interfici. Et quoniam ſequenti anno, Claudius fuſi ſanguinis pœnas dabit, hic pauca de ejus genere: quia Flaviæ gentis nobiliſſimum germen M. Conſtantinus. Opportunè adeſt Trebellius qui hujus anni geſta recenſens, bellumque Claudii, ad Hæmum montem, inter cætera ait. *In eo bello, quod geſtum eſt, equitum Dalmatarum ingens extitit virtus, quod originem ex eâ provinciâ Claudius videbatur oſtendere, quamvis alii Dardanum, & ab Ilio Troianorum, atque ipſo Dardano ſanguinem ducerent trahere.* Huic Claudio duo fratres fuerunt, Quintillus & Criſpus: Criſpi filia Claudia, ex eâ, & Eutropio, nobiliſſimo gentis Dardanæ viro, Conſtantius naſcitur Helenæ conjux, Conſtantini parens. Quod de Dalmatis & Illyrio dicitur, multorum hoc ſæculo Principum, & Conſtantii imprimis patria fuit. Imo non deſunt, qui M. Conſtantinum ibi quoque natum volunt; ſed infrà oſtendam, ominum errore deluſos, qui illud affirmant.

Trebell. in Claud. c. 11. Claudii genus et fratres.

V. an. 275. 10.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1022.
ANNUS CHRISTI 271.
DIONYSII PAP. 11.
CLAUDII IMP. 3.

I. Claudius moritur, succedit Quintillus frater. Sed statim occiditur.

ANNO Chriſti ducenteſimo ſeptuageſimo primo, Conſules ſcribuntur, Flavius & Furius Orphitus: ita illos nominat Gordonius hic: quos Baronius Antiochianum (aliter Actiatioum) & Orfitum vocat. Sub his Conſulibus Claudius Imperator morbo extinguitur: & Quintillus frater à milite cui præerat, Auguſtus appellatur: ſed breve imperium, & umbra tantum Principatus fuit: nam poſt dies ſeptemdecim: ſive quòd in militem auſterior fuerit, ut vult Trebellius, ſive intellecto Aurelianum, in Oriente, Auguſtum quoque nuncupatum eſſe; à milite occiditur. Hinc Claudii ſucceſſor, paſſim Aurelianus ſcribitur. qui per omnes militiæ gradus, nullo natalium ſplendore; ſed bellicæ tantum virtutis laude, ad imperii culmen aſcendit. Hujus viri itinera, motus, & bella, ideo paulò diſtinctiùs obſervanda ſunt: quia inde Conſtantini natales, patria, parentes, pendent. & poſteriores hiſtorici, nulla temporis, & parva rerum geſtarum habitâ ratione, de Conſtantini patriâ & parentibus pronuntiant Bithyniæ magis quàm Britanniæ; Orienti nimiùm, Occidenti parùm faventes. Quod inde ortum; vel quia Conſtantini exordia parùm accuratè conſiderantes, multa confuderunt: vel quia Aureliani itinerà oſcitantiùs inſpexerunt. nec Græcos ſolùm accuſo, qui Conſtantium in Orientem ablegarunt Helenæ jungendum: ſed noſtratium hiſtoricorum vulgus: qui Conſtantium ad Helenam, non priùs in Britanniam veniſſe, quàm Carauſius purpuram ſumpſiſſet, affirmant: nimirum cùm Conſtantinus decennis eſſet. Cæterùm cum ille ex omnium ſententia factus ſit Imperator, anno ſexto ſequentis ſæculi, cum ſuperaſſet ætatis annum trigeſimum: natalem ejus ad Aureliani imperium referre neceſſum eſt. Licet enim in annorum ſupputatione differentia; quo nimirum anno Imperium ille auſpicatus ſit: quem novi Chronologi ad annum ſuperiorem ducenteſimum ſeptuageſimum, vel ad calcem anni ducenteſimi ſexageſimi noni conſignant: tamen biennii differentia non obſtabit, cum conſtet illum ſeptennio imperaſſe.

Aurelianus imperat.

Inde Constantini natales petendi.

II. Ego Baronii Chronologiam ſecutus, Aureliani exordium in annum Chriſti ducenteſimum ſeptuageſimum primum conjicio: quo anno firmatâ pace in Pannoniis regreditur in Italiam novus Imperator. Illam Marcomanni ingenti hominum multitudine, adeo impleverant, ut Romæ trepidatum ſit, paſſimque crederetur Romani imperii periodum inſtare. tunc præſertim, cum adverſo Marte pugnans Aurelianus, apud Placentiam victus & profligatus eſt. Sed altero, tertioque prælio, ſubmotus hoſtis; Italia ſibi reddita, & quieta ibi omnia, Aureliani induſtriâ atque conſtantiâ.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1023.

ANNUS CHRISTI 272.

DIONYSII PAPÆ 12.

AURELIANI IMP. 2.

I. Non hoc anno nascitur Constantinus. *Bucholzerus in indice. Onufrius l. 1. de Rom. Princip. Octa. Strada in vitis Impp.*

ANNO Christi ducentesimo septuagesimo secundo, Consulatum inierunt Aurelianus Augustus, & Pomponius Bassus. Hunc annum & Consules aliqui assignant natalibus Constantini. Abrahamus Bucholzerus, in Indice Chronologico. *Constantinus Magnus*, inquit, *anno ducentesimo septuagesimo secundo natus est in Britanniâ, patre Constantio, qui postea imperavit, & matre Helenâ.* Onufrius Panuinius, libro primo de Romano Principe: & Octavius à Strada, in Vitis Imperatorum, in unam eandemque sententiam, hæc habent. *Constantinus Imperator natus est in Britanniâ, Aureliano & Basso Consulibus, anno urbis millesimo vigesimo quarto, Christi ducentesimo septuagesimo secundo.* Sed non accedo; quia nimiùm præcipitant, & sequens tantùm annus numeratur urbis conditæ vigesimus quartus suprà millesimum, juxta Baronii computum, licet Fasti nostri, apud Malmesburiensem, illum huic anno accommodent. Unde Lipsius etiam similem Chronologiam sequutus, non malè natalem Constantini annum collocat, ad annum Urbis conditæ circiter MXXIII. quæ computandi ratio, non multum abhorret, ab eâ sententiâ, quæ post biennium, vult nasci Constantinum. nam ut suprà monui, duorum annorum differentia frequens inter Authores.

Lipsius de magnitud. l. 4. c. 11.

II. Paulus Samosatenus sede pellitur.

In Christianâ Rep. Paulus Samosatenus; quem Antiocheni Patres primo congressu ab errore revocaverant: iterum hoc anno relapsus: in altero, à fidelium communione, & sede sua (Antiochenus erat Episcopus) ejicitur. scriptaque ad Dionysium, Romanum Pontificem, aliosque Ecclesiarum Antistites Synodicâ, facti sui rationem Synodi Patres reddiderunt. Verùm Paulus factus obstinatior: nec sententiâ, nec sede sua decedere voluit. Unde cum controversia, sæculari magistratui innotuisset: Rogataque esset Aureliani Imperatoris sententia, dignam Christiano Imperatore vocem emisit: jussitque hujusmodi Ecclesiarum dissidia, ab Ecclesiarum & sacrorum Principe decidi. quod Eusebius ita reddidit. *Verum cum Paulus, ex Episcopi domo, ejus Ecclesiæ propriâ, exire nollet, Imperator Aurelianus, de eâ re rogatus sententiam, sanctissimè, quid esset agendum decrevit. Præcepit enim ut domus Ecclesiæ illis tribueretur: quibus Christiani Italiæ, & Urbis Romæ Episcopi, per literas tribuendam esse præscriberent. Sic demum Paulus cum summo dedecore sæcularis imperii ac potestatis authoritate, ab Ecclesiâ penitùs excluditur.* Ita Eusebius. Vidit ergo solertissimus Imperator, omnem Remp. ut sarta, tectaque sit, ab aliquo Principe regi debere. & talem esse in sacram ubique Christianam Remp. Romanum Pontificem, etiam infideles credebant. Et quomodo fideles esse, vel dici possunt, qui illud, aut nesciunt, aut controvertunt?

Aureliano sententiam probante. *Euseb. l. 7. c. 24.*

III. Dionysius Papa moritur, succedit Felix Papa.

Sub finem hujus anni moritur Dionysius Papa, cum sedisset annos undecim, menses tres, & dies quatuordecim. In ejus locum, ultimo die currentis anni subrogatus est Felix, natione Romanus, patre Constantio. Aurelianus Romæ, *plenus irarum*, inquit Vopiscus, *vindictæ cupidus, quam seditionum asperitas suggerebat; incivilius usus est imperio, seditionum authoribus interemptis.* Christianis etiam formidandus fuit. Unde nonæ persecutionis author prædicatur.

Vopiscus in Aureliano c. 21. Nona Persecutio sub Aureliano.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1024.

ANNUS CHRISTI 273.

FELICIS PAPÆ 1.

AURELIANI IMP. 2.

ANNO Christi ducentesimo septuagesimo tertio, Quieto & Vandumiano Consulibus, Aurelianus in Orientem contra Zenobiam, quæ ibi imperium filiorum nomine, regebat, profectus est; cum priùs Romanæ Urbis pomœrium auxisset. Ejus iter Vopiscus ita describit. *Transactis*, inquit, *quæ ad sectiones, atque urbis statum, & civilia pertinebant; contra Palmyrenos, id est, contra Zenobiam, quæ filiorum nomine, Orientale tenebat imperium, iter flexit. Multa in itinere, ac magna bellorum genera confecit. nam in Thraciis & Illyrico, occurrentes barbaros vicit. Gothorum quin etiam Ducem Cannabam, sive Cannabaudem, cum quinque millibus hominum, trans Danubium interemit: atque inde per Byzantium in Bithyniam transitum fecit, eamque nullo certamine obtinuit.* Hæc ille, qui ibidem narrat, ut Thyanam ceperit; inde Antiochiam: & demum: *Pugnatum est*, inquit, *de summa rerum contra Zenobiam, & Zabam ejus socium, apud Emessam magno certamine; Fugata est Zenobia, cum Zaba, & plenissima parta Victoria. Recepto igitur Orientis statu, Emessam Victor Aurelianus ingressus est. Post hæc Palmyram iter flexit; ut eâ oppugnatâ laborum terminus fieret. Sed in itinere, à latronibus Syris, malè excepto frequenter exercitu, multa perpessus est. Denique fatigatus, ac pro malis fessus, literas ad Zenobiam misit: deditionem illius petens, vitam promittens. Quarum exemplum indidi.*

I. *Vopiscus in Aurelian. c. 22.* Aureliani itineraria et victoriæ. *Idem suprà c. 25.*

AURELIANUS IMPERATOR
Romani orbis, & receptor Orientis.
Zenobiæ cæterisque quos societas
tenet bellica.

II. Aureliani literæ ad Zenobiam.

SPonte facere debuisti id, quod meis literis nunc jubetur. Deditionem præcipio: impunitate vitæ propositâ: ita ut illic Zenobia, cum tuis agas vitam, ubi te, ex Senatus amplissimi sententiâ, collocavero. Gemmas, argentum, aurum, sericum, equos, camelos, in ærarium Romanum conferas. Palmyrenis jus suum servabitur.

Hac Epistolâ acceptâ (pergit Author) *Zenobia superbiùs, insolentiusque, rescripsit, quam ejus fortuna poscebat. Credo ad terrorem. nam ejus quoque Epistolæ exemplum indidi.*

Vopisc. c. 27.

ZENOBIA REGINA ORIENTIS,
Aureliano Augusto.

Zenobiæ responsum Aureliano.

NEmo adhuc, præter te, quod poscis, literis petiit. Virtute faciendum est, quicquid in rebus bellicis est gerendum. Deditionem meam petis: quasi nescias Cleopatram Reginam perire maluisse, quam in qualibet vivere dignitate. Nobis Persarum auxilia non desunt, quæ jam speramus. Pro nobis sunt Saraceni:

pro

pro nobis Armenii. Latrones Syri, Aureliane, exercitum tuum vicerunt. Quid igitur si illa venerit manus, quæ undique speratur. Pones profectò supercilium: quo nunc mihi deditionem, quasi omnifariam victor, imperat.

III. Aurelianus Palmyram capit et Zenobiam.

His acceptis literis, Aurelianus non erubuit, sed iratus est. statimq́; collecto exercitu, & ducibus suis, undique Palmyram obsedit. Neque quicquam vir fortis reliquit, quod aut imperfectum videretur, aut incuratum. nam & auxilia, quæ à Persis missa fuerant, intercepit; & alas Saracenas, Armeniasq́; corrupit; atque ad se, modò ferociter, modò subtiliter transtulit. Denique post multa, mulierem potentissimam vicit. Victa igitur Zenobia cum fugeret Camelis, quos Dromadas vocant, atque ad Persas tenderet: equitibus missis est capta, atque in Aureliani potestatem deducta. Victor itaque Aurelianus, totiusq́; jam Orientis possessor, cum in vinculis Zenobiam teneret, cum Persis, Saracenis, Armeniis, superbior atque insolentior egit ea quæ ratio temporis postulabat, &c. Pacato igitur Oriente, in Europam Aurelianus redit Victor. Hæc omnia Vopiscus: quæ non potui præterire: quo videat Lector; num sub natum Constantium, gemuerit Romanum imperium sub jugo Persarum, Aureliani tempore. Quod finxit Nicephorus, ut Constantium in Orientem, & Constantinum in Bithyniam traheret.

IV. Palmyreni iterum rebellant.

Vix Imperator Europam attigerat, cum novi in Oriente motus eum revocarunt. Palmyreni Aureliani Præfectum Sandarionem cum sexcentis sagittariis occiderunt: Achilleo cuidam, Zenobiæ parenti imperium deferentes. Imperator eo nuntio irritatus: *ex Europâ revertit, atque urbem, quia ita merebatur evertit*, inquit Vopiscus: & addit post pauca: *Securior denique Aurelianus iterum in Europam redit.* Quid ibi, ab eo factum, dicam anno sequenti: quia plura, uno eodemque anno fieri nullo modo poterant. Licet quæ de Tetrico dicturus sum, ad hunc quoque annum referat Gordonius, ita scribens. *Aurelianus iterum rebellantes Palmyrenos domat, eversâ Regiâ civitate: & mox Ægyptum imperio restituit. Inde in Galliam proficiscens, quæ sola post tot tyrannos debellatos restabat recuperanda, Tetrico & filiis occisis, restituit pristinæ dignitati Romanum orbem.* Sed nos de superato Tetrico, nam non solum eum vivere; sed in summa etiam dignitate manere passus est Aurelianus (inquit Trebellius) dicemus anno sequenti. Interim magnum historiæ, & veritati momentum esset, explorare; quinam Aurelianum comitati sunt, in hac expeditione: nam Bithyni, Illyrici, aut saltem Oriens, Constantium Chlorum lubentes hospitem excipient: ut filii ejus natalibus glorientur. Sed frustra, opinor, in comitatu quærent: quem nullus Author, ne per umbram nominabit. Et quod Orientem spectat, nunquam, nusquam Author ullus Constantii in Oriente meminit. Cæterùm sequenti anno, eum in Occidente pugnantem, plures nominabunt.

Gordon. hic.

Trebel. in 30. Tyran. c. 23.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1025.

ANNUS CHRISTI 274.

FELICIS PAPÆ 2.

AURELIANI IMP. 4.

I. Aurelianus in Europam rediens in Tetricum pugnat.

Annus qui seqoitur ducentesimus septuagesimus quartus, Consulatu Taciti, & Placidiani adnotatur. cum Aurelianus in Occidentem reversus, in Gallias descendit pugnaturus in omnes, qui eum Galliis à Romano Imperio defecerant: quique Tyrannorum Aureoli, Victorini, & demum Tetrici factionem auxerant: quos suprà vidimus eorum nomine, numismatis, votivis etiam tabulis, gloriantes. Hos inter Romanum in Britannia militem fuisse, nullum est dubium. Ille ergo devicto Tetrico, ad officium reducendus. quod quomodo factum, hic annus indicabit, cum Aurelianum in Gallias deducit. de quo ita Vopiscus. *Aurelianus iterum in Europam redit. atque illic omnes qui vagabantur hostes, natâ suâ virtute contudit. Atque ut erat ferox animi, cogitatione multus, vehementer irascens, quod adhuc Tetricus Gallias obtineret, Occidentem petiit. Atque ipso Tetrico, exercitum suum prodente, quod ejus scelera ferre non posset, deditas sibi legiones obtinuit.* Constantium cum Aureliano fuisse, eum Occidentem petiit; & cum eodem in rebelles pugnasse ex authoribus facilè colligitur. nam Aurelianus, cum Gallos premeret, & opinor, priusquam in Tetricum perrexisset; *Vindelicos barbaricâ obsidione liberavit*, inquit Vopiscus. Ibi Constantius à bellicâ fortitudine commendatur. Quod Eumenius orator, cum Constantinum ejus filium laudat, paucis expressit, cum ait. *Te enim tantum, ille & Imperator in terris, & in cælo Deus, in primo ætatis flore generavit, toto adhuc corpore vigens, illa praeditus alacritate, ac fortitudine: quanquam bella plurima præsertim campis Vindoneis gessisset. Quid Vindonum campos, hostium clade completos, sed adhuc ossibus opertos?*

Vopisc. in Aurelian. c. 32.

Constantius cum Aureliano pugnat. *Vopiscus suprà c. 32.*

Eumen. paneg. 9.

II. De Vindonum campis.

Quærunt hic aliqui, ubinam gentium hi Vindonei, vel Vindonum campi? ubi à Constantio pugnatum? Respondet Richardus Vitus Basingstochius in notis ad librum sextum, illos videri, in quibus Constantius, ultimam in Britanniâ Victoriam obtinuit; cujus meminit idem Eumenius illis verbis. *Cujus etiam suprema illa expeditio, non Britannica trophæa, ut vulgo certum est, expetivit: sed Diis jam vocantibus, ad ultimum terrarum limen accessit. Putat ergo agros intelligi Segontiacorum in Britanniâ. Ubi*, inquit, *Vindonum civitas olim fuit, non procul à Basinstochia.* Verùm cum Eumenius ibi, Constantii juventutem, & plura prælia commendet in ætatis flore: satis importunè ad ultimam ætatem laus illa camporum rejicitur, cum ferè certum sit intelligi bellum quod cælebs gessit. Dico igitur Germaniæ agrum intelligi quem Aurelianus ex Italiâ descendens, pertransiit. Unde signanter Vopiscus: *His gestis*, inquit, *ad Gallias profectus Vindelicos obsidione liberavit:* ab utroque flumine populos denominans; quos uno tantum flumine Eumenius comprehendit. Constantius ergo ibi rem fortiter gessit: ubi Vinda, & Lycus fluvii, agrum denominant. ubi populus olim Romanis infestus. De quo hi versus apud Velserum:

Vitus in notis ad l. 6.

Eumen. suprà.

Respicit & latè fluvios Vindamq́; Lycumq́;
Miscentes undas, & nomina littoris. Vnde
Antiquam gentem, populumq́; urbemq́; vocavit
Vindelicam.

III. Eò profectus hoc anno Aurelianus, barbaros qui sociorum orbem obsederant, profligavit. ubi Constantii virtus eminuit adeo, ut inde creverit fama nominis, & fato ostensus imperio fuerit. *nam ferunt quodam tempore* (inquit Vopiscus & fortè hunc annum intelligit) *Aurelianum Gallicanas consuluisse Druidas sciscitantem, utrum apud ejus posteros imperium permaneret. Tum illas respondisse: nullius clarius in Rep. nomen, quàm Claudii posterorum futurum. Et est quidem jam Constantius, ejusdem vir sanguinis. cujus puto posteros, ad eam gloriam, quæ à Druidibus prænuntiata sit, pervenire.* Ita ille. Interea Tetricus in Cataloniam transiens Aureliani vires, famamque nominis reveritus, & suorum militum insolentiam pertæsus: Imperatorem cum exercitu appropinquantem, literis clam datis prævenit, scripsitque è Virgilio: *Eripe me his invicte malis.* Ita proditus Aureliano Tetrici exercitus, factionis pœnam dedit. nam immissus in eum miles, strage plurimorum editâ, Galliam omnem, & Hispanias Romano imperio restituit. Aderat pugnantibus pro Aureliano, Constantius: ut non obscurè significat Eumenius, cum coram Constantinô, injectâ Catalaunicæ cladis mentione, Constantium parentem laudat, illis verbis. *Quod si vobis, & conatibus Æduorum fortuna favisset. Atque ille Reip. restitutor (Aurelianus) implorantibus nobis subvenire potuisset; sine ullo detrimento Romanarum virium, sine clade Catalaunica, compendium pacis, reconciliatis provinciis attulisset fraternitas Æduorum.* Cum hæc Orator dixisset, mox addit: *Ob hac igitur merita, & prisca, divus pater tuus (Constantius) civitatem Æduorum voluit jacentem erigere, perditamq́; recreare: non solum pecuniis ad calendaria largiendis, & lavacris, quæ corruerant, extruendis: sed &* * *metœcis undique transferendis; ut esset illa civitas provinciarum velut una mater; quæ reliquas urbes quodammodo mater prima fecisset.* Constantius igitur, ut pugnantibus in adversarium Tetrici exercitum, auxilio; ita Augustodunensibus subsidio fuit.

Vopisc. in Aurel. c. 44.

TETRICUS SE DEDIT ET EXERCITUM SUUM.

Eumen. paneg. 8.

* metœcis. græcè μετοίκοις.

IV. Itaque Constantius, cum se virtutemque suam Aureliano probasset, à clade Catalaunicâ; quæ Gallias, Hispaniasque Romano imperio restituerat: in Britanniam, quæ sola Aurelianum necdum admiserat, legatus hoc anno mittitur. & à Britannis sine ullo prælio, aut adversâ factione, admittitur. De missione hac ita Baronius, cum Constantinum in Britannia natum dixisset: *idque tempore Aureliani Imperatoris: à quo missus est Constantius, Claudii Imperatoris recenti memoriâ clarus, cum exercitu in Britanniam; ut populum illum sæpè tumultuari solitum in officio & fide Aureliani contineret.* Baronii judicium probat Jacobus Gordonius in Chronologiâ ad annum ducentesimum septuagesimum tertium, ubi hæc habet. *Nunc primùm, in Britanniam missum Constantium, Constantini magni patrem rectè colligit Baronius anno trecentesimo sexto, quod etiam ex anno nostro expenso 306. satis apparet.* Ante hos, in vita Sanctæ Helenæ, Constantii adventus in Britanniâ, sic exprimitur: *Romani recolentes damnum, quod de amisso regno Britanniæ habuerant; Legaverunt illuc Constantium Senatorem: qui Hispaniam ipsis subdiderat: virum utique sapientem, & audacem, & qui pra cæteris Remp. augere laboraverat.* Senator ergo, non Cæsar, non Augustus, vocandus est Constantius, cum primum venit in Insulam: quod minùs accurati Authores non advertunt. Unde nec annos, nec cognomina distinguendo, historiæ tenebras invexerunt: ansamque, neglectu illo, provinciis aliis dederunt Constantini Magni natalibus gloriandi.

CONSTANTIUS IN BRITANNIAM LEGATUS.

Baron. an 306. n. 16.

Gordon. an. 273.

Apud Capgravium in vita Helenæ.

V. Ut venit in Britanniam Constantius, magno consensu à Provincialibus excipitur: & Romani, si qui in Insulâ remanserant, Aureliani Legatum sine ulla quæstione admiserunt. Quid enim, post Tetricum devictum, post Gallias & Hispanias Romano imperio adjunctas, præsumere posset Britannia; aut Constantio opponere? Romanorum reliquiæ, & numero paucæ, & animi magnitudine minores, addo, sine Legato erant. Et provinciales, ut Christi Fidem, ita obsequium Principi præstare docti, ultrò se Constantio dediderunt. Et sanè ea viri virtus, ea animi moderatio, ea demum fama nominis, & militis fuit: ut nec ad primum ejus adventum, nec ad alterum, qui posteriùs fuit, cum Carausius sumpsit purpuram; quicquam in eum movere Insula ausa fuerit. De utroque Constantii adventu intelligendus est Eumenius, cum Constantinum laudans, parentem commendat, quod Britanniam Romano imperio facilè adjunxerit. *Nam quid ego* (inquit) *de receptione Britanniæ loquar? Ad quam ita quieto mari navigavit: ut oceanus ille, tanto vectore stupefactus, caruisse suis motibus videretur: ita pervectus, ut non comitata sit, sed præstolata Victoria. Quid de misericordiâ dicam, quâ victis temperavit? Quid de justitiâ, quâ spoliatis amissa restituit? Quid de providentiâ, quâ socios sibi junctos, se ejusmodi judicio dedit; ut servitutem passos juvaret recepta libertas; culpa conscium ad pœnitentiam revocaret impunitas?* Constantius itaque sine armorum strepitu, & lubentibus omnium animis admissus est. Quod quidem quietæ provinciæ argumentum est: non tamen probat Insulam extra Tetrici, & aliorum Tyrannorum factionem fuisse. Fefellit Lipsium hoc Insulæ silentium, ad adventum Constantii; cum Nicephorum sequutus, non in Britanniam, sed in Orientem, Legatum hoc tempore scribit Constantium. sed revera Orientalis illa legatio, figmentum est; non modò Insulæ, sed natalibus Constantini, sanctitati Helenæ, & historicæ veritati injurium, ut dicam anno sequenti. Interim, quid Legatus in Britanniâ fecerit, videamus.

A BRITANNIS ADMITTITUR.

Eumen. paneg. 9.

VI. Non malè Eumenius Orator suprà dixit, Constantium in receptione Insulæ, *sibi socios junxisse*; quod benè *providentiam* appellabit. Enimverò providè & prudenter factum; societatem inire, amicitiam firmare, fœdera sancire; si pacem vis esse diuturnam: & amore benevolentiaque demereri, quos cupis ad obsequium flectere. Britannorum animi Constantio, & Romanæ Reipublicæ conciliandi erant. nec melius, tutiusque compendium, quàm Principes sibi viros devincire. Unus tunc in Insula eminebat Coëlus, & Trinobantes, vicinasque provincias avito jure regens; quocumque inclinabat, cives ad se sensumque suum trahere non difficulter poterat. Hunc Constantius convenit, pellexitque, nullo negotio, in Aureliani imperium jurare, Quid enim Christianus homo negaret Cæsari, quod Cæsaris esse, jam totus Romanus orbis testabatur. Ita subjectio firmata est, necdum societas.

PRUDENTIA CONSTANTII, IN FIRMANDA BRITANNIA RO. IMPERIO.

Voluit ergo, suaviùs adhuc Britannorum animis illabi Constantius: & obligare sibi Insulam sanctiore vinculo. Coëllo jam effato erat proles unica, terrarum, & provinciarum hæres, Helena: quam suprà laudavi virginem. Illam Constantius à parente petit, & impetrat: virginem solicitat, & illa consentit. Hæc omnia è vita S. Helenæ in hunc modum traduntur. *Porro Cloël Britonum Rex, & Helenæ pater, cum Constantii adventum comperisset: timuit ei prælia ingerere, propter ejus maximam præliandi famam, multiplicesq́; Victorias. Vt igitur intra Insulam Constantius applicuit: direxit Cloël Legatos suos ad illum, petivitq́; pacem, & subjectionem promisit eo pacto; ut regnum Britanniæ possideret, nihilq́; aliud præter solitum tributum, Romanæ dignitati solveret. Hoc itaque nuntiato, acquievit Constantius; pacemq́; receptis obsidibus confirmaverunt. Deinde paulò post gravissima infirmitas occupavit Cloëlem: ipsumq́; intra dies octo morte affecit. Quo defuncto, insignivit se Constantius regni diademate, duxitq́; filiam Cloelis; ipsam de qua loquimur S. Helenam: cujus singularis pulchritudo provinciales puellas facilè superabat.* hactenus ibi. An Coëlus hoc anno mortuus, an aliquamdiu à nuptiis superstes manserit, in dubio est.

V. an. 247. 1. & an. 256. 2.

Capgrav. in vita S. Helenæ.

CONSTANTIUS HELENAM PETIT ET IMPETRAT.

VII. Illud indubitatum, Constantium post Aureliani de Gallis & Hispanis victoriam, in Britanniam solvisse; junctisque sibi sociis, illam recepisse. hoc innuit suprà Orator. hoc Poëta clarè significat, illis versibus, quos Joannes de Garlandia recitat, libro quarto, de triumphis Ecclesiæ:

Apud Vsser. fol. 929.

Romanus domitor Constantius orbis Iberi
Suscepit Britonum tradita regna sibi.
Regna Coël natamq́; suam concesserat illi,
Quæ claro Cleri dogmate clara fuit.
Hæc Constantinum peperit. Pater hinc Eboraci
Decessit, nato dans ea regna suo.
Vi capiens Romam, factus fuit ille monarcha
Mundi. quo Christi crevit in orbe Fides.

Scio hìc objici multa posse, & solere; quoties Constantinum, aut Græci, aut Germani, aut Illyrici sibi asserunt: de humili parente, de nuptiis, de Helenâ stabulariâ, aliisque, quæ inter antiqui temporis tenebras, facilè comminiscimur: conabor ergo illa, sequenti anno, quo Constantinus nascitur, dissolvere. quia tanti Principis natales explorare, probare, & confirmare debent Annales. eò igitur properandum.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1026.

ANNUS CHRISTI 275.

EUTICHIANI PAPÆ 1.

AURELIANI IMP. 5.

I. SEQUITUR Christi annus ducentesimus septuagesimus quintus, Aureliano Augusto iterùm, & Julio Capitolino Consulibus: Constantini magni natalibus illustrissimus: & Felicis Papæ martyrio insignis, cum sedisset annos duos, & menses quinque. Qui priùs quàm moreretur, *jussit supra sepulchra Martyrum, aut memorias eorum, Missas celebrari:* inquit liber de Romanis Pontificibus. Non quòd priùs id factum non esset: sed quòd aliter fieri nollet. nam Græci pariter, & Latini Patres, ex illo loco Apocalypsis: *Vidi subtus altare Dei animas interfectorum, propter verbum Dei, & propter testimonium quod habebant:* satis demonstrant morem fuisse, ad Martyrum sepulchra Sacrificium offerre. Felix ergo antiquum morem, nova sanctione firmavit, voluitque æterni juris esse. quod ad hanc usque ætatem deductum est: cum nulli liceat, aut templa sine Sanctorum reliquiis, erigere: aut Sacrificium, sine illis celebrare. Unde altare ipsum cum reliquiis consecratur. Felici successit in Romanâ Sede Eutichianus Tuscus, patriâ Lunensis.

FELIX PAPA MARTYRIO CORONATUR. EIUS DECRETUM.

Apoc. 6.

EUTYCHIANUS PAPA.

II. Helena Constantii conjux jam gravida, & partui vicina, expectat tempus, locumque pariendi: dum illa fascias parat, & crepundia, magno Principi nascituro: ego natales ejus excutiam: unde domo, patriaque? quando, quo loco natus? an Britannus origine, an Bithynus, aut certè Illyricus dicendus. nam nuper pro Illyrico facta est intercessio. & historiam, ut veritas, ita justitia, suum cuique tribuens, decet, ornat, illustratque. absit autem ab Ecclesiastico Scriptore, alio quàm veritatis justitiæque impetu ferri. Cæterùm licèt hactenus dicta, Constantium Helenamque, satis constanter in Britannia, matrimonii lege conjunxerint: erunt tamen illustriora, si quæ objici possint evertero. Cum Græcis itaque primo loco agendum, qui Constantinum, matremque Helenam in Orientem traxere. Quos ego non vexarem, nisi Occidens noster, & vicini nobis Belgæ, virique in literarîa antiquitate Principes, pro Græcia certarent. Nicephorus Callistus disputandi in hac quæstione fundamentum posuit, cum Constantini exordia retexens; in historiâ Ecclesiasticâ, in hunc modum illa describit.

III. *Diocletianus viginti duobus omninò annis, imperium tenuit: & quarto imperii sui anno, cum aquâ potestate Maximianum Herculium sibi adscivit.* & infrà. *Constans Chlorus, ex Beatâ Helenâ sustulit filium Constantinum: cui etiam imperium quod Christianam ritè suscepisset Fidem, reliquit: reliquis, quos ei Theodora genuit filiis, propter segnitiem, abdicatis. Constantini ejus ortus sic habet. Tyranni quos diximus (Diocletianus & Maximianus) cum irreconciliabilem prorsus furorem in Christum satis ostendissent: continuò varia gravesq́;, divina vindicta, plagæ imperium Romanum obruerunt. Nam Persæ, Parthi, Sarmatæ quoque, & plerique alii finitimi populi, Varacho Duce, Romanam ditionem vastarunt. Ad quem per fœdera pacta placandum, qui tum rerum patiebantur Imperatores, Constantem Roma Legatum misere: ut cum pacem, cum eo componeret, tum annua ei dona, redimendi scilicet belli gratiâ, polliceretur. Is ab Occidente, Orientem versus navigans; ad locum, qui Drepanum dicitur applicuit. Situm est autem Drepanum ad Nicomediæ sinum, in altum mare longè prominens. Vbi Constantio concubitus desiderium incessit. Quod ubi cognovit hospes ejus, magnificentiâ & splendore cohortis ejus regio permotus; filiam ei suam, venustâ formâ ætatisq́; flore, jam nubilem, puellam conciliat. Ille cum eâ rem habet: concubitusq́; mercedem, peplum ei purpurâ intextum donat. Nocte eâ, Constantio mirifica visio est oblata; quæ eum timore quodam perculit. Quapropter & puellæ patrem est cohortatus; ut filiam, quæ insigne quoddam donarium gereret, impollutam diligentiùs asservaret: & quod ex eâ natum esset, accuratiùs educaret: Vidisse quippe se, eâ quâ dictum est nocte, aiebat in tabernaculo suo, præter naturam, ab Occidentali Oceano Orientem solem. Cæterùm legatione rectè obita;*

Niceph. L. 7. Eccl. histor. c. 17.

CONSTANTINI PATRIA E FIDE NICEPHORI.

Constans alio itinere Romam reversus, unà cum Galerio Maximino Cæsar est creatus. Nec ita longè post, uterque Augustus factus. Et Diocletianus, Herculio Imperatore Romæ relicto, ipse Nicomediam se recepit.

IV. Accidit deinceps, ut Oratores alii ad Parthos mitterentur: qui & ipsi Drepanum diverterunt: & qui Constanti, ex hospitis filia Helena primogenitus erat infantulus, puerilem ludum ludens, à quodam ex Oratorum comitum numero offensus, admodum et succensuit, & objurgationes illius indignissimè tulit. Ibi tum mater, Constantis eum puerum esse indicavit: eamq; rem peplum illud purpura ornatum proferens, confirmavit. Et facies ipsa, indolesq; generosa, filium esse satis testabatur. Eâ re Constans, ex Legatorum sermone cognitâ; postea comitatu regio, puerum unà cum matre Romam adduci curavit. Veritus autem ne illis absurdi quidquam, à Theodorâ legitima uxore, per zelotypiam, & conjugalem æmulationem accideret; Constantinum filium, Nicomediam ad Diocletianum, qui ibi cum Galerio Maximino genero erat, misit. Atque ibi ille benignè acceptus, in palatio apud Imperatorem vixit, & inter domesticos scholarum ascitus, græcis disciplinis addidicit: simulq; Christianismum est amplexus. Hactenus ille. cujus narratio variè viros etiam doctos affecit. quorum judicia, sensumque lubet proferre, quo verum à falso clariùs secernatur.

V. JUSTI LIPSII DE NICEPHORI NARRATIONE ARBITRIUM, A BARONIO REIICITUR.

Imprimis pro Bithyno Constantino, & Nicephori narratione, pugnavit, ætate nostra, naviter Justus Lipsius: Contrà, pro Constantino Britanno, in Nicephori narrationem disputat eminentissimus historicorum nostri temporis Cæsar Baronius: qui quoniam ætate, gradu, dignitate Lipsium præcessit, primus in hac quæstione loqui debet. Igitur cum ipse de Constantini patriâ controversiam orditur, hæc habet. Scimus, inquit, Græcorum recentiores (Eusebius enim licet rerum Græcarum amplificator egregius, hæc silentio prætermisit) Nicephorum, & alios, qui commentitiæ historiæ fidem præstiterunt, eam fuisse Bithynam genere affirmare. De quâ & hujusmodi fabulam concinnarunt. Tum recitata Nicephori narratione, quam modò adduxi, ita censuit. Sed pluribus, inquit, tum Nicephori, tum aliorum mendacissima historia confutatur. Ac primum quidem si ea ad lapidem lydium admoveatur. Si, inquam cum rectâ ratione temporis conferatur, planè convincetur curiosi hominis esse figmentum. Si enim, ut ipse vult, eo anno natus est Constantinus, quo Constantius pater, rediens à legatione, creatus est Cæsar (quod contigisse certum est anno Domini ducentesimo nonagesimo secundo) necesse est affirmare, eo anno quo cepit Imperium Constantinus, fuisse quatuordecim tantum annorum ætatis: quem tamen ex sententiâ Eusebii, qui eo familiarissimè usus est, & aliorum, constat, cum auspicatus est imperium, triginta duos annos ætatis, vel saltem triginta unum attigisse. Cum enim dicat ipsum imperasse annos triginta unum, vel triginta duos, præter paucos menses, & dies: addatq; totidem annos absque imperio vixisse: manifestum est, eo tempore, quo Nicephorus eum natum vult, Constantium jam annos decem & septem ætatis egisse. Hoc uno igitur ejus historia, tam insigni patefacto mendacio; totum illud excogitatum commentum exploditur. cum præsertim è Scriptoribus illius temporis quo in loco natus sit Constantinus, possit apertissimè demonstrari: nempè in Britanniâ, ut dicemus. Facilè nempè potuit accidisse, ut Scriptoris incuriâ alicubi Bithynia, loco Britanniæ scriptum esset. Unde & reliqua confingendi occasio sit accepta. cum præsertim ille color accederet; quod Drepane dictum oppidum in Bithynia, ab eâdem Helenâ admodum illustratum, fuerit postmodum Helenopolis appellatum.

Boron. ad annum 306. n. 12.

Idem suprà n. 14.

VI. Sanè quidem mendacii convincitur apertissimi Author, dum ait Constantinum Drepane natum esse, in Bithyniâ, quem apertissimè constat in Britannia ortum esse. Id quidem disertis verbis, coram amplissimo conventu tunc temporis habito, cum celebratæ sunt nuptiæ Constantini, & Faustæ filiæ Maximiani Herculii, testatur celebris ille Gallicanus Orator, dum ait hæc de patre Constantio, & ejus filio Constantino. Liberavit ille Britannias servitute; tu etiam nobiles illic oriundo fecisti. Quid igitur ei apertius dici potest? Quibus adeo manifestis velle refragari; quis non extremæ ducat esse dementiæ. Quâ pariter ratione æquius est dicere Helenam fuisse Britannam, quàm Bithynam, quàm certum est peperisse in Britanniâ Constantinum: idque tempore Aureliani Imperatoris: à quo missus est Constantius, Claudii Imperatoris recenti memoriâ clarus, cum exercitu in Britanniam; ut populum illum sæpè tumultuari solitum, in officio, & fide Aureliani contineret. Contigit autem Constantini natalis (ex Eusebii sententiâ superiùs recitatâ, qui totidem annos eum ante imperium vixisse tradit, quot imperavit) Aureliano secundùm, & Iulio Capitolino Consulibus, anno quinto ejusdem Aureliani Imperatoris. Hæc omnia Baronius. qui pluribus pergit ostendere Helenæ genus, è Britanniâ, è Coello regulo: qui hospitio Constantium exceperit: & denique Constantii cum Helenâ constantes nuptias. de quibus agam paulò inferiùs, cum objecta vel in Helenæ genus, vel in patriam ejus diluo.

VII. Contestata jam esset de Constantini patriâ omnis quæstio: adeo ἀσύστατα, ἄτοπα, non consistentia, absurda, & veritati adversa sunt omnia, quæ finxit Nicephorus: nisi nova ingeniorum prurigo, antiquos Authores vexando, dum obscuras voces expediunt; impediunt aliquando magis. laudanda sine dubio eorum industria, nisi interdum in Authorum mentes imperium præsumentes, se magis, quàm Authores venderent. non admodum peccavit in hoc genere Justus Lipsius, qui nuper rei literariæ lucem contulit & ornamenta plurima: sed quisque suos patimur manes: & optimus ille qui minimis urgetur. Ille pro Constantini patriâ disputans, noluit habere connatum sidus, quod ortum in Britannia, Belgicam è vicino illustrasset: sed à Baronii sententiâ recedens, & Nicephoro applaudens, ita censuit: Ego arbitror Nicephorum verissima tradidisse. nimirum Constantium ad Persas legatum, Drepanum venisse, hospitis sui filiam cognovisse, Constantinum genuisse. non opinor Lipsium dealbare velle omnia, quæ suprà Nicephorus effutiit: sed tantùm quæstionis nostræ summam, de Constantini patriâ, in Oriente nati, probavit. nam addit sententiæ suæ firmamentum: Cur autem, inquit, ille (Nicephorus) hoc tam constanter, tam nihil ambigens, aut varietate infrens; si variatum tamen fuit? Quasi diceret. Nicephorus ita dixit, & constanter dixit; ideo vera, verissima. & ne putares ipsum unius Nicephori causam agere, probat arbitrium suum authoritate alterius, antiqui scriptoris quem nemo respuat, Julii Firmici; qui Matheseon libros scripsit, & in eorum primo, hæc habet. Dominus, & Augustus noster, ac totius orbis Imperator, Pius, Felix, & providus Princeps, Constantinus scilicet Maximus, Divi Constantini filius, augusta ac veneranda

QUID DE NICEPHORO LIPSIUS.

Lips. de Magnit Ro l. 4. c. 11.

Firmic. l. 1. Matho. c. 4.

memoria Principis, qui ad liberandum orbem à tyrannicis immoderationibus, & ad comprimenda domestica mala, favore propitia majestatis electus est, apud Tharsum genitus, à primo ætatis gradu, imperii gubernacula retinens, quæ prosperis nactus fuerat auspiciis, Romanum orbem salubri gubernationis moderamine sustentat.

VIII. Vitiatum hunc Firmici locum fatetur Lipsius: & pro *Divi Constantinus filius*, legendum contendit *Divi Constantii filius.* Tharsum etiam sine aspirationis notâ scribendum censet. Tunc, scilicet, in Nicephoro salva sunt omnia, & *verissima.* Si quæras: Quid Nicephori Drepanum, cum Tarso Firmici? respondet Tarsum in Bithynia signatè poni à Stephano de urbibus, Constantino Porphyrogenito, & Niceta: & addit. *Ego verò aio & infero, eandem cum Drepano esse. Quo argumento? Quod apud Nicomediam, sinus & curvatura maris est: quæ loca talia, communi nomine, Drepana Græci, falcis à similitudine vocabant. Inde passim Drepani hoc nomen, in maritimis, & Ortelium nostrum vide.* Sed quoniam nemo hactenus Tarsum Bithyniæ, Drepanum nominavit: pergit Lipsius firmare quæ dixerat, ita: *Hæc mea conjectatio est; nec moveor, si posteri, aut Britanni Scriptores aliter de tota re tradiderunt.* Placet vox illa *conjectatio*, nam Authoris modestiam commendat: & fortioribus argumentis, cessuram conjecturam hanc innuit: non placet tamen, quod posteros, & Britannos Scriptores omnes, uno Nicephoro, & corrupto Firmici loco, minores faciat: velitque gravissimam quæstionem, ubi Occidentis causa agitur, ad Orientis tribunal sistere; ibi græca fide terminandam. meritò enim indignabitur Occidens: pars illa præsertim, cujus interest augustum hoc sidus, ad orbem suum pertinere. Vix ergo Lipsii liber de Romanâ magnitudine, ubi hæc disputat, Angliam pervaserat, cum Guilielmus Camdenus, regius historicus, & nostrarum Antiquitatum egregius explorator, patriæ causam suscipiens, scriptis ad authorem literis, amicè illum interpellat hunc in modum.

Lipsius de Magnit. Ro. l. 4. c. 11.

CLARISSIMO VIRO JUSTO LIPSIO. GUILIELMUS CAMDENUS S.

IX. CAMDENI AD LIPSIUM LITERÆ DE CONSTANTINI PATRIA.

Ex quo admiranda illa tua, te dignissima, in lucem prodierunt (vir clarissime) gestit mihi animus tecum paucis, de natali Constantini Maximi agere. non altercandi, vel calumniandi studio (quod à nobis qui musis, & modestiæ litamus, susceptamq́; inter nos benevolentiam conservamus, procul absit) sed cupiditate quadam cognoscendi, & veritatem, si fieri possit, ab injuriâ vindicandi. Cumque jam mihi vacet scribere, quæ subinde mecum hac de re, animo agitavi: utinam & tibi, per operosa negotia liceat, huic disquisitioni tantisper immorari. Licet illa sanè levicula, & omnino supervacanea. non enim, inquit Vopiscus, *summa sciendi est, ubi quisque magnorum Principum sit genitus: sed qualis in Rep. fuerit. Historici omnes, qui de loco natali Constantini Maximi scripserunt una voce, præter duos Græculos, Cedrenum & Nicephorum, in Britannia natum asserunt: & historiæ Fides, in certa favenda; cum in idem plures, ut testes consentiunt. Cedrenum, qui natum certa urbem Daciæ tradit; ut vanitatis manifestum ipse rejicis. Nos itidem Nicephorum: qui Drepani Bithyniæ natum: cum ut vanum; tum ut ætate minorem; ad testimonium perhibendum rejicimus. Præscriptoribus enim qui contra eunt, nuperus ille & novitius; ab anno scilicet millesimo trecentesimo quadragesimo, sub Andronico juniore. Cui (præter vitam Helenæ Anglo-Saxonicè, circa annum nongentesimum quadragesimum, scriptam) Henricum Huntindoniensem, Gulielmum Malmesburiensem, Ioannem Sarisburiensem, ejusdem ævi, cum denso Scriptorum agmine opponimus. qui Nicephoro, judicio non inferiores, tempore antiquiores. Quo autem quisque tempore antiquior, & rei gestæ loco propior, majorem & potiorem fidem meretur. Nec de loco audiendus, qui in modo genituræ aniliter ineptit: & temporis ratione omnino aberrat. Ait patrem ejus Constantium, Claudii ex filio nepotem (quod minimè verum docet Pollio) Legatum ad Persas à Dioclesiano missum, Drepani in Bithynia hospitem ei filiam suam prostituisse, cui pallium Regium purpurâ intextum, (Quid privato, cum pallio regio?) donarit. eademq́; nocte solem ex Occidente illuxisse. Deinde anno Diocletiani quarto, Cæsarem fuisse designatum, Constantinum ex hac natum: ostenso regio pallio innotuisse: qui eum in Galliâ (imo in Britanniâ) Cæsarem creavit. At quando ille genitus? cum Diocletianus bellum Persis minaretur: ad annum scilicet ducentesimum octogesimum sextum; ut hac initâ ratione, tantum viginti fuerit annorum, cum imperium caperit. Trigesimum tamen tunc attigisse annum, Eusebius & Victor Scotti, qui tunc vixerunt, docent. Ad quod tempus ipse etiam accedis, qui Nicephori Fidem in hoc concidentem libenter statuminas.*

X. *Ad Nicephori tamen fidem firmandam adhibetur testis vetus, ab ipsius Constantini avo, fide plenus, & omni exceptione major, Iulius Firmicus. Sed examinetur primo tempus, quo Firmicus scripsit: deinde testimonium quod profert. Quod Firmicus non sub Constantino Maximo scripsit, sed sub Constantio ejus filio, circa decimum octavum scilicet, ab excessu Constantini Maximi annum, ipse testis fide dignus, in præfatione, quâ Mavortio Lolliano, jam Consuli ordinario designato librum inscripsit. Cujus consulatum in annum decimum nonum Constantii incidisse, ex fastis manifestò constat. nec quemquam ante tot annos Consulem ordinarium designatum me legere memini. Ad hæc de postremis annis Constantini Maximi, ut tunc transactis loquitur, ubi meminit solaris deliquii, Optato & Paulino Consulibus. vix uno aut altero anno ante mortem Constantini. Quod ad testimonium. Si adesset & audiret ipse Firmicus, ut corruptum, & interpolatum, & non ut suum agnosceret. Et non de loco natali Constantini Maximi, sed Constantii ejus filii, sub quo, Lolliano ordinario Consuli designato librum obtulit, se loqui clamitaret. At verba ipsa pensiculatiùs examinemus ex duobus Manuscriptis: altero è Bibliotheca Collegii Lincolniensis Oxonii: altero Thomæ Alani Mathematici Oxoniensis, non ex illo impresso & mendoso, qui tibi imposuit; & in Tarso indagandâ negotium facessit. Ecce autem verba ipsa, fide antiqua, parenthesi tantum à me interjectâ: & Constantius pro Constantinus, criticâ licentiâ substituto. Dominus & Augustus noster, ac totius orbis Imperator, Pius, Felix & providus Princeps, Constantius scilicet Maximus, Divi Constantini filius, augusta & veneranda memoriæ Principis (qui ad liberandum orbem à tyrannicis immoderationibus, & ad comprimenda domestica mala, favore propitiæ majestatis electus, ut per ipsum servitutis squallore deterso, secura nobis libertatis munera redderentur; ut captivitatis juga fatigatis, & oppressis cervicibus poneremus: quem pro nostra semper libertate pugnantem, incertissima inter casus humanos nunquam belli fortuna decepit) apud Nassum*

genitus, à primo ætatis gradu, imperii gubernacula retinens; quæ prosperis nactus fuit auspiciis, Romanum orbem salubri gubernationis moderatione sustentat.

XI. *Quæ parenthesi hic interclusa, ad Constantinum Maximum referenda videntur. Ille enim ad liberandum orbem à tyrannis, ad comprimenda domestica mala,* &c. *divinitus electus. Ilico,* inquit Panegyristes, *atque pater terris fuerat exemptus, universus in te consedit exercitus. Te omnium mentes, oculiq́; signarunt. Et quamquam tu ad seniores, de summa Reip. quidnam fieri placeret, retulisses: prævenerunt tamen studio, quod illi mox judicio probaverunt. Purpuram statim tibi; cum primùm copiam tui fecit egressus; militer utilitati Reip. magis quàm tuis affectibus servientes, injecere lacrymanti;* &c. *Cætera quæ præcedunt, & subsequuntur, parenthesi exclusa; perpendas quæso, an non appositè Constantio, Constantini filio conveniant. Ille post fratres, Constantinum & Constantem, totius orbis Imperator; ille solus Imperator, ille maximi agnomen habuit, ut nos in ejus nummis videmus: & tu apud Occonem videas. Ille Divi Constantini fuit filius: Ille à primo ætatis gradu; id est, à pueritiâ (ut ego capio ex Firmici præfatione) gubernacula retinuit: novennis enim vel octennis, vicennalibus patris Cæsar fuit designatus: & Orientis imperio præpositus: cum pater gubernacula illa non susceperit, ante annum trigesimum. Quod autem Constantius noster, Naisi (ut libri nostri præseferunt) genitus fuerit, ipsius ætas probare videtur. Si enim ille obiit, ut habet Victor, anno ætatis quadragesimo quarto, natus fuit anno salutis trecentesimo decimo septimo, Gallicano & Basso Coss. Quo quidem anno, & subsequentibus, in illis partibus egit Constantinus Max. ut rescripta, Sardica, Sirmio, & etiam Naiso data demonstrant.*

XII. *Hactenus secundo astu provehi videor. Sed hic tu subridens* ἀναχοῦν, contra fluxum aquæ, *irruis. Quòd Firmicus Constantinum Maximum, & ejus invictissimos liberos, Cæsares & Dominos appellet: cum Constantius liberos habuerit nullos. Vela obliquo, nec confugio ad Gallum vel Julianum, quos cum Cæsares dixerit, in liberos adoptavit. Sed facio limatissimi tui judicii, an illa Firmici verba, satis commodo sensu intelligi non possint: illum precari erratica nomina: ut Constantius sit maximus Princeps, liberosq́; habeat, qui sint invictissimi Cæsares, & domini: qui posterorum posteris imperent,* &c. *Hæc qualiacumque me inhibent, quo minus Constantinum Maximum, Tarsi Bithyniæ natum credam. Et ignoscas, si illum Firmici locum, non fatere ad patrium solum maximi illius Constantini; donec solidiora proferantur, existimem. Interim fraudi nobis non sit: si Scriptoribus antiquis patriis, vicinis, iisq́; pluribus, potiùs quam uni eidemq́; novello, & eruditæ commentationi, ex mendoso libro, hac in parte, credamus: & pro nostrâ Helenâ, & Constantino depugnemus; ut conjecturis eripi non patiamur. nosti illud: aberranti conjecturæ, qui non resistit, approbare videtur. Vale vir clarissime: & salve ab eo, qui te unicè colit, & admiratur. Londini XVIII. Augusti, stilo veteri. 1604.* Ita Camdenus.

XIII. Vicisset hæc Epistola virum, nec partibus, nec judicio suo, imbibitæque semel opinioni nimis addictum. Sed magnorum ingeniorum est; si subinde in literas imperium sumunt, aut virtute industriaque suâ, ut Lipsius, nanciscuntur, difficulter admodum à sententiâ suâ, in alterius sensum descendere. Ita omnino affectus est Lipsius qui Camdeno, longè probabiliùs Firmicum exponenti, noluit cedere: sed ejus literis ita respondit.

JUSTUS LIPSIUS,
GUILIELMO CAMDENO
Viro clarissimo S. D.

LEGI quæ pro Constantini patriâ, ex veteri de ea sensu scripsisti. Inquisitè fateor, & eruditè; non nego: sed in quibus parum etiam comperti esse mihi videbatur. Vestri ita Britanni: scio: Quis aliorum adsentit? non Bedas, quod jure observes. Ille antiquus & fidus: an gloriæ gentis suæ non favit? Atqui, ubi dicendi locus erat (l. 1. c. 8.) duntaxat ex Eutropio, creatum in Britannia Imperatorem, scripsit. Cæteri vestri, quàm fabulosa musceant, non nescis. scribis Firmicum sub Constantio scripsisse eos libros. edidisse fateor: scripsisse diu ante, & per partes, ipse in præfatione satis dicit. Neque nescis alloquia illa, in ultimis solere ascribi. De Nesso etiam natali Constantii, pariter incertum. & illud de liberis urgere, & premere mihi videtur. Quicquid ingeniosè, mi Camdene, excusis. Sed altercari non libet (absit litigare) & hæc talia pro judicio suo quisque arbitrator. Considerare te velim, quod iterum Dominum atque Imperatorem Constantinum appellet, initio libri, cur non Divum si jam obierat? nam ita tu legis in loco, quem ad Constantinum ducis. Et de Lolliano Consule, non etiam palam scribit: sed ordinarium Consulem designatum fuisse. potuit sub Constantino designatum esse, & causa aliqua dilatus. Sed & fasti ejus ævi, quod te non fugit, obscuri sunt, aut defecti. Sed tui judicii res esto; non pertendo. nec meum est ingenium. Ego te jam olim amo, & præclarè meritum, cum de aliâ antiquitate, tum de patria tua animo sentio, & voce prædico. Redde mihi affectum. Neque enim factio, plebeiorum ingeniorum venenum, imminuet aut tollet. Languor me habuit, atque is jam trimestris cum hæc scripsi. Is breviorem me facit. Vale vir doctissime. Lovanii X. Calendis Octobris 1604.

In has ultro citroque datas literas incidi aliquot post annos, quàm de patriâ Constantini fusè scripseram, edideramq́ue. Ibi Nicephori narrationem, Baronii, Lipsiique arbitrium, Julii Firmici prætensum locum, & plura excussi, pro patriâ Constantini, argumenta. Sed quia partus ille ferè abortivit, patriæ miseriis & calamitatibus enectus, juvat compendio aliqua repetere: si fortè meliore fato lucem mereri aut aspicere possint: cum non extra ordinem, sed suo loco, nimirum cum nascitur Constantinus, aptè inculcentur: Patere ergo Lector, me post Camdenum, & Usserum, pro Constantino Britanno, ea referre, quæ ante visas Camdeni literas, aut Usseri Primordia, olim disputaveram. Nec fortè erit inutilis opera: quia cum de Julii Firmici sententiâ, sit potissima difficultas: & duo tantùm Manuscripti Codices, à Camdeno proferantur. Addam ego impressa exemplaria, iis antiquiora, quæ Lipsium, aliosque fefellerunt. Addam etiam quæ nec Lipsius, nec Camdenus, nec qui postremò scripsit Usserus circa Firmici locum observasse videntur. Quo tamen diligenter inspecto controversiæ nodus, qui nonnullis implexus, erit, opinor, expeditior. Qua in re, non agam Criticum, nec censoriam virgam mihi arrogans, Firmici verba, aut corrigam aut evertam: nec enim Authores vexandi sunt, nisi peccent manifestè. quod nec à Firmico, nec à typographo factum conabor ostendere. Denique missa

LIPSII AD CAMDENUM RESPONSIO.

XIV. CUR ITERUM DE CONSTANTINI PATRIA DISPUTATUR.

parentheſi, quam Camdenus in ſuppetias vocat; nihil in Firmico, olim impreſſo, nihil in manuſcriptis Codicibus, addendum, minuendum, immutandum erit. ſic Authoris mens defæcatior, ejus ſententia illuſtrior, & Conſtantini patria ſine nube, quæ illam videbatur tegere, cernetur.

XV. CONSTANTINI PATRIA, MAGNUM BRITANNORUM FIDEI MOMENTUM.

Cæterùm ſi longior ſum in hac controverſia, ſciat Lector, me pro Regiâ Britannorum Fide, Annales ſcribere. & magnum illi momentum, Conſtantinus. Et verò, enata ſunt rursùm dubia: his pro Lipſio, & Græciâ; aliis verò pro Naïſo & Illyrico pugnantibus. Cum enim conſtet (nec enim citra pertinaciam negari poteſt) Conſtantinum aliquem Naiſi natum: qui magnus, imo maximus haberi voluit, habitusque eſt. Hinc Conſtantinus noſter, titulo ſatis colorato, in Illyricum trahitur. Ita peccarunt nuper Illyrici, & eorum fautores: qui hodieque, ut audio, victoriam ſibi de Conſtantino Dardaoo, & Helenâ Dardanâ gratulantur. Fateor porro ſi Authorum verba, ſententiæque oudè ſumantur & inveſtes: ſi inquam nullis locorum, perſonarum, temporum, rerumque geſtarum circumſtantiis; nullâ etiam præcedentium & ſubſequentium rerum collatione ornentur, venialis principio error plures inficiet. Sit verbo exemplum. Lipſius Cedrenum accuſat, cum ait, natum Conſtantinum, *περὶ τὴν τῆς δακίας πόλιν*, *circa Daciæ civitatem*, corruptum locum illum vocat: Uſſerus locum reſtituit, & Naiſum interſerit, legendumque putat Conſtantinum natum, *περὶ τὴν ναϊσὸν τῆς δακίας πόλιν*, *Naiſi, quæ Daciæ civitas eſt.* probat conjecturam ſuam, è Conſtantino Porphyrogenito, qui in præfectura Daciæ Mediterraneæ dicit: *Ναϊσὸς ἡ πατρὶς τοῦ μεγάλου Κωνςαντίνου*, *Naiſus, patria Magni Conſtantini.* Accedit his Stephanus de urbibus, vel certè qui eum edidit Hermolaus grammaticus, de Conſtantino loquens: *Ναϊσσὸς*, inquit, *πόλις θράκης κτίσμα καὶ πατρὶς Κωνςαντίνου, βασιλέως, Naiſus civitas Thraciæ.* ubi licet Naiſus, non Daciæ, ſed Thraciæ urbs vocetur: reponent tamen Dardani: Stephani ævo, Thraciæ membrum, Dardaniam fuiſſe.

EN CONSTANTINUM NAISI NATUM.

XVI. CONSTANTINI FILII INDISCRIMINATIM APPELLANTUR.

Quis iſta qui legerit, & Conſtantinianæ familiæ originem repetierit, non jam contrà Lipſium pro Naïſo pronuntiarit: Conſtantinum videlicet in Illyrico natum? reverà nemo: & niſi quis ſimul advertat, non unum, ſed plures Conſtantinos ab authoribus nominari; de Magno Conſtantino (quem in Britannia natum aſſerimus) ſupradicta intelliget. Verùm ſi unà conſideret, Conſtantini filios, filiasque, addo & Conſtantini patrem; implexè ſæpè, & indifferenter poni; nihil ſolidè conſtanterque aſſeri, ſi cætera demas diſtinctionis argumenta, facilè perſpiciet: nedum aliquid, contra Authorum conſenſum unanimem, concludi poſſe. Dico igitur, & à Conſtantio ordior, qui Helenam duxit: eum indifferenter Conſtantem à Nicephoro; Conſtantinum à Martino Polono ſemper appellari: quos hactenos nemo propterea reprehendit: ſed accuratus Lector ex adjunctis debet diſtinguere. Martinus Conſentinus Archiepiſcopus, centum ferè annis Nicephoro antiquior, ita ſcripſit in Chronico: *Galerius annis duobus imperavit cum Conſtantino & Licinio.* noli Conſtantinum Magnum, ſed Conſtantium Patrem intelligere. nam ſubdit: *Iſte Conſtantinus Hiſpaniam ſibi ſubegit, & filiam Regis Britanniæ nomine Helenam accepit in concubinam, de qua genuit Conſtantinum Magnum.* Hoc idem, multo clariùs de Conſtantini liberis oſtendam infrà, cum Firmici locum, & ſenſum exploro. Interim ad Lipſium redeo, & literas ejus: quibus neſcio an Camdenus reſponderit. Sed tanto viro, de literis benè merito, niſi reſpondeas, cedere videberis. Camdeno fortè, qui leviculam & ſupervacaneam rem vocavit, reſpondere non vacarit: mihi de Britanniæ Regibus ſcribenti, eſt magnum pretium operæ, Conſtantinum, cujus facta ſunt illuſtriſſima, Inſulæ aſſerere: & ideo Lipſii litteris ſatisfaciam: ne ſilentium cauſæ officiat.

Martin. Polonus ad an. 307.

V. infrà hic n. 28. &c.

XVII. AD LIPSII ARGUMENTA SOLUTIO.

Inprimis Conſtantini patriam, Britanniam eſſe, à Britannis ſolùm aſſeri, affirmare videtur ea ſententia: *Veſtri ita Britanni: ſcio. Quis aliorum adſentit? non Bedas quod jure obſerves. Ille antiquus & fidus, an gloria gentis ſuæ non favit?* Si ſoli Britanni pro Britanniâ loquereotur; ego fortè Lipſio acquieſcerem: quia pronior in patriam affectus, ſæpè nimiùm inclinat: ſed jure tamen mirabuntur Britanni, ſe, Lipſio judice, audiri non debere, pro patriâ loquentes; cum interim Græci, non ſolùm pro Græciâ loqui; ſed cauſam etiam, inauditis Britannis, obtinere permittantur. Sed hoc non agam: non ſoli Britanni (quod miror Lipſio excidiſſe) pro Conſtantino Britanno ſcripſerunt. Martinus ſuprà, natione Poloous, ante annos trecentos, Conſtantium eo modo in Britanniam deduxit, junxitque Helenæ, quem paulò ante recenſui. Et quia Lipſius ſuprà ſcripſerat: *Non moveor ſi Britanni Scriptores aliter de totâ re tradiderunt.* Ego olim ſeptuaginta & amplius Authores collegi, non Britannos, ſed Italos, Germanos, Hiſpanos, Polonos, Gallos denique, Belgas Lipſii provinciales, qui Conſtantinum in Britanniâ natum disertè pronuntiant (Uſſerus alios addidit, qoos noo recenſui) nec illos adduxi in cauſæ ſubſidium: quia priùs, Conſtantinum ibi natum eviceram: ſed ut Oratorum, qui Conſtantinum coram laudarant, mentem, ſenſumque verborum, illis ſtipulantibus eruerem: quo ſciret Lector, è communi orbis ſuffragio, Panegyricos, de Conſtantini patriâ loquutos eſſe: & Britannos, non errante in patriam impetu, ſed pro veritate dixiſſe, cum Conſtantinum in Britanniâ natum tradiderunt. Verùm cur Beda illud patriæ ornameutum tacuit, cur gloriæ gentis ſuæ non favit? facilis reſponſio. Saxo ille, non Britannus fuit. genti ſuæ ampliſſimè favit, cum hiſtoriam gentis Anglorum ſcripſit: de Britannis nihil. Addit Uſſerus: Anglo-Saxones *Britannicarum rerum inſcios, & à rebus Britonum ornandis animo fuiſſe alieniſſimo.* quod, de Beda, non omnino vellem intelligi. do tamen illum in gente ſuâ ornandâ ſatis accuratum; nihil prorſus de Britonum gloria poſteris reliquiſſe. Cur enim ornaret illos, quos Saxonum gens odit, cane pejùs & angue? Beda igitur tacuit, non neſcivit Conſtantini patriam. nam Aldelmum legerat Schirnbornenſem, qui librum de Virginitate ſcripſerat: & ibi in Britanniâ natum ex pellice Conſtantinum. Hunc librum Beda *eximium* vocat: & Conſtantino paulò faventiùs, non è pellice, ſed propiùs ad ſcripturæ dialectum, ex concubina natum ſignificat. & fortè diſertis verbis natum in Britanniâ. ait enim: *His temporibus Conſtantius, qui vivente Diocletiano, Galliam Hiſpaniamque regebat, vir ſumma manſuetudinis & civilitatis, in Britanniâ mortem obiit.* Hic

NON SOLI BRITANNI, SED EUROPA RELIQUA CONSTANTINUM BRITANNIÆ CEDUNT. *Uſſer. fol. 192.*

QUID BEDA DE CONSTANTINO. *Uſſer. fol. 192.*

Aldelm. de laude Virginum c. [illegible]

Beda l. 5. c. 19.

Beda l. 1. c. 8.

Constantinum filium, ex concubina Helena procreatum, Imperatorem Galliarum reliquit. Vel adverbium, *Hic*, locum natalem signat: & cur non? vel euphoniæ causâ, noluit *in Britannia* natum repetere.

XVIII. De Naiso quid certum?

Iterum scribit Lipsius: *De Nesso etiam natalis Constantii, pariter incertum.* Hoc ego aliquando certum putavi: & nunc, quid certum in historia dici possit, aut debeat, hæreo; si illud incertum. Quicquid sit, ego infrà cum Constantii illius natales exploro, Constantinum patrem, certis Authoribus Naisum deducam, eo anno quo ille nascitur. aderit illi Fausta, Constantii mater, & pariet filium. Julianus quoque quem cognominamus Apostatam, Constantii natales excutiet, & natum apud Illyricos testabitur: assentient illi Authores plurimi, refragabitur nemo. quid potest in historia dici certius? Sed fortè quod ad stomachum oon facit, nauseabundi rejicimus. nec volumus ad incudem revocare. quod opinor minimè faciendum: qooties vel summa quæstionis, vel magnum ibi causæ momentum controvertitur. Sed vidit oculatus Lipsius; si Constantius Naisi nascitur, & Constantinus aliquando ab Authoribus appellatur; Magni Constantini patria, quam ipse asserit, admodum periclitabitur: & Constantinus aliquis, è mente Firmici, Naisi oascetur; onde ad Nicephori firmandam sententiam, nullum ibi subsidium: Ideo prudenter Constantii natales declinat, Lolliani consulatum, tempusque quo Firmicus scripsit, controverit: & incerta sunt omnia quæ imbibitam semel opinionem evertunt. Quæ, si sine ulteriori examine admiseris, nescio quid lohdè constanterque dici, aut probari possit: & in omni re controversâ sceptici erimus. Itaque quæ incerta, aut incomperta, Lipsius vocat, articulatiùs excutiam cum Firmici verba ex antiqoioribus impressis, & nulla correctione indigentibus, dedero. ounc Lipsii reliqua prosequamur.

XIX. Quid acta Silvestri de Constantino?

Com ille Camdeno, ut suprà rescripsisset; notas edidit, additque libris de Magnitudine Romanâ. Ibi rursum, conceptam de patriâ Helenæ opinionem firmare contendit ex actis Silvestri: * *Quæ apertè*, inquit, *faciunt Helenam Bithynam:* Ita esto: & Judæa quoque ibi fingitur: ac ad perfidiam conata trahere Constantinum filium. Sed errore per manifesta indicia detecto eludam statim illam fabulam: & restituam, Bithyniæ loco, Britanniam, argumento certo. Pergit Lipsius ootare, quos Camdeous advocaverat, Henricum Huntindoniensem, Guilielmum Malmesburiensem, Joannem Sarisburiensem, Galfredum Monumetensem: quod domestici testes sint, ideoque in patriam proniores. *Quorum*, inquit, *antiquissimus, ante quingentos annos non vixit.* Miror, Galfredum Monumetensem, quem Camdenus non protulit: nec dignum censuit qui nominaretur, cum tribus aliis succenturiari, qui iotegræ fidei sunt: sed fortè rem ab illis seriò testatam, ejus qui fabulas scripsit nomine voluit denigrare. Cæterùm quod nemo eorum ante quingentos annos vixerit causæ nihil officit: Nec Nicephoro prodest: qui in patriam quoque pronior, snte trecentos annos non vixerat. Sed abstinui ego à domesticis testibus, nec animus fuit antiquiorem his omnibus producere, & dignitate, atque sanctitate potiorem; Sanctum, inquam, Adelmum, qui ante annos nongentos vixit: & omnem hanc quæstionem, ad eorum subsellia sistendam putavi; qui Constantino suppares vel coævi fuerunt. Interim de Firmico, verbisque in eo controversis.

* Lipsius in notis ad l. 4. de Magnit. Rom.

XX. Binæ Firmici impressiones.

In duas Firmici impressiones incidi. unam exhibuit Joannes Hervagius, Basileæ anno Domini millesimo quingentesimo trigesimo tertio, quæ Lipsium, & plures cum eo fatigavit: obi Tharsus sine controversiâ, vitio ponitur. Aliam edidit Simon Papiensis, anno millesimo quadringentesimo nonagesimo septimo: ubi cæteris omnino salvis, sine ulla parenthesi, aut licentia critica, Constantinus legitur, *Apud Naisum genitus.* cui impressioni, si duo Manuscripti Codices suffragantur, procul dubio ita legendum. Sola restat difficultas, quis Constantinus ibi genitus? nam Constantium, ejus loco substituere, non est opus: quantumvis Constantium intelligi, non incertum ut Lipsius, sed certum putem. Dieo ergo Constantini filios; non uno semper nomine, ab Authoribus, vocari: non solùm à variis, variè; sed subinde ab uno eodemque. Adelmus noster multus est in laude Constantiæ, filiæ Constantini: quam modo Constantiam, modo Constantinam vocat. In prosa dum virgines enumerat, ita loquitur: *Constantia integerrima virtutis virago, filia Constantini*, &c. in carmine sic:

Constantini filii variè vocantur.

Aldelm. de Virginit. c. 25.

Nobilis in Roma vixit pulcherrima virgo
Constantina, nova prebens spectacula vitæ.

In carm. c. 40.

Multò magis elucet hæc nominum confusio, in duobos fratribus, Constantino & Constantio, è Fausta genitis. Licet enim nos communiter primogenitum è Fausta, Constantinum; secundogenitum, Constantium nominemus: Authores tamen, antiqui præsertim, & ejus ævi, secundogenitum indifferenter efferebant: & nisi rerum, temporum, & locorum circumstantias observaveris, eum à primogenito non distingues. Eodem modo, Constantinum, primogenitum, Constantium nominant, non typorum, aut amanuensium incuriâ, quod eruditi castigassent, sed quia vel olim communicabant in nomine; vel ipsi sibi nomen ad placitum aptabant. Esemplis fiet res illustrior. Zosimus libro 2. obi M. Constantini fœdus, cum Licinio narrat, ait: Κωνςάντιον ἐν πρὸ πολλῶν ἡμερῶν ἐν Ἀρελάτῳ τῇ πόλει γεγενημένον Καίσαρα, *non ante multos dies constituunt Constantium Cæsarem, in Arelato civitate.* Constantium vocat Constantini filium, qui Arelati nascitur. Nec aliter cum vocat Leunclavins, qui latinè Zosimum expressit. Sed Constantinum Faustæ primogenitum intelligi certum est è natali loco.

Zosimus l. 2.

XXI.

Jam verò cum eodem modo certum sit Constantium secundo genitum apud Dardanos, sive in Illyrico natum (quicquid tergiversetur Lipsius) Authores parum de nomine solliciti; imò solliciti eidem adulari, Constantinum Magnum, imo Constantinum Maximum, appellarunt: cujus nuncupationis, una, inter cæteras causa reddi potest; quod ipse à morte parentis, & fratris natu majoris ita voluerit appellari: quia Patris nomen erat illustrissimum. Si hoc ex Authoribus evicero: si passim, eo vivente, ita dictum Constantium ostendero & Illyricis, Constantinum nostrum ambientibus, silentium imposui: & Firmici locum incorruptum asserui. Quare ne quis assertum hoc, inter incerta rejiciat, exemplis id demonstrare paulo fusiùs insistam. Imprimis Constantius iste Naisi natus Constantinum se ipse vocavit, scripsitque. testis est novissima & accurata Sancti Hilarii impressio, ubi

Apud Hilarium in fragmentis.

Imperator literis ita nomen præfixit: *Victor Constantinus Maximus triumphator semper Augustus.* & iterum ibi. *Incipit exemplum Epistolæ Constantini Imperatoris ad Episcopos Italos, qui in Ariminensi Concilio convenerunt.* Utrobique Constantium intelligi tam certum est, quàm constat utrumque Constantinum priùs mortuum, quàm Arimini sederent Patres. Et quia Sanctus Hilarius, adulari nescius, eum Constantium, non Constantinum appellat: habes ergo ex ore calamoque Constantii, ipsum Constantinum Maximum appellari. nec mirum illud, quia in titulis nominibusque ambitiosissimus fuit, ideoque ab Authoribus notatus: Unde Ammianus Marcellinus eum sugillat: quod *à justitiâ declinavit ita intemperanter, ut æternitatem sæpè assereret: & ipse dictando, scribendoq́; propria manu, orbis totius se dominum appellaret.* Eò respexit Julianus, ejus, ex fratre, nepos, cum vocat oratione tertia, *τῆς οἰκυμένης ἁπάσης κύριον, totius orbis dominum:* quod valdè notandum pro mente Firmici.

Marcellin. l. 15. c. 6. — *Iulia. orat. 3.*

XXII. Porrò quod alii Authores eundem Imperatorem indifferenter Constantium & Constantinum dixerint, sunt plura argumenta. Theodorus Lector in Collectaneis libro 2. cum Magnum Constantinum nominasset, ait: *Constantinus filius ejus imperavit annis viginti quatuor, dies quinque. Et sub illo venerunt Constantinopolim reliquiæ Apostolorum.* Quis nescit Faustæ primogenitum, non intelligi, qui quatuor tantùm annos imperavit? Theodoro antiquior Sanctus Hieronymus, in Vigilantium scribens, ita loquitur. *Ergo sacrilegi sumus, quando Apostolorum basilicas ingredimur? sacrilegus fuit Constantinus Imperator, qui sanctas reliquias Andreæ, Lucæ, & Timothei transtulit Constantinopolim?* Indubiè Constantium intellexit: qui diu post mortem parentis, reliquias illas collegit & transtulit: ut non solum Theodorus suprà, & Chronicon Alexandrinum, Baronius aliique passim: sed ipse Sanctus Hieronymus id expressit in Chronico. ubi ad annum trecentesimum sexagesimum primum, scribit. *Reliquiæ Apostoli Timothei Constantinopolim invectæ.* & ad annum sequentem, ita: *Constantio Romam ingresso, ossa Andreæ Apostoli & Lucæ Evangelistæ, à Constantinopolitanis miro favore suscepta.* Idem tamen Sanctus Hieronymus libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, ubi de S. Luca, sic scribit: *Sepultus est,* inquit, *Constantinopoli ad quam urbem vigesimo Constantini anno, ossa ejus cum reliquiis Andreæ Apostoli translata sunt de Achaia.* & nemo, opinor, hos Authores, aut typos corrigere præsumet, cum Romanum Breviarium, castigatissimè editum, ita dudum legerit, hodieque legat. ubi etiam in festo Sancti Andreæ, ita solenniter canit Ecclesia. *Andreæ ossa, primùm Constantino Imperatore Constantinopolim, deinde Amalphim translata sunt.*

Theodor. Lector l. 2. — *Hieron. in Vigilant.* — *Hieron. in Chronico ad an. 361.* — *Idem de Scriptor. in Luca, & in Brev. Rom. ad 18. Octo.* — *Breviar. Roman. ad 30. Novemb.*

Duo Firmici, Senior et Junior.

Ad indagandam Firmici mentem, atque dialectum, est alter Julius Firmicus pariter natione Siculus, sed Christianâ religione nobilior, ætate paulò senior qui de errore prophanarum Religione scripsit, inscripsitque librum ad *Constantinum & Constantem* (ita legit Baronius.) Cæterùm in Magnâ Patrum Bibliothecâ, inscriptum legimus ad *Constantium & Constantem:* quod ego intrà ita de Juniore intelligendum dicam, ut olim tamen à Firmico illo Constantinum fuisse scriptum putem. nam eodem ferè tempore uterque Firmicus vixit. Benè tamen (ut notatur in Magna Bibliotheca) Christianus Firmicus, ad discrimen alterius Senior: Junior alter appellatur.

Baron. an. 337. 74.

XXIII. Lolliani consulatus asseritur.

Hac positâ nominum differentiâ: cum constet Seniorem Firmicum; Constantini filiis, iisque regnantibus, librum inscripsisse: quomodo dici, aut fingi potest, Juniorem Firmicum, Constantini nostri tempore scripsisse? aut locum illum de quo est controversia, eidem applicandum. præsertim cum Astronomica, ad Mavortium Lollianum Proconsulem, & ordinarium Consulem designatum, dirigantur. hoc argumentum à Lipsio satis frigidè solvitur, in hunc modum: *Non censeo, eundem illum Lollianum esse, qui sub Constantio Consul fuit: filius potiùs ejus, aut gentilis alius & iste noster, etsi designatus, non inivit: vel morte præventus, vel mutatione Principis, ut sæpè fit, vel alia de causa.* Hæc (quis non videt) defendendæ opinionis semel arreptæ studio dicuntur. A quo qui alieni sunt, constanter pronuntiant, eundem esse. Ita Onufrius libro 3. in Fastos. *Consulum alter* (inquit) *est Mavortius Lollianus, quondam Præfectus urbis, ad quem Iulius Firmicus Maternus scribit libros octo Astronomicorum.* Cuspinianus etiam in Commentario ad Cassiodori Consules, anno Christi trecentesimo quinquagesimo octavo. *Arbitror,* inquit, *omninò hunc Mavortium Lollianum Consulem esse illum, ad quem Iulius Firmicus Maternus scribit octo libros Astronomicorum.* Sed quod his præstat, Firmicus ipse, Lipsio, dicenti Lollianum hunc Consulatum non iniisse, planè adversatur, cum ait libro 8. cap. 15. *Talis nostris temporibus Lollianus, qui severitatis merito, ordinarii Consulatus insignia consequutus est.* Doctè ergo Baronius cum assignasset Arbelionem & Lollianum Consules anno trecentesimo quinquagesimo quinto, ita de Firmici libris, & tempore quo scripti sunt, censuit. *Est mentio,* inquit, *Consulatus Lolliani apud Iulium Firmicum Maternum: qui librum illum de Mathesi scribere aggressus est, anno superiore: cum Lollianus Consul designatus esset, absolvitq́; sequenti anno, post Consulatum ejusdem, ad quem Proconsulem, ipsum inscripsit: ut ex ejusdem præfatione constat.* Constat etiam, addo ego, M. Constantinum mortuum, & inter Divos relatum, cum scripsit Firmicus, ideoque illum Divum Constantinum, ad alterius differentiam appellavit: quo nomine soli mortui, superstites nunquam, hactenus colebantur. quod utinam advertisset Lipsius: nam indubiè Constantinum superstitem à Divo Constantino distinxisset.

Lipsius de Magnitud. l. 4. — *Onufrius in Fastis an. V. C. 1107.* — *Cuspinian. in Cassiod. Cons.* — *Firmi. l. 8. c. 15.* — *Baron. an. 355.*

Constantinus a Firmico Divus appellatur.

XXIV. Habitâ igitur ratione temporis, quo scripsit Firmicus, è calculo Authorum fide dignorum: Cumque id liqueat Constantium, Faustæ secundò genitum Constantinum subinde vocari; eo præsertim tempore, quo Firmicus scribebat. Cognito demùm genio, & ambitione, quâ Constantius totius orbis Imperator dici, scribique voluit, repetamus Firmicum: & quis Nasi natus sit, facilè apparebit: nam Simonis Papiensis impressio, & duo manuscripti Codices, ita legunt: *Dominus & Augustus noster, ac totius orbis Imperator, pius, felix, & providus Princeps Constantinus, scilicet, Maximus, Divi Constantini filius, augustæ & venerandæ memoriæ Principis, qui ad liberandum orbem à tyrannicis immoderationibus & ad comprimenda domestica mala, favore propitiæ majestatis electus, ut per ipsum servitutis squalore deterso, secura nobis libertatis munera redderentur; ut captivitatis juga fatigatis jam & oppressis cervicibus poneremus: quem pro*

Firmicus l. c. c. 4.

nostra

noſtra ſemper libertate pugnantem, incertiſſima inter caſus humanos nunquam belli fortuna decepit: apud Naiſum genitus, à primo ætatis gradu, imperii gubernacula retinens, quæ proſperis nactus fuit auſpiciis, Romanum orbem, ſalubri gubernationis moderatione ſuſtentat.

XXV. EXPENDITUR FIRMICI SENTENTIA.

Expendamus ſingula: *Dominus & Auguſtus noſter*, ſuperſtitem ſignificat, *qui imperii gubernacula retinens Romanum orbem ſuſtentat*. Quis ille? nimirum qui ſcribi diciqúe voluit, *Totius orbis Imperator Conſtantinus Maximus, Divi Conſtantii* (mortuum intelligit, & ideo Divus appellatur) *filius*. Sequitur: *Qui ad liberandum orbem à tyrannicis immoderationibus, & ad comprimenda domeſtica mala electus*. Hic hæſit Camdenus, & interjectâ parentheſi, voluit verba illa laudemque in parentem conjicere; quaſi illi, quàm filio propiorem. non aſſentior, laus illa de tyrannorum moderatione preſsâ, & domeſticorum malorum compreſſione, Conſtantino noſtro impar & anguſta; qui univerſum Orbem illuſtriſſimis victoriis implevit. At tyrannos è medio tollere, & bella civilia conficere. Conſtantii laus & propria, & vera. De eo ita Aurelius Victor in Epitome. Conſtantius *bellis civilibus felix, externis lacrymabilis*. Eutropius libro decimo: *Conſtantii in civilibus magis quàm in externis bellis laudanda fortuna*. Ammianus Marcellinus: *In externis bellis ſaucius, & afflictus, proſperè ſuccedentibus pugnis civilibus, tumidus*. Tyranni ab eo depreſſi, Magnentius, Decentius, Potentianus, Vetranio, Silvanus, Chonodomarius, Badomarius, Auguſti, Cæſares, Reges, facilem faciunt laudem Conſtantio. Ideo dixit Julianus Imperator, oratione prima in laudem ejus. Velle ſe commemorare *bella ab eo confecta, & ſublatas tyrannides*. Denique Gregorius Nazianzenus Conſtantium defunctum alloquens: *Qui*, inquit, *barbaras gentes, per gyrum repurgabas, tyrannosq́ intestinos ditioni tuæ, partim ſermonibus, partim armis ſubjiciebas*. Unde quæ narrat Firmicus, Conſtantio optimè conveniunt: quia reverà in tyrannorum & civilium ſeditionum compreſſione, non fuit inferior patre. Et licet non abnuerim laudem in parentem cadere poſſe: aio tamen, eum laudatione illa majorem fuiſſe. *Nam à mari Britannico initium faciens, eximiâ quadam potentiâ & virtute, omnia mala, quæ homines premebant, profligavit, & è medio prorſus ſuſtulit.* ut ipſe de eo loquitur, & refert Euſebius. Addo eum univerſum Romanum orbem vi domuiſſe, expugnâſſeque.

LAUS DE TYRANNIS COMPRESSIS, IN CONSTANTINUM, QUI ET CONSTANTIUS, CADIT.

Victor Epito. Eutrop l. 10. Ammian. l. 21. 33.

Iulia. orat. 1. principio.

Nazianz. orat. in Iulianum.

Euſeb. in vita l. 2. c. 28.

XXVI.

Multò minùs Conſtantino patri conveniunt verba illa: *A primo ætatis gradu imperii gubernacula retinens*: nam qui hoc anno ducenteſimo ſeptuageſimo quinto naſcitur, imperii gubernacula non accepit, ante annum ſextum ſequentis ſæculi, triginta ſaltem annorum vir. ut Euſebius, Hieronymus, Epiphanius, Victor, aliique teſtantur. At de Conſtantio filio veriſſimè dicuntur, qui octennis appellatus eſt Cæſar. nam duodecimo paterni imperii anno natus, & imperio aſcitus, poſt annos octo: eleganter dici potuit; *à primo ætatis gradu gubernaculo* admotus. Vidit hunc nodum oculatus Lipſius, & ita conatur ſolvere. *A primo ætatis gradu gubernacula retinens; non aliud, inquit, eſt, quam natum Imperatoria ſtirpe, & imperio jam tum fatis deſtinatum.* Sed durum hoc, & gratis dicitur. & ſi quis vexare velit mentem & verba Firmici, eadem libertate, dicere poterit, Conſtantinum apud Naiſum naſci; non quia ibi ipſe natus, ſed quia à Claudio, Eutropio, Conſtantio deſcendit ibi natis. Imo proclivius eſt dicere quempiam illius provinciæ & gentis eſſe, unde parentes & avi fuerunt; quàm à primo ætatis gradu gubernacula retinere; natum eſſe imperatoriâ ſtirpe, ſatis imperio deſtinatum. Non placet ergo, quæ certa ſunt vocare incerta: & quæ optimum ſenſum habere poſſunt, torquere ad ſuum. Dicamus itaque: Ille apud Naiſum naſcitur; qui, dum ſcriberet Firmicus, Romanum orbem ſalubri moderatione ſuſtentabat, totius orbis Dominus vocari, ſcribiqúe voluit; qui victis tyrannis domeſtica mala compreſſerat, à primo ætatis gradu imperio aſcitus, quæ omnia & ſingula, de Conſtantio optimè, de Conſtantino minimè dici poſſunt.

Lipſius de Magnitud. l. 4. c. 11.

XXVII. OBIECTIO DE VOTO FIRMICI.

Reſtat una difficultas, quam Camdenus non diſſimulat; & Lipſius, ſi Conſtantio applicetur, indiſſolubilem putat, nam poſt ſupradicta verba, quæ ſine difficultate ad Conſtantium referuntur, ita orat, vovetqúe Firmicus: *Sol optimè maximè qui mediam cœli poſſides partem*, &c. *Vos etiam ſidi ſolis comites, Mercuri & Venus, Conſtantium Maximum Principem, & ejus invictiſſimos liberos, Dominos & Cæſares noſtros, conſenſu veſtræ moderationis & Dei ſummi obſequenti judicio, perpetuaq́ eis imperia decernentes, facite etiam noſtris poſteris, & poſterorum noſtrorum poſteris, infinitis ſæculorum continuationibus imperare.* Ecce iterum non ſolum Conſtantini nomen & mentio: ſed votum de perenni imperio liberorum ejus: quod nullo modo videtur applicari poſſe Conſtantio, qui nuſquam legitur ſuſcepiſſe liberos. Sed Conſtantino potiùs noſtro, qui Criſpum, Conſtantinum, Conſtantium, Conſtantem habuit, omnes Cæſares. Hoc Lipſii decretorium argumentum, ſi alia plurima non obeſſent; induceret, fateor, ad pauca reſpicientem credere, de M. Conſtantino, filiiſque ejus, votum eſſe: præſertim cum vocet *Cæſares ac dominos noſtros*, quæ verba, præſentes arguunt, & ſuperſtites. Verùm rem perridiculam Firmico affingit, ſi ſolos præſentes & ſuperſtites voviſſet infinitis ſæculorum continuationibus imperare. Precatur ergo Conſtantio æternum in filiis ac nepotibus imperium: quod reverà precari quivis poterat, adſint, vel abſint filii: Quod multò pientiùs, eodem tempore, & pari verborum formulâ, eidem Conſtantio Sanctus Cyrillus Hieroſolymitanus Epiſcopus adprecatus eſt, cum ita vovit. *Chriſti potentia te cuſtoditum, & lætantem, ſplendidioribusq́ ac majoribus in officiis pietatis verſantem: filiorum propriorum regio germine gloriantem, ipſe Rex omnium Deus, totiusq́ beneficentiæ exhibitor, multis annorum periodis, ad honorem & gloriam, Chriſtianis mundoq́ univerſo, ſervet perpetuò.*

SOLVITUR.

Cyrill. Epiſt ad Conſtan.

XXVIII. ADOPTIO FILIUM FACIEBAT.

Appoſitè Deum Cyrillus orat, & propriorum, meminit filiorum: quia Gallum & Julianum Conſtantius, vel habuit, vel habere potuit adoptivos filios: quos liberorum nomine, cur non potuit Firmicus vocare, *Cæſares & Dominos noſtros*? Certè adoptionis formula hæc erat: *Hunc hominem, filium meum eſſe aio: isq́ mihi emptus eſt hoc ære.* Eratque actus legitimus, naturam imitans, ad ſolatium filiorum inductus. habebatque locum, ubi natura proprios filios negabat. *At*, inquit Lipſius, *mos iſte adoptandi, niſi fallor, tunc non uſitatus.* Placet modeſta illa vox. niſi fallor; nam tunc, priùs, & poſteriùs adoptandi mos viguit. Conſtantius Gallum tunc adoptaverat: &

Histor. trip l. 5. c. 5. Victor de Caesari. Cuspinian. in Conf.

nomen illi suum dederat, dictusque est inde Constantius Junior. Ita habet historia tripartita. & innuit Victor de Cæsaribus. *Constantius*, inquit, *Gallo, cujus nomen suo mutaverat, Orientem commisit.* Cuspinianus id factum dicit Arbelione & Lolliano Consulibus; Chronicon Alexandrinum, quinquennio priùs. nam ibi ita legitur: *Sergio & Nigridiano Consulibus, Constantius Augustus, Gallum patruelem, consortem imperii, Idibus Martiis, Cæsarem declaravit, & Constantii cognomentum indidit, Persisq; ingruentibus, Antiochiam in Orientem amandavit.* Hic fortè est Constantius ille, qui Nicephorum fefellit (ut ille multos) nam Constantius à Constantio in Orientem mittitur, cum Persæ ibi tumultuantur: & cum binâ legatione, muneribusque (vide Ammianum Marcellinum libro 17.) placari non potuerunt. Ille multò probabiliùs (quàm Constantini parens) hospitis filiam compressit. *Nam adhibitis paucis clam ferro succinctis, vesperi per tabernas palabatur & compita*, inquit Ammianus. Sed hoc parergon; quia Nicephori fabula nullâ fideliâ potest dealbari. Ad morem adoptandi redeo: quem Constantii tempore usitatum fuisse, Julianus Imperator clarè significat, ipsummet Constantium ita laudans: *Majores tui, & avi, & parentes, & fratres, & patrueles, & cognati, Imperatores omnes fuerunt. cum imperium aut legitimè sibi peperissent: aut ab iis, qui jam illud tenerent, adoptati fuisset.* En Gallum, Constantii patruelem à Constantio adoptatum: qui propterea filii Cæsaris, & Domini nostri appellationem meruerat. & Julianus Galli frater à Constantio etiam imperio ascitus, & eidem successor, in voto Cæsaris & domini nostri contentus, Firmici mentem satis illustrat. Possem etiam (si opus) argumento ad hominem, decretorium Lipsii elidere. Enimvero, si Constantinus, à primo ætatis gradu gubernacula imperii tenuisse dici potest; quia ex Imperatoriâ stirpe, fatis, imperio destinatus erat. multò magis Gallus & Julianus dici possunt Cæsares & Domini, cum unus eorum Cæsar, alter Dominus, uterque ex Imperatoriâ stirpe, aut fatis, aut spe, & expectatione omnium Imperio destinarentur.

Chronicon Alexan.

CONSTANTIUS IN ORIENTEM MISSUS.

Ammian. l. 14. c. 1.

Iulia. orat. 1. in Constantium.

XXIX. CONSTANTINI FILIUS, UBI NASCITUR.

Itaque cum nihil obsit, quò minùs tota Firmici periodus, in Constantium Constantini filium cadat: superest solùm de loco natalis ejus quærere: an ille nimirùm Naisi natus. nam Lipsius suprà id in dubium vocare videtur. *De Nasso*, inquit, *natalis Constantii pariter incertum.* nam facilè vidit: si certum illud: omnis ejus conjectatio de sensu Firmici caderet. Volo igitur incertum illud, certum reddere: aut revera in Firmici sententiâ ubique claudicavi. Onufrius in Fastis dicit Constantium natum duodecimo Imperantis Constantini patris anno: nimirum tunc cum in Licinium pugnaret: & omni Dardaniâ, Mœsiâ, Macedoniâ potitus, *ὧν ὁ Λικίνιος κατείλησε*, inquit Eutropius lib. 10. nimirum, Illyricum Licinius occupaverat. unde Constantianæ familiæ certa origo. nam Pannonia, Dacia, Mœsia, Illyrici partes sunt. mansit ibi à victoriâ Constantinus & Naisum, provinciæ Metropolim, ornavit: ibi cum Faustâ conjuge, curiam tenuit: inde rescripta dedit. Ibi denique è Faustâ secundo-genitum suscepit. nam primo-genitus è Faustâ priùs, & in Galliâ, ante biennium nascitur: nimirum cum Constantinus parens imperii decennalia celebraret. Tunc enim Crispus è Minervinâ, & Constantinus Faustæ primogenitus, paulo ante natus, Cæsares creantur. Sed quia hoc etiam in dubium vocari, & incertum, nisi firmetur, dici potest: Ecce tibi Nazarium Panegyristem, de Constantino, loquentem, dicentemque ejus Imperii annum decimum quintum, quinquennalia esse duorum Cæsarum, Crispi nimirum atque Constantini. *Quintum decimum*, inquit, *annum Maximus Princeps salutaris imperii degit, sed auguramur jam vicennalia: & venturi fidem, superiorum felicitate, sentimus. Beatissimorum Cæsarum quinquennalia, occupatos in gaudiis habent: sed in destinatis decenniis, jam vota properantia, & spes volucres constituerunt.* Ita ille. & supra, in ipso orationis exordio, quinquennalia Cæsarum vocat eum annum, qui imperii erat decimus quintus. si hoc non potest certum dici: nihil in historiâ certum erit. Qun posito: Constantinus, Faustæ primogenitus, quinquennis saltem erat, quinto-decimo paterni imperii anno: & qui post biennium à nato Constantino, è Faustâ nascitur, nimirum duodecimo anno imperantis Constantini; quocumque demum nomine vocetur, erit Faustæ secundo-genitus. & Naisi nascetur, si Constantinus & Fausta, Naisi fuerunt. Illum sine dubio intellexit Sigonius: qui cum dixisset victum in Illyrico Licinium, & post victoriam hæsisse ibi Constantinum, & Naisi rescripta dedisse, mox infert *Idibus Augusti Fausta Augusta alterum peperit filium, quem Constantinum appellavit.* certum est secundo-genitum intelligi: quem communiùs Constantium nuncupamus.

Nazar. paneg. 7.

Sigonius.

XXX. PROBATUR CONSTANTINUM NAISI NATUM.

Dixi id certum esse, non quia unus Sigonius id affirmat. sed quia hactenus extra omnem controversiam fuit, Illyricum illius Constantii patriam esse. Id palam affirmat Julianus, Constantii patruelis; qui oratione primâ plures provincias enumerat, quæ eum sibi vindicant. Ibi non solùm ubi natus sit exponitur manifestè: sed facilè etiam inde colligitur, non natum in Illyrico Constantinum patrem. Quod quia nuper aliqui, nominum similitudine decepti, probare conati sunt, integrum Juliani locum apponam: qui non tantùm ipsius Constantii natalem locum patenter indicat: sed patris, matris, avorum patriam, vel patenter exponit, vel tacitè innuit, Illyrium non fuisse. Ita ergo ille: *Laudandi leges ac regulæ, patriæ non minùs, quàm majorum fieri mentionem præcipiunt. Ego verò nescio, quamnam præ cæteris appellari patriam tuam oporteat. Etenim innumeræ nationes, jam pridem id sibi nomen ac decus adscribunt. nam quæ cæterarum principatum, atque imperium tenet civitas, cum mater tua sit, ac nutrix, tibiq; felicibus auspiciis imperium detulerit; eum sibi honorem, tanquam jure suo debitum ac præcipuum defendit. nec ea tantum affert ad causam suam, quæ in cæteris Imperatoribus usurpare solet: puta etsi aliunde orti sint; tamen quod omnes ejusmodi ad civitatem ac Remp. adscripti sunt: quodq; editis illinc moribus, ac legibus utantur, pro civibus suis habendos. Non illud, inquam, solum commemorat: sed hoc præterea quemadmodum matrem tuam, in lucem ediderit: ac regaliter, & ut futura prolis dignitas postulabat, aluerit.* Faustam intelligit Constantini conjugem, Romæ natam, & educatam: ac proinde dicit, Romam asserere sibi posse Constantium civem. Sequitur. *Iam quæ ad Bosphorum sita est civitas, & ab Constantiorum genere nomen obtinuit; non illa quidem patriam se tuam esse dicit: sed a Patre tuo ortum accepisse prædicat: & sibi gravem injuriam fieri existimabit, si ea saltem*

Iulian oratione 1.

URBES QUÆ CONSTANTIUM PRO CIVE ARROGANT.

ROMA QUIA MATER INDE FUIT.

CONSTANTINOPOLIS QUIA A PATRE ORTUM HABUIT.

cognatione,

cognatione cujusquam oratione defraudetur. Vult Constantinopolim quoque aliquid juris in arrogando Constantio habuisse: quia parens, è diruto & jacente Byzantio, urbem restituit, suoque nomine ornavit. Sequitur de Constantii patriâ, propriè dictâ, ubi natus ille adeo, ut non alia dici propriè possit Constantii patria. Pergit enim sic: *At Illyrici, quod in eorum solo natus sis, tam felici sorte, ac conditione privatos se esse non patientur; si quis aliam tibi patriam attribuerit.*

ILLYRICUM QUIA IBI NATUS.

XXXI. DUO STATUUNTUR CERTA, NEC CITRA PERTINACIAM NEGANDA.

Nodum ergo in scirpo quærunt; quotquot duo in hac quæstione controvertunt quæ constantissimæ sunt veritatis, nec citra pertinaciam negari possunt: primum, Constantini filium è Faustâ secundo genitum, aliquan'o ab Authoribus antiquis, Græcis & Latinis, Constantinum appellari; idque non typorum, aut exerrantis calami vitio: sed quia binominis habebatur & erat: quamvis posteri, ne nominum confusio legentes distraheret, uno tantum Constantii nomine, eum à fratribus distinxerint. Aliud: hunc ipsum in Illyrico & Naisi natum. de quo nulla prorsus foret difficultas, si Zosimus duorum fratrum natales non confudisset. Ille libro secundo historiarum, cum Constantini de Licinio Victoriam, & fœdus post initium narrasset, hæc habet: *Vt arctiori se fide, ad standum pacto conventu astringerent, Constantinum Crispum, natum è concubina, cui Minervina nomen, qui jam adoleverat: & Constantium in Arelatensi oppido, ante non multos dies in lucem editum, Cæsares dixit: & cum iis Licinianus quoque, Licinius filius, qui jam ætatis mensem vigesimum ingressus erat, Cæsar designatus fuit.* Hic hallucinari Zosimum, & in locorum, temporum, personarum circumstantiis falli, è supradicto Nazarii loco, constat; nam qui Arelati nascitur, ille quidem non post multos à nativitate dies, Cæsar est cum Crispo fratre dictus: sed biennio præcesserat victoriam Constantini, quam in Illyrio obtinuit: & pacta cum Licinio. (nam Eusebius disertè scribit: Primus, qui Patris erat cognominis, decimo paterni imperii anno honorem Cæsaris adeptus est: secundus, avi oomine appellatus Constantius, anno ferè vicesimo.) Quare qui tunc nascitur: Constantius ille quidem, ut Zosimus nominat, dictus est: Verùm non Arelati, in Galliâ, sed Naisi in Illyrio nascitur, ut Julianus suprà. cæterùm, Victor ita de patre: filium suum Crispum nomine ex Minervinâ concubinâ susceptum: Item Constantinum iisdem diebus natum oppido Arelatensi, Licinianumque, Cæsares fecit. Unde Fridericus Silburgius in notis ad Zosimum. *Pro Constantio,* inquit, *fortè Constantinus reponendus*: Dicit fortè: quia non omnino illi constabat, utrum in tempore, an verò, in loco, peccaverit. Sed natale tempus Constantio; locus sine dubio Cnnstantino debebatur. Quod benè advertit, qui Julianum latinè reddidit, Dionysius Petavius: ad Juliani verba, ita scribens. *Zosimus libro 2. Arelate editum in Lucem Constantium asserit. sed pro* Κωνστάντιον, *apud eundem* Κωνσταντῖνον *legere oportet. Cum hunc ipsum dicat paucos ante dies natum, cum Crispo ac Liciniano Licinii filio, Cæsarem esse factum. Quod sine dubio ad Constantinum pertinet: qui secundus à Crispo, Constantini Imperatoris filius extitit. Quare Constantius meritò, in Illyrico natus esse dicitur. unde & plerique Imperatores ortum acceperunt. Ipseque adeo Constantii avus, Iulius Constantius, & Diocletianus, ac Maximiani ambo, Herculius & Galerius.* ita ille.

Zosim. l. 2.

Euseb l. 4. vit. c. 40.

Vict or in Epito.

Silburgius in notis ad Zosimum in fol. 956.

Petavius in notis ad fol. 244.

XXXII. INTER NAISI NATOS NON LEGITUR M. CONSTANTINUS.

Tomcus in Re. sch. Illy. facun.

Non nominat Petavius inter Principes & Augustos in Illyrio natos, Magnum Constantinum, Constantii quem ibi natum dicit, parentem. qui tamen imprimis nominandus fuisset: nuper tamen Illyrici contendere cœperunt, illum non modò in provinciâ illâ, sed Naisi quoque, natum esse. non inspectâ, nec benè perpensâ Authorum mente, qui Naïsum vocarunt Constantini patriam. Sic Joannes Tomcus Marnavitius Bosnensis in libro cui titulum fecit: *Regia sanctitatis Illyricanæ facunditas*: *Constantini ego vitam,* inquit, *ut Illyricani Principis, inter Cæsares alibi descriptam, ita hic referam.* & paulo inferius. *Constantino, Illyricum genus fuit patre Constantio Chloro, Imperatore; quem Eutropius vir inter Dardanos nobilissimus, ex Claudia Crispi Cæsaris Dalmata, Claudii, Quintilliique Imperatorum fratris filia progenuit, ut habet Pollio. Hinc cum Victor, cum Diocletiano, Maximiano, & Galerio, patria Illyricum scribit: dum de iis agens. Et his sanè omnibus, Illyricum, inquit, patria fuit.* Ita ille: Et hoc est, Authores aut oscitanter inspicere, aut minùs perpendere. Enimvero si Victor (cujus integra authoritas est) Illyricum vocasset Constantini patriam; dudum id advertissent, Baronius, Lipsius, & Camdenus, qui satis academicè pro Constantino disputarunt. Sed revera Victor id nunquam dixit: nec Constantinum nominaverat, cum dixit: *His sanè omnibus Illyricum patria fuit.* & tamen si ibi natus, indubiè Constantinum (ut & Petavius) cum cæteris nomioasset. Unde in Tomcum, & quotquot illi suffragantur, retorquetur argumentum, ita: Victor & Petavius, Imperatorum in Illyrio natorum patriam recensentes, Julium Constantium, & plures alios nominant, nulla Constantini facta meotione. ergo vel oscitantiæ arguendi sunt: vel dicendum ex eorum mente, extra Illyricum nasci Constantinum: & quicquid dixeris, oscitantiæ arguendus est, qui Victorem pro Constantino Illyrieo citat.

XXXIII.

Tomcus sup.

ARGUMENTA PRO CONSTANTINO IN ILLYRIO NATO EXPENDUNTUR.

Sed Tomcus alia adfert, in causæ patrocinium: *Natus est,* inquit, *Constantinus Nissa, urbe Dardaniæ amplissima, eruditissimi Imperatorum Constantini Porphyrogeniti testimonio, jure optimo aliis omnibus anteponendo. Quod itidem affirmatur ab Hermolao in Epitome Stephani de urbibus longè anteriori Porphyrogenito. extatque Lege, uxor. Cod. de Rep. Constantini Augusti, ad Dalmatium data Naiso, seu Nisso, Feliciano & Titiano Coss.* Ad hæc Authorum testimonia, quia ouda solum nomina ponebantur, levi tantum calamo respondi, cum olim pro Britanno Constantino dixi, scripsique. & quia fucum inveni, ubi Victor citabatur; majorem suspicatus sum in nudo mutoque Authorum nomine. Sed quia nuper intellexi virum eruditum, non modò Constantinum, sed Helenam quoque matrem in Dardaniam conantem trahere; statui paulò accuratiùs authores à Tomco allatos excutere. Interim miratus sum, Matthiam Flaccum Illyricum, in omni Rep curiosum hominem, illud patriæ suæ ornamentum omisisse; & Constantinum nobis non rogantibus indulsisse. nam quartam Centuriam, eo nomine, Elisabethæ Anglorum Reginæ dedicat, quia Constantini in Britannia nati gesta contineret. Ita enim ille, Reginæ præfatur. *Deberi tuæ Majestati videtur iste labor, quia eam ætatem describit, qua Constantinus ille Magnus, habenis Imperii Romani potitus, de universâ Ecclesia Christi*

ILLYRICUS FLACCUS QUID DE CONSTANTINI PATRIA.

Cent 4. in præfat.

optimè meritus est, æternumq; nomen accepit. Cum enim ille, ut tradunt historia, in Britannia, & ex Britannica stirpe natus sit: idque regnum, eximiâ pietate, & virtute, gubernarit: redit hic Constantinus jam ad te, adferens statum ejus Ecclesiæ, qua suo tempore totum orbem suo splendore illustravit. Ita ille: & iterum ibi: *Cum tua Majestas, omnibus bonis literis sit exculta; non dubitavimus Constantini Britannici Ecclesiasticas res, tuæ Majestati jucundissimas fore.* denique capite tertio ejusdem Centuriæ: *Cent. 4. c. 3. fol. 81.* *Fuit autem Constantinus, Constantii Imperatoris filius, bonus à bono, pius à Pio, in Britanniis, obscuriore matrimonio* (ut Eutropius ait) *natus, ex matre Helena.* Sed floccifacio hoc Flacci suffragium; quia ubique inconstans, & parùm ubique accuratus, immò penè ubique falsus est. nam in fine Centuriæ, oblitus eorum quæ toties dixerat, scribit: *Ibi. c. 16. fol. 1501.* *Mortuo Constantio Chloro, Constantinus ex concubina Helena procreatus: & apud Tharsum, ut Iulius Firmicus refert, genitus succedit.* En de Tharso aliquid, de Britāniâ plurimùm, de Illyrio nihil habet Illyricus.

XXXIV. Sed quicquid sit: nec Flaccus, nec tria capita, Flavo famulantia, viderunt aliquid, quo Constantinus in Illyrium, aut Dardaniam traheretur. At Hermolaus antiquior, & fortè doctior, (Constantinopolitanus grammaticus scribitur) potuit vidisse, quod posteriores fugerat. nam ait: *Hermolaus de urbibus.* Ναϊσσὸς πόλις θράκης, κτίσμα καὶ πατρὶς Κωνσταντίνου τοῦ Βασιλέως. nec hærendum, quod Naisum vocet urbem Thraciæ: quia Dardania, ejus sæculo, Thraciæ membrum censebatur. Ibi Constantinus, eo Authore, nascitur. Accedit Constantinus Porphyrogenitus, qui præfecturam Daciæ Mediterraneæ lustrans, ait: *Constantin. them. 9. c. 2.* Ναϊσὸς ἡ πατρὶς τοῦ μεγάλου Κωνσταντίνου, *Naisus patria Magni Constantini.* quæ primis oculis videntur clarè concludere, Constantinum nostrum, Naisi natum. & revera, si nullus alius, Constantini nomine insignis, qui Rex, & Magnus, imò Maximus scriberetur: ego quod prætenditur, concederem. sed cum constet è supradictis talem esse, præter Constantinum natum in Britanniâ: quâ ratione, tria verba undè sumpta, me cogent existimare, utrumque Constantinum, Regem & Magnum; in unâ eademque urbe nasci, contra Authorum torrentem, qui seniorem in Britanniâ natum affirmarunt. Hermolaus, Porphyrogenitum præcessit. & ex illo Hermolaus exponitur. Porphyrogenitus utriusque Constantini, patris, inquam, & filii, patriam distinguit. unum Naisi (quem *Magnum* dicit) alterum natum asserit, in Francorum partibus; quem *Maximum* & *Sanctum* vocat. Etenim in admonitione ad Romanum filium; ubi peculiari rescripto docet illum, delectum habere in conjugiis: nec temerè ea, aut indiscriminatim, cum quavis gente, tractare. Inter cætera monet: esse διάταξιν φοβερὰν καὶ ἀπαραποίητον τοῦ μεγίστου, καὶ ἁγίου Κωνσταντίνου: *nimirum formidabilem, & non dissimulandam constitutionem maximi, & sancti Constantini;* quâ inhibetur Imperatorum filius contrahere cum externis aut barbaris nationibus. & quoniam usus sum aliquando eo argumento ad probandum M. Constantinum, non in Oriente, ut Nicephorus finxit: sed in Occidente, & demum in Britanniâ natum: Hic iterum admonitionis partem transcribo, cupioque adverti, quo nomine M. Constantinus à Porphyrogenito semper appelletur. ut ab eo fiat distinctio, quem Hermolaus *Regem*; & ille *Magnum*, suprà vocat.

Ita ergo filium monet Porphyrogenitus.

XXXV. *Apud Baron. tom. 10. an. 960. n. 10.* *Agedum verò inde transi, & aliud postulati genus, à ratione alienum & indecori, decentes & convenientes rationes exquire, ac edisce. Si qua enim unquam natio ex infidelibus his borealibus gentibus postulaverit, ut cum Romanorum Imperatore affinitatem jungat: ac vel filiam ejus, sponsam accipiat; vel propriam dedat filiam, ut uxor sit Imperatoris, vel filii ejus: utere his verbis, & irrationabilem illorum petitionem repelle, ac dicito: de hoc negotio, atque argumento, præceptum esse ac formidabilem atque indeprecabilem constitutionem Magni & sancti Constantini, in sacrâ mensâ Catholicæ Christianorum Ecclesiæ Sancta Sophia descriptam: ne unquam Romanorum Imperator affinitatem, cum natione contrahat, diversis moribus ac peregrinis, à Romanorum statu utente: maximè verò quæ alterius fidei sit, nec sacro initiata baptismo; præterquam cum solis Francis. Hos enim solos, Magnus ille vir Constantinus sanctus excepit: quod & ipse habuit* EX PARTIBVS ILLIS ORTVM: ἐκ τούτων τῶν μερῶν ἔγεννήθη Κωνσταντῖνος. *Ita ut cognatio, multumq; commercium sit Francis, ac Romanis. Et cur Imperatores hortatus est, ut cum illis solis connubia inirent? propter antiquam partium illarum, ac gentis claritudinem, atque nobilitatem. Conjunctionem autem cum aliis interdicens sancivit: ut qui id ausus esset, tanquam transgressor paternarum institutionum, ac sanctionum imperatoriarum, alienus judicaretur à Christianorum catibus, & anathemati traderetur.* pergit narrare ut Leo Imperator punitus sit: quia *ausus est* (inquit) *sancti illius Imperatoris præceptum spernere.* & paulò inferiùs: *Quamobrem hujusmodi scelerum causa, in Ecclesia Dei assiduè abdicatur, & anathematizatur (Leo Iconomachus) ut & Dei, & sancti Magniq; Imperatoris transgressor, ac eversor.*

XXXVI. De anonymo vocante Helenam vilissimam fæminam. Itaque si de sancti Constantini patria quæritur, Respondet Porphyrogenitus, non in Illyrico, sed in Francorum partibus statuendam esse: si de alio Constantino petitur, respondet Firmicus, respondet Hermolaus, & ipse Porphyrogenitus, Naisum esse. & ego non repugno, sed summè assentior. Porro quod *Francorum partibus* Britannia adnumeretur, alibi ostendi satis luculenter. Quod si anonymus aliquis, nominum similitudine deceptus, post aliquot à nato Constantino sæcula, dixerit, *Constantinum natum Helenâ vilissimâ fæminâ, in oppido Naiso, quod postea magnificè ornavit.* non illud faciliùs dicitur, quàm rejicitur. errasse illum in Helenæ natalibus, ex Eusebio convincitur: ubi quam vilissimam vocat, mater Augusta, Regina venerabilis, sanctissima Imperatrix, audit: convincitur è Justiniano Imperatore, qui in sua Novella *Honestissimam matrem, & pientissimam mulierem* appellat. sic lapsus est anonymus quem Henricus Valesius edidit, & Ammiani Marcellini libris annexuit: cujus & apud Usserum mentio. Cæterùm longè *Apud Usser. in Primord. fol. 991.* potior est, universus ferè Orbis & Authorum consensus, qui Constantinum in Britanniâ natum; illum, inquam Constantinum, de quo hic quæritur, affirmant. nec opus mihi erit ad inferiora sæcula, & Constantino posteriora descendere: quia affatim eorum supperit, qui Constantino suppares, eundem ornaverunt: & valdè mirandum foret, si aut genus, aut patriam tacuissent. Eusebius quidem patriam invidiosissimè suppressit: quia Britanniam ubique, etiam cum maximè nominanda erat, silentio transivit. Quod unico & singulari exemplo sic ostendo. multus

ille eſt in Conſtantii patris laudibus, vitam ejus, & acta plurima accuratè ſatis proſequitur. Dicit eam maturâ ætate, ægrum ad mortem decubuiſſe. Conſtantinum fugâ lapſum, ſalutem quæſiviſſe: ad patrem moribundum, celeri gradu acceſſiſſe: nominat Conſtantii regiam, immo cubile ipſum: dicit tandem, in præſentiâ filiorum, ac filiarum, mortuum: deſcribit funus, & minutiſſima quæque: aſſerit Conſtantinum, ejus filium, proſpero applauſu, novum Regem, Auguſtum, Imperatorem, à milite, ſalutatum: & nihil minùs, quàm Britanniam nominat. Nec hoc ſolum: ſed ita narrationem texuit; ut omnia illa extra Britanniam facta videantur. nam cum plura Conſtantini facinora recenſuiſſet: *Illis,* inquit, *ratione & conſilio, ab eo ritè compoſitis, reliquas orbis partes, ante oculos proponens: tandem trajecit ad Britannos, Oceani litoribus undique concluſos: quos cum viciſſet, alias mundi partes complecti cœpit.* Hæc ille. Quaſi tunc primùm in Britanniam trajeciſſet: quaſi ibi moribundi patris oculos non clauſiſſet: ibidem Cæſar & Auguſtus à milite ſalutatus. Quaſi denique mendacio laudaſſet Inſulam Panegyriſta. *O fortunata, & omnibus beatior terris Britannia, quæ Conſtantinum Cæſarem prima vidiſti.*

Euſeb. l. 2. c. 19.

XXXVII. Eusebius arguitur.

Hîc Euſebii vel ſummam Britannicarum inſcitiam, vel certè inimicum impetum poſſem accuſare: qui importunè admodum Britanniam nominat: & tacet, cum maximè nominanda eſſet. Enimvero quis unquam Britannos à Conſtantino victos affirmavit? Quis unquam Britannorum ab ipſo defectionis meminit? denique qui ſtatim à morte parentis, in Gallias trajecit, & nunquam inde remeavit in Inſulam: quomodo verum erit, quod omnibus rebus ritè compoſitis, tandem trajecit ad Britannos? Zoſimus, & Suidas, dicunt Conſtantium parentem, in Britannia Conχiſtęon, *magis frequentem,* fuiſſe. Euſebius tamen in Conſtantii geſtis, Britanniam omnino & ubique tacuit: quid ergo mirum, ſi Conſtantini patriam ſilentio veneratus eſt. Illum ergo produco inimicum quidem teſtem, ſed taciturnitate faventem. Eloquentiores fuerunt oratores Panegyrici: qui parentem & filium ampliſſimè ornaverunt, & illos Conſtantii geſta in Britanniâ recenſuiſſe, Conſtantini patriam nominaſſe, eamque magnis laudibus extuliſſe, conabor nunc oſtendere hoc unum præfatus. Illis, quam Euſebio, græciſque aliis, propiora, & notiora fuiſſe Conſtantini acta: ac proinde potiorem fidem mereri. Baronius unico Panegyrici loco ſe ejus patriam ſufficienter firmaſſe putavit. ſed recentior ætas, magnorum ingeniorum parens, locum illum controvertit. diſpiciam an benè, an ſolide, an è mente Oratorum. Nec erit, opinor, Lectori grave, veritatem (in puteo ferè latentem) è profundo, quantumvis operosè, petere.

XXXVIII. De Constantini patria quid Panegyristæ.

Baron. an. 306.

Baronius ſuprà de Conſtantino dixit: *Apertiſſimè conſtat in Britanniâ ortum eſſe.* & pergit: *Id quidem diſertis verbis coram ampliſſimo conventu, tunc temporis habito, cum celebratæ ſunt nuptiæ Conſtantini, & Fauſtæ, filiæ Maximiani Herculis, teſtatur celebris ille Gallicanus orator, dum ait hæc de patre Conſtantio, & ejus filio Conſtantino. Liberavit ille Britannias ſervitute: Tu etiam nobiles illinc oriundo feciſti.* Ita ille. Sed comptior hæc fortè ætas, paulo aliter legendum putat: *Tu nobiles illic oriendo feciſti.* Ego non repugno. nec verba, ſed ſenſum, venor. Ita etiam feciſſe videri vult Lipſius, qui cum Nicephorum, ut ſuprà, ſequutus, Conſtantini patriam, in Bithynia ſtatuiſſet: Auditorem ſuum, ita ſibi adverſarium facit: *Tu ne (Lipſi) contra, eruditiſſimis viris nuper aſſerta? & clarum hunc panegyrici Scriptoris locum? Cui Lipſius: Fides apud me eſto panegyriſta. Sed quid? Dicit igitur ortum illic Conſtantinum. At non in tuam ſententiam fortaſſe, ſed meam dicit. Ea eſt: non ipſum ibi, ſed imperium ejus ortum: non Conſtantinum, ſed Principem. Verè tibi dico hæc ejus mens eſt. Tu nobiles feciſti Britannias; quod illic ortus, factusq; es Imperator: prima imperii tui lux, illic, & illinc fulſit.* Hoc ſcilicet eſt Authoris ſenſum venari: ſenſus ergo oratoris, è mente Lipſii, hic eſt. In Britanniâ ortus, factusque eſt Imperator Conſtantinus: Ideo nobiles Britanniæ, & ſine dubio omnibus beatiores terris. Quaſi vero egregia laus eſſet, Magnum Conſtantini beneficium, ingens Inſulæ nobilitas; Quod in ea unus ortus, factusque Imperator Conſtantinus. Quis neſcit in locis campiſque deſertis, creari ſolitos à milite Imperatores: & tamen quæ inde illis locis nobilitas? Nonne ſuprà Severo Eboraci mortuo, Baſſianum & Getam, duos ſimul Imperatores vidit Britannia, nec tamen inde dicta nobilior? Quorſum illa Eumenii Oratoris tam operoſa & effuſa panegyris? *O Fortunata, & nunc omnibus beatior terris Britannia, quæ Conſtantinum Cæſarem prima vidiſti! merito te omnibus cœli, & ſoli bonis natura donavit. In qua nec rigor eſt nimius hyemis, nec ardor æſtatis. In qua ſegetum tanta fæcunditas, ut muneribus utriuſque ſufficiat, & Cereris & Liberi. In qua nemora ſine immanibus beſtiis; terra ſine ſerpentibus noxiis. Contra pecorum mitium innumerabilis multitudo, lacte diſtenta, & onuſta velleribus. Certè quod propter vitam diligitur, longiſſimæ dies; & nullæ ſine aliqua luce noctes: dum illa litorum extrema planities, non attollit umbras; noctisq; metam cœli & ſiderum tranſit aſpectus: ut ſol ipſe, qui nobis videtur occidere, ibi appareat præterire.*

Lipſi de Magnit. Rom. l. 4. c. ult.

Lipsius Panegyristam exponit.

V. an. 213. 3.

Eumen. pan. 9.

XXXIX. Refellitur Lipsius.

Quorſum, inquam, hæ laudes Inſulæ, cum unus ſuſcipitur laudandus Conſtantinus. Quod illic, è mente panegyriſtæ, ortus factusque ſit Imperator, noli credere. Magna fuiſſet oratoris imperitia, & in Conſtantino laudum defectus: & plura Inſulæ præſtitiſſet Conſtantius; cui tamen orator in ornando Britanniam, doctiſſimâ antitheſi, præfert filium. ſed illud parum: & aliunde conſtat, Oratoris mentem non eſſe aſſecutum Lipſium. Non enim in Britanniâ ortus, factusque eſt Imperator Conſtantinus: nec ita dixit, ſed contra ſenſit idem panegyricus Orator. Electus quidem in Britanniâ Rex, acclamatus Cæſar, ſalutatus imperator, ut paſſim Authores affirmant. Sed ille cautior, Cæſaris appellatione contentus; quam dudum obtinuerat, cum Conſtantius pater, factus eſt Auguſtus (ut diſertè affirmat Victor in Epitome) Imperatoris nomen modeſtiſſimè declinavit: prudenti ſanè conſilio: ut Maximiani filia, in uxorem accepta: una purpuram ab eo acciperet, qui parenti purpuram injecerat. & ita factum. nam ſequenti anno è Britanniâ in Galliam ſolvens, Maximianum, qui purpuram dudum poſuerat, convenit, Fauſtamque filiam, & cum illa purpuram ſumpſit. Ita in Galliâ ortus factusque Imperator, è mente ſaltem Oratoris. Ita enim ille, qui præſens nuptiis, purpuram injici vidit, & ait: *Dixerint licet plurimi, multiq; dicturi ſint ea, quibus omnia facta*

Victor in Epito.

Paneg. 5.

vestra,

EXPONITUR PANEGYRICUS.

vestra, summarumq; virtutum merita laudantur, sacratissimi Principes; Maximiane (velis, nolis) semper Auguste, & Constantine ORIENS IMPERATOR: *mihi tamen certum est, ea præcipuè illo sermone complecti, quæ sunt hujus propria lætitiæ; qua tibi Cæsare, additum nomen Imperii, & istarum cælestium nuptiarum festa celebrantur.* Hic ergo, in Galliis nimirùm, est Oriens Imperator, Constantinus: Hic additum nomen imperii: illic & illinc imperii lux fulsit. Eleganter Orator, Orientem Imperatorem Constantinum; qui in nuptiis purpura induitur; cum Occidente Maximiano, qui ibidem purpuram exuit, significat. Quod in Galliâ, non in Britanniâ factum, omnes agnoscunt. Alium ergo ortum idem Orator intelligit, cum nobiles Britannias vocat, ob ortum Constantini.

XL. Ille quidem à parente scriptus est, jure primogeniti, hæres imperii: & statim à morte Constantii, renuntiatus Imperator. Constantinus tamen ita dici, vocari, & esse noluit; abjectâ, quam miles injecerat, purpurâ: & concitato etiam ad fugam cui insidebat equo. Testatur hoc idem Panegyricus: *Tanta tua maturitas est, ut cum tibi pater imperium reliquisset: Cæsaris tamen appellatione contentus, expectare malueris; ut idem te, qui illum, declararet Augustum. Siquidem ipsum imperium hoc fore pulchrius judicabas: si id non hereditarium, ex successione cepisses: sed virtutibus tuis debitum à summo Imperatore meruisses.* Cæterùm licet Constantini Imperatoris annos, statim à morte parentis, & anno nuptias præcedente, numeremus: nihil id tamen ad mentem Oratoris, Constantini ortum describentis. nam si in nuptiis Oriens dicitur, quomodo, anno ante nuptias dici potest, ortus? alium ergo, & non alium à vitali ortu, Gallicanus ortum intellexit: vel frigidè Insulam, laudavit: & admodum imperitè imperii exordium supputavit. Dum transeo ad alium Panegyristam, qui simili modo Insulam & Constantinum laudat: audio Joannem Livineium, qui doctè Oratores illos illustravit notis: ad illa verba, *Illic oriendo*, ita scribentem. *Locus lubricus: & qui Pomponium Lætum, eumq; sequutum Cæsarem Baronium, de omni historiâ Ecclesiasticâ egregiè meritum, adduxit in errorem: ut Constantinum (si Diis placet) Britannum facerent.* Agnosco locum lubricum; in quo alii potius cecidisse videntur, quàm Lætus aut Baronius, qui in omni re Ecclesiasticâ fessus miles, fortiùs figit pedem. Sed quia Livineius dubitat; an Diis placeat, Constantinum Britannum esse: audiat id affirmantem Eumenii panegyrim, qui cum amplissimè ornasset Insulam verbis illis: *O fortunata & omnibus beatior terris*, &c. Britanniæ laudes claudit hoc epiphonemate. *Dii boni! Quid est hoc, quod semper ex aliquo supremo fine mundi, nova Deûm numina, universo Orbi colenda descendunt! Sic Mercurius à Nilo, cujus fluminis origo nescitur. Sic Liber ab Indis, propè consciis solis Orientis, Deos se gentibus ostendere præsentes. Sacratiora profectò sunt Mediterraneis, loca vicina cælo: & inde propiùs à Diis mittitur Imperator, ubi terra finitur.*

Panegyr. 5.

OBIECTIO LIVINEI, *Livine. in notis ad paneg. 5.*

SOLVITUR.

Eumenii pan. 9.

XLI. NASCUNTUR DII IN FINE TERRARUM.

Nec mihi hic objiciat aliquis, de Cæsareâ aut Imperatoriâ creatione mentionem esse; quia Eumenii argumenta, de Mercurio & Libero, aliud planè significant. Cicero libro tertio de natura Deorum (quem utpote Oratorum Principem sequitur Eumenius) Mercurium è Nilo natum, & Ægyptiis sacrosanctum esse. Liber pater educatus etiam, ponitur in Specu Neri montis, qui est apud Nisam clarissimam Indiæ civitatem. Unde nacti fabulandi ansam Poetæ, ipsum in Jovis femore gestatum finxerunt. Vel hinc ergo eruitur Constantini patria, si rectè colligis. nam vel ipse quoque nascitur in aliquo fine mundi, & & inde universo Orbi colendus descendit: vel parerga sunt Oratoris argumenta. Supremus mundi finis, non in Græciam, Bithyniam, aut Illyricum, sed sine controversia in Britanniam cadit. Et penitus toto divisos orbe Britannos inquit Virgilius. sed & Horatius:

Serves iturum Cæsarem in ultimos
Orbis Britannos.

Virgil. eclo. 1. Horat. l. 1. carmi. ode 36.

De propriis vitæ natalibus loqui Eumenium, vel inde etiam patet, quòd Britannicum Oceanum, Deorum genitorem vocet. de ultima Constantii in Britanniam profectione ita loquens: Iturus ad Deos, Genitorem illum Deorum fluctibus suis, ignea cæli astra refoventem *prospexit Oceanum* allusit ad Homerianum illud:

Ὠκεανόν τε θεῶν γένεσιν, καὶ μήτερα Τηθύν.
Tethin Divorum Matrem Oceanumq; parentem.

Homer. Iliad. ξ.

Hic non alius quàm vitæ ortus, quem genitor, pater, & mater apertè significat. & illud Orphei, ubi antiquorum Deos ab Oceano initium sumpsisse dicit, nec aliud quàm vitæ:

Ὠκεανὸν καλέω πατέρ' ἄφθιτον αἰὲν ἐόντα
Ἀθανάτων τε θεῶν γένεσιν.
Oceanumq; voco Patrem Tethymq; parentem
Unde ortus superis.

Ex his Homeri & Orphei versibus, Athenagoras antiquus Philosophus, ubi pro Christianis in gentiles disputat: eruditè probat gentilium Deos ab æterno non fuisse. *Dii*, inquit, *non erant ab æterno: sed ita eorum natus est quisque, ut nos etiam nascimur: & in hoc omnes consentiunt.*

Athenago. Apolo.

XLII. ITERUM INSTAT LIVINEIUS. *Eumen. pan. 10.*

Licet hæc pro veris Constantini natalibus plurimùm faciant: instat tamen Livineius, & urget è panegyricis aliqua: ubi Cæsarum ortus, & natales, dignitatem significant, non vitæ exordium. Ut illud: *O felix beatumq; ver, novo partu, jam non amœnitate florum, nec viriditate segetum: nec ipsum tantum Favoniis, & luce serenatâ lætum, atque venerabile; quantum ortu Cæsarum Maximorum.* Ita est: quid inde? nam eleganter id dictum agnosco: *Notasis mihi* (inquit Livineius) *additamentum, Cæsarem, ô fortunata, & nunc omnibus beatior terris Britannia, quæ Constantinum Cæsarem prima vidisti.* Jam dudum id notaveram. & pro Britanniâ multum, nihil contra facere jam ostendo. Cæsarem Britannia, prima non vidit: si premis additamentum *Cæsarem*. nam Constantinum olim factum Cæsarem; cum parens Augustus declaratur, habet Aurelius Victor: * *His diebus*, inquit, *Constantius, Constantini Pater, atque Armentarius, Cæsares, Augusti appellantur: creatis Cæsaribus Severo per Italiam, Maximino Galerii sororis filio per Orientem. Eodemq; tempore Constantinus Cæsar efficitur.* nimirum cum Romæ esset: & ibi religionis specie obses à Maximiano Galerio teneretur, ut idem Author affirmat. Unde non, nisi ad paternum funus, plures post annos discessit. Quamobrem aliud Eumenius innuit nec aliud tamen, nempè nativitatis locum. eo modo quo Orpheus Bacchi patriam quem Dionysum vocat, hoc versu describit:

Livin. in notis ad pan. 5.

CONSTANTINUS IN BRITANNIA NON EST FACTUS CÆSAR.

** Victor in Epito. c. 40. Idem suprà c. 41.*

Te Dionyse Pater canimus Semeleia proles:
Quem videre maris ventosi ad litora primum.

XLIII. Sed quoniam opportunè monet Livineius,

ORTUS ET NATALES ABSOLUTE PATRIAM NOTANT.

notandum esse *additamentum*: accipio id perlibenter: & cum suprà dicitur felix Ver, *ortu Cæsarum* Beatorum: noto id eleganter dici: nec ullo modo natales signari. Notet ergo mecum Livineius: aliud esse, ortus, κατά τι, & secundum quid: aliud; ortus, ἁπλῶς, & simpliciter, sine additamento sumptum. Gallicanus Orator cum dixit: Tu nobiles Britannias oriendo fecisse: ἁπλῶς ortum denotat. referrique debet, è Logicorum disciplinâ, ad analogatum principale. Quoties verò cum additamento componitur: quis nescit restringi, determinarique posse, & interdum debere, ad innuendum id quod apponitur. Ita cum creaturam nudè nominamus, aut etiam creationem: ad unum Deum mente consurgimus, & magnum illum creatorem. Si quando tamen Regis, aut principis creationem aut creaturam, καταχρηστικῶς, *abusivè*, usurpamus, intelligimus (quis dubitat?) creationem aliam. Argumentum itaque à sensu, secundùm quid: ad sensum simpliciter, malè concludit: ut hoc: *ortus Cæsarum*, in uno Panegyrico, signat non vitæ, sed dignitatis exordium. Ergo ortus simpliciter nudè & indefinitè positus, in alio panegyrico, idem signat. Baronius Constantini patriam, meliori argumento probavit: quia nudè ortum, & Britannias, ex eo ortu, nobiles invenit: nullamque Insulæ nobilitatem invenire potuit, ex eo præcisè, quod aliquis ibi Cæsar factus, aut Imperator esset. Jam verò, cum Constantinus, Romæ, Cæsar. (ita Victor) & in Galliâ factus sit Imperator (ita panegyricus) Britanniæ nobiles, ex alio ortu (& cedò alium) dici debent. Hoc argumentum non solùm Lipsium premit, & Livineium: sed Nicephori Drepanum, aliorum Tarsum; & nuperum de Illyrico inventum elidit. Firmat etiam, quæ de sensu Firmici, de Naïso, de Hermolao, & Porphyrogenito, duobusque Constantinis diximus.

XLIV. OBJECTA CONTRA CONSTANTINI NATALES.

XLIV. Restat ea solvere; quæ aliqui, non in Constantinum, sed in Helenam matrem, & ejus humile genus objectant: unde si non Britannam, saltem non è Regio Britannorum sanguine, arguunt. nam hi stabulariam, hi concubinam, hi obscurum matrimonium, hi denique Judæam, & innominatus Valesii, vilissimam fæminam, vocant. De stabulariâ breviter: Judæorum illa vox, non Ambrosii fuit. nam quod illi in opprobrium, quia Christi stabulum ornaverat in Oriente, iste in laudem retulit: *Stabulariam hanc primò fuisse asserunt sic cognitam Constantio Seniori. Bona stabularia, quæ tam diligenter præsepe Domini requisivit. Bona stabularia, quæ stabularium non ignoravit illum, qui vulnera curavit à latronibus vulnerati: Bona stabularia, quæ maluit existimari stercora, ut Christum lucrifaceret.* plura de hac nuncupatione dixi alibi, quæ hic non repeto: quia magis urget Concubinæ nomen, Drepani πανδοχεῖον propè inferens. qua voce non solum Zosimus, & infideles: sed orthodoxi, imo nostrates aliqui, & Beda imprimis abutuntur: sed diversimodè. Beda in scriptura doctissimus (ubi centies, legitima uxor, audit Concubina) scripturarum more secundariam uxorem, concubinam vocavit, cum ait: *Constantius, Constantinum filium ex concubinâ Helenâ, procreatum, Imperatorem Galliarum reliquit.* (Ita habet antiquus Manuscriptus Codex ubique correctissimus: cum impressa legunt *creatum Imperatorem* reliquit) cæterùm ideo ibi concubina dicitur; quia Constantius ab eâ divertere coactus est, cum Maximiani privignam Theodoram, Cæsarisque cum ea dignitatem accepit. Unde primæ cum Helenâ nuptiæ obscuriores, & inde obscurum matrimonium, censebantur. Unde alia quoque confingendi principium fluxit: quod habita vilis, stabularia, imo vilissima Helena à quibusdam etiam orthodoxis existimetur. & non mirandum quia lectissima fæmina, variè trahitur, atque distrahitur, & pro trahentium factione differenter, in Orientem: ubi ad lupanar condemnatur. quod vilem, imo vilissimam animam olet: in Illyricum, ubi nulla prorsus ejus mentio, nulla parentum; unde terræ filia haberi potuit. Denique in Britanniam multò honestiùs, ubi Coelli Principis filia, regia indole & moribus ornata, Constantio Senatori, matrimonio jungitur: quod quia dirimi placuit (diremptum conjugium vocat Victor. de Cæsaribus, in Epitome) locum lectumque cessit Theodoræ. Id omne Alfredo Regi inter nostrates Saxones magno probè notum, qui Bedam Saxonicè loquentem faciens, concubinæ loco *Wise* reddidit, ut patet è nuper impressis: quæ vox licet interdum concubinam significet; ut dicam anno Christi 1008. nunc tamen conjugem signat.

Ambros. oratione funeb. de obitu Theod.

In patria Const. l. 1. sect. 3. §. 7. n. 10. &c.

Beda l. 1. c. 8.

Victor de Cæsar. c. 39. §. 2.

Hinc Zosimus, Constantini & Helenæ juratus hostis, maligno impetu, Helenam premit. nam ita scribit: *Constantinus natus ex consuetudine mulieris quæ mater-familias non esset: nec in manum Imperatori Constantio legitimè convenisset.* & alibi. *Maxentius non tolerandum ratus, Constantino ex animi sententia conatum suum succedere; qui muliere non matronâ genitus esset.* Ita Leunclavius Zosimum reddidit. Et sequitur, Helenam, nec matronam, nec matrem familias, nec legitimè matrimonio junctam. Sed in verbis non est hærendum, cum Zosimus latinè non scripserit, nec matronæ, aut matris-familias mentionem, ne per umbram, fecerit. nam ita græcè priore loco: Κωνσταντῖνος ἐξ ὁμιλίας γυναικὸς οὐ σεμνῆς, οὐδὲ κατὰ νόμον συνελθούσης Κωνσταντίῳ τῷ βασιλεῖ γεγεννημένος: posteriore autem sic; Κωνσταντῖνος ἐξ ἀσέμνου μητρὸς γεγονώς. quæ nescio cur Leunclavius reddiderit ut suprà: dederitque ansam plurimis humiliter de Helenæ genere sentiendi. Dico igitur Zosimum, Constantino, Helenæque infensum; ob Christianam religionem ab eis defensam, atque propagatam: non genus Helenæ, sed fidem religionemque pupugisse. quod σεμνός, & ἄσεμνος imprimis judicant. Quia igitur Helena Christum ardentissimè colebat: Crucem ejus è terræ visceribus eruendo, & stabulum seu Christi incunabula frequentando. Ideo à Judæis stabularia, à Zosimo infideli, *irreligiosa, & minimè religiosa*: à quatuor Magdeburgensibus, Zosimum spirantibus, *superstitiosa mulier* audit. Porrò quod Zosimus dicit, de Helena: οὐ κατὰ νόμον συνελθούσης Κωνσταντίῳ τῷ βασιλεῖ; umbram aliquam veritatis habet: unde plurimi nomen concubinæ, conjunctioni imponerent; quæ tamen aliis legitima censeretur: eo ferè modo, quo, οὐ σεμνός, & ἄσεμνος, non illustrem, non augustam, non venerabilem, in vilissimam converterunt: sed ad Zosimum dicentem non legitimè Constantio Imperatori vel Regi convenisse Helenam,

XLV.

Zosim. l. 2.

Idem ibid.

ZOZIMI SENTENTIA EXCUTITUR.

V. cent. 4. fol. 457.

XLVI. Respondeo primùm: si verba in omni proprietate urgemus, impropriè loquutum necesse est affirmare: quia Helena Constantio, non

Imperatori, non Regi, sed Senatori tantummodò conjuncta est. & inde Authores quoque nostri decepti sunt, Helenam Constantio Cæsari nuptam asserentes. Iterum Respondeo: Romano homini olim cum alia natione non erat jus connubii. sic in Constitutionibus Justiniani scriptum est. *Romanum nonnisi Romanam duceret.* Zosimus ergo quòd sciret Constantium obscurè, & cum Britanna virgine contraxisse, dixit id factum contra leges Reip. Tertiò, & facilior est Responsio. Romanorum legibus cautum erat (quod testatur Papinianus J.C.) *Ut si præfectus Cohortis, vel Equitum: vel tribunus, contra interdictum, uxorem duceret in eâ provinciâ, in qua officium gerebat, matrimonium non esset.* Cum ratio potentatus, inquit, ejusmodi nuptias prohiberet. Hæc vera causa Zosimo, aliisque dicendi obscurum fuisse matrimonium, *ϗ οὐ κατὰ νόμον.* quia nimirum eam duxit Constantius, eo tempore, quo ab Aureliano Imperatore missus est cum potestate in Britanniam. Verùm hæc Romanorum lex non ita damnabat eas nuptias, ut nullo modo postmodum potuerint esse licitæ. nam Paulus J.C. sic respondit: *Si post depositum officium ejusmodi, in eadem voluntate perseveret, justas nuptias effici.* Quod simili argumento confirmari potest. Lex Papia Poppæa (quæ & Julia Papia à nonnullis dicitur) olim graviter cavebat: ne Romani Senatores, eorum filii aut nepotes, libertinam ducerent. Quam legem ita interpretatur Ulpianus: *Si Senator,* inquit, *libertinam duxisset: quamvis uxor ejus non sit: tamen ea conditione, si desierit esse Senator: tunc uxor ejus esse incipiet.* Constantius itaque, quem Senatorem fuisse diximus, & legatum in Britannia, ita Helenam uxorem accepit, ut functus Magistratu, eidem nihilominus adhæserit. Unde non unius noctis contubernio, ut finxit Nicephorus; sed *ἐκ συνηθείας*, è consuetudine, & constanti in eam affectu, nascitur Constantinus; adeoque, & ille benè natus; & Helena, uxor censetur. Hinc Eutropius, Victor, aliique passim, repudio opus fuisse, cum alia superinducitur, affirmant: & Zosimus alibi dicens Constantium in Britannia *συνεχέστερον* versantem, constantem ejus in Helenam affectum, & amores significat; & non uno vagoque concubitu, sed æquissimo matrimonii jure natum Constantinum, quantumvis primo *οὐ κατὰ νόμον non secundùm legem*, convenerint.

L. Præfectus de ritu nuptia.
L. eos ff de ritu nuptia.
L. Si quis in Senatu cod. tit.
Zosim. l. 2.

XLVII. CONSTANTINUS EX HELENA NASCITUR BENE.

Legitimum Helenæ & Constantii matrimonium, probat imperium Constantini: non solùm, quia *spuria vitulamina non dabunt radices altas*, teste Spiritu Sancto: *Nec stabile firmamentum collocabunt:* sed quia suffragantibus omnibus, & nemine prorsus refragante, successit Patri; non solùm in Britannici regni titulum, illi materno jure debitum: sed in Galliarum primò, inde in totius orbis imperium: quod iniquissimum foret, si thoro illegitimo natus fuisset. Et demus supremas testamenti paterni tabulas iniquas fuisse; probabiliter tamen orbis reclamâsset: si non omnis; ii saltem, quibus, posito defectu natalium, jus erat proximum: vel saltem eorum quispiam. At cum omnes tacuerint; cum sine ulla litis contestatione, Constantino accesserint: cum omninò nullus vel levissimè repugnârit: cum Cæsare Baronio meritò dicimus: *Ex necessitate compellimur dicere: Helenam legitimam Constantii conjugem fuisse.* quod etiam è Panegyricis, sic ostenditur. Eumenius in ea oratione, ubi totus est in Constantini natalibus, de moribundo Constantio loquens: *Quin omnino rogatus (inquit) cui imperium decerneret; dixit, ut decebat Constantium Pium. manifestè enim sententia patris electus est Imperator.* Profectò missâ prole legitimâ, aliam subrogare; nec pium decebat: nec Constantium patrem. Iterum idem orator Constantinum alloquens: *Inter omnes,* inquit, *participes majestatis tuæ, hoc habes Constantine præcipuum, quod Imperator es, tantaq; est nobilitas originis tuæ, ut nihil tibi addiderit honoris imperium: nec possit fortuna numini tuo, imputare quod tuum est* (hoc est interprete Livineio: quod uni tibi, & natalibus debetur) *omisso ambitu, & suffragatione, non fortuita hominum consensio, non repentinus aliquis favoris eventus te Principem fecit. imperium nascendo meruisti.* & infrà: *Sacrum illud palatium, non candidatus imperii, sed designatus intrasti: confestimq; te illi paterni lares, successorem videre legitimum.*

Baron. an. 306.
Eumen. pan. 9.
Idem suprà.
Livin. in notis ad pan. 9.

XLVIII. CONSTANTII CONTINENTIA LAUDATUR.

Verùm nihil magis facit pro Constantii & Helenæ castis amplexibus; quàm illa Gallicani oratio, in Constantini & Faustæ nuptiis: ubi Patris continentia in filio commendatur ita. *Neque enim forma tantum in te Patris, Constantine: sed etiam continentia, fortitudo, justitia, prudentia sese votis gentium præsentavit. Quo enim magis continentiam patris æquare potuisti, quàm quod te, ab ipso fine pueritiæ illico matrimonii legibus tradidisti: ut primo ingressu adolescentiæ, formares animum maritalem; nihil de vagis cupiditatibus, nihil de concessis ætati voluptatibus, in hoc sacrum pectus admitteres.* hæc ibi: & quæso te Lector, quis unquam laudavit continentiam Patris in filio illegitimo? Quis diceret formam & imaginem continentiæ paternæ, filium esse, è concubinâ genitum? Quis in nuptiis, præsente sponsa, laudaret sponsum, patris exemplo, qui libidini servîisset? Vel ergo Constantinum risit Panegyrista: vel ille, sine ullâ criminis incontinentiæque suspicione, natus est benè. Unde Cæsar Baronius, cum dictum Panegyrici locum retulisset. *Qua fronte quæso* (inquit) *nobilis Orator, in publicis nuptiarum solennitatibus, coram nobilissimo, & florentissimo auditorio, cuncta sciente, hæc de patre Constantio prædicare adeo potuisset: si Helenam concubinam, ex qua etiam ipse Constantinus natus esset, antequam legitimam uxorem Theodoram duceret, habuisset?* Nolo pluribus asserere rem testatissimam: cum Justinianus Imperator ita Helenæ nomen celebraverit, jubens Polemaicum mare, deinceps Heleno-pontum vocari: *Ab omnibus,* inquit, *Heleno-pontus nuncupator. Quod illi nomen à pientissimo Principe Constantino impositum est occasione HONESTISSIMÆ MATRIS HELENÆ, scilicet pientissimæ mulieris: quæ nobis etiam sacrum Christianorum invenit.* Honestissimam matrem nemo legislator concubinam appellavit.

Incerti pan. 5.
Baron. ad an. 306.
Collat. 14. Constit 28. Quod pulchro.

XLIX. UNDE HELENÆ NOMEN IN ORIENTE CELEBRE.

Sunt qui Helenam in Bithyniam, & Orientem trahunt; eo scilicet argumento, quod nomen ejus ibi; quà urbium nominatione, quà monumentorum erectione, celeberrimum est. Imo ideo Drepani natum Constantinum existimant; quia locus ille, ab Helenâ dictus est, Helenopolis. Sed errant: nam nunquam illa, sed alia causa primæ hujus ab illâ nuncupationis, etiam à Græcis affertur. Sozomenus, ita Constantini erga matrem pietatem refert; volentis nomen ejus perennare. *Demque nomen Helenæ,* inquit, *jam mortuæ, oblivione minimè obrutum est. Sed sunt duæ urbes; altera in Bithynia: in Palæstina altera:*

Sozomen. l. 2. c. 2.

utraque

utraque ejus nomine nuncupata αὐτῆς ἀειταχεῖς μνήμης σύμβολον. *nimirum memoriæ ejus pignus sempiternum.* Hoc ipsum innuit Justinianus suprà, cum Polemaicum, in Helenopontum transferri mandat: *Quia pulchrius*, inquit, *fuerit regiones, Christianorum & Regum nominibus designare; quàm eis, qui polemi, id est, belli & tumultus notionem præseferunt.* Quotquot etiam Drepani meminerunt, & mutatæ appellationis: nullam, aut natæ ibi Helenæ, aut Constantini, mentionem injiciunt: quod certè omittendum non fuisset. In Nicephoro quidem legimus Helenam ea urbe delectatam: non *quòd ibi orta sit* (quod tamen Latinus interpres ex suo addidit) *sed quod Lucianum post martyrium obitum, eò à delphinis deportari contigerit.* Eodem respexit S. Hieronymus in Chronico, cum ait: *Drepanam Bithyniæ civitatem in honorem Martyris Luciani, ibi conditi, Constantinus instaurans ex vocabulo matris suæ Helenopolim nuncupavit.* Idem habent Chronicon Alexandrinum, Cedrenus, Acta S. Luciani, & plures alii: ex nomine tamen vulgo creditum, vel matrem Helenam, vel certè filium inde descendisse. præsertim cum Procopius Cæsariensis, vulgi sensum expresserit ita: ἐκ ταύτης γὰρ τὴν Ἑλένην ὡρμῆσθαι φασί: *ex hac Helenam oriundam aiunt* Sed vulgi rumorem qui ubique sequitur, impinget sæpè. Hæc satis de Helenæ patria, atque castitate.

Collat. sup. — *Niceph. l. 8. c. 31.* — *Hiero. in Chronico.* — *Procop. l. 5. de Iustin. ædif.*

L. DE FIDE HELENÆ.

Superest majoris momenti quæstio, de Fide ejusdem; quam nescio quis rumor, aut potius oscitantia, laceravit, atque distraxit adeò; ut vel inde patria obscurior fuerit: & ita quidlibet fingendi nata licentia. Si enim græcam feceris in Drepanensi stabulo: quid nimirum si infidelis, aut Judæa, aut impudica existimetur? si autem Occidenti illam reddideris; infidelis quidem esse potuit, sed procul tamen sordibus illis, & superstitione Judaicâ: Quòd si in Britanniam deduxeris (& eò deduci debet) si Britannici Reguli filiam dixeris; virgo, fidelis, & honestissima mater, non difficulter ostenditur. Jam patriâ fusiùs explicatâ: detersæ ferè sunt nubes, quæ illam obscurarunt. Unica restat detegenda, & detergenda, eò cæteris densior, quò magnorum nominum fuco, constipatur. Vincentius Belvacensis, Sanctus Antoninus, & plures alii, constanter affirmant; Helenam, etiam post Constantini baptismum, à Judæis in Christianos stetisse, & eò trahere conatam Constantinum. Quod si verum: ego oppidò falsus sum, qui hactenus tam studiose pugnavi pro Judæâ fœminâ. Quid? vel amandare illam debeo ad Drepanense prostibulum, & Græcam cedere Nicephoro: quod horret calamus: vel Judaicâ perfidiâ maculare Christianam Insulam: quod est paulò deterius. Videamus argumenta. Sanctus Antoninus secunda parte historiæ ita scribit: *Hac ubi Helena, mater Constantini Augusti, in Bethaniâ consistens audivit (nimirum filium à Silvestro baptizatum) per literas laudat filium: quod renuntiasset simulacris Idolorum. sed dirè increpat, quod relicto Deo Iudæorum, crucifixum hominem, Deum colat.* ita ibi. Qui nuperiùs Antoninum impressit, Nicephoro inhærens, debili fulcro, peregregiè lapsus est; cum pro Bethaniâ, Bithyniam substituit. sed unde error ille, & vitiosa sententia surrexerit, statim dicam. nam pergit Author pluribus narrare; quid ad matrem Constantinus rescripserit: ut Helena Judæos adduxerit: ut coram Augustis Silvester Papa, cum Judæis certaverit: ac demum recesserit victor. Ne autem de fide horum dubitares: Vincentius recitat, ultrò citroque missas literas, Judæorum nomina, & alia plurima.

ALIQUI HALANAM JUDÆAM FACERUNT.

Antoni 2. p. c. 1. tit. 9. §. 8.

LI. ACTA SILVESTRI.

Augetur difficultas, quod Acta Silvestri eadem habeant, designato tempore, notatisque Consulibus. nimirum *Constantino quartum, & Licinio quartùm Coss.* (est is annus Christi trecentesimus decimus quintus) disputatum à Silvestro in Judæos, matre filioque præsentibus. Disputationis causa hæc ibi prætexitur: Helenam in Oriente, cum Constantio & Constante nepotibus Augustis, gentilem adhuc, à Judæis penè circumventam, Constantino filio succensuisse: quod Christianam Fidem sequeretur, rogasseque per literas, Judæis potiùs, quàm Christianis accederet: rescripsisse filium; mandasseque in urbe Judæorum conventum, ut id demum decerneretur, quod foret optimis suffragiis probatum. Quis hæc audiens, non æquè de Helenæ patriâ, ac Fide dubitabit? Quis, inquam, non existimabit, vel Helenam Bithynam esse: vel si Britannam, nullam fuisse Britannorum Principum Christianam Fidem? Enimvero si illa, *Constantino quartùm, & Licinio quartùm Coss.* Christiana needum erat; sed Judæis proxima, eorumque advocata: sequitur, propè septuagenariam didicisse primum Christianæ fidei rudimenta: & illos falsos esse, qui suprà dixerunt, Constantium in Britanniâ duxisse uxorem Helenam, Christianam virginem, atque lectissimam. Sed revera non sunt falsi. & illi potius à vero erraverunt maximè, qui Helenam statuerunt in Oriente (sive Bethaniâ, sive Bithyniâ) cum Constantio & Constante nepotibus Augustis, Constantino quartùm, & Licinio quartum Coss. cum neuter eorum, eo anno Cæsar, nedum Augustus esset. Constantius post annos decem, Constans, diu posteriùs, facti Cæsares; arguunt aliqua Silvestri Actis accessisse; quæ cribro excerni, non limâ poliri debeant. Nihil tamen à veritate alienum magis, quàm id in quo Helenæ fidei cardo vertitur. fuisse, inquam, post Constantini baptismum, infidelem adhuc, & à Christiana Fide aversam.

LII. SUPRADICTA CONTRA HALENÆ FIDEM REPROBANTUR.

Dico igitur: Helena in orthodoxa Fide, Constantinum præcessit: illam in Occidente didicit, instillavitque ibi filio: & priusquam Orientem lustrasset, Romanorum corda Christiana Fide accenderat. Hoc, meâ sententiâ, tam indubitatum est, quàm Helenam Constantii uxorem, aut Constantini matrem fuisse. firmandum igitur paribus argumentis. Baronius id probat: quia filia ejus Constantia, Licinio nupta, Christiana erat: *Vt appareat*, inquit, *tenellam virginem è secretis maternæ domus penetralibus progredientem: nonnisi ex materna institutione id consequi potuisse.* Verùm Constantia illa Constantii filia, è Theodorâ, non ex Helenâ fuit: ut idemmet Baronius ante notaverat. Melius ergo id firmat alio argumento, ita: *Ipsamet Helena*, inquit, *Constantinum ad pietatem à puero instituit. Author est Sanctum Paulinus: qui hoc eodem sæculo celebris in Senatu, famâ claruit. Ipse enim ad Severum scribens, hæc ait: Mansit hoc sæculi prioris nefas in tempora nostra proxima Constantini. Qui Princeps esse Principibus Christianis, non sua magis, quam matris Helenæ fide meruit.* His addo Magnum Gregorium; qui ad Aldibergam, Cantii Reginam scribens, disertè affirmat non solùm Christianam Helenam priùs fuisse, quàm Orientem lustraret: sed in Fide aliis porrigenda strenuè laborasse. quo

Baron. an. 315. — *Baron. an 306. Idem an. 315.* — *Paulin. ad Severum Epist. 11.*

cxemplo, ad idem præstandum, illam sic acuit. *Sicut*, inquit, *per recordanda memoria matrem pijßimi Imperatoris, ad Christianam Fidem Romanorum corda accendit (Deus.) Ita per gloria vestra studium, in Anglorum gentem ejus misericordiam confidimus operari.* Hoc ipsum significat Sanctus Ambrosius: *Helena*, inquit, *multo amplius invenit, quod Imperatori conferret: quàm quod ab Imperatore acciperet.* Quod sive de cruce, sive de alio quovis intelligatur: falsum omnino erit, si Helena filio debuit sperandarum rerum substantiam, & immortalitatis fundamentum. Nec opus est plura Latinorum Patrum testimonia proferre: cum Sozomenus græcus dicat; liquidò constare apud omnes, Constantinum à Britannis (& præter Helenam, neminem nominare possunt Britanni) Christianam Fidem edoctum. Ille sic loquitur, libro primo, capite quinto. *Apud Britannos, & reliquos illius orbis incolas, liquidò constat inter omnes, Constantinum, primùm Christiana religione imbutum esse.* Theodoretus etiam: Helena, *cujus*, inquit, *laus omnium piorum ore ac sermone prædicata est: & hoc eximium mundi luminare peperit (Constantinum intelligit) & pietatis alimenta eidem suppeditavit.* suprà plura retuli pro Helenæ Fide suffragia. nunc fontem obturabo unde egregius ille error, in Helenæ vitam, & Authorum libros irrepsit.

Gregor. l. 9. Ep. 59. — *Ambros. in obitu Theod.* — *Sozom. l. 1. c. 5.* — *Theodoret. l. 1. c. 18.* — V. an. 256. 3.

LIII. UNDE FABULA DE JUDAIZANTE HELENA NASCITUR.

Vitiatum nescio quo pacto Mariani Scoti Chronicon, huic fabulæ, de Helenâ Judæâ, prologus fuit. Ibi sic legitur ad annum trecentesimum vigesimum primum. † *Constantino autem à Papa Silvestro baptizato, scripsit de Britanniâ sibi sua mater Helena, ut negando Christum Iudæos sequeretur.* Hunc Authorem in opere Chronologico sequuti sunt S. Antoninus, Vincentius, & alii: Et quia Judæa hoc loco audiebat Helena, loco Britanniæ, modo Bethaniam, modò Bithyniam, pro suo quisque genio substituit. Sed Britannia, sine ullo dubio retinenda: & inde si quid scripsit, scripsit Helena. Sed unde constat loci depravatio: & quomodo sine Manuscriptis, aut impressis Codicibus restituendus? Certè quia monstrum orationis est illud, & contra Antiquorum Patrum suffragia Helenam modò gentilem, modò Judæam, sub finem vitæ appellari. & verba illa, *Vt negando Christum Iudæos sequeretur*: nec cum ipso Mariano, nec cum rerum à Constantino gestarum serie conveniunt. Marianus quidem in sequentibus dicit Judæos, & eorum sapientiores, centum viginti, cum Helena Romæ convenisse. *Cum quæstio oriretur a Silvestro Papa*, inquit Marianus, *viginti quatuor Episcopis consedentibus. Superati sunt Iudæi in omni Scriptura divina.* hæc ille, nec plura. ubi nulla de Helenæ conversione mentio, jure suspicari Lectorem facit: illius causâ certatum non esse: eò præsertim, quòd post pauca Marianus ad Crucis inventionem transit, Helenam ibi nominat: & nihil de Fide. Quasi verò, aut Judæa Crucem quæsiverit: aut nuper conversa, conceperit subitò illam pietatis flammam, quam vix, aut ne vix quidem, multo labore cultuque religionis, post plures à conversione annos nanciscunur. Et esto, nacta fuerit Helena ardorem illum, & spiritus primitias: cur Marianus mutationis illius subitò & mirabiliter factæ non meminit. Sed illud parum. Quid si scripsit Helena, è mente Mariani post Crucem inventam: estne probabile, quod postmodùm à Christiana Fide defecerit? Non est animus de tempore inventæ ab Helena Crucis, hoc loco disputare. Solum quæritur quid senserit Marianus. Ille quidem, dicit Tripartitam historiam ponere inventam Crucem ad annum Christi trecentesimum vigesimum quintum: sed diu priùs è suo sensu loquens, dicit, repetitque Eusebii Papæ tempore repertam. nam ita scribit ad annum Christi trecentesimum sextum, & primum Constantini Imperantis. *Sub hujus* (Eusebii) *tempore inventa est Crux Domini sub Constantio patre Constantini Magni, ut in gestis Romanorum Pontificalibus habetur. Ita sub hujus tempore, inventa est crux Domini quinto nonas Maii, & baptizatus est Iudas, qui dicitur Cyriacus. Eusebius Papa obiit: cui succedit Miltiades.* Hæc ille. Qui nullo modo loquutus est consequenter: si post plures annos vult Helenam filio scripsisse, *ut Iudæos sequeretur.*

† *Marian. Scotus in Chron. 321.* — *Marian. an. 306.*

LIV. MARIANI CHRONICON CORRIGITUR.

Quamobrem dico, mendum in Mariani Chronicon, aliquorum incuriâ irrepsisse: & legendum ibi ut Florentius Wigorniensis olim legit. Ille non solùm ejusdem ævi & instituti Monachus: sed idem ferè Mariani opus descripsit. Unde Pitsius, *abbreviatum a Florentio Marianum scribit: & Balæus religiosè sequutum.* ex eo igitur petenda loci correctio. qui ita scribit: *Constantino à Papa Silvestro baptizato, scripsit ei mater sua, de Britannia, ut negantes Christum Iudæos persequeretur.* Hic ego Helenam agnosco Britannam, Christianam, orthodoxam fœminam, pientissimam mulierem, & honestissimam matrem, laudatam à Gregorio, quod accenderit Romanorum corda: prædicatam à Paulino; quod Principi Principum Princeps ipsa ad Fidem fuerit. Denique video *liquidò constare apud omnes*; teste Sozomeno: unde prima fidei rudimenta Constantinus didicerit: nimirum à matre, quæ cor ejus, & omnium Romanorum corda, in Judæos accendit: quæ Princeps Principi fuit, ad Christi Fidem defendendam, atque dilatandam. Tanti Dux fœmina facti, è Bithyniâ, & Drepanensi diversorio prodire non potuit: quia ibi sordes & maculæ: non è Bethaniâ; quia ibi Judaici ritus & perfidia, quam Helena persequitur: non ex Illyrico; quia nulla ibi publica, solennis, & Regia fidei Christianæ professio. prodiit ergo è Britanniâ, ubi post Lucium Regem *susceptam Fidem Britanni, usque in tempora Diocletiani Principis, inviolatam integramq; quietâ pace servabant*, teste Beda. Helena itaque quæ Christum constantissimè amabat, quæ ad præsepe, & cunas ejus cucurrit ferè octogenaria: quæ crucem, clavos, sepulcrum, Christi patientis sacrosancta insignia, anxiè quæsivit, religiosè coluit, magnificè extulit. Illa, inquam, impios Christi carnifices aversata, perfecto odio oderat: filioque jam à Silvestro baptizato (nam antea nulla spes) scribit: Quid? *ut negando Christum Iudæos sequeretur?* nullo modo. Repone igitur, & clara sunt omnia: *ut negantes Christum Iudæos persequeretur.*

Pitsius in Floren. — *Florent. Wigor. ad an. 316.* — *Bed. l. 1. c. 4.*

LV. PROBATUR CORRECTIO.

Quid ad hæc Constantinus? nam inde manifestum erit, quid Helena scripserit. enimverò Constantinus, *Quem ob cæteras res omnes* (loquitur Eusebius) *tum ob pietatem in parentem, & procreatricem suam, beatum judicare par est*: par etiam est judicare obsequutum matri. Ille, inquam, facto dicet, quid scripserit Helena. nam si Judæos sequutus est, aut aurem illis præbuit; nullâ in Mariano opus erit spongiâ. si autem persequutus est & Judæorum aures amputavit,

Euseb. in vita l. 3. c. 40.

extremaq́ôe illis minatus est, sine dubio Florentius Marianum benè reddidit. S. Chrysostomus homilia 2. contra Judæos ita loquitur. *Constantinus amputatis Iudæorum auriculis, ac rebellionis signo impresso corpori illorum, per omnia loca circumferebat illos, ceu fugitiva mancipia, & verberones, corporibus mutilatis, conspicuos illos faciens omnibus: ac eos qui per omnes regiones erant sparsi erudiens, ne imposterum eadem conarentur.* Hæc ille. Cæterùm rei gestæ, & scriptarum ab Helena literarum series, summaque, hæc est: Unde Mariani correctio (si alia deessent) stabilitur. Judæi cum baptizatum Constantinum scirent, & Christi cultus impensè studiosum, exemploque suo Judæorum aliquos ad Fidem traxisse; in rabiem versi, non modo Christianos infamibus dictis, scriptisque traducere satagebant: sed contribules etiam suos, qui ad Christum accesserant, ad mortem usque lacessebant. Helena ab infantia Christum docta, insolentem populum, & iterum Christum crucifigere conantem, ægerrimè tulit: vix tamen erat dolori remedium; quamdiu Constantinus filios, à vero exerrabat. At ubi audivit à Silvestro, Christianis sacris initiatum: ad illum è Britanniâ scripsit, ut Judæos, Christianos lacessentes, authoritate suâ comprimeret. Augustus filius, eodem anno, quo Helenæ literæ datæ sunt (nimirum Constantino quartùm, & Licinio quartùm Consulibus) monentem matrem studiosissimè audivit: in Judæorum facinora inquisivit: deprehensos, punivit: & tandem ne simulia rursum atteutarent, latâ lege, gravibusque pœnis compescuit. ita scribens ad Evagrium Præfectum.

Chrysost. hom 2. cont. Iudaos.

CONSTANTINUS IMPERATOR AD EVAGRIUM.

LVI. Constantini rescriptum contra Judæos.

IUDÆIS & majoribus eorum, & Patriarchis volumus intimari: Quod si quis post hanc Legem, aliquem qui eorum feralem fugerit sectam, & ad Dei cultum respexerit, saxis aut alio furoris genere, quod nunc fieri cognovimus (nimirum ex Helenæ matris literis) *ausus fuerit attentare: mox flammis dedendus est, & cum omnibus suis participibus concremandus. Si quis verò ex populo, ad eorum nefariam sectam accesserit, & conciliabulis eorum se applicuerit; cum ipsis pœnas meritas sustinebit. Data XV. Calend. Novembris Murgillo, Constantino Augusto quartùm, & Licinio quartùm Consulibus.*

LVII. Quod si spuria Silvestri Acta, veritatis umbram aliquam habent, de coacta Romæ Synodo, his Consulibus; opinari possumus (neque enim solidè super fundamentum tale, ædificium aliquod erigitur) dicendum esse, Constantinum mitioribus quoque armis pugnare voluisse: Ideo Judæorum doctiores in urbem vocasse, Silvestrum rogasse, ut patientes aures, manumque erranti populo porrigeret: Illum annuisse: Judæos confutasse: quorum aliqui Christum professi: alii accedere, contribulium suorum injuriis obnoxii verebantur. ideo non uno in illos armorum genere, forti, inquam, & mitiore brachio, eosdem oppugnasse. Quicquid dixeris: è latâ lege constat, aliquos Constantioo suggessisse, Christianos à Judæis vario modo vexari, & egere ejus patrocinio. Cæterùm nemo verosimiliùs, nemo potentiùs id præstare potuit, quàm Helena mater: quæ Christianis parentibus orta, Constantium coojugem ad Christum pellicere conata est, & fortè, ut infrà, pellexit: & Constantinum filium, Christum in infantiâ docuit balbutire.

Itaque qui egregiam hanc Heroïnam aliò trahunt, aut in Orientem, aut in Illyrium: non soliùn Britanniæ, quod non moror; sed rerum gestarum veritati, & Helenæ sanctitati, detrahunt plurimùm. Dixi aliquando debere Illyricos, vel ouper Illyrico faventes, non nuda unius, aut alterius Authoris verba venari: sed multò plura priùs circumspicienda; quam contra Authorum consensum, Helenam & filium, è Britannia amandent aliò. Debent Constantium unà cum conjuge in Dardaniam ducere: debent Constantini matrem Naisi constituere, eo anno, quo filius nascitur. ounc addo: debent quoque Helenam, Christianam & orthodoxam ostendere: talem denique quam Patres suprà describunt. alioquin repetundarum lege tenebuntur.

LVIII. De Constantio Aurelianum comitante.

Nec satisfaciet quis dicendo Aurelianum Imperatorem, sub natum Constantinum, dum it reditque in Orientem, per Illyricum transivisse: & fortè Constantium Comitem habuisse. Infirma hæc responsio, labefactare non potest receptam de Constantini patriâ sententiam. nam dato (quod nemo affirmat) Constantium Aurelianum in Illyrico comitatum esse: nihil id, ad nuptias cum Helenâ, aut prætensam patriam facit. nec enim in transitu nuptiæ celebrantur: nec constans Constantii in Helenam amor, unius noctis contubernio probatur. Nos scimus & ante, & post ductam à Constantio Theodoram, Constantium in Britanniam venisse, hæsisse, vixisse, mortuum esse: Probamus è Zosimo, & Suida, ipsum *Cortχέτερον, magis frequentem*, ibi versatum. Dicimus & probamus ab Aureliano eò missum, post devictum in Catalaunia Tetricum, annô priùs, quàm Constantinus nasceretur. idque non uno, sed pluribus testibus asserimus. Nihil horum affirmare possunt pro Illyrico advocati. Restat ergo, & nobis, & quotquot Constantinum arrogant, temporis annique assignatio, quo Constantinus, & quo loco, nascatur. Imprimis Cæsar Baronius cum fusè pro Britanno Constantino dixisset, ita concludit: *Contigit autem Constantini natalis (ex Eusebii sententiâ superius recitatâ; qui totidem annos eum ante imperium vixisse tradit, quot imperavit) Aureliano secundum & Iulio Capitolino Consulibus. anno quinto ejusdem Aureliani Imperatoris.*

Annus natalis Constantini. *Baron an. 300. 10.*

LIX. Benè dicit ex Eusebii sententiâ: quia non omnes, quot annos Constantinus vixerit, conveniunt. his illi sexaginta quinque annos, aliis sexaginta sex, aliis adhuc pauciores, assignantibus. Eusebius, ut in rebus Constantini doctior, ita accuratiùs illas descripsit. Is libro primo de vitâ ejus: *Regni*, inquit, *tempus ad amplius triginta annorum curricula plenè expleta confectaq; , cum summo honore, Deus illi propagavit. Quo annorum numero duplicato, totius vitæ orbem, quem inter homines peragrabat, quasi termino quodam circumscripsit.* & iterum. *Duos*, inquit, *& triginta annos, extra paucos dies & menses, cum Imperio fuit: eundemq; annorum numerum vita duplicabat.* Ex hac opinionum varietate, varium quoque Constantini vitæ exordium assignatur. Cæterùm cum communis omnium sententia sit, eum anno trigesimo septimo sequentis sæculi obiisse; Hinc qui cum Socrate & Sozomeno sunt, natum affirmant sub Aureliani Imperatoris exordium. Ita Onufrius Panuinius, *Constantinus Imperator*, inquit, *natus est in Britanniâ, Aureliano & Basso Consulibus. anno urbis millesimo vigesimo quarto.*

Euseb. l. 1. c. 1.

Euseb l. 4. c. 53.

Onufri de Roma. Prine.

V. an. 272. 1. *Mercator in Chronol. avo 3.* *Gordonius hic.* *Theod. Petraus in Chron. Impp.*

Eosdem Consules, & eundem nativitatis locum habent Abrahamus Bucholzerus, & Octavius à Strada, quos suprà ad eum annum citavi. Gerardus Mercator, licet annum ab illis differentem, eosdem tamen Consules, nominat. *Sub annum*, inquit, *ducentesimum septuagesimum, Constantinus Magnus Imperator, natus est in Britannia, Aureliano & Basso Consulibus; mortuus anno ætatis sexagesimo sexto, imperii trigesimo primo.* Rectiùs tamen, opinor, nativitas ejus paulò posteriùs collocatur, ex Eusebii sententia, qui annos tantum sexaginta duos, vel tres eidem tribuit. Quamobrem probabilius est, nativitatis annum, in hunc Christi ducentesimum septuagesimum quintum referendum: ut retulit etiam Gordonius qui cum hujus anni Consules nominasset, mox addit. *His Consulibus nascitur in Britannia Constantinus.* & Theodorus Petræus in Chronologia Imperatorum. *Melioribus jam*, inquit, *succedentibus temporibus; meliorem quoque Christianus orbis Imperatorem consequutus est. Constantinum videlicet ob res præclarè gestas verè magnum, si non ter maximum. Patre Constantio Chloro, matre verò Helenâ natione Britannâ, anno ducentesimo septuagesimo quinto, in Britanniâ prognatum.* Ferreolus Locrius in Chronico Belgico, quintum Aureliani Imperatoris annum nato in Britanniâ Constantino assignat; ut dicam paulò inferiùs. Denique Franciscus Bordinus Avenionensis Episcopus in Annalibus ad an. 306. *Erat Constantinus annorum 32. Helena matre in Britannia ortus Aureliano Augusto secundùm, & Iulio Capitolino Coss. fuit autem Helena, Constantii Senioris non concubina, sed uxor. unius è Britannia Regulis filia.* Sed & series rerum ab Aureliano gestarum, itinera, pugnæ, triumphi, ad id tempus nos ducunt. Ita habes uno eodemque argumento, & annum, & patriam nati Constantini. Superest de loco, & natali oppido quærere.

LX. DE LOCO NATALI CONSTANTINI. *Vitus histor. l.* QUIDAM EBORACUM NOMINANT.

Quidam affirmant Constantinum natum in Brigantum regione, & Eboracensi urbe, ducti eo argumento, quod frequens ibi Constantius, vixerit, pugnaverit, & demum mortuus sit. Camdenus, cum in ea urbe Constantium sepelivisset; ita mox loquitur. *Hic ex priore conjuge Helena, Constantinum Maximum, Romana urbis, ut est in antiquis epigraphis liberatorem, quietis fundatorem, Resp. instauratorem suscepit.* Quæ verba Richardus Vitus, è nescio quo exemplari ita vertit: *Hac in urbe* (nimirum Eboracensi) *ex priore conjuge Helenâ, Constantius Constantinum suscepit.* Quod nescio an Camdenus intellexerit. cum is sensus è superiori sententia evinci non possit. Si *Hic* pronomen, ad Constantium, cujus antea mentio, referatur: prout refert is, qui Camdenum Anglicè reddidit. Si verò adverbii loco *Hic* ponitur; sequitur è mente Camdeni, quod Vitus intellexit; Constantinum Eboraci natum. Et revera multæ Romanorum Imperatorum eò profectiones, multa ibi prælia, & Victoriæ, & fixa ferè Constantii sedes, id suadent satis probabiliter. Unde Ferreolus Locrius, in Chronico Belgico, ita scripsit: *Constantinum natus est Eboraci, Helena Britanna Imperatrice matre, anno Christi ducentesimo septuagesimo septimo, Aureliani Imperatoris quinto.* Et Thomas Bozius, de signis Ecclesiæ. *Constantinus*, inquit, *Eboraci in Britannia ortus est, ex Helenâ Britannâ, Coylli Regis filiâ, pronepos ex fratre Imperatoris Claudii.* Sed & Oratores Regii in Concilio Constantiensi pro Angliæ jure disputantes, inter cætera dixerunt. *Domus Regalis Angliæ, inter plures sanctos palmites, quos produxit; qui de facili numerari non poterunt; Sanctam Helenam, cum filio suo Constantino Magno Imperatore, nato in urbe Regia Eboracensi educere comperta est.* Oratores alii in Concilio Basileensi, natalem locum in eadem urbe distinctiùs nominarunt, dum dicunt Magnum Constantinum; (*Qui primus*, inquiunt, *Imperator Christianus, licentiam dedit per universum Orbem, Ecclesias constituere, immensa ad hoc conferens bona.*) *Pertennæ natum, in Eboracensi civitate.* Quod Ußerius explicans; *Pertennæ nomine, collegium Vicariorum, choro inservientium intelligit Bederne hodie dictum: quod olim palatii Imperatorii pars fuisse existimatur.* Illius nimirum cujus suprà meminit Eumenius Orator, cum ait: *Sacrum illud palatium non candidatus imperii, sed designatus intrasti: confestimq́; te illi paterni lares successorem videre legitimum.* Hæc de Eboraco.

Ferreol. in Chronic. *Bozius de signis l. 24. c. 3.* *Apud Ußer. fol. 990.* *V. hic n. 47.* *Eumen. pan. 9.*

LXI. ALII LONDINUM PUTANT. [a] *Camden. in Trinob.* *Ußer. fol. 976.*

Alii Londinum nominant, Constantini natalem locum: ut Guilielmus Stephanides in Londinensis urbis descriptione. fortè quia, [a] *rogatu Helenæ matris primùm mœnibus è lapide structili, & latere Britannico Constantinus urbem obsepserit*, ut habet Camdenus. Id quoque ab Helena factum tradunt Henricus Huntindonius, & Simon Dunelmensis. Quod & *Helenæ nummi, sub mœnibus sæpè reperti videntur confirmare*, inquit Ußerus. Sed quoniam de nuptiis agitur. Helenæ virginis & Britannorum Principum ineunda potiùs ratio est, quàm militis Constantii. Ideo putavi semper modestiùs esse; Constantium ad Helenam, quàm nobilem & illustrem virginem, ad castra amandare. Dico igitur. Helenam, vel apud Regnos, vel certè apud Trinobantes, natam, Constantinum in paternâ domo agri Essexiensis, & Colcestriæ urbe hoc anno peperisse. Dixi Helenam fortè apud Regnos natam: quia suprà parentem etiam in Regnos principatum habuisse dixi. & semel inveni: *Helenam Rheaviensem* appellari, apud Eutychii Origenes: quas nuper Seldenus edidit. ubi hæc leguntur: Hæc sunt *Nomina Patrum sanctorum trecentorum octodecim, qui congregati sunt in urbe Nicæna, in Prætorio Constantini Imperatoris Augusti, & Fidelis: qui professus est religionem Christianam* (*filius Sanctæ Helenæ Rheaviensis à Deo O. M. adjutus.* Ita ex Arabico transtulit Seldenus: non quod *Rheaviensis* expressè diceretur. sed *substituimus nos* (inquit) *Rheaviensis, soni Arabici vestigia prementes. sed interim loci, unde sic dicatur, planè nimis ignari.* pergit Author ex Eutychio Patriarcha referre, quod ipse de Constantio Constantini patre scripserat, & Helenæ patria, hæc nimirum: *Constantius profectus est in Regiones Mesopotamiæ* (sed vox Arabica, *tum Insulam, tum terram interamnem significat*, inquit Seldenus) *& Rheam, & diversatus est in vico, ex vicis Rhea, cui nomen Caphar Phecar: ubi conspexit fœminam venustam, & perpulchram nomine Helenam: quæ & educata est à Barsica Episcopo Rhea, & edocta legere scripturas. Hanc Constantius parentum consensu sibi desponsatam, & in uxorem ductam, gravidam fecit. Dein verò Byzantium rediit. Et peperit Helena puerum, vultu decorum, modestum, ingeniosum, minimè malum. Is Constantinus erat, qui Rheæ educatus Philosophiam didicit Græcorum.* Cum hæc ex Eutychio Seldenus recitasset, ingenuè subdit: *Ubinam hæc Rhea, ego me nescire fateor.* Plures tamen urbes in alio orbe, enumerat, Rheæ

V. an. 247. 2. CUR RHEAVIENSIS HELENA? *Apud Origenes Eutychii fol. 90.* *Seldon in Comment. fol. 179.*

ſonum vel ſimulacrum referentes: quas planè putat ab Eutychio non intentas. Ego verò non ſum is, qui poſt doctiſſimum virum, & in antiquâ literaturâ, linguiſque verſatiſſimum, lucem rebus obſcuris afferre poſſum. Sed quia magnis ingeniis peregrina placent: & ibi magis, quàm domi voluptuantur: fortè Platonis inſtar, cælum ſtellaſque curioſiùs contemplantes, in terram, quam pedibus terunt, cæcutientes impingunt. Ego igitur, Oriente relicto, ſuſpicor Britanniæ urbem intelligi: & Rheam non alibi, quàm in Meſopotamia, & Inſula noſtra, quærendam: nec erit difficilis inquiſitio: quia in Regnorum noſtrorum provincia, Rhie eſt oppidum, oppidò celebre, eſt & Rhiegate; in quibus nominis Regnorum reliquias ſupereſſe putaverunt aliqui quos refert Camdenus. Hos populos, qui olim Regni, à Ptolomæo Ῥῆγνοι dicebantur, Helenæ parens æquo jure cum Trinobanobus regebat. non tamen dico Britannorum tempore, quo Helena naſcitur, Rheam urbem ita appellatam; ſed aſſero Eutychii tempore (floruit ſub initium decimi ſæculi) ita dictam. Nec video quid contra dici poſſit; niſi quod Eutychius putaverit Rheæ inſidias Conſtantino ſtructas, cauſam ei Byzantium fugiendi dediſſe: aut Rheam noſtram Epiſcopi ſedem non fuiſſe. Verum cùm in Arelatenſi prima Synodo Adelfius ſcribatur Camaloduni Epiſcopus, ut infrà an. 314. conſtat plures per Inſulam ſedes fuiſſe de quibus in Authoribus noſtris nulla mentio. ſed miſſis his,

Camd. in Surrem.

LXII. COLCESTRIÆ CONSTANTINUS NASCITUR.

Redeo Colceſtriam: Ibi natum Conſtantinum communior habet opinio. quæ hac ratione firmatur. Tum demum moris erat Romanis Imperatoribus, in Septentrionem & Caledonios pugnare; cum cætera Inſula potiti, auſtralem populum, ſubjectum imperio continebant. Quoties autem populus ille ſecedebat, nolens tributo imperium agnoſcere; illis primum domitis, porrò in Septentrionem pergebant, murum contra Caledonios, vel munientes vel defenſantes. Conſtantius ſuperiore anno in Britanniam deſcenderat, non Mæatas & Caledonios, auſtralibus Britannis, ſed Britannos hoſce Romanis ſubditurus. Tunc Coellum, Colceſtriæ Ducem, & Principem in Auſtralibus virum, convenit: cum eo de fœdere, & tributo, & ſolitâ ſubjectione tractavit: Tum domo ejus Regiâque in Trinobantibus exceptus, ibi demum vidit, & amavit Helenam. Quorſum ergo extractam inde ſponſam, è proprio lare, è ſinu parentum, inter lituos & claſſica ad auſteriorem Septentrionem, periculosè deducimus. Addo, quod doctè obſervavit J. Lipſius: nulli hoc tempore motus, nullæ in Septentrione turbæ, Conſtantii præſentiam, aut militarem manum poſtulabant. & celebris illa Conſtantii expeditio in Eboracenſem agrum, quæ Richardum virum, & plures alios, nec annos, nec tempora diſtinguentes, fefellit; ſub finem vitæ ejus, & poſt annos triginta contigit. Quod igitur, eò iverit, ibi pugnaverit, & ibi demum mortuus ſit; imbecillior conjectura eſt; nec probat Helenam, amœniſſima regione relictâ, in rigidius cælum profectam, Conſtantinum in Septentrione peperiſſe. Quod ſi Helena Colceſtriam mœnibus cinxit, ut affirmat Huntindonius: tam illi, quàm filio, natalem locum fuiſſe veroſimile eſt. Certè Poëta non videtur dubitaſſe, cum dixit:

Viṡus l. 5. ſ. c. & l. 6. usu 10.

Effulſit Sidus vitæ Colceſtria lumen:
Septem climatibus lux radioſa dedit.
Sidus erat Conſtantinus, decus Imperiale:
Servit huic flexo poplite Roma potens.

Neckamus apud Camd in Colceſt.

LXIII.

Hanc urbem Antoninus in Itinerario vocat Romanorum coloniam: & inde tam urbis, quàm Colni fluminis, locum alluentis appellatio, ut ſuprà adverti. Quoniam verò dictus fluvius, priùs, quàm in Oceanum ſe exoneret, efficit litus non ſemper idem: & ſinuoſis quandoque anfractibus Oceanum ingreditur: quæ loca Drepana paſſim dici, poſt Ortelium notat Juſtus Lipſius. Hinc Britannus fortè aliquis, novarum vocum cupidus, & græcè doctus; Colceſtriam in Trinobantibus, Drepanum Britanniæ, naſinè dixit. ibique natam Helenam quod ægrè ferens græcus quiſpiam, & Conſtantinum ambiens. non Drepanum Britanniæ, ſed Drepanum Bithyniæ legendum, definit. Nec ſe putavit omninò inſanire, quia Drepanum Bithyniæ, Helenopolim appellatam legerat: neſciens, vel diſſimulans, ita dictam: cum lapſam urbem Conſtantinus reſtituit, ornavitque ſplendidè; ut ſacra Luciani martyris oſſa (quod parens Helena admodum cupiebat) cum honore ibi conderentur. Quemadmodum olim dirutum ſepultumque in ruinis ſuis Byzantium, ſuo fecerat redivivum nomine. Unde ſuam parentiſque memoriam, eo monumento æternam volebat eſſe ut ſuprà dixit Sozomenus: qui cum aliam appellatæ ſic urbis cauſam non adferat: innuit Helenam omninò ibi peregrinam fuiſſe.

V. an. 109. — *V. hic n. 49.*

LXIV. CONSTANTINI PROPENSIO ET INDOLES.

Igitur ex Helenâ lectiſſima fœmina, & Chriſtiana Fide imbuta, naſcitur hoc anno in Britannia Conſtantinus: qui poſtmodum veræ fidei radios, quos in orbe noſtro primùm aſpexerat, hauſit ipſe, ſparſitque in Oriente. nam à teneris annis, & ab ipſo lacte, Chriſtianæ religionis notitiam habuiſſe affirmatur. Ita Paulus Diaconus, Eutropium ſequutus ſcripſit. *Erat*, inquit, *cum ipſo Diocletiano Conſtantinus; qui cum adhuc valdè juvenis eſſet, fortiter agebat in prælio, & cum Chriſtianis ſentiebat. Quem intuens Diocletianus, intellecto animæ & corporis robore; atque ingenio, circa eruditionem proficere: & deprehendens hunc futurum tyrannidis & ejus dogmatum deſtructorem, invidiâ ductus, dolo perimere ſatagebat.* Ita ille. non quod tum Chriſtianus eſſet: ſed quod è Chriſtianâ parente natus, in Chriſtianâ provinciâ educatus, Chriſtianæ pietatis ſpecimen præſeferebat. Porrò, cum Diocletianus è juvene Conſtantino, & ejus corporis lineamentis, collegerit animi ingeniique dotes: ſubjiciam hoc loco, de formâ & elegantiâ corporis, quæ habet Euſebius. *Erat*, inquit, *ille, corporis compoſitione ad pulchritudinem aptâ; & ſtatura, ut ætas tulit, proceritate, nemo cum illo comparari potuit. Et virium etiam firmitate, tantum ſuperavit æquales, ut illis non nihil terroris injiceret.* ſi *Britanni* (ut ſcribit Strabo) *Gallos proceritate ſuperant*: ſi Septentrio ad pulchritudinem aptior Oriente: quia frigore temperatus ſanguis non aduritur, aut nigreſcit, ſed ut habet experientia, tepet magis, adeoque venuſtiùs rubet: Pulcher, & procerus Conſtantinus, patriam ferè prodit. Sed & Euſebius, qui cum iterum, iterumque à proceritate commendat: innuit formam illam corporis Orienti peregrinam eſſe. Nec Nicephorus laudem illam diſſimulat. *Fuit Conſtantinus*, inquit, *formæ decore, nemini ſecundus. Et cum gratioſus maximè*

Paul Diac. l. 10 c. 42. — *Euſeb. l. 1. c. 13.* — *Nicepho. l. 6. c. 55.*

fuit; tunc decentia ipsi magnificentiam conjunxit. statura quoque corporis spectabundus, colore corporis rubicundus. minus densum habuit capillum, eumq; flavescentem: barba mediocriter tenuis, & rara. oculi quales virum decent, & placidi, ex quibus mirifica emicabat gratia, auctioresq; illi & grandiores: nasus subaduncus, cui carnosum quiddam insidebat: facies ipsa latior, & magnanima admodum. Hæc ille. Unde Panegyrici, veritatis metam parùm egressi sic Constantino adulantur. *Constantini tam pulchra est forma, quam certa divinitas.* Et iterum. *Cum tu, Constantine, sis juvenis, & latus, & salutifer, & pulcherrimus Imperator.* meritò igitur dixerunt sapientes: *Naturam ipsam magnis mentibus, domicilia corporum digna metari.* Quæ omnia Britanniæ magis, quàm Græciæ aut Orienti favent.

Paneg. 9.

LXV. Euseb. l. 1. c. 13. Virtutes animi.

Finio, si animi virtutes paucis aperuero: *Quibus* (teste Eusebio) *multo magis, quàm corporis ornamentis, nobilitatus est. Quippe modestia primùm suum decoravit animum: deinde politiori literaturâ: tum prudentiâ, à naturâ propè insitâ. Ad extremum sapientiâ divinitus animo consignatâ, tanquam alimentis quibusdam eximiè educavit.* Sunt enimverò virtutes hæ principibus viris necessariæ: & sine quibus naturæ bona, aut incompta, aut horrida, despectui sunt. Et quidem, quod ad modestiam spectat, cujus primo loco meminit; cum gentiles plurima Constantini ornamenta admirati sint; nihil tamen magis quàm ingenuum pudorem continentiamque efferunt. Nazarius cum Maxentii scelera & libidines recensuisset, ita de Constantino. *Iam illa vix audeo de tanto Principe commemorare: quod nulla matronarum, cui forma emendatior fuerat, boni sui paenituit, cum sub abstinentissimo Imperatore, species luculenta, non incitatrix licentiæ esset, sed pudoris ornatrix. Quæ sine dubio magna, seu potius divina laudatio: sæpe in ipsis etiam Philosophis, non tam re exhibita, quàm disputatione jactata. Sed remittamus hoc Principi nostro qui ita temperantiam ingenerare omnibus cupit: ut eam non ad Virtutum suarum decus adscribendam, sed ad Naturæ ipsius honestatem referendam arbitremur.* Ita ille. cui si addideris, quæ habet Eusebius: *Quod ob hanc potissimum causam a Deo missus* (in Orientem) *fuerit, ut omnes homines temperantiæ legibus institueret* (de quo plura inferius) facilè Lector colliget, Constantinum Drepani inter sordes natum non esse: sed potius Helenæ Britannæ fœminæ, honestissimæ matris, genuinum partum.

Nazar. pan. 7.

Euseb. l. 3. c. 30.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1027.

ANNUS CHRISTI 276.

EUTYCHIANI PAPÆ 2.

AURELIANI IMP. 6.

Sequitur Christi annus ducentesimus septuagesimus sextus, Aureliano tertiùm, & Marcellino Consulibus: nec alia re clarus, nisi placet Aureliani Imperatoris exitum, ad hunc, vel superiorem annum referre: quod aliqui satis confidenter affirmant. Sed à Baronio hic refelluntur. nec ego super eo litem movebo.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1028.

ANNUS CHRISTI 277.

EUTYCHIANI PAPÆ 3.

AURELIANI IMP. 7.

Anno Christi ducentesimo septuagesimo septimo, Probo, & Paulino Consulibus: Manetis hæresis innotuit, & digna sanè ut innotescat. Negabat ille sanctorum reliquias colendas esse: Christianos insectatus, quod Martyres ut Deos colerent, eorumque festos dies. Sed fraudem aperit, & calumniam diluit † Sanctus Augustinus, cultum Dei, ab eo, quo amici Dei coluntur cultu, eleganter distinguens. Unde Baronius: *Probe vides Lector*, inquit, *quem habeant Patriarcham, qui sanctorum cultum, venerationemq; sacrarum reliquiarum detestantur. Tali ipsi sane, tantoq; glorientur authore: Et Ecclesiæ columen Augustinum, sanctorum cultum probantem, ac defendentem condemnent. Atque sic Manetu paracleto se glorientur afflatos.* Ita ille.

Manes innotescit et Sectarios ducit-que. † Augustin. cont. Faustum l. 20. c. 21. & l. 32. c. 11. 12. Baron. hic n. 40.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1029.

ANNUS CHRISTI 278.

EUTYCHIANI PAPÆ 4.

TACITUS IMPERAT.

I. Aurelianus occiditur.

Anno qui sequitur ducentesimo septuagesimo octavo: cum Probus & Paternus, secundo Consules essent, Aurelianus Imperator vivere desiit, dum Byzantium inter & Heracleam iter faceret, à militibus occisus. impiæ crudelitatis in Christianos pœnas dedit: quod Constantinus imperium adeptus eidem exprobravit in oratione quam ad Sanctorum cœtum habuit: *Tu etiam, Aureliane*, inquit, *omnium scelerum incentivum: cum tu Thraciam, quasi aperto Marte, & insana mentis impetu ferebaris: in media via cæsus, orbitas in via impressas, impio cruore implevisti.* Fuit ille nonæ persecutionis author; & tam Occidentalis, quàm Orientalis Ecclesia, eo imperante, gemuit. Sola Britannia immunis fuit, quia sub exordia imperii Romanum jugum excusserat: & postea Constantius, qui Helenam duxit, à Christianâ fide non abhorruit.

Orat. ad sanctorum cœtum c. 24. apud Euseb.

II. Tacitus imperat.

Aureliano mortuo de successore deligendo, diu disceptatum. Exercitu primùm Senatui, Senatu verò creandi Principis prærogativam cedente exercitui. Tandem Tacitus à Senatu appellatus est Imperator, nulla re magis, quàm moderatione memorandus. Qui filios, aut fratrem, in societatem imperii assumere noluit: ratus Principi gloriosum esse Remp. magis amare, quàm se suosve.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1030.

ANNUS CHRISTI 279.

EUTYCHIANI PAP. 5.

PROBI IMP. 1.

I. Tacitus moritur, succedit Florianus, et occiditur. Probus imperat. *Vopisc. in Floriano. c. 1.*

ANNO Christi ducentesimo septuagesimo nono, Tacito Augusto secundùm, & Fulvio Æmiliano Consulibus. Idem Tacitus, exacto imperii mense sexto, imperii, vitæque finem vidit. Tunc Florianus ejus frater, nullo expectato Senatusconsulto imperium sibi veluti hæreditarium invadens, vix duobus mensibus tenuit: occisus & ipse à militibus; ut Probo locum, & purpuram magis merenti faceret. *Tantus autem Probus fuit* (inquit Vopiscus) *in re militari: ut illum Senatus optaret, miles eligeret; ipse populus Romanus acclamationibus peteret.* Mœrebant enimvero Romani cives, cum paucorum mensium spatio tres Imperatores cernerent, purpurâ, vitaque exutos: Taciti & Floriani statuis fulmine disjectis. Cum Reip. ac imperii finem scilicet formidassent; nisi aruspices, consultis idolis suis, eos hoc responso erexissent. *Quandoque ex eorum familiâ, Imperatorem Romanum futurum: seu per fœminam, seu per virum: qui det judices Parthis, & Persis: Qui Francos & Alemannos sub Romanis legibus habeat: Qui per omnem Africam, barbarum non relinquat. Qui Taprobanis Præsidem imponat. Qui ad* ROMANAM INSULAM *Proconsulem mittat: Qui Sarmatis omnibus judicet: Qui terram omnem, quâ Oceano ambitur, captis omnibus gentibus, suam faciat. postea tamen Senatui reddat imperium: & antiquis legibus vivat: ipse victurus annis centum viginti, & sine herede moriturus. Futurum autem eum, dixerunt, à die, fulmine præcipitatæ, statuisq́ confractis, post annos mille.* Ita refert responsum Vopiscus.

Vopisc. suprà c. 2. Aruspicum oracula.

II. Exponuntur.

Nescio an humani generis hostis, visâ Constantini indole, genioque quem suprà descripsi; veris falsa miscendo collegerit, non tam Romani imperii, quàm suæ tyrannidis finem ac terminum. Constantinus certè paulo posteriùs, ad antiquas leges; nimirum ad unius verique Dei cultum orbem reduxit. Ille Byzantii imperii sedem figens, Romanum Imperium Romano Pontifici, & Christiano Senatui permisit. Ille Francos & Alemannos domuit. Ille denique ad Romanam Insulam (Britanniam intelligi certum est) Proconsulem misit: cum creatis per Romanum imperium Præfectis prætorio quatuor, Britanniam Galliæ subjecit. Unde Britanniæ Proprætor, sive Proconsul dictus; & Galliæ appellatione, omnis præfectura, & Insula etiam comprehensa. Responsi reliqua, phaleræ sunt, & dæmonis fraudes, superstitiosa futurorum expectatione, infidelium animos suspendentis. Gordonius ad hunc annum, seditionem narrat Proculi, & Bonosi, qui Britannias secum traxere. nos de illis agemus paulo inferiùs.

V. an. 281. n. 2.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1031.

ANNUS CHRISTI 280.

EUTYCHIANI PAPÆ 6.

PROBI IMP. 2.

I.

SEQUITUR Christi annus ducentesimus octogesimus, Messala Gratoque Consulibus: quo Sanctus Melanius, Rhotomagensis Episcopus; quem suprà à Stephano Papa baptizatum, & sequenti anno ad majus Sacerdotium assumptum dixi; piè in Domino moritur, ad vigesimum secundum Octobris. ut habet Anglorum Martyrologium. Sed & Romanum eodem die ita canit. *Rhotomagi Sancti Melanii Episcopi, Qui à Sancto Stephano Papa ordinatus; illuc ad prædicandum Evangelium missus est.* Ad quem locum ita notat Baronius. *Fuit hic secundus ejus loci Episcopus, subrogatus Sancto Nicasio, ut habent tabulæ Episcoporum ejus Ecclesiæ, quas descripsit Democharus.* Aliqui hunc Mellonem corrupto vocabulo appellant. De eo Vincentius l. 11. c. 74. Petrus in Catalo. l. 9. c. 93. & alii. Ita ille. Quod verò dicit corrupto vocabulo Mellonem appellatum: puta, vernaculum fuisse, ac magis genuinum. nam ita passim audit in Authoribus nostris. Gallicanum etiam Martyrologium, & Ecclesia cui præfuit, illum eo nomine coluisse videntur. nam Andreas du Saussay ad vigesimum secundum Octobris hæc habet. *Ipso die Rhotomagi secunda Lugdunensis Metropoli, Sancti Mellonis Episcopi & Confessoris. Is ortu Britannus, cum Romam patriæ tributum soluturus venisset; Stephanum Pontificem, indeque Martyrem: de Redemptoris adventu, & peractâ per eum in Cruce salute, Fideq́, & spe Christianâ, disserentem audiens; divinâ illustratus gratiâ, baptismum ab ipso poposcit & suscepit.* Pergit Author narrare; ut à Stephano in Clerum ascitus, & majori Sacerdotio mirabiliter auctus, Rhotomagensem Sedem regendam susceperit: quæ suo loco retuli, ad annum Domini ducentesimum quinquagesimum secundum: ubi quæ reliqua sunt vitæ ejus, ad hunc annum rejeci. Sicque in Gallicano Martyrologio recitantur, Annalibus digna.

V. an. 257. & 258. *Martyrol. Anglican. 22. Octob.* *Roman. 22. Octob.* Moritur Sanctus Melanius. Eius Elogium.

II. *Gallica. Martyrol. 22. Octob.*

Antisiodoro digressus Sanctus Mello: ne Spiritus Sancti missioni moram necteret, Rhotomagum rectâ contendit: ubi divinum opus aggressus, Christi nomen incolis prædicare cœpit, tantâ vi sermonis, & signorum magnificentiâ; quam admirabilis augebat vitæ sanctitas; ut brevi dierum decursu, omnem penè civitatem in fidei obsequium traduxerit. Maximè, ex quo die, cum populus, falso cuidam numini, nefando sacrificio incumberet: superveniens Mello, igni cælesti exæstuans, acriter insanam turbam, de cæcitate arguit: quæ stipitem Saxumq́, pro Deo coleret; simulacrumq́, Christi nomine invocato, & efformato Crucis signo triumphali, illico deturbavit: atque solo verbo, in omnium conspectu minutas in partes dissolvit. Attonitus hoc spectaculo populus, monenti aurem præbuit: veræ divinitatis agnitionem, & spem immortalis vitæ, ex ipsius immaculato cultu, annuntianti. Ingenti igitur civium multitudine, fidei dogmatibus imbutâ, sacroq́, tinctâ lavacro: ibidem unde dæmonem extruserat; Christo Servatori Mello primum trophæum erexit: conditâ Ecclesiâ, sub supremæ Trinitatis invocatione. In quâ convocatum, quâlibet die Dominicâ populum, divino in cultu

Signo Crucis in idola pugnat.

erudiebat:

erudiebat: Sacrificium incruentum offerebat; ac salutis subsidia suis ovibus impertiebatur. Ac cum gregi Christi indies numerosa fieret accessio; externiq; negotiatores, etiam divino verbo se audientes praeberent: in eorum gratiam, aliam sanctus Antistes sacram aedem in Insula, quò locus sacro conventui opportunior esset, construxit: cui Sancti Clementis indidit nuncupationem. Tertiam etiam superaddidit; ut confluentium ad Christi signa ardori satisfaceret: quam sanctæ Virginis Deiparæ venerationi sacravit. In quâ, & Presbyterio constituto, Episcopalis sedis primordia iniit. Denique cum annis plerisque Apostolico muneri institisset, animarumq; myriades, Christo, verbi salutaris semine, vir beatus peperisset, jam Dominica militia veteranus, aeternam in requiem concessit: donativumq; à caelesti Imperatore; cui strenuè, diuq;, cum magnâ gloriâ servierat, meritum condignum percepit. In suburbio autem tumulatus est, eâ in cryptâ; cui deinde Sancti Gervasii Ecclesia superposita fuit, digno scilicet Mausolaeo. E quo tamen, furente Danorum exitiali exercitu, interiorem in Galliam delatum sacrum ejus corpus, apud Pontesiam castrum reconditum est. ubi etiamnum, magnâ cum nominis celebritate quiescit; in sui nominis basilicâ, quam splendor divinæ virtutis, tanti athletæ memoriam illustrans, jam olim excitavit. Hactenus de eo Gallicanum Martyrologium.

Sancte quiescit.

III. Corollaria.

Habes Lector Britannorum Ecclesiæ singulare ornamentum. habes & eorum fidei elegans compendium: quod sic è supradictis colliges. Mello, Lucii Regis exemplo, Romæ fidei Christianæ rudimenta petiit, quia fons ibi, quàm alibi defæcatior: Ibi Romano more à Romano Pontifice baptizatus, Cruce munitus, incruenti sacrificii particeps factus. Inde ordinatus Episcopus, Dei & Romanæ Sedis gratiâ, Rhotomagensem Sedem accepit. Templa Deo, & Sanctissimæ Trinitati, posuit: memoriam in illis, cultumque Deiparæ, Clementis, aliorumque stabilivit. Altaria consecravit: & incruentum corporis Christi sacrificium obtulit. Docuit hæc omnia Rhotomagensem populum, probavitque miraculis: Denique in eâ Fide hoc anno mortuus; meritis, & sanctitate magnus, ac orthodoxæ Fidei testis integer, per annos mille & trecentos habitus est. Idque non Britannorum modò Ecclesiæ testimonio: sed Romanorum, Gallorum, & orthodoxorum omnium. Author vitæ ejus apud Capgravium, hæc de illo breviter habet. *Mello Rhotomagum veniens, & ministerium suum fideliter implens, multis virtutibus. & miraculis clarus in pace quievit.* Breviter etiam Baronius, ad annum Christi ducentesimum sexagesimum, cum vocat: *Melanium Rhotomagensem Episcopum sanctitate celebrem*, ut suprà dixi, cum consecratus est Episcopus.

V. an. 258. 2.

IV.

Ad nostrates Episcopos quod attinet, nihil habeo dicere; adeo tenebris involuta sunt omnia. Et quæ Jocelinus, è nescio quibus latebris, nomina in lucem protulit, sine ullâ rerum ab eis gestarum notitiâ, adeo nuda sunt, & minimè distincta temporibus suis; ut meticulosè Annalibus inserenda sint. Sextus qui ponitur in Londinensium Episcoporum ordine, Paludius, quem ad annum ducentesimum sexagesimum tertium supra conjeci sedisse; hic iterum conjicio mortuum, & illi successisse Stephanum; de quo, cum nihil præter nudum nomen nobis reliquum sit, non audeo dicere, cum post sexcennium unà cum Albano, martyrio coronatum: Licet constet illi cognominem, in Diocletianæâ tempestate, pro Christianâ fide mortuum. Cæterùm Stephanus Londinensis Episcopus, inter Sanctos ponitur in Anglicano Martyrologio ad duodecimum Augusti, diciturque ibi octavus in Londinensium Episcoporum serie. ego tamen septimum voco. Et quia sine Martyris prærogativâ ponitur: distinctus putatur ab eo, qui prærogativam illam obtinuit.

V. an. 263. n. 3.

Moritur Paludius Londin. Episcop.

Succedit Stephanus.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1032

ANNUS CHRISTI 281.

EUTYCHIANI PAPÆ 7.

PROBI IMP. 3.

I. Bonosus et Proculus Purpuram præsumunt.

ANNO Christi ducentesimo octogesimo primo, Probo Augusto quartùm, & Tiberiano Consulibus: cum Probus Imperator, rem in Galliâ feliciter composuisset, cæsis hostium millibus quadringentis, ut ipse datis ad Senatum literis gloriatur. Bonosus quidam: *Origine Britannus*, inquit Vopiscus, *Romanorum classi, quæ in Rheno erat, præfuisse videtur. Illâ, seu casu, seu dolo incensâ, timuit Bonosus Imperatoris iram: eoq; absente, Purpuram, & Imperatoris nomen accepit. & Britannias, Hispanias, & Bracchatæ Galliæ provincias, barbaris ipsum juvantibus, unà cum Proculo, vindicavit:* ita Vopiscus, qui alibi dicit: *eum Imperium diutiùs tenuisse, quam merebatur.* Britanniæ igitur hoc tempore sub Bonoso gemebant. nam Constantius, Britannicâ Legatione functus, Romamque reversus, Dalmatiæ Præses efficitur. Cujus absentia factum, ut tyranni provinciam lacerarent. Quod ad defectionis tempus spectat, Gordonius illud refert ad annum ducentesimum septuagesimum nonum: quem secundum consignat imperantis Probi: & demum Bonosum, à Probo, hoc anno ducentesimo octogesimo primo, victum & occisum refert. Quicquid sit, non admodum diuturnum imperium habuit qui sequenti saltem anno moritur.

Vopiscus in Bonoso c. 24.

Idem in Probo c. 18. Idem in Bonoso.

Vopiscus in Caro & Carino. c. 17.

II. Quis fuerit Bonosus?

Vopiscus in Bonoso.

De Bonoso ita scribit Vopiscus: *Bonosus domo Hispaniensi fuit, origine Britannus, Gallâ tamen matre. militavit primum inter ordinarios; deinde inter equites: duxit ordines, tribunatus egit, Dux limitis Rhætici fuit: Bibit quantum hominum nemo. De hoc Aurelianus sæpè dicebat. Non ut vivat natus est, sed ut bibat. Quem quidem diu in honore habuit, causa militiæ. nam si quando legati barbarorum, undecumque gentium venissent, ipsi propinabantur; ut eos inebriaret; semper securus & sobrius. & ut Onesimus dicit scriptor vitæ Probi, adhuc in vino prudentior.* ita ille. Hic variæ originis homo, apud Agrippinam, quæ tunc Galliæ pars censebatur, imperium arripiens, negotium Probo dedit: à Proculo, tyrannorum altero, adjutus.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1033.

ANNUS CHRISTI 282.

EUTYCHIANI PAPÆ 8.

PROBI IMP. 4.

I. BONOSUS EXTINGUITUR.

ANNO ducentesimo octogesimo secundo, Probo Augusto quintùm, & Victorino Coss. Ipse Probus, victoriis insignis, Bonosum & Proculum, qui tyrannidem usurpaverant, debellasse, & unâ recepisse Britannias creditur. In Bonoso superando difficultas fuit. Sed cessit tandem perfidia: & bibacissimus homo, cui domestica dialecto vivere, bibere erat, fœdo exitu extinguitur. *Nam longo graviq; certamine* (inquit Vopiscus) *à Probo superatus laqueo vitam finivit.* non alio dignus epitaphio, quàm quod joco factum vulgus jactabat: *Amphoram pendere non hominem. Duobus, quos reliquit, filiis Probus pepercit; uxore etiam ejus in honore habitâ, & ad mortem usque salario præstito.* Fuit illa è nobili Gothicæ gentis familiâ, *fœmina singularis exempli. Quam Aurelianus Bonoso uxorem idcirco dederat, ut per eum à Gothis cuncta agnosceret. Extant ejusdem Aureliani literæ ad Legatum Thraciarum datæ, de nuptiis illis, donisq; nuptiarum causâ donatis, quæ ita inscribuntur.*

Vopiscus in Bonoso.

AURELIANUS AUGUSTUS SALONIO AVITO.

Salutem.

Apud Vopiscum in Bonoso.

SUPERIORIBUS literis scripseram, ut optimates Gothicas, apud Corinthum, collocares, decretis salaris: non ut singula acciperent: sed ut septem simul unum convivium haberent. Cum enim divisa accipiunt, & illæ parum sumunt & Respublica plurimum perdit. Nunc tamen quia placuit Bonoso Hunilam dari, dabis ei juxta breve infrascriptum omnia quæ præcipimus. Sumptu etiam publico nuptias celebrabis. Brevis munerum fuit. Tunicas palliolatas hyacinthinas subsericas. Tunicam auro clavatam subsericam bilibrem unam. Interulas dilores duas, & reliqua quæ matronæ conveniunt. Ipsi dabis aureos Philippeos centum, argenteos Antoninianos mille, æris sestertium decies. Ita literas & munera refert Vopiscus.

II. NOVÆ TURBÆ IN BRITANNIA.

Amoto Bonoso, novæ res in Britannia Probum exceperunt. Ibi provinciam administrabat quidam, quem Victorinus Maurus Probo commendaverat. nomen ab antiquioribus non proditur: Camdenus noster, & Spedus post eum, Cl. Cornelium Lælianum fuisse suspicantur. Unde iterum suspicio potest esse, eundem cum illo fuisse, qui anno ducentesimo sexagesimo primo votivam tabulam posuit in Ottadinis, quam ibi exscripsi. Ille igitur Probo Imperatore, multis bellis occupato, tyrannidem invasit. Quod ægrè ferens Imperator, Victorino indignatus est: & in ejus proculdubio caput perfidiæ crimen incidisset, nisi egregio facinore is illud diluisset. Rem gestam ita narrat Zosimus. *Sopivit Probus*, inquit, *& aliam seditionem in Britanniâ concitatam, per Victorinum natione Maurum: cujus suasu perduellem Britanniæ præsidem fecerat. nam cum ad se Victorinum accersivisset, eumq; de consilio reprehendisset: delictum illud correcturum ablegat. Victorinus in Britanniam statim profectus, solerti commento perduellem interficit.* Ita Britanniæ, extinctis Tyrannis, ad tempus quievere: & Victorinus fidem probavit.

Zosimus l. 1.

III. VITES IN BRITANNIA.

Sub idem tempus Probus Imperator, ut provincias omnes in fide contineret. † *Gallis omnibus*, inquit Vopiscus, *Hispanis & Britannis permisit ut vites haberent, vinumq; conficerent.* Potuit hoc sanè Hispanis, Gallisque beneficii loco esse: Britannis non ita. quibus meliori compendio vina, & vites vicinæ provinciæ propagant. Unde Camdenus, cum Hamtoniensem agrum lustrat, mansionem quandam describit nitidissimam, à vitibus denominatam. *Has*, inquit, *in Britannia, à Probi Imperatoris tempore, umbraculi magis, quàm fructus gratiâ, habuimus.* hæc ille: Qui alibi rationem reddens, cur non maturescant: *Solem*, inquit, *è Leone egressum frigidiuscula aura, in hoc nostro climate excipiunt: & pomeridiani in autumno calores, dilutiores sunt, & breviores, quàm quæ maturitatem uvæ perfectam in Hibernia, & Britannia nostra afferre possint.*

† *Vopiscus in Probo c. 10.*

Camden. in Belgis.

Camden in Hibernia descrip.

IV. SEDITIOSI IN BRITANNIAM A PROBO ABLEGANTUR.

Non absimile huic beneficium Britannis fecisse Probus dici potest: cum tumultuantes alibi populos, in hanc Insulam ablegavit. Quod ita Zosimus exponit, ad hunc, opinor, annum referendum. *Probus*, inquit, *cum Burgundorum Vandalorumq; copiis dimicavit. Cumq; multum numero, suum diminui videret exercitum; partem quandam ab hostibus avellere cogitabat: & cum eâ prælio decertare. Quæ in re consilio Imperatoris fortuna non defuit. Quippe quod exercitus ambo fluminis utramque ripam occupassent, barbaros in adversâ ripâ castra metatos, ad pugnam Romani provocabant. Hac illi re, quasi per iracundiam perciti, quotquot fanè poterant, transjiciebant: signisq; collatis, barbari partim cædebantur; partim vivi in Romanorum potestatem veniebant. Reliqui, cum pacem eâ lege petiissent; ut prædam cum captivis, quos habebant, redderent. Impetrato quod postulaverant, non omnia restituerunt. Quamobrem indignatus Imperator, discedentes adortus, merito supplicio multavit: ipsis trucidatis, & Igillo duce capto. Quotquot autem vivos, in potestatem redigere poterat, in Britanniam misit. Qui sedes in ea Insula, nacti; cum deinde seditionem aliquis molitus esset, utiles Imperatori fuerunt.* Hæc Zosimus. Sed nescio an utiles Romanis fuerint. nam illi ipsi, quos Eumenius Orator Francos & barbaros vocat, post annos decem ab Alecto conducti, Romanis Imperatoribus graves fuerunt; & demum, non nisi à Constantio Cæsare superati. ut dicam infrà ad annum ducentesimum nonagesimum quartum.

Zosimus l. 1.

Eumen. paneg. ii.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1034.

ANNUS CHRISTI 283.

EUTYCHIANI PAPÆ 9.

PROBI IMP. 5.

I. PROBUS OCCIDITUR.

ANNO Christi ducentesimo octogesimo tertio, Caro, & Carino Consulibus: Cum Probus Imperator, ob deletos ubique Tyrannos Romæ triumphasset, tertio imperii anno; non multo post, *Bellum Persicum parans* (ut scribit Vopiscus) *cum per Illyricum iter faceret, à militibus suis per insidias interemptus est.* Si causam

Vopiscus in Probo c. 20.

mortis

mortis quæris: duæ memorantur. Quòd militem otiosum esse, & annonam gratis comedere non sivisset. Et quia dixerat aliquando: *Brevi milites necessarios non habebimus. quod inquieta, & factiosa capita, non ferebant.*

II. Carus Imperator. Carino Britanniæ creduntur. *Vopiscus in Caro c. 17.*

Eo extincto Carus Manlius Aurelius, è Consule, Romæ creatur à milite Imperator: & ille Carinum & Numerianum, filios, Cæsares dixit. Carino Britanniam credidit, & reliquum in Occidente: quod ipse tam impiè administravit; ut statuerit parens, eo amoto, Constantium Helenæ conjugem, *qui Dalmatiæ præsidatum administrabat, in ejus locum subrogare: quod nemo tunc vir melior videbatur*, inquit Vopiscus. Noverat Carus Constantii in Britanniam amores, ob Helenam ductam, & susceptam ibi prolem, quam cælum, & omnium bonorum vota ad imperium vocabant. Verùm Caro diuturnum non fuit imperium: & Carini impuri mores, parum Britanniæ nocuerunt. quæ Principem longè meliorem, suo in sinu educabat, fovebatque.

III. Eutychianus Papa moritur. *Rom. Mart. 8. Decemb.*

Hoc eodem anno Eutychianus Papa, cum sedisset annos octo, & menses aliquot, vivendi finem faciens martyrio coronatur, sub hujus anni finem; de quo Romanum Martyrologium ad octavum Decembris hæc habet. *Romæ Beati Eutychiani Papæ, qui per diversa loca trecentos quadringenta duos Martyres manu sua sepelivit. Quibus & ipse sociatus, sub Numeriano Imperatore, martyrio coronatus est, & in cæmeterio Callisti sepultus.* In Eutychiani locum hoc eodem substituitur Caius, natione Dalmata, ex genere Diocletiani, qui statim ad Romanum imperium assumetur.

Caius Papa.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1035.

ANNUS CHRISTI 284.

CAII PAPÆ 1.

DIOCLETIANI IMP. 1.

Carus fulmine ictus occiditur.

ANNO Domini ducentesimo octogesimo quarto, Caro Augusto secundùm, & Numeriano Consulibus: Carus Imperator Probi victorias prosequutus, dum fusis in Bello Persico hostibus, ad Tigrim castra metatur; fulmine ictus vivendi finem fecit. Carinus etiam, & Numerianus, in funus æquè ac purpuram succedunt. Ille tribuni sui manu, cujus conjugem contrectarat, post sequentem annum: iste priùs; hoc anno, Apri soceri sui, regnare cupientis, dolo occiditur. Numeriano mortuo, & Carino in voluptatum cæno penitus immerso: Diocletianus ab exercitu Imperator acclamatur, decimæ, & crudelissimæ persecutionis author. Nec enim gravior aut diuturnior procella, in Christianum adhuc nomen incubuit. ut planè appareret ultimos inferni tyranni esse conatus. Hic ille est, cum collega Maximiano, qui Britanniam quoque; cui hactenus Romani Principes pepercerant; ad defectionem, fideique ferè exterminium, ingenti in eam mota tempestate perduxit. Unde Britannorum Fides, quæ teste Beda, *ad Diocletiani tempora, inviolatâ, integrâ, quietâ pace* mansit, admodum elanguit. Id quomodo acciderit, Ecclesiarum & Monasteriorum destructione, Sacerdotum & credentium carnificina, dicam inferiùs suo loco.

Item Numerianus ab Apro socero. Diocletianus imperat. Decima Persecutio.

Beda l. 1. c. 4.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1036.

ANNUS CHRISTI 285.

CAII PAPÆ 2.

DIOCLETIANI IMP. 2.

ANNUS Christi ducentesimus octogesimus quintus, Consules habuit Diocletianum Augustum secundò, & Aristobulum: quo tempore, Carinus adhuc superstes fœdabat purpuram infamibus factis. In Galliis tamen contra Diocletianum multis præliis conflixit; satagens assumptam purpuram, & imperii titulum defendere. Sed major militum numerus, plures provinciæ, denique Romanæ urbis majestas, pro Diocletiano steterunt, confirmaveruntque imperium ejus. Unde alter cedere coactus est, & locum, & purpuram, quam malè gestaverat. Interim Britannia, quæ Carinum, & Gallias sequuta fuerat, Diocletiano accessit: & illi ceu victori Britannici cognomentum hoc anno dedit: ut patet ex inscriptione, quam recitat Baronius; & est hujusmodi: *Baron. an. 284.*

IMP. CÆS. C. VALERIO DIOCLETIANO PIO FÆLICI INVICTO AVG. PONTIF. MAX. BRITANNIC MAX. GERMAN. MAX: TRIBU: POTEST: II. COSS. II. P. P. PROCOS HONORATI, ET DECURIONES, ET NUMERUS MILITUM CALIGATORUM.

Diocletiano Britannico cognomen datur.

Ex hac inscriptione colligit Baronius, Diocletianei imperii exordium, superiori anno collocandum. tum quia in secundo ejus consulatu nulla est Maximiani mentio: tum quia Tribunitia potestas iteratur. Ego etiam colligo Britanniam ab eo domitam: cur enim aliàs Britannicus diceretur?

ANNUS URBIS CONDITÆ 1037.

ANNUS CHRISTI 286.

CAII PAPÆ 3.

DIOCLETIANI IMP. 3.

SUPERSTES adhuc erat Carinus, anno Christi ducentesimo octogesimo sexto, cum Maximus, & Aquilinus Consules creantur. Sed diu non superfuit. Cum enim hoc anno de summâ imperii, apud Murgum, inter viminatium & aureum montem, adversus Diocletianum pugnaret; à suis proditus & derelictus, tribuni sui gladio necatur. Tunc Diocletianus, eo mortuo, liberas imperii habenas nactus, M. Valerium Maximianum, cognomento Herculium Collegam adscivit, commissâ illi Galliâ: ubi Amando & Æliano Ducibus tumultuatum est. Uterque Imperator, tam qui à Jove, Jovius, quàm qui ab Hercule Herculius voluit agnosci, conspiratione factâ in Christum pugnare, fidemque ejus radicitùs extinguere, conatus est. Quod quomodo factum sit in Britanniâ; ideo latiùs exequendum: quia ibi Albanus Britannorum I.

Maximianus Herculius Collega imperii.

ALBANI MARTYRIUM.

Martyrum Princeps, expectat à me lauream, quam dudum meritus est. Et ego non differrem, si felicissimæ mortis annum, è rectâ temporis, rerumque gestarum ratione, consignatum reperirem. Sed quia varii sunt Authores, tam nostri, quàm externi; & inter se, de anno passionis ejus admodum differentes: nec ullus accuratè annum hactenus exploravit: non possum illum in Annales referre; nisi priùs Authores excussero, & inspectis rerum momentis, martyrii tempus definivero.

II. DE TEMPORE PASSIONIS CONTROVERSIA EXCUTITUR.

Baron. an. 303.

PRIMA SENTENTIA BARONII ET ALIORUM.

Sunt imprimis multi, qui in ultima Diocletiani tempora, & initium sequentis sæculi, Albanum pro Christo passum dixerunt. Viam huic opinioni fecisse videtur Cæsar Baronius; qui temporum egregius supputator, ad annum Christi trecentesimum tertium, ita scripsit. *Pervasit & Insulas ejusdem Diocletiani persecutionis impetus. Sed memoria rerum gestarum sub obscura scriptorum raritate permansit. Vixq; paucorum est notitia literis commendata, siquidem cum eadem Imperatorum edicta, in Britanniâ fuerint promulgata, vix quatuor Martyrum mentio habetur. Nempe Albani, qui pro Clerico hospite, quem persecutionem fugientem susceperat, seipsum tradens, post verbera, aliaq; acerbiora tormenta, capite plexus est.* Hæc ille. Eundem annum consignant Matthæus Westmonasteriensis, Nicolaus Harpesfeldus, Martyrologium Anglicanum ad vigesimum secundum Junii, Hieronymus Porterus in vita S. Albani, & denique Jacobus Usserius, in Indice Chronologico. Hos ego libenter sequerer, si passionis annum, rerumque Britannicarum circumstantias indagantes, sententiam dixissent.

REJICITUR.

Sed quoniam Baronius, & alii passim historici; cum quæ propriis locis assignare non possunt, in postrema plerumque rejiciant, de anno pressè nihil definientes: cum Westmonasteriensis etiam, eo anno trecentesimo tertio, ortæ à Diocletiano persecutionis, nec priùs meminerit: eumque alii sequuti, annos non distinxerint: nullo me cogunt argumento, in eorum sententiam ire, & Albani martyrium in sequens sæculum rejicere: ideo præsertim, quia multa me cogunt dissentire; ut infrà patebit: unum hoc loco pro multis sufficiat: Constantii tunc in Britannia regnantis lenitas, & amor in Christianos: sub quo nullus unquam pro fide passus, ut omnes planè Authores, qui Constantii meminerunt, affirmant.

III. SECUNDA SENTENTIA QUAM BROUGHTONUS COMMUNEM VOCAT.

Annales Winton.

Alii itaque, ad priora Diocletiani, & Maximiani tempora, passum scribunt. Ita Joannes Spedus libro sexto capite nono, Bedam pro ea sententia citans, Malmesburiensem, Radulphum, & alios. David etiam Dowellus in itinerario Cambriæ libro 1. cap. 5. Hi annum passionis consignant ducentesimum nonagesimum tertium. Nec multùm ab hac sententia differunt Annales Manuscripti Wintoniensis Ecclesiæ: in quibus ita legitur. *Passio S. Albani, juxta civitatem Verolamium: quæ alias VVarlamchester, sive VVatlingchester, à Saxonibus vocatur, anno Diocletiani & Maximiani octavo.* Sed Annales illi perperam exordia Diocletiani, nunc uno, nunc alio anno, confusè satis computant. Benè tamen è Beda certaminis locum & urbem appellant. nam quod Romanis Scriptoribus Verolamium erat: id Saxones ab alveo, qui Warlam dicitur, & ad Orientalem civitatis plagam defluit, Warlamchester: vel à viâ Regiâ, quæ Watlinstreete nuncupatur, & ad partem civitatis jacet Occidentalem; Watlingacester dicebant. Iterum, pro Albano ad annum ducentesimum nonagesimum tertium passo, est Joannes Broughtonus, qui centuriâ tertiâ, capite 15. pluribus contendit, hanc esse historicorum nostrorum communem, receptamque sententiam. Tunc nimirum persecutionem in Britanniâ sæviisse: cum Asclepiodotus rerum potiretur. & capite 14. dicit Bedam omninò videri ita sentire, & Authorem etiam Manuscriptum abbreviationis Chronicorum. Hæc opinio Bedæ & Malmesburiensis munita suffragio, facilem à me impetraret assensum: si Authorum verba reverà concurrerent. Sed aliud est, Authores citari, aliud illos loqui. Bedæ ad hunc annum ita loquitur: *Anno Incarnationis Dominicæ ducentesimo octogesimo sexto, Diocletianus trigesimus tertius ab Augusto Imperator ab exercitu electus, annis viginti fuit: Maximianumq; cognomento Herculium, socium creavit imperii. Quorum tempore Caurasius, &c. Interea* (post aliqua pergit) *Diocletianus in Oriente, Maximianus Herculius in Occidente, vastari Ecclesias, affligi interficiq; Christianos, decimo post Neronem loco præceperunt. Quæ Persecutio, omnibus ferè antea ctis diuturnior atque immanior fuit. nam per decem annos, incendiis Ecclesiarum, proscriptionibus innocentum, cædibus martyrum incessabiliter acta est. Denique etiam Britanniam tunc plurima confessionis Deo devotæ gloria sublimavit.* Ita Beda sextum caput absolvit: mox sequitur septimum, in cujus exordio hoc habetur in omnibus impressis: *Siquidem in ea passus est S. Albanus de quo Presbyter Fortunatus*, &c. Nec plura de tempore.

Beda l. 1. c. 6.

Idem c. 7.

IV. SENSUS BEDÆ SUPRA CONTROVERSIAM.

Cum omnia Bedæ impressa exemplaria, in hunc modum, de Albani passionis tempore loquantur; valdè miratus sum, Bedæ suffragium tam constanter dari iis, qui martyrium referunt post annum hujus sæculi nonagesimum. cum, Baronio potiùs, quàm illis, supradicta verba accommodari possint: sed neutri opinioni certò adstipulantur: nec ad definitum Diocletiani Imperatoris annum trahi possunt. sicut nec illa, quæ habet Beda libro de sex ætatibus, ubi sic loquitur, ad annum mundi 4238. cum depositam à Diocletiano purpuram & Constantii mortem Eboraci narrasset. *Hæc persecutio*, inquit, *eam crudelis & crebra flagrabat, ut intra unum mensem, septemdecim millia Martyrum, pro Christo passa inveniantur. nam & Oceani limbum transgressa Albanum, Aaron, & Iulium Britannia, cum aliis pluribus viris, ac feminis, felici cruore damnavit.* Hæc Baronio, primæque sententiæ, nullo modo secundæ, favent. Nec Gulielmus Malmesburiensis, cujus apud nos post Bedam summa authoritas, quicquam de tempore definivit. Huntindoniensem Archidiaconum intelligunt fortè prædicti Authores. nam ille reverà postquam dixisset Constantium in Occidente, & Galerium in Oriente, ad regnum assumptos (quod factum dicemus, anno hujus sæculi nonagesimo secundo.) mox addit: *Eo tempore Persecutio crudelissima, ubique terrarum exarsit in Christianos. S. Albanus, se Deo sacrificium, eâ tempestate obtulit.* Verùm nec hæc de anno pressè concludunt. Et mihi, cui res Ecclesiæ præsertim nobiliores, suis annis consignare, constitutum est, parùm adferunt adjumenti. Debeo igitur aliundè firmiùs argumentum petere, quo mihi pleniùs, & curioso Lectori satisfaciam. Et sanè, ut temporum ignoratio, & annorum confusio, tenebras,

Beda l. de sex Ætat. ad an. 4258.

Huntindo. l. 1. histor in Diocletiano.

obscuritatem pariunt (quod in biographis videre est) ita eorundem recta distinctio, multa in historiis occurrentia, dubia ceteroquin, & impedita, eleganter expediunt. Denique illud Tatiani certissimum est: impossibile esse, ut quæ ad Historiam pertinent sine annorum luce, veritati congruant.

Tatian. oratio. contra Græcos.

V. Vara sententia de tempore Passionis.

Dico igitur Albani martyrium, nec ad ultima Diocletiani Imperatoris tempora; nec ad media; salva historiæ, & rerum gestarum veritate; sed ad exordia imperii ejus, cum Maximianum assumpsit, adeoque ad hunc annum ducentesimom octogesimum sextum, referendum esse. Pro quo advertendum primò; Diocletianum viginti annos imperantem, crudeliorem longè sub finem imperii, quàm initium fuisse. Et hæc est causa, cur acta Martyrum, quorum passionis annus obscurior, ad posteriora imperii tempora, nimirum ad initium sequentis sæculi, consignentur. Iterum. In decimâ hac persecutione, distinguendus est terrarum Orbis: & Orientis tempestas, ab illa, quæ Occidentem concussit: sic Albani passionis anni, temporisque facilior erit lectio. Verùm nihil magis observandum, quàm quæ ad Constantium seniorem spectant, ejus animi moderatio, in Cæsaream dignitatem ingressus, & rerum ab eo gestarum series. Nam cum ab eo tempore, quo factus est Cæsar, Britanniæ administratio, ex omnium Annalium fide, illi credita sit, & acta ejus illustria: ipse omnium optimè Albani passionem tempusque indicabit. Enimverò, si ipso Cæsare, aut Augusto passus est martyr: non tam Diocletianus, qui Orientem tunc vexavit: aut Maximianus, cui *Africa, Italiaq; commissa* (inquit Victor) sed Constantius ipse, *qui cuncta quæ trans Alpes sunt*, rexit, (inquit idem) sisti debet ad orbis tribunal, effusi sanguinis reus: quod nemo qui Constantium vel Helenam conjugem novit, opinabitur. Itaque anno Christi docentesimo nonagesimo secundo, cum paulò ante tyranni emersissent. cum Carausius Britanniam, & Ægyptum Achilleus occupassent: ad eos premendos Constantius & Galerius facti sunt Cæsares. Initâ dignitate: cum Diocletianus Ægyptum: Maximianus Africam tyrannide purgarent: Galerius Danubii limitem defendendum: Constantius Tyrannos in Britannia debellandos, suscepit: tenuitque imperium illud, vel Cæsar, vel Augustus, ad finem usque vitæ. Quamobrem si Albanus moritur anno nonagesimo tertio hujus sæculi, aut tertio sequentis, ut supradicti Authores affirmare videntur: Diocletianus excusari debet, & accusari Constantius. quod modernorum unus David Powellus, in annotationibus ad caput quintum Giraldi Cambrensis l. 1. Itinerarii Cambriæ, non erubuit scribere: cum mentio de Albano, & sociis martyrio affectis esset. *Hæc*, inquit, *fiebant, anno Christi ducentesimo nonagesimo secundo, regnante in Britannia, Constantio Chloro.*

Victor in Cæsarib. c. 39. §. 4.

Constantius quando factus Cæsar.

Apud Giraldum Camb l. 1. Itin. c. 5.

VI.

Verùm quàm innocens fuerit à fundendo sanguine Constantius: & quàm quieti, sub eo Christiani vixerint; testantur omnes qui de Constantio scripserunt. Freculphus Lexoviensis Episcopus in Chronico: *Constantius*, inquit, *vir tranquillissimus, Galliâ tantùm, Hispaniaq; contentus: & dum persecutiones diversas, Ecclesia in alio terrarum Orbe paterentur: solus Constantius, Constantini pater, licentiam Christianis in sua consistere religione concessit*. & paulò infrà Britanniam nominat; quam certum est, cum Gallia, & Hispania prius intelligi. *Ideo*, inquit, *adhuc superstite Constantio: non videbatur contra legem, quempiam esse Christianum, apud eos, qui intra Italiam, Galliaq; & Britanniam, & qui circa pyrenæum habitabant montem usque ad Oceanum Hespericum.* Eadem habet Sozomenus libro 1. capite 6. *Ecclesia*, inquit, *cum in aliis orbis partibus, persecutionum fluctibus jactarentur: solus Constantius, Constantini pater, permisit Christianis potestatem liberè suam religionem excolendi.* Et infrà, de Britannis: *Quamobrem hinc capere conjecturam licet: Neque Gallus, neque Britannus, contra leges visum esse, Christianam religionem profiteri, dum adhuc vivebat Constantius.* Similia habet Cassiodorus tripartita historia l. 2. c. 7. Rhegino in Chronico, & alii. His accedit Constantinus, Constantii filius; qui in edicto pro Christianis, hæc inter alia scripsit: *Imperatores qui ante hoc tempus ad Rep. gubernacula sederunt; propter agrestes, credo, & inhumanos mores exhæreditati sunt. Atque ut pater admirabili cum pietate in omnibus suis rebus gerendis, Deo Patre invocato solus clementiæ opera executus est: Sic reliqui omnes insano animo, & furioso, ad immanitatem potius, quam humanitatem suas curas, & cogitationes contulerunt.*

Freculph. in Chron. to. 2 l. 5. c. 15.

Constantii moderatio.

Sozom. l. 1. c. 6.

Apud Euseb. l. 2. c. 48.

VII. Objecta contra Constantium.

Broughton. cent. 3. c. 14. n. 3.

Scio dici posse: hæc omnia intelligi fortè de Constantio Augusto: quod nimirum post cessionem Diocletiani, factus Imperator, nunquam fuderit Christianum sanguinem: & inde nihil concludi, quid Cæsar fecerit. Scio etiam Broughtonum dicere, Cæsaream dignitatem, nullam Constantio authoritatem addidisse, nudumque fuisse titulum. Sed utrumque refellitur. nam Constantius etiam Senator, cum imperio missus est in Britanniam: multò magis factus Cæsar cum imperio fuit, & gubernaculo admotus. Unde rectè Eusebius: *Cum quatuor*, inquit, *in Romani Imperii gubernandi societate jungebantur* (Galerium intelligit, Constantium, & duos nunc imperantes) *solus Constantius fœdere amicitiæ, cum Deo omnium gubernatore pacto; modum vitæ à cæterorum institutis alienum, disparemq; consectatus est. Illi enim Dei Ecclesias obsidione vastare, evertere radicitùs, solo æquare, ac templa concussu fundamentis, disturbataq;, prorsùs delere aggressi sunt. Hic autem à nefando, & detestabili illorum scelere, manus integras, & inviolatas tenuit: neque ulla ex parte, se similem illis præbuit. Illi intestina virorum & mulierum, pietatem maximè excolentium cæde, provincias suæ ditioni subjectas sceleratè contaminarunt. Hic suam ipsius animam, à sceleris labe vacuam assiduè conservavit. Illi, quo mala omnia, in unum coacervarent, vocibus quibusdam execrabilibus; quæ in simulacrorum cultu fundi solent; primùm seipsos, deinde omnes, qui ipsorum obsequebantur imperio, nefariæ dæmonum venerationi devoverunt. Hic paci tranquillissimæ, qui ab ipso regebantur, author factus, liberam eis veræ in Deum religionis, sine molestiâ, excolendæ permisit potestatem.* Hæc omnia Eusebius. Et habes Constantium cum imperio, Cæsarem. Habes ejus subditos nulla persecutionis procellâ jactatos. Noli ergo dicere: aut Albanum dura pro Fide passum, Constantio, aut Cæsare, aut Augusto: aut Cæsarem Constantium, nullam juris in Britannos habuisse dictionem. de quo infrà pluribus.

Euseb. l. 1. c. 9.

V: an. 295. 5.

VIII. Bina persecutio

Jam verò si Diocletiani persecutionem distinxeris: illam, inquam, Orientis, ab illâ quæ Occidentem concussit; major lux, & certior

temporis

SUB DIOCLETIANO. SECONDA FUIT AD ORIENTEM.

Euseb. hist. l. 8. c. 2.

temporis ratio apparebit. Græci Authores, Eusebius, Socrates, & alii, qui de Diocletiano, & Ecclesiasticis rebus sceipserunt: posteriora Imperatorum tempora, ideo accusant: quia Orientem tunc maximè crudelium edictorum fulmine terruerunt. Ita Eusebius Diocletianeæ persecutionis exordium, ad ejusdem Imperatoris annum decimum nonum referre videtur. Sic enim habet in historiâ. *Anno decimo-nono Diocletiani Imperatoris, mense Dystro (qui à Romanis Martius nominatur) cum salutaris Dominicæ Passionis festum pro foribus esset: omnibus in locis, per Imperatoris literas, palam edictum fuit: ut tum deturbarentur Ecclesiæ, soloq; æquarentur: tum scriptura absumerentur igni: tum qui honorem suissent adepti, de gradu turpiter deponerentur. Ac primum edictum contra eos editum tale fuit.* Primum vocat Eusebius, quod in Oriente promulgatum est. Cæterùm longè prius in Occidente, in Italia, inquam, Gallia Britanniaque, Diocletianus in Christum surrexerat, ejusque cultores. ut Acta testantur, quæ ecfert Baronius ad hunc annum ducentesimum octogesimum sextum, quoeum hoc est exoedium: *Occiso Carino ad Murgum Consulibus Maximo, & Aquilino, tam immanis exorta est persecutio: ut nulli quicquam, vel emere, vel vendere liceret; nisi parvis quibusdam statuis positis eo in lo o, ubi emendi gratia conventum esset, thura incenderet. Tum etiam circa Insulas, vicos, & aquam, positi erant compulsores: qui neque molendi, neque aquas hauriendi potestatem facerent, nisi qui idolis libassent.* Sed & Constantinus noster Augustus testis est Diocletianum circa hæc tempoea, Christianos persecutum esse minacibus edictis. nam ita provincialibus Orientis scripsit. *Audiebam, cum puer admodum essem: eum qui illo tempore Principem locum, inter Romanos Imperatores obtineret, miserum, planè miserum, errore cæcatum, à satellitibus suis curiosè inquirentem, rogasse: quinam essent illi in terris justi? Quendamque ex vatibus suis responsum dedisse: eos esse Christianos. Tyrannum autem responsum illud, tanquam mel, ore avide arripientem; gladios, qui erant ad injuriam ulciscendam excogitati, contra sanctos viros, omni labe & reprehensione carentes, intentasse. Extemplo igitur mandata crudelibus sicariis data esse, judicesq; missos, ut celeres animi motus à natura datos, ad acerbiora suppliciorum genera invenienda intenderent.* Si ita mandatum est Constantino admodum puero: ad Diocletiani & Maximiani exordia, sine dubio refeeendum: cum necdum ille duodennis: non ad posteriora tempora, cum prætextam posuisset.

Acta Martyrum apud Baron. hic.

PRIMA AD OCCIDENTEM.

Euseb. vita l. 2. c. 50.

IX. EDICTUM DIOCLETIANI.

Beda in 3. de S. Iust.

Diocletiani mandata, quibus nec emendi, nec vivendi Christianis potestas fiebat, Galliam etiam pervasisse testatur Beda in vita S. Justini Martyris, hisce versibus:

Dum crudelis Diocletianus
Romani imperii
Simul cum Maximiano
Teneret monarchiam:
Talis est in Christianos
Mota persecutio;
Vt direntur ad pœnarum
Vniversa genera;
Vbicumque comprehendi,
Aliquem contingeret:
Quem hujus professionis
Obligaret titulus.
Et ne quisquam potuisset
Contutari tenebris:
Vbique componebantur
Hoc modo insidiæ;
Quæ euntes compulissent
In jus idololatriæ.
Nec ipsis emendi quicquam,
Aut vendendi copia
Nec ipsam haurire aquam
Dabatur licentia,
Antequam thurificarent
Detestandis idolis.

X. OCCIDENTEM PRIUS QUAM ORIENTEM CONCUSSIT.

Hoc igitur edictum, Italiam primò, mox Galliam, denique Britanniam quoque, hoc primo tempore, pervasit. quando omnis Oriens immunis à persecutione fuit. Atque ita (Quidni?) Albanus pati potuit, priusquam Constantius in Britannos imperium haberet. Quo in Insulam veniente, oebis noster sine dubio serenatus est. Hanc persecutionis differentiam Eusebius sic insinuat, ut exposita tempestate illâ, quæ sub finem imperii, Orientem vexavit: ab illa distinguat, quam Occidens noster sustinuit. nam ita loquitur, de Oriente: *Talis persecutio fuit contra nos concitata: quæ ab Ecclesiarum eversione, & vastitate initium sumpsit. Quæque propterea, quòd Imperatores variis temporibus eandem renovabant indies, magis magisq; accrevit. Vnde multiplicia fuerunt, & diversa athletarum pro pietate dimicantium certamina confecta: innumerabilisq; extitit Martyrum multitudo, in singulis provinciis quæ à Lybiâ, per universam Ægyptum, Syriam, & partes versus Orientem, & undique ad oras Illyrici, pertinent.* Ita ille, de Orientis statu: qui pergit mox Occidentis nostri calamitatem exponeee: quæ priùs accidit, & paucis tantùm annis duravit. *Nam ea loca* (inquit) *quæ illis jam demonstratis adjacent: ut Italia tota, Sicilia, Gallia, & quæ ad solem Occidentem vergunt* (indubiè Britanniam intelligit) *& ad Hispaniam, Mauritaniam, & Africam se porrigunt: ubi non duobus annis integris impetum persecutionis sustinuerant; celerrimè clementi Dei obtutu, sunt pacem, & pacis tranquillitatem consecuti. Quandoquidem cælestis providentia tandem, ob vitæ innocentiam, & Fidem illorum misertà est.* Ita ille. Quasi diceret. Primus turbo persecutionis decimæ Occidentem concussit, per annos duos, qui primi fuerunt Diocletiani & Maximiani Ecclesiam persequentium; & statim serenitas eediit; ubi nimirum Constantius factus est Cæsar. & tum demum Britannorum misertus est Deus, *ob fidem, quam Lucii Regis tempore susceptam, eousque integram inviolatamq; servaverant*, teste Beda. Britanniam quidem Eusebius non nominat. sed causam silentii vide suprà ad annum 275. n. 36.

Eusb l. 8. c. 25.

Idem suprà.

Beda l. 1. c. 4.

XI. VERA TEMPORIS RATIO ET PASSIONIS SANCTI ALBANI.

Euseb. l. 8. c. ulti.

His de ratione temporis, peo Albani passione præmissis, cogoe à vulgari opinione recedere: tam eorum qui ad ultimos Imperatorum annos; quàm qui ad medium eorundem imperium, martyrium retulerunt. Cum enim Eusebii hac in re sit integra authoritas: & ille sæpè, Constantium *benignissimum, mansuetissimum, humanissimum, liberalissimumq; quibusque fuisse*: & ibidem addat: *Persecutionis contra nos concitatæ nullo modo particeps. Imò verò prius sub ejus imperium subjectos, illæsos conservavit, & incolumes: ac neque sacras Ecclesiarum ædes diruit: neque aliud quicquam malefici in nos omnino molitus est.* Quis non videt Insulam sub ejus imperio; hoc est, ab anno ducentesimo nonagesimo secundo, quietam fuisse.

& ipſum Conſtantium ab omni fuſi Chriſtiani ſanguinis ſuſpicione, nedum crimine, immunem. Quamobrem Author ille vetuſtiſſimus, qui Albani vitam ſcripſit apud Capgravium, optimum videtur calculum ſequutus, dum ita loquitur. *Paſſus eſt autem glorioſus Martyr Albanus, decimo Calendas Iulii, anno Domini ducenteſimo octogeſimo ſexto.* Quod ita intelligendum: ut hoc anno ſeneſcente captus, & dura pro fide paſſus; poſt ſex menſium carceres, ſequenti anno vivere deſierit. quo etiam modo intelligi debet Albanienſis Monachus apud Uſſerium: ita ſcribens: *Ab Incarnatione Domini, uſque ad paſſionem S. Albani, anni elapſi ſunt ducenti octoginta ſex:* Quem etiam annorum numerum ex Authorum Annalibus, qui quantumvis ad ultima Diocletiani tempora; quando crudeliſſima in Oriente graſſata eſt perſecutio; Albani meminerint: tamen cum inventionem ejus corporis ſub Offa Rege memorant; ea dicunt, unde paſſionis annus dilucidè ſatis eruatur. Ita Weſtmonaſterienſis, quem ſuprà in primæ ſententiæ patrocinium adduxi, ubi inventas, elataſque Albani exuvias dixiſſet, ad annum ſeptingenteſimum nonageſimum quartum: *Acta ſunt hæc*, inquit, *à paſſione Sancti Albani, anno quingenteſimo ſeptimo.* Cui numero ſi adjeceris annos ducentos octoginta ſeptem: conſtabit mortis annum fuiſſe ducenteſimum octogeſimum ſeptimum: ut ibi diccmus. Matthæus etiam Pariſienſis huic Chronologiæ ſuffragatur: qui aliam ſepulchri apertionem referens, ad annum Domini milleſimum ducenteſimum quinquageſimum ſeptimum. *Sciendum eſt*, inquit, *quod cum hæc evenerunt, fluxerant anni à paſſione martyris, nongenti & ſeptuaginta, id eſt, mille exceptis triginta.* Hunc numerum ſubtrahe ab annis mille ducentis quinquaginta ſeptem, & exit paſſionis annus, quem quærimus, & ſtabilire conamur: nimirum ducenteſimus octogeſimus ſeptimus. Et puto Uſſerum hac vice malè collegiſſe, dum ſcribit: *Rectiſſimè igitur inter anni trecenteſimi tertii, res geſtas, Sancti Albani martyrium, in Floribus hiſtoriarum & Roffenſi hiſtoria eſt expoſitum.* non enim rectiſſimè, ſed ne rectè quidem: quia, Matthæus Pariſienſis, Albanenſis Cœnobii Monachus, multò rectiùs annum numeravit, qui inventionem deſcribens, ſepulchri Martyris, quæ contigit 1257. hæc ſubdit. *Sciendum eſt, quod cum hæc evenerunt, fluxerant anni à paſſione martyris, nongenti & ſeptuaginta, id eſt mille, exceptis duntaxat triginta annis.* hunc numerum ſi ſubſtraxeris à numero 1257. habebis paſſionis annum 287. Flores hiſtoriarum inſuper, poſteriori loco, non annum illum, ſed longè priorem paſſioni aſſignant. Unde ex illo nihil rectè colligitur.

TUR. Apud Capgravium in Albano. — *Uſſer. fol. 906.* — *VVeſtmo. 794.* — *Pariſien. an. 1257.* — *Uſſer fol. 167.*

XII. STABILITUR VERA SENTENTIA.

Cum hæc omnia, de anno martyrii adnotaſſem: timeremque à communi opinione, & vel prætenſa Bedæ & Malmeſburienſis authoritate recedere ſine Authore aut Duce certo, notæque fidei. Ecce, Deo bono, & amicorum operâ, pervenit ad manus meas Bedæ Manuſcriptus Codex. *Hiſtoria gentis Anglorum:* de cujus antiquitate non potui dubitare: ita ambeſa ſolia, tenuis & trita membrana, denique vetuſti characteres, illam loquebantur. Ibi manifeſtè expreſſum deprehendi, quid Beda de tempore paſſionis Albani tradiderit. Et valdè gaviſus ſum, conjecturas meas, quas jam pluribus expoſui, non contra, ſed planè pro Beda ſtare. Deprehendi etiam Bedam, ut paſſim imprimitur; mendis, quæ facilè tamen emendari poſſunt, ſcatere. Sit verbo exemplum, præſens quæſtio: quam impreſſi codices ita expediunt. *Denique etiam Britanniam, cum plurima confeſſionis Deo devotè gloria ſublimavit. Siquidem in ea paſſus eſt Sanctus Albanus*, &c. Quæ verba in Manuſcripto Codice, ita redduntur: *Denique etiam Britanniam tunc plurima confeſſionis Deo devotè gloria ſublimavit. Siquidem in eodem anno Dominicæ Incarnationis ducenteſimo octogeſimo ſexto, paſſus eſt S. Albanus.* Quæ longè clariora ſunt & ſenſum Bedæ expeditum reddunt. Præceſſerat enim mentio, in principio capitis ſexti, anni ducenteſimi octogeſimi ſexti, quo Diocletianus cum Maximiano collega, imperium capeſſunt: & ſequitur in Beda, eodèm anno Albanum paſſionis ſtadium ingreſſum eſſe. ſive Diocletiani perſecutionem incepiſſe: quæ Britannorum fidei eclipſin fecit. Unde conſtat ſibi Beda, cum dixit paulò ſuperiùs: Britannos *ſuſceptam Fidem, integram inviolatamq; ſervaſſe uſque in tempora Diocletiani:* innuens Eccleſiam eouſque, nec ultrà, floruiſſe.

Beda l. 1. c. 6. — *Idem ibi c. 7.*

XIII. QUAMDIU INTEMERATA FIDES IN BRITANNIA.

Antiquit. VVinton. Eccleſia.

Hunc Fidei ſtatum, & ſacrarum ædium, Authores paſſim unâ annorum centuriâ circumſcribunt. Annales Wintonienſis Eccleſiæ ita loquuntur. *Duravit Chriſtianitas Britanniâ, à primo anno Lucii Regis, primi Britannorum Chriſtiani, centum annis; & tamdiu Monachi Deo ſervientes, prædictum vetus Monaſterium quietè inhabitabant. Interfecti ſunt Monachi, in Ventanâ Eccleſiâ, deſtructa a miniſtris Diocletiani perſecutoris, anno imperii ſui ſecundo.* nimirum ſtatim à morte S. Albani, qui primum perſecutionis impetum ſuſtinuit. Sed paulò clariùs Thomas Rudburnus in Chronico majore, Wintonienſis Monaſterii ſtatum explicat ita: *Requievit ex tunc religio Monaſtica in Eccleſia VVintonienſi, quieta in pace, & pacifica poſſeſſione, Domino jugiter conjubilans centum duobus annis, videlicet a primo anno regni Lucii Chriſtianiſſimi Principis, ad annum ſecundum Diocletiani Tyranni.* Unde Joanni Broughtono conſentire non poſſum; qui plures in Britanniâ, ante Albanum, martyrio coronatos affirmat. Quod licet conetur pluribus probare: tamen infirma ſunt omnia quæ adducit: fundanturque in eo quod Albanus mori non potuerit ante annum hujus ſæculi nonageſimum. Unde etiam infert Albanum primum Britanniæ martyrem non fuiſſe: ſed ideo ſolùm dici, quia *principalis*, inquit, *& præcipuus fuit.* Vides Lector, quod ſuprà adverti, inverſa annorum ſerie, dubia multa, implexa, nutantia, & falſa demum naſci: quæ ſervata temporum recta ratione, coagmentanda, & ſananda ſunt. Dic ergo cum Beda, cum Authore vitæ S. Albani, cum eis qui de Inventione corporis, & epochâ Chriſtianæ Fidei, tractaverunt, paſſionem Albani hoc anno inchoaſſe: dic ſub idem tempus Amphibalum, & Wintonienſes Monachos, pro eâdem Fide mortuos: & habes plures in Britanniâ Martyres, cum primùm Diocletianus Eccleſiam perſecutus eſt; & omnium primum, principemque Albanum. Cum enim ille dudum, longiſſimi temporis præſcriptione obtinuerit nomen Protomartyris Britanniæ: non debet (jam errore temporis detecto) poſſeſſione deturbari. Cur enim arguemus oſcitantiæ Authores omnes: & Codicem Manuſcriptum, quem Henricus ſextus Anglorum Rex Albanenſi Monaſterio dedit: ubi diſertè ſcribitur: quòd

Apud Uſſer. fol. 127. — *Broughton. cen. 3. c. 11.*

BROUGHTONUS ARGUITUR NEGANS S. ALBANUM PROTOMARTYREM FUISSE.

primus

primus in Inſula Britannia, pro Chriſti confeſſione proprium fuderit ſanguinem. Adjunge, cùm Amphibalus è Clero, & Sacerdos fuerit, Albani Doctor, & Magiſter: & ſi Broughtono & aliis credimus, Sodorenſis Epiſcopus: Quo quæſo titulo laïcus, catechumenus, & paucorum dierum tyro, illum, niſi prioritatis prærogativâ, præcederet? Illud ergo Protomartyris nomen hactenus nunquam controverſum, & omni jure Albano debitum; argumentum eſto, eum primo quoque tempore, & ante Wintonienſes Monachos, martyrio coronatum. Quo indubitanter aſſerto, proſequamur ea quæ martyrium præceſſerunt: initio ducto ab eo quod illi anſam, gradumq́ue fecit ad fidem.

XIV. Albani exordia et conversio ad Fidem.

Cum Maximianus in Occidente novus Imperator, ad Diocletiani genium factus, ejusque mandatorum impiger executor, edictum contra Chriſtianos in Britanniam miſiſſet, urſiſſetq́ue: Amphibalus, Romæ doctus, in patriam redit; confirmaturus cives, & provinciales ſuos in eâ fide, quam dudum didicerat. Ut pervenit in Britanniam; feliciſſimo caſu in Albani domum incidit. domo Britannum, origine Romanum, nobilemq́ue illius municipii, quod Verolamium dicebatur, civem. Quid inter eos convenerit, meliùs ex actis apparebit: quæ ſine dubio fideliſſima ſunt, ab antiquo Authore, Beda noſtro longè priore, conſcripta. & ita incipiunt. *Cum perſecutio ſub Diocletiano Imperatore mota in Chriſtianos, longè latèq; deſæviret: vir quidam meritis & doctrinâ clarus, nomine Amphibalus, tranſiens in Britanniam; Verolamium, Domino ducente, pervenit. Qui ingreſſus urbem, in domum divertens Albani, hoſpitium poſtulavit. Erat autem Albanus, civis Verolamiensis, vir eminens in civitate, ex illuſtri Romanorum proſapiâ originem ducens. Hic ſanctum virum benignè hoſpitio ſuſcipiens, vitæ neceſſaria miniſtravit. Quem eandem remoto ſervorum ſtrepitu, ſecretiùs allocutus:* Quomodo, inquit, *cum ſis homo Chriſtianus, per gentilium fines tranſitum habere, & ad hanc urbem illæſus pervenire potuiſti?* hactenus ibi.

Apud Capgravium in Albano.

XV. V. an. 213. 6. De S. Amphibalo.

Meminerit Lector de Amphibalo ſuprà factam eſſe mentionem, tam anno ducenteſimo decimo tertio; quo è Britannia ſolvens, duos Imperatores Baſſianum & Getam in urbem comitatus eſt: quàm anno trigeſimo ſeptimo ejuſdem ſæculi: quo Româ reverſus, Caledonios Romanis inſulis ſubdidit; quos Romanæ Aquilæ omnino domare nunquam potuerunt. An idem ſit hic Caledoniorum, & Albani Doctor, ideo controvertitur; quia temporis ratio, & dignitatis differentia, diverſum eſſe perſuadent. Ille ante annos quadraginta Epiſcopus ſcribitur: & primariam in Septentrione illo ædem, ſub Crathlinto Rege conſecraſſe. Hic qui Albanum docturus eſt, nudè Clericus, & aliquando Sacerdos ponitur. De illo ita ſcribunt Scoticarum rerum Authores, qui Caledonios, cum Scotis & Pictis imperitè confundunt: *Amphibalum & ſocios Crathlintus Rex ad ſe confugientes benevolo aſpectu ſuſcepit: & ut in Monâ Inſulâ conſiderent, ſacra ibidem æde, ipſius opera Servatoris nomine erecta conceſſit.* & iterum: *Amphibalus Brito, vir inſigni pietate, primus Antiſtes ibi creatus, Chriſti dogma, per Scotorum, Pictorumq; regiones propalando, multa contra gentilium religionem dicendo, ſcribendoq;, glorioſum, & Chriſtiano viro dignum, multa ſenectute verendo feſſus, felicem ſortitus eſt finem.* noſter verò Amphibalus, martyrio vitam finivit. Hoc dubium meritò Lectorem morabitur: nec facilè ſolvitur: quia tamen de *Multa ſenectute* dictum eſt: cur non unum eundemque fuiſſe opinabimur? Et Britannum hunc, tunc Caledonios, cum maximè egerent, docuiſſe: nunc autem intellecto, ob Maximiani tyrannidem patriam periclitari, confirmare voluiſſe concives ſuos. nam ita charitas urget Apoſtolos: eos, inquam, quos in Chriſti meſſem Roma ſubmittit. Cæterùm quod Amphibalus noſter, interdum non audiat, aut nominetur Epiſcopus: antiqua rimantibus ſtatim occurret; miſceri ſolere iſta nomina: & miſſos Apoſtolicè, exercere quæ Epiſcopis propria. Sed quicquid ſit, Annales Wintonienſes ita de illo: *Amphibalus Sanctus, Monachus, & Doctor in Eccleſiâ Caërmerdin, aliàs nominata civitas Melius in VValliâ.* Monachorum enim, nulli Eccleſiæ aſcriptorum, his primis ſæculis proprium fuit, tunc intermittere contemplationis dulcedinem, cum Chriſti ſponſa, ejusq́ue filii, ſub Principum tyrannide gemerent. Porrò cum ex urbe Legionum ad Iſcam, apud Silures, oriundus fuerit (ut teſtantur Giraldus Cambrienſis, & plures alii) facilè potuit in agro Maridunenſi, Dimetarum regione, Siluribus vicinâ, monaſticen profiteri. Reſtat dubium: unde venerit novus hoſpes, cum Verolamium acceſſit. An è Silurum, aut Dimetarum partibus? an è Caledoniis & Septentrione noſtro? An vero è Romanâ urbe: quò illum ſecundò profectum eſſe plures affirmant. Sed quoniam per gentilium fines tranſiiſſe memoratur; ideo peregrè illum veniſſe veroſimilius eſt.

Antiq. Winton. apud Broughton. cent. 3. c. 19. n. 2.

Girald. itiner. Cambria l. 1. c. 1.

XVI.

Ad diſcipulum quod attinet: nihil mirum, ſi in Chriſtianâ provinciâ, infidelis, & in fide rudis introducitur: quia altero parente Romanus dicitur: & in Anglorum Martyrologio, *ſummus Britanniæ œconomus: Unde ſuſpicio eſt, quòd pro Romanis in Inſulâ procurator fuerit. Imperatores enim, cum Legatos in provincias mitterent: quæſtores illis adjungebant, quos Dio ἐπιτρόπους vocat. Curatores* (inquit) *ſic enim vocantur, qui publicos reditus colligunt, certaq; impenſas faciunt: in omnes ſuas & populi provincias: alios ex equitibus; alios è libertis mittit Imperator: eo dempto, quod Proconſules, quibus locis præſunt, ipſi tributa exigunt.* Hunc morem in Britanniâ ſervatum, argumentum eſto Decianus Catus, magnorum tumultuum cauſa, anno ſexageſimo ſecundo; & illa Britannorum querimonia apud Tacitum: *Britanni,* inquit, *conqueſti, duos ſibi imponi: ex quibus Legatus in corpus, procurator in bona ſæviret.* Hunc fortè magiſtratum, vel munus Albani parentes, equeſtris ordinis viri, in Britanniâ geſſerunt: eoq́ue titulo honoris prærogativa potuit in filium deſcendere. Romani ergo, quos Maximianus crudeli edicto in Chriſtianos armaverat, ægrè tulerunt Romanorum Imperatorum ſcita contemni: ideoq́ue in Albanum ferociùs exarſerunt ut è ſequentibus apparebit. nunc Acta proſequamur.

Dio l. 59.

V. an. 62. n. 1.

Tacit. in Agrico.

XVII. Apud Caprav in Albano. Albanum Amphibalus docet Fidem.

Dicit ei Amphibalus: *Dominus meus IESVS CHRISTVS filius Dei vivi: ſecurum inter diſcrimina me cuſtodivit: & pro multorum ſalute ad iſtam me miſit provinciam: ut Fidem ejus annuntians populum acceptabilem præparatem. Et quis eſt,* inquit Albanus, *iſte filius Dei? Quid eſt, quod Deus natus eſſe aſſeritur? nova ſunt hæc, & mihi hactenus inaudita. Noſſe vellem, quid ſuper hæc te vos Chriſtiani ſentiatis.* Tunc Sanctus ait: *Aſſertio noſtra fides eſt: ut Deum Patrem, & Deum Filium eſſe dicamus.*

Qui scilicet Filius pro salute hominum carnem dignatus est assumere, & humanum genus per passionem mortis redimere. Et cum multa de Nativitate Christi, passione, resurrectione, & ascensione disseruisset; subjunxit: Si hec, hospes, ita esse credideris, debilibus, agrotis, & cunctis malè habentibus, invocato Christi nomine, poteris subvenire. Idcirco enim hanc urbem ingressus sum, ut praco fierem sua passionis. Benignus enim Dominus humanitatis officia, quibus insistis, calestis vita pramio recompensabit. Dicit ei Albanus. *Quid reverentia Christo, quid honoris impendam, si Fidem Christi suscepero?* Et ille. *Crede Dominum IESVM, cum Patre, & Spiritu Sancto, Deum unum esse: & opus magnum in ejus oculis peregisti.* Albanus ait: *Quid est quod loqueris? Insanis: nescio quid dicis: Assertionem tuam non capit intellectus, ratio non admittit. Si nossent viri hujus civitatis talia loquutum esse de Christo: sine morá pessima morte te occiderent. Ego verò, pro te omnino solicitus; ne quid tibi contingat adversi, priusquam de domo mea recesseris, vehementer pertimesco. His dictis surrexit, & abiit irâ commotus. Et Amphibalus solus totam noctem pervigilem in oratione peregit.*

XVIII. Dixi suprà ad annum sexagesimum secundum: ut Verolamium Romanus miles invaserit: & valdè verosimile, ab eo tempore, in Romanorum potestate mansisse, adeo ut severissimæ legis, ingens ibi fuerit in Christianæ fidei professores periculum & executio: Maximiano præsertim Occidenti Britanniæque incumbente, Diocletiani edictum, & suo impetu, & famulandi libidine, urgente. Hanc ob causam Albanus de hospite sollicitus, eidem silentium, ne porrò in Christo nominando pergeret, imponit. Verùm ut Deus officiosam Albani mentem, cælesti luce perfuderit, dicant acta quæ sequuntur. *Albano in solario quiescenti, miranda quadam nocte illa, divinitus ostenduntur. Cumque novo visu fuisset exterritus, & insolito perturbaretur aspectu, surgens continuò, ad inferiora descendit: & accedens ad hospitem dixit: Amice, si vera sunt qua de Christo pradicas; veram mihi somnii solutionem, quaso, ne menras indicare. Aspiciebam, & ecce de calo homo veniebat; quem apprehendens innumera hominum multitudo, diversa expendit in eum genera tormentorum. manus vinculis constringuntur, flagellis corpus atteritur, & graviter laniatur: corpus ligno suspenditur, per transversum ligni manus expanduntur. Homo qui torquebatur, nudus erat, & calceamenta in pedibus non habebat: manus ejus, & pedes, clavis affiguntur, latus lancea perforatur: ex cujus lateris vulnere, ut mihi visum est, & sanguis & aqua pariter profluxerunt. A dextris ejus arundinem statuunt, coronam spineam capiti superponunt.*

Apud Capgravium in Albano.

Visio S. Albani.

XIX. *Consumptis omnibus, qua humana potuit inferre crudelitas; caperunt verbis illudere ei dicentes: Ave Rex Iudaeorum. si filius Dei es, descende nunc de Cruce, & credimus tibi. Cumque multa convitia irrogarent; adolescens ille verbum eis non respondit. Denique cum dixissent ei quacumque voluerunt; tandem exclamans ille voce magna dixit: Pater in manus tuas commendo spiritum meum; & his dictis, expiravit. Corpus exanime de Cruce deponitur, sanguine de vulneribus adhuc largiter profluente. Lapideo illud includunt sarcophago. signatoq́; lapide, custodes deputantur. Mira res, cadaver extinctum, remeavit ad vitam, resumptisq́; viribus, clauso prodiit monumento. Qui qualiter à mortuis resurrexerit, propriis oculis ipse conspexi. Viri nivei induti vestibus, de calo advenunt: assumptoq́; secum homine, illuc unde venerant, revertuntur. subsequitur eum candidatorum infinitus exercitus: qui per omne illud iter, laudes canere non destitit: & Patrem nescio quem, ejusq́; Filium assidue benedixit, dicens: Benedictus sit Deus Pater, Filiusq́; ejus unigenitus. Ingens inter eos gaudium, latitia ineffabilis, ut nulla huic digna valeat comparari. Hac & alia multa: qua nec volo, nec licet ulli mortalium indicare, mihi nocte per visionem ostensa sunt. Quid illa significent, obsecro te ne celaveris mihi: noli timere.* hactenus ibi.

XX. Visionis expositio.

Familiare est divinæ bonitati, sed & obvium potentiæ ejus, interdum excitare hominum mentes, pulcherrimarum rerum speciebus, desiderio aliquo, & scientiâ magnorum operum: atque ita brevi fidei compendio illabi mentibus; vel immissa luce, quæ dubia tenebrasque tollat: vel icta mirabilitce voluntate, auctaque sciendi & discendi ambitione. Utrumque in Albano factum. cui quæ priùs difficilia videbantur, eidem tunc suavia, dignaque visa sunt, quibus aures & animum attentiùs, omni metu postposito accommodaret. Quid interim Amphibalus? *His audiens* (pergit Author) *Beatus Amphibalus sentiens iter ejus usitatum à Domino; supra quàm unquam credibile est, in Domino gaudebat. Statimq́; Crucem Domini, quam secum habebat, proferens, ait: Ecce in hoc signo potes manifestè dignoscere, quid visio tua nocturna velit, quid portendat. Homo namque veniens de supernis, Dominus meus IESVS CHRISTVS, qui Crucis supplicium subire non renuit: ut nos à reatu, quo per pravaricationem primi parentis Ada, tenebamur astricti, suo sanguine liberaret. Qui verò manus homini injecerunt, & diversis pœnis affecerunt; populum significat Iudaeorum. Quia cum promissum haberent; quia Deus iis Filium suum de calis mitteret: & tandem quem diu expectaverant, venientem non receperunt; nec sua salutis authorem cognoverunt: sed in omnibus ei contradicentes, semper ei mala pro bonis & odium pro dilectione rependerunt. Denique invidiâ contra eum ducti, ad tantam nequitiam proruperunt; ut eum comprehenderent, crucifigerent, & occiderent. Sic benignus Dominus, sanguinis sui pretio nos redemit. Sic moriendo mortis victor extitit. & in Cruce exaltatus, universa ad se traxit. Ad inferni claustra sponte descendens; suos qui illic tenebantur absolvit: & aternis nexibus diabolum alligatum ad infima tenebrarum loca dejecit.*

Apud Capgrav. in Albano.

XXI. Albanus convertitur. Confessio de Britannorum Fide.

Tunc Albanus super sermonibus illius vehementer admirans, in hac verba prorupit, dicens: Vera sunt, inquit, *qua de Christo memoras, nec possunt ullatenus argui falsitatis. Ego enim evidenter hac nocte cognovi qualiter Christus diabolum vicerit, alligaverit, & ad inferni profundiora protruserit, propriis oculis ipse conspexi: quia catenarum nexibus teter ille jacet irretitus. In hoc cognoscens, quoniam omnia, qua loquutus es, vera sunt, à modo fidelissimum me tibi pollicear auditorem. Dic ergo, obsecro, quia nosti universa. Quid Patri, quid Spiritui Sancto facturus sim, accedens ad servitutem Filii? Quibus ille auditis, cum ingenti exultatione dixit: Gratias ago Domino IESV CHRISTO; quod hac tria nomina per temetipsum proferre jam nosti. Tres enim personas, quas apertè suis designasti vocabulis, Deum unum crede firmiter, & fideliter profitere.* Respondit Albanus: *Credo,* inquit, *& ex hoc Fides mea est quod nullus sit Deus, nisi Dominus meus IESVS CHRISTVS: qui ob salutem hominum,*

hominem dignatus assumere, crucis sustinuit passionem. Ipse cum Patre, & Spiritu Sancto Deus unus est; & præter eum non est alius. His dictis sæpè prosternitur ante Crucem: & quasi pendentem Dominum IESVM in Cruce cerneret, veniam sibi beatus pœnitens deprecatur. Sic pedes, sic vulneris loca, assiduâ exosculatione demulcet; ac si ad ipsius quem crucifigi viderat, vestigia procumberet redemptoris. Sanguine mixtæ volvuntur per ora lacrymæ, super illud venerabile lignum Crucis ubertim decidentes. Ego, inquit, *Diabolum abnego, omnesq́; Christi detestor inimicos, in illum credens, illi me committens; qui, sicut asseris, à mortuis die tertiâ resurrexit.* Dicit ei Amphibalus. *Forti animo esto: Dominus tecum est, & illius gratia non tibi deerit unquam. Fidem quam cæteri mortalium, homine tradente percipere meruerunt: Tu non ab homine, neque per hominem didicisti; sed per revelationem IESV CHRISTI. Quare jam securus de te redditus, longius ire dispono, viam veritatis gentibus ostensurus. Nequaquam,* inquit Albanus, *sed unâ saltem septimanâ mane apud me; ut interim Fidem pleniùs instructus agnoscam: & factum est ita.*

XXII. EXCUTITUR ALBANI FACTUM ANTE CRUCEM PROSTRATI. Hic siste, Lector; & priusquam cum Albano in arenam descendas, excute factum hoc, cum prostratus ante Crucem, crucifixi imaginem suaviatus, Christi vulnera pientissimè coluit. Cum enim religionis Christianæ actus fuerit: sitque hoc tempore multum controversus: non debet, quod Albanus, candidatus martyrii fecit, oscitanter legi: nec levi manu tractari hoc primi Martyris, primum fidei argumentum. Refert igitur hæc inquisitio, ad Regiam Britannorum Fidem, Helenæ imprimis, & Constantini filii: qui jam decenni major, didicerat fortè elementa fidei: sed grandior factus, & è cælo, ut Albanus, edoctus, crucem etiam aliquando coleret, Albani exemplo. Et facit hoc etiam ad litem illam, quam nuper illi inconsultissimè moverunt; qui ut paradoxa tuerentur; à Romanâ Ecclesiâ, ad antiquam Britannorum Ecclesiam provocarunt: rati inventuros se ibi non solùm vestigia; sed apertum, constans, vocale patrocinium factionis suæ. Hactenus quidem Reges, populum, provinciam à Romana Fide stantes habui: sed quia pugnantem adhuc neminem, & Britanniæ Fidem sanguine sigillantem; statui sedulò inspicere, & contemplari docentem Amphibalum, discentem Albanum; denique quo modo, qua ratione Christianam Fidem professus sit Insulæ Protomartyr. Et inde pro orthodoxâ Fide petam argumentum. Ille enimvero optimus, & omni major exceptione testis: quem non solum Romana Ecclesia Martyrem colit, sed sectarii etiam officiosissimè nominant antiquæ, veræ, virginisque Fidei constantem, & incorruptam victimam.

XXIII. SECTARIORUM CONFESSIO DE BRITANNORUM FIDE. *Antiquit. Britan. fol. 7.* Matthæus Parkerus, sectariorum primipilus, qui Britanniæ antiquitates scripsit, benè probat, ante Magni Gregorii tempora, & Augustini nostri adventum, Britannos in Christum credidisse, & ejus Fidem integerrimè sequutos, sumpto ab Albano martyre argumento: *Christiana Fides,* inquit, *sub Lucio accepta, in tranquillitate, & pace, usque ad Diocletiani tempora permansit, per totam Insulam integra. In quibus crudeli insectatione vexatâ, Albanus, Amphibalus, Aaron, & Iulius Sancti, & Evangelii prædicatione conspicui viri, martyrio candidati fuerunt.* Eodem modo ille novorum Martyrum Cyclops, Joannes Fox, Albanum laudat, & cum Martyribus succenturiat. Denique factiosi omnes, quò licentiùs Christianorum Saxonum, & Magni Gregorii fidem declinent; magnis vocibus Albanum & antiquos Britannos invocant. Ego certè intercessionem, si candidè fieret, libens meritò admitterem: timeo tamen, ne antiquitatem appellantes, tenebras de more, ne captantur, quærant: ibique Andabatarum more velitentur: Quoties enim antiqui temporis exemplis premuntur, ab eo argumento ad Scripturas confugiunt; & quicquid ibi non disertè affirmatur, novitatem vocant: sic tergit impius os suum, & dicit non sum operatus malum: si Crucem dehonestant, & Christum ibi fixum pedibus conculcant, ideo est quia nullus in sacris literis præcipitur crucis cultus. nunquid isti Antiquitatem venerantur; qui magnorum facta, & viva vetustatis monumenta aversantes, quæstionis principium petunt.

XXIV. SECTARII ANTIQUITATEM VERBOTENUS VENERANTUR. *Montacut. Præfat. ad appara.* Alii peccant paulò honestiùs, qui antiqua omnia, modo antiqua probentur, admittunt. Sed funem adeo contentiosum trahunt in delectu: ut verbo id potiùs quàm re agere videantur. nescio quid dicturus sit Richardus Montacutus, dictus Cissacestrensis Episcopus, qui Ecclesiasticas Origines apparans, ita inter cætera præfatur. *Eò jam æquanimitatis est utrinque deventum; ut suas controversias dirimendas; lites & dissidia componenda, ad tribunal utrique deducere, & sistere velint antiquitatis. Cum bono ergo Deo, consilio nos isti faveamus: & sententiam rogemus Antiquitatis: sententiæ, & opinioni stemus Antiquitatis: & cum Nicænis Sanctissimis Patribus, tanquam ab oraculo profectum exosculemur illud:* τὰ ἀρχαῖα ἔθη κρατείτω, antiquæ consuetudines meliores. *Eo autem animo, in istum finem adeunda sunt, & evolvenda monumenta vetustiorum: ut quodcunque inveniatur, secundùm hanc vel illam partem, apud proceres Ecclesiæ vetustiores pronuntiatum rectè, & commendatum, non dissimuletur, non incrustetur, non pervertatur. Meipsum quod attinet, ita me amet qui veritas est; non certè repugnabo, non recalcitrabo: manum autem sum daturus, herbam porrecturus, fasces submissurus, sententiæ subscripturus, prærogativam promoturus Antiquitatis.* πᾶν γὰρ ἀρχαῖον, *eo ipso quod antiquum,* αἰδέσιμον, venerandum. *noviter autem subintroducta, sunt ipsa sua novitate suspectiora.* Quis non amaret hunc hominem Antiquitatis, in speciem, amantissimum. Ego certè in ejus sententiam eo manibus pedibusque: & eodem argumento in novitatem pugnaturus, excutio nunc antiqui Martyris factum, & inde metiar ejus Fidem: ideo præsertim, quia factum, Fidemque signavit fuso sanguine; & Deus, omniaque post eum sæcula, probaverunt sanctum esse. Jam verò si sectarii etiam ingratiis fatentur, Albanum Sanctum, & incorruptæ fidei testem: cur aliis armis novitatem impetimus? aut hæreseon monstra aliis quàm sanctorum virorum facinoribus, Fideque jugulamus? Prodeat ergo in medium Albanus, Britannorum Ecclesiæ filius: & in gravissima quæstione, dicat sententiam: liceatne supplici cultu, submissisque genibus Cruci advolvi, & Christi ibi fixi imaginem venerari?

XXV. SECTARII ANTIQUITATEM DECLINANT. Hic, opinor, Montacutus herbam porrigere, fasces submittere debet, & Crucis cultum admittere: quia Albanus Crucem veneratus est: ante Crucem prostratus, quasi pendentem Dominum cerneret, veniam deprecatus est. Sic pedes, sic vulneris loca exosculatus; ac si ad ipsius Christi

vestigia procumberet. Denique super venerabile lignum Crucis ubertim flevit. Debet, inquam, hæc admittere si constans est. Hæc tamen omnia idem Montacutus Cæsarem appellans, *Crassam idololatriam* vocat. nam capite decimo nono Appellationis ita loquitur. *Rudes colunt id quod vident oculis, Imaginem Beatæ Virginis, & Crucifixum, ac si Christus ibi præsens esset. Hæc idololatria in eorum scholis antiqua est. Thomas Aquinas id directè affirmat: quod eadem reverentia exhibeatur imagini Christi, & ipsi Christo.* Hæc ille. & addere potuisset antiquius exemplum, Albani factum, & eum quoque inter idololatras recensere. Reponet fortè Montacutus; Albanum, sanctum sine dubio, & martyrem esse, idque sæculorum authoritate constare: non ita ejus factum. Quod licet antiquus Author, & innominatus, fortè etiam gentilis, aut Catechumenus affirmet: credendi tamen regula esse nullo modo potest. Ita est. Ad Authorem quod attinet, ipse de se loquatur. *Ne vero posteri*, inquit, *super meo nomine reddantur omnino solliciti, sciant; quia si voluerint verum mihi ponere nomen; me miserum, me peccatorum ultimum appellabunt. Romam autem proficiscor, ut illic gentilitatis errore deposito, & lavacro regenerationis adepto, veniam assequi merear delictorum. Libellum quoque istum offeram examini Romanorum, ut si quid in eo, secùs quam debuit, fortè prolatum fuerit, hoc per eos dignetur in melius commutare Dominus IESVS CHRISTVS.* Hic ergo ille est, quem Harpesfeldus vocat *Authorem innominatum, inventum in Monasterio S. Albani, & Beda antiquiorem.* quem etiam refert, & sequitur Cæsar Baronius. Ex hoc unius suffragio, fateor, non benè conditur articulus fidei. Eo igitur paulùm omisso, consulam Ecclesiæ proceres vetustiores, evolvam eorum monumenta: & quodcumque secundùm hanc partem apud eos invenero pronuntiatum rectè (Montacutum sequor) & commendatum: non dissimuletur, non incrustetur, non pervertatur. Sic virgo fides eminebit. De uso primùm, inde dicam de cultu Crucis, hoc sæculo, usurpato: Unde supradictorum veritas elucescet.

Montac. appello Cæsa. c. 19.

OBJECTIO.

Author apud Capgrav. in Albano.

Harpesfel. sex prima sæcula c. 6. in margine.

XXVI. CRUCIS SIGNUM PRIMUM FIDEI ELEMENTUM.

Principio docturus Albanum Amphibalus, ostendit illi Crucem, quam secum in viæ munerisque sui solatium tulerat. Et causam, factique rationem quæro: an id, & quare, in more positum? Respondeo: Inter prima Fidei elementa, Crucem semper habitam esse: ideo sacrum symbolum, & venerandæ religionis signum à Principibus meritò appellatum, teste Theodosio Imperatore, lege ultimâ de Paganis. Hoc signum rebus impressum, erat quasi manumissionis & libertatis insigne: quo res ab omni aliâ servitute, ad Christum Dominum Deumque suum transibat. Ita terræ infixum, signabat (Apostolorum tempore) materiale templum, Deo sacrum; Fronti, Mausolæum aliud, vivum ac nobile Christo dicatum. Id si solum esset, doctissimè fecisse dicendus est Amphibalus, à Cruce ordiendo rudimentum fidei. Sed non erat hoc solum. nam Christianæ Philosophiæ nobilissimum est compendium, Crux. In ea divinitatis arcana, assumptæque humanæ naturæ mysteria, denique redemptionem, & beatitudinem nostram, eleganter & religiosè contemplamur. Quod in formatione Crucis ita ostenditur. Erectâ ad frontem manu, eâdem mox infra pectus demissâ, illâ demum à sinistrâ dextrorsum decussatâ; Trinitatis imago perfectissima, ac divinarum personarum ineffabilis processio, figuratur. Etenim memoria quæ in capite sedem habet, tacto sincipite, signat deitatis fontem; fœcundum illum ac parentem, Patrem. Inde alterius personæ, quæ secunda in divinis est, & generatione producitur; descensu dextræ, ad ventrem usque, processio designatur: diciturque ideo, Dei Filius. Denique inter utramque medians tertia persona, & ima summis reconcilians; divina voluntas mirabili unione, Trinitatem perficit, meritoque ex vi processionis, modoque procedendi appellatur Spiritus Sanctus. Iterum assumptæ humanitatis mirabile Sacramentum, in figurâ Crucis scitè exprimitur. Et ut nunc pueri, ita olim rudes, altissimum illud incarnati verbi arcanum, brevi illo symbolo, ad hunc modum docebantur. Fronti manus admota, divinum intellectum signat, secundam, inquam, Trinitatis personam. eandem manum, cum infra pectus demittis, descensum Filii in uterum Virginis, pientissimo hieroglyphico expressisti, & generationem alteram. Rursum ubi manum erigis, ducisque à sinistro humero dextrorsum; ejusdem Dei-hominis sacratissimam Passionem, & effectum habes: translatos nimirum ad dextram Dei, qui priùs ad sinistram, rei damnationis erant. Unde inferni, gloriæque cælestis; bonorum etiam malorumque differentia, ad memoriam reducitur. Ecce habes breve, sed eloquens Fidei compendium: & unâ habes causam, cur Crucem Amphibalus Albano porrexerit, cum prima docere voluit elementa Fidei.

IN EO PRÆCIPUA FIDEI MYSTERIA.

DEITATIS

ET HUMANITATIS CHRISTI.

Nec unus hoc fecit Amphibalus (quod alterum quæstionis caput est) nam communis Christianorum praxis, & hujus sæculi consuetudo morem fecerat à fidelibus usitatum; Crucem, ceu fidei professionis tesseram secum deferendi, inter delicias, interque divitias illam servandi. Testantur id acta Nicomediensium Martyrum (passi sunt Diocletiano quintùm, & Maximiano quartùm Consulibus, eo nimirum anno quo Albanum martyrio coronatum aliqui suprà dixerunt.) In quibus hæc leguntur. *Præerat Nicomediensi Ecclesiæ Cyrillus Episcopus; qui sedulo pastorali studio, eam mirificè illustrabat: quem Domna virgo gentilis, Sacerdotum maxima, cum incidisset in Acta Apostolorum; & ex iis pietatem prægustasset; cupiens plenius ad Christianam fidem institui, noctu convenit. A quo religionem edocta SIGNOQVE CRVCIS DE MORE, dato nomine consignata, effectaq; Catechumena, Agapium Diaconum, ab eodem Catechistam accepit: rei tantum conscio Inde, barbaro homine, regio eunucho, paribus votis Christianum fieri expetente. Quocum etiam statuto tempore, baptismum suscepit.* Vides hic primum fidei rudimentum, in remotissimo Oriente, signum Crucis, tradi imprimis solitum. & puta Amphibalum, cum Cyrillo Episcopo, unum in Fide fuisse: præsertim cum discessurus Amphibalus Albano Crucem reliquit, ut infrà. nunc pergo ad Nicomediensium acta, ubi Crucem lego inter Christianorum divitias & delicias numerari. Sequitur enim.

XXVII. MOS CRUCEM DEFERENDI.

Apud Baron. anno 293.

Domna virgo, & Inde, Præfecto domus Regiæ deferuntur, quòd Christianam Fidem excolerent. Et ille exploraturus, an ita se res haberet; suasione delatoris, cubiculum eorum ingreditur. Quænam ibi invenerit: & quæ soleret esse Christianorum supellex:

XXVIII. *Apud Baron. supr. à.* CRUX INTER DIVITIAS ET DELITIAS

&

CHRISTIANORUM.

& qua ratione pro Christianis agniti referunt ibidem Acta. *Audivit Præfectus, & cum libenter eam admisisset probationem; aufert ab eis claves: & cum aperuisset; invenit protinus, sed non ut ipse sperabat: sed ea quæ verè erant veneranda, nempe divinæ Crucis figuram, & librum sacrosanctum. nimirum Apostolorum Deo gratas actiones, & præterea possessionum vacuitatem eorum, quæ in cælis magnum thesaurum recondebant. Cujus præclaræ opes erant duæ storeæ in nudo solo stratæ, generosorum & beatorum Dominæ, & Indes supellex, fictile præterea thuribulum, & lucerna, & lignea arcula, in qua reposuerant sacram oblationem, cujus fiebant participes.* Hæc ibi, quibus addit Baronius: *Signum sanctæ Crucis aliqua materia expressum, habere apud se pios Christianos, quæ tradit Gregorius Nissenus, in sanctâ sorore Macrinâ, & alia innumera planè exempla declarant.* Habeo ergo innumera argumenta Amphibalum Albano Crucem demonstrasse.

Baron. an. 293. n. 8.

XXIX. MOS FRONTEM CRUCE SIGNANDI.

Ex hoc more, infertur alius, Christianis hoc sæculo familiaris: nimirum signandi se signo Crucis: quem morem Ecclesiæ Proceres admodùm commendarunt: tum quia tacita mysteriorum Fidei professio censebatur: tum quia se Christi Crucisque servos, eo hieroglyphico, agnoscebant. Tum denique quia Crucem, armaturam fortium, omni sæculo, soli gentiles, Judæi, & cacodæmones aversati sunt. Has ob causas Gregorius Nazianzenus Crucis figuram appellavit παλαιὸν φάρμακον: antiquum remedium, quo dæmonum fraudes curabantur. nam ita in Julianum Apostatam, & de illo: *Ad Crucem,* inquit, *vetusq; remedium confugit: hocq; se adversus terrores consignat. Valuit signaculum, cedunt dæmones, pelluntur timores. Antiquum vocat, quia prioribus sæculis usurpatum: quod Iulianus abolere conatus, ut infrà.* Benè quærit Origenes: *Quid timent dæmones? Quid tremunt? sine dubio Crucem Christi, in qua triumphati sunt: in qua exuti sunt principatus eorum, & potestates. Timor ergo, & tremor cadent super eos, cum SIGNVM in nobis viderint Crucis.* Hoc signum in frontibus formari solitum, causamque ita formandi, idem Author alibi docet: *Christi humilitas,* inquit, *nostra est sublimitas: illius Crux nostra est victoria: illius patibulum, noster triumphus: gaudentes levemus hoc signum: immortale lavacrum portemus in frontibus nostris: cum dæmones viderint, contremiscent.* Lactantius Firmianus hoc multis explicat, in quarto Institutionum divinarum. Ubi illud valdè notandum. Imperatores ideò Christianos persecutos esse; quia se Cruce muniebant: ait enim: *Cum Diis suis immolant; si assistat aliquis signatam frontem gerens, sacra nullo modo litant.*

V. an. 355. 1.

V. an. 362. 2.

Origen. homil. 6. in Exodum.

Idem hom. 8 in diversos Evangelii locos.

Nec responsa potest consultus reddere Vates.

Et sæpè causa præcipua justitiam persequendi malis Regibus fuit. Cum enim quidam ministrorum nostrorum sacrificantibus Dominis assisterent, imposito frontibus signo, Deos illorum fugaverunt. Ita Lactantius, alludens ad id quod suprà retuli de alumno Chrismatis è Prudentio.

Lactant. 4. Instit. c. 27.

CRUX OLIM PERSECUTIONUM OMNIUM CAUSA.

V: an. 183. n. 32.

XXX. CRUCIS FREQUENS OLIM USUS.

Jam verò quàm frequenter Christiani hoc Crucis signo se muniverint; non uno in loco docet Cyrillus Hierosolymitanus, in quartâ Catechesi illuminatorum, ita scribens: μὴ ἐπαισχυνθῶμεν τῷ σταυρῷ τοῦ χριστοῦ, &c. *non pudeat nos Crucis Christi. Quod si aliquis id occultet: tu manifestè signa te Cruce in fronte; ut dæmones signum regium videntes, trementes procul fugiant. Fac autem hoc signum, & manducans, & bibens, & cubans, & stans, & ambulans, in summa, in omni tuo negotio.* Iterum catechesi tertiâ. *In fronte,* inquit, *confidenter signaculum Crucis digitis imprimatur: & in aliis omnibus crux fiat. in panibus comedendis, & in poculis bibendis: & in egressu, & ingressu; ante somnum recumbendo, surgendo, eundo, & quiescendo: magna hæc est custodia.* Non opus est pluribus; quia fatentur sectarii in Crucem pugnacissimi, hunc usum Crucis, primis sæculis, frequentissimum fuisse. & Montacutus, qui Ecclesiasticas origines studiosè investigat, non dissimulat: Pervertit tamen antiquum morem, de Crucis virtute, meticulosè scribens; cultum verò omninò sugillans, de quo statim. nam illud Cyrilli non omittam. *Accipe,* inquit, *primum immobile fundamentum, Crucem, & in eo reliqua Fidei ædifica.* Cui consonat illud Magni Antonii apud S. Athanasium. *Nos idololatriam debellavimus: & per prædicationem ignominiosæ crucis aurata templa conciderunt.* In idola ergo cruce pugnandum: *Et nisi buccinet tuba, non committitur bellum,* inquit in simili Origenes. Crux ergo Fidei comes est individua: & viri Apostolici, illâ Fidem seminarunt. Ita fecit Amphibalus. Ipse Cruce munitus, & imagine Crucifixi, Verolamium venit: Illam Albano ostendit: qui ex eo veluti fundamento, ad alia fidei mysteria surrexit. Hunc morem Oriens, Occidens; hunc Latina, Græca, omnis denique Ecclesia religiosissimè observavit. Et non est falsus anonymus in illa circumstantia. Videamus reliquas: Interim exosculare illud: τὰ ἀρχαῖα ἔθη κρατείτω. Antiquum hunc morem, Lector, quisquis es, serva.

Cyrill. catech. 4

Idem catech. 3.

Cyrillus suprà.

In vita S. Anto.

Orig. hom. 3. in Exod.

XXXI. CRUCIS CULTUS ASSERITUR.

Albanus ante Crucem prostratus, quasi pendentem in ea Dominum deprecatus est: & vulnerum loca piè veneratus. Quod Romanæ Ecclesiæ hostes nolunt audire. nam aiunt: illa corporis objectio, illa crucifixi veneratio, religiosum procul dubio cultum innuit: & ideo idololatriam sapit. Sed quomodo fieri potuit; ut sanctissimi Martyres, sub Diocletiano passi: & ideo passi, quia in unius Dei asserendo cultu obstinati, idola omnia respuerunt, in illa Cruce pugnantes: nunc post quindecim sæcula, ad novorum hominum tribunal sistantur rei: quòd unius Dei læsâ majestate, idololatriæ crimen admiserint? Negare ergo debent hoc factum ab Albano: & unius id anonymi lapsum esse. Hìc certè, si usquam, *evolvenda sunt monumenta vetustiorum: & quod apud Proceres Ecclesiæ, in hanc vel illam partem pronuntiatur: non dissimuletur* (ita jubet Montacutus) *non incrustetur, non pervertatur: sed sententiæ, & decisioni stetur Antiquitatis.* Excutio igitur Albani factum; & si præter hujus sæculi morem id fuisse invenero: accusabo Authorem, quòd sequentibus sæculis obtruserit, non Martyrum acta, sed vacui cerebri argumenta: accusabo & Bedam, aliosque Anonymum inaccuratè, & oscitanter sequutos. Fatebor denique irrepsisse aliquid in Romanam hodie Ecclesiam, à primâ, & virgine Fide diversum. Quòd si aliud invenero nihil ab Albano factum in cultu Crucis, quàm morem observatum hujus sæculi, probatum à Christianis omnibus, confirmatum à Proceribus Ecclesiæ vetustioribus: & denique omnium sæculorum suffragio roboratum: Tunc enimvero sistendi erunt ad tribunal Antiquitatis rei, qui suas merces, venerandæ Antiquitatis nomine fucatas, prostituunt: & antiquitatis aliis

religionis

religionis, & virtutum monumentis; sui cerebri idola substituunt: caque impotenter adorantes, idololatriæ crimen, quo ipsi laborant, imponunt aliis.

XXXII.

V: an. 125.

Cum Fidei splendore crevit Crucis cultus.

Crucem à Christianis hoc sæculo tertio, priùs, & posteriùs coli solitam, multa sunt argumenta. Suprà dixi, Fideles olim, orationis causâ, frequentes ivisse ad locum ubi Christus est fixus Cruci: ibique Cruci, quam tamen, Judæorum operâ, tenebris damnatam videre non poterant, supplices fuisse. nec ullis adversariorum minis; aut contra nitentium opprobriis, aut Imperatorum edictis, ab eo pietatis cultu, cohiberi potuisse: donec impuræ Veneris statuâ, loco impositâ; à religioso illo opere cessatum; non ob aliud, quàm ne cultus Cruci delatus, Veneri, à Christianis, deferri videretur. Inde ubi Fidei splendor, major in Christiano orbe apparuit: crevit & Crucis gloria, crucique debita reverentia. Etenim ubi primùm templa surrexerunt, & ornata sunt altaria: Crux ibi ad cultum palam exposita, fidelium mentes in gratam devotamque passionis ac redemptionis nostræ recordationem excitavit. Sed & gentilium fana, cruce expiari solita, collocato in eis, VENERANDO CHRISTIANÆ RELIGIONIS SIGNO: dixi suprà augustissimo teste. Cæterùm, si de Albani sæculo quæritur, an crux à Christianis coleretur: id sanè perinde esset, ac si quis quæreret: an hoc tertio sæculo, Christiani essent: nam qui fuerunt; non uno semper nomine, sed variâ dialecto, ab infidelibus distinguebantur. Etenim ut à Christi cultu, Christicolæ; ita iidem à Crucis cultu *Crucicola* vocabantur. nec dubium quin Crucem colerent. Unde quæstio hæc, in his Annalibus, locum non haberet; nisi Christiana Fides, in Christianissima olim provinciâ adeo degenerasset: ut viris cæteroquin doctis, & in investigandis Originibus Ecclesiasticis diligenter laborantibus; primæ Alphabeti Christiani literæ; prima inquam elementa fidei, ostendi, ac demonstrari necesse esset.

V. an. 287. 9.

XXXIII.

Christiani Crucicolæ vocabantur Albani sæculo.

Aldelm. de laud. virgin. c. 27.

Dicat ergo Aldelmus noster, Occidentalium Saxonum Episcopus, Bedâ antiquor, doctrinâ & sanctitate par: quibus nominibus Christiani censerentur, cum Diocletianus & Maximianus Ecclesiam persequuntur. & inde etiam cum Lactantio, persecutionis causam colliges, cultum Crucis. Ille igitur libro de laudibus virginitatis, ita respondet: *Temporibus Diocletiani, & Maximiani Olympiade sexagesimâ septimâ: cum edictis crudelibus, Catholicæ fidei cultores, quos Christicolas & CRUCICOLAS nuncupabant, ad thurificandum statuas ethnicorum cogerentur: nolentes apostatare, capitalem compulsi sunt subire sententiam.* Ita ille. Quod ad Olympiadem attinet, omisit majorem numerum, & innuit Diocletiani Imperatoris exordia; quæ benè ponuntur ad Olympiadem ducentesimam sexagesimam septimam. Significat ergo, cum Albanus passus est, Crucis cultum adeò communem, & usitatum fidelibus fuisse: ut neminem id lateret; sed ab eo cultu fideles passim Crucicolæ dicerentur. Albanus eo nomine appellatus, eo nomine apprehensus, eo nomine diuturnum carcerem perpessus, eo nomine capitalem sententiam subiens; sine ullo dubio Crucem coluit. Et certè quam Cruci devotus fuerit, statim ex actis apparebit. Etenim non semel, aut casu, Crucem veneratus est: sed sæpè, & studiosè, & quamdiu vixit, tamdiu Cruci supplex fuit. Hunc cultum, oscula, lacrymæ, & corporis situs probaverunt.

XXXIV. Obiectio.

Audio submurmurantem aliquem: Esto, creditum fuerit, Christianos crucem coluisse: & vulgus infidelium id jactaverit in opprobrium Fidei: Quis inde solidè arguet, ita factum: cum passim odio, inscitiâ, & vix unquam impetu vulgus feratur. Surge igitur (si aliquid probare vis) ab hac hominum fæce; ad Ecclesiæ proceres, ad monumenta vetustiorum: & quod ibi pronuntiatum inveneris, ad tribunal siste Antiquitatis: & tunc demum manum dabimus, herbam porrigemus, fasces submittemus, sententiæ subscribemus. O utinam semel fieret, quod toties promittitur! Utinam illi, qui toties in speciem ad antiquitatem provocant, id semel seriò, & in hac imprimis quæstione præstarent. Tunc enimvero libens meritoque surgerem à vulgo hominum, ad proceres Ecclesiæ; ad Heroas illos, qui vulgo majores, dati sunt ad *consummationem Sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem Fidei.* Quod Christiani, hoc sæculo, Crucicolæ dicerentur; Ecclesiæ proceres causa fuere. Illi Crucem in templis, locisque publicis, quò Christiani ad orationem convenire consueverant, collocabant: & inde nata appellatio. Quis hoc dicit? Referant inimici Crucis Christi, Magdeburgenses: *Tertullianus,* inquiunt, *in Apologetico testatur, Christianos eo tempore* (nimirum Albani sæculo) *maximè odisse solitos statuas, cum suis ornamentis. Hinc etiam in Deorum idola, quæ ethnici venerabantur, toties & tam acerbè invehitur. Crucis tamen imaginem, seu in locis publicorum congressuum, seu domi privatim Christianos habuisse, in eodem libro indicare videtur. Ob hoc enim ethnici Christianis objiciebant: quod Crucis religiosi essent.* Et verè objiciebant. nam si in templis, locisque ad cultum destinatis, Jovis aut Martis statua figeretur: quotquot eò cultus causa pergerent; Jovis Martisve cultores, sine tergiversatione dicerentur, & essent. Si igitur Ecclesiarum Præsules in ædibus sacris, ad ipsa altaria Crucem statuerunt, invitaruntque fideles ad cultum: non vulgo tribuenda est Crucicolarum appellatio, sed ipsis Cruces figentibus, Proceribus Ecclesiæ, cultum suadentibus.

Solvitur.

Ad Ephes. 4. 12.

Cent. 3. fol. 121.

Crux in Ecclesiis olim collocata.

XXXV. Ab omni hominum genere colebatur.

Nec à vulgo solum exhibitus est Cruci cultus, ipsi Ecclesiarum Antistites, exemplo præierunt. Hoc orbi constitit illustrissimè, ubi Helena Imperatrix, Crucem ex imo, abstersis sordibus, sublimè extulit, donavitque Macario Hierosolymorum Episcopo. nam eam ille solenni cæremoniâ in templo deposuit: ubi *ad memoriam solicita veneratione servatur,* inquit Ruffinus. Cæterùm de cultu, illi exhiberi solito, à Clero populoque ita refert S. Paulinus: *Ecclesia Hierosolymitana, arcano positam sacrario Crucem servat: quam Episcopus urbis ejus, quotannis, cum Pascha, Domini agitur, adorandam populo, princeps ipse adorantium promit.* Quem morem etiamnum servat Romana Ecclesia, hæreticis nequicquam obstrepentibus: cum in die Parasceves, Sacerdote præeunte, Crucem, Christumque ibi fixum adorat, solenni, & tredecim sæculorum religione firmata cæremonia. Notet hoc ille, qui Ecclesiasticas Origines venatur, promittitque se fasces submissurum Antiquitati. Anglorum certè hodierna Ecclesiæ prævaricata probabitur, &

Paulin. Epistola 11.

obliterasse

obliteraſſe primorum ſæculorum Fidem: quæ Crucem in templis, cultumque ejus non minùs quàm Adrianus Imperator prohibet, atque perſequitur. Quod ſi Imperatorem ſequi placuit: Dic Sodes, hæretice, cur non Conſtantinum & Helenam Britannos Principes, potiùs imitaris? Ut illi Crucem amaverint, ornaverint, coluerint, colendamque mandaverint, dicam ſequenti ſæculo. Quò enim in ſequentes ætates altiùs deſcendo, eò Crucis cultus, ut Eccleſis, illuſtrior erit. Et quamvis, in primo fidei mane, in aurora inquam infantis Eccleſiæ, & tenebrarum lucisque confinio; tricari fortè adverſarius poterit; vel ut ille, diſſimulare, incruſtare, atque pervertere: ubi tamen ventum eſt ad meridiem; ipſa factorum majeſtate, omnis hæc de Crucis cultu quæſtio, & quævis alia rituum differentia, facilè deciditur. Hactenus ergo quod habet anonymus de Amphibali Cruce, & ab Albano culta: alienum non eſt ab Albani ſæculo, à fidelium pietate, à mente Doctorum & procerum Eccleſiæ.

V. an. 125.

XXXVI. V. an. 187. p. QUO CULTU CRUX COLENDA.

Quæri ſolùm poteſt: Quo demum cultu, ad Crucifixi imaginem Albanus procubuerit? nam ſuprà dixi, in cultu eſſe differentiam. Quæ ſanè in hoc religionis actu maximè diſtinguenda: & una cultus ratio, creaturæ; alia convenit Creatori: quam ſi confuderis, in religionem peccaſti peſſimè. Montacutus hoc dubium ita proponit: *Non conſtat*, inquit, *quis ſit ille cultus Latria, Deo ſoli peculiariter præcisè debitus: quibus terminis circumſcribatur. Quis ille, qui ſolis debetur creaturis, modus, gradus, menſura, partes, conditio, limitatio. Omnia vacillant, vel ignorantur. Neque illud agitur, ut conſtare poſſint. Luſum diu eſt in hac quæſtione, & illuſum per ambiguitates: è privatis nempè, vel contendendi, vel diteſcendi reſpectibus. Conſtet autem hoc; & facilè conveniet inter nos, de ſanctorum reliquiis venerandis.* Hæc ille. qui, opinor, de Proteſtantium Eccleſiâ loquitur: ubi cum nihil conſtet; non mirum eſt, ſi vacillant, & ignorantur omnia, quæ de Sanctorum & reliquiarum cultu in Romana Eccleſia fuſiſſimè explicantur.

Montacut. Orig. Eccl. p. 1. n. 38.

LATRIÆ CULTUS QUALIS?

Breviter itaque ut Montacuto ſatisfiat. Latriæ cultum, ſoli Deo debitum, nullis terminis circumſcribimus. Ut enim Dei bonitas, ſapientia, & potentia, & quicquid demum in Deo eſt; infinitum eſt, & nullo clauſum termino: ita amor noſter, ſubjectio, & ſervitus, modum & menſuram neſciunt; & omnem quem figes terminum, tranſire cupient, in Divini dominii, & Majeſtatis Oceanum. ubi totus homo, corpus, anima, mens, è nihilo ſuo in Deitatis abyſſum delapſus; ſervit omnem, quam concipere mente poteſt, & majorem adhuc deberi videt, ſervitutem. Nihil hujus cultus creaturis damus: ſed tantùm veſtem illis congruam: quam pro excellentiæ gradu metimur. Nec ullam in illis excellentiam novimus, aut operum pulchritudinem; quam & divina gratia, & Chriſti Paſſionis purpura non adornat. Ita Sanctos, & in illis Deum adoramus. Hic ſalebræ nullæ, nulli luſus: *Conſtet*, inquit ille, *hoc & facilè conveniet inter nos*. Conſtat, inquiam, hoc, & conſtat authoritate ſæculorum: conſtat Conciliorum ſanctitate; imo ipſo naturæ lumine conſtat; excellentiæ in anima rationali honorem, cultumque dandum, pro modo excellentiæ. Dic tu excellentiam modumque ejus: & ſequitur cultus, ratioque ac menſura illius, nam κατὰ τιμὴν, προσκύνησιν, *ſecundùm dignitatem, adoratio*, dixit Nicephorus Patriarcha Conſtantinopolitanus in ſua ad Leonem Papam profeſſione fidei.

SANCTORUM CULTUS QUALIS?

Apud Baron. to. 9. an. 811.

XXXVII. CULTUS MORTALIBUS, ET IMMORTALIBUS DEBETUR.

Hic iterum ludit cæcutiens adverſarius: & inter cultum civilem mortalibus debitum, & divinum Deo, non videt medium. Quaſi verò mortalis miſeriis, ærumnis, & infinitis calamitatibus obnoxius, coli poſſit, & debeat: non poſſit, aut debeat immortalis? Aut plures hic in terris, excellentes ſint, & excellentiſſimi; nulli in cælo. Sed iterum urget factioſus: Quo demum nomine vocari debet hic cultus? Si civilem dixeris; jam cælo donati ſupra cives ſunt, & impropriè loqueris: ſi divinum; in Deum immanè peccas. Ita divinæ gloriæ prætextu, factionem tegit adverſarius: ſed facilè retegitur, quicquid dixeris. Enimvero ſi terreſtris incolatus cives, cultu dignamur; admodum incivilis eſt, qui cæli civibus cultum negat, cæli civibus congruum. Si nolis civilem dicere; dic cæli civibus, cæleſtem deberi. Et quia divinum quoque appellamus, quod infra Deum eſt; propè, tamen, propiùs, & proximè Deum refert: dic audacter eo ſenſu, divinum cultum, ſanctis deberi. Sed meticuloſum eſt animal, ſectarius: & non vult divinum dare. Quid facies? vocetur ut libet; modò cultus aliquis non negetur. Si Martyr eſt, vocetur cultus martyri debitus: ſi Apoſtolus, Apoſtolicus: ſi Angeli colendi ſunt (& quis non colet mentes illas immortales) dic cultum illis deberi Angelicum: & quis inter Angelos differentia eſt, & diſcrimen maximum: Ego Seraphinis, Seraphicum: Cherubinis, Cherubicum appellabo: & cæteris ordinibus pro menſurâ gratiæ gloriæque. Quod ſi de Virgine Dei Matre quæritur: quia ſuper omnes Sanctorum & Angelorum choros, Deo præ omnibus approximat: illam eminentiori modo colam: & cultum vocabo Deiparæ proprium, à Dei cultu infinitè diſtantem: tamen omnium Sanctorum & Angelorum cultu majorem. Qui hæc controvertit, nodum in ſcirpo quærit, & factioſus eſſe, ſine ullo alio argumento convincitur. & contra illum ſurget in judicio Ariſtoteles; qui 8. Ethico. honorem vocat: *Benefica virtutis præmium*. Et amabo te, nunquid adminiſtratorii ſpiritus benefici non ſunt? nunquid Deipara non benefecit nobis; cum Deum nobis protulit & hominem; cujus beneficio æternùm vivitur?

DISPAR, UBI DISPAR EXCELLENTIA.

XXXVIII. ALBANUS IN CRUCE CHRISTUM COLUIT.

Redeo ad Albanum: & dico eum ante Crucifixi imaginem proſtratum: Latriæ cultu, Chriſtum adoraſſe: ita doctum ab Amphibalo, ni mavis è cælo. Hoc hiſtoriæ verba perſuadent, cum dicitur: *ac ſi pendentem Dominum IESVM in Cruce cerneret*: cui ſine controverſiâ, Latria convenit. Porrò quòd Chriſtus prototypon ibi non fuerit reipsâ, minimè variat rationem cultus: nam amor, reverentia, oſcula, lacrymæ, in ipſiſſimum Chriſtum ferebantur: & cultus, quidni? illa ſequebatur. Crux, & imago Chriſti ibi fixi, cultus objectum erat proximum, non ultimum. Albanus enim doctus Deum unum eſſe, crucifixi imaginem Deum eſſe non credidit, natura & reipſa; ſed tantum ξύλου & habitudine, quo veluti inſtrumento & adminiculo, ad Deum ſurgebat per ſpeciem ejus. Nec enim aliter Deum adorat, quiſquis Deum orat; ſi benè orat. Nam debet Deum orans, Deum concipere, imaginari, & quaſi mente formare. Et quis neſcit Deo ita concepto ac imaginato, cultum deberi, veramque latriam. Si ergo hominem

Chriſtum,

Christum, sic mente & cogitatione depictum, adorare licet: cur non licet, arte formato ita latriam exhibere. nullibi hic idolum, aut idololatriæ suspicio. aut si est: quisquis Deum, mente conceptum veneratur, is idolum venerari dicendus est: quod nemo, nisi mente captus, effutiet. Hic etiam solvitur eorum scrupulus, qui orare ad imaginem Christi, sed non adorare imaginem volunt. nam hi Christum in mente formatum, ac imaginatum, cum sine scrupulo adorent: cur eundem Christum ab alio imaginatum descriptumque adorare formidant? Mira res: Idola sui crebri sectarũ comminiscuntur & & adorant, Fidem nescio quam, dogmata nescio qualia: & Christum eo modo, quo orthodoxus orbis per quindecim sæcula adorare consuevit, idololatriam putant.

XXXIX. FORMANDI CRUCEM ET COLANDI INITIA.

Asserto latriæ cultu, Christo in imagine debito; superest, ut tam formandæ Crucis, quàm eam colendi prima initia repetamus. Quod admodùm scire convenit ei, qui Ecclesiasticarum consuetudinum origines investigat. Primò quod ad Crucis formationem attinet, in rebus sacris, suprà dixit Magnus Basilius, in baptismo, Apostolicæ Traditionis esse: sicut & aliorum sacrorum, quæ in Ecclesiis semper usurpata, aliam nesciunt originem, ut affirmat Sanctus Augustinus. Porrò Justus Urgelitanus Episcopus qui ante mille annos scripsit, primum formandæ Crucis Magistrum & Doctorem, Christum dixit in Cruce pendentem. *Tunc*, inquit, *universam Ecclesiam Christus sibi despondit; quando in patibulum Crucis ascendens, ex eadem Cruce, signum in frontibus, omnes in se credentes edocuit.* Hanc lectionem, postremò dictatam, & Christi sanguine scriptam, Apostoli devotissimè excipientes, Ecclesiis tradiderunt. Cæterùm Britannorum primus Doctor (quod quidem literis traditum) Josephus ille Christi sepulturâ nobilis, fuit: quem Crucem formasse, & illam posteris reliquisse, constans authoritas est, ut suprà ubi etiam dixi Fugatium & Damianum, visâ Cruce illâ, optimo argumento collegisse, Christianos Glastoniensem secessum jam pridem incoluisse. Ita Britannia statim à morte Christi, per eum qui Christum crucifixum viderat, & sepultum, beata est. Inde Helena Britanna fœmina, prototypicæ Crucis inventione, universum orbem beavit. Et Insula hæc horum exemplo Crucis patrocinio, tam in bello quàm in pace munita, non alia voluit gentis suæ insignia. Si crucis contemptum, exterminium, odium tam alto principio repetere possent Calvinistæ: haberent fortè altercandi ansam aliquam, & Cruces deprimendi: Sed vel Judæos, infideles, & orcum ciere debent; vel in hac lite obmutescere. Eodem modo de cultæ Crucis origine philosophandum. Quamprimum Christus passione, sanguine, & integro corpore Crucem consecravit, effuditque ibi animam suam; cæpit Christianus orbis Crucem revereri: & quotidie in ea legere, colere, recolere, venerari infiniti amoris pœnalissima argumenta. Quod Judæi & infideles animadvertentes, Crucem abjecerunt, æternis, quantum in eis fuit eam tenebris condemnantes. Crux ergo colebatur, prius quàm abdebatur: & quamdiu prostabat, poteratque usurpari oculis: tamdiu fidelibus, pietatis alimentum & cultus fuit: Judæis solum & Ethnicis Cruci bellum inferentibus. Quos sequuti Imperatores decem, Christianos innumeros, & eos inter Albanum, Crucis cultores, peremerunt. Ita factum in Christianæ religionis fideique aurorâ. Verùm ubi Helena & Constantinus regnaverunt, & amotis sordibus, disjectisque idolorum phanis, Crux Christi apparuit, in cælo & in terrâ: tunc enimvero contemplari licebat, ut orthodoxæ fidei, ita cultus hujus meridiem: cum summi, infimi, miles, Senator, Imperator, omnes denique, ad Crucem religiosissimè procumbent, ut infrà dicetur. Ita habes, brevi compendio, initia & progressus, tam odii, quàm cultus Crucis. & inde, veluti è notâ characteristicâ, orthodoxam Ecclesiam distinguere poteris. ab omni aliâ secus credente Synagogâ. nam Christo teste, *signum Filii hominis, Crux est*: & (ut † alibi probavi sanctissimo argumento) non Cruce muniri, signum est Antichristi. Cæterùm Albanus, illis annumerandus est, qui Cruce muniti, Crucem religiosè coluerunt. nam ut patebit ex infrà dicendis; Crucem sibi ab Amphibalo relictam, devotè servavit, cum illâ à satellite captus; ex illâ, cujus fidei esset, agnitus; illâ munitus ad tribunal sistitur; cum illâ, in custodiam traditur; cum illâ, mortis sententiam excepit; cum eâdem, ad supplicium ductus, tamdiu illam manu tenuit, donec unà cum illâ, vitam deposuit. & noli Lector mirari, si morosiùs hæreo in doctrinâ Crucis, quam Britannorum Martyrum primus, tam sedulò excoluit. nam fortè constans hic Albani amor in Crucem Helenæ Augustæ pietatem acuit, mentemque, cum Deo, injecit illa quærendi, quod Christianorum optimi, cum vitæ fortunarumque impendio, inter carnificum tormenta, plurimi fecerant. nunc ad historiam redeo.

V. an. 183. 24.

Augustin. de baptis. con. Donat. l. 4. c. 24.

Iustus in Cantico c. 8.

V. an. 64. 7.

V. an. 312. 33.

Matt. 24. 30

† An. 218. 2.

XL. AMPHIBALUS AB ALBANO DISCEDIT.

Docto baptizatoque Albano, cum Romanus miles in orthodoxæ fidei cultores vehementiùs fureret: Amphibalus Magister Verolamio discedere, seque ac discipulum periculo subducere satagebat: cum contra Albanus ægrè ferret tam citò à piissimi viri amplexibus avelli. Vicit tamen Amphibalus, & Albani veste, satellites fallens, ex urbe discedit. Narrat hæc Florilegus in hunc modum. *Albanus hortatur Amphibalum, ut urbe secedens sibi præcaveat: dans ei chlamydem auro textam, quo tutior ab hostibus redderetur. Ipse vero Magistri sui Caracallam sibi retinuit; certissimè sciens, quod non aquis oculis eam savientes aspicerent inimici. Igitur Amphibalus, Albani acquiescens precibus, ante lucis exortum fugam arripuit; per viam tendens, quæ de civitate vergit ad aquilonem. Albanus verò eum conducebat, quamdiu ambobus visum est expedire. Cumque discederent ab invicem, & ultimum sibi vale facerent; Quis eorum lacrymis, sine lacrymis, ad memoriam valeat revocare? Itaque in Vallium Amphibalus, ad martyrium festinat. Albanus autem habitu Magistri vestitus est, ut vel hoc modo gentilium animos in se solum faciliùs provocaret.* Hactenus Florilegus. Cæterùm Caracalla, quam Amphibalus discipulo reliquit, erat vestimenti genus, ad talos usque demissum. unde Antoninus Imperator Severi F. cognomen accepit, dictusque est Caracallus, quòd hujusmodi vestimenta donavisset populo, teste Spartiano. Eo autem vestis genere usos, in primitivâ Ecclesiâ, Christianos Clericos, probat ex hac Amphibali veste, Cæsar Baronius, dum agit de Antonino Caracallo: *Nolumus*, inquit, *præterisse, fuisse Caracallam vestem olim Clerici usûs: quippe quæ usque ad talos demissa, magnum eam induenti conciliaret decorem.*

Floril. anno 303.

AMPHIBALUS CARACALLA.

Spart. in Anton. Caracal. c. 9.

Baron. an. 213. n. 10.

decorem. Beda enim non aliunde, quàm ex antiquis Sancti Albani actis: tradit eundem S. Albanum induisse se vestimentum Clerici, quem fugientem domi exceperat, nempe Caracallam; qua Clericis sic uteretur, ut licet, fuga esset impedimento, utpote ad talos demissa, tamen carere noluisset. Ita ille.

XLI. ALBANI A CONVERSIONE PIETAS. *Harpesfel. 6 sæc. c. 8.*

Interea novus Christi miles Albanus, ab Amphibalo doctus, & à Deo confirmatus; magnis passibus ad immortalitatem ibat; Christique tormenta, quæ in Cruce legebat, pensiculatiùs evolvens, in Deum unum trinumque totus ferebatur. *Itaque sordescere illi jam mundi illecebra*, inquit Harpesfeldus, *dulcescere lacryma, & singultus, vilescere catera omnia; ut unum pro omnibus Christum lucrifaciat. In eum spes omnes suas & amores conferre, huic uni se totum ita devovere, ut de vitá se potius millies divelli sustineat, quàm aut de fide, aut charitate Christi sui.* Et hic fructus amatæ cultæque Crucis. In eâ enim devota mens omnia fidei mysteria contemplatur. Ibi legit divinam potentiam in homine creando; ibi amat infinitam in recreando homine bonitatem: discit peccatum horrere, virtutem amplecti. Docetur denique vicem reddere: vitam, inquam, si opus est, in Christi causâ prodigere. Latiùs ergo emanare cœpit Albani pietas, & certa ad Christum conversio; nec contineri poterat domestico pariete. Tunc vicini cum mores alios vitamque adverterent; cæperunt, quod revera factum est, ominari. Crevit tandem suspicio in aperta argumenta; & Albanus religionis postulatur. Ut se in hac quæstione gesserit, dicam ex ipsis Martyrii actis, quæ Beda sequutus est, & Baronius suprà *antiqua* vocavit. Ibi de Albani comprehensione hæc habet author. *Gentilis quidam ad judicem ingressus, quid factum fuerat, indicavit. Mox judex irá commotus, Albanum, & Magistrum illius, ad se jussit evocari. Sed Amphibalo clam recedente, equites cum magná manu peditum à judice missi, illustrem Albanum, in habitu peregrino, nudis pedibus, ante Crucem Domini precibus incumbentem repererunt.* Ex supplici hoc corporis situ, Crucisque cultu, non alio argumento; collegerunt milites, Albanum, Christianum esse. Quod si illum, Cruces confringentem, aut illas dehonestantem invenissent; næ ceu suæ factionis hominem dimisissent. Pepercissent ergo factiosis nostris, qui nuper Amphibalos omnes, ex hac Insulâ, & cum illis Cruces, è templis & altaribus, proscripserunt.

Apud Capgravium in Albano.

ALBANUS RELIGIONIS POSTULATUR.

XLII. *Capgrav. suprà.*

Equites catervatim irruentes (pergunt acta) *ubinam esset Clericus, quem susceperat, Albanum percontantur. Quibus ipse ait: Ecce cum Deo est, cujus præsidio circumfultus, minas hominum non veretur. His auditis, manus ei injecerunt: rapitur, trahitur, dirisq, nexibus catenarum; ab aliis vestibus, ab aliis trahitur & capillis. Caracallam autem magistri sui sibi retinuerat, certissimè sciens, quod non æquis oculis eam sævientes inimici aspicerent. Qua indutus, ut se* SERVUM CRUCIS *palam cunctis ostenderet,* SIGNUM DOMINICUM *jugiter in manibus præferebat. Et de multis à Iudice interrogatus, nomen suum tantum indicat, Christianumq; se esse, liberâ voce, confitetur. Cui Iudex demum ait: Albane: Clericus ille, ubi est, qui nuper à Christo nescio quo, huc directus, ut civibus illuderet, hanc urbem latenter ingressus est? Si reatus conscientiæ eum non remorderet; si de causa sua qualitate non diffideret; sponte se nostris obtutibus ingessisset; ut pro se, suoq; discipulo, magister egregius allegaret. Verùm in ejus doctriná, quanta latuerit falsitas, quantaq; fraudulentia; suo tandem patefecit exemplo: quando eum, quem in causâ tueri debuerat, inertis resolutus timore deseruit, & aufugit. Qua in re, nisi fallor, satis evidenter intelligis quam fatuo hominis præbueris in errore consensum; cujus instinctu, ad tantam devolutus es insaniam; ut omnia quæ mundi sunt repentè desereres; & Deos magnos habere contemptui non timeres. Unde ne injuriam Deorum præteriisse multi videamur; eorum contemptum, in nece contemptoris placuit vindicare. Sed quia nemo est, qui falli non possit: eorum poteris indignationem pœnitendo declinare: quorum gratiam promereberis, si hac secta nefandissima fuerit à te penitùs segregata.*

COMPREHENDITUR.

SERVUS CRUCIS.

XLIII. ALBANI CONSTANTIA.

Respondit Albanus: *Verba tua, ò Iudex, quibus diutius insudasti, quàm vana sint, & superflua, satis in promptu est. Clericus enim, si bonum, si utile videretur, denique si utrique nostrum cordi esset; ad nostram utique audientiam occurrisset: sed mora ejus mihi certè placere non potuit; qui sciebam populum semper ad mala fuisse proclivem. Nec ei Iudices unquam placuerunt, qui verum in judicio decernunt. Hujus doctrinam me fateor suscepisse; nec facti pœniter. Fidem enim quam suscepi, debiles & ægroti, sanitati restituti, veram esse, salutis suæ testimonio comprobabant. Diis vestris non sacrifico: nec etiam minas vestras, nec tormenta vestra, Dei mei fultus præsidio, pertimesco. His dictis conveniens turba, præcepto Iudicis, sacrificare nolentem acriter flagellabat. Qui cum graviter cæderetur, conversus ad Dominum, hilari vultu dicebat: Domine IESU CHRISTE, custodi, quæso, mentem meam, ne vacillet, nec à statu decidat, quem dedisti. Tibi Domine animam meam in holocaustum offerre, fusoq; sanguine testis tuus fieri concupisco. Cumque fatigarentur manus lictorum; vir sanctus, in ima carceris, sex mensibus detruditur. His ita gestis mox injuriam Martyris elementa testantur. A tempore namque comprehensionis illius, usque ad mortem, terram, ros aut pluvia non infudit, venti non spirarunt; sed diebus singulis, omnis regio, sub sole ardentissimo torrebatur. Nocturnis quoque horis æstus erat nimius, & intolerabilis. Non agri, non arbores, quicquam fructuum protulerunt: Orbe terrarum, pro justo, contra impios dimicante.* Hæc omnia antiquus Author. Quæ, quia temporis ratio persuadet in annum sequentem rejicere: excutiam ibi prodigiorum veritatem. paucis interim expedio, quæ hujus anni sunt propria. Inter quæ illud memorandum, quod occasione persecutionis hujus, multi provinciales è Britanniâ fugerint, & aliò se receperint, quietis, colendique numinis studio. De quibus ita Bachanatius: *Scoti liberati rebus externis, nihil prius habuerunt, quam ut religionem Christianam promoverent. occasione illinc ortâ, quod multi ex Brittonibus Christiani, sævitiam Diocletiani timentes, ad eos confugerent. E quibus complures doctrina, & vita integritate clari, in Scotiâ substiterunt, vitamq; solitariam tantâ sanctitatis opinione apud omnes vixerunt, ut hoc genus Monachorum Caldæos appellarint.* De quibus dicam, an. 395. n. 6. nunc alteram Remp. inviso.

FLAGELLATUR.

Bachanat. rerum Scotica. l. 4.

XLIV. CARAUSIUS TYRANNUS. *Victor de Cæsar. c. 39. §. 2. Oros. l. 7. c. 25. Beda l. 1. c. 6*

Romanam hanc tyrannidem, in Christianam provinciam, ulcisci voluit Deus, permisitque tyrannidem tyrannide expiari. Carausius quidam, *Menapiæ civis, factis promptioribus enituit*, inquit Aurelius Victor. *His genere quidem infimus* (ita referunt Orosius & Beda) *sed consilio & manu promptus, cum ad observanda Oceani litora, quæ tunc Franci & Saxones infestabant, positus;*

plùs in perniciem, quàm in provectum Reip. ageret; ereptam prædonibus prædam, nullâ ex parte restituendo Dominis; sed sibi soli vindicando; accendens suspicionem, quia ipsos quoque hostes ad incursandos fines, artificis negligentia, permitteret. Quamobrem à Maximiano jussus occidi, purpuram sumpsit, ac Britannias occupavit. Ita illi. Quod ad tempus spectat, inaccuratè satis distinguunt Authores Carausii facinora: benè, scilicet, navatam in bello operam; Oceani præfecturam, illi à Maximiano commissam; piraticæ exercitium: invasum denique Britanniæ imperium, ac idem illi, cum extorqueri non posset, remissum. Hæc enim omnia, septennii spatio, incepta, provecta, ac completa fuere, ipso sub finem septennii, vitâ simul & purpurâ exuto. Verùm singula in suos annos referre, quæ Authores passim confundunt, operosum est. Hermannus Contractus refert illa ad annum Christi ducentesimum octogesimum octavum. Jacobus Gordonius ad hunc ducentesimum octogesimum sextum. Hanc duorum annorum differentiam, conabor infrà componere. non item illud, quod habet Baronius ad annum Christi ducentesimum nonagesimum septimum, quò referre videtur Carausii piraticam. Agens enim de Thebæâ legione, Maximiani jussu tunc cæsâ, apud Agaurum, Amandi & Æliani, in Galliis, ac Carausii in Britannia tyrannidem, in idem tempus rejicit, authore Helinando, qui Thebæorum martyrum acta composuit. Sed quia frequens antichronismus ibi reperitur, ubi sanctorum vitæ nudè exponuntur; dicamus quod verosimilius est: Maximianum, non semel in Gallias venisse; & primo quidem Amandum & Ælianum, inde incursantes Herulos, & Burgundiones, pressisse: tum evocatum in Italiam, à Diocletiano, iterum in Germanias Galliasque descendisse, post annos duos. & hæc quidem omnia priusquam Constantius imperio ascisceretur. Itaque cum Amandus in Gallia surrexisset, hoc eodem anno 286. Carausius; *Cum apud Bononiam* (ut scribit Eutropius) *per tractum Belgicæ & Armoricæ, pacandum mare accepisset, quod Franci & Saxones infestabant; multis barbaris sæpè captis, nec prædâ integrâ, aut provincialibus redditâ, aut Imperatoribus missâ: cum suspicio esse cœpisset, consultò ab eo admitti barbaros, ut transeuntes cum præda exciperet, atque hac se occasione ditaret; à Maximiano jussus occidi, purpuram sumpsit, & Britannias occupavit.*

TEMPORIS RATIO.
Herman. anno 288.
An. 288. 2.
Baron. an. 297. n. 17. 18.
Eutrop. l. 2.

XLV. PROBATUR RATIO TEMPORIS.

Nec refert, quod Eutropius, cum Amandi & Æliani, assumptam, & depositam purpuram narravisset, dicat: *Post hæc tempora Carausius*, &c. quod fortè in causa est, cur aliqui cum Baronio, Carausii defectionem posterius referant: nam cum Eutropius, græcè dixerit: κατὰ δὲ τὸν αὐτὸν χρόνον, id multò rectiùs, in Fuldensi Codice, quem refert & probat Fredericus Silburgius, redditur: *per hæc tempora*, vel eodem tempore, ut sensus sit; eodem anno Carausius, res novas in Britanniâ agitavit; quo Amandus & Ælianus Gallias turbaverunt. & illi primi, Maximianum traxere in Occidentem. Quò illum, hoc anno, venisse, Albanus noster argumento est. Carausius itaque, cum priùs à Romanis, mari, & Oceano nostro, præfectus esset, turbatam in Gallia Remp. videns, & distractas ibi Romanorum vires, opportunitate usus, piraticam primo exercuit; inde, quo scelera tegerentur, purpuram cepit, hoc ipso anno octogesimo sexto supra ducentesimum. sub cujus anni finem, Maximianus in Galliis, perduellem castigaturus, classicum cani jubet, navesque parari. Quo eventu, dicam anno sequenti.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1038.

ANNUS CHRISTI 287.

CAII PAPÆ 4.

DIOCLET. ET MAXIMI. IMPP. 4.

I. INGENS TERRÆ SICCITAS.

ALBANI MARTYRIUM HOC ANNO CONTIGIT.

CUM Albanus, sex mensium spatio, in vinculis detentus sit, ut suprà; mortemque subierit decimo Kalendas Julias, ut Beda, & omnia Martyrologia testantur: omnino sequitur, non eodem anno captum ad vincula & martyrio coronatum. Itaque sub finem anni superioris, ab Amphibalo doctus, & baptizatus, pro Christo carceres & quæstiones subiit, & hoc demum anno ducentesimo octogesimo septimo, Diocletiano III. & Maximiano II. Coss. expleto sex mensium tyrocinio, fidem Christi suo sanguine professus est. Ingens ergo illa terræ siccitas, quam suprà Albani Acta recitant, hoc anno contigit, hyemali tempore: quo maximè cælum consueverat pluviam reddere. Adde tunc æstum magnum, & orbi huic nostro, qui plerumque à Septentrione recreatur, insolentem, auxisse miraculi magnitudinem. Quæ certè tanta fuit, ut externi Authores ejus meminisse videantur. Mamertinus enim Orator, qui hoc tempore agebat in Germaniis; Maximiano Imperatori adulatus, conatur illi persuadere, cælum ejus conatibus obsequutum; noluisse imbre terram fœdare; ut ædificandæ classi, quam in Carausium parabat, operæ incumberent. Ita namque orat: *Ædificatæ sunt, ornatæq; pulcherrimæ classes, cunctis simul amnibus Oceanum petituræ. Neque solum ad perficiendas certatim homines laborarunt; sed etiam ad excipiendas flumina repente creverunt. Toto ferè anno, Imperator, quo tibi opus erat serenitate, ut navalia texerentur, ut trabes cæderentur, ut artificum animi vigerent, ne manus torpescerent; nullus ferè dies imbre fœdatus est. Hyems ipsa temperiem veris imitata. Iam non in Septentrione nos putavimus, & quasi translatis sideribus, aut terris, meridiani cæli clementiam sensimus. Fluvius hic noster* (Mosellam intelligi putat Jo. Livineius) *diu pluviarum pabulo carens, impatiens erat navium, solum navalibus tuis materiam devehebat.* Hæc ille, in eo solum falsus; quod putaverit cælum Maximiano famulatum, cum revera fidei Christianæ eclipsin in Britanniâ dissimulare non posset. Hæc est illa Maximiani expeditio contra Carausium, quam latiùs exponam, cum Albanum martyrii laureâ donavero, ad quam festino.

AB INFIDELIBUS DESCRIBITUR PRÆDICTA SICCITAS.
Mamertinus pan. 2.

II. ALBANI PRECES ET VOTA

Putabat Infidelis Judex, molestiâ carceris frangendam novi militis constantiam. Verùm Albanus collegerat vires, & inter Crucifixi amplexus, acuerat magis pietatis impetum. Christum enim inter vincula ardentissimè prædicabat; & major omni timore, *cupiebat dissolvi & esse cum illo:* unde in carcere constitutus, has voces dicitur emisisse: *Domine IESV CHRISTE, ne permittas, in tantum diaboli prævalere malitiam, ut*

per

per machinationes suas callidas, & istius populi concordiam, meam impediat passionem. Et ad populum se convertens ait: Sciatis universi, Deorum vestrorum me gravem existere inimicum. Nunquid enim honore sunt digni, qui nihil in se divinitatis habere noscuntur, cum sint opera manuum hominum? vos cæstec eorum estis, quia nihil vident, nihil audiunt, nihil intelligunt. O multum detestanda vanitas, ab his vitam sperare, qui nunquam vixerunt! His offerre preces, qui nunquam audierunt! Ab his salutem quærere, quibus nunquam benè fuit. Vnde absolutè pronuntio; quia qui tales colit, insanissimus est. Rogo quid infelicius homine, cui sua figmenta dominantur? Væ igitur idolis, & væ cultoribus idolorum.

NOTA CONTRA SECTARIOS.

Adverte, Lector, quàm acriter in idola pugnet Albanus, qui Crucem interea devotissimè coluit. quod tamen idololatriæ crimen nasuti nescio qui, intemperanter vocant. Sed revera qui sanctorum imagines & Crucem piè venerantur, tam procul sunt ab omni illius criminis suspicione, quàm ipsi procul sunt ab Albani & antiquorum fide. Desinant ergo homines loquacissimi vociferari è suggestis, & Romano-Catholicos superstitionis accusare, vocareque prævaricatores legis & decalogi; quamdiu Albanum habent, & omnem hanc ætatem, Christi imaginem eximiè colentes, ideoque vulgò *Crucicolas* appellatos; idola interim magnis vocibus, & majoribus factis aversantes. Cæterùm quam constanter, in confessione cultuque Crucis, vitam deposuerit Albanus, dicant Acta quæ sequuntur.

III. ALBANUS CONDEMNATUR.

Albani vita apud Capgr. Beda l. 1. c. 7.

His auditis, unanimi consensu, in sanctum virum, mortis culere sententiam, ipsumq́; ad locum, qui Holmhirst dicebatur, perduxerunt. Fuit locus ille, non in urbe, sed in editiore loco, propè Verolamium; quem graphicè Beda descripsit ita: *Qui opportunè locus* (lætus omnia exemplaria, sed corruptè legunt) *gratia decentissima, quingentis ferè passibus, ad arenam situs est; variis herbarum floribus depictus, imo usquequaque vestitus; in quo nihil repentè arduum, nihil præceps, nihil abruptum; quem lateribus longè lateq́; deductum, in modum æquoris natura complanat. Dignum videlicet eum, pro insitâ sibi specie venustatis jam olim reddens, qui beati martyris cruore dicaretur.* Hæc Beda.

AD MORTEM DUCITUR.

Beda suprà.

Albanum ingens hominum multitudo sequebatur, nec omnibus capiendis via sufficiebat. *Cum ad mortem duceretur* (narrat Beda) *pervenit ad flumen, quod muro & arenâ, ubi feriendus erat, meatu rapidissimo dividebatur. Viditq́; ibi non parvam hominum multitudinem utriusque sexus, conditionis diversæ & ætatis; quæ sine dubio divinitatis instinctu, ad obsequium beatissimi Confessoris ac Martyris vocabatur: & ita fluminis ipsius occupabat pontem; ut intra vesperam transire vix posset. Denique cunctis penè egressis; Iudex sine obsequio in civitate substiterat. Igitur S. Albanus, cui ardens inerat devotio mentis ad martyrium ociùs pervenire; accessit ad torrentem, & dirigens ad cælum oculos, illico siccato alveo, vidit undam suis cessisse, ac viam dedisse vestigiis.* Hæc Beda.

MIRACULUM SICCATI TORRENTIS.

Acta apud Capgravium.

Narrant porro Acta Albanum, positis in terram genibus, ita oravisse. *Domine IESV CHRISTE, de cujus sanctissimo latere, sanguinem simul & aquam manare conspexi; fac quæso, ut minorentur aquæ, fluenta recedant; quatenus hic omnis populus, sanus & incolumis, meæ passioni valeat interesse. Mira res, cum genua curvaret Albanus, alveus ille repentè desiccatur. Albani lacrymæ dum funduntur, aquas in flumine non relinquunt. Orationis virtus flumen exhausit, & inter undas viam populo patefecit.*

IV. PROBATUR SUPRADICTUM MIRACULUM.

Debeo in miraculis recensendis scrupulosior esse; quia in tempora incidi miraculis inimica. volo igitur huic prodigio paululum immorari, ut moderno stomacho, prodigia nauseanti, consulam. Joannes Fox, in Pseudo-martyrologio suo, Albanum laudat, vocatque Martyrem: quæ tamen antiquus Author & Beda, cæteriqúe, post eos, narrant facta mirabiliter; primùm, indignanti supercilio legit; tum eorum fidem elevat; denique *nec necessitatem*, inquit, *video nec ullum commodum, cur ego illa recenseam.* Hanc ob causam, tacuit omnem Crucis mentionem, cum Albano inventæ, ab eo reverenter habitæ, osculis & lacrymis cultæ, demum ad mortem usque retentæ. Quæ nullum revera nuperæ factioni commodum; nullum, nisi eandem deprimendi necessitatem arguunt. Porro quod ad siccatum fluvium, vel torrentem spectat; quoniam nec Bedæ, nec innominati Authoris testimonium modernis arridet: alium proferam, quem etiam factiosissimus quisque revereri solet. Is est Gildas cognomento Sapiens, multis sæculis Bedâ antiquior. Ille de Albano, & omni hac tempestate, quæ Insulam concussit, ita olim censuit:

Gildas de Excidio.

Magnificavit igitur misericordiam suam nobiscum Deus, volens omnes homines salvos fieri: & vocans non minùs peccatores, quam eos qui se putant justos; qui gratuito munere, supradicto, ut conjicimus persecutionis tempore; ne penitùs crassa atra nocte caligine Britannia obscuraretur, clarissimas lampades Sanctorum Martyrum nobis accendit; quorum nunc corporum sepultura, & passionum loca, si non lugubri divortio barbarorum, quamplurima ob scelera nostra civibus adimerentur; non minimum intuentium mentibus ardorem divinæ charitatis incuterent: Sanctum Albanum, Verolamiensem, Aaron & Iulianum, Legionum urbis cives, cæterosq́; utriusque sexus, diversis in locis, summa magnanimitate, in acie Christi perstantes dico. Quorum prior, postquam charitatis gratiâ, Confessorem persequutoribus insectatum, & jam jamq́; comprehendendum; imitans & in hoc Christum, animam pro ovibus ponentem; domo primùm, ac mutatis deinde mutuo vestibus, occuluit: & se discrimini, in fratris supradicti vestimentis, libenter persequendum dedit. Ita Deo placens inter sacram confessionem, cruoremq́; coram impiis, Romana tum stigmata, cum horribili phantasia præferentibus, SIGNORVM MIRACVLIS MIRABILITER ADORNATVS EST. ut oratione fervens, instar Israëliticæ arentis viæ, minimq́; tritæ, stante diu arcâ, propè glareas testamenti, in medio Iordanis canali iter ignotum erans Thamesis nobilis fluvii alveum, cum mille viris sicco ingrediens pede, suspensis utrimque more præruptorum fluvialibus montium gurgitibus aperiret: & priorem carnificem, tanta prodigia videntem, in agnum ex lupo mutaret, & una secum triumphalem martyrii palmam sitire vehementius, & excipere fortius faceret. Hæc omnia Gildas.

V. LICTORIS CONVERSIO, CUI NOMEN HERACLIUS.

Capgrav. in Alban.

Ecce gravissimi viri, antiquissimique authoritate, confirmata ferè omnia, quæ suprà de Albano dicta sunt: præsertim quod miracula spectat. Cæterùm siccatum, Albani precibus, fluvii alveum, optimè probat, lictoris, qui Martyrem ferire debebat, ad Christum conversio, de quo Gildas compendio, sed compilator vitæ fusiùs, in hunc modum. *Tunc miles qui Albanum trahebat ad supplicium, tandem per Albanum pervenire meruit ad salutem. Visis namque miraculis, ensem projecit, & ad pedes Sancti prostratus veniam*

deprecatur. Quod videns populus, hominem arripiunt, dentes excutiunt, & os ejus sacrum dilacerant, & omnia ejus ossa confringunt. Ita ibi. Miles eo modo relinquitur semivivus, qui postea in montem reptans, ab Albano jam mortuo curatus, ab impiis interfectus est, ut dicetur. Interim, ut ad ejus conversionem redeam. *Miles Albani pedibus advolvitur, multum desiderans,* inquit Beda, *ut cum Martyre, vel pro Martyre, quem percutere jubebatur, ipse potius mereretur percuti. Dum ergo is, ex persequutore factus esset collega veritatis & fidei; ac jacente ferro, esset inter carnifices justa cunctatio; montem cum turbis reverendissimus Dei confessor ascendit.* Ita Beda. Qui non tacet, quid ab Albano in monte factum. Quod & acta ita exprimunt. *Cum populus in monte siti laboraret, Sanctus Albanus, positis in terram genibus, Dominum exoravit dicens: Deus qui hominem de limo terræ creasti; ne sinas, quæso, mei causâ, qualemcumque creaturam tuam sentire jacturam. Et ecce subitò fons ante pedes ejus erupit, & rapido cursu rivus ad inferiora descendit, & populus aquis refocillatus, sitis cladem evadit.* Hoc est aliud ex signorum miraculis de quibus Gildas suprà. nam ipse è multis pauca recensuit.

Beda l. 1. c. 7.

Capgrav. suprà.

Aliud miraculum.

VI. Probatur e Mamertino.

Fortè hujus etiam miraculi meminit Claudius Mamertinus; qui cum suprà æstum, & terræ siccitatem, inter mirabilia naturæ posuisset, adulatus Maximiano, quod illi, classique ejus extruendæ omnia elementa servirent: mox cum deducendæ classis tempus advenisset (quod adulto vere, verosimile est contigisse, adeoque sub tempus Albani passionis) novo miraculo Maximianum ornat, aitque: *Ecce autem subitò, cum jam deduci liburnas oporteret, tibi uberes* FONTES *terra submisit: Tibi largos imbres Iupiter fudit: tibi totis fluminum alveis Oceanus redundavit.* Mallem uberem fontem è terra submissum, Albani precibus, quem Maximianus persequebatur; quàm persequenti Maximiano ascribere: Interim Carnifex alter, non promptior ad ictum fuit, quàm Albanus noster, ad fortiter illum constanterque tolerandum. Electus est, nescio quis è plebe audaculus; qui gladium expediens, oranti Sancto, nixoque genibus, & *Crucem Domini, quam manu tenebat,* inquit Matthæus Westmonasteriensis, *frequenter exosculanti, caput abscidit: & ingenti rursum miraculo, innocentiam Martyris probavit omnibus impendio oculorum omnipotens Deus.* nam, teste Beda, *ille qui piis cervicibus impias intulit manus; gaudere super mortuum non est permissus. Nam oculi ejus in terram, unà cum Beati Martyris capite deciderunt.* Eadem habent acta; quæ etiam plurium, tam nostrorum, quàm externorum authoritate confirmantur. Hiericus Gallus, qui ante annos septingentos S. Germani vitam scripsit, de Albano nostro, & percussore ejus, mirabiliter excæcato, ita cecinit.

Mamertinus paneg. 4.

Florileg. an. 303.

Albano caput abscinditur.

Beda l. 1. c. 7.

Punitur carnifex.

Hiericus in vita S. German.

Millia pænarum, Christi pro nomine, passus,
Quem tandem rapuit capitis sententia casi.
Sed non lictori cessit res tuta superbo,
Utque caput Sancto, ceciderunt lumina, savo.

VII. Heraclii martyrium.

Capgravius in Albano.

Habuit Albanus nobilem martyrii socium, quem suprà dixi, designatum ejus percussorem, Heraclium nomine, de quo ita Acta: *Miles autem, nomine Heraclius, antea, ut præmittitur, semivivus relictus; annisu, quo potuit, montem manibus reptando conscendit. Cui Iudex ait: Eia nunc debilis, obsecra tuum Albanum, ut ossa tua dignetur in pristinum statum reformare. Curre, festina, reliquo corpori caput appone, statimque ab eo plenam merebenis consequi sanitatem. Quid moraris: sepeli mortuum; nec dubium, quin in servi sui manibus celerem conferat medicinam. At ille respondit. Ego firmissimè credo, quod Sanctus Albanus meritis suis, integram mihi reddere poterit sanitatem. Facilè enim, quod vos irridendo nunc dicitis; per eum circa me poterit adimpleri. Et statim caput Martyris amplectens, corporique apponens, sanitati integræ restituitur. Quod pagani videntes, zelo invidiæ repleti dicebant. Quid facìemus? Homo iste, ferro non potest interire. Corpus ejus contrivimus: & ecce jam pristinas vires recepit. Et apprehendentes eum, vinculis arctant, & diversis suppliciis discerpentes, gladio vitam amputarunt.* Erat Heraclius infidelis, cum domo egreditur, nec usquam legitur Christiani baptismi aquis tinctus: tamen baptismi gratiam meruit, ut voto emptam, & fuso sanguine. Unde benè pro illo scripsit Beda. *Decollatus est,* inquit, *etiam tum miles ille; qui antea superno nutu correptus, sanctum Dei Confessorem ferire recusavit. De quo nimirum constat, quia etsi fonte baptismatis non est ablutus; sui tamen est sanguinis lavacro mundatus, ac regni cælestis dignus factus ingressu.* Ita censuit Beda.

Beda l. 1. c. 7.

VIII. Miracula post Albani mortem.

Capgrav. suprà.

Vix Sancti vixerant, cum Deus & elementa, eorum sanctitati visa sunt patrocinari. Sed & Angeli auditi sunt, Britannorum Martyrum primitiis, festis vocibus, gratulari. nam ita in Actis legimus. *Ecce, nocte sequenti, columna lucis, è tumulo Beati Martyris Albani, in cælum extendi visa est: per quam descendentes Angeli, & ascendentes, totam noctem, in hymnis & laudibus, deducebant, hacque frequentius repetebant: Albanus vir egregius, martyr extat gloriosus.* Huc fortè respexit, qui ante mille annos vixit Venantius Fortunatus; dum Albanum, Britanniamque laudans, dicit festos in cælo choros celebratos esse, Albano, aliisque Sanctis, cælesti gloria ascriptis. nam ita loquitur:

Venant. l. 8. c. 4. de Virgin.

Africa Cyprianum, dat Siscia clara Quirinum:
Vincenti Hispana surgit ab arce decus.
Egregium Albanum fæcunda Britannia profert
Massilia Victor martyr ab urbe venit. &c.
Intrant sidereo vernantes lumine portas
Excipit hos proceres, urbs patefacta poli. &c.
Nobilitas cæli dives, Cruce, sanguine Christi
Festinat festos concelebrare choros.

IX. Cælorum cantus factiosis displicet.

Fox in Albano fol. 88.

Hæc optimè in Albanum cadunt, qui Crucis reverentiâ, martyrii gloriam, cælumque meruit. Miror ergo, quorsum modernis hominibus displicuerit hic Angelorum jubilus. Cum enim legisset Joannes Fox, quod de Angelis hic ascendentibus & descendentibus, & Deum tota nocte laudantibus narrat historia: *Nihil,* inquit, *magis historiæ adversatur.* Sed factionis vitium est, ad cerebri sui potiùs, quàm ad cælorum oracula, plaudere. Etenim, si nimis honorati sunt amici tui Deus; cur non dignaberis Britannorum Martyrum primitias honorare? aut fortè non gaudent Angeli, ruinas suas per Martyres impleri? *Sed narrat eadem historia,* inquit Fox, *abscissum Martyris caput, & à trunco divisum, proloquutum esse aliquid, & illud est monastico figmento simillimum.* Quasi verò innominatus Author, scriptor vitæ S. Albani, monachus fuerit, qui necdum Baptismi Sacramento Ecclesiæ limen attigerat. Nec ille Martyris caput, proloquutum aliquid dixit: sed Fox, ut novos passim Martyres, ita nova hic Martyrum oracula finxit. Dixit ergo Author,

Fox suprà.

Albanus et eius cineres honore digni.

Angelos cantasse: *Albanus vir egregius, martyr extitit gloriosus*: non dixit abscissum caput, loquutum esse. Cæterùm quàm piè fideles Albani reliquias collegerint, è novi Martyris Heraclii facto, & osculis, luculenter ostenditur. Sed & sequentium sæculorum pietas in iis ornandis, colendis, conservandis, argumentum est, sanctorum cineres, olim cultos, & nunc colendos esse. Quoniam verò moderna factio contra obstrepit, exponam paucis, quid à fidelibus hujus sæculi extra Insulam in eo genere fieri consueverit; ut inde conjiciat Lector, quid factum in Britanniâ.

X. Probatur reliquiarum cultus. Martyrio S. Sebastiani,

Apud Baron. an. 286.

Et S. Tharaci.

Baronius an. 290. 21.

Anno superiore, ducentesimo octogesimo sexto, pro eâdem quâ Albanus fide, in eadem Diocletiani & Maximiani tyrannide, passus est pro Christo S. Sebastianus. Tunc infideles & barbari, qui Sanctum occiderant; gnari Christianos sanctorum reliquias colligere primùm, inde colere solitos; easdem dehonestavere. Audi acta Martyrii apud Baronium, quæ de Sebastiano loquuntur, & consilio infidelium. *Tulerunt ergo corpus Sebastiani noctu, & in cloacam maximam miserunt, dicentes: Ne fortè Christiani eum sibi martyrem faciant.* Iterum post annos tres, de S. Tharaco Martyre legimus in hunc modum. *Præses dixit: Noli putare te semel damnari: sed particulatim te exterminabo, & reliquias tuas bestiis dabo. Tharacus dixit: Fac quod facturus es citius, noli sermonibus promittere. Præses dixit: Putas quia mulierculæ aliquæ corpus tuum habent aromatibus, & unguentibus condire, iniquissimè. nam de hoc est cogitatio, ut reliquias tuas perdam.* & paulo infrà. *Præses dixit: Nonne sic te perdam & reliquias tuas? ne mulierculæ in linteamina corpus tuum involvant, & unguentis & odoribus adornent. Sed sceleste jubebo te comburi, & cineres tuos in ventum dispergam. Hæc Præses* (inquit Baronius) *quod optimè sciret Christianorum consuetudinem, in sepeliendis Sanctorum Martyrum reliquiis, quas solerent* (ut testatur Tertullianus & alii) *magnâ impensâ, pretiosis unguentis, pollinctorum arte, studiosè condire ac venerari.* Eòdem anno, pro eadem fide, crudelissimè tortus est Andronicus Martyr: & de eo ita legitur. *Præses dixit: Mittite ferrum in os ejus, & excutite ejus dentes & molas: & blasphemam linguam abscindite; dentes autem ejus tollite, & linguam comburite: Cinerem facite, & ubique spargite; ne de consortibus hujus impii, aut ex mulierculis aliqua colligat, & servet, velut pretiosum aliquod aut sanctum.*

Baron. sup. n. 29.

Tertul. in Apolog. c. 42.

Baron. sup. n. 27.

Et S. Andronici.

XI. Et S. Susannæ.

Baron. an. 295. n. 8.

Quoniam verò, Regiam Britannorum fidem tracto; religiosum hunc cultum, Regio pietatis argumento, probare, operæ pretium erit. Susanna virgo, Diocletiani neptis, cùm Maximiano Augusto nubere renuisset, ob Christianæ fidei professionem, martyrium patitur, anno ducentesimo nonagesimo quinto. In actis ejus hæc habentur. *Ubi comperit serena Augusta, Susannam, martyrium forti animo consummasse, gaudens noctu in ædes illius advenit. Corpusq; ejus, propriis manibus, curavit, linteo involvit, & aromatibus condivit, opere pollinctorio, sepelivitq; in arenario, in cryptâ, apud S. Alexandrum 3. idus Augusti. Velum autem, quo sanguinem ejus absterserat, apud se in theca argentea retinuit: & diu noctuq; erat furtivis precibus ibi orans.* Vide Lector, non tantum Martyris corpus, sed velum quoque sanguine tinctum, in honore fuisse. & simile statim leges in Amphibali Caracalla, quam Albanus induit, & sequentia sæcula religiosè servarunt. Nolo pluribus urgere reliquiarum cultum. Tam enim patet Martyrum corpora, hoc sæculo, à fidelibus coli solita; quàm patet fuisse Martyres. Et cultus hic, infidelibus adeo displicuit; ut Martyrum corpora, ideo dehonestarent, perderent, occultarent, ut cultum impedirent: & contra fideles, omni ope industriâ, ac impensâ, eadem corpora devotissimè quærebant; & sæpè cælum, terra, elementa etiam omnia, votis favebant. nam ita de Tharaco, Andronico aliisque jam vita functis legitur. *Fiximus genua* (Christiani loquuntur) *& oravimus Dominum, & Christum ejus, ut desiderium nostrum impleret, & de cælo auxilium mitteret, & Sanctorum corpora nobis ostenderet. Et subitò terræ motus factus est; & tonitrua, & fulgura, & magna tempestas imbrium. Et nos iterum oravimus, & appropinquavimus ad corpora, & invenimus focum extinctum, & nullum militum, qui ob tempestatem aufugerant: Et ad cælum manus levavimus, ut dignaretur Dominus reliquias Sanctorum Martyrum nobis certo signo patefacere. Et mox tres facellæ, veluti stellæ apparuerunt, supra eorum corpora. quæ furtim subtraximus, & ambivimus, præcedentibus nos cælestibus illis lucernis, quæ nos sequentes duxerunt in adversam partem montis, & sic recesserunt. Ibi ea, in cavâ petrâ, illic reperta, posuimus, & aditum; magnâ diligentiâ clausimus, ne ab inquirente Maximo, invenirentur.* Hic Maximus præses erat in Tarso Ciliciæ, qui admodum metuebat, ne Martyrum corpora, in Christianorum manus devenirent.

Cælum favet Martyrum cultus.

Baron an. 290. n. 31.

XII. Quid factum Albani reliquiis.

Hæc omnia ideo à me allata sunt, ut Lector inde deducat, quid à fidelibus, quid etiam ab infidelibus, factum sit in Britanniâ, de Albani corpore. Barbari enim, & gentiles homines, injuriâ, contumeliis, & omni ignominiæ genere, Sanctorum cineres tractabant. Fideles contra, cum Angelis eos honorabant; & siquidem nancisci corpus, aut lipsana corporis poterant, *aromatibus illud unguentisq; condiebant.* aut *servabant illud veluti pretiosum aliquid & sanctum.* soli inter Christianos Manichæi Sanctorum Martyrum corpora coli noluerunt, quos egregiè refellit S. Augustinus, duliam pro se à Latria distinguens l. 20. contra Faustum c. 21. & l. 32. c. 11. & duliæ cultum Sanctis tribuens. Ita hic factum in Albano nemo dubitabit, qui leget Albani corpus, omni post mortem ejus sæculo, ab omni hominum genere cultum atque honoratum. Et licet, aliquando, barbarorum hominum furoribus, qui Insulam turbaverunt, subductum, occultum aliquamdiu fuerit; emersit tamen postea, & cum ingenti gloriâ, vel Angelis illud prodentibus, vel Regibus sepulchri locum ornantibus; in lucem splendoremque assertum est. Quod ut fiat manifestum, dicam paucis, quid statim à Diocletiani tempestate in Britanniâ, quid etiam sequentibus sæculis, etiam extra Insulam factum sit, circa Albani corpus, reliquias & cultum. Cum Gildas Diocletiani persequutionem; & Albani martyrium recensuisset; ita brevi post lætam Ecclesiæ faciem explicat, & post annos novem, Albano templum positum indicare videtur. *Bilustro,* inquit, *supradicti turbinis, necdum ad integrum expleto; emarcescentibusq; necis authorum nefariis edictis; lætis luminibus, omnes Christi tyrones, quasi post hyemalem & prolixam noctem, temperiem, lucemq; serenam auræ cælestis excipiunt, renovant Ecclesias, ad solum usque destructas, BASILICAS SANCTORUM MARTYRUM FUNDANT,*

Gildas de Excidio.

construunt, perficiunt; ac velut victricia signa passim propalant, dies festos celebrant, sacra mundo corde, oreq; conficiunt. Ita factum, cum depulsis tyrannis, Carausio, & Alecto, Constantius, Cæsar factus, Britanniæ imperium & administrationem cepit; & hinc elucidatur ratio temporis, annorumque series, quam sequutus sum. Cum enim constet, Cæsaream Constantii dignitatem, in annum Christi docentesimum nonagesimum secuncundum, vel circiter, incidisse: constet quoque eum, in Britanniam mox profectum; Rem ibi publicam optimè composuisse; Gildæ *bilustrum non expletum* ab Albani passione: omnino significare debet Albanum passum, novennio priusquam, tyrannis pulsis, Constantios rerum hic potiretur, atque ita in Diocletianeæ persequutionis exordio.

XIII. Templa in honorem Sanctorum posita, cultus argumentum.

Ex hac basilicarum fundatione, in honorem Sanctorum Martyrum; manifesti erroris convincuntur Novatores nostri, qui indoctis persuadere conantur, templorum erectiones, in Sanctorum cultum, & altaris sacrificium, ab Augustino juniore & Gregorio, nec prius auditas: cum Gildas utrumque præcesserit, & altarium, sacrificii, cultusque Sanctorum, sæpè sæpiùs faciat mentionem. Sed quoniam in Albano versor, omissis aliis; constat eum, ante Gregorii tempora, religiosissimè cultum; & cultum ab iis, quos nova factio, Britanniæ Apostolos, Augustino ferè exauctorato, mavult. Germanus Altisiodorensis, & Lupus Trecensis, Galliarum Episcopi, vocati sunt in Britanniam, ut veram fidem, Pelagii factione turbatam, stabilirent, anno Christi quadringentesimo vigesimo nono; qui Albani sepulchrum devotissimè adeuntes, collectos ejus cineres, & sanguinis reliquias, in theca recondiderunt, ut suo loco dicam inferiùs. Nec suæ tantùm devotioni Germanus servivit; sed multorum populorum pietati; cum Gallias, Germanias, & Italiam denique, S. Albani exuviis beavit. nam in Gallicano Martyrologio ita legitur, ad vigesimum secundum Junii. *Fulsit in Britannia S. Albani memoria, ad cujus cultum insignis condita est, ubi felici cruore triumphavit, Ecclesia: quam S. Germanus Altisiodorensis Antistes, dum illic apostolatu fungeretur; gratias ut ageret, de suâ contra hereticos victoriâ, magna devotione visitavit: apertoq; Martyris sepulchro intulit honorificationis causâ, diversas quas e Gallia attulerat reliquias Apostolorum, & Martyrum. Hincq; ne absque tanti Martyris epitulatione discederet; de ipso loco, ubi Beati Martyris effusus fuerat sanguis, massam pulveris abstulit; quam redux, ad suam sedem revexit. Vnde nata S. Albani Britannici profusa longè lateq; per Gallias veneratio, qua in antiquis extet consignata ferè omnium Ecclesiarum Episcopalium Diptychis, potissimum Bituricensis, Senonensis, Aurelianensis, Augustodunensis, Macloviensis, Constantiensis,* &c. Hæc ibi.

S. Germanus colit S. Albanum.

Gallic. Martyr. 22. Iunii.

In Galliis colitur S. Albanus,

XIV. Et in Italia.

Sed & Italiam quoque, ejusdem Germani operâ, Albani nostri reliquiis ditatam olim fuisse, testis est Theophania Augusta, Othonis secundi uxor; quæ illas Româ in Germanias detulit, & in Sancti Pantaleonis Coloniensi Monasterio, cum magnâ pietatis significatione collocavit; ut habet Martyrologium nostrum ad decimum sextum Aprilis. Hinc creditum vulgò, corpus S. Albani, Coloniam, è Britanniâ, translatum esse. nam in Gallicano Martyrologio ita legitur, in supplemento, ad XVI. Kalendas Maii. *Colonia in solo Gallico Translatio S. Albani Martyris, cujus corpus ex Angliâ, ubi apud Verolamium passus est, à S. Germano Episcopo Altisiodorensi in Galliam delatum: & demum opera Othonis II. Imperatoris, Coloniam translatum, magno illic cultu conservatur.* Sed verius est, non corpus S. Albani, sed reliquias tantùm corporis ejus, à Germano elevatas, translatasque esse. Imò Beda, optimè conscius rerum à Germano gestarum, massam tantùm sacri pulveris, sanguine Albani rubentis ablatam testatur, ita factum narrans. *Compressâ perversitate damnabili, ejusq; Authoribus confutatis, atque animis omnium fidei puritate compositis; Sacerdotes (Germanus & Lupus) Beatum Albanum Martyrem, authori Deo, per ipsum, gratias acturi, petierunt. Vbi Germanus omnium Apostolorum, diversorumq; Martyrum secum reliquias habens; factâ oratione, jussit revelli sepulchrum, pretiosa ibidem munera conditurus: arbitrans opportunum, ut membra Sanctorum, ex diversis regionibus collecta; quos pares meritis receperat cælum; sepulchri quoque unius teneret hospitium. Quibus depositis honorificè, atque sociatis; de loco ipso, ubi Beati Martyris effusus erat sanguis; massam pulveris secum portaturus abstulit; in qua apparebat cruore servato, rubuisse Martyrum cædem, persecutore pallente.* Hæc Beda. Mansit ergo, Verolamii Albani corpus, nec Germanus illud transtulit, aut Otho Imperator misit in Germanias. Nam post Othonis tempora; Offa Merciorum Rex, eximiam illam molem, quam hodie orbis miratur, ad Albani fanum (ita nunc ab eo Verolamium dicitur) pro Albani corporis tumulo, insigni prorsùs pietate, posuit, de qua nos infrà suo loco. Hic non omittendum Albanum nostrum Albinum quandoque vocari, non solum ab exteris, sed à Beda quoque nostro, qui in Martyrologio ad X. Kalend. Julii sic habet. *In Britanniâ S. Albini Martyris, qui tempore Diocletiani in Verolamio civitate, post verbera, & tormenta acerba capite plexus est.* Sic legitur in Bedæ operibus Coloniæ impressis anno 1612. An olim ita legeretur, pendeo. constat hunc martyrem ab Insula nostra, non alio, quàm Albani nomine cultum, itaque à Gallis, Italisque nominatum. Moguntini ergo, Albanum nostrum, jam cælo donatum ad baptismum è cælo revocantes, novâ dialecto, Albinum appellarunt. Cur autem susceptores esse præsumpserint, hæc ratio redditur. Coluerant illi longo tempore Albanum alterum, nostro cognominem: qui tam in Romano, quàm Bedæ Martyrologio martyrium subiisse legitur 21. Junii, hoc est pridie passionis Albani nostratis. Inde cum Theophania Albani nostri reliquias in Germaniam transtulisset, in Coloniensi urbe condendas; Moguntina civitas pro Moguntino Albano solicita, ne duorum Martyrum cultus & memoria in unum coalesceret: nullum non movere lapidem, quo Albanus unus ab altero differret. Itaque cùm Theophania Moguntiam, cum sacro pignore venisset, inde Coloniam perrectura. Wiltegecus Episcopus, ne novus hospes veterem inquilinum offuscaret; novum hospiti nomen indi petiit, & Albinum dici. Quod ita refert M. S. C. Sancti Pantaleonis apud Coloniam. *Imperatrix & alii prospero cursu Moguntiacum venerunt. Vbi licet ejusdem sedis Antistes Augustam, cum memoria Martyris venerabiliter excepisse, donariis quoque non spernendis honorasset: verebatur tamen & authoritate Regia, & Martyris memoria recens adducta*

Martyr. Anglic. 16. April.

Martyr. Gallica. in supplem. 16 Apr.

Beda l. 1. c. 18.

V. an. 793. 15. 19.

Marty. Beda 22. Iunii.

Apud Crombach Vrsul. Vin fol. 1103.

cognatione vocabuli, sui Martyris Albani gloriam exterminet. nam uterque eorum vocabatur Albanus. Hunc ergo Martyrem nostrum Albanum vocari enixè petiit: & cum optimatum regni consilio simul & auxilio impetravit. Sic Imperatrix devota demum voti compos Coloniam venit. & in loco ubi adhuc veneratur; deposuit: umbraculumq́; capitis sui superposuit: sibiq́; post obitum ante ipsum altare, sicut hodieq́; cernere licet, sepulchrum construi jussit. hactenus ibi. Acta sunt hæc sub annum Domini nongentesimum octogesimum quartum, ut colligit Hermannus Crombach in Ursulâ Vindicata: ubi objectionem diluere conatur, cur Albanus Britanniæ Protomartyr audiat: cum Ursula scilicet & undecim millia ipsum præcesserint, martyrii laureis candidata.

XV. CONCLUSIO PRO CULTU SANCTORUM.

Advertere hic poterit curiosius Lector, pro Sanctorum cultu plurima, quæ Novatores hodie controvertunt. &, si ea, quæ superioribus annis dicta sint, cum his velit componere; facilè colliget unam, eandem, & virginem fidem, quæ beavit majores nostros; in Romana hodie Ecclesia, in omnibus, etiam minimis in speciem, circumstantiis, florere. Reliquias S. Cypriani Carthaginensis Episcopi, usque ad sanguinis guttas, à fidelibus collectas esse, dixi anno ducentesimo sexagesimo primo. (An. 261. n. 6.) & priùs anno Christi centesimo sexagesimo nono Polycarpi reliquias, avidissimè quæsitas, religiosissimè fideles venerati sunt. Iterum anno centesimo secundo, Clementis Romani Pontificis & martyris corpus, appensâ illi anchorâ in mare projicitur, ne à Christianis coleretur. ut Josephus Arimathæus, & Maria Magdalena Christi sanguinem, & massam terræ, illo rubentem, venerati sint, suprà dixi. (An. 82. n. 5.) Ita quocumque me verto, sive in Africam, Asiam, aut Europam: si antiquorum monumenta evolvo; si interrogo proceres Ecclesiæ: si lego facta gentilium, & Judæorum: ubique lego Christianos olim Sanctos, & eorum reliquias in honore habuisse. Quod igitur de Albano dictum est, quod factum à Germano, quod ubique creditum, Romana hodie credit Ecclesia. & contra: quod Judæi olim gentilesque dixerunt, exprobrando fidelibus reliquiarum cultum: hoc idem prorsus verbatim nobis objiciunt Novatores. In uno tamen Judæos excedunt, negantes primam Christi Ecclesiam, sacris Martyrum cineribus supplicem: quam tamen multis argumentis constat supplicem fuisse. Jam verò, quia de Britannorum fide, & Ecclesia, agitur, dicam ut Insula omnis Albanum constantissimè coluerit, & corpus ejus. unde etiam Coloniensis Ecclesia colliget, ubi Albani corpus requiescat.

XVI. QUÆSTIO DE CORPORE S. ALBANI.

Erat inter Albanenses, & Elienses Monachos, diuturna quæstio; quinam Albani Martyris ossa possiderent; & tandem soluta est sub Edoardo Rege, ab ingressu Normannorum ejus nominis secundo; nimirum anno Domini millesimo trecentesimo decimo tertio, mille amplius annis à passione sancti Martyris. Audi Thomam Walsingamum rem latiùs explicantem, & lege simul, non unius Regis in Albanum pietatem. (Walsing. in Edo. 2. anno 1312.) *Rex Edoardus*, inquit, *venit, in vigilia Palmarum ad Sanctum Albanum, & obtulit Beata Martyri crucem auream, diversorum Sanctorum reliquiis insertam, & lapidibus pretiosis; commendans se, & suos necessarios, ejusdem Sancti tutela, & precibus Monachorum. Cumque suggestum fuisset ei, quod pater suus (Edoardus primus) chorum Sancti Albani renovare proposuerat; desiderium patris explere gestiens; contulit mox centum marcas argenti, & Maremium apud Dynesleyam,* * *querendum ad opus illud: jubens, ut pecuniæ nullo modo parcerent; quin opus illud ad honorem Dei, & B. Albani Anglorum Protomartyris irreprehensibiliter consummarent. In crastinas diei Palmarum, Rex iter versus Insulam Eliensem arripuit; ubi solennitatem Paschalem tenuit nobiliter, & festivè. Quo tempore Elienses, mentientes se corpus habere S. Albani, Anglorum Protomartyris, manifestissimè confutavit coram regni nobilibus, & Monachis dicti loci, jam eum ad alleviandum moram suam in Monasterio, oculis diversa subjiceret, phanaq́; videre vellet ibidem. Tandem incidit menti ejus, ut videret, quid esset contentum in feretro, quod Beati Albani vocant, in Ecclesia memoratâ. dixitq́; Episcopo, qui tunc aderat, Eliensi: Scis, inquit, quod fratres mei, apud Sanctum Albanum, corpus ejusdem Martyris putant veraciter se habere: & in hoc loco dicunt Monachi, se dicti Sancti corpus tenere. Per animam, inquit, Dei, volo videre, in quo loco reliquias Sancti corporis debeo potissimùm venerari. Cumque Præsul verba Regis Priori, & fratribus retulisset, illi velut exangues effecti; quid responderent, quid facerent, nesciebant. Ex unâ parte timentes amittere tantum thesaurum, si verum esset, quod apud eos foret. ex alterâ, convinci de mendacio metuentes, quia hoc prædicaverant se habere. Nesciebant enim pro tunc, quid in dicto feretro continebatur. Episcopus videns suorum consternationem; ammonuit eos monens, ut confiderent, quia non ad auferendum tantum thesaurum, sed ad venerandum Rex aspectum reliquiarum requisivit.*

* *fortè quærendum.*

XVII. APERITUR FERETRUM S. ALBANI.

Ventum est igitur in Ecclesiam & feretrum solutum, & apertum est, per quendam Monachum, Alanum de Walsingham dictum; qui postea proficientibus meritis, Prior factus est illius Ecclesiæ: qui & ipse peritus erat in opere aurifabrili, & ideo ad solvendum feretrum tunc vocatus. Rex verò cùm vidisset cunctos clavos extractos, & feretrum patefaciendum; accessit, levavit operculum, manu suâ. Et ecce vident locellum illum, à summo usque deorsum, quodam panno villoso, ita occupatum, ut nihil posset aliud continere. In superiore verò parte vestimenti, conspiciunt cruoris coagula densè respersa, ita nova, ita recentia, quasi pridie fuissent effusa. Constat hanc vestem fuisse Caracallam, quam S. Albanus in conversione acceperat, à S. Amphibalo, magistro suo, in signum religionis; in quo idem Martyr sententiam subiit capitalem. Et fas est credere; quod ad honorem Sancti, divino miraculo, sanguis ejus sic in hac veste servatus sit; sicut in pulvere sui sepulchri, per multa sæcula legitur conservatus. Cujus pulveris massam, in qua rubebat adhuc sanguis Martyris, S. Germanus, Altisiodorensis Episcopus, secum abstulit, & detulit Altisiodorum; capellam construens in honorem Martyris memorati. Rex igitur & omnes assistentes, de tanto miraculo stupefacti, proni corruerunt in terram: & facta est non parva hæsitatio; quis accederet ad deponendum operculum, & feretrum contingendum. Tandem Rex ipse, cæteris animosior, operculum detraxit ad locum suum. Et tunc primò cognoverunt Elienses, quid de Sancto Albano haberent, quid non haberent: cum oculatâ fide cernerent, in dicto feretro, præter Caracallam, nihil contineri. Rex verò hilarior effectus, de rei compertâ veritate; dedit illic dona varia; residuum temporis, quo mansit ibidem ducens in summâ lætitiâ; frequenter conferens de merito Martyris Albani, & gloriâ: & judicans non sine divinâ factum providentiâ, ut in duobus locis

UBI AMPHIBALI CARACALLA, ALBANI SANGUINE TINCTA.

tam celebribus, specialis veneratio Martyris haberetur, & ait Eliensibus: Gaudete de Dei munere, gaudete de tanti Martyris meritis, & sanctitate: quia si prout dicitis: Hic Deus per illum plura facit miracula, ratione vestis; credatis quod apud S. Albanum ampliora facit miracula, ratione corporis, illic sanctissimè quiescentis. Hæc omnia Walsinghamus.

XVIII. Romanæ fidei constantia.

Præmisi opportunè exemplum Serenæ Augustæ, quæ velum, Sanctæ Susannæ sanguine tinctum, religiosè habuit; ne Novatores nostri, antiquam Britannorum, Saxonum, Anglorum, & Regiam pietatem elevent. nisi enim omnia sæcula, ad Caracallam hanc integram sartamque tuendam concurrissent, nunquam fuisset tam diuturnus ejus cultus. Nec debet hæc religio ad Gregorium Magnum referri, quia Albani corpus, reliquiæ, sanguis, & Caracalla, in honore fuerunt, trecentis priùs annis, quàm à Gregorio Saxones docerentur. Illi ergo in fide turpiter hallucinantur, qui Augustinum nostrum accusant, quod triviales nugas (ita Sanctorum Martyrum reliquias Parkerus appellat) Saxonem primus docuerit. Eodem morbo laborat Pouellus, qui ad Walsingami locum suprà recitatum, ita admarginat. *Crassa cæcitas.* quasi diceret; ante Lutheri & Boræ progeniem, omnia sæcula, & Reges hujus Insulæ, in crassâ cæcitate fuerunt, quod Sanctorum Martyrum cineres venerati sunt: & multò rectiùs Evangelicæ veritatis lucem viderunt, Diocletiani, Maximiani, Judæi & gentiles; qui solertissimè caverunt, ne Martyrum corpora ad cultum prostarent. Porrò quod spectat ad Caracallam Albani sanguine purpuratam, & in Eliensi Monasterio, curiosa Edoardi Regis pietate inventam: Noli Lector mirari, vulgò creditum Albani corpus fuisse, & pari cum eo honore cultum. Etenim Elienses olim, cum magnis votis petivissent, pro Ecclesiæ suæ constructione ac dedicatione, Sanctorum, & Albani imprimis Britanniæ Protomartyris, reliquias (sine Sanctorum reliquiis Ecclesiæ non poterant, nec solebant dedicari) erat in more positum non tam sancti corporis partem aliquam concedere (fieret enim hac ratione, ut brevi nullibi Sancti corpus extaret, si crebra ablatione minueretur) sed potiùs aliquid, quod corpori admotum, sanctitatem inde, & perinde, ac si corpus esset, cultum haberet: illoque Sancti memoriam, ac provincialium quoque pietatem, conservabant. Aderat Deus huic religioni, & vario miraculo Sancti reverentiam, piorumque hominum studium, asserebat. Plenæ sunt historiæ his argumentis, unum breviter expediam, quod M. Gregorius adfert. probatque eo, antiquum morem sæculorum.

Antiq. Britan in Augustino.

Povel. in notis ad Walsing.

XIX. Brandium loco SS. reliquiarum mitti solitum.

Petierat aliquando Constantina Augusta, à Magno Gregorio, missis in hunc finem suppliciter literis, venerandum caput Pauli Apostoli, vel saltem ejus corporis partem aliquam, quo recèns ædificatam Constantinopoli, in Regio palatio, ædem sacram, in ejusdem Sancti memoriam, Deo consecraret. At Gregorius humiliter excusat, se nec posse, nec debere, Romanam Ecclesiam quam regendam tuendamque susceperat, tam ingenti thesauro spoliare. Plura etiam accumulat, quibus factum deprecatur; & inter cætera, Ecclesiasticum morem ita describit. *Cognoscat*, inquit, *tranquillissima Domina; quia Romanis consuetudo non est, quando Sanctorum reliquias dant, ut quicquam tangere præsumant de corpore; sed tantummodò in pixide brandeum mittitur, atque ad sanctissima corpora Sanctorum ponitur. Quod levatum in Ecclesiâ, quæ est dicanda, debitâ cum veneratione reconditur. & tanta per hoc ibidem virtutes fiunt, ac si illuc specialiter eorum corpora deferantur. Vnde contigit, ut beatæ recordationis Leonis Papæ temporibus (sicut a majoribus traditur) dum quidam Græci, de talibus reliquiis dubitarent; prædictus Pontifex, hoc ipsum brandeum, allatis forficibus inciderit, & ex ipsa incisione sanguis effluxerit. In Romanis namque, vel totius Occidentis partibus, omnino intolerabile est atque sacrilegum, si Sanctorum corpora tangere quisquam fortasse voluerit.* Hæc & plura Gregorius. Qui tamen ne religiosæ fœminæ votis deesset, loco capitis quod petebatur, vinculorum partem aliquam promisit; quibus olim idem Apostolus, pro Christo vinctus, bonam confessionem fecerat. atque ita his verbis Augustam consolatur. *Sed quia Serenissima Domina, tam religiosum desiderium, vacuum esse non debet; de catenis, quas ipse S. Paulus Apostolus, in collo & in manibus gestavit, ex quibus multa miracula, in populo demonstrantur; partem aliquam vobis transmittere festinabo.* Hæc qui attentiùs inspexerit, & Ecclesiæ morem, Gregorii, & Leonis tempore assertum; mirari desinet, aut Caracallam, Albani cruore tinctam, in honore fuisse; aut instar corporis habitum, cultumque per plura sæcula; aut Coloniensem Ecclesiam, Albani corpore gloriatam; aut denique Deum hæc omnia vario miraculo probavisse, præsertim cum Gregorius Nazianzenus, qui ducentis ampliùs annis præcessit Gregorium alterum, & moris meminerit, & sanctissimus hujus rei testis sit. Ita enim scribit in rem præsentem.

Gregor. l. 3 Epistolarum Ep. 30.

Gregor. sup.

Το τοῦτον δ' ἐὰν τῆς ἀληθείας εἶδας, &c.
Venerationi tamque, magna est veritas.
exiguus etiam pulvis, ut vel ossium
particula veterum quæpiam, aut paulum comæ
Vestéve, sparsi aut sanguinis quædam nota;
Cultum parem habeant, atque corpus integrum:
Locique, nomen Martyris solum inditum,
Novi quibusdam Martyris loco integri
Habuisse prorsus vim parem. O miraculum!
Meminisse nam vel Martyrum solum, ut reor,
Affert salutem.

Nazianz. Iamb. 18. de virtut.

En vestes, & sanguinis notæ, parem cum corpore cultum habent Nazianzeni tempore, hoc est quarto sæculo. Jam verò, si quis altiùs ascendendo, legerit, vel umbram Petri, vel semicinctia Pauli, mirabilia fecisse: mirari jure poterit, nepotes aliquos, qui Ecclesiæ ritus, tanta sæculorum sanctitate, integerrimè servatos, traducere, & calumniari non desistunt. Augustinus certè author, & magnus author est, flores feretro Sancti Stephani admotos, ægrotos plures ab infirmitatibus liberasse: cur ergo Albani corpus, sanguis, vestes, reliquiæ, & massa pulveris, è sanguine rubentis, mirabilia non patrarent? Nunc transeo ad eos, qui martyrii palmam, & Albani societatem expectant.

Actor. 5. 15. & Act. 19. 12.

Aug. de Civit. l. 22. c. 8.

XX. Passio S. Amphibali.

Albanum primus sequetur, qui præcessit ad fidem Doctor Amphibalus; de quo hæc habentur in ejus vitâ apud Capgravium. *Cum Sanctus Amphibalus, Albanum martyrem gloriosum, sua prædicatione, & exhortatione, operante Spiritus Sancti gratiâ, ad fidem Christi convertisset; hortatur eum discipulus venerabilis Albanus, ab urbe discedere; dans ei chlamydem auro textam, quo tutior ab hostibus redderetur. Adquiescens igitur Amphibalus discipuli*

Capgravius in Amphibalo.

precibus;

precibus; ante lucem fugam arripuit, versus Aquilonem iter dirigens, ad VValliam prædicaturus gentibus verbum Dei. Hinc colligo Authorem hunc posteriorem esse, nec æqualem illi qui vitam S. Albani digessit. nam Walliæ nuncupatio recentior est, & ab ingressu Saxonum. *Cum autem*, pergunt Acta, *multitudo populi columnam lucis de tumulo B. Albani usque in cælum tendentem, & Angelos descendentes & ascendentes, & noctem totam in hymnis & laudibus deducentes, evidenter aspexisset; lumine tuebatur insolito, novitasq; rei vertitur in miraculum. Tunc unus illorum ad cæteros videns attonitos, ait: Hæc miranda quæ videmus, Christum Dei filium, liquidò operari constat. Dii quos hactenus coluimus, potiùs sunt portenta, quàm numina; quibus virtus nulla, nulla divinitas inesse facilè deprehenditur, opera nostra inutilia, dieśq; nostri inutiliter defluxerunt. Ecce noctis tenebræ splendoribus cæli cedunt: superni cives eunt, & redeunt, sanctitatem Albani commendant. nos ergo errorem nostrum relinquentes, de falsis ad vera, ad fidem de perfidiâ, convertamur. Eamus & inquiramus verum Dei, qui, sicut nostis, Albanum prædicando ad fidem convertit. His & multis aliis prosequutis, mox errorem pristinum omnes detestantur: Christi fides ab omnibus prædicatur. Ita in VValliam cum festinatione dirigitur, ubi Dei servus Amphibalus manere putabatur. Ad quem venientes, verbum vitæ, regionis illius hominibus prædicantem, invenerunt; causam adventus sui exponunt: Crucem, quam suo quondam Albano commendaverat, obtulerunt; quæ recenti cruore perfusa, martyrii B. Albani signa præferebat.*

Multorum conversio.

XXI. Crux ad Amphibalum defertur.

Noluerunt novi discipuli, ad Albani magistrum, vacui accedere: nec aliud opportunius afferre poterant, quàm quòd Amphibalo sciebant esse charissimum: Crucem, inquam, & Martyris sanguinem. Quibus etiam indicabant vota sua, & baptismi desiderium. Hæc crux, illa est, quam discedens Amphibalus, discipulo reliquerat; Christianæ fidei, constantiæ, & immortalitatis hieroglyphicum: & ille religiosissimè servaverat ad mortem usque. Tum verò, cum abeunte vitâ, illud posuisset; Christiani qui aderant, infidelium tyrannidi illam solerter subducentes; reverenter servaverunt; de quâ ita Florilegus: *Crux verò, quam vir sanctus jugiter in manibus ferre consueverat, felici jam cruore respersa, super herbam decidit; eamque quidam Christianus, occultè capuit, & ignorantibus paganis abscondit.* Hæc Florilegus, qui addit, Amphibalum, actis Deo gratiis, *novis auditoribus, qui ad mille fuerunt, fecisse de religione sermonem. Cui mox illi consentientes, signaculum quod in Christo est, ab ejus sacris manibus alacriter susceperunt.* Hoc signaculn, Baptismi Sacramentum significari, quod cum Crucis signo conferebatur abundè, è suprà dictis, probari potest. nec opus urgere pluribus.

Floril. an. 303.

XXII. Amphibalus comprehenditur.

Turbavit hæc res, & tam numerosa hominum conversio, Verolamiensem urbem unde sancto viro necem & extrema, Maximiani factio, & persequutionis ministri moliuntur; rati, si diu superesset, plures ad eum, seu baptismi causâ, seu reatus conscientiâ, quòd à fide defecerant, confluxuros. Quod cum in magnum Cæsareæ majestatis contemptum cederet; placuit aperto marte, & armata manu, publicum religionis hostem aggredi. Inveniunt ergo eum Christi verbum fidelibus prædicantem: & magno impetu in eum irruentes: *Seductor, inquiunt*, (& referunt Acta apud Capgravium) *Pessimè, cur populum simplicem circumvenire verborum fallaciis voluisti? leges calcare, & deos contemnere docuisti? & ira commoti, sine respectu ætatis, sanguinis, aut reverentiæ; vicini vicinos, & amicos nece tradunt, & atrociter in ore gladii mille viros, pro Christo occidunt. Sanctus verò Amphibalus, undique corporibus occisorum vallatus, beatas animas lætus Domino commendabat.* Quod ad martyrii locum spectat, sunt qui velint, hanc mille hominum carnificinam, apud Silures, in Monumetensi agro, unde Amphibalus oriundus erat, peractum esse. & verò Authorum verba id satis suadent; cum satellites in Walliam ivisse ad exequendum facinus, scribunt. Alii id in Cornaviis & Staffordiensi agro ponunt, ubi Lichfeldia civitas inde à Saxone cognominata tantæ carnificinæ non leve vestigium est. Lichfeldia enim latinè Cadaverum campus, & civitatis insignia, mortuorum corpora sunt. Denique affirmant aliqui utrimque, hoc est, tam in Wálliâ apud Silures, quàm in Cornaviis, mille Britannos, Maximiano persequente, gladio periisse. Ego millenarium numerum non multiplico, & malo dicere, Amphibalum ad Silures pergentem in Staffordiensi agro inventum; ibique gratam Deo hostiam cecidisse; ubi cadaverum mentio, rei memoriam perennavit. Id plures, & magnis ducti conjecturis affirmant Joannes Rossus Warwicensis, David Powellus, Joannes Spedus, & alii.

Capgrav. in Amphibalo.

Plurimi pro Christo occiduntur.

Martyrii locus.

Broughton. cent. 3 c. 22.

Rossus de Wigorn. Epistola. Powel. itiner. Cambr. l. 1. c. 5.

XXIII. Floril. anno 303.

Interim Amphibalus ad martyrium magnis passibus ibat, pessimè in itinere à satellitibus tractus, quod ita Florilegus recitat: *In Amphibalum cruenti carnifices, omnem iracundiam suam effundentes, & brachia loris durissimis constringentes; ante equos suos, versus civitatem Verolamium, nudis incedere pedibus compulerunt. Sed quò magis Albano suo appropinquavit, eò ampliùs asperitas viarum, & laboris injuria mitigatur. Et dum iter agitur, hominem languidum, videntibus cunctis, vinctus Amphibalus, à vinculis infirmitatis absolvit.* hoc miraculum in Amphibali vitâ refertur in hunc modum: *In itinere verò languidus quidam jacens clamare cepit, & dicere: Serve Dei excelsi, adjuva me; ut qui propria fateor depressus infirmitate, tua relevari merear intercessione. Credo enim, quod invocato super me Christi nomine, celerem mihi reddere possis sanitatem. Nec mora, sub oculis omnium, qui jacebat languidus, sancti meritis hilaris surrexit & sanus.* Authores etiam alii qui Amphibali vitam texuerunt, hujus languidi mirabiliter sanati meminerunt. unus Foxius illud controvertit; quia scilicet, nullam divinæ virtutis ostendendæ causam subfuisse existimat: quasi verò, nulli tunc fuissent, aut infideles convertendi, aut fideles (qualis hic languidus fuisse videtur) ad fidem & constantiam firmandi. Et verò, multorum, quæ statim sequuta est, ad Christum conversio, satis magnum argumentum est; miracula præcessisse. Moderni ergo, quorum factio, nullo miraculo, surrexit; frustrà primorum sæculorum miracula traducunt. pergo itaque ad alia, quæ sancto Sacerdoti, Verolamiensem agrum ingresso, acciderunt; quæque ita narrantur in vita ejus.

Amphibalus languidum curat.

Acta & monumenta: in persequut. 10.

Arripientes Amphibalum Verolamii cives, cum atrociùs spoliaverunt, viscera ejus patefacta ferro, palo in terram defixo, circumligantes, & flagellis eum nimiis conterentes, in circuitu pali ambulare fecerunt. Et quasi ad signum post hæc statuunt, cultellis & lanceolis, quod reliquum erat corporis, confodiunt.

XXIV. Capgravius in Amphib. Amphibali crudele martyrium.

Vir

vir autem Domini, tanquam nihil mali pateretur, vultu hilari stabat constantior; & signa sui martyrii, toto jam corpore praeferebat, prodigiosum cunctis de se praebens spectaculum; quod post tanta supplicia, post tot mortis genera, adhuc vivere potuisset. Eâdem horâ plurimi constantiam martyris videntes; renunciantes idolis, Christianae fidei se subdiderunt; martyrem deprecantes, ut ipsius intercessione, beatitudinis aeternae participes fieri mererentur. pro quâ animas ponere minimè formidabant. Quo cognito, Princeps vocatis mox speculatoribus; omnes qui Deorum curam abjecerant, & culturam, & doctrinam Clerici sequebantur, interfici jussit. At illi ferale complentes edictum, mille viros morti tradiderunt, Beato Amphibalo intuente, eorumq; animas Domino commendante. Tunc unus, qui caeteris audacior videbatur, sic virum Dei prior alloquitur: Crudelissimè hominum, cur imprudentes illos persuasionis tuae fraude decepisti; & monitis tuis irretitos, à culturâ Deorum substraxisti? Tuorum subtilitate verborum, parentes, & amici nostri in perditionem abierunt. Sed quamvis Deos & homines ad iracundiam supra modum provocaveris; eorum tamen gratiam, poenitendo poteris promereri. Perfectae poenitentiae hoc erit indicium, si sectam illam, quam hucusque tenuisti, deserueris; & Deos invictos, quos ignorans forsitan offendisti, coeperis adorare. Tunc omnes, quos neci nuper tradidisti, per suae divinitatis potentiam, Dii omnipotentes à mortuis ad vitam revocabunt. Tunc Sanctus ait: Dum Deos, ô Pagane, nimis laudibus conaris extollere; in verbo tuo te noveris offendisse. Solus enim Dominus meus IESVS CHRISTVS suscitat & vivificat mortuos. Illi verò, quos quasi Deos colitis, & potentes in caelis aestimatis; potenter tormenta patiuntur in inferno. Horum participes & socii in tormentis erunt injusti, adulteri, maledici, caeteriq; qui dum hic viverent, similes se daemonibus, per actus reprobos, reddiderunt. Tu quoque, Pagane, cum caeteris cultoribus idolorum; nisi citiùs, relicto gentilitatis errore, ad fidem Christi converteris; eisdem poenis inferni subjacebis. Misericordia Dei magna est: nolite desperare. à viis vestris pravis resipiscite, & ad baptismi gratiam convolate. In baptismo peccata donantur, caelum homini reseratur; & vetustate depositâ, nova quodammodo efficitur creatura. Qui enim priùs erant, per culpam, filii diaboli; fiunt postmodùm, per gratiam, filii Dei. Ad hanc gratiam confugite; ut poenas sempiternas possitis evadere.

Plurimorum conversio.

XXV. Amphibalus moritur.

His auditis, furore accensi impii, in necem innocentis, beatum spiritum ejicere totis viribus elaborant. Et licet Dei Martyr, saxorum multitudine undique caederetur; immobilis tamen in oratione persistens, loco suo motus non est; nec in partem alteram, vel ad horam declinavit. Cum demum invictum spiritum caelo redditurus esset, elevatis in caelum oculis; IESVM stantem ad Patris dextram vidit, & Angelorum concentum, in caelis, audivit, & inter eos Albanum suum recognovit; quem sibi in auxilium invocans: Sancte, inquit, Albane, Deum nostrum deprecare, ut mihi Angelum bonum obviam mittat; ne mihi praedo luculentus obsistere, nec iter meum pars iniqua valeat impedire. Et ecce duo Angeli caelesti fulgore radiantes, ad eum de supernis veniebant. Vox etiam hujusmodi caelitùs ad eum facta insonuit. Amen dico tibi, quia cum discipulo tuo eris in Paradiso. Pagani verò caelestem sonum audientes, stupefacti stabant. Angeli verò beati viri animam niveo candore fulgentem, secum assumentes; in caelum, cum hymnis & laudibus detulerunt. Pagani enim corpus exanime, in vinculis constitutum, lapidibus adhuc obruere non cessabant. Christianus quidam corpus Martyris latenter auferens, sub terram diligenter occultavit. Hactenus Amphibali vita & martyrium, ex vetusto Authore ante Bedam, inquit Harpesfeldus. Qui, quod ad locum martyrii attinet, haec habet. *Caesus est vir Dei apud villam Rudburniam, tres mille passus à Verolamio distantem, quo loci ad sua usque tempora, duos grandiores cultros, quibus martyrium consequutus est, reservatos tradit Thomas Rudburnus.* vixit autem ille floruitque circa annum 1480. Caeterùm in praedicta villa etiamnum manet passionis ejus aliquod vestigium. Cum Rudburniâ Verolamium pergis, arbor ostenditur, in agro satis paludoso, quam nupera quorundam industria, vili quadam domuncula inclusit; pieque creditur, eodem in loco, Sanctum Amphibalum stipiti alligatum, effusis visceribus, Christi fidem, & invictam animi sui magnitudinem probavisse. Ego in *re*, nec satis compertâ, nec antiquorum authoritate firmata, non ausim fidem meam omninò interponere.

Harpesfeld. in 6. saeculo c. 20.

XXVI. Ubi sepultus.

Si tamen conjecturis locum facere volumus; satis probabile est, vel eo loco dura passum, vel saltem, clam sepultum esse. Christianus enim quidam, ut suprà dictum, Amphibali corpus occultavit: & fortè inter aquas illas, quò latebrae tutiores essent. Certè in eas tenebras Sancti Martyris reliquias abdidit, ut ante annum Domini millesimum centesimum septuagesimum octavum, vel circiter, lucem non aspexerint. Tunc autem Albano martyre, locum detegente; sacri cineres mirabiliter inventi sunt, ut tradit Westmonasteriensis ad eum annum, Harpesfeldus, & alii. Porrò ad firmandam conjecturam de loco sepultarum reliquiarum: juvat apponere quae habet Westmonasteriensis, de Albano sancto mirabiliter apparente, & indicante sepulchri locum. *Eodem, inquit, anno (1178.) Beatus Albanus visibiliter exiens ab Ecclesia, venit ad quendam virum, vicum S. Albani inhabitantem. & dixit ei: Sequere me. Qui videns illum splendidum admistar solis, timuit; & obediens sequutus eum, euntem per viam, qua ducit versus Aquilonem: & clarius strata ex eo. Et ait vir martyri. Domine, quis es? Ait ille, ego sum Protomartyr Angliae Albanus, & duco te ad sepulturam Sancti Amphibali; cujus doctrina conversus sum ad Dominum, & martyr effectus; ut ossa ejus reverenter inveniantur, & à terrâ leventur. Locus sepulturae ejus ferè tribus milliaribus distat ab Ecclesiâ meâ. Et colloquebantur sicut solet amicus cum amico, & locum docuit; & vir locum signavit diligenter, & impressit in animo, per quandam lapidum ordinatam positionem.* Haec ille. quae omnia multo fusius explicat, Matth. Parisiensis eo anno, & locum designasse uterque videtur, quem suprà dixi, qui è Verolamio, (nunc S. Albani,) Aquilonem versùs euntibus, non omninò, sed ferè ad tria passuum millia occurrit propè Rudburniam. Ibi ergo sepultus, Amphibalus, & inde ad Ecclesiam S. Albani translatus, tot praeter naturae ordinem fecit mirabilia, ut, sequenti anno, Ludovicum Galliarum Regem ad invisendas colendasque reliquias ejus excitaverit. De quo ita scribit Florilegus. *Anno gratiae millesimo centesimo septuagesimo nono, Ludovicus Rex Francorum; licet senex, & corpore jam debilis, fide tamen alacer & devotione, venit in Angliam: nec impedivit eum transfretatio; licet illud super omnia abhorruisset, ut S. Martyrem, Beatum Thomam, ad sepulchrum ejus, in Ecclesia Cantuariensi, facta*

Inventio corporis.

Florileg. anno 1178.

Apparitio S. Albani.

Matth. Parisien. ad an. 1178.

Florileg. an. 1179.

Ludovicus Galliarum Rex, Amphibali reli-

oratione,

QUIAS VIDERE DESIDERAT.

oratione, veneranter adoraret, &c. *Et quia Chriſtianiſſimus Rex Ludovicus, magnalia Dei audivit, in Beato Amphibalo martyre, & Sociis ſuis nuper inventis celebrari; propoſuit illuc ire. Sed conſilium ſuorum non permiſit eum à terra ſua tantum elongari. Super quo dolens, ſed contradicere nolens; miſit illuc, quaſi vice vicariâ capellanum, dona eximia pro oblatione deferentem.* Ita ille, quæ nolui omittere; quia culti Amphibali, & Regiæ inſuper fidei illuſtriſſimum argumentum eſt.

XXVII. TEMPUS MARTYRII.

Quod ad martyrii tempus ſpectat; licet de anno conſtet, nihil tamen de die paſſionis. unde quod in Anglicano Martyrologio legitur paſſus vigeſimo quinto Junii, hoc eſt, biduo poſt Sanctum Albanum: tranſlationis potiùs anniverſarius dies eſt, quam mortis ejus. nam eo die ſolenni ſupplicatione, ſacri cineres Verolamium deducti, ingenti populorum concurſu, in æde Albano ſacra, quam Offa Merciorum Rex, Regiâ prorsùs magnificentiâ extruxerat, conditi ſunt. illum diem Harpesfeldus intelligit, ita ſcribens. *Nullum unquam tam jucundum, tam ſalutarem diem vidit Verolamium. Occurrebat Martyr martyri, magiſtro diſcipulus, hoſpes hoſpiti, cæleſtis civis concivi cæleſti. Hoſpitem, quem olim Albanus, ne incideret in manus hoſtium, clam dimiſerat, jam palam, & honorificè, poſtliminio redeuntem excepit. Et quem olim in tugurio non poterat ſecurum reddere, jam in ampliſſimum templum introducit. atque hæc inciderunt in annum 1178. & vigeſimum quintum diem Iunii.* non malè ergò dies ille Amphibali gloriæ conſecratus eſt, qui non Verolamii ſolùm, ubi ſacra oſſa nuperiùs quieverunt; ſed ubique per Inſulam jam olim cultus eſt: vix enim à morte ejus decennium excurrerat, cum templum illi, ut Albano etiam, Britanni poſuerunt. quemadmodum è Gildæ loco, quem ſuprà poſui, evinci poteſt. Wintoniæ etiam, in noſtrorum Belgarum provinciâ, Eccleſia erecta eſt, anno Chriſti trecenteſimo nono martyri Amphibalo ſacra; quam poſtea Saxones, de novo excitatam, Beato Petro conſecrarunt. Ita licet Britanni ignorarint, ubi jacerent corporis exuviæ; non ignorarunt tamen, & Sanctum, & Martyrem, & colendum eſſe.

TRANSLATIO S. AMPHIBALI. *Harpesf. in 6. primis ſæculis c. 10.*

TEMPLA AMPHIBALO POSITA. Hic n. 12.

XXVIII. DE ALIIS MARTYRIBUS.

Quoniam verò ſæpè mentio ſuprà facta eſt aliorum plurium, qui in hac eadem perſequutione, ſeu cum Amphibalo, ſeu paulò ante, mortem pro Chriſto ſubierunt, & conſtat etiam, poſt eum è vivis ſublatum, crudelia paſſos Britannos, nunc tempus eſt, & ſine dubio, magnum operæ pretium, illos quantum fieri poteſt, ex antiquitatum tenebris in lucem producendi. Duo quidem Martyrum corpora, cum Amphibali reliquiis inventa tradit Capgravius; author anonymus apud Uſſerium (c. 7. fol. 161.) tria numeravit: quibus Matth. Pariſienſis addidit alia ſex: *Ita quod* (inquit) *B. Amphibalus decimus haberetur.* Unde Tho. Rudburnus & Wintonien. Eccleſiæ hiſtoriola dicunt Amphibali corpus cum 8. Sociis inventum. Sed nomina eorum, ſcripta ſolùm ſunt in libro vitæ; nam aliunde non poſſum illa colligere. Cæterùm ex eorum numero fuiſſe videntur, qui nuper propè Rudburniam in Chriſtianæ fidei profeſſione mactati ſunt. Illa verò Britanniæ pars unde Amphibalus oriundus, ſervavit paulò meliùs concivium ſuorum Martyrum memoriam: nam ibi Julius & Aaron, in hac Diocletiani & Maximiani perſequutione, paſſi memorantur. Olim illi, cum domi literis, & rerum divinarum meditationi vacaviſſent: ipſum Chriſtianæ religionis fontem, Romam (quod ſæpè antea à Britannis factum) petiverunt. Teſtatur hoc Balæus, cognomento Apoſtata, Romani nominis, & Eccleſiæ hoſtis, qui ita de illis ſcripſit. *Iulius & Aaron famigerata Legionum urbis (ita Iſca Silurum appellatur, ubi Legio ſecunda) cives præclari, & Amphibali martyris in Chriſto diſcipuli, pietatis ornamenta, planè illuſtria, in Britanniâ fuerunt: non ſolùm in ſua patria, literis obnixè invigilabant; ſed & exteras nationes, pro bonis artibus addiſcendis, petebant, Romaq; potiſſimùm ſtuduiſſe leguntur. Inde inſigniter eruditos fuiſſe illos, Britannica paſſim narrat hiſtoria.* Ita ille. Jam verò, ſi eorum fidem excutias; cum Romæ potiſſimùm ſtuduerint, & martyris Amphibali diſcipuli fuerint: Crucem enimverò, Sanctos, Sanctorumque reliquias, & Principem urbem, in omni religionis ritu illos coluiſſe; atque ita non minùs Romanæ fidei, quàm Britanniæ noſtræ illuſtria fuiſſe ornamenta, certum eſt. Laudat etiam hoſce martyres Joannes Fox, in eo falſus, quod vocet eos Verolamienſes cives, quos Gildas, & Beda Legionum urbis cives appellant. Uterque de illis aliiſque pluribus Martyrio hoc iſto tempore coronatis ſcribit in hunc modum: *Paſſi ſunt eâ tempeſtate* (Diocletiani perſequutionem intelligit Beda) *Aaron & Iulius Legionum urbis cives, aliiq; utriuſque ſexus, diverſis in locis, per plures; qui diverſis cruciatibus torti, & manditâ membrorum diſcerptione lacerati, animas ad ſuperna civitatis gaudia, perfecto agone, miſerunt.* Quæ penè verba in Romano Martyrologio leguntur ad primum Julii, ubi Aaronis & Julii martyrium recenſetur, & omnia ex antiquiſſimo Gilda deſumpta ſunt; qui cum hos duos, *ſummâ magnanimitate in acie Chriſti perſtantes* dixiſſet, addit: *eos diverſis cruciatibus tortos, & manditâ membrorum diſcerptione laceratos eſſe.* nec aliud extat, de genere mortis, aut geſtis eorundem.

JULIUS ET AARON MARTYRES.

Balæus in Catalogo.

ROMÆ STUDUERUNT.

Beda l. 1. c. 7.

XXIX. COLUNTUR A BRITANNIS.

Cæterùm antiqui Britanni, non minùs hos duos, quàm Albanum & Amphibalum erectis aris, templisque coluerunt. Et imprimis Legionum urbs, ubi nati & defuncti vitâ ſunt, eorum ſacra corpora, ſtructâ deſuper Eccleſiâ, honoravit, ut teſtis eſt Giraldus Cambrenſis, in itinerario, ubi de Legionum urbe agens: *Iacent hic,* inquit, *duo nobiles, & poſt Albanum, & Amphibalum, præcipui Britanniæ majoris Protomartyres, & ibidem martyrio coronati; Iulius ſcilicet, & Aaron; quorum uterque Eccleſiam, in urbe inſignem habebat, ſuo nomine decoratam. Tres enim egregiæ in hac urbe (Legionum) antiquis temporibus fuerunt Eccleſiæ. una Iulii Martyris, virgineo Deo dicata, regularium choro venuſtata. Altera verò B. Aaron ſocii, ejuſdem nomine fundata, & Canonicorum ordine præclaro nobilitata. Tertia verò Metropolitana Sede Cambriæ totius inſignita.* Has omnes ſacræ ædes ſtructæ ſunt Britannorum tempore, & priuſquam Saxo in Inſulam deſcendiſſet. Immò Metropolitana Sedes, quæ ultimò nominatur, inde Meneviam tranſlata eſt à Davide ſancto, authoritate Dubritii, Romanæ Sedis legati, ut infrà dicetur. Unde non eſt opus Gregorium Magnum aut Auguſtinum noſtrum expectare, pro Romanæ Regiæque fidei argumentis; cum Britanni longè priùs Sanctos coluerint: &, quod duliæ maximum genus eſt, erectis templis honoraverint.

Girald. in Itiner. Cambriæ c. 5.

V. an. 519. 7.

XXX. STEPHANUS ET

Præter Albanum, Heraclium, Amphibalum, Julium & Aaronem, Martyres, æternâ memoriâ dignos, Britannorum conſtantiæ, fidei martyriique

primitias;

Matth. Pariſien. an. 1178.

Socrates Martyres.

Mart. Angli. 17. Septemb.

Rom Martyrolog 17. Septemb.

Baron. in notis ad 19. Septemb.

primitias; duo adhuc, in Authoribus & Martyrologiis nominantur, qui Lucii Regiam fidem consignaverunt suo sanguine; Stephanus & Socrates, qui in nostro Martyrologio ponuntur, nobiles Britanni, Amphibali discipuli, & sub Diocletiano martyrio coronati. Sed & Romanum Martyrologium eorundem meminit, his verbis ad 17. Septembris. *In Britanniâ Sanctorum Martyrum Socratis & Stephani.* ad quæ verba hæc notat Baronius: *Agunt de iisdem hac die Beda, Vsuardus, Ado, & alii: quibus etiam adstipulantur vetusta manuscripta.* Nec plura de illis invenio. templorum in eorum honorem positorum apud Silures, meminit nostrum martyrologium. cui fidem facere videntur Gildas, Beda, cæterique, qui eo cultu affirmarunt honorari Martyres consuevisse; qui sub Diocletiano & Maximiano, per tormenta & cruciatus, ad immortalitatem transierunt. Et utinam regnaret fides illa, quæ constantissimos Martyres coronavit. utinam esset illa crucis reverentia, quam docuit Amphibalus, amplexus est Albanus, cæterique omnes didicerunt. Sed eheu periit decor ille, & Albanum esse, Amphibalum esse, crimen est. Immo crucicolam esse, quales fuere omnes, quos Diocletiani gladius vexavit, superstitiosum censetur & idololatriæ proximum.

Oratio ad S. Albanum.

Sed surge tu, post tot annorum sæcula, Albane Sancte, Martyrum princeps; & ostenta crucem, quæ te beavit. testare civibus tuis, procul ab idolis, cultum illum esse; qui demum in unum Deum, certissimo pietatis impetu, refunditur. Testare iterum, te crucem impensè amavisse, & Româ missum Sacerdotem, ingenti commodo excepisse. Dic non aliud modo docere eos, qui ex eadem urbe hodie descendunt, in eandem caussam discrimenque. Vos etiam antiquæ sanctitatis germina, & cæli nostri illustrissima sidera, Amphibale magister, cæterique Martyres, qui Romam amavistis; dedocete quæso patriam novos ritus, in Romam, in crucem, in fidem peccantes. An Stephanus Martyr, Londinensis fuerit Episcopus, de quo suprà, nemo sis putat, & tacentibus aliis non ausim asserere præsertim cum Stephanus Episcopus in Martyrologio nostro Sanctus scribatur, ut mortuus anno 300. ut ibi dicam.

V. an. 180. 4.

XXXI. Plurimorum fidelium fuga.

Gildas de Excidio.

Dum ita Romani in Britannos sævirent; fidelium plurimi, non ausi, cum immani hoste congredi, aut in acie consistere; fidem tamen prodigere nolentes; subtraxerunt se sævientium hominum furoribus, ne fidei thesaurum, quem in vasis fictilibus habebant, pœnarum asperitate cogerentur prodere. Ita scribit Gildas de Christianorum reliquiis: *Qui superfuerant*, inquit, *silvis ac desertis, abditisq́; speluncis se occultavere, expectantes, à justo Rectore omnium Deo, carnificibus severa quandoque judicia, sibi verò animarum tutamina.* Fortè hoc ideo factum à Britannis; quia anno superiore, cum primùm Romæ cæpit persequutio; idipsum jusserat Caius Romanus Pontifex quem Christiani ubique, & præsertim in hac Insulâ, audire & obedire solebant. Ille ergo, dum in jugula sæviret carnifex; congregatos Romæ fideles, sic indulgentissimè alloquutus est.

Apud Baro. 286 n. 5.

Consulitur a Caio Ro. Pontifice.

Dominus noster IESVS CHRISTVS, præscius fragilitatis humanæ, duos credentium in se gradus constituit, Confessionis, scilicet, & Martyrii; ut qui martyrii pondus ferre non posse viderentur; Confessionis gratiam teneant; & concedentes laudem bellaturis Christi militibus, & pro ejus nomine pugnaturis; illorum solicitè curam gerant. Pergant itaque qui volunt, unà cum filiis nostris Chromatio & Tiburtio; & mecum in hac urbe, qui voluerint, remaneant. Non enim nos terrarum spatia dividunt, quos Christi gratia nectit. Hæc Caius.. Et ad literam illud Britanni fecerunt. nam post plures martyrio coronatos, subduxerunt se alii, confessorum nomine contenti. Hac enim ætate usus obtinuerat; Cypriano sanctè id docente; ut non tantùm Confessoris nomine dignus esset, qui coram præside se Christianum confiteretur: sed & qui, ne caperetur; relictis bonis, cognatis, & patriâ, sibi timens, ne vi tormentorum deficeret, Christumque negaret; extorris fieret, in aliasque regiones transfugeret: utpote quod Christi fidem his omnibus prætulisset, Christum opere videretur esse confessus. Rectè igitur, & è Romana fide factum à Britannis. Usus hac fugâ Romanus miles, in templa & Monasteria sævijt: quæ omnia, hac tempestate, eversa sunt, *ut ne vestigium quidem*, inquit Gildas, *in nonnullis provinciæ locis, Christianæ religionis appareret*. Sic Lucii fides, qua hucusque mansit illustrissima, & pietatis ejus monumenta, erasa sunt; de quibus dicendum est suo loco. nam in corpora primùm sævitum est, atque inde Christianæ religionis destructa seminaria. Sic novem omninò annos, quà Maximiano persequente; quà Romanorum inter se dissidio, provinciales passi sunt extrema; quæ suis, quoad potero locis, exponentur. Huic tamen anno Wintoniensium Monachorum internecio ascribitur, de quibus paulò inferiùs.

Gildas in Excid.

Ad an. 289. 1.

XXXII. Maximianus in Carausium parat.

Mamertin. paneg. 2.

Dum Romanæ secures in Britannorum colla acuuntur; Carausius in mari, Romani imperii majestatem læserat: quem Maximianus paratâ classe, hoc ipso anno maris imperio nititur exuere, ut suprà dicere cæperam. Expeditionem hanc Mamertinus panegyricè explicans, triumphum canit ante victoriam. nam ita Maximiano adulatur. *Vestra fortunæ, vestra felicitatis est, Imperator, quod jam milites vestri ad Oceanum pervenere victoria; jam cæsorum in illo litore hostium sanguinem reciproci fluctus sorbuerunt. Quid nunc animi habet ille pirata* (Carausium intelligit) *cum fretum illud, quo solo mortem suam hucusque remoratus est, penè vestros exercitus videat ingressos; oblitosq́; navium, refugum mare sequutos esse quà cederet? Quam nunc Insulam remotiorem, quem alium sibi optet Oceanum? Quo denique pacto effugere pœnas Reip. potest? nisi si haustu terra devoretur, aut turbine aliquo in devia saxa rapiatur.* Tunc sequitur in panegyrico, quod suprà adjunxi Albani Martyris miraculo. *Ædificatæ sunt, ornataq́; pulcherrimæ classes, cunctis simul amnibus Oceanum petituræ. Neque solum ad perficiendas eas, certatim homines laborarunt, sed etiam ad excipiendas flumina repentè creverunt. Toto ferè anno, Imperator, quo tibi opus erat serenitate ut navalia texerentur, ut trabes cæderentur, ut artificum animi vigerent; nullus ferè dies imbre fœdatus est, hyemis ipsa temperiem veris imitata est, &c. Ecce autem subito cum jam deduci liburnas oporteret; tibi uberes fontes terra submisit: tibi largos imbres Iupiter fudit, tibi totis fluminum alveis Oceanus redundavit. Ita in aquas sponte subeuntes, impetum navigia fecerunt, levi modo commota nisu ducentium; quorum ad felicissimum illud exordium, magis opus erat nautico carmine, quam labore. Facile itaque quivis intelligit, quam prosperi te successus, in re maritimâ sequuturi*

sint,

sint, cum jam sic tempestatem opportunitas obsequatur.

XXXIII. Ex postremâ hac periodo, composita videtur hæc panegyris priusquam expeditionis sequutus sit effectus; quem præsagit potiùs, quàm explicat Orator. Nec Maximiani quinquennalia (ut Gordonius putat) sed natalem urbis celebrat. unde, hoc anno, Imperatori Treviris dictam, non anno ducentesimo octogesimo nono, verosimilius est: & inde satis probatur, quia quantumvis magnus classicæ expeditionis, contra Carausium, apparatus præmittitur; nihil tamen inde sequutum ostenditur. Eutropius enim clarè significat, Maximiani viribus Carausium frangi non potuisse; nam ita de illo: *Cum Carausio*, inquit, *cum bella frustrà tentata essent, contra virum rei militaris peritissimum; ad postremum pax convenit.* Carausio itaque, qui hac expeditione domari non potuit; remissum est Insulæ imperium, data Maximiano acceptaque dextera. Quod cuso nummo, Carausii nomine insigni, junctisque, ex aversâ nummi parte, duabus manibus, exprimitur apud Jo. Spedum in Diocletiano. Habet & Camdenus ejusdem Carausii numisma cum hac epigraphe IMP. C. CARAUSIUS P. F. AUG. ex altera parte: PAX AUGUSTI.

Gordon. an. 289.

Eutrop. l. 9.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1039.

ANNUS CHRISTI 288.

CAII PAPÆ 5.

DIOCLET. ET MAXIMIA. IMPP. 5.

I. CARAUSIUS MUNIT INSULAM.

Nennius apud Camdenum Rom. in Britan.

NON malè usus est præsumptâ purpurâ Carausius; nam hostem terra marique pressit, & contra barbarorum impetus munivit Insulam, anno 288. Maximo II. & Januario Coss. *Inter Clady & Caruni ostia, murum reædificavit*, inquit Nennius Elvodugi discipulus, *& septem castellis munivit. domumq; rotundam politis lapidibus, super ripam fluminis Caruni; qui à suo nomine nomen accepit; fornicem triumphalem in victoriæ memoriam erigens, construxit.* Unde colligitur, Carausium fugasse Caledonios, ultra Severi & Hadriani mur[illegible]; imò ultra Glottam & Bodotriam, ut olim fecerat Julius Agricola. Porrò ad Carunum fluvium (qui olim à Ptolomæo Coria, nunc Caron dicitur) etiamnum visitur antiqua illa substructio, è quadrato lapide, vulgò dicta Julius Hof, de quâ suprà diti in Julio Agricola; & illam Carausius in arcum triumphalem erexit, cum omnem hostem procul submovisset. Et hoc demum facto Britanniam *hausto imperio capessivit*, inquit Victor. Quæ verba Joannes Livineius legenda potiùs putat: *justo imperio capessivit*: quia sequitur in Victore: *Soliq; remissum Insulæ imperium, postquam jussis ac munimento incolarum, contra gentes bellicosas opportunior habitus.* Sed esto; justum imperium posterius fuerit; non inde sequitur injuria primò usurpatum non esse. Et ita si de voce dubitatio est, dici potest Carausius, primò hausisse purpuram & imperium, eo ferè sensu, quo dixit Cicero, haurire calamitatem. Qui enim tyrannidem occupat, plerumque id avidè & intemperanter sumit, quod nunquam benè digerit. Sed reverà, si justitiæ virtutem spectes, nunquam ita Carausio imperium Romani permiserunt, ut illorum opinione justè possederit. nam post annos paucos; illo & Allecto rivali, interfectis, *Britannia decimo anno recepta*, inquit Eutropius, & ex eo Beda, aliique. quo planè significant, omni eo tempore defectionem fuisse. Adde quòd licet Carausius se Imperatorem & Augustum dixerit; ut suprà in nummis ostensum; nullum tamen illi inter Augustos locum alii tribuerunt. & Oratores infrà citandi, Piratam & Archipiratam, & tyrannidem ejus, latrocinium appellabunt. Sed & Insula tyrannum censuit; cum quicquid ibi gereretur, Diocletiani & Maximiani imperium, non Carausii gestum, Authores omnes affirment.

An. 83. n. 2.

Vict. de Cæs. c. 39. §. 2.

Livine in notis ad 9. panegyr.

VICTORIS LOCUS EXPENDIR.

Eutrop. l. 9. Beda l. 1. c. 6.

An. 295. n. 2. 3.

II. RATIO TEMPORIS FIRMATUR.

Verùm curioso Lectori hic nodus occurrit, satis implexus, quem ideo solvere conabor, ut annorum series, & temporum calculus, quem hactenus sequutus sum, melius elucescat. Si Britannia, decennio sub varia tyrannide Romanum jugum exuit, & demùm recepta est, à Constantio Cæsare, sub annum Christi ducentesimum nonagesimum tertium: nimis serò Carausio purpuram injicimus; cum ab hoc anno, ad Constantium Cæsarem, decem anni minimè computentur: & si porrò regredimur, Albanus, Amphibalus cæterique, non Diocletianeæ crudelitatis, sed Carausii factionis victima erunt. Opportuna hæc objectio est, ad confirmanda, quæ diximus, de tempore passionis Albani, & sociorum; quod hinc historico argumento eruitur. Distinguo itaque tria tempora, in Principe Carausio: Maris præfecturam, quam à Maximiano accepit: Piraticam & tyrannidem, quam ipse præsumpsit: remissum denique ipsis à Romanis imperium, cum premi non posset, aut in ordinem redigi: quæ omnia Eutropius & Beda septennio, sed meliùs fortè Aurelius Victor, sexennio definiunt: ac ita, opinor, distingui debent. Anno ducentesimo sexagesimo sexto, rei Maritimæ à Maximiano præfectus est, ac Romæ servivit: sed prædæ captus dulcedine, quam agebat frequentissimè; cum parùm inde ærario accederet, sequenti anno, repetundarum postulatus, judicium subterfugit. tunc Maximianus, cum domando homini par non esset, frustràque vires egereret; maris ac Insulæ imperium illi permisit, sub initium anni ducentesimi octogesimi octavi: quod ille fortissimè tenuit; donec ab Allecto interemptus est, anno ducentesimo nonagesimo tertio: & tunc demum Constantius, ejus scelera castigaturus, expeditionem paravit in Britanniam, ut mox dicetur. Ita habes Carausii sexennium, aut septennium: & Constantium paulò post, ejus successorem. Jam si tempus colligere vis, & annum passionis Albani: noli in Constantii Cæsaris tempora descendere; quia in historicam veritatem admodum peccabis, ut suprà probatum. Noli etiam ad Carausii purpuram referre, quia sic Diocletianum & Maximianum absolvis; qui sine dubio, motæ in Albanum persequutionis; rei fuerunt. Restant ergo, duo illi anni, quando Carausius Romæ, & Insula Diocletiano servierunt: quo tempore, crudelia edicta Britanniam pervaserunt, Diocletiano & Maximiano illa dictantibus.

Eutropius l. 9. Beda l. 1. c. 6 Victor de Cæsar. in Dioclet.

III. QUAMDIU DURAVIT PERSECUTIO IN BRITANNIA.

Jam verò, à Carausii purpurâ, & deinceps; licet Romanus miles provinciam vastaverit, & religionis loca demolitus sit; in fundendo tamen

ſanguine, è Diocletiani edicto non perrexit: quod optimè Euſebius videtur advertiſſe, lib. 8. c. 25. ubi, cum perſequutionem quæ in Oriente diuturna fuit, & immaniſſima, recenſuiſſet; de Occidente, & Britannica perſequutione loquens ait: *Ibi non duobus primis annis integris impetum perſequutionis non ſuſtinuerant; celerrimè, clementi Dei obtutu, ſunt pacem, & pacis tranquillitatem conſequuti: quandoquidem cæleſtis providentia, tandem ob vitæ innocentiam, & fidem illorum miſerta eſt.* nimirum jugo Romanorum Britannos ſubtrahendo, ſeceſſione Carauſii. ubi habes tempeſtatem noſtram, duos tantum annos duraſſe: & huic veritati adſtipulatur Gildas, qui licet novennem vocet Diocletiani perſequutionem, intelligit tamen Carauſii purpuram, & Allecti ſucceſſoris; qui militum licentiæ provinciam permittentes, benè dici poſſunt Chriſtianorum calamitati cumulum addidiſſe; nec enim omni eo tempore, poterant fideles ſuis ſacris operari; aut Chriſtianam religionem publicè profiteri; quam accenſa nuper ethnicorum rabies, & necdum ſopita, aboleverat. & ideò non immeritò, perſequutionis flamma, quæ templa, Monaſteria, & loca ſacra poſteriis vaſtavit, in Diocletianum & Maximianum, qui illam primò accenderant, refunditur.

Euſeb. l. 8. c. 25.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1040.

ANNUS CHRISTI 289.

CAII PAPÆ 6.

DIOCLET. ET MAXIMIA. IMPP. 6.

I. Eccleſiarum vaſtatio.

An. 289. 2.

Hoc anno 289. Baſſo & Quinctiano Coſs. Carauſii miles, prædam in Oceano agere doctus, in Inſulam prædaturus videtur deſcendiſſe: hinc ſequuta Eccleſiarum deſtructio, cum illi maximè peterentur, qui minimè ad repugnandum idonei erant. Ita Wintonienſe Monaſterium, quod Lucium poſuiſſe, ſuprà diximus, anno Chriſti centeſimo octogeſimo nono: quodque centum omnino annos ſteterat, hoc rerum incendio conflagravit, & hoc ipſo anno; ut notat Franciſcus Godwinus, in Catalogo, qui addit, Diocletianum conatum, *hac Monaſteriorum vaſtitate, Chriſtianam fidem exturpare.* & dictum benè. nam ut Monaſteria ſemper Chriſtianæ religionis ac pietatis ſeminaria fuere: & principes viri; quotquot fidem Chriſti ſartam tectamque cupiebant; in illis fundandis dotandiſque, impigrè laborarunt: ſic contra, qui orthodoxam fidem radicitùs evellere, aut concutere ſatagebant; Monaſteriis non potuerunt eſſe benevoli. cujus, omnis orbis angulus, & Britannia imprimis, argumentum eſt. Videant ergo Novatores, qui Monaſteria expilarunt; an Lucio, & fidelibus Britannis; an verè Diocletiano, & ethnicis, jungendi ſint, in fidei conſortio. Ut poſt breve fidei deliquium, Monaſterium hoc, & avita pietas ſurrexerit, dicam inferiùs. Interim quod ad tempus ſpectat M. S. Eccleſiæ Winton. ita illud refert. *Duravit Chriſtianitas in Britannia à primo anno Lucii Regis primi Britannorum Chriſtiani, toc. annis, & tamdiu Monachi Deo ſervientes prædictum vetus Cœnobium, quietè inhabitabant. Interfecti ſunt autem in Ventana Eccleſia deſtructa à miniſtris Diocletiani perſequutoris anno imperii ſui ſecundo.* Fuit ille Chriſti annus 287. nam præcedenti ſolùm anno Carino mortuo, abſolutum Diocletianus incepit imperium. & ideo eò retuli Monachorum mortem: hùc Monaſterii vaſtitatem. Sub idem tempus, Weſtmonaſterienſis ædes, quas ſuprà diximus Lucium poſuiſſe, in Apollinis fanum denuo converſæ ſunt. De quo ita Joan. Fletus: *Sæviente per totam Britanniam, graviſſimâ Diocletiani Imp. perſecutione, dejectum eſt inter cætera hoc ipſum Chriſtianorum habitaculum* (de Weſtmonaſterio loquitur) *ac deinde juxta morem rituṁq; gentilium, in profanum Apollinis templum, ſacrilega poteſtate commutatum. Sicq; factum eſt, ut ubi prius in ſua Deus colebatur Eccleſia; ibidem poſtea fierent idolorum ſacrificia; & ablata memoria Chriſtianorum fidelium, caput efficeretur immolationis Regum Paganorum.*

Godwin. in Catalog. in Epiſ. Wintonien.

Monaſteriorum deſtructio, fidei exterminium.

An. 287. 1.

Apud Viſſer. fol. 981.

II.

Porro mirandum non eſt, ſacras Chriſtianorum ædes, infidelium injuriis, ac furoribus patuiſſe: cum crudeliſſima ſupplicia fidelibus inflicta, adeo cæteros terruerint; ut urbibus, agriſque relictis, deſerta & loca avia incoluerint. Nec enim putandum eſt, Chriſti fidem penitùs in Britanniâ extinctam eſſe, quod de aliquibus provinciis Gildas affirmat; nam ſubduxerunt ſe plurimi, tempeſtati huic, & ſe in meliora tempora ſervaverunt. Unde ſtatim, poſt brevem iniquioris temporis hyemem, emergent plures, fidemque, ſerenatâ provinciâ, illuſtrem, ſub modio tantummodò tectam fuiſſe, declarabunt. Horum nobiliſſima teſtis eſt Helena; quæ, ſive à turbis, & turbine remotior; ſive ſexus ſui, & majeſtatis reverentiâ, major injuriis; pericula & communem aliorum ſortem evaſit; ut veræ religionis tradux, & fomes pietatis eſſet, ad Conſtantinianum, quod mox ſequetur, ſacrum incendium; quo Oriens & Occidens, cum ingenti hujus Inſulæ laude conflagrabit. Verùm longè probabilius puto, extra omnem Britanniam fuiſſe, cum Chriſtiani hic quæſtionibus urgerentur. Nam Conſtantio olim juncta; non vago aliquo, ſed conſtanti amore; eundem in Illyrium ſequuta eſt; ubi ille provinciæ præſidem agebat: & utrique aderat Conſtantinus filius: qui in ſpem familiæ, Romani orbis, & Chriſtianorum Eccleſiæ, adoleſcebat pulcherrimè. *Cujus jam tum à puero*, inquit Victor, *ingens potentiq; animus ardore imperitandi agitabatur.* Hos in Illyrio commorantes, plures & illuſtres Britanni, quà obſequii cauſa, quà magnitudine periculi, quod à perſequutione erat, comitati ſunt. Unde qui remanſerant, ethnicorum injuriis magis obnoxii, ſilvis ſe deſertiſque locis texerunt, in publicum rarò progreſſi. Hinc nata aliquorum opinio, Fidem ubique in Inſula defeciſſe. ita Hector Boëtius, Chronicon Altiſiodorenſe, Scoto-chronicon Joan. Fordoni, & faſciculus temporum. verum Gildæ loco perperàm intellecto, eos de Britanniâ perperàm ſenſiſſe, probat Uſſerius, & Gildam, non de Britanniâ, ſed de provinciis extra Britanniam loqui, cum vix Chriſtianæ religionis veſtigium apparere dixit.

Gildas de Excidio.

Victor de Cæſar. c. 40.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1041.

ANNUS CHRISTI 290.

CAII PAPÆ 7.

DIOCLET. ET MAXIMI. IMPP. 7.

Quærendum nunc esset, quid turbarum in Oriente, & qui motus ibi fuerint anno Christi ducentesimo nonagesimo, Diocletiano quartùm, & Maximiano tertiùm Consulibus: Nicephorus enim, qui finxit Constantinum in Bithynia natum, Persas & Parthos, & Sarmatas quoque in Romanum imperium tumultuatos dicit; & irruptione factâ, Imperatores coëgisse, legare eò Constantium, ad injuriam deprecandam. & hac demum occasione, Drepani, scilicet, nascitur Constantinus: sed eluli satis hanc fabulam, cum Constantini natales suprà recensui, ostendique Constantium, nunquam à Romanis missum in Orientem. Et quod ad hæc tempora spectat, & annum Christi ducentesimum nonagesimum, quo decerni legatio debuit, nimirùm paulò ante Cæsaream Constantii dignitatem, quæ post annum sequetur: quod, inquam, ad hunc annum spectat, constat è Mamertini genethliaco, quem Maximiano hoc anno, (ut notat Gordonius) recitavit, Romanos potiùs Orientem triumphasse, quàm ab Oriente triumphatos esse. nam ita inter cætera orat, ornatque Imperatorem. *Non commemoro virtute vestra Remp. sævissimo dominatu liberatam: non dico exacerbatas sæculi prioris injuriis, per clementiam vestram, ad obsequium rediisse provincias. mitto etiam dies festos victoriis triumphisq; celebratos, &c. omitto Sarmatiæ vastationem, oppressumq; captivitatis vinculis Saracenum. Etiam illa quæ armorum vestrorum terrore facta sunt, velut armis gesta prætereo, Francos ad petendam pacem, cum Rege venientes, Parthumq; vobis munerum miraculis blandientem.* & post aliqua: *Laurea illa devictis accolentibus Syriam nationibus, & illa Rhætica, & illa Sarmatica, te Maximiane, fecerunt pio gaudio triumphare.* Hic vides, Lector, Nicephori lapsum, & in historicam veritatem errorem non modicum; cum non alio argumento nasci possit in Græciâ Constantinus, quàm legatione Constantii, ad tumultuantes Persas, quos hoc tempore in Romanum imperium tumultuatos esse, nemo dixit. sed fortè illius fabulæ fundamentum aperiet, sequentis anni, & rerum tunc per orbem gestarum explicatio.

Niceph. l. 7. c. 19.

De Persis, Parthis, et Sarmatis.

Gordon. in Chronol. hoc anno.

Mamert. Genethl.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1042.

ANNUS CHRISTI 291.

CAII PAPÆ 8.

DIOCLET. ET MAXIMI. IMPP. 8.

Cum Junius Tiberianus, & Cassius Dioo, Consules essent, anno Christi ducentesimo nonagesimo primo: plurimi quidem per orbem tumultus fuerunt: sed intestinis, ac civilibus inter se discordiis, provinciæ surrexerunt potiùs, quàm justo in Romanos bello. nam eo ferè modo, ut Carausius Britanniam, *sic Orientem Persæ. sic Ægyptum Achilleus, sic Africam Iulianus, ac nationes Quinquegentanæ, graviter quatiebant.* Ita Victor, Eutropius, cæterique. & hæc occasio creandi Constantium Cæsarem, ut dicam anno sequenti. Cæterùm nec illi Romanam ditionem vastasse dicendi sunt; qui solùm, ut Carausius, *Dominationis insignia induerunt*, ut loquitur Victor: nec illis, per humiles preces, aut munera supplicatum. & esto fuerit: imo mittatur eò, si placet, Constantius, & statim à legatione creetur Cæsar, ut vult Nicephorus: non proptereà nascetur Drepani Constantinus; quia sedecim annorum adolescens, ægrè poterit in ventrem matris iteratò introire, & renasci. Sed reverà nunquam Constantius hic noster in Orientem ivit, nunquam per munera supplicavit Persis, & nunquam Drepani somniavit: ac proinde nullum in Oriente suscepit filium. ut suprà fusiùs.

Tumultus in orbe Romano.

Niceph. l. 7. c. 17.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1043.

ANNUS CHRISTI 292.

CAII PAPÆ 9.

DIOCLET. ET MAXIMI. IMPP. 9.

I.

Sequitur Christi annus ducentesimus nonagesimus secundus, Annibaliano, & Asclepiodoto Coss. quo Constantius, domi militiæque nobilis, & unà Galerius cognomento Armentarius imperio asciti, facti sunt Cæsares. Causa creationis, illa passim creditur fuisse; quod multi per orbem, tyrannidem & purpuram præsumentes, Romanam monarchiam, & Urbis majestatem violassent, ut jam dicebam. Baronius tamen causam illam controvertit; & putat potius, Diocletianum & Maximianum, pacato imperio Romano, quæsivisse viros, qui parta tuerentur. quod sanè Panegyricus Constantio Cæsari inscriptus affirmare videtur: nam agens de hac Cæsarum creatione hæc habet. *O Calendæ Martiæ, sicuti olim annorum volventium, ita nunc æternorum auspices Imperatorum! Quanta enim, invictissimi Principes, & vobis & Resp. propagatio, orbis vestri participando tutelam. Cujus licet, omni hoste perdomito, certa securitas; nimiis tamen in diversa discursus, vel revisenda poscebat. Partho quidem ultra Tigrim redacto, Daciâ restitutâ, porrectis usque ad Danubii caput, Germaniæ Rhetiæq; limitibus; destinatâ Batavia Britanniaq; vindictâ, gubernacula majora quærebat, aucta atque augenda Respublica.* Sed fortè Eumenius, tempori serviens, effert nimiùm Augustorum facta. nam historici candidiùs scribunt, & plures in provinciis tyrannos nominant: ad quos premendos electi sunt Cæsares; à Maximiano, Constantius; à Diocletiano Galerius. nam Diocletianus hujus consilii princeps, licet Rom. Imperii majestatem suis amicis sociisque diviserit; noluit tamen illam aliorum arbitrio lacerari.

Constantius et Galerius creantur Cæsares.

Paneg. 10.

II.

Nec ita ipse imperii jura divisit, quin in uno planè capite collecta manserint: Maximianus enim illum, & novi etiam Cæsares, beneficii & dignitatis authorem adeo colebant; ut unus ille Princeps, horum tantum manibus pugnare, & vincere videretur. Quoniam verò intuta est majestas,

Constantius Helenam repudiare cogitur.

majeſtas, pluribus communis, niſi benè ferruminetur: prudenti ſanè conſilio, novos Cæſares, arcto affinitatis vinculo, ſibi obligavit. Galerio Valeriam à ſe genitam; Conſtantio, Maximiani privignam Theodoram, dat uxores, dirimitque propterea priùs conjugium, quod uterque contraxerat. Conſtantius enim, ut ſuprà dictum Helenam Britannam, & lectiſſimam fœminam matrimonii jure acceperat: à qua nunc Cæſar, cogitur divertere, & ejus loco Theodoram accipere. Hinc collige, Lector, pro Conſtantini patria, & natalibus, argumentum: quod nunquam Conſtantius Drepani in hoſpitis filiæ ſinu ſomniaverit: collige etiam Helenam, adeo conſtanter Conſtantio adhæſiſſe; idque omnibus adeò notum fuiſſe; ut inter novi matrimonii leges; ab Imperatore, cautum ſit divortium. Ab hoc igitur tempore, Helena, ſecundaria tantum uxor eſt habita; & aliquando Scripturarum more, concubina appellata. quod Conſtantino nocere non potuit, qui & ante natus; & non obſtantibus Theodoræ liberis, jure primogeniti, parenti ſucceſſit in Rom. orbis imperium, ut infrà dicetur: quod vocale argumentum eſt, & liciti thori filium; & patri, ob amorem Helenæ, chariſſimum fuiſſe.

III. Helena quò iverit?

Quid à ſententiâ divortii fecerit Helena; quò iverit, & ubi terrarum vixerit, meritò quæri poteſt. Dico igitur poſtquam Theodoræ ceſſerat, locum, thorumque: Conſtantius nihilominùs, ejus filiique curam imprimis habuit. & non ad Quantiam in Morinis, ubi nunc Heſdinum eſt (ut putavit Malbrancque) ſed Helenæ, Treviris, ædes elegantiſſimas conſtituit. Nec enim illam in Britanniam redire, tumultibus & perſequutione fœdatam: nec etiam tam procul abeſſe paſſus eſt Conſtantius Cæſar. Cæterùm quod illa Treviris habitaverit, Berengoſius Abbas affirmat. *Nobilitatem Helenæ*, inquit, *apud Treviros, adificiorum ſuorum, adhuc antiqua teſtatur gentilitas. ubi pavimentum domus illius, variis marmoribus, & pario quondam lapide ſtratum, benè declarat, quantum ibi præ aliis videretur habere primatum. Praterea verò ipſa planicies parietum, fulvo auro, velut hyacinthino textu depicta, benè teſtabantur inſignia nobilitatis ejus invicta. Inſuper etiam prædiorum ejus copia Eccleſiis Dei olim undique collata, benè declarant, quàm nobiliſſima generis polleret antiquitate.* Ita ipſe, qui paulo ſuprà, Helenam vocavit, *Trevirorum quondam indigenam civitatis*. Hinc orta quorundam opinio, ipſam Treviris natam eſſe. *Habet multorum aſſertio*, inquit Lupoldus Bebenbergius, *quod Sancta Helena mater Conſtantini, de Treviris fuit oriunda*. Idem ferè habent Otto Friſingenſis, & Godefridus Viterbienſis. Certè affectum Helenæ in urbem Trevirenſem; & urbis in illam, multa probare poſſunt: nam teſte Ottone Friſingenſi, Trevirenſem Eccleſiam Helena *plurimùm decoravit*: & urbs Helenæ nomen, æternum eſſe voluit, cuſo numiſmate paulo poſterius, cum Conſtantius eſſet Imperator, aut potius cum filius regnaret. numiſmatis inſcriptio erat hujuſmodi FL. HELENA AUGUSTA. & in averſa parte ſic: SECURITAS REIPUBLICÆ: infernè verò: S. TR. nimirum ſignatum Treviris. Si Helena, in Flaviæ gentis nomen tranſivit; ſi Auguſtæ titulo aucta eſt: Noli, Lector, putare, illam, aut Drepanenſis hoſpitis filiam, aut à Conſtantio omninò derelictam eſſe.

Malbrancque l. 2. c. 25.

Berengoſius l. 3. de invent. Cruc. c. 2.

Helena Treviris habitat.

Idem l. 2. ſup. c. 2.

Lupoldus de zelo Princ. Ger. c. 5.

Otto in Chron.

IV. Ubi Conſtantinus?

Quid interim Conſtantinus? num matrem, num patrem ſequutus? Reſpondeo. Diocletianus, quò arctiùs Conſtantium ſibi devinciret, adoleſcentem illum, ſecum habere voluit, parentis fidei obſidem. Sic Romam deductus in Diocletiani familiam aſcriptus; eum, quoquò ibat, comitatus eſt. *Qui quamquam, cum nondum ex Ephebis exceſſiſſet* (ita loquitur Euſebius) *cum impiis verſabatur; non tamen ſimiles cum illis mores combibit. nam ingenua ejus, & proba indoles, divino Sancti Spiritus inſtinctu pulſa, illum ex ea conſuetudine, ad piam vivendi rationem, Deoq; gratam traduxit. Quem etiam ſingulare paterna virtutis amulanda ſtudium, adoleſcentem magnoperè ad bonorum pellexit imitationem.* Ita, quà patris, quà matris exemplo, virtutis iter ingreſſus; vitavit vitiorum illecebras, quæ teneros annos facilè dejiciunt, & in malorum abyſſum mergunt. Nec mutavit hanc vitæ conſuetudinem, factus adoleſcens; ſed eandem tenuit in Diocletiani aulâ, quam domi tenuerat, animi morumque moderationem. Porrò, ut ſe geſſerit, poſtquam inter Diocletiani familiares numeratus eſt; & quando Orientem cum eo luſtravit; oculatus teſtis eſt Euſebius, qui ita de illo. *Ubi*, inquit, *Conſtantinus exceſſit è pueris, & jam ad adoleſcentiam pervenit, ſummo apud Imperatores honore dignatus fuit. In qua ætate & honore, nos eum vidimus; cum Palaſtinorum regionem, unà cum Imperatore, qui cateros antecibat ætate, peragraret. ad cujus* (Diocletianum intelligit) *dextram aſſiſtens, illis qui eum videre cupiebant, ſe adoleſcentem facilè praſtantiſſimum declaravit. utpote in quo eximia Regia cujuſdam indolis indicia, ex eo quidem tempore, elucere cœperunt. Ut enim corporis compoſitione, ad pulchritudinem aptâ; & ſtatura, ut ætas tulit, proceritate, nemo cum illo comparari potuit: & virium etiam firmitate, tantum ſuperavit æquales; ut illis nonnihil terroris injiceret: ſic virtutibus animi multò magis, quam corporis ornamentis nobilitatus eſt. Quippe modeſtiâ primùm ſuum decoravit animum. deinde politiore literaturâ, tum prudentiâ, à naturâ propè inſitâ, ad extremùm ſapientiâ divinitùs animo conſignatâ, tanquam alimentis quibuſdam eximiè educavit.* Hæc omnia Euſebius, quæ hoc loco placuit referre, quia hoc tempore, ab eo obſervata ſunt.

Euſeb. in vita l. c. c. 11.

Conſtantini indoles.

Euſeb. in vita l. c. c. 19.

Conſtantinus in Oriente.

V. Corporis conſtitutio patriam indicat.

Cum lego Conſtantini laudes in Euſebio, ſtaturam, robur, pulchritudinem corporis, quæ Orienti viſa ſunt mira: † ſuprà collegi illum, non ibi, ſed in Occidente natum. Græciam certè riſit, & omnem Orientem, Orator ille, qui coram Conſtantino, ita dixit. *Facilè eſt vincere timidos, & imbelles, quales amœna Græcia, & deliciæ Orientis educant; vix leve pallium, & ſericos ſinus vitando ſole tolerantes: & ſi quando in periculum venerint, libertatis immemores, ut ſervire liceat orantes*: quaſi diceret: talis eſt tantuſque Conſtantinus, ut non illum amœna Græcia, & deliciæ Orientis procrearint; ſed ſolidius cælum, fortem, robuſtum, ac invictum fecerit. Hanc Conſtantini profectionem in Orientem intellexit fortè Euſebius, cum dixit. *Itaque & nobis, qui Orientem accolimus, ſuam ipſius praſentiam, non ſine maximo omnium commodo largitus eſt.* Quæ omnia, ſi conjunxeris, peregrinum ſanè in Græcia, non vernaculum arguunt Conſtantinum. Sed illo, in Oriente relicto, vel certè in Diocletiani comitatu, ad Conſtantium patrem redeamus: qui Cæſar hoc anno factus, in Gallias primò, deinde in Britanniam deſcendens; in Batavos pugnavit,

† An. 275. 9. &c.

Incerti Panegy. 6. fine.

Geſſoriacum

Gessoriacum munivit; & Bataviæ civem, Britanniæ principem Carausium, purpurâ vitáque exuit, Allecti operâ; ipso denique Allecto, Asclepiodati manu interempto, Britanniam aliquot jam annorum tyrannide captivam, & libertati pristinæ, & Romanæ dignitati, addo & Christianæ fidei, restituit. Quæ singula, in suos annos digerere, operosum quidem, ob Authorum discrepantiam: Annalibus tamen necessarium, qui saltem conari debent, suis singula locis intexere.

VI. TEMPORIS RATIO EXPENDITUR.

Jacobus Gordonius putat Constantium, superiori anno, creatum Cæsarem: & eodem Gessoriacum (nunc Bononiam in Morinis) expugnasse: & demum sequenti, nimirùm, hoc anno, Carausium, ab Allecto occisum. Sed quia Carausius sexennio saltem imperare debet, & Christiana res in Britanniâ; quà Diocletiani persequutione, quà Carausii tyrannide, novennio saltem premi, & decimo anno respirare Insula, festinare paululum videatur, & miscere aliqua, quæ meliùs separantur. Cum itaque Carausius purpuram non induerit, ante annum ducentesimum octogesimum septimum, non debet illam hoc anno exuere, sexennio non exacto: cum Eutropius, Orosius, Beda, Paulus Diaconus, aliíque passim, septennio gestatam ab eo purpuram scribant. imo Eutropius disertè affirmat Carausium *post septennium* ab Allecto occisum. Sed quia ut* suprà dixi græcus textus non habet illam definitionem temporis; cum Aurelio Victore saltem dicendum, *sexennio pòst, Allectus eum dolo circumvenit*. Hanc ob causam puto ita meliùs componi tempora; si dixeris cum Baronio, hoc anno, Constantium, Cæsarem factum; sequenti expeditionem in Britanniam paravisse. quod Panegyricus expressit suprà illis verbis: *destinatâ Batavia, Britanniaq; vindictâ.* & tunc demum Allectus, Carausium peti videns; prævenit ictum, & tyrannidem ipse occupavit. Quæ quomodo facta sint, nunc dicendum.

*Eutrop. l. 9. Bed. l. 1. c. 6. Oros. l. 7. c. 25. Paul. Diac. l. 10. c. 41. *An. 286. 45. Victor de Cæsar. c. 39. §. 4. Hic n. 1.*

ANNUS URBIS CONDITÆ 1044.

ANNUS CHRISTI 293.

CAII PAPÆ 10.

DIOCLET. ET MAXIMIA. IMPP. 10.

I. CONSTANTII EXPEDITIO IN BRITANNIAM.

ILLUSTRIS hic annus est 293. Consulatu Diocletiani V. & Maximiani IV. & Constantii expeditione in Britanniam, quando cum exercitu Gallias terruit; & Gessoriacum, quod Carausius sibi muniverat, mirabili arte, ac industriâ, cepit: quod Eumenius his verbis significat. *Statim itaque Gallias tuas, Cæsar, veniendo vicisti. Siquidem illa celeritas, quâ omnes ortus atque adventus tui nuntios, prævertisti; cepit oppressam* Gessoriacensibus muris pertinacem tunc errore misero manum piratica factionis. Atque illis olim mari fretis alluentes portas ademit. In quo divina providentia tua, & par consilio effectus apparuit; qui omnem sinum illum portus, quem statis vicibus æstus alternat; defixis in aditu trabibus, ingestisq; saxis, invium navibus reddidisti; atque ipsam loci naturam, admirabili ratione superasti; cum mare frustra reciprocum, prohibitis fuga, quasi illudere videretur; tanquam nullo usu juvaret inclusos, ad quos redire desisset.* Pergit orator pluribus laudare Constantii factum, Gessoriacum munientis; & inter cætera, industriam commendat, quod usus tempore, dum classis paratur (erat illa, ad Britanniam invadendum perquàm necessaria) in Bataviam profectus, hostem ibi profligaverit. sic enim accipienda sunt ea quæ sequuntur.

*Eumen. pan. 10. *ita legit Livineius.*

II. CONSTANTIUS IN BATAVIS DIVERTIT.

Eumen. sup.

Potuisset, Cæsar, illo felicitatis ac virtutis tuæ impetu, totum peragi continuo bellum; nisi ædificandis navibus dari tempus rei necessitudo suasisset. Quo tamen omni, nunquam ab eorum hostium eversione cessatum est, quos adiri continens terra permisit. Quamquam illa regio divinis expeditionibus tuis, Cæsar, vindicata atque purgata; quam obliquis meatibus Scaldis interfluit; quamque divortio sui Rhenus amplectitur, penè (ut cum verbi periculo dicam) terra non est. Ita penitus aquis imbuta permaduit; ut non solum qua manifestè palustris est, cedat ad nisum, & hauriat pressa vestigium: sed etiam ubi paulo videtur firmior, pedum pulsu tentata, quatiat, & sentire se procul mota pondus testetur. Ita subjacentibus innatat, & suspensa latè vacillat; ut meritò quis duxerit; exercendum fuisse tali solo militem ad navale certamen. Describit hic Eumenius Bataviæ provinciam, Carausii patriam. quam idem Author, alia panegyri, nominat, dum ita de Constantio, & hujus anni re gestâ loquitur. *Constantius, dum ædificandis classibus, Britanniæ recuperatio comparatur; terram Bataviam, sub ipso quondam alumno suo* (Carausium intelligit) *à diversis Francorum Regibus occupatam, omni hoste purgavit. Nec contentus vicisse, ipsas in Romanas transtulit nationes, ut non solum arma, sed & feritatem ponere cogerentur.*

Eumen. pan. 9.

III. CARAUSIUS OCCIDITUR.

Dum Gessoriaci classis instruitur, & Constantius Batavos premit; Carausius in Britanniâ, ab Allecto, occiditur. Allectus enim, *cum Carausii permissu* (ita Aurelius Victor) *summa rei præesset; flagitiorum, & ob ea mortis formidine, per scelus imperium extorserat.* Ita se Imperatorem scripsit, & Augustum, cuso hoc numismate, licet Constantius immineret Insulæ.

Victor de Cæsaribus c. 39. §. 4.

ALLECTUS IMPERAT.



Camden. num. 15.

IV. QUAMDIU?

Quamdiu Allectus purpuram gestaverit; satis controversum est. Gordonius, è panegyricis colligit, eodem, quo illam induit anno, exutum. & sanè Victor *brevi illâ usum* disertè affirmat. Eutropius tamen, Orosius, Beda, & Paulus Diaconus, triennalem Imperatorem faciunt. Ego medius intercedo, & sesqui annum, vel circiter ita contrahi ac produci posse existimo; ut non magno negotio, coire possint diversæ sententiæ. Et quia Authores ferè omnes Romani Græcique consentiunt, Britanniam decimo anno recuperatam esse, hoc est ad Romanam servitutem rediisse. Allectus hoc saltem anno, & sequenti, regnare debet. Sic *persequutionem Diocletiani tyranni novennem, & bilustrum supradictis turbinis necdum ad integrum expletum* inveniemus, de quo Gildas noster, author antiquissimus: qui cum in Beda,

Gildas in Excidio.

Beda l. 2. c. 22.

studiat Britonum historicus; oon habemus ad distinguendum annos, & tempora, certiorem indicem. nec ab eo dissentiunt Romani Scriptores, quia si sequenti anno Constantius in Allectum pugnat, cumque expugnat; hoc est, novennio post Carausii tyrannidem, Diocletiani persequutio sine dubio sopictur: & decimo demum anno Britannia Romanis accedet. Ita etiam habes Carausii septennium, & triennalem Allecti purpuram, si annos, ut sæpè fit, non omnino integros, sed implexos, & utrique communes, numeraveris. stabilitâ in hunc modum temporis & annorum ratione, cum Constantio Cæsare, in Britanniam navigemus.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1045.

ANNUS CHRISTI 294.

CAII PAPÆ 11.

DIOCLET. ET MAXIMIA. IMPP. 11.

I. Constantius in Britanniam navigat.

Eumen. pan. 10.

POTEST meritò dubitari, trajeceritne Constantius in Britanniam, eo anno, quo Allectus imperium cepit; an sequenti? quia Authores omnes indistinctè loquuntur. Quoniam verò novus tyrannus, ad annum Christi ducentesimum nonagesimum quartum, & Constantii Galeriique Consulatum vitam protraxit. nos Constantii expeditionem eò rejicimus. Quam æterna memoria dignam ita explicat Eumenius. *Hoc igitur bellum, tam necessarium, tam difficilè aditu, tam inveteratum, tam instructum, ita, Cæsar, aggressus es, ut statim atque illò, infestum majestatis tuæ fulmen intenderas; confectum omnibus videretur. Nam primò omnium, (in quo præcipuè consulendum fuit) ne quid barbaræ nationes, converso illuc numine, novare tentarent; invocata potestatis tuæ majestate, provisum est, &c. Tu, invicte Cæsar, instructis armatisq; diversis classibus, ita hostem incertum, consiliiq; inopem, reddidisti; ut tunc denique senserit, quod non munitus esset Oceano, sed inclusus. Hoc loco venit in mentem mihi, quàm delicata illorum Principum fuerit in administranda Rep. cum laude felicitas; quibus Romæ degentibus, triumphi & cognomina devictarum à Ducibus suis gentium proveniebant. Itaque Fronto, Romanæ eloquentiæ, non secundum, sed alterum decus, cum belli in Britannia confecti laudem Antonino Principi daret: quamvis ille, in ipso urbis palatio residens gerendi ejus mandasset auspicium; veluti longæ navis gubernaculis præsidentem, totius velificationis, & cursus gloriam meruisse, testatus est. At enim tu Cæsar invicte, omnis istius & navigationis & belli, non modo, pro imperii jure, præceptor; sed rebus ipsis, & exemplo constantiæ tuæ, hortator atque impulsor fuisti. Siquidem à Gesoriacensi litore, quamvis fervidum invectus Oceanum; etiam illi exercitui tuo, quem Sequanæ fluctus junxerat, irrevocabilem injecisti tu eis ardorem; adeò ut cunctantibus adhuc ducibus, cælo & mari turbidis, ultrò signum navigationis exposceret; quædam minantia signa, quæ videbantur, contemneret; die pluvio vela faceret; ventum, quia directus non erat, captaret obliquum. Quis enim se, quamlibet iniquo mari non auderet credere, te navigante? Omnium, ut dicitur, accepto nuntio navigationis tuæ, una vox & hortatio fuit: Quid dubitamus? Quid moramur? Ipse jam solvit, jam provehitur, jam fortasse pervenit. Experiamur omnia, per quoscumque fluctus eamus. Quid est, quod timere possumus? Cæsarem sequimur. Nec fefellit opinio vestræ felicitatis: siquidem (ut ex illorum relatione comperimus) ad tempus ipsum, tanta se dorso maris nebula miscuerunt; ut inimica classis apud Vectam Insulam, in speculis & insidiis collocata, ignorantibus omnino hostibus, præteriretur; ne vel moraretur impetum, quamvis non posset obsistere.*

II. Constantii facinus.

Idem pan. 10.

Hæc Eumenius de Allecti classe, quæ Britanniæ littora observabat, stabatque ad Vectam Insulam. Sequitur egregium Constantii facinus, comburentis classem suam; quo sciret miles, vel debellandam esse provinciam, vel hostibus serviendum. *Iam verò* (inquit Eumenius) *quod idem ille vestro auspicio invictus exercitus, statim atque Britanniæ litus invaserat; universis navibus suis injecit ignes; quinam alii nisi divinitatis vestræ monitus impulerunt? Aut quæ alia ratio persuasit; nullum præsidium fugæ reservare; nec vereri dubia bellorum, nec Martem ut videtur, putare communem; nisi quod vestri contemplatione constabat, de victoria non posse dubitari. Non illis tunc vires, non Romana robora; sed vestra numina cogitaverunt. Proposita qualicumque prælio, certam sibi spondere fortunam, non tam sit fiducia militum, quàm felicitas Imperatorum. Ipse ille autem signifer nefariæ factionis (Allectus) cur ab eo litore, quod tenebat abscessit? cur classem portumq; deseruit? nisi quod te, Cæsar invicte, cujus imminentia vela conspexerat, timuit jam jamq; venturum? Utcumque cum Ducibus tuis maluit experiri, quàm præsens majestatis tuæ fulmen excipere. Demens qui nesciebat, quacumque fugeret, ubique numina vestra majestatis esse, ubi vultus vestri, ubi signa colerentur. Te tamen ille fugiens, incidit in tuorum manus, à te victus, à tuis exercitibus oppressus est.*

Allectus occiditur.

Denique adeo trepidus, & te post terga respiciens, & in modum amentis attonitus, properavit ad mortem; ut nec explicarit aciem, nec omnes copias, quas trahebat, instruxerit; sed cum veteribus illis conjurationis authoribus, & mercenariis cuneis barbarorum, tanti apparatus oblitus irruerit. Adeo, Cæsar, hoc etiam Rep. tribuit vestra felicitas; ut nemo ferè Romanus occiderit, imperio vincente Romano. Omnes enim illos, ut audio, campos, atque colles nonnisi teterrimorum hostium corpora fusa texerunt. Illa barbara, aut imitatione barbariæ olim cultu vestis, & prolixo crine rutilantia; nunc verò vulnere & cruore fœdata, jacuerunt: atque inter hos ipse vexillarius latrocinii, cultu illo, quem vivus violaverat, sponte deposito, vix unius velaminis repertus indicio. Adeo verum sibi dixerat morte vicinâ, ut interfectum se nollet agnosci.

III.

Victor de Cæsar. c. 39. §. 4.

Hunc in modum Allectus imperium deposuit, à Constantii milite interfectus; cum prius purpuram ne agnosceretur, exuisset. Quod paucioribus Aurelius ita exposuit. *Allectus, cum Carausii permissu, summæ rei præesset, flagitiorum, & ob ea mortis formidine, per scelus imperium extorserat: quo usum brevi, Constantius, Asclepiodoto, qui Prætorianis præfectus præerat, cum parte classis ac legionum præmisso, delevit.* Miles ubi principem occisum vidit; seque in alieno solo, (nam Franci ferè Batavique erant) Londinum, Britanniæ tunc emporium, fugit, & urbem deprædari incipit: sed adfuit ex improviso Constantius; & urbem libertati, civibus sua bona restituit. Nec tacuit hoc Eumenii panegyris, sed ita Constantii egregium facinus exponit. *Enimvero Cæsar*

Constantius Britanniam recipit.

Eumen. pan. 10.

invicte,

invicte, tanto Deorum immortalium tibi est addicta consensu victoria; omnium quidem quos adortus fueris hostium; sed præcipuè internecio Francorum. Et illi quoque milites vestri, qui per errorem nebulosi maris abjuncti, ad oppidum Londiniense pervenerant; quicquid ex mercenariâ illâ multitudine barbarorum, prælio superfuerat; cum direptâ civitate fugam capessere cogitarent; passim totâ urbe confecerunt: & non solum provincialibus vestris, in cæde hostium dederunt salutem, sed etiam in spectaculo voluptatem. Hic vides, Lector, non in Britannos, sed pro Britannis, à Constantio pugnatum; in Francos, inquam, & Batavus, quos modo mercenarios cuneos, modo mercenariam multitudinem barbarorum vocat panegyricus. Quod si quæras, quinam illi qui Constantii *provinciales* dicuntur. dicendum intrepidè, illos esse, qui ut statim audies, lætissimis vocibus, & festo plausu Victorem Constantium exceperunt, & fortè, cum eo, reducem Helenam; quam olim uxorem acceperat, & cum ea jus in Britanniam. nunc autem imperio auctior, & cum potestate reversus, salutem civibus suis, & voluptatem fecerat. Eò respexit idem Orator, cum iterum dixit: *Quis hoc unquam futurum persuadere potuisset, quod nunc vidimus & videmus; totis porticibus civitatum sedere captiva agmina Francorum, viros attonita feritate trepidantes,* &c. *atque hos omnes PROVINCIALIBUS VESTRIS ad obsequium distributos: donec ad destinatos sibi cultus solitudinum ducerentur,* quasi diceret. Qui cum Carausio & Allecto Britanniam invaserunt, Franci, Batavique; veniente Constantio, vel occisi sunt; vel Britannis Constantii provincialibus coacti servire: donec in Ambianensem, Bellovacensem, Tricassinum, Lingonicumque agrum transferrentur; ut idem Author in fine orationis insinuat.

Idem qui suprà.

IV. Postquam Eumenius illustrissimam Constantii expeditionem narravisset; exponit jubilum Britannorum; in quo legere est, quàm gratus Insulæ advenerit: *Meritò igitur,* inquit, *statim atque ad litus illud exoptatus olim vindex, & liberator appulerat; obvius sese majestati tuæ triumphus effudit; exultantesque gaudio Britanni, cum conjugibus ac liberis obtulerunt; non teipsum modò, quem ut cælo delapsum intuebantur; sed etiam navis illius, quæ tuum numen advexerat, vela remigiaque venerantes; paratique te ingredientem stratis sensere corporibus. Nec mirum si tanto gaudio ferebantur, post tot annorum miserrimam captivitatem; post violatas conjuges, post liberorum turpe servitium; tandem liberi, tandemque Romani, tandem vera imperii luce recreati. Siquidem præter illam clementiæ vestræ, pietatisque famam, quæ communi gentium voce celebratur.* (dicebatur enim Constantius Pius) *in ipso, Cæsar, tuo vultu, videbant omnium signa virtutum; in fronte gravitatis, in oculis lenitatis, in rubore verecundiæ, in sermone justitiæ. Quæ singula, ut respectantes agnoverant, lætitiæ clamoribus concinebant; vobis se, vobis liberos suos, vestris liberis omnes generis sui posteros devovebant.* Hæc fortè ob natum in Britanniâ Constantinum reducemque Helenam: quam licet ante duos annos invitus dimiserat, ut Theodoram Maximiani privignam acciperet, & unà Cæsaream dignitatem; certum tamen est eidem postea adhæsisse, ut modò communis provinciæ gratulatio, & liberorum ejus mentio, potest esse argumento.

Paneg. 10.

Britannorum iubilus ob adventum Constantii.

V. Aberat hoc tempore Constantinus, & aderat Diocletiano, in Ægypto pugnanti; ubi bonæ indolis præclara dedit indicia. Ita de illo scribit Paulus Diaconus. *Erat autem cum ipso* (Diocletiano in Ægypto pugnante) *Constantinus filius Constantii; qui cum adhuc valdè juvenis esset, fortiter agebat in præliis, & cum Christianis sentiebat. Quem intuens Diocletianus, intellectu animæ, & corporis robore atque ingenio, circa eruditionem proficere; & deprehendens hunc futurum tyrannidis, & ejus dogmatum destructorem; invidiâ ductus, dolo perimere satagebat. Deus autem hunc inopinatè salvavit, & Patri restituit.* hæc ille. Constantinus sine dubio Diocletiani carnificinam invitis oculis usurpabat, & in nullo censebat Christianos peccare: unde & cum illis sentire putabatur. Sciebat etiam Tyrannus, Christiano eum lacte educatum; idola, quamvis illa colere videretur, fastidire. Hanc ob causam, ipsum infra inveniemus detentum obsidem, *specie religionis.*

Constantinus in Ægypto. *Paul. Diac. l. 10. c. 42.* A Diocletiano timetur.

VI. Nec prætereundum, Constantinum, circa hæc tempora, Minervinam uxorem duxisse, unde postea Crispum suscepit. Procul autem à veritate, quod Zosimus illam παλλακὴν, seu concubinam vocat. nam contra Constantinus à castitate laudatur, quod juvenis matrimonii legibus se devinxerit, ne ad illicita, naturæ licentioris impetu, caperetur. Ita enim incerti panegyricus, tam Constantii patris cum Helenâ, quàm Constantini filii cum Minervina matrimonium commendavit, eâ oratione, quam in alteris Constantini nuptiis, cum Fausta habuit: in hunc modum tunc Constantinum alloquens. *Quo magis continentiam patris æquare potuisti, quàm quòd te ab ipso fine pueritiæ, illico matrimonii legibus tradidisti; ut primo ingressu adolescentiæ formares animum maritalem, nihil de vagis cupiditatibus, nihil de concessis ætati voluptatibus, in hoc sacrum pectus admitteres. novum jam miraculum juvenis uxorius.* Miror hic tergiversari Livineium, qui ad verba illa. *Nihil de vagis cupiditatibus: At Crispum,* inquit, *è Minervinâ quâdam concubinâ sustulit, ac, ni fallor, ante hoc Faustæ matrimonium.* Non fallitur, quod Minervinæ matrimonium præcesserit; quia duodennis erat Crispus, cum parens Faustam duxit, anno septimo sequentis sæculi. sed in eo certè falli videtur quod concubinam vocet; nisi Scripturæ sacræ phrasi loquatur. Etenim impertinentissimè Orator illius matrimonii mentionem injecisset, aut juvenem laudasset à castitate; si vagis Minervinæ amoribus servisset. Adde Eusebium suprà, qui adolescentem facie venustâ, & lanuginis flore decorum, in familiis tyrannorum sanctè conversatum affirmat.

Constantinus Minervinam ducit. *Paneg. 8.* *Livinei. in notis.* *V. an. 292. n. 4.*

VII. Debeo hic Lectorem advertere, Constantii expeditionem in Britanniam, quam suprà recitavi; ex illa panegyri desumptam esse, quæ inter panegyricos numeratur decima; quam ab Eumenio dictam verosimilius est: licet illam Mamertino ascribant Raphaël Holinshedus, Joannes Spedus, aliique. Non etiam assentior illis, qui Maximiano illam inscripserunt. nam inde errandi ansam accepit Richardus Broughtonus, qui, non uno in loco, dicit Maximianum in Britanniam venisse, & faustis acclamationibus exceptum esse: illis, inquam, quas supra Constantio dedimus. unde sequitur putare illum, Maximiani industria, non Constantii, Carausium primò, deinde Allectum, purpurâ exutos. quæ tamen sine dubio, in Constantii laudibus ponenda sunt, ut Eutropius, Victor, & plures affirmant. Addo, cum Britanniæ defectio, & Carausii tyrannis, illum Cæsarem

Maximianus non venit in Britanniam. *Broughton. cent. 3 c. 14. 4.*

fecerint, ut suprà ostensum; Diocletiani mens consiliumque erat, ut illa expeditione, se militem ostenderet; & eo militiæ tyrocinio, gradum faceret ad imperium. non debet ergo in ejus locum substitui, aut victoriæ laudem habere Maximianus; qui Britanniam non legitur ingressus. hæc Authorum errata, è corruptâ panegyrici inscriptione descendunt: quæ aliquando ita legebatur: *Mamertini panegyricus Maximiano Imp.* sed optimè Livineius ita reposuit: *Eumenii panegyricus, Constantio Cæsari.* ut res ibi gestæ, & tota narrationis series, facilè persuadent.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1046.

ANNUS CHRISTI 295.

CAII PAPÆ 12.

DIOCLET. ET MAXIMI. IMPP. 12.

I.

Læta Britanniæ facies et utriusque Reip.

HIc annus ducentesimus nonagesimus quintus, Tusco & Anullino Consulibus: Britanniæ felicissimus illuxit, & utrique Reipubiicæ salutaris. nam lacrymæ in gaudium, servitus, in libertatem, turbines transierunt in serenum diem: Romani etiam de insigni victoriâ, & recuperata provincia, admodum triumpharunt. Hic enim decimus est annus; quo receptam Britanniam Authores suprà dixerunt, & bilustrum Gildæ non expletum; quo, cessante omni persequutione, lætam denuo faciem præ se tulit Ecclesia: Quæ cum huc referri debeant, de illis seorsum agendum. Imprimis quod ad Romanos spectat, & eorum ex hac Victoriâ triumphum, panegyricus suprà, quem Eumenio ascripsi, ita illum explicat, effertque: *O Victoria multijuga, & innumerabilium triumphorum, quâ Britannia restituta, quâ gentes Francorum penitus excisa: quâ multis præterea gentibus, in conjuratione illius sceleris deprehensis, imposita est necessitas obsequendi. Denique ad perpetuam quietem maria purgata sunt! Gloriare tu verè, Cæsar invicte, alium te Orbem terrarum reperisse; qui Romanæ potentiæ gloriam restituendo navalem, addidisti imperio terris omnibus majus elementum. Confecisti enim bellum, Cæsar invicte, quod cunctis impendere provinciis videbatur: tamq; latè vagari & flagrare poterat, quàm latè omnis Oceanus, & Mediterranei sinus alluunt, &c. Itaque hac victoriâ vestrâ, non Britanniá solum servitute est liberata, sed omnibus nationibus securitas est restituta; quæ maritimo usu tantum in bello adire pericula poterant; quantum in pace commodi consequuntur. nunc secura est (ut de latere Gallico taceam) quamvis penè conspicuis litoribus, Hispania: nunc Italia, nunc Africa, nunc omnes usque ad Mæotidas paludes, perpetuis curis vacant gentes.*

Eumen. pan. 10.

Britannicæ Victoriæ commoda.

II.

Britanniæ laudes.

Eumen. sup.

Volo paululum Romanorum gratulationi immorari, & fructum ostendere hujus victoriæ; quia Britanniæ laudes, & commoda explicat. *Sane*, inquit idem, *non sicut Britanniæ nomen unum, ita mediocris jactura erat Reip. terra, tanto frugum ubere, tanto læta numero pascuorum, tot metallorum fluens rivis, tot vectigalibus quæstuosa, tot accincta portibus, tanto immensa circuitu. Quam Cæsar ille author vestri nominis, cum Romanorum primus intrasset; alium se Orbem terrarum scripsit reperisse: tantæ magnitudinis arbitratus, ut non circumfusa Oceano, sed complexa ipsum Oceanum videretur.*

Magnitudo.

Consonat his, quod habet Dionysius Alexandrinus, de situ orbis, ubi de Britanniæ magnitudine ita loquitur.

Τόων τοι μέγεθος περιώσιον, οὐδέ τις ἄλλη
Νήσοις ἐν πάσαις, Βρετάνισιν ἰσοφαρίζει.

Quarum magna quidem moles: neque enim Insula prorsus
Illa Britannidibus sese jactaverit æquam.

Dionys. de situ orbis.

Comparatio Constantii cum I. Cæsare.

Pergit Eumenius conferre Cæsaris ingressum, victoriamque, in Britanniâ, cum hac expeditione Constantii, in hunc modum. *Sed enim illa ætate, nec Britannia ullis erat ad navale bellum armata navigiis: & Romana res, inde jam à Punicis Asiaticisq; bellis, etiam recenti exercitata piratico, & * postea mithridatico; non magis terrestri, quam navali usu vigebat. * Ad hoc natio etiam tunc rudis, & soli Britanni, Pictis modo & Hibernis assueta hostibus, adhuc seminuda, facilè Romanis armis signisq; cesserunt. Propè ut hoc uno Cæsar gloriari in illa expeditione debuerit; quod navigasset Oceanum. Isto verò nefario latrocinio, abductâ primùm à fugiente pirata, classe, quæ olim Gallias tuebatur: ædificatis præterea plurimis, in nostrum modum navibus, occupatâ Legione Romana, interclusis aliquot peregrinorum militum cuneis, contractis ad dilectum mercatoribus Gallicanis, sollicitatis per spolia ipsarum provinciarum non mediocribus copiis barbarorum; atque iis omnibus, ad munia nautica, flagitii illius authoris magisterio eruditis: exercitibus autem nostris, licet invictis virtute, tamen in re maritimâ novis; malam coaluisse ex indignissimo latrocinio belli molem audiebamus; licet de exitu fideremus. nam accesserat diuturno sceleri impunitas, quæ desperatorum hominum inflarat audaciam; ut illam inclementiam maris, quæ victoriam nostram, fatali quadam necessitate, distulerat; pro suo terrore jactarent; nec consilio intermissum bellum esse, sed desperatione omissum crederent; adeo ut jam communis pœnæ timore deposito, archipiratam satelles occideret; & illud authoramentum tanti discriminis putaret imperium.*

* priore mithrid.

III.

Corollaria.

Picti, et Hiberni.

Ex his Eumenii verbis, elici possunt aliqua, quæ Britannicarum rerum historiam illustrent. Imprimis comparatio illa Cæsaris & Constantii, & utriusque victoria; aperit illarum gentium nomina, quæ Britanniæ, tam Cæsaris, quàm Constantii tempore, graves fuerunt. Et quia Pictorum solùm, & Hibernorum mentio, ingens conjectura est, alios non fuisse. Porro qui hic Picti vocantur, Caledonii erant, Diocletiani tantum sæculo, ita vocari cœpti, ut suprà monui. & fortè primus illius nuncupationis author Eumenius, qui alia panegyri Constantii laudes congerens dixit: *Neque enim ille, tot tantisq; rebus gestis, non dico Caledonum, aliorumq; Pictorum silvas & paludes; sed nec Hiberniam proximam, nec Thulem ultimam, nec ipsas, si quæ sunt Fortunatorum, Insulas, dignatur acquirere.* ubi habes omnem populum, qui hactenos Septemtrionem nostrum insedit. necdum enim puto Hibernos stabilem in hac Insula pedem fixisse. quam certè illis non negarem, si possem ex antiquo Authore aliquo porrigere illis suffragium. Adverto iterum Pictos, variis quidem imaginibus aliquas corporis partes efferasse, sed non omnino nudos fuisse, ut aliqui putaverunt. nam hic Picti & Hiberni hostes, *adhuc seminudi* dicuntur: qui brachia fortè tibiasque pinxêre, inde nomen sortiti. Denique è totâ orationis serie colligitur, Carausium, cui latrocinium semper, & piratica imponitur, nec audit

An. 75. n. 3.

Panegy. 9.

Seminudi.

augustius,

Vill. de Cæſar. *An. 288. n. 1.* *V Brit. Illuſtrata c. 1. ſect. 2. §. 12.*

auguſtiùs, quàm archipirata; *juſto imperio* non potitum: nec Victorem debere corrigi, cum dixit: *Britanniam hauſto imperio capeſſivit.* unde confirmantur ea quæ ſuprà adnotavi: Quod ſequitur in Eumenio, inter commoda victoriæ hujus, Auguſtodunenſem Galliarum urbem, à Britannis reparatam ornatamque eſſe, recitavi illud, cum de Conſtantini patriâ diſputavi. nunc tranſeo ad Chriſtianam Remp. noſtram, & majora victoriæ hujus emolumenta.

IV. CONSTANTIUS CHRISTIANIS BENEVOLUS.

Ab ingreſſu Conſtantii in Britanniam, & deinceps; quievit tempeſtas illa, quæ Chriſtianam fidem ferè deleverat; Eccleſias autem, & religionis loca omnia, penitùs fuerat demolita. Licet enim adhuc Diocletianus & Maximianus, in Chriſti cultores furerent; & indies in impietate creſcerent: Conſtantius tamen, inſigni moderatione uſus, ab omni crudelitatis ſpecie procul abfuit. teſtatur hoc Euſebius. *Cum quatuor,* inquit, *in Romani imperii gubernandi ſocietate jungebantur, ſolus Conſtantius, fœdere amicitiæ, cum Deo omnium gubernatore pacto; modum vitæ à cæterorum inſtituto alienum, diſparemq́; conſectatus eſt. Illi enim Dei Eccleſias obſidione vaſtare, evertere radicitùs, ſolo æquare, ac templa concuſſis fundamentis, diſturbatisq́; prorſus delere aggreſſi ſunt. Hic autem, à nefando & deteſtabili eorum ſcelere, manus integras, ac inviolatas continuit: neque ulla ex parte ſe ſimilem iis præbuit. Illi inteſtina virorum ſimul ac mulierum, pietatem maximè excolentium cæde, provincias ſuæ ditioni ſubjectas, ſcelerate contaminarunt: Hic ſuam ipſius animam, a ſceleris labe vacuam aſſiduè conſervavit,* &c. *& pacis tranquilliſſimæ, illis, qui ab ipſo regebantur, author factus; liberam iis veræ in Deum religionis, ſine moleſtiâ, excolendæ permiſit poteſtatem.* & paulò infrà: *Conſtantius ſolus, & imperium placidum præſtitit, ac tranquillum ſuis; & non aliter atque pater indulgens illis ſedulò proſpexit, atque adeo opitulatus eſt.* Hæc omnia notanda ſunt, ut videat Lector, quorſum Albani paſſionem, & Britanniæ Martyres, ad priora retulerim. Qui enim fieri potuit, ut ſub eo Britanni punirentur, ob fidei profeſſionem, qui *liberam ſuis illius excolendæ permiſit poteſtatem?*

Euſeb. in vita l. 1. c. 9.

V. OBJECTIO.

Reſpondet objectioni huic Richardus Broughtonus: Conſtantium quidem tranquilliſſimæ pacis virum, nullo modo perſequutionem auxiſſe, aut ejus exercendæ cauſam dediſſe: ſed auctum Cæſarea dignitate, nulla deinceps authoritate, aut imperio auctiorem fuiſſe. Cum Cæſaris nuncupatio, honoris tantummodo & futuræ majeſtatis prærogativa eſſet, non daret tamen impræſentiarum juris in ſubditos dictionem aliquam, ac proinde Albanum alioſque pati potuiſſe, eo Cæſare. ſedente, ſcilicet, pro tribunali, Aſclepiodoto. Sed non placet: & mala cauſa pejori fulcitur adminiculo. Conſtantius ita creatus eſt Cæſar, & eum in finem; ut partem oneris, quod Diocletianus in adminiſtrando Romano imperio ſentiebat graviſſimum, ipſe ſuſtineret. & ideo commiſſæ illis Occidentis provinciæ. Si Aſclepiodotus pro tribunali ſedebat, dicebatque ſententiam, qui ſub Conſtantio militabat: majorem ſine dubio poteſtatem habebat exercitus Imperator. Si olim legati in provincias miſſi, jura vitæ neciſque habebant; non habebit Cæſar, qui ſimul legatus, qui Conſul (anno ſuperiore Conſulatum adierat) qui Princeps erat exercitus? Neſcivit hanc Cæſaris definitionem Euſebius, qui ſuprà *quatuor in Romani Imperii gubernandi ſocietate conjunxit.* & eſto: fuerit aliquando, princeps juventutis & hæres imperii, Cæſar dictus, ſine ulla plenitudine poteſtatis: habenda tamen eſt ratio temporis, rationque creationis. Dio Caſſius, hujus ſæculi vir, & in Rom. Rep. doctus, Cæſaris nomen & tempora ita diſtinxit libro hiſtoriæ ſuæ 53. *Nam Cæſaris,* inquit, *& Auguſti vocabula, nihil eis quidem ea potentia adjiciunt peculiaris: ſed alterum ſucceſſionem ſtirpis, alterum ſplendorem dignitatis ſignificat.* & paulo infrà: *Ac noſtrâ quidem ætate, ſimul omnia hæc iis tribuuntur, cenſorio excepto.* dixerat porrò ſuperiùs: *Quod Conſules interdum fierent, & quoties extra pomerium eſſent, Proconſules dicerentur: Nomenq́; Imperatoris, non modo, ſi qui aliquam victoriam retulerint; ſed & alii omnes, ad ſignificandam plenam ſuam, & perfectam potentiam.*

Broughto. cent. 3. c. 14. n. 8.

SOLVITUR.

CÆSAR QUIS DICATUR.

Dio hiſt. l. 53.

VI. BRITANNIA QUIETA.

Dicamus ergo veritati multò conformiùs; nullum in Britannia, Conſtantio Cæſare, pro Chriſtiana fide multatum eſſe. Imo ut primùm plena ipſe potitus eſt victoriâ; Chriſtianam religionem in priſtinum ſtatum, Eccleſiam in ſuum ſplendorem, viroſque religioſos in locum ſuum rediiſſe. Et Gildas harum rerum fideliſſimus teſtis; qui cum *perſequutionem* Diocletiani *novennem* vocaviſſet; & quorundam martyria, ſtragem, fugam, latebraſque recenſuiſſet, mox addit: *Igitur biluſtro ſupradicti turbinis necdum ad integrum expleto, emarceſcentibusq́; necis authorum nefariè edictis; lætis luminibus, omnes Chriſti tirones, quaſi poſt hyemalem ac prolixam noctem, temperiem lucemq́; ſerenam auræ cœleſtis excipiunt; renovant Eccleſias ad ſolum uſque deſtructas, Baſilicas Sanctorum Martyrum fundant, conſtruunt, perficiunt, ac veluti victricia paſſim propalant, dies feſtos celebrant, ſacra mundo corde oreq́; conficiunt: omnes exultant filii gremio ac ſi matris confoti.* Hoc ille. His conſonant ea, quæ ſuprà dixit Eumenius, recitans Britannorum jubilum, ob adventum Conſtantii. Jam verò ſi annos numeraveris, ab incboatâ Diocletiani perſequutione, promulgatiſque edictis, ad annum hunc Britanniæ ſibi, & Romanis reſtitutæ; novennium habes, aut ſi mavis biluſtrum, ſive decennium non expletum: quod Romani Græcique Scriptores vocaverunt ſuprà Carauſii ſeptennium, & triennium Allecti.

Gildas in Excidio.

VII. FIDES BRITANNORUM QUÆNAM?

Fides ergo poſtliminio reverſa, Britanniam, hoc anno, Britannoſque beavit: & magnum eſt pretium operæ contemplari quænam ſit illa. Nemò enim eſt, qui in quæſtionibus controverſis, eò non provocet. Imo qui hodie ſacra omnia calumniantur, & nova eſſe garriunt; nihil quærunt ambitioſiùs, quàm antiquâ horum Britannorum fide, omnia decidere. Sed verba dant, aërem verberant, & ludunt auditores. Britanni hic Martyres colunt, in illorum honorem Eccleſias fundant, conſtruunt, perficiunt: quod nunquam Lutherus, nedum Calvinus, faciendum docuit. Sacra etiam mundo corde, & ore conficiunt. Sacrificium ad altare obtulerunt: Calvinus autem ſacrificium ſuſtulit & altare. vocalia ſunt hæc Romanæ fidei argumenta, & Regiæ Lucii pietati conformia. Quod enim ille, Roma petitum didicit, porrexitque poſteris; hoc ipſum Diocletianus, & impius quiſque perſequutus eſt, & demum ſuſtulit. Fideles contra, ubi primùm reſpirandi data eſt facultas; altaria Deo, templa ſanctis, cœlum jubilo impleverunt: & licet nova tecta, novam ſacro cultui

supellectilem, novo jubilo & fervore confecerint: eandem tamen fidem, à Lucio & majoribus mandato Romani Pontificis acceptam: eandem, inquam, puram, & virginem, integerrimè servaverunt. Quod & Gildas testatur, cum consequenter ad supradicta dixit: *Gildas supr.* *Mansit namque hæc Christi capitis, membrorumq́; consonantia suavis, donec Ariana perfidia atrox, ceu anguis transmarina, nobis evomens venena, fratres in unum habitantes, faceret sejungi.* De quo dicam infrà suo loco.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1047.

ANNUS CHRISTI 296.

CAII PAPÆ 13.

DIOCLET. ET MAXIMI. IMPP. 13.

I. Caius Papa martyrio coronatur. *Apud Baron. an. 295.* Sacrificium.

SEQUITUR Christi annus ducentesimus nonagesimus sextus, Diocletiano sextùm, & Constantio Cæsare secundùm Coss. Caius Papa cum sedisset annos duodecim, menses quatuor, dies quinque, martyrio coronatur: *Qui a die quo Susanna percussa est* (sic habent ejus acta) *in domo Susannæ, in loco ubi percussa est, jugiter obtulit sacrificium pro ejus commemoratione.* & hoc ipsum est, quod superiori anno Britanni fecere cum persequutionis turbo cessavit. Albani corpus sine dubio, & aliorum martyrum collegerunt in Ecclesias, sacris ibidem operati, quod Gildas suprà exposuit: *Basilicas Sanctorum Martyrum fundant, sacra mundo corde oreq́; conficiunt.* Porro Susanna virgo Diocletiani neptis à Caio fidem & virginitatem docta, Maximiani conjugium repudiasse dicitur: martyrium anno præcedenti passa; quia corpus infideli viro, animam idolis noluit prostituere. Ut Serena Augusta ejus demortuæ corpus curarit propriis manibus, & velum ejus sanguine tinctum religiosè servaverit, suprà dixi. *An. 287. n.*

II. Marcellinus Papa. In Caii locum successit Marcellinus; qui Thebæum militem, ab Oriente Romam evocatum, in Christianâ fide confirmavit. fuerat olim integra legio, à Zambda Hierosolymorum Antistite, Christi sacris imbuta. *Apud Surium to. 5. 22. Sept.* *Et urbem Romam itinere attingentes* (ita scribit Eucherius Lugdunensis Episcopus) *eandem Christianitatis fidem, quam acceperunt, apud Beatum Marcellinum prædictæ Romanæ urbis Pontificem confirmaverunt: ut ante gladio interirent, quàm sacram Christi fidem, quam acceperant, violarent.* Ego hanc Orientis & Occidentis fidem unam eandemq́ue esse, mihi & Lectori gratulabor.

III. Ad hunc annum ducentesimum nonagesimum sextum, Scoticarum rerum Scriptores ponunt martyrium Sancti Nicolai: qui è Britanniâ, Diocletiani persecutionem fugiens, ad Scotos scilicet perrexerit. ubi Culdei appellationem sortitus; Episcopus primò, inde Martyr effectus dicitur. *V. an. 286. n. 43.* De quo ita scribit Dempsterus. *Dempst. l. 13. n. 932.* *S. Nicolaus Culdeus, atque unus ex primis Scoticæ Ecclesiæ Episcopis; sæviente per Britannias Maximiani persecutione, martyrio affectus, in urnam lapideam sacrosanctæ reliquiæ corporis frustatim concisi & truncati reposita: atque unà cum cruce quadam venerabili in terra defossa: postea effossa, hac inscriptione venerationem meruerunt S. NICOLAI EPISCOPI. Quibus deinde Alexander Rex tertius, rogatu Glasconensis Episcopi magnificam Ecclesiam apud Plebes (vel Pebles potiùs) construxit: quæ stante apud nostrates pietate, miraculorum gloriâ erat illustris, & concursu mirabili frequentabatur. passus est martyrium anno CCXCVI. repertum sacrum corpus, ex inscriptione agnitum, & cum Cruce exaltatum VII. Idus Maii an. 1262.* Ita ille, Scriptores alios citans: qui tamen de Sancto Nicolao non tam constanter pronuntiant. S. Culdeus fuit eorum unus, de quibus dixi ante annos decem, è Britanniâ egressos, in Septentrione latuisse; accipio id quidem: sed quomodo potuit à Scotis consecrari Episcopus, & martyrio coronari, cum necdum Scotorum in Britanniâ mentio? meliùs itaque Hector Boëthius & Leslæus, Pictos cum Scotis jungunt, ut aliqua veritatis umbra appareat. Inaccuratè tamen Culdeorum & Britannorum fugientium martyria ad Constantium referunt. Dicunt enim Crathlintum Scotorum Regem Dei cultores, *ob Diocletiani & Constantii tyrannidem ex Britannia profugos comiter, & benignè excepisse.* *Leslæus l. 3. in Rege 34. Hector l. 6.* & Hector de Constantio: *Viri fama,* inquit, *alioquin optimè, labefactata ad posteros, quod Diocletiani more, Christianæ religioni fuerit insidiatus. Unde magnus piorum numerus persequentium sævitiam declinare cupiens, ad Scotos & Pictos concessit. Hos Crathlintus Rex ad se confugientes benevolo affectu suscepit: & ut in Mona Insula considerent, sacra ibidem æde, ipsius operâ, servatoris nomine erectâ, eversis gentilium templis, Druidibusq́; & eorum ritibus exterminatis, qui ad id tempus illic perduraverant concessit. Amphibalus Brito, vir insigni virtute primus Antistes ibi creatus Christi dogma per Scotorum Pictorumq́; regiones propagando, multa contra gentilium religionem dicendo, scribendoq́; gloriosum & Christiano viro dignum multa senectute vivendo fessus, felicemq́; sortitus est finem.* Hæc omnia Hector. In eo sine dubio corrigendus, quod Constantium Tyrannidis reum ad tribunal sistat; quem Græci Latiniq́ue, & primi temporis ac nostræ Authores, dudum absolverunt. Quod Scotos Pictis componat, præponatq́ue, in hac Insula: ὕστερον πρότερον est, & veniale peccatum. Cæterùm placet, Septentrionem illum, Britannorum operâ, ab idolorum cultu, ad Christi castra transiisse. & Culdæorum fugam, si non Scotis, Pictis tamen profuisse. non quod Scotos, hoc est, Hibernos negem in Septentrione illo militasse: sed quod in nomen, populum, regnumq́ue adhuc in hac Insula surrexerint, necdum in probatis Scriptoribus inveni. Cæterùm quando post numerata aliquot annorum stipendia, Caledoniis sive Pictis militantes, rem familiarem in Britanniâ auxerint, inde stabilem in Britanniâ sedem fixerint, & demum regnaverint; suis locis infrà notabitur.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1048.

ANNUS CHRISTI 297.

MARCELLINI PAPÆ 2.

DIOCLET. ET MAXIMIA. IMPP. 14.

I. Thebæa Legio sacrifi-

THEBÆUS miles, ut in Galliam descendit (de anno non constat, sed refert Baronius ad annum ducentesimum nonagesimum septimum, & Maximianum V. & Galerium II. Consules,)

care jubetur et jurare. à Maximiano jubetur sacrificio lustrari: & nescio quod fidelitatis juramentum ad aras proferre. sed noluit ille, aut sacrificio adesse, aut aras tangere, aot in infidelium verba jurare. Fortè per Diocletiani genium, aut fortunam, jurare tota legio jubebatur: quod omnes constantissimè aversati, cingulum vitamque ponere, quàm fidem perfidiæ miscere maluerunt. Si olim Polycarpus, & Scyllitani Martyres, juramentum illud horruerunt; majoris nunc erat periculi, quia Diocletianus Deitatem affectabat. *Nam prospero rerum successu elatus, se Deum adorari fecit, cum ante eum cuncti Imperatores salutarentur*; inquit Eutropius. (Eutrop. l. 9.) Hoc igitur Thebæi milites odorati, vitam potius quàm fidem prodigere statuerunt: factique sunt posteris sæculis in exemplum. Mirum sanè inter tot hominum millia extitisse neminem, qui præsentis vitæ dulcedine, vel bonorum illecebris captus, non arripuerit ansam aliquam, qua vel aras tangere, vel in juramenti verbis ludere, putaret sibi licere. Verùm ut purior erat antiquorum fides, ita simplicior intellectus; & Imperatorum aversam, à vero Deo, mentem explorabant potiùs; quàm verborum effugia latebrasque. si Diocletianus divinum cultum ambiebat, si numen ejus invocabant alii, absit à Thebæo milite, in illud jurare: quantumvis lege jubeatur; nam facilè potest lædi divina Majestas, cum nimium adblandimur humanæ. Si Reges jubent civilem obedientiam, adoretur omnino laica potestas, & præstetur integerrimè quod illa dicit. Si laica potestas, cum Ecclesiastica, misceatur: si in unam eandemque personam, præter Ecclesiæ mentem, scepteri & Sacerdotii jura concurrunt; formidanda lex erit, quæ omnem illi obedientiam præcipit. Quamvis enim verbotenus, & in cortice, *Civilis* appellatur: jure tamen timeri potest Genius aliquis, qui aliud quàm humanum significet. Quod si leges, quæ Ecclesiam maximè spectant, Civiles vocentur, ut hodie vocat Britannia, Canonicis antiquatis: Quis non timebit, Civilis obedientiæ nomine, latere aliquid non civile? Aut poterit aliquis earum legum vi coactus, aliena sacra adire, aras eorum tangere, concionantem audire, & miscere preces: ac interim vana protestatione blandiri sibi, civilem id omne obedientiam esse? Non opinor: mentitur iniquitas sibi. Quod rectè olim inter pares dicebatur: *Amicus usque ad aras.* inter superiores subditosque dicatur: *Obedientia usque ad aras.*

Juramentum quomodo præstandum?

II. Obiectio.

Sed aodio: cum Principes figunt aut refigunt imperia; & cum comitia rogant legem; cives parere debent sensumque submittere, omni verborum curiositate omissâ; & hoc divinis literis conformius est, quibus Dominis carnalibus præcipimur obedire, ut Christo; & reddere Cæsari, quæ sunt Cæsaris. Quod integerrimè præstant orthodoxi. Sed cur, inquiunt alii, sacra, & preces ultimæ editionis, adire, & concionibus interesse recusant Romano-Catholici? Ignoscite, genius est, quem quia Thebæus miles intelligit, mori mavult, quàm violatæ religionis conscientiam habere. Nos majestatem integerrimè, & constantissimè veneramur (testis Germania, Hispania, Gallia, ubi ad illam acatholici soli recalcitrant; & factionibus, rebellionibus, æternisque motibus implent provincias) sed putamus id meliùs fieri, si divinæ legis, & humanæ, ordo servetur. Si, inquam, Deo primùm, inde Regibus, Comitiisque litemus. A quibus, si in fide & religionis sensu differimus; & juramentum porrigitur, civili quidem tectum cortice; sed mixti juris in nucleo: timere poterit Thebæus miles, ne sub aureo pallio Civilis obedientiæ, veniat Ecclesiastica; & sub specie fidelitatis, fidei & conscientiæ offendiculum. Enucleabit igitur verborum sensum, geniumque explicabit. Si Diocletianus, cum Diis communicare desiderat, & numen affectat; aversabitur statim Genii vocabulum, quod alias forsan admisisset. Si Comitia moderna in Rege confundunt scepteri & Sacerdotii jura: si juramentum dictant, ubi falsæ veræque doctrinæ judicium est: ubi Petri cathedra concutitur; ubi Ecclesiæ potestas suprema tangitur, & ad moderni cerebri temperiem inflectitur. O quisquis Romanè sapis, time Genium, tot se indiciis capitibusque exerentem.

Solvitur.

III. Obiectio alia.

Putant aliqui quoties dubia est juramenti forma, aut verba perplexa; eruendum esse sensum illum, qui sanus sit; si talis elici possit: cur ergo, aut Cæsaris fortunam, aut Diocletiani Genium fugimus, in Christianam fidem, non necessariò, peccantes. Respondeo: Cum aliena fides juramentum dictat; id enimverò, ex aliena fide, metiendum; & eruendus est ille sensus, non quem habere possunt verba in mente rectè sentientis; sed quem habere sciuntur in mente dictantis. Sit verbo exemplum: Arianus Princeps fidelitatem sibi præstari vult, & juramento immiscet *Deum Patrem majorem Filio*: quæ sine dubio orthodoxum habent & sanctissimum sensum. Sed nullus est opinor, Polycarpus, nullus è Thebæa legione miles; qui non videat, in aureo sacræ Scripturæ poculo, venenum propinari. Si ergo Comitiorum penetralia ingressi, videmus plebem de fide tumultuantem, & in Romanam Sedem, odio, & factione, peccantem: quomodo possumus eorum genios adorare? aut, illis arbitris, doctrinam hæresimque definire? aut Romani Pontificis causam ad ea subsellia trahere, & cum illis quid queat, nequeatve concludere? Id certè ultra crepidam est: & tam constat genium esse, quàm constat Thebæum militem, optimè, & è majorum fide fecisse, juramentum illud recusando. Quid ergo facto opus; cum pro Regiâ authoritate, juramentum aliquod urgetur? Debent fideles omnem Regibus & Cæsaribus, civilem obedientiam, illamque cum petitur, religiosâ verborum formâ, sancire: debent illorum salutem, vitamque cordi habere; pro illâ apud Deum hominesque pugnare. Ubi tamen, à Cæsare, aut Rege, majus aliquid petitur, aut peti timetur; formidare debent genium aliquem & fidei novitatem; ne dum humana fides ultra æqui bonique terminos urgetur, prostituatur divina: & dum ad illud Christi morosiùs attenditur: *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari*: negligatur quod sequitur, *& quæ sunt Dei Deo.* (Matt. 22. 21.) Magna igitur, & in humanis prima obedientia Regibus præstanda est: Illa tamen debet Deo cedere; cujus honor imprimis spectandus; ut inde rectiùs ad Regum imperia, obsequio descendamos. Ubi enim hic ordo invertitur, aut evertitur; fluxa est omnis & inconstans fides. nunc Constantium & Britanniam revisamus.

Refellitur.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1049.

ANNUS CHRISTI 298.

MARCELLINI PAPÆ 3.

DIOCLET. ET MAXIMIA. IMPP. 15.

CONSTANTIUS IN GALLIIS.

SURGEBAT Christiana res in Britanniâ fælicissimè, cum ibi Constantius rerum potiretur. Sed non potuit diu unius Insulæ angustiis teneri, qui plures provincias administrandas susceperat. In Gallias igitur hoc anno Christi ducentesimo nonagesimo octavo, Fausto, Galloque Coss. ideo profectum conjicio, quia sequenti anno, ibi, cum utraque fortunâ pugnantem, & deniquè præclarâ potitum victoriâ, cernemus.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1050.

ANNUS CHRISTI 299.

MARCELLINI PAPÆ 4.

DIOCLET. ET MAXIMI. IMPP. 16.

I. DEBELLAT ALAMANNOS.

MARCOMANNI & Carpi, (ita victor vocat eos, quos Authores alii Alamannos nuncupant) Gallias infestant; cum Constantius in Britannia moraretur anno ducentesimo nonagesimo nono, Diocletiano VII. & Maximiano VI. Coss. eos ille profligaturus in Gallias contendit, & ut ex Eutropio græco colligitur: πολλὰς νικήσας μάχας, ἅπαξ παρὰ μικρὸν κινδύνῳ, *post multas victorias periclitatus est.* [Eutrop. l. 9.] fortè multis in locis hostem quæsivit, fugientem aliquando cecidit, & non nisi post plura prælia omnino debellavit. Conjectura etiam est plures è Britanniâ, Constantio hac saltem vice militasse. nam Adolphus Mekerchus, in Commentario de veteri pronuntiatione linguæ græcæ, Brettam in Germania oppidum, à Britannis Constantium sequutis appellatum conjicit: [Adolphus Mekerchus l. de veteri pronunt. c. 30.] quod meliùs in hæc, quàm priora tempora referas; quia Cæsareâ dignitate auctus, plures & illustriores, tum honoris, tum obsequii causa, potuit educere. Quod si Heidelshemium eo modo ab Helena deducitur, ut idem Author affirmat, ejus memoria Britannis gratissima, tunc etiam consecrata est. Sed ad certiora transeamus, ad pugnantem, inquam, & vincentem Constantium.

II. CONSTANTIUS PERICULO DEFUNGITUR.

Hostem Cæsar Constantius tandem coëgit in eum Galliæ Belgicæ agrum, ubi Lingonum civitas pro Romanis stabat. ubi priusquam integer exercitus, cum impedimentis colligere se potuit: Constantii miles, qui præcesserat, hostium numero territus, terga vertit, in urbem se recipit, & victoriam hosti permitrit. Constantius, in iis rerum angustiis, cogitur & ipse militem suum sequi. sed ubi ad mœnia ventum, occlusas sibi portas, & ingens vitæ periculum, vidit nec sine magno labore vicit. quod ita Eutropius explicat. [Eutrop. l. 9.] *Per idem tempus, à Constantio Cæsare, in Gallia pugnatum est, circa Lingones, die una adversam & secundam fortunam expertus est. Nam cum repentè barbaris ingruentibus, intra civitatem esset coactus, tam præcipiti necessitate; ut clausis portis in murum funibus tolleretur. Vix quinque horis mediis, adventante exercitu, sexaginta ferè millia Alamannorum cecidit.* Quod ad numerum occisorum attinet, Jornandes, & alii passim, cum Eutropio sentiunt: [Iornan. de Reg. success. c. 88. Herman. hoc.] unus Hermannus Contractus, illum contraxit ad millia sex: sed annum hujus victoriæ benè produxit. Ait enim: Anno ducentesimo nonagesimo nono, Constantius sex millia Alamannorum juxta Lingonas occidit. Meminit hujus victoriæ Eumenii panegyricus. [Eumen. panegyr. 9.] *Quid loquar*, inquit, *intimas Franciæ nationes, non jam ab his locis, quæ olim Romani invaserant: sed à propriis ex origine suis sedibus, atque ab ultimis barbariæ litoribus avulsas; ut in desertis Galliæ regionibus collocatæ etiam, pacem Romani Imperii cultu juvarent, & arma delectu? Quid commemorem Lingonicam victoriam, & Imperatoris ipsius vulnere gloriosam?* Quod ait de Franciæ nationibus, in desertis Galliæ collocatis; id, opinor, est quod Aurelius victor paucis expressit ita. [Victor de Cæsar. c. 39.] *Interea casi Marcomanni, Carporumque natio translata omnis in nostrum solum.* Hos enim, hac expeditione, profligatos esse, aliquorum est opinio. Nescio an id ipsum Eumenius significet, panegyri altera. [Eumen. pan. 10. fine.] *Itaque sicuti pridem, tuo Diocletiane Auguste, jussu, supplevit deserta Thraciæ translatis incolis Asia: sicut postea, tuo Maximiane Auguste, nutu, Nerviorum & Treverorum arva jacentia latus postliminio restitutus & receptus in leges Francus excoluit: Ita nunc, per victorias tuas, Constanti Cæsar invicte, quicquid infrequens Ambiano, & Bellovaco, & Trigastino solo, Lingonicoque, restabat, barbaro cultore revirescit.*

ANNUS URBIS CONDITÆ 1051.

ANNUS CHRISTI 300.

MARCELLINI PAPÆ 5.

DIOCLET. ET MAXIMIA. IMPP. 17.

I.

EXEUNTE hoc sæculo, ipso Christi anno trecentesimo, (ut notat Baronius) Publius quidam vir clarissimus, à Diocletiano ad Persas mittitur, Constantio & Galerio tertiùm Consulibus: non cum muneribus, ut pacem emendicando, bellum deprecaretur: sed cum belli minis & terroribus: quod & sequutum est, *successu ingenti, nec minore consilio, simulque fortitudine*, inquit Eutropius. [Eutrop. l. 9.] Quando Galerius Maximianus, *pulso Narseo, castra ejus diripuit, uxores, sorores, liberos cepit: infinitam extrinsecus Persarum nobilitatem, gazam Persicam copiosissimam, ipsum in ultimas regni solitudines coëgit.* ut videas Nicephori narrationem, qua novam Constantino patriam finxit, omnibus suis membris atque articulis claudicare. Sed tempus est Britannorum, & hujus sæculi fidem, compendio repetere atque contemplari. Si prius dixero ex fide aliquorum Stephanum quendam, à sanctitate commendatum, hoc anno 300. Londini Archiepiscopum egisse: vitamque finiisse, ita certè legitur in nostro Martyrologio ad 12. Augusti. ubi dicitur Episcoporum illius sedis octavus. sed melius diceretur septimus. octavus enim Augulus dici debet. de quo ad annum 305. 3.

CONTEMPLATIO TERTII SÆCULI, ET REGIÆ FIDEI BRITANNORUM.

II. ECCLESIÆ BRITANNORUM STATUS.

JUvabit hîc perluſtrare Britannorum Eccleſiæ ſtatum, incrementa & decrementa ejus. nam quicquid de verâ, orthodoxaque Eccleſiâ, quam Chriſtus in Petra ſtabilivit, dici poteſt; hoc ipſum de filiâ ejus primogenitâ, licet contemplari. Illa variis perſecutionibus domi foriſque agitata; feliciſſimè tamen inter procellas ſtetit: Hæc una Diocletiani tempeſtate vexata, fidei ac pietatis ardorem, veluti percuſſo ſilice, magis oſtendit. Fuit enimvero ingens pretium operæ orthodoxos premi, ac tormentis lacerari: quia inde animi ſenſa, fides, ac religio; quæ alioquin condebantur; illuſtriora fuerunt. Diocletianus Eccleſiam perſequens, Eccleſiæ ſplendori, fideique puritati eo ferè modo profuit; quo triturans bos, & aream premens, à paleis grana excernit diſtinguitque. Sic enim, & grana, quæ priùs abdebantur, in lucem prodeunt; & poſita pelliculâ, veluti abſterſis ſordibus defæcatiora ſunt.

CRUX ILLUSTRIOR.

Quis enim Crucis myſteria (ut à primo fidei elemento incipiam) tam conſtanter in Britanoorum Eccleſiis aſſerta crediidiſſet, hoc tertio ſæculo; niſi Albani paſſio illa teſtaretur. Quis cultum ejus, ſolidiori argumento probare potuiſſet; quàm Diocletianum in ſcenam producendo, tot Chriſtianorum millia, crucicolarum nomine, trucidantem?

SANCTORUM RELIQUIÆ CULTÆ.

Quis ſanctorum reliquias dubitabit colendas eſſe, qui Laurentios, Ignatios, Albanos, in Oriente, Occidente, ex ipsâ Britanniâ coli à Chriſtianis omnibus perſpexerit: qui Judæos, infideles, cacodæmones, & eorum impulſu Manetem unum illi cultus adverſarios viderit.

SACRIFICIUM IMPUGNATUR, PROPUGNATUR.

nec major de Sacrificio difficultas erit, ſi [a] Severi, [b] Galli, Voluſiani, & [c] Valeriani perſecutiones, hoc eſt, inferorum portas aperias; ubi magno ariete, ſupremum Dei cultum verberari videbis. videbis etiam Sixtos, Stephanos, Cornelios, Cyprianos, & magni hujus ſæculi lumina, pro Sacrificio ſtantes & cadentes.

[a] An 204.4. [b] 253. 1. [c] 261.

III.

Hæc ſpem faciebant mihi, nullum fore aut leve tantùm diſſidium, quæ potior eſſet religio, quæ ſacra & ritus meliores. Solet enim impugnatione veritatis veritas innoteſcere, ut compoſitione contrariorum utrumque contrarium. Sed neſcio quo vitio conditionis noſtræ, ſtupeſcit aliquando intellectus; & ut lippiens oculus, ſplendore quo deberet illuſtrari, confunditur, & hebeſcit magis; non lucis aut objecti vitio, ſed organi.

NOCTUÆ NON FERUNT LUCEM.

quod quia ſuperba mens fateri erubeſcit; cauſatur lucem tenebras eſſe: & quaſi è ſede ſuâ mota, de rebus controverſis diſputat tam impotenter; ut ridendúmne ſit, an miſerendum, jure controvertas. Mirari certè poteris, omnia ſæcula condemnari, exauctorari Patres, eoſque deponi controverſiarum judices & arbitros: quò pauci, elumbes & uxorii homines, dictatores fiant. Quò cum evaſerint, bone Deus, ut agunt cum ſupercilio! ut cudunt pro arbitrio dogmata! ut novos fidei articulos nundinantur! Ut proteſtantur in hæmiſpherio ſuo Zenith eſſe, ſoliſque meridiem; & alibi ubique profundam noctem! Diceres profectò Italiam, Hiſpanias, Gallias, Britannias, Orientem, Occidentem; imo quindecim ſæcula, altiſſimè tenebris immerſa fuiſſe: Donec vel Calvinus ſtigma, vel Lutherus Boram accepit; & ex illo ſolem eruit; ex iſta ſcilicet virginem fidem. Ignoſce Lector, ſi tibi videor, cum adverſario illudere; quia ludit ille cum Orbe terrarum: & nunc Patres primaque ſæcula appellat in patrocinium factionis; nunc fugit illos, lacerat ſæcula, omnes vilipendit.

E PATRIBUS HUJUS SÆCULI FIDES COLLIGITUR.

Quis non putaret, Tertullianum, Origenem, Cyprianum, Clementem & Dionyſium, Alexandrinos, Arnobium, aliaque ſidera hujus ævi, quæſtiones fidei componere potuiſſe, aut ſaltem judicare, quid creditum à fidelibus, quid factum à Chriſtianis, quid inviſum heterodoxis, quid acceptum orthodoxis hujus ſæculi? Maximè cum Magdeburgici ſcripſerint: *Habuit hæc ætas* (tertia) *aliquot præſtantes Doctores, Tertullianum, Origenem, & Cyprianum, ex quibus, qualis hoc ſæculo forma doctrinæ Chriſtianæ fuerit, utcumque oſtendemus.*

Cent. 3. c. 4. principio.

Ex hiſce verbis, ego mihi pollicebar facilem contemplationem Regiæ Britannorum fidei, nullumque ſperabam fore offendiculum, quod tanti & tam præſtantes viri, amovere non poſſent. Itaque de lite controverſiiſque, quæ emergere ſolent, parum ſollicitus; ſtatueram fidei doctrinæque formam, quam illi dictaverant excipere, & eorundem umbra ac authoritate, Britannicæ Eccleſiæ fidem, ritus, ſacra defendere. Sed ecce mihi, vix viam hanc ingreſſo obſtrepunt inconſtantes iſti Ariſtarchi; mutant ſententiam, & præſtantes viros ad ſupplicium trahunt, præcone præeunte, illoſque læſæ majeſtatis reos ſciſcente in hæc verba. *INCLINATIO DOCTRINÆ COMPLECTENS PECULIARES, ET INCOMMODAS OPINIONES, STIPULAS, ET ERRORES DOCTORUM, quæ palam, hoc eſt, ſcriptis traditæ ſunt.* nimirum hæc eadem cenſura eſt, quâ Quatuorviri iſti ſuperioris ævi Patres notaverant.

Cent. 3. fol. 72.

IV. SECTARII SUNT VERSIPELLES.

Vis ſcire, quos inſimulent? illos ipſos profectò, quos paulò ante præſtantes viros appellarunt; & ex quibus formam doctrinæ Chriſtianæ diſcere oportebat, Tertullianum, Cyprianum atque Origenem. Ita his arbitris, non ſolùm ſuperior ætas; ſed hæc quoque nævos & ſtipulas habuit, in illis ipſis, qui Formam fidei tradere debebant. Et ſequitur; vel Eccleſiæ à Chriſto malè proviſum eſſe; qui ſponſam non habentem maculam aut rugam promiſit nobis: vel potiùs, quod ſuprà monui, ægri oculi & intellectus vitium eſſe, cæcutire ad meridiem, aut hujuſce ſæculi non ferre πανσέληνον. Nota quæſo moderni genii intemperiem, & gradus inſaniæ, ſæcula accuſantis. Statim ab Apoſtolorum tempore doctrinam, Patres, & Eccleſiam factioſi carpunt, ut ſuprà oſtenſum. Hic protervi magis eſſe incipiunt; & quia illuſtrior Luna, plura cauſantur. Inſaniunt denique, & bacchantur maximè in plenilunio Conſtantini. Interim hoc commodi adferunt Lunatici; ut videre clarè poſſis Romanam Regiamque Fidem; antiquiſſimam eſſe, & Apoſtolorum traditione in hæc tempora deſcendiſſe; ipſis etiam inimicis teſtibus.

An. 200.10.

INVOCATIO SANCTORUM UT INVALUIT.

Sit verbo exemplum: Inter nævos ſuperioris ſæculi Magdeburgici poſuerunt, *Invocationem Sanctorum.* Cujus veſtigium aliquod eſt dictum Irenæi: *MARIA ſuaſa eſt obedire Deo, ut Virginis Ævæ, Virgo MARIA fieret advocata.* quod tamen veſtigium ſupplantare conantur, & eludere. At in tertio hoc ſæculo, cum nævos recenſent: *Videas*, inquiunt, *in Doctorum hujus ſæculi ſcriptis, non obſcura veſtigia Invocationis Sanctorum.* quod plurimis

Cent. 2. fol. 63.

Cent. 3. fol. 83.

Cypriani, Origenis, & aliorum Patrum exemplis illustrant. Denique cum Constantini ævum excutiunt, & quartum sæculum; inveniunt in Athanasio, Basilio, Ambrosio, Epiphanio, aliisque tam claris testimonia; ut illis recensitis, sine ulla verborum ambage, ita clarè pronuntient. *Ista prorsus idololatriam spirant.* Prius scilicet Neronis, Domitiani, Decii & Diocletiani temporibus, cum templa sanctis consecrari non poterant, & illi privatim solum colebantur; obscura tantummodo erant idololatriæ vestigia: post Constantini adventum, pacemque Ecclesiæ; cum ubique terrarum sancti solenniter, oratione, aris, templisque colerentur: Patres & Doctores Ecclesiæ erant prorsus idololatræ, infanis his censoribus, & helleboro magis, quàm alio argumento sanandis. Benè dicunt physici: malum cerebri cum crescente Luna pariter accrescere: & optimè Sapiens, orthodoxos à paradoxis distinguit ita: *Homo sanctus in sapientia manet sicut sol: nam stultus ut luna mutatur.*

Cent. 4. fol. 296.

Ecclesiastici 27. 12.

V. E Doctoribus vera Ecclesiæ facies colligitur.

Tertul. l. de præscript. c. 36.

Dicamus igitur, quod est longè verius; è Tertulliano, Origene, Cypriano, aliisque præstantibus viris, qui hoc sæculo floruerunt, ostendi posse formam fidei, Ecclesiæ sacræ, sensumque fidelium: nec rugas aut maculam fingamus in virgine sponsâ: cum Tertullianus scribens de hac ætate in libro de præscriptionibus apertè dicat, doctrinam consentire cum Ecclesiis Apostolicis, eumque consensum, & concordiam, communem esse omnium Ecclesiarum in Europâ, Asiâ, Africâ. Et quod Britanniam spectat id disertis verbis affirmat Beda: *Susceptam fidem Britanni, inquit, ad tempora Diocletiani Principis, inviolatam integramque, quieta in pace servabant.* Hanc autem fidem, nullo nævo infectam, Albanus, Amphibalus, & alii plurimi, suo sanguine sigillarunt. Cæterùm quænam illa fuerit, licet è supradictis facilè colligatur; juvat tamen, inspectis Doctoribus iterum contemplari: & quos illi fidei nævos appellant, esse genuinam Ecclesiæ faciem, ostendere in iis præsertim quæ factiosi controvertunt.

VI. Primatus Romanæ Ecclesiæ hoc sæculo assertus.

Cent. 3. fol. 84.

Idem suprà.

Prima ergo princeps quæstio sit de Roma Principe: hoc est, an Ecclesiæ per Orbem sparsæ, quæ ut mox dicebam, cum Ecclesiis Apostolicis hoc sæculo consenserint, Romanam Ecclesiam Principem agnoverint? aut utrum agnoscentibus aliis, solæ Britannorum Ecclesiæ dissenserint? Si Doctores interrogo, annuet Tertullianus, & illum mihi concedent Magdeburgici. *Tertullianus*, inquiunt illi, *l. de pudicitia, non sine errore sentire videtur, claves soli Petro commissas, & Ecclesiam super ipsum exstructam esse.* Alibi etiam Patres cum Tertulliano erraverunt paulò expressiùs: *Cyprianus*, inquiunt iidem, *l. 4. Epist. 8. nominatim ait; idque sine ullo fundamento sacræ Scripturæ: Romanam Ecclesiam ab omnibus aliis pro matrice & radice* (nota quisquis Britannorum Ecclesiam explorare desideras) *Catholicæ Ecclesiæ agnoscendam esse. quemadmodum & l. 1. epist. 3. & in tractatu de simplicitate Prælatorum, Principalem vocat Ecclesiam, Petri cathedram; à qua unitas sacerdotalis exorta sit. Et alibi passim dicit, super Petrum, Ecclesiam fundatam esse. ut l. 1. Epist. 3. l. 4. Epist. 9. tractatu 2. de habitu virginum; sermo. 3. de bono patientia. & in Epist. ad Quirinum. Habet Cyprianus & alias opiniones periculosas; ut quod pastoratum, ad ordinariam successionem alligat.* Hæc omnia Magdeburgici. ubi hæles Cyprianum non semel, aut casu; sed sæpè, & datâ operâ, pluribus in locis monentem, docentem, inculcantem, Romanam Ecclesiam, aliarum Ecclesiarum principem ac parentem esse. Origeni etiam sectarii irascuntur quia tract. 5. in Matthæum dixit: *Petrus per promissionem meruit fieri Ecclesia fundamentum:* & quia alibi vocat illum *Apostolorum Principem.*

Cent. 3. fol. 85.

VII.

Hippolit. orat. de consum. mundi.

Zeno serm. de circumcis.

Acta Martyr apud Baro 286. n. 7.

Quid facies huic hominum generi, qui ita antiqua nauseant? num Origenem fortè, aut Tertullianum, aut certè Cyprianum premunt tantummodo? Enimvero non illos solùm, sed omnes accusant: Hippolitus erat hoc sæculo Metropolitanus Arabiæ. postea Portuensis Episcopus, & denique Martyr; qui ita Petrum ornat. *Princeps Petrus, fides petra, quem beatum judicavit Christus Deus noster, ille Doctor Ecclesiæ, ille primus discipulorum, ille qui regni claves tenet.* Zeno etiam Veronensis Episcopus & Martyr sub Gallieno Imp. sermo. de Circumcisione disertè affirmat, super Petrum *ædificatam esse Ecclesiam.* quod aliud non est, ab eo, quod dixit Origenes *Fundamentum*; quod Cyprianus, *matricem & radicem*; quod Tertullianus, *super eum exstrui Ecclesiam*; quod denique Hippolitus, *primum & Principem.* Ab his Patribus docti fideles, publicè fidem professi, difficili etiam tempore, hunc honorem Rom. Pontifici deferebant. Unde Tiburtii martyris vox illa, quam Diocletiano Rom. Ecclesiam persequente, emisit, ita Caium Papam alloquens: *Obsecro te pater, & Episcoporum Episcope, ne me patiaru terga persequentibus dare: mihi enim valde jucundum est, & optabile, pro Deo vero, millies si possim, occidi.* Hanc Tiburtii vocem, & doctorum Patrum sententias, facta firmarunt; quæ solent fortiùs loqui. Qui enim damnatas à Ro. Sede hæreses, compositas Episcoporum & Ecclesiarum lites; fideles ubique doctos; lustratum Occidentem & Orientem, & repressos in omni orbe perduelles aspexerit; non petet, opinor, aliud majestatis argumentum. Hæc facta tam illustria fuerunt, ut Aurelianus infidelis Imperator, in Episcoporum dissidio, Rom. Pontificis sententiæ standum esse decreverit, ut dictum suprà. Immo si Cypriano credimus, è contemptu Ecclesiasticæ potestatis; nec aliunde; errorum omnium seminarium est. sit enim Epist. 69. *Unde schismata & hæreses oborta sunt & oriuntur, nisi dum Episcopus, qui unus est, & Ecclesiæ præest, superba quorundam præsumptione contemnitur: & homo dignatione Dei honoratus, ab indignis hominibus judicatur. Quis enim est superbiæ tumor, quæ arrogantia animi, quæ mentis inflatio, ad cognitionem suam præpositos & Sacerdotes vocare?* hoc superbiæ tumore, hac animi arrogantia, hac mentis infectione peccant, qui aut Lutherum, aut Calvinum duces sequuntur. Sed ex hoc universi Orbis theatro, descendamus paululùm in Britanniam, ubi non minùs, imo magis fortè, quàm alibi Ro. Sedis adorata potestas.

An. 272. 1.

VIII. A Britannis agnitus.

Irenæ. l. 3. c. 3.

Noli putare otiosè dictum, Britannos præ aliis Romam coluisse. nam licet alibi populus, aut ut dixit aliquando Irenæus: *Qui sunt undique fideles;* Romam, ut religionis asylum, fideique Christianæ armamentarium, ambiverint: veritates inde credendasque regulam petentes, & falsitatem impetentes: nullibi tamen principes viri & Regio titulo insignes, solenni cæremoniâ, & submissis oratoribus, Ecclesiam ibi principem adoraverunt: Lucius superiore sæculo, & Donaldus

ejus

ejus exemplo, hoc ſæculo id primi præſtiterunt; palmam in eo pietatis genere præripientes cæteris. Supinâ igitur ignorantiâ laborant, qui quod ubique notum, & in hac Inſulâ notiſſimum, Britannis contendunt ignotum fuiſſe, Rom. Pontificis in omnes imperium. Illi ſanè præ cæteris culpandi ſunt, qui ſecum ipſi pugnantes, una manu ſcribunt Cantabrigienſem Academiam à Fabiano Papa confirmatam eſſe exemptamque ab omni Epiſcoporum & Archiepiſcoporum jure: & altera, rudi populo perſuadere conantur, Ro. Eccleſiam in Britanniam nullam juris habuiſſe dictionem: & tamen per hæc ἀσύστατα, nova factio ſurrexit, & vires, tractu temporis, & veſano animi impetu, cepit. & demum aucto mendaciorum cumulo, in apertam hæreſim adolevit. nuper Lucius & omnis Britannia Eleutherium coluit ſupplici legatione, hoc eſt, principe cultu: Eleutherius Inſulam docuit, ordinavit Epiſcopos, erexit & diſtinxit Sedes: Septentrionalem Britanniam nec Lucio, nec Ro. imperio ſubditam, Eboracenſi Eccleſiæ ſubjecit, & omnia confirmantur *mandato Apoſtolico*. Victor eum ſequutus, Donaldum docuit Paſchatis ritum, fidei dogmata, ſacra omnia: cum priùs, remotiſſimum Orientem, in ritibus claudicantem, imperio terruiſſet. Zephirinus poſt eum Amphibalum ordinavit, remiſitque in patriam Fabianus, ſi factioſis credimus, Britanniæ ſcholis manum porrexit, indulſitque privilegia: nos efferendo, illos deprimendo; & tamen nepotes aliqui, non ſolum ad Ro. urbis imperium hodie recalcitrant; ſed etiam majorum ſuorum, id eſt, hujus ſæculi exemplo, ſe id facere mentiuntur. Quod ſi paucos in oriente permiſit Deus Rom. imperio perduelles eſſe: hoc ideo factum, ut per eas veluti errorum ſtipulas, fidei grana firmarentur. multò enim illuſtrior fuit Victoris Papæ authoritas; quia in illam vitia ſurrexerunt: ut magis jam patet, & enucleatior eſt Britannorum pietas in ſedem illam; quia id impii hodie controvertunt. Sed ſatis de Eccleſiæ capite, videamus alia.

V. an. 239. & an. 186. 5.

IX. SACRA EADEM, IDEM SACRIFICIUM.

Superiore ſæculo, pro Sacrificio diximus, ſupremoque Dei cultu, nunc iterum luſtrandus orbis, videndumque an eadem ſacra, eadem altaria à Patribus aſſerta, uſurpata à Sacerdotibus, à populis denique frequentata ſint. nam inde facilè concludam, Britnanos quoque in fide ritibusque conſtantes fuiſſe: cum Beda disertè affirmaverit, à Lucio Rege ad Diocletianum uſque nihil omninò in religione variatum. Itaque Hippolitus Martyr mundi conſummationem pluribus narrans, inter cætera dicit Chriſtus præmiaturum eos qui *Sacrificium* quotidie purè obtulerunt. Et ne dubitares quid ea voce vellet, addit Chriſti corporis & ſanguinis immolationem. *Venite Pontifices* (inquit ille in perſonâ Chriſti) *qui purè mihi ſacrificium die noctéq; obtuliſtis, ac* PRETIOSVM CORPVS ET SANGVINEM MEVM *immolaſtis quotidie.* in eadem oratione cum de Antichriſto agit, & ſignis adventus ejus, affirmat ejus impietate Sacrificium auferendum; & liturgiam, quam hodie Miſſam appellamus, antiquandam. audi ipſum. *Lugebunt etiam Eccleſiæ* (tempore Antichriſti) *luctum magnum; quia nec oblatio, nec ſuffitus fiat, nec cultus Deo gratus: ſed Eccleſiarum ædes ſacra tuguri inſtar erunt: pretioſumq; corpus & ſanguis Chriſti non extabit in diebus illis, liturgia extinguetur,* &c. Calvinus ergo Antichriſtum præceſſit, docuitque quod ille docebit. quod non eſt operosè probandum; quia ubi diſcipuli ejus in numero, & munere aliquo ſunt; ibi templorum deſolatio, altarium ſubverſio, Sacramenta vilia, nulla mentio Sacrificii; nec Antichriſtus poterit in illa omnia conſtantiùs pugnare. Sed quid alii Patres?

Hippolyt de conſummat. mundi.

Idem ſuprà. τὰ ἱερὰ τῶν Ἐκκλησιῶν, Eccleſiarum ſacra.

X.

Cum Hippolito ſunt, & pro Sacrificio tam doctè diſputant, ut ipſi hoſtes Sacrificii id agnoſcant. Credunt Magdeburgici, Calvino duce, Euchariſtiam confici non Sacerdotis ore operaque, ſed fide ſumentis. Hinc Cypriano irati ita eum excipiunt. *Cæterùm & huic* (Euchariſtiæ) *virtutis nonnihil accedere à perſona adminiſtrante, Cyprianus ſuperſtitiosè fingit. Lib. 1. Epiſt. 1. ubi de facienda Euchariſtia & ſanctificanda ait: Euchariſtia in altari ſanctificatur. Et lib. 2. Epiſt. 3. rurſus ait: Sacerdotes ſanctificare calicem. Item ibidem: Sacerdotem, inquit, vice Chriſti fungi, & Deo Patri ſacrificium offerre. qua phraſi* (*Sacrificium offerre*) *etiam Tertullianus de cœna loquens, utitur in lib. de cultu fœminarum. & Martialis in Epiſtola ad Burdigalenſes. Cœna, inquit, Domini, id eſt Sacrificium Deo creatori offertur in arâ.* Hæc omnia referunt Magdeburgici. Quæ ſi ſuperſtitio ſunt, fatendum eſt, à Chriſto paſſo, ad hæc uſque tempora, ſuperſtitionem illam in Ro. Eccleſiâ duraviſſe. Verùm ſi propriè loquendum eſt, illi potiùs videntur ſuperſtitiosè agere, & è malo genio; qui poſtquam in templa aras, altaria, Cruces (τὰ ἱερὰ τῶν Ἐκκλησιῶν,* dixit ſuprà Hippolytus) impiè garriverunt, ipſa etiam Sacramenta, & tremendum altaris Sacrificium, à Chriſto inſtitutum, ab Apoſtolis uſurpatum, à Patribus aſſertum, enervant atque pervertunt. Ita ſuperſtitioſi fuerunt Imperatores, qui hoc tertio ſæculo Sacrificium perſecuti ſunt, de quibus ſuprà Cornelius ad Lupicinum Viennenſem: *Scias frater chariſſime, aream Dominicam vento perſecutionis acerrimè commoveri, & edictis Imperatorum Chriſtianos ubique tormentis variis affici. nam in urbe Ro. Imperator ad hoc conſtitutus eſt. unde publicè, neque in cryptis notioribus Miſſas agere Chriſtianis licet.* Circumi, Lector, terrarum Orbem, & ubi videris Romanum Pontificem premi, Sacerdotes tormentis variis affici, Miſſas prohiberi: ibi ſuperſtitionem collige in perſequentibus, & in iis qui perſecutionem patiuntur, veram & orthodoxam fidem; & noli quærere aliud argumentum.

Cent. 3. fol. 83.

** Sacra Eccleſiarum. Hippolit. de Conſummat. mundi.*

An. 255. 1.

XI. MISSÆ NOMEN HOC SÆCULO USURPATUM.

Quod ſi in verbis hærere vis, & ad Miſſæ nomen ſtupes, ut ſectarii omnes ſtupent: ſcias, candide Lector, non ſemel hoc ſæculo, ſed ſæpiùs illud uſurpatum. Ita Felix Papa ſtatuit à viris ſacris, tantùm Miſſas celebrandas eſſe; nec alibi, quàm in loco ſacro, ut referunt Magdeburgici. Idem ſtatuit Miſſarum celebrationem ſuper Martyrum ſepulchra, & in eorum memoriam celebrandam, ut iidem ſatentur: *Celebrabantur*, inquiunt, *in Ro. Eccleſia, & Martyrum memoria, in quibus ſuper eorum ſepulchra, ex Felicis Conſtitutionibus, Miſſæ agebantur, Damaſo teſte, & Epiſtola decretali.* Sed & eodem Damaſo & Quatuorviris teſtibus Zephirinus Papa decrevit, quomodo Miſſa, & quibus cæremoniis celebranda eſſet. De Stephano Papa pari modo legimus in Actis ejus, quod Repletus gratia Spiritus Sancti, per cryptas Martyrum, Miſſas celebraret. Ubique igitur Miſſæ nomen habes, & Sanctorum cultum atque reliquiarum; quem hoc tertio ſæculo

Cent 3. fol. 140.

Cent. 3. fol. 140.

Acta Stephani apud Baron. an. 259. n. 23.

ſolùm Manes negabat, & poſt Manetem moderni. Si porrò quæras, quid Miſſæ nomine ſignificatum, erit ſcitu digna quæſtio: nam in vocibus umbræ, in rebus veritas eſt; & malo ſcire quid Patres & Eccleſia fecerint, his primis & puriſſimis ſæculis, quàm de verbis vocibuſque contendere.

XII. SACRAMENTUM CORPORIS ET SANGUINIS CHRISTI.

Cyprian. Epiſt. 63. vel 60.

Cyprianus, integrâ epiſtolâ, quæ Cæcilium docet Dominici calicis Sacramentum; multis docet, repetit, probatque, Chriſti corpus & ſanguinem offerri à Sacerdote: & ne putes, umbraticum aliquid, aut Sacrificium metaphoricum intelligi, rei veritatem ita explicat. *Sacerdos vice Chriſti VERE fungitur, qui, id quod Chriſtus fecit, imitatur. Et Sacrificium VERUM & PLENUM tunc offert in Eccleſia Deo Patri, ſi ſic incipiat offerre, ſecundùm quod ipſum Chriſtum videat obtuliſſe.* Jubet igitur vino aquam in calice miſceri ad fuſi è venis Chriſto ſanguinis & aquæ myſterium; claudicare dicit Sacramentum ſi vel vinum deſit aut aqua. Dicit ad oblationem hanc, veluti ad convivium plebem convocandam eſſe; *ut Sacramenti veritatem fraternitate omni præſente celebremus.* Cæterùm quantumvis Chriſtus veſperi celebraverit; manè tamen nobis celebrandum eſſe, reddita ratione ſignificat. ſic enim, inquit: *At enim non manè, ſed poſt cœnam mixtum calicem obtulit Dominus. Nunquid ergo Dominicum poſt cœnam celebrare debemus, ut ſic mixtum calicem frequentandu Dominicu offeramus? Chriſtum offerre oportebat circa veſperam diei, ut hora ipſa Sacrificii oſtenderet occaſum, & veſperam mundi.* ſicut in Exodo ſcriptum eſt: *Et occident illum omne vulgus ſynagoga filiorum Iſrael ad veſperam.* & iterum in Pſalmis: *Elevatio manuum mearum Sacrificium veſpertinum. Nos autem reſurrectionem Domini manè celebramus.* Quaſi diceret; Chriſti paſſio finis fuit, veſpera, & occaſus legis Moſaicæ: ejus reſurrectio, novæ legis, gratiæque principium: nos Chriſtiani, ſepultâ ſynagogâ, novum ortum adoramus, illique templa, altaria, & Sacrificium dedicamus. Hæc omnia orthodoxi faciunt, horum nihil Calviniſtæ, qui templa, altaria, Sacrificium everterunt. & quod immanius crimen eſt, hæc omnia primis ſæculis incognita fuiſſe mentiuntur.

XIII. QUID CREDITUM A FIDELIBUS: QUID IMPUGNATUM AB INFIDELIBUS.

Verùm religioſa apis, per Eccleſiæ hortum volitans, quæ primi, ſecundi, tertiique ſæculi flores operosè colligit, ut inde orthodoxæ fidei mel conficiat; ſedulò quæret, quid omni ævo fideles fecerint, & quid infideles perſecuti ſint. Inſpiciet, Apoſtolorum tempore, Chriſtianorum ſacra & conventus; luſtrabit hæterias, & ſynaxes; interrogabit Patres, & majores ſuos, quid ibi factum: & quia magna erat ſacrorum reverentia, nec propalari oportebat; quod illi tacuerunt indicabunt fortè alii, Chriſtianorum ſacris infenſiſſimi, Tum ad hanc tertiam ætatem deſcendet, Tertullianum, Origenem, Cyprianum, & ſacrorum principum acta leget: inde colliget conventus, hæterias, ſynaxes; Miſſam vocari, atque Dominicum, ita orthodoxæ fidei mel in alveari pectoris componet: tunc præſertim cum [a] Traianos, [b] Severos, [c] Decios, [d] Gallos & Voluſianos, [e] Valerianos, atque [f] Diocletianos, hos conventus, & ſynaxes, has Miſſas & Dominicum viderit perſequutos. Quod ſi viderit etiam ſacrorum Antiſtites, [g] Felices, [h] Stephanos, [i] Caios, [k] Cornelios, & [l] Cyprianos, in hac fidei confeſſione; pro Sacrificio, inquam, pro conventibus, ſynaxibus, pro Miſſa, & Dominico

a An. 104. 1.
b 204. 4.
c 253. 1.
d 255. 1.
e 260. 1.
f 303. 4.
g 275. 1.
h 257. 4. 1.
i 296. 1.
k 255. 4.
l 300. 12.

ſtantes, mori: dicet enimvero moriatur anima in hac fide juſtorum: & fiant noviſſima mea horum ſimillima. Sufficiant hæc pro orbis conſenſu: reſtat Britanniæ ſenſum exquirere; an cum Rom. Principibus pro Sacrificio, an verò cum infidelibus contra ſteterint?

XIV. IDEM IN BRITANNIA.

Cyprian. Epiſt. 63.

Quæritur ergo, an ſacrum illud, quod mundo corde, & Sacerdotis ore confectum, Deo ſummam ſervitutem teſtabatur, & ſuum etiam honorem Sanctis, ad altare oblatum, in Britanniâ, hoc tertio ſæculo fuerit? & facilis eſt reſponſio. nam Cyprianus ſuprà de Sacrificio diſputans, dixit: *Epiſcopos plurimos Dominicu Eccleſiu in toto mundo præpoſitos, Evangelicæ veritatis, & Dominicæ traditionis tenere rationem, in calice Dominico ſanctificando, & plebi miniſtrando.* Quare Britannicæ Eccleſiæ, quæ mundi tunc pars fuerunt, in Dominico celebrando, cum Cypriano fuerunt: quod licet ſuperſtitio audiat apud Magdeburgicos ſuprà; revera tamen pietas fuit ex Evangelica veritate, Chriſtique traditione fluens. Hunc ſummæ religionis actum, Diocletianus in Inſula perſecutus, illuſtriorem fecit: nam præter Amphibali Sacerdotis necem, qui Sacrificium obtulerat, in templa & altaria ſævitum eſt, & inde patuit quid in templis ad altaria ageretur; & priùs quàm tempeſtas illa Britanniam inundaret, & poſtquam illa detumuit. Nam de utroque tempore ita Gildas noſter, cum Albani triumphum recenſuiſſet. *Igitur biluſtro ſupradicti turbinis necdum ad integrum expleto, emarceſcentibuſq; necis authorum nefariè edictis, lætis luminibus omnes Chriſti tyrones, quaſi poſt hyemalem ac prolixam noctem, temperiem lucemq; ſerenam auræ cæleſtis excipiunt. Renovant Eccleſias ad ſolum uſque deſtructas; Baſilicas Sanctorum Martyrum fundant, conſtruunt, perficiunt, ac velut victricia ſigna paſſim propalant, dies feſtos celebrant: SACRA MUNDO CORDE, OREQUE CONFICIUNT.* Quaſi diceret: ſtatim ab Albani morte, redierunt fideles ad conſuetum olim Sanctorum cultum, redierunt & Sacerdotes ad ſua munia, & ſacris operati ſunt.

Gildas in Excidio.

XV. MUNUS SACERDOTIS QUALE?

Alcuin. de divin. offic. l. 36.

Gild. in repreh. Cleri.

Dixi è mente Gildæ, Sacerdotis munus fuiſſe Dominicum corpus ore conficere: ut ſuprà in ſanctificando calice dixit Cyprianus; quia Britanniæ ſenſus ſemper fuit, à munere illo dandi conficiendique ſacra, Sacerdotem appellatum eſſe: ut teſtis eſt Alcuinus in l. de divinis officiis: *Sacerdos*, inquit ille, *latinè dicitur ſacrum dans, id eſt, ſanctum Sacrificium offerens Deo.* Sed & ipſe Gildas, alio loco, ſatis expreſſit, quid eſſet apud Britanos *ſacra mundo corde & ore conficere*, cum dixit: *Sacrificare & puro corde inter altaria ſtare.* & alibi, cum altaria vocat *cæleſtis Sacrificii ſedem*: & ubique Sacerdotes nominat; ne poſteri popularem menſam, qua Anglia nunc utitur, intelligerent. Unde corruit Calvini plebiſcitum, docentis Sacramenti vim à ſumentis fide, non à miniſtrantis ore pendere. ſic enim populo dicitur: *Crede quod habes, & habes.* atque ita excluſâ Chriſti reali præſentiâ, phantaſticum tantummodo Sacramentum, phantaſticum Sacrificium, & phantaſtica altaria; & quidni phantaſticam fidem ſuccedere, neceſſum ſit; cum ſacroſancti Sacerdotii dignitas adeo premitur, & tanti Sacramenti confectio hominum vulgo rudibuſque permittitur. Sed habeant ſectarii ſua ſacra, inveſtes aras, nuda templa, nullum Sacrificium: nam inde ſequetur (quis non videt?) vile Sacerdotium: præſertim, ubi Epiſcoporum ordo in

ordinem

ordinem redigitur. & demum nuda, hoc eſt, nulla Fides. nunc ad alia controverſa tranſeamus.

XVI. LIBERTAS ARBITRII HOC SÆCULO CREDITA.

Cent. 3. fol. 258.

Libertatem arbitrii omnes hujus ſæculi Patres docuerunt; & cum illis, ſine dubio, Britanni. nam Magdeburgici in tertia centuria ita pronuntiant de libero arbitrio: *Supra diximus*, inquiunt, *caput illud doctrinæ maximè tempeſtivè cœpiſſe corrumpi: atque ita factum fuiſſe; ut nemo propemodum, hoc, vel præcedenti ſæculo Doctor fuerit; qui non ſalvam manſiſſe ſenſerit, poſt lapſum humanarum virium, integritatem & poteſtatem.* Hæreo hic ſolum in voce *propemodum*; qua velle videntur, aliquos vel aliquem fuiſſe, qui aliter ſenſerit: ſed reverà præter Simonis Magi diſcipulos, intelligunt neminem: non Tertullianum, non Origenem, non Cyprianum; quos ipſi inhumaniſſimè tractant, ob aſſertam arbitrio noſtro libertatem. Tertullianum accuſant, quia dixit initio libri de exhortatione caſtitatis. *Cum utrumque ex præceptis ejus didicerimus, quid velit, & quid nolit; jam nobis eſt voluntas eligendi alterum, ſicut ſcriptum eſt: Ecce poſui ante te bonum & malum: Et ideo non debemus, quod noſtro expoſitum eſt arbitrio in Dei referre voluntatem.* mitto aliorum Patrum teſtimonia, quæ ipſi accumulant; & ſolùm adverto conceſſâ libertate illâ, multa ſequi in orthodoxâ fide facilia; quæ adverſaria factio nec declinare commodè poteſt, nec benè digerere, Chriſtianæ legis poſſibilitatem, meritum bonorum operum, lauream caſtitatis: quæ illi inter errores, ſtipulas, & incommodas opiniones, ideo referunt; quia illorum paradoxis valdè incommodant.

Cent. 3. fol. 77.

XVII. SANCTITAS BONORUM OPERUM.

Cent. 3. fol. 80.

De ſanctitate bonorum operum, ita Ariſtarchi iſti ſcripſerunt. *Magis, quàm ſuperioris ſæculi, Doctores hujus tertiæ ætatis à verâ doctrinâ Chriſti & Apoſtolorum de bonis operibus declinarunt?* Cur ita? *Opera enim electitia*, inquiunt, *multa excogitarunt, & inculcarunt: Quemadmodum Tertullianus immodicis laudibus caſtitatem extollit, & pudicitiam.* Quid audio? non laudavit ergo Chriſtus, non laudarunt Apoſtoli pudicitiam, atque caſtitatem? aut fortè virtutis nomen non merentur; nec bonus odor Chriſti ſunt; ex quo Lutherus Boram olet & hircum? Ita eſt: nec enim diſſimulare volo, aut ſi vellem, poſſum modernæ factionis putidiſſimum ulcus: quod ubi primùm fluxit ab impuro capite, infecit membra tam atrâ ſanie; ut quod olim erat in homine pulcherrimum, & Angelicis mentibus maximè cognatum; id non modo in nauſeam & faſtidium abierit; ſed latâ etiam lege, & virtutis faſtigio depoſitum, inter vitia amandatum ſit; & Patres accuſentur, qui illud amaverunt. Quod quoties contemplor, occurrit illud: Ut aſinus ad Lyram, ita factioſus omnis ad antiquam fidem: adeo ſuaviſſimam Eccleſiæ muſicam, & pietatis ſymphoniam; dum ſtreperis & inconditis vocibus, ad ſui cerebri intemperiem flectere conantur; invertunt & evertunt: Quid enim dixit Tertullianus in laudem caſtitatis, quod alii Patres, & quindecim ſæcula, non dixerunt? Reſpondent: *Tertullianus lib. 5. contra Marcionem. Hunc locum*, inquit, *ſalvâ alterius, id eſt, plenioris ſanctitatis prælatione tractaverim, continentiam & virginitatem nuptiis anteponens.* Et quorſum hoc factioſo ſtomacho ingratum? Quia inde ſequetur Martinum Lutherum, cum in clauſtro fuit caſtitatem profeſſus, meliorem fuiſſe, quàm Boræ conjunctum. Quod ſi admittatur, conſequens eſt; omnes qui illo hymenæum canente, in Monaſteria votamque caſtitatem ſurrexerunt, antiquæ fidei perduelles eſſe.

CASTITAS LAUDATA.

Cent. 3. fol. 110.

XVIII.

Cent. 3. sup.

Non unus Tertullianus, à ſectariis arguitur; quod Evangelicam caſtitatem extulerit, prætuleritque nuptiis. Origenem quoque ejuſdem criminis reum faciunt; quod libro 10. in Epiſt. ad Romanos, virginitatem dixerit *opus perfectionis.* Cypriano magis iraſcuntur, & tantùm non vocant humani generis hoſtem, quia in laudem nuptiarum nullum cecinit epitalamium. *Cyprianus*, inquiunt, *ex profeſſo quaſi ubique deteſtatur muliebrem ſexum.* quid ſcripſerat Cyprianus? *In libro*, inquiunt, *de bono pudicitiæ: Virginitas æquat ſe Angelis: ſi verò exquiramus, etiam excedit; dum in carne luctata, victoriam etiam contra naturam refert, quam non habent Angeli.* Iterum, libro de ſingularitate Clericorum, eodem modo caſtitatem vocat *ſtatum qualitatis Angelicæ.* & hoc valdè incommodum novo ſtatui Clericorum, qui ſingularitatem non amat. Prætereà, ſi caſtitas eſt *ſtatus qualitatis Angelicæ*, dicetur labi in nigerrimam diaboli factionem, & Luciferi ſocius, quiſquis illo ſtatu per incontinentiam excidit. Atque ita Lutherus, cum caſtitatem veſtemque exuit, & traxit poſt ſe plurimos; licet ſuper aſtra conſcendere conatus ſit, Eccleſiam reformando; cadet tamen miſerè, & cum ingenti multitudine ad inferna deſcendet, reus læſæ puritatis Angelicæ. Quid ultra habet Cyprianus? *In ſermone*, inquiunt, *de Nativitate Chriſti, dicit: Etſi bona ſunt & inſtituta à Deo conjugia; melior tamen eſt continentia, & virginitas excellentior; quam non cogit neceſſitas, aut mandatum, ſed perfectionis ſuadet conſilium.* Quâ ſententiâ, tam aſſerit ad literam Romanæ Eccleſiæ ſenſum; quàm detegit & enervat factionem nuperam.

Cent. 3. suprà.

XIX.

Vide in his omnibus, Lector, Chriſtianæ religionis, fideique, in ſæculis omnibus, conſenſum. Chriſtus in Evangelio perfectionis ſemina ſua manu jecit: Paupertatem Evangelicam, caſtitatem atque obedientiam, verbo, opere, exemploque docuit, ſuaſit, non præcepit: ſecuti Chriſtum Apoſtoli, ea conſilia urſerunt: Doctores poſtea, magnis vocibus adhortati ſunt fideles, ut virginem caſtam exhuberent Chriſto: Hos demum ſecuti Tertullianus, Origenes, ac Cyprianus, eandem fidem doctiſſimè pulſaverunt; tam muſica & elegante manu, ut infinita Clericorum, Monachorum, virginumque examina ad illam traxerint: ut patet ſæcula contemplanti. Et tamen factioſi ſuprà dixerunt, hos ipſos Doctores, à verâ Chriſti doctrinâ, & Apoſtolorum, de bonis operibus, declinaſſe; cum bonorum operum fructus exponunt: cum Chriſti mentem verbaque explicant. Et dic, ſodes, ſi non meliùs pulſaſſet aſinus lyram? Benè dixit Chriſtus de Eunuchis, in Evangelico: *Non omnes capiunt verbum iſtud*; quia Magdeburgici præter carnem & ſanguinem, nihil omnino ſapiunt, nihil capiunt, nihil intelligunt: & *quæcumque ignorant, blaſphemant.*

Matth. 19. 11.

Iuda. v. 10.

XX. BRITANNIA CASTITATEM COLUIT.

Jam verò ſi Britannorum mentem ſcire deſideras; noli putare illos, à cætero orbe diſſenſiſſe: ſed potiùs, præ cætero orbe caſtitatis & virginitatis conſilium ſecutos. nam à Cypriano docti ita nuptias & continentiam laudaverunt, ut hæc primum habuerit in Eccleſia gradum; illæ inferioris eſſent ſubſellii. Cæterùm quod

Cyprianus Britannos docuerit, difertè affirmavit vir confularis & fequentis ævi doctiſſimus Prudentius, eo carmine quo Cyprianum ita laudat:

Prudent. hym. 13.

Tenet ille regna cæli
Nec minùs involitat terris, nec ab hoc recedit orbe:
Differit, eloquitur, tractat, docet, inſtruit prophetat.
Nec Lybia populos tantùm regit, & uſque in ortum
Solis, & uſque obitum, Gallos fovet, imbuit Britannos.
Denique Doctor humi eſt, idem quoque Martyr in ſupernis.

Infula itaque Rom. Ecclefiæ filia primogenita, & *Dos MARIÆ Virginis*, Evangelicæ perfectionis ſtudium, cum fide, amplexa, Jofephi fociorumque modeſtiam olim admirata, mox imitata, tranſmiſit ad hanc ætatem utriuſque fexus virginum examina. Quid plura? Eleutherius Lucium docuit Monaſteria fundare, & ejus foror Emerita, virginis titulo etiamnum celebratur. Denique fi in hujus fæculi finem defcendis, videbis Diocletianum hæc *opera electitia* perfequi; & cum fectariis effe, dum Wintonienfes Monachos, & illorum ædes perdidit: cum eodem ferè tempore Sufannam virginem, virginitatis voto adhærentem perdidiflet. de qua fuprà hoc loco Britannicarum virginum undecim millia in theatrum producere: licet aliqui id officiofiſſimè faciant, laudentque inde Infulam: alibi enim & inferiùs habebunt lauream quam merentur.

An. 287. n.

XXI.

Hinc de Britannorum Sacerdotum cælibatu, certum fume argumentum; qui carne majores, totos fe Deo, hoc eſt, mentem corpusque confecrarunt. nam decretum Callifti, quod fuprà recenfui, & Origenem audiverunt ita dicentem: *Ante omnia Sacerdos, qui divinis aſſiſtit altaribus, caſtitate debet accingi.* & alibi. *Certum eſt, quia impeditur Sacrificium indefinens iis, qui conjugalibus neceſsitatibus ferviunt. Vnde videtur mihi, quod illius eſt folius offerre Sacrificium indefinens, qui indefinenti & perpetua fe devoverit caſtitati.* Quod Origeni vifum; vifum & Britannis, qui Gilda tefte, ad altaria ſtantes, facra mundo corde, & ore faciebant. Viderunt hoc fortè fectariorum neomyſtæ; qui ne continere cogantur, Sacrificium omne, & altaria deſtruxerunt veneris mancipia. In eo tamen peccant enormiter, quod Britanniæ Sacerdotes, incontinentiæ fuæ focios & patronos cupiunt. Sed reverà necdum Græcorum ulcus erupit; necdum Paphnutius Nicææ *vehementer vociferatus eſt*, & necdum Occidens contagio infectus: Adde, non fuiffe neceffe, terrarum Orbe hominibus repleto, omnes promifcuè ad matrimonii onera condemnare: potuiffe, & debuiffe, aliquos, mundo & cupiditatibus majores, amores fuos altiùs efferre, idque voto firmare. quod Cyprianus eleganter fic expreffit. *Cum adhuc rudis mundus & inanis eſt, copia fœcunditatis generante propagamur, & crefcimus ad humani generis augmentum, &c. Cum jam refertus eſt orbis, & mundus impletus; qui capere continentiam poſſunt, ſpadonum more viventes, caſtrantur. Nec hoc jubet Dominus, fed hortatur: nec jugum neceſsitatis imponit; quando manet voluntatis arbitrium liberum.*

V. an. 226.
Origen hom. 4 in Leviti. circa med.
Idem hom. 23 in Num. ante med.
SACERDOTUM CASTITAS.
Cypr. l. de difcipl. & habitu virginum.

XXII. PASCHA BRITANNORUM, IDEM CUM ROMANO.

Dicerem aliquid de Pafchate Britannorum, quod Romano non Orientali more celebratum hoc fæculo fuerit: nifi Victor Papa, & univerfi Occidentis confenfus, dudum litem illam terminaffent. nam inde conſtantiſſimè patuit: nec Infulam hanc, nec ullam Occidentis provinciam; Eufebio, Socrate, Græcis, Latinisque teſtibus, cum peccante Græciâ fuiffe. Unde illi corrigendi funt, qui vix alio argumento Britannos trahunt in factionem fuam: quam ritu Pafchatis hic celebrati; quando venit miſſus à Gregorio Auguſtinus. quem fuo loco oſtendam ab Orientali errore tam differentem fuiffe, quàm moderni differunt ab antiquâ Fide. Infuper cum nequior ille ritus ad nos ex Hiberniâ primùm fluxerit: & necdum Hiberni fidem fufceperint: quomodo potuit græcus ille folœcifmus, Ecclefiam noſtram inficere? In hæc præcipitia incidunt, qui tuendæ factionis ſtudio, inimico in Romam impetu, feruntur: non diſtinguunt tempora, non explorant fæcula, orthodoxorum fenfa non exquirunt: fed undique colligunt fidei maculas, damnatosque errores; quibus Britannorum Ecclefiam dehoneſtantes, Babelem fuam ædificent: quæ ubique fimili fundamento ſtat. Sed facilè corruet; fi omnia diſtinxeris: fi Patres excufferis, fi majorum facta perpenderis: denique fi ad fæculorum omnium amuſſim examinâris univerfa.

XXIII. JUSTIFICATIO NUDIFIDIA.

Quis hic non videt, à Romana Fide ſtare proceres Ecclefiæ, & fidera hujus fæculi, Tertullianum, Origenem, Cyprianum, aliosque, qui religionis dogmata tradiderunt? Hi, inimicis etiam teſtibus, juſtificationem per folam fidem ignorarunt: quod tamen idolum fectarii fummè venerantur, & factionis cardinem faciunt; in quo vertunt, & pervertunt omnia, quæ controvertunt. Dicunt enim, in hac centuria: *Videtur magna ex parte hunc SVMMVM ARTICVLVM de Iuſtificatione obſcuratum eſſe:* quia nimirùm Patres omnes, Virginitatem, Caſtitatem, Evangelica confilia, & bonorum operum merita commendarunt. Unde fequitur nullum omninò fuiffe, qui Lutheri apoſtafiam, Calvini dicæologiam, anarchiam in Ecclefia, & fimilia monſtra laudaverint: qui Sacrificium incruentum, qui Sacerdotium polluerint; qui Crucem, reliquias & facra omnia abjecerint; qui arbitrii fervitutem coluerint, qui nudam Fidem; inveſtem Ecclefiam, & nulla nifi inania Sacramenta, & nullam omnino inhærentem juſtitiam habuerint. Et quoniam è Patribus hujus fæculi, nullus, nullus inquam eſt, qui hæc paradoxa docuerit: debent fectarii, vel Lutherum & Calvinum adorare, factionis fuæ capita: vel, quod verofimilius, eſt primorum fæculorum maculas legere. & vel Judæos & infideles Diocletianos appellare: vel fi obſtinatè afcifcere volunt aliquos è numero quondam fidelium: nominare debent, Marciones, Valentinos, Manetes, & Gnoſticorum colluviem, & paulò altiùs afcendendo Simonem Magum primogenitum fatanæ. Ex his feligere erit, qui Calviniſtarum more, Cruces profcripferint; qui Sacrificium, Sanctos, & eorum cultum horruerint; qui damnaverint arbitrium & reliqua facra, denique qui vota oderint, operumque fanctitatem.

Cent. 3. fol. 72.

XXIV. OBIECTIO SECTARIORUM.

Nec obſtrepat mihi aliquis, dicatque; Patres quidem in rebus levioribus, nævos, errores & incommodas opiniones porrexiffe: cæterùm in præcipuis dogmatibus, Fideique fubſtantia, cum fectariis effe. Apage hoc commentum, quo factiofi quotidie paradoxa fua condiunt, & tuentur. nam fi Ecclefiam ſpectes, quæſtio de ejus capite, capitalis eſt, & præcipua: fi Dei

SOLVITUR.

cultum;

cultum; ſupremum eſt Sacrificium. In moralibus etiam, & quæ ſita ſunt in noſtra poteſtate, primunn mobile eſt arbitrii libertas. Denique ut benè moderni, SUMMUS ARTICULUS eſt Juſtificatio, quam nos cum antiqois Pàtribus, fide & operibus metimur; ſectarii nudâ fide definiunt. Dicendum eſt ergo, in ſummis rebus, in primis maximisque articulis, & demum in ipsâ fidei ſubſtantiâ, modernos errare ab antiquâ Fide: & vel novam inveniſſe; vel, quod magis opinor, damnatarum olim opinionum, & ab inferis collectarum, centonem conſuiſſe, cujus author Lutherus & primarius conſarcinator. Finio hoc ſæculum, Arnobii ſententiâ, illius fortè Arnobii, cujus meminit Hieronymus in Catalogo Illuſtrium, qui baptizatus creditur anno Chriſti 300. ſcripſitque in Pſalmus commentarium. ubi doctè colligens Chriſti fidem, per univerſum mundum jam explicatam ac dilatatam, juxta illud: *velociter currit ſermo ejus:* ita Evangelicæ veritatis curſum circumſcribit & terminat: *Tam velociter*, inquit, *currit ſermo ejus, ut cum per tot millia annorum, in ſolâ Iudæâ notus fuerit Deus: nunc intra paucos annos, nec ipſos Indos lateat à parte Orientis; nec ipſos Britones à parte Occidentis. ubique cucurrit ſermo ejus, qui dat nivem ſicut lanam.*

Pſalm. 147. Arnob. in Pſal. 147.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1052.

ANNUS CHRISTI 301.

MARCELLINI PAPÆ 6.

DIOCLET. ET MAXIMIA. IMPP. 18.

I. STATUS BRITANNIÆ.

CUM Marcellinus Papa ſextum, in ſua ſede, annum ageret: & Diocletianus, in alterâ, decimum octavum. nimirum, anno primo quarti ſæculi; Titiano, & Nepotiano Conſulatum gerentibus, Britannia, quæ nuper è tempeſtate emerſerat, feliciſſimè nobilitata fuit tam provincialium pietate, quàm Principis Helenæ, quæ avitam fidem, eo teneriùs fovebat, quòd dudum fuerat cum majoribus periculis colluctata. Juvit hanc ſerenitatem Diocletiani & Maximiani triumphus, qui teſte Euſebio, *Romæ inſigni pompâ, antecedentibus currum eorum Narſas ſororibus, liberis, & omni prædâ, qua Parthos ſpoliaverant, triumpharunt.* ut refert ad hunc annum Baronius. Licet Euſebius, duorum Auguſtorum triumphum narret, poſt annos quatuor; hoc autem anno trecenteſimo primo, Galerium Maximianum Cæſarem, ob inſignem contra Perſas victoriam, *à Diocletiano ingenti honore* ſuſceptum eſſe. Sed nihil magis exhilaravit Britannicæ Eccleſiæ faciem, quam Conſtantii Cæſaris moderatio, qui liberam Deo ſerviendi provinciis ſibi ſubditis fecerat poteſtatem. Unde *conjecturam capere licet*, inquit Sozomenus, *neque Gallis, neque Britannis, qui longè ultra fines Italiæ habitant, contra leges viſum eſſe, Chriſtianam religionem, dum adhuc vita ſuppeditabat Conſtantio, profiteri.*

Euſeb. in Chron. an. 305.

DIOCLETIANUS TRIUMPHAT.

CONSTANTII MODERATIO.

Sozomo. l. 1. c. 6.

II. GALERIUS PERSEQUITUR ECCLESIAM.

Sæviebat quidem in Chriſtianos, Galerius Maximianus, alter Cæſar, & plures in Oriente vexabat, ut Indes & Domnæ acta teſtantur, quorum ſuprà facta mentio: & in illis legere eſt, quid Diocletiani collega ſit perſecutus; illud nimirum, quod Conſtantius, in Gallis & Britannis perſequi noluit, ſed liberum eſſe conceſſit, atque inde colligere eſt Orientis & Britannorum fidem. Domna Virgo ad necem quæſita, ad ſacrarum Virginum Monaſteria fugerat; ubi ſacræ Deo Virgines pudori conſulebant, à virorum conſortio remotæ. Quid tunc Galerius? *Sceleratus*, inquiunt acta, *non ceſſabat eam quærere, & cum non inveniret, furebat communiter in omnia aſceteria. Atque ſacra quidem aſceteria omnia crudeliter diruebantur: Virgines verò turpiter probris afficiebantur. Virgines (proh dolor) quas ne maſculorum quidem oculis videre, erat unquam tolerandum.* Ita ibi, & addit virginum fugam ad montes, ſpeluncas, & ignotas ſolitudines. Quod ſuprà factum in Britanniâ, cum ſimili impietate Monaſteria vaſtarentur. Ut ergo utrobique legis infidelium perfidiam: ita utrobique colligis Chriſtianorum fidem. Cæterùm quod ad ſacrarum Virginum Monaſteria attinet, olim illa fuerunt, & S. Ignatius Apoſtolorum diſcipulus, cùm ad Philippenſes ſcribit, *Collegii Virginum* meminit: & alibi, inquit, *videant cui ſe conſecrarunt.* unde meritò *ſacræ Virgines appellatæ ſunt*, & *pretioſa Chriſti monilia.* E quarum vitæ inſtituto Magnus Athanaſius hoc ſæculo collegit, magnum orthodoxæ fidei argumentum. quod ideo non debeo diſſimulare, quia Chriſtianæ fidei hoſtes, videlicet inferorum portæ, illud perſequuti ſunt. & conor ubique illud, carptim ſeligere, in quod, aut propter quod, illi ſævierunt.

ET DOMNAM VIRGINEM. MONASTERIA VIRGINUM.

Apud Baron. hic n. 31.

Ignat. ep. 8. Idem ep. 12. Idem ibid.

Docet ergo vir doctiſſimus, tam in libro de virginitate, quàm in Apologiâ ad Conſtantium; & virgines, & viduas, continentiam *profiteri* ſolitas; quas *cæleſti ſponſo junctas* affirmat. Cæterùm illud vitæ inſtitutum ita commendat. *Magna virtus continentia, magna gloria caſtitas, magna ſunt virginitatis præconia. O virginitas divitiæ incomprehenſibiles! ô virginitas corona immarceſſibilis! ô virginitas templum Dei, & Sancti Spiritus domicilium! ô virginitas margarita pretioſa apud multos latens, à paucis verò vix invenitur! ô continentia amica Dei, & apud Sanctos laudata! ô continentia vulgò inviſa, ſed iis, qui te digni ſunt, nota.* Addit plura, quæ non adjicio; quia hæc ſufficiunt, ut videas regularis vitæ inſtitutum, ab optimis amatum laudatumque, ab improbis odio habitum. nec enim negari poteſt, Athanaſium, de regulari vivendi genere, eo loco, loquutum; ubi toties Regulæ meminit: *Væ virgini*, inquit, *quæ non eſt ſub regulâ. Eſt enim veluti navis non habens gubernatorem.* & iterum: *Beata virgo, quæ fuerit ſub Regulâ: erit enim veluti frugifera vitis in paradiſo*, &c. Hoc itaque regulare vitæ inſtitutum, hæc Spiritus Sancti domicilia, Galerius Maximianus in Oriente perſecutus eſt, cum aſceteria vaſtari & dirui mandavit: quæ paulò ante, alter Maximianus, in Britanniâ, ſimili impietate, demolitus eſt, ut ſuprà vidimus. nunc verò Conſtantius Cæſar, in ſuis provinciis, majorum exemplo, extrui ac reſtitui permiſit. Porro Athanaſius, non dubitavit, è religioſo hoc vitæ genere, nobile argumentum elicere; ibi veram & orthodoxam fidem tantummodò reſidere, ubi hæc virginalis vitæ encomia inveniuntur. ubi autem illa deſiderantur; ibi Chriſtianam quoque fidem deſiderari. Ergo in Apologiâ ad Conſtantium Imperatorem, Conſtantii ſenioris, è Conſtantino filio, nepotem, ita loquitur: *Dei filius, Dominus & Salvator noſter, IESVS CHRISTVS, homo propter nos factus, inter cætera dona, largitus eſt nobis, in*

III. VOTA VIRGINITAS LAUDATUR.

Athanaſ. de virginita.

Idem ſuprà

Idem ſuprà.

SUB REGULA.

EST NOTA ORTHODOXÆ FIDEI.

Atha. apol. prima.

virginitate, exemplar Angelicæ ſanctitatis. Certè puellas eâ virtute præditas, SPONSAS CHRISTI *Eccleſia Catholica appellare ſolita eſt. Quas ethnici conſpectas, ut templum verbi, admiratione proſequuntur. Nuſquam enim alibi, ſanctum illud & cæleſte æternæ fidei virginitatis mandatum, feliciter adimpletur, niſi duntaxat apud nos Chriſtianos. Atque* IN EO MAGNVM DOCVMENTVM EST, PLANE APVD NOS ESSE VERAM RELIGIONEM.

IV. Expenditur.

Noli, Lector, levi oculo, hoc *Magnum documentum* præterire; præſertim calamitoſo iſto tempore, quo Chriſti Eccleſia in varias factiones ſcinditur; & magnis ubique vocibus, de *verâ religione* certatur. Surge itaque à moderno hocce ſæculo, evolve monumenta antiquorum, interroga primæ puriſſimæque Eccleſiæ proceres, & inde deſcende in veræ Religionis notas characteriſticas. En habes Athanaſium, ſui ſæculi oraculum, qui omnem hæreſim, atque impietatem, cum ſequentium ſæculorum laude, pugnavit. Illum interroga, ubi vera fides religioque, & apud quos reſideat? an apud eos, qui votam Deo virginitatem condemnant, qui virginum aſceteria deſtruunt, & omnia pudoris clauſtra effringunt: An verò penes eos, qui Deo conſecrant virginem ſuam; qui ad Monaſteria fugiunt, & omni clauſtrorum genere, hoc eſt, omni cuſtodiâ, cor ſuum & pudorem muniunt. Et ecce habes reſponſum ejus: Eccleſia Catholica ſacras Deo Virgines commendat, Chriſtique ſponſas appellat: nuſquam alibi tam eximia, tam Angelica virtus. Imo ſi inter varias diſcordeſque ſententias, vis genuinam Eccleſiæ faciem cernere, primam illam & ſine fuco illuſtrem: noli dubitare, quin illa ſit, quæ regularis vitæ inſtitutum amat, reveretur, fovet; atque ita poteris, Magno argumento concludere, illos veram Eccleſiæ faciem dehoneſtaſſe; qui virgines è Monaſteriis exturbarunt: quantumvis id pietatis ſpecie fecerint, & reformandi, ut vocant, Evangelii. Enimverò, qui ſe ſic transfigurant in Angelos lucis, ſi ad antiquorum ſubſellia, à ſuis latebris, extrahantur, *Magno documento* deprehendes, non aurum eſſe, ſed viliſſimas merces, quas cum reformato Evangelio novi homines obtruſerunt. & æquè poteſt Galerius Maximianus in Oriente, & Herculius Maximianus in Britanniâ laudari, quòd virgines è Monaſteriis, extrahendo & ad lupanar damnando Rempublicam reformaverint. Cæterùm quamdiu illi audiunt Chriſtianæ fidei hoſtes, & tales habentur à Chriſtianis omnibus: neſcio qua ratione dealbari poſſit Calviniſtarum factio, quæ pari cum illis impetu, Spiritus Sancti domicilia dehoneſtarunt.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1053.

ANNUS CHRISTI 302.

MARCELLINI PAPÆ 7.

DIOCLET. ET MAXIMI. IMPP. 19.

I. Decima Perſecutio.

Hic eſt annus trecenteſimus ſecundus, Conſules notans Conſtantium atque Galerium, & decima perſequutione infamis, qua Orientis provinciæ omnes, crudeliſſima pro Chriſtianâ fide, patiuntur. Unde Euſebius Diocletianeæ tempeſtatis ponit exordium, aitque antea halcyonios in Eccleſiâ dies fuiſſe. Quæ temporis ratio pluribus perſuaſit, Albanum, alioſque Britanniæ Martyres, ſub initium hujus ſæculi coronatos eſſe. Sed ſuprà, ex Euſebio, Occidentis calamitates, ab Orientis diſtinxi; oſtendique Albani paſſionem ad prima Diocletiani Imperatoris tempora referendam, etiam Euſebio teſte; quod ſi Conſtantius, hoc anno trecenteſimo ſecundo, in Britanniam deſcendit, ut tradit Florilegus, erit extra omnem controverſiam, nullum in Britannia, eo Cæſare, fuſum Chriſtianum ſanguinem. Cæterùm multa argumenta ſunt, ipſum hoc tempore Inſulam luſtraſſe; tum, quia Zoſimus teſtatur, ipſum apud tranſalpinas nationes & in Britanniâ * συνεχέςερον vixiſſe; quaſi à Cæſareâ dignitate aſſiduus ibi fuerit, tum quia ſæviente ubique, in Chriſtianos, Diocletiani gladio, Gordonius, aliique, abſentem Conſtantium, in Britanniâ, conſtituunt. Non tamen Galfrido Monumetenſi aſſentior, aut Florilego, qui cauſam adventus ejus, per ὕςερον πρότερον, nullo rerum geſtarum ſervato ordine, narrant in hunc modum, ad annum Chriſti trecenteſimum ſecundum. Per idem tempus, inquit Florilegus, *Coelus Dux Caërcolum, id eſt Colceſtria, inſurrexit in Aſclepiodotum Regem Britanniæ, & conſerto prælio ipſum interfecit, & ejus regnum obtinuit. Romani verò legaverunt Conſtantium Senatorem, qui Hiſpanias aliaſq; terras quam plures ipſis ſubdiderat, ut Britanniam Romanæ redderet dignitati.* Tum refert Helenæ & Conſtantii nuptias. Coelli Regis mortem, & denique Conſtantium jure Helenæ Britannici Regni diadema adeptum: ſed hic ſine dubio Authores aliqui impingunt, & magno antichroniſmo peccant. Imprimis Conſtantius hoc anno Cæſar erat, & Conſtantinus ejus ex Helena, filius, ad virilem ætatem pervenerat, ut Euſebius, cæterique tam Græci, quàm Latini affirmant. Quo poſito indubiæ veritatis fundamento, confuſa illa Galfridi narratio, unde Florilegus ſua collegit, ita diſtingui, & ad rectam temporis rationem accommodari debet.

An. 286. 8.

Floril. hic.

Constantius in Britannia.

Zoſim. l. 2.

* frequentius.

Gordo. an.

Floril. hic.

II. Quæ Authores miscent explicantur.

Aſclepiodotus Britanniæ præses.

Conſtantius, olim Senator, & militari gloriâ illuſtris, à Ro. Imperatore in Britanniam miſſus, Coëllum, Helenamque ejus filiam ſibi conciliarat; inde factus Cæſar, cum novi in Inſula motus eſſent, illos Aſclepiodoti Prætorii præfecti operâ compoſuit, quem & Britanniæ præſidem reliquit. Et hoc demum anno, illo, vel mortuo, vel per tumultum occiſo, venit Conſtantius, & tam jure Helenæ Britanniæ regnum adivit, quàm Cæſareæ dignitatis titulo provinciæ adminiſtrationem. Hæc ſi dixeris, omnia facilia ſunt, & conſonant ſupradictis: quæ verò hiſtoricorum vulgus miſcet, adeo implexa & in ſide nutantia ſunt, ut fidem omnino ſuperent. Unde etiam fit, ut in dubium quoque ea vocentur; quæ, ſi tempora, & geſta diſtinxeris, procul omni dubio eſſe deberent. Quod ſi dixeris, Helenam quoque in Britanniâ fuiſſe, cum venit eò Conſtantius: duo ſequentur, intellectu facillima, quæ ſuprà inſinuata ſunt: & Regiam Helenæ dignitatem, à Conſtantio aſſertam eſſe, ratione communis filii Conſtantini, & Conſtantium Chriſtianis faviſſe, quæ Helenam adamabat. Fortè etiam, illud quod habet hic Florilegus: *Conſtantius Helenam, &c. in ſocietatem thori recepit.* ita accommodari poteſt; quod, qui olim ab ea diverterat, Maximiani

imperio,

imperio, & Cæſareæ dignitatis intuitu, nunc eidem denuò adhæſerit, & antiqui amoris impetu, & novo titulo Regiæ majeſtatis. Quies certè & læta quæ in Briiannià fuit, fælixq́ue Eccleſiæ facies; & verò templorum erectio, de quibus Gildas, aliquid innuunt in hac Inſulâ ſingulare; & cedo aliud præter Conſtantium & Helenam. quò fortè reſpexit Euſebius, qui cum Occidentis perſecutionem, ad primos Diocletiani annos retuliſſet; addit eos *celerrimè clementi Dei obtutu, pacem & tranquillitatem conſequutos. quandoquidem cæleſtis providentia, tandem ob vica innocentiam, & fidem, illorum miſerta eſt.* ita ille: Non eſt dubium, quin in Britannorum plurimis, fides & innocentia manſerit; ſed in Helena utramque manſiſſe, univerſi penè terrarum Orbis, ad Chriſtum converſio, quæ ſtatim ſequuta eſt, illuſtriſſimum argumentum eſt.

Euſeb. l. 8. c. 2.

III. Constantii virtutes.

Porrò, quæ narrat Euſebius, de Conſtantii moderatione, prudentiâ, aliiſque rebus geſtis; eas in Britanniâ contigiſſe, & circa hæc tempora, multa perſuadent. Cum enim ibi, præ aliis provinciis aſſiduus fuerit, & ingenti provincialium applauſu † aliquando exceptus: cum Helena conjux Britanna fuerit; & Conſtantinus filius in Inſulâ natus; amatum à Britanniâ Conſtantium, & Conſtantium illam amaviſſe, neceſſum eſt affirmare. Accipe itaque mutui amoris magnum argumentum: cum à Diocletiano ſolicitatus, ut divitias oſtenderet, regiamq́ue ſupellectilem; oſtentavit civium bona, & eos ſuorum bonorum fidiſſimos cuſtodes appellavit. quod ita narrat Euſebius. *Ubi multus & creber ſermo, de Conſtantio, paſſim famâ pervagatus eſt: quòd manſuetus erat, quòd ſpectatus, quòd ardenter vita ſanctimoniam conſectabatur; quòd propter incredibilem in eos, qui ipſius parebant imperio, clementiam, & benignitatem, nullum theſaurum ſibi repoſuerat: Imperator, qui id temporis ſummum imperii gradum obtinuit, legatis ad illum miſſis, diſſolutam ejus, in Rep. adminiſtrandâ, negligentiam graviter increpare capit, paupertatem tanquam probrum objicere, hocq́; ad rei confirmationem argumenti loco uſurpare, quod nihil prorsùs pecunia haberet in theſauris reconditum. Hic cum legatos, qui ab Imperatore venerant, aliquamdiu moram facere precatus; ex omnibus gentibus ſua ditioni ſubjectis, eos qui maximis divitiarum copiis circumfluebant, in unum convocavit; pecuniâ dixit ſibi opus eſſe, & illud tempus opportunè oblatum, quo quemque propenſum ſtudium, & benevolentiam, erga Dominum, ac Regem ſuum, declarare par eſſet. Quo audito: hanc occaſionem, qua diu ipſis in optatis fuiſſet, benevola ſua in eum voluntatis perſpicuè ſignificanda ſtatuentes, abjectâ omni cunctatione, maturo auro, argento, & aliis opum facultatumq́; generibus, araria ejus complere laborant, ſtudio quodam, & ardore, ipſos inter ſe, quo alius alium, in largiendo, ſuperaret, vehementer contendunt; hocq́; praſtiterunt valdè lato & hilari vultu. Quâ re confectâ, Conſtantius legatos ab Imperatore ſummo miſſos, theſauri ſui ſpectatores fieri voluit. Quos teſtes fore juſſit eorum, qua oculis vidiſſent; illuq́; retulit, quemadmodum theſaurus ille, qui in præſentiâ, in ipſius araria collectus erat & conditus, jampridem fuiſſet, apud pecunia ſua & divitiarum dominos, tanquam cuſtodes tutiſſimos conſervatus. Iſtos igitur rei geſta permagna capit admiratio. Imperator autem benigniſſimus, poſt eorum diſceſſum, pecunia illius dominos, denuo accerſit: illoſq́;, cum obſequii, ac ſingularis benevolentia causâ, humaniſſimè tractaviſſet, ſuis receptis omnibus facultatibus, domum reverti jubet.* Hæc omnia Euſebius.

† An. 294. 4.

Euſeb. vit. l. 1. c. 10.

IV. Eius solertia in componenda familia.

Sequitur aliud ejuſdem Conſtantii facinus, quod in Britanniâ quoque contigiſſe probari poteſt, iiſdem, ut ſuprà, argumentis: & eſt ſolertis animi, ac religioſi indicium. Volebat ille luſtrare familiam, & aulam componere, quam Chriſti & idolorum cultores, variâ religione diſtraxerant. Edicit ergo, ut qui in Regiâ manere, conſuetiſque frui honoribus vellent, idola venerarentur. Nolle enim ſe, domi, & in ipſis aulæ penetralibus, habere in cultu numinis diſcordes. Qui conditionem amplecti recuſarent, ſua quidem ſibi haberent; procul tamen à Conſtantii auribus oculiſque eſſent. Perculit ea res, non veros, ac genuinos Chriſti ſervos, ſed id tantum genus hominum, quibus paſſim ſcatent Regum palatia, qui obviis inhiant honoribus, & unius Dei prætenſo nomine; plures reverà, ambitionem, honores, divitias colunt. Tales etiam tum Conſtantii domus habebat, quos hac arte à cæteris excrevit vir prudentiſſimus. Quos edicti gravitate territos vidit, & in Chriſti fide claudicare, ejecit aulâ, ratus nullam ſibi ſervaturos fidem, qui divinam viliſſimè prodidiſſent: Quos verò vidit Chriſto fideles, eos *ſtipatores ſuos* (loquitur Euſebius) *& ipſius regni cuſtodes conſtituit, inquiens id genus homines, in præcipuis maximeq́; neceſſariis amicis & familiaribus, numerandos eſſe; multoq́; pluris, quàm araria, ingenti theſauro referta, meritò æſtimandos.*

Euſeb. in vita l. 1. c. 11.

V. Britanni stipatores in aula Imp.

In Brit. illustrata c. 2. ſect. 2. §. 9. n. 15.

Dixi, miratum me aliquando, unde in Conſtantinopolitani Imperatoris aulâ, Britanni, in officiis, & honore fuerint: & cauſam ibi, in Conſtantinum retuli, quem Britanni Conſtantinopolim uſque ſequuti ſunt. ſed altiùs fortè, primumq́ue principium, Conſtantius fuit, qui reperto, Britannorum plurimos, in Chriſtiana fide conſtantes fuiſſe, illos ſuo corpori cuſtodes adhibuit, commendavitq́ue idem filiis. nam οἱ πελεκυφόροι Βρέτανοι, *Britanni qui bipennem ferebant*, de quibus Nicetas Choniata, prælongis bipennibus Imperatorem circumſtabant, & habebantur domeſticorum fideliſſimi, quales omnino Euſebius dixit, à Conſtantio adhibitos. Unde tam illuſtre Britannorum factum, Chriſtiana fide ferventium, & honorum officiorumq́ue conſtantiâ commendari decuit, & ad poſterorum memoriam deſcendere. Fortè etiam Conſtantium erexit, fecitq́ue non ultra de Chriſtiana fide humiliter ſentire; ſed perſpectâ Britannorum pietate ac fide, ad eorum potiùs ſacra tranſire. Quod Euſebius innuit dicens: *Cum Conſtantius jam longo temporis ſpatio eximia, & ſpectata ſatis regia virtutis indicia dediſſet; tandem, repudiatâ penitus impiorum, in variis diis colendis, ſuperſtitione, Deum omnium moderatorem ultro agnovit, & ſanctorum virorum precibus, ſuam firmè munivit familiam; & reliquum vita curſum expeditum, perturbatione vacuum, magna cum laude tranſegit.*

Euſeb. ſupr.

Constantius verum Deum coluit.

VI. Helena Constantium iuvit in componenda familia.

Cum lego hæc, ab Euſebio ſcripta, de Conſtantio; ſubit animum admiratio, unde hæc Conſtantii in unum Deum pietas, religioq́ue? unde tam ſancta familiæ compoſitio, & ſanctorum virorum preces? & diluit admirationem, Conſtantii prior uxor Helena, quam viro nunc adfuiſſe, licet Euſebius non aſſerat nominatim, ex eo tamen non obſcurè colligitur. nam ita pergit laudare Conſtantium: *Sic igitur omne tempus regni, conſtans & tranquillum liberis, & conjugi,*

Euſeb. ſupr.

cum

cum tota famulorum turba præstitit, omnemq; suam familiam, uni Regi Deo consecravit: adeo ut multitudo quæ intra Regiam ipsam conveniret; nihil ab Ecclesiæ formâ distare videretur. In quâ inerant Dei ministri, qui continuos cultus pro Imperatore tunc obierunt: cum piorum hominum genus, & verè Deo inservientium alibi apud gentilium multitudinem, ne nominari quidem absque periculo poterat. Hæc ille, de Constantio Cæsare, licet Imperatorem vocet, nam quamdiu Diocletianus rerum summâ potitus est, ille Cæsar tantùm, non autem Augustus fuit. Jam verò si quæras, quæ uxor, aut conjux illa, quæ omni familiæ uni Deo consecratæ præerat; noli Theodoram Maximiani privignam cogitare, quæ nusquam legitur, aut Christo addicta, aut Britanniam ingressa; sed puta Helenam, Britannam fœminam, quæ in Christianâ provinciâ, Christianam familiam ordinare poterat, & Sacerdotes habere, qui quotidie, pro Constantii salute Deo supplicarent. Nec refert quod Eusebius in omni hac narratione Britanniam taceat: quod solùm videtur objici posse, quia tacet etiam illam in sequentibus, cum moribundum Constantium, & Constantini filii ad illum, accessum exponit; cum ultima Constantii morientis verba, *amplexus, ædes, cubile* nominat; cum *funus ejus, pompam, faustas acclamationes* explicat; & denique cum Constantinum *novum Regem, Imperatorem* & *Augustum* salutatum pronuntiat; quæ omnia, certò certiùs in Britanniâ contigere. Obstinatum ergo Eusebii silentium, non leve indicium est, præcedentia æquè, ac sequentia, in Britanniâ accidisse.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1054.

ANNUS CHRISTI 303.

MARCELLINI PAPÆ 8.

DIOCLET. ET MAXIMIA. IMPP. 20.

I. Cur Diocletianus, et quid persecutus?

AD annum Christi trecentesimum tertium, & Diocletiani octavum, Maximiani septimum Consulatum: referunt historici omnes immanem plurimorum Martyrum. carnificinam, quos Diocletiani impietas odiumque in Christianæ fidei professores, ad cælum misit. Huc etiam Authores plurimi Albanum & Britanniæ Martyres referunt. Sed quoniam suprà multo argumento probavi, illos, primùm Diocletiani Imperatoris impetum tulisse, & dudum coronatos esse. Hic tantùm inquiro, quidnam potissimum in causâ fuerit, fusi ab impiis tam crudeliter sanguinis. Sive quid Diocletiano, ejusque ministris adeo displicuerit in fide Christianâ, ut Orbem universum adeo fœdaverint. nam juvat hoc ad posterorum memoriam, fideique explicationem; cum hi sine dubio, pro illa fide fassi sint, quæ prima, quæ pura, quæ Christi & Apostolorum, quæ denique orthodoxa fuit, & quam expugnare nullæ inferorum portæ potuerunt, utpote Christi oraculo tutam, in petrâ fundatam, & ad finem usque mundi proferendam. Quo temporis, & sæculorum tractu, quia schismata, hæreses, scandala, nasci necessum erat: necesse est etiam advertere, quid pios ab impiis, quid Martyres & orthodoxos, ab aliis distinxerit. Ita fiet Christiana fides illustrior, cum à puro religionis auro, scoria excernitur. nam ut optimè Vincentius Lirinensis: *Ille est verus, & germanus Catholicus, qui veritatem Dei, qui Ecclesiam, qui Christi corpus diligit, &c. qui quicquid universaliter antiquitùs Ecclesiam Catholicam tenuisse cognoverit; id solum sibi tenendum credendumq; decernit: quicquid verò ab aliquo deinceps uno, præter omnes, vel contra omnes Sanctos, novum & inauditum subinduci senserit, id non ad religionem, sed ad tentationem potiùs intelligat pertinere.* Videndum itaque, quid universaliter antiquitùs Catholica Ecclesia senserit, in rebus hodie controversis; quid verò, ab uno Luthero, aut Calvino, præter omnes, vel contra omnes Sanctos, novum & inauditum subinductum sit. atque ita fidem, à perfidiâ distinguamus.

Vincent. cont. Hæres. c. 25.

II. Crucis cultus persecutionis causa.

Decem fuerunt, his tribus primis sæculis, ob odium, & tyrannidem in Christi cultores, persecutores appellati. Hos inter Diocletianus, tempore quidem ultimus, sed merito suo primum locum obtinet: & omnes Christum, & quæ Christum attingebant proximè, impetuosissimè oderant. Christiani contrà, Christum imprimis, & inde quæ Christi erant religiosissimè coluerunt. Hunc cultum, ad sua sacra transferre, tyranni satagebant, & orthodoxi nec Christum relinquere voluerunt, nec cultum ejus. Hinc persecutorum odia, & Martyrum certamina, quæ Diocletiani tempore fuerunt illustrissima. primarium ergo persecutionis objectum, Christi erat, & cultus ejus. si porrò de cultu quæris, & in religionis actum vis descendere: Dico cultum Crucis, in Christianis frequentissimum, & infidelibus non ignotum, exasperasse eorum animos, ut suprà dictum, è Lactantio Firmiano: qui, vir hujus sæculi, persequutionum causas apprimè calluit; & de Cruce loquens disertè dixit: *Hæc sæpè causa præcipua justitiam persequendi malis Regibus fuit.* Porrò, non tam Crucem, quàm ejus cultum Imperatores persecutos esse, ex eo colligitur; quod orthodoxos inde Crucicolas appellaverint, & eo imprimis nomine vexaverint. ut de hac decimâ persecutione testis est, Aldelmus Schirneburnensis Episcopus illâ sententiâ, quam suprà in Albani causâ retuli: *Temporibus*, inquit, *Diocletiani & Maximiani, cum edictis crudelibus, Catholicæ fidei cultores, quos Christicolas & Crucicolas nuncupabant, ad thurificandum statuas idolorum cogerentur, nolentes apostatare, capitalem compulsi sunt subire sententiam.* Ubi Crucis æquè, ac Christi cultus, persecutionis causa fuisse videtur.

Lactan. l. 4. Instit. c. 27.

Aldelm. de laude Virg. c. 27.

III. Et Ecclesiæ splendor, et supellex.

Alia causa fuit: Ecclesiæ splendor, & sacra supellex, aurea, & argentea, quæ in Sacrificii majestatem adhibita, infidelium oculos perstrinxerat, dolentium in novam, ut ipsi putabant, superstitionem, pecuniam profundi. Ita superiori sæculo, Tyrannus Laurentio dixerat, ei Ecclesiæ morem exprobrans:

Hunc esse vestris Orgiis
Moremq; & artem proditum est:
Hanc disciplinam fœderis,
Libent ut Auro Antistites.
Argenteis scyphis ferunt
Fumare sacrum sanguinem,
Auroq; nocturnis sacris
Adstare fixos cereos.
Tunc summa cura est fratribus;
Vt sermo testatur loquax,
Offerre fundis venditis
Sestertiorum millia.

Prudentius de S. Laurent. hym. 2.

Creverat

IV. DIOCLETIANUS ILLAM PERSEQUITUR.

Creverat enimvero hoc sæculo, Ecclesiæ gloria, & Diocletianus magis in sacram supellectilem bacchatur: Tradi sibi divinas Scripturas, & omnem templorum ac Sacrificii apparatum, severissimâ lege præcipiens: renuentes autem crudeliter necati sunt; obtemperantes, infami, ad posteritatem, nomine, Traditores appellati. Juvat in hanc rem Cirtensis Synodi, cujus hoc anno trecentesimo tertio habitæ, meminit S. Augustinus, acta recolere. Ibi ordinatus est Paulus, Cirtensis Episcopus, qui hoc pariter anno conventus à Magistratibus, libros & Ecclesiæ supellectilem tradidit, inquit Baronius. Si scire vis, quæ fuerit illa supellex, legere illam poteris in proconsularibus Actis, ubi proferuntur: *Calices duo aurei, item calices argentei, urceola sex argentea, lucerna argentea septem, cereofala duo, candelæ breves aneæ cum lucernis suis septem, item lucernæ ænea undecim cum catenis suis.* Hæc omnia Diocletiani jussu quæsita, inventa, & fisco tradita sunt. E quibus curiosus Lector colligere potest hujus sæculi orthodoxam fidem: nam vasa aurea & argentea, procul omni dubio Sacrificio serviebant, ut è mox dicendis clariùs constabit.

Acta proconsula. apud Baron. hic n. 2.

V. ET SACRIFICIUM.

Tertia, & eminentissima causa, Ecclesiæ persequendæ, fuit sacrosanctum Missæ sacrificium, & fidelium ad illud concursus. hoc suprà sæpiùs observare licuit, ut dixi ad annum Christi ducentesimum quinquagesimum quintum: sed nunquam magis, quàm in Diocletiano enituit; qui, hoc anno, plures interfecit, quòd sacrum illud adiissent. Testantur hæc Acta proconsularia fidelissima; ubi persecutionis causa ita exprimitur: *Temporibus Diocletiani, & Maximiani, bellum diabolus Christianis indixit, isto modo: ut sacrosancta Domini testamenta, Scripturasq; divinas, ad exurendum peteret, Basilicas Dominicas subverteret, & ritus sacros, cætusq; sanctissimos celebrari Domino prohiberet.* & hoc est quod modo dicebam; quicquid Christum Dominum, aut cultum ejus spectabat; id omne, omnes inferorum portas, diabolo suasore, turbasse. Quid fuerint hi *cætus sanctissimi Domino celebrari* soliti, jam sæpè in Traiano, Gallo & Volusiano, Valeriano, aliisque; Ecclesiam persequentibus dictum: & optimè, hoc anno, Christiani, qui pro illis passi sunt, declarabunt; qui ad tribunal adducti, constantissimè affirmabunt Christianum hominem, sine Sacrificio esse non posse.

Apud Baron. hic n. 31.

MARTYRES ALUTINENSES

Acta suprà n. 39.

Ita igitur, de Martyribus, qui ex Alutinensi civitate Carthaginem ducti sunt, in Actis legitur: *Cum ab Officio Proconsuli offerrentur suggereturq;, quod à Magistratibus Alutinensium transmissi essent Christiani; qui contra edictum Imperatorum & Cæsarum, Collectam Dominicam celebrassent. Primum Proconsul Dativum interrogat; cujus esset conditionis, & utrum collectam fecisset? Qui cum se Christianum, & in Collectâ fuisse profiteretur; auctor ab ipso collectionis sanctissimæ postulatur. Statimq; jubet Officium, eundem in equuleum sublevare, extensumq; ungulis præparare. Sed cum carnifices jussa crudelia, atroci velocitate, complerent; saevientesq;, sævientes, invictis & denudatis ad vulnera Martyris lateribus, erectisq; ungulis imminerent: subitò sese per medium Thelica, fortissimus Martyr, tormentis subjecit, & clamavit: Christiani sumus nos, nos, inquit, collegimus.*

COLLECTA DOMINICA.

VI. SACRIFICIUM DOMINICUM.

Nota, Lector, in omni hac quæstione, Sacrificium Missæ, cui Martyres interfuerant, modò Collectam, modò Dominicum appellari: & auctor Collectæ, qui imprimis quærebatur, Sacerdos fuit. Unde sequitur in Actis: Proconsul ad Thelicam: *Quis est*, inquit, *author tecum congregationis vestræ? Qui crudelius sæviente carnifice, clarâ voce respondit, Saturninus Presbyter: Non quod illum prodiderit, quem adversus diabolum, secum dimicare cernebat; sed ut illi panderet, integrè se celebrasse Collectam, quando cum ipsis etiam Presbyter fuerat.* Quasi diceret, preces quidem fundere, nos laici in conventu possumus; sed Missæ sacrificium Sacerdotis ministerium postulat: & tunc demum integra collecta est, cum ille facit. Sequitur in Actis Dativi certamen, qui *pendendo in equuleo extensus, voce sæpius repetitâ, Christianum se esse, & Collectam fecisse, proclamavit.* Aderat Daovi soror Victoria, clarissima Christi Martyr, quæ etiam dicebat: *In Collecta fui, & Dominicum cum fratribus celebravi, quia Christiana sum.* Tum Saturnious Presbyter in medium adductus, *dicente Proconsule: Tu contra jussionem Imperatorum & Cæsarum fecisti, ut hos omnes colligeres. Respondit Domini spiritu suggerente: Securi Dominicum celebravimus. Proconsul ait: Quare? Respondit: quia non potest intermitti Dominicum.* & post aliqua: *Anullinus Proconsul in Presbyterum versus: Quare contra præceptum, inquit, faciebas, Saturnine? Cui Saturninus: Intermitti Dominicum non potest ait. Lex sic jubet.* & iterum idem interrogatus; idem respondit: *Lex sic jubet, lex sic docet*, inquit. *O admiranda satis & prædicanda Presbyteri Doctoris responsio! Legem sanctissimam etiam in tormentis Presbyter prædicat, pro quâ libenter supplicia sustinebat.* Intellexit sine dubio Ecclesiæ præceptum, quo Missæ Sacrificium, supremus Dei cultus, Deo offerri, statuto tempore, jubebatur. Et sanè post annum alterum Concilium Eliberinum in Bæticâ can. 21. pœnitentiam imposuit qui diebus Dominicis, ad Ecclesiam non accederent. Fortè etiam, quia in Dominica semper, Christi Domini corpus, in Sacrificio, Deo offerebatur; ideo Collecta sic habita, Dominicum dicebatur. in quod tanto religionis, & pietatis impetu, Christiani ferebantur hoc sæculo; ut sine illo, nec esse, nec vivere voluerint. ut videre est in martyre Emerito, à quo cum Proconsul quæreret ita *In tuâ*, inquit, *domo Collecta facta sunt contra præcepta Imperatorum? Cui Emeritus, sancto Spiritu inundatus. In domo meâ, inquit, agimus Dominicum. At ille: Quare permittebas, ait, illos ingredi? Respondit: quoniam fratres mei sunt, & non poteram illos prohibere. Sed prohibere illos, inquit, debuisti. At ille, non potui, ait: quia sine Dominico esse non possumus.* Ita ille: & in eundem sensum Felix è Martyribus alter, cum clamasset Christianus sum: Proconsul ad eum: *Non quæro an Christianus sis, sed an collectam feceris, vel scripturas aliquas habeas? Christianus utrum sis tace, & addidit. Si in Collectâ fuisti? Respondit: quasi Christianus, sine Dominico esse possit, aut Dominicum sine Christiano celebrari? An nescis, satana, in Dominico Christianum, & in Christiano Dominicum constitutum, ut nec alterum sine altero valeat esse?* Fuit inter hos illustrissimos Martyres, & alter Felix; de quo in Actis ita. *Iunior Felix, spem salutemq; Christianorum, Dominicum esse proclamans, fustibus similiter cæditur, & ait: Ego devotâ mente celebravi Dominicum; collectam cum fratribus feci, quia Christianus sum. Qua confessione meruit etiam ipse fratribus consociari.*

Baron. n. 47.

n. 48.

Acta apud Baron. n. 49.

Supr. n. 53.

VII. DOMINICUM

Volui hæc omnia, ex rebus hujus anni gestis referre; quia admodum illustrant Christianam &

Christianorum proprium.

orthodoxam fidem. Sunt enim hodie, nescio qui de religione imperitè philosophantes; qui se præ omnibus Christianis maximè orthodoxos, & puram putam primorum sæculorum fidem servare, gloriantur. Quos si in hujus sæculi lucem produxeris, & ex constantissimorum Martyrum fide metiaris, nec orthodoxos, nec Christianos esse, facilè eviceris. Dicant enim illi, qui è Christianâ Rep. Sacrificium sustulere, & sine Dominico esse contendunt; quâ ratione, Christiani esse, aut dici possint; cum toties præfati Martyres clamaverint, *sine Dominico*, Christianum esse non posse? Quod inde sine dubio dictum est, & ex ore Christi exceptum: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Christianorum ergo vita, in Dominico est: & sine dubio mortui sunt, & in Christianorum numero minimè censendi, qui Dominicum non habent; quod olim Martyres tam piè, etiam cum vitæ fortunarumque jacturâ quæsiverunt. Nec prodest fuga ad Calvini cœnam, quam Dominicam esse mentiuntur; quia ubi nulla Sacrificii sanctitas, nulla carnis Christi & sanguinis majestas; sed nuda tantùm sunt elementa: latere ibi Christianorum vita non potest. Unde ad illos Cyprianus ait: *Locuples & dives Dominicum celebrare te credis, quæ Corbonam omninò non respicis: quæ in Dominicum, sine Sacrificio, venis?* Quasi diceret: unius Sacrificii causa ad Dominicum venitur: & quia Christi ibi corpus, caro, sanguis, à fidelibus sumitur, ut vitam habeant, & abundantiùs habeant: ideo extrema quæque subeunda potiùs, quàm intermitti debeat Dominicum.

Ioannis 6. 54.

Dominicum Sacrificium significat.

Cyprian. de operibus & eleemo.

VIII. Quod si adhuc restitas, & mentes hujus sæculi vis penitiùs introspicere: repete calices aureos, & argenteos, urceola, lucernas, & sacram illam supellectilem, quam Diocletianus suprà persecutus est: vide sanguinem in scyphis fumantem: Recole causam cur Cornelius, Stephanus, Sixtus, Romani Pontifices, capite truncati sint: & hoc unum invenies: *Sacrificium intermitti non debuit.* Illud, inquam, Sacrificium, quod in omni loco offerendum, post Christi adventum, prophetæ prædixerant: & ideo, omni hactenus sæculo, celebratum est, ut suprà vidimus. Cæterùm ideo Dominicum appellatum est; quia Sacrificii medulla ac substantia; Christi Domini corpus, & sanguis erat. Cujus etiam unius causâ, non solùm Collecta ipsa, sed domus, ubi Collecta fiebat, Dominicum appellatum est, ut testatur Eusebius, ita scribens, de laudibus Constantini: *Servator confestim trophæa victoriæ, ubique terrarum erigenda, mundum universis sacrosanctis templis, augustisq́; Ecclesiarum ædificiis adornandum, in singulis urbibus, pagis, regionibusq́; omnibus, atque adeo in desertis barbarorum locis, ædes sacras & templa uni omnium Deo, atque universarum rerum Domino dedicanda consecrandaq́; curavit. Unde etiam templa quæ erant ei consecrata, Domini nomen obtinuerunt. quod nomen non ex hominibus, sed ex ipso omnium Domino illis fuit impositum, & propterea DOMINICA sunt appellata.* ita ille, qui græcè scribens, templa hæc Κυρίακα vocat. quæ vox, non Orientem modò, sed plures etiam Occidentis provincias implevit. nam Germani omnes, & qui inde originem ducunt; templa adhuc per Kyrke efferunt, & nos Church, corruptissimè: κ solum in χ converso, nam ipsylon per u efferre vulgare est. porro vocem hanc à græco descendere non est dubium.

Et templum.

Euseb. de laud. Constant.

IX. Jam verò, si Ecclesiasticarum consuetudinum origines causasque inquiris; unde templa, & hæc Dominica, tam augustè constructa, dedicata, & nuncupata sint, & quem in finem: facilis est responsio: quia augustissimo, & divino prorsus Sacrificio loca ista parabantur: & gloria Domini, non ut olim, in Hierosolymitano templo, in nube & caligine: non in ænigmate aut figura; sed in verâ certaque corporis præsentiâ, habitare nobiscum debuit. Quare si olim, tam in naturæ lege, quàm Mosaicæ, ad pecudes & animalia immolanda, posita sunt altaria; & ad colligendum populum, muniendumque contra aëris inclementiam, circumsepta: Id multò sanctiùs fieri decuit in lege gratiæ; ubi Dominica caro, hypostaticè Deo unita, quotidie immolatur. hanc causam construendorum altarium, & templorum, significat Eusebius, his verbis: *Quis alius*, inquit, *solo nostro Servatore excepto, Sacrificia rationalia, sanguinisq́; expertia, precibus & arcanâ quâdam divinæ laudis celebranda ratione, suis discipulis obeunda tradiderit? Quâ de causâ, tum altaria in toto Orbe terrarum constructa sunt: tum augusta, sanctaq́; Ecclesiæ ædificata.* quasi diceret: cruenta olim fuere Sacrificia, cum irrationalia animalia offerrentur: nunc contrà, rationale Sacrificium, & incruentum, discipulis Christus commendavit, arcanâ prorsùs ratione celebrandum: & hinc erecta ubique altaria, structaque templa: & quia augustum est Sacrificium; ideo augusta sunt templa: quæ quia ubique Christus Dominus, offertur, immolatur, colitur: *Dominica* appellantur.

Unor Templorum splendor.

Euseb in laud. Constant.

X. Vide Lector pulcherrimum Ecclesiasticæ œconomiæ ordinem, gradumque. Præstantissimus religionis actus, Sacrificium est, & altare requirit, in quo oblata reponantur: & quia Sacerdoti populus accedere debet; & vota precesque conjungere, colligi debet sub uno tecto, quod templum dicitur. Sic tria vides in Ecclesia: Sacrificium, altare, & denique templum: quæ tribus primis sæculis, etiam in fidei aurorâ, illustria fuerunt: quod quarto hoc sæculo, sub Constantino, illustrissima. Vis jam videre gradationem alteram, quam nova Calvini factio, dudum retexuit, imprimis Sacrificium omne antiquavit; inde gradu facto, altaria destruxit; & demum templa fastidit. Ita se Ecclesiam reformare gloriantur. Et sanè, si primum impietatis gradum concesseris; hoc est, si nullum in Ecclesia Sacrificium admittis; verum, inquam, reale, ac materiale; frustrà est altare. imo frustrà sunt templa quæ tegendis altaribus enata sunt. Consequenter ergo Calvinus philosophatus est qui omnia, refixit: propiusque ad Diocletianum accessit, qui Dominicum & Collectam fieri prohibuit, qui calices aureos, & argenteos; & omnem Ecclesiasticæ majestatis apparatum, qui altaribus serviebat, sustulit. Imò non malè prima sæcula Calvinus appellat: in eo solùm falsus; quòd Christianis & Martyribus consociari, conjungique in fide cupiat; cum reverà infidelibus, & Christianos persequentibus succenturiandus & adjungendus sit; ut patet ubique è supradictis: nec opus alio argumento.

Oeconomia Ecclesiastica.

A Calvino evertitur.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1055.

ANNUS CHRISTI 304.

MARCELLI PAPÆ 1.

CONSTANTII ET GALERII IMPP. 1.

I. DIOCLETIANUS IMPERIUM DEPONIT. CUM MAXIMIANO.

CONSTANTIUS IMPERAT.

MARCELLINUS MARTYR. MARCELLUS PAPA. AGNES VIRGO ET MARTYR.

ANNO quarto ſupra trecenteſimum, Diocletiano IX. & Maximiano VIII. Conſulibus: in utraque Rep. facta eſt mutatio: cum Diocletianus, & Maximianus Herculius; ſive purpuram pertæſi, ſive illam comitantia, eandem deponunt: ille Nicomediæ in Oriente, iſte Mediolani. Diocletianus Galerium Maximianum ſubſtituit, & præeſſe jubet Orientis provinciis: Maximianus Conſtantium nominat, & præficit Occidenti. ubi, inchoata ſemel perſecutio, in illam altitudinem ſurrexerat, & ingenti ventorum impetu, adeo fluctus intumuerant; ut quantumvis obnitente Conſtantio, ſubſidere tamen non potuerint aliquot annorum induſtriâ. Itaque cum Conſtantius adhuc in Britanniis ageret, & procul urbe, Marcellinus, Romanæ urbis Pontifex, martyrio coronatur: & in locum ejus Marcellus intravit. Agnetis quoque ſanctiſſimæ virginis triumphus, ad hæc tempora refertur: quæ Romæ paſſa, teſtis eſt, Diocletiani edicta poſt Diocletianum duraſſe. Nec debet Conſtantio ſeveritas imputari: quia Romanæ urbis Magiſtratus, priorum Imperatorum juſſa exequentes, à Conſtantio procul poſito, ægrè cohiberi potuerunt.

II. *Eutropius l. 10.* EXCUSATUR CONSTANTIUS.

Baron. an. 306. n. 7.

Sed multò magis veniâ dignus eſt Conſtantius, ſi verum eſt quod habet Eutropius, in Breviario: *Conſtantius,* inquit, *contentus dignitate Auguſti, Italiæ atque Africæ adminiſtrandæ ſolicitudinem recuſavit, vir egregius & præſtantiſſimæ civilitatis; divitiis provincialium ac privatorum ſtudens, fiſci commoda non admodum affectans.* Si ipſe inquam, Italiam ceſſit Galerio, non poterat legem refingere, quam, contra Chriſtianos, Diocletianus fixerat. Scio quidem Baronium opinari, falli Eutropium; & Galerium potiùs Italiæ Africæque imperium uſurpaſſe, quàm ceſſiſſe Conſtantium. Ait enim: *Conſtantius itaque cum ab urbe receſſit, in Britanniam profecturus; non ceſſit imperio, ſed receſſit, relinquens ibidem filium Conſtantinum, ut adhuc ætate junior, imperio aſſueſceret. quem ſuum Conſtantius hæredem fore animo deſtinaverat.* Suppoſuit author Conſtantium in urbe fuiſſe, cum factus eſt Auguſtus. quod nuſquam reperi. Nec video quid illum eò traxerit, cum Maximianus non ibi, ſed Mediolani exuerit purpuram: & Conſtantius ſemper in Galliâ, Britanniaque, non alibi hoc tempore fuiſſe legatur. ita Zoſimum intelligo dum ſcribit: Conſtantium *apud Nationes tranſalpinas, & in Britannia plerumque vixiſſe.* & Eutropium: *Conſtantius,* inquit, *non modo amabilis, ſed etiam venerabilis Gallis fuit; præcipuè quod Diocletiani ſuſpectam prudentiam, & Maximiani ſanguinariam temeritatem, imperio ejus evaſerant.* quæ arguunt in illis partibus aſſiduam Conſtantii moram, & ex morâ amorem. Unde ſi non ceſſit imperium Italiæ, ſaltem reliquiſſe videri poteſt. Et quidem, quod ad hunc annum ſpectat, Conſtantium in Britanniâ fuiſſe, Gordonius diſertè affirmat, qui cum Martyres recenſuiſſet, Conſtantius, inquit qui favebat Chriſtianis inter hæc aberat in Britannia.

Zoſim. l. 2.

Eutrop. l. 10.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1056.

ANNUS CHRISTI 305.

MARCELLI PAPÆ 2.

CONSTANTII ET GALERII IMPP. 2.

I. MARTYRES IN ITALIA.

Baron. hic n. 2.

HIc etiam annus trecenteſimus quintus, Conſtantio & Galerio V. Coſs. plurimorum Martyrum coronis illuſtratur: non modò in Palæſtinâ, & toto Oriente, qui Galerio parebat: ſed in Italiâ quoque, ubi Januarii & Sociorum conſtantia eminuit. *Quantumlibet enim Conſtantius Imperator* (loquitur Baronius) *Occidentalis orbis regimen adminiſtraret: in extremis tamen mundi partibus, ipſo agente, ſcilicet in Britanniâ, aliiſq; eius occiduis: res Italiæ, ex Galerii Maximiani ſententiâ, regi potiùs videbantur.* Non potuit certè Conſtantius, Chriſtianis, ibi laborantibus, manum porrigere; qui Conſtantino filio, ſub Galerii tyrannide periclitanti, timebat. Galerius enim juvenem videns ad magna natum, & indies ad majora adoleſcentem; obliquo ſatis oculo illum aſpiciebat; tendebatque frequentes inſidias, quarum meminit Euſebius, ut infrà dicemus.

II. CONSTANTINUS IN SARMATAS PUGNAT. ET IN DUCEM BARBARUM.

Paneg. 9.

Illud memoria dignum accidit, quod narrat Zonaras, & poteſt inter inſidias recenſeri; factum hoc anno trecenteſimo quinto, cum juſſus eſt Conſtantinus contra Sarmatas pugnare: nec illud ſolùm: ſed voluit Galerius, eum cum Duce barbaro in ſingulare certamen deſcendere. Tunc enim, Deo duce, Victor Conſtantinus, ſuperato hoſte; armaturâ inſigni, vivum illum ad Galerium detulit, ceſſitque in ingentem laudem quod exitio ejus parabatur. Nam *periculo illi putatur expoſitus à Galerio, ut ſic interiret,* inquit ad hunc annum Gordonius. Laudavit hanc Conſtantini fortitudinem Eumenius, in panegyri, illa ſententiâ: *Quamvis te,* inquit, *ſuper omnes acquirendæ gloriæ moras fortuna poſuiſſet; creſcere militando voluiſti; & adeundis belli periculis, ac manu, hoſtibus, etiam ſingulari certamine, conſerenda, notiorem te gentibus reddidiſti, cum non poſſes eſſe nobilior.* illuſtriſſimum Conſtantini facinus recenſet Zonaras Annalium II. reliqua quæ ad inſidias ſpectant, referam anno ſequenti. nam tunc potiùs, quàm præſenti anno, illum ab inſidiis omnibus tutum, in Britanniam navigaſſe probabilius eſt; licet hunc quoque annum aſſignet Gordonius.

III. S. AUGULUS MARTYR.

Martyrol. Anglican. 7. Febr.

Ro. Martyro 7. Febr.

Baron. in notis ad 7. Febr.

Hoc eodem anno trecenteſimo quinto, Sanctus Augulus, Londinenſis Epiſcopus, martyrio coronatus ponitur in Martyrologio Anglicano. Quod ita intelligendum eſt, ut in nuperâ perſecutione, multa, Chriſti causâ, perpeſſus, domo exul, conſtansque in fide, hoc demum anno, martyrii ac confeſſionis ſuæ præmium acceperit. De illo ita legitur in Romano Martyrologio, ad ſeptimum Februarii. Auguſtæ in Britannia, *natalis Beati Auguli Epiſcopi,* qui ætatis curſum per martyrium explens, æterna præmia ſuſcipere meruit. mentionem ejus faciunt eodem die Beda, Uſuardus, Ado Viennenſis, Wandelbertus, Rabanus, Petrus in catalogo, & deniqúe Baronius; qui benè advertit obſcurum eſſe, quo tempore obierit. quod certè non mirandum, cum plurimorum Martyrum certamina, & paſſiones, injuriâ temporum prorsùs perierint; ut vix eorum nomina ſuperſint. Eſt qui multis conatur

Broughton. 1 cent. c. 18 n. 4.

probare? Augulum, non huc, sed ad primum sæculum referendum, factumque fuisse Episcopum, ante Lucii Regis tempora. probat author opinionem suam, è Romano Martyrologio, ubi Londinum Augusta vocatur: quæ urbs, inquit, ante Lucium, non ita post, Augusta dicebatur. Sed fallitur. nam diu post Lucium, Londinensis urbs, in probatis Authoribus Augusta nominatur. Ammianus Marcellinus ita loquitur: *Theodosius Dux nominis inclyti, ab Augustâ profectus, quam veteres appellavere Lundinium, cum milite, versis turbatisq; Britannorum fortunis opem maximam tulit.* Non est ergo opus S. Auguli martyrium ad prima tempora ut ille: vel ad Decii imperium, ut alii apud Usserum, referre: quia salvâ Augustæ appellatione, quæ Lundinio posterior fuit, potest Diocletianum expectare, qui primus Britanniam eâ gloriâ illustravit: nec etiam debet Albanum præcedere, qui omnium consensu Protomartyr fuit. Stet ergo passionis dies, & annus, in nostro Martyrologio notatus, donec meliore argumento, alibi consignetur. & emendentur Codices, qui Londinensium Episcoporum nomina recensentes, antiquum hunc, & omnibus Martyrologiis notum Martyrem, omiserunt.

Marcellinus l. 28 c. 17.

Usser in primordiis fol. 988.

IV. Hunc Sanctum aliqui Augulium, vel Augulinum; alii etiam Augurium vocaverunt. Illum intellexit Petrus de natalibus lib. 3. cap. 105. ubi dicit: *Augulius Episcopus in Britannia, martyrium passus est. Hic enim Pontifex Augustæ civitatis Britanniæ, ætate ac viribus provectus, cursum temporis per martyrium complens æterna meruit suscipere præmia, VII. Idus Februarii. ut ait Ado.* Ita etiam Beda, in Martyrologio ad eundem diem. Addit Usserus in suis primordiis: *Non solum in Adonis, Ricemarchi, Bedæ: sed & Usuardi, Rabani, Wandalberti, Romano, nec non in Manuscriptis, tum Salisburiensis Ecclesiæ, tum Evechamensis, & Wintoniensis Monasterii Martyrologiis, ejusdem quoque Episcopi commemorationem factam invenimus.* Hinc corrige Genebrardum, in Calendarii Romani Chronologiâ, ad dictum diem Februarii; ubi, *Augurii Episcopi Hiberniæ, anno 361. sub Valentiniano excessum ponit.* nec enim Episcopus, Augurius dicebatur; nec erat Hiberniæ, sed Britanniæ Episcopus: nec anno Christi 361. Valentinianus aliquis: sed vel Constantius, vel Julianus Imperarunt. Corrige etiam Thomam Dempsterum, qui in historiâ Ecclesiastica Scotorum lib. 1 n. 40. Genebrardi Chronologiam sequens; non Hiberniæ, sed Scotiæ sua Episcopum facit. Ita quicquid Hibernis, scriptorum oscitantia tribuitur; Scoti rapiunt: nec Hiberni segniores; si quid Scotis ascribitur, assumunt sibi. Hos inter, si Britanni tacent, hoc modestiæ suæ præmium referent; ut quicquid ferè ab Humbro flumine, latè in Septentrionem porrigitur; quod est Britannici juris insulæque dimidium; debeat Scotis, Pictis, & Hibernis cedere. quod tamen Anglo-Saxones qui Northumbriæ potentissimum regnum, vel duo potius regna, Deirorum & Berniciorum condiderunt, falsum esse testabuntur. Sed quicquid sit; a rapina hac Augulus, qui Londini sedit, eximius est. non sub Decio passus, ut putat Constantinus Chinius, in suis Sanctorum Canonicorum natalibus, apud Usserum: sed potius, multa passus Diocletiani & Maximiani temporibus: hoc demum anno 305. martyr, hoc est, e sæculi hujus dialecto, orthodoxæ fidei testis moritur: & successorem accipit Ilstutum nomine: de quo non aliud proditur, quàm quod Londini aliquando, sub hæc tempora, sederit; & opinor sequutus est S. Augulum, quem Jocelinus omisit, Londinensium Episcoporum seriem texens. Cæterùm quia Jocelinus omisit etiam Restitutum inter Episcopos nominare; quem tamen hoc sæculo Londini sedisse, & Arelatensi Synodo adfuisse constat. Quid ni opinari liceat, Ilstutum hunc, alio nomine, ab externis appellatum esse Restitutum?

Usser. in primordiis fol. 1046.

Genebrardus in Chronolo.

Usser. fol. 988.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1057.

ANNUS CHRISTI 306.

MARCELLI PAPÆ. 3.

CONSTANTII ET GALERII IMPP. 3.

I. Constantii suprema expeditio.

SEQUITUR annus, & Constantii morte, & Constantini Imperatoris exordio celeberrimus; nimirum Christi trecentesimus sextus Constantio & Galerio VI. Coss. Agebat tunc Constantius in Trinobantibus; & australi Britanniæ parte ubi olim Helenam adamaverat: cum nescio quis in Septentrione motus, jam fessum ætate virum, ad prælium excivit. Quò illa demum profectus est; non, ut cæteri Imperatorum, ad ambitiosam victoriam & cognomina, sed ut civibus, quietem; Christianis, pietatis exercitium; omnibus denique fælicitatem procuraret. Innuit hoc Eumenii panegyrica oratio, quæ Constantino filio, expeditionis hujus causam exposuit, ita: *Constantii suprema illa expeditio, non Britannica trophæa, ut vulgò certum est, expetivit. sed, DIS jam vocantibus, ad intimum terrarum limen accessit. Neque enim ille, tot tantisq; rebus gestis, non dico Caledonum, aliorumq; Pictorum silvas, & paludes; sed nec Hiberniam proximam, nec Thulem ultimam, nec ipsas, si quæ sunt, fortunatarum Insulas, dignabatur acquirere. Sed (quod eloqui nemo voluit) iturus ad Deos, genitorem illum Deorum, fluctibus suis, ignea cæli astra resoventem, prospexit Oceanum; ut fruiturus deinde luce perpetuâ; jam videret illic diem, penè continuum.* Hæc ille de ultimo Septentrione nostro; ubi ut idem Author ait: *Longissimæ dies, & nullæ sine aliqua luce noctes; ut sol ipse, qui nobis videtur occidere, ibi appareat præterire.* Et habes hoc loco, *ultimam Thulem,* non ad Islandiam pertinere; ut plerique putaverunt. nec ad Morinos, ut nuper Ja. Malbrancque: sed Insulam esse juris Britannorum, ultra Catenesiam, quam Schetlandiam dicimus, Bergarum Norwegiæ litori appositam. *In ea* (loquitur Pomponius Mela) *quod sol longè occasurus exurgit, breves utique noctes sunt.* quod de Britannis dici, supra è Tacito, & aliis ostendi.

Paneg. 9.

Malbrancque l. 1. de morin. c. 11.

Mela apud Camden

An. 204. 2. & 274. 79.

II. Constantius ad mortem se parat. Christiano more.

Vix bellum Constantius confecerat; & Caledonios Pictosque (non alius adhuc populus nominatur) summoverat; cum Eboracum reversus, in morbum incidit. unde facilè conjectare poterat, vir multæ ætatis, supremum vitæ tempus adesse. Quamobrem Christianæ religionis institutum, Helenæ suasu, amplexus, ad mortem se Christiano more composuit. Sed præstat audire Eusebium, qui multò enucleatius omnia explicat; & solùm invidiosissimè tacet Britanniæ nomen. Ita igitur ipse de Constantio: *Qualis*

Euseb. in vita l. 1. c. 21.

autem

autem exitus eum, qui talem ſe erga Deum oſtenderit, ſit conſecutus; quamque moribus, & vita diſſimilis eorum, qui ejuſdem imperii, cum eo, participes fuerunt, à Deo quem ſedulò coluit factus; cuiquam in naturam & conditionem rerum ab illis geſtarum, aciem animi intendenti, eſt ad intelligendum perfacile. Nam cum jam longo temporis ſpatio, eximia & ſpectara ſatis regiæ virtutis indicia dediſſet; tandem repudiatâ penitus impiorum, in variis diis colendis, ſuperſtitione; Deum omnium moderatorem ultrò agnovit. Addit Euſebius, ut familiam muniverit ſanctorum virorum precibus, illamque uni Deo conſecraverit, & quia cum familiâ & liberis conjugem nominat, collegi ſuprâ, Helenam adfuiſſe; quæ mulier pientiſſima, & Conſtantii converſioni, & procurationi familiæ, manum porrexerit, omnemque operam.

An. 302. 6.

III. De hærede deliberat.

Unum Conſtantio deerat ad fælicitatis cumulum, & quietam mortem: Conſtantinus aberat, primogenitus filius, cui, nonobſtante divortio, omnia deſtinaverat. Ille Romæ, à Galerio, in religionis ſpeciem, obſes tenebatur; dolebatque parens, & vicem ejus, & aliorum filiorum, è Theodorâ ſuſceptorum, inertiam. Hic (ſi Zonaræ credimos) docetur ab Angelo Conſtantius, quem regnorum ac imperii ſcribat hæredem. *Fertur*, inquit ille, *Conſtantio ægrotanti, & ob cæterorum filiorum ineptam indolem mæſto, Angelum aſtitiſſe, qui juberet, ut Conſtantino relinqueret imperium.* Fuit enimvero hic Angelus, Britanniæ tutelaris, qui ita pro Conſtantino advocavit; quem vidit & Inſulæ, & univerſæ quoque Eccleſiæ futurum ornamentum. Neſcio, an eò reſpexerit Eumenius; qui decretum Conſtantino imperium, cælo prodigiis favente, affirmare videtur, cum dicit: *Sed cur privatis tantummodò tuis affectibus blandiamur; cum omnium Deorum fuerit illa ſententia; & quidem jam authoritate præſcripta, quæ tum pleno firmata ſit conſilio? Iam tunc cæleſtibus ſignis, ſuffragiiſq; ad ſalutem Reip. vocabaris.* Euſebius etiam, non ſemel affirmat, divino plane conſilio, relictum Conſtantino imperium. Et ſanè, detectæ deprehenſæque toties inſidiæ, Conſtantini ſuga, & acceſſus ad patrem opportunus; cum ille purpuram exueret; divinæ in eum voluntatis argumentum fuerunt. quod Euſebius ita expreſſit. *Conſtantinum quidem, cum illi, qui tum rerum potiebantur, adoleſcentem generoſum, robuſtum, procerum, excelſo & erecto animo præditum, animadverterent; invidiâ ſimul fuerunt, & metu perculſi. Quâ re inducti, tempus opportunum obſervant ſedulò, quo gravi aliquâ contumeliâ eum afficiant. Quod quidem adoleſcens animadvertens (ſiquidem Dei nutu, inſidiæ contra eum comparatæ ſemel, & iterum fuerunt perſpicuè deprehenſæ) fugâ ſalutem quæſivit. Atque in ea re exemplum magni prophetæ Moyſis eſt probè imitatus. Deus etiam omnia ejus cauſa faciebat; providè proſpiciens, ut in tempore præſtò eſſet, ad patri ſuccedendum.*

Zonaras l. 2. Annal. in Diocleti.

Eumen. paneg. 9.

Euſeb. l. 1. vita c. 14.

IV. Conſtantinus in Britanniam venit.

Addit Aurelius Victor, egregium Conſtantini facinus, quo fugâ ſe periculo ſubduxit. nimirùm eum ad fruſtrandos inſequentes, juſſit publica jumenta, quaquâ iter ageret, interfici: & ita demum, cum nemo fugientem aſſequi poſſet; in Britanniam pervenit: adeo felici, adeo properato itinere, † *ut non advectus curſu publico; ſed divino quodam advolaſſe vehiculo videretur*, inquit Eumenius. Cæterùm, quali gaudio, ex inſperato chariſſimi filii conſpectu, perfuſus fuerit parens Conſtantius; & quâ amoris ſignificatione venientem exceperit, Euſebius ita narrare pergit. *Poſtquam filium ex inſperatò adeſſe vidit Conſtantius, exiliens cubili, eum complexus eſt; atque illud, quod ſibi jam vitam edituro, ſolum triſtitiam attulerat (filii nimirum abſentia) ſe ex animo jam ejeciſſe aſſeruit: preceſq; propterea, cum gratiarum actione, Deo obnixè fudit. Iam vero mortem pluris propè, quàm immortalitatem æſtimare ſe dixit: ac tandem familiam ſuam, reſq; univerſas ordine diſpenſavit. Atque in medio filiorum pariter, & filiarum, ipſum inſtar chori, undique cingentium, ſe ſtatuens; & in ipſâ regiâ, inq; regio cubili decumbens, regni hæreditate filio, qui reliquos ætate antecibat, communi lege naturæ traditâ, deceſſit è vitâ.* Hucuſque Euſebius.

Victor de Cæſarib. c. 40

† Eumen. paneg. 9.

Ad moribundum parentem. Euſeb. l. 1. c. 15.

V. Conſtantius inter Divos refertur.

Conſtantium à Romanis inter Deos relatum ſolitis cæremoniis multi affirmant; & illud inſigne argumentum eſt, quod in ſubjecto nummo Londini cuſo, Divus appelletur, additâ templi effigie in hunc modum:

Nummus XVI. Camd



Templi forma, & binæ aquilæ, apotheoſin ſignificant; ut patet ex iis quæ ſuprà ex Herodiano notavimus. Literæ vero P. LN. planè ſignificant pecuniam Londini cuſam: ubi FELICEM Conſtantii MEMORIAM æterno argumento conſtare ejus ſubditi voluerunt. Eumenius etiam infrà citandus Conſtantium vocat *Principem conſecratum*. Unde in Britanniâ, à Romano milite conſecratum eſſe, dicendum eſt.

An. 213 8.

Hic n. 8.

VI. Conſtantii funus.

Sed multò rectiùs, Conſtantio patri parentavit Conſtantinus filius: de quo ita Euſebius: *Deinde*, inquit, *magnâ paternorum amicorum turbâ, eum comitante, funeri præivit, patremq; produxit. Quem etiam populi infinitâ multitudine militumq; conſtipante agmine; partim antecedentium, partim ſubſequentium genitorem ſanctiſſimum, cum omni ſplendore, & maximâ pompâ extulit. Fauſtis acclamationibus, ſuavi hymnorum concentu, omnes beatiſſimum illum celebrant.* Ita ſepultus eſt Conſtantius, in Eboracenſi urbe. *Nam fide digni nobis retulerunt*, inquit Camdenus in Brigantibus; *cum patrum memoriâ Monachorum ædes Eboraci diruerentur, in cryptoportico ædiculæ, in quâ Conſtantium ſitum fuiſſe opinio erat, lampadem ardentem repertam fuiſſe. Veteres enim auro, in pinguedinis liquorem, arte ſoluto, diutiſſimè, & per multa ſæcula arſurum ignem in ſepulchris foviſſe ſcribit Lazius.* Illi igitur falſi ſunt, qui ſepultum Conſtantium in Ordovicibus putaverunt, apud Nivicollinos (ita Snoudoniæ incolas vocat Joannes Sariſberienſis.) Nec poteſt de Conſtantio intelligi, quod ſcribit Florilegus ad annum Chriſti 1283. *Apud Caernarvan, propè Snovvdon, corpus Maximi Imperatoris, patris Imperatoris nobilis Conſtantini, erat inventum, & Rege jubente, in Eccleſiâ honorificè collocatum.* Verius id, de altero Conſtantio, ejus. nam noſter hic, ex omnium ferè hiſtoricorum conſenſu, Eboraci mortuus, & tumulatus eſt. Nimis quidem refert monſtrari ſepulchrum ſenioris ad

Euſeb. l. 1. c. 16.

Eboraci. Camden. in Brigantib.

Io. Sariſber. in Polycrat.

Flored. 1283.

urbem quæ vocatur Kair Segeint. Sed locus ille propè Caernarvon est, & eodem recidit nam quis nescit magnorum virorum corpora à multis vindicari.

VII. CONSTANTINUS IMPERATOR ELIGITUR.

Constantio vitâ functo, Constantinus filius omnium ordinum suffragio, legitimos ejus hæres, & successor in imperio, eligitur: quod pro Constantini natalibus, patriaque admodum facit. Etenim Constantius, è Theodorâ Maximiani Heraclei privignâ, plures liberos susceperat, Constantium, Galli & Juliani patrem, Dalmatium, Annibalium; addunt aliqui alium Constantinum: Constantiam quoque, quæ Licinio nupsit, & Eutropiam, filias. His tamen omnibus prætermissis, uni Constantino relicta hæreditas, arguit illum non solum legitimum Constantii filium, sed priorem & potiorem cæteris fuisse, tam ætatis privilegio, quàm jure natalium. Quod Eusebius suprà insinuat, cùm dicit, Constantium decessisse, *regni hæreditate, filio qui reliquos ætate antelbat, communi lege naturæ traditâ.* Nisi velis verba illa, & communem naturæ legem ad Britanniæ regnum inflectere, quod sine dubio jure Helenæ, Constantino debebatur: & in eum, naturæ lege descenderat, potiùs quàm Romani orbis imperium; quod vel militum suffragio, vel Senatusconsulto rogabatur frequentissimè. Intellexit hoc fortè Eusebius, cum plures Constantino titulos accumulat ita: *Extemplo*, inquit, *secundo, & prospero applausu, novum Regem, Imperatorem, & Augustum, ipsâ primâ voce contentiùs prædicant. Quibus acclamationibus, tam auspicatò in filium editis, patri mortuo nonnihil ornamenti allatum est.* (Euseb. l. 1. c. 10.) Constantinus interim Regis titulo, Cæsaris & hæredis Constantii, contentus; Imperatoris, & Augusti nomen, modestissimè declinavit: & licet postea, etiam miles purpuram injiceret, noluit tamen illam Constantinus induere, ut mox dicam. nam priùs defuncti principis tabulas, & ultimam ejus voluntatem inspiciam; & videbo, cuinam non tam Britanniæ regnum, quod sine dubio Helenæ filio debitum fuit; quàm orbis imperium, reliquerit.

SED IMPERATORIS NOMEN DECLINAT.

VIII. LICET DATUM A CONSTANTIO.

Quantumvis Constantio morienti adessent liberi omnes, è Theodora suscepti; & licet Maximianus etiam, qui Theodoram Constantio conjugem dederat, in vivis esset, qui privignæ jura, & matrimonii leges urgere posset: Constantius tamen, Rom. orbis imperium in unum Constantinum voluit descendere. Testatur hoc Eumenius: & factum probat: *Quinimmo*, inquit, *sententiam rogatus Constantius, cui Imperium decerneret; dixit, ut decebat Constantium Pium. Manifestè enim sententia patris electus es Imperator.* (Eumen. paneg. 9.) Cæterùm Constantii vocem miles probavit, ut idem Author affirmat. *Illico*, inquit, *atque ille* (Constantius) *terris fuerat exemptus; universus in te consedit exercitus, te omnium mentes oculiq; signarunt: & quamquam tua, ad seniores principes, de summâ Resp. quod fieri placeret retulisses; prævenerunt tamen studio, quod illi mox judicio probaverunt. Purpuram statim, tibi, cum primum copiam tui fecit egressus, milites, utilitati publicæ magis, quam tuis affectibus servientes, injecere lacrymanti. Neque enim fas erat diutiùs fleri Principem consecratum.* (Eumen. suprà.) Quamvis autem hæc militum studia fuerint, ardorque injiciendi purpuram: Ille tamen, vel tantum Magistratum veritus; vel meliora animo versans consilia; imperium recusavit. videbat enim vir sagacissimus, sibi in extremo orbis, & procul urbe posito, difficilem fore provinciam; quam plures alii, & viribus instructiores ambirent. Quamobrem magnâ contentione purpuram abjecit. Testatur id panegyricus suprà, nec laudare factum videtur, cum maximè laudat. *Diceris*, inquit, *Imperator invicte, ardorem illum, te deposcentis exercitus, fugere conatus; equum calcaribus incitasse. Quod quidem, ut verum audias, adolescentiæ errore faciebas. Quis enim te Cyllarus, aut Arion posset eripere, quem sequebatur imperium.* (Eumen. suprà.) Noluit ergo Constantinus purpuram, licet per vim injecta fuisset, induere.

IX. CUR CONSTANTINUS IMPERATORIS NOMEN FUGERIT.

Cur Constantinus, Augusti nomen, & purpuram, noluerit; multa in causa esse potuerunt. Galerius Maximianus, Augustus & Imperator, qui duos crearat Cæsares, Galerium Maximinum, sororis filium, atque Severum; qui Italiam & omnem Orientem sub imperio tenebant: & Diocletianus, alterque Maximianus, illis magis, quàm sibi obnoxii, adhuc vivebant: eratque illis etiam nolentibus summa authoritas; futura major quotiescumque vellent. Itaque Constantinus, Regis & Cæsaris dignitate contentus, prudentissimè censuit, expectandum quoque eorum consensum, quorum interesse videbatur: Et quoniam paterna purpura, ab Herculeo Maximiano descenderat; illum sibi quavis arte conciliandum, & in partes suas trahendum, putavit. Habebat ille nubilem filiam, Faustam nomine: illam ergo sibi in uxorem, & purpuram in dotem petit, ratus illam cessuram, si melius Maximianus, qui eandem diu gestarat, patrique imposuerat, sibi quoque imponeret. Hanc ob causam, noluit impræsentiarum Imperator esse. Hanc Constantini mentem benè expressit Incerti panegyricus. *Tanta*, inquit, *tua, Constantine, maturitas est, ut cum tibi pater imperium reliquisset, Cæsaris tamen appellatione contentus, expectare malueris; ut idem se, qui illum* (Constantium) *declararet Augustum. Siquidem ipsum imperium fore pulchrius judicabas, si id non hæreditarium, ex successione cepisses; sed virtutibus tuis debitum, à summo Imperatore meruisses. Neque enim dubium, quin tibi maturè sacrum istud fastigium divinæ potestatis astrueret; qui te jam olim, sibi generum, etiam antequam petere posses, sponte delegerat.* (Paneg. 5.)

X. QUIS CONSTANTINI ORTUS IN BRITANNIA.

Hinc corrigendi sunt illi, qui Oratores panegyricos explicantes, volunt Constantinum, ex eorum mente, creatum esse Imperatorem in Britanniâ; quod suprà ostendi non constare; imo contrarium prorsus constare eorum menti verbisque: Non sum quidem nescius, Constantini Imperatoris annos, ab hoc anno numerari, & octavo Calendas Augusti, quando mortuus est Constantius pater, & omnis exercitus, eum Augustum nuncupavit: sed cum quæstio sit de mente Oratorum, qui Britanniam ingenti laude ornaverunt, ob ortum Constantini: & iidem affirment, illum extra Britanniam factum Imperatorem: non debet Constantini *ortus*, ab illis assertus, ad imperii ortum referri. quod iterum fiet manifestum, cum sequenti anno ad *ortum* illum pervenero. Interim dico, Constantinum absolvisse parentis victorias in Britanniâ; cum Pictos & Caledonios ad murum rebellantes pressit, adjutus ab Eroco Alamannorum Rege; qui Constantium in Britanniam sequutus est, *auxilii gratia*, inquit Aurelius Victor in Epitome. (Victor in Epitome c. 41.) Additque, ejus quoque imprimis operâ, consilioque, Constantinum imperium cepisse. nimirum

anno

anno sequenti. nam hoc anno Maxentius Romæ, Prætorianorum militum ope; & ratus Maximianum Herculium socerum suum, propitium conatibus futurum, audita Constantii morte, purpuram induit, dictusque est Imperator.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1058.

ANNUS CHRISTI 307.

MARCELLI PAPÆ 4.

CONSTANTINI IMP. 2.

I. ANNO Christi trecentesimo septimo (nam Consulatum inierat, unà cum Maximiano Augusto:) Constantinus Cæsar, confirmaturus sibi imperium; quod spe magis, quàm re, tenuerat; in Galliam trajecit. ubi primò classicum, deinde Hymenæum, felicissimè cecinit; & demum, veluti per eos gradus, ad imperium ascendit. nec enim avidè, aut uno impetu, subeundum putavit, illud majestatis fastigium: unde plures, inconsultò subeuntes, & pedem figere non valentes, cum ingenti periculo ceciderunt. Tutius ergo, vel cum Maxentio pacisci; vel Herculium ad se trahere, matrimonii spe; vel certè, conciliatis sibi provinciis, vi agere statuit. Maxentius, ejus in imperio consortium noluit; gnarus vitia, cum virtute, non posse consistere. quod Nazarius benè expressit, cum de societate hac agens, ita Constantinum Maxentio opponit. *Negata est*, inquit, *concordia; cui erat parata Victoria.* & paulò suprà: *Non dubito, quin hanc rationem cælestis prudentia duxerit; quod conjunctione suâ, flagrantissimas hominis cupiditates; vel extingueret penitus, vel modicè temperaret. Nulla quippe est libido tam vecors, quam non capiat, cum in consortium temperantia venerit. Dejicit oculos deformis ignavia; ubi ei pulchritudo virtutis objecta est. Tergiversari atque hærere petulantiam videas gravitate, modestiâ, & decore confusam. ut appareat te, Imperator optime, concordiâ impetrandâ, non illi impunitatem vexandæ urbis daturum; sed leniorem petisse Victoriam, cum malles vitia ejus, quàm arma superare. Sed profectò nulla vi possunt coire, quæ naturali divortio dissident: nec ulla tam fidelis est copula, quæ in diversum tendentia, nexu suo teneat. Perpendit scilicet secum excellens prudentia tua, eiq; semper pietas applicata, omnes concordiæ commoditates: illam esse fundamentum ac radicem otii, bonorum civium seminarium, quietis publicæ segetem, & almam pacis altricem. Sed, ò quàm æger est ad honestatem recursus his, qui jam gradum ex nequitiâ protulerunt! Vocas ad societatem appetitum tuum: refugit, adversatur, horrescit; nihil sibi putat tecum commune, quia nihil simile est.*

Constantinus in Gallia.

Cum Maxentio societatem petit. Nazar. pan. 7.

Non impetrat; et quare?

II. Hæc ideo allata sunt, ut qualis fuerit Constantinus appareat, & qua ratione viam sibi ad imperium straverit. Plures enim erant, hoc tempore, qui præesse ambiebant; Maximianus Armentarius, qui cum Constantio regnaverat: Maximinus & Severus, olim Cæsares; Maxentius etiam nuper evectus: & denique Herculius; qui auditâ Constantii morte, & Maxentii electione, Romam advolarat; vel sibi, vel filio, firmaturus imperium. Hi tamen omnes, licet viribus, & potentiâ magni, & provinciarum magnitudine studioque civium, Constantino majores; omnes tamen, post varias rerum vices, Constantino cessere: qui cum Deo, & virtute magis, quàm viribus, pugnabat. Severus, hoc anno, ab Armentario missus in Maxentium, insidiis circumventus, cervicibus laqueo fractis, occiditur ad Tres Tabernas. Id ægrè tulit Armentarius, & ejus loco Licinium, Dacia oriundum, Cæsarem dicit. Herculius interim, Remp. videns variis factionibus lacerari, Diocletianum ruri adhuc degentem convenit; docet, juvenum errore, omnia pessum ire: viro opus, qui purpuram cum laude gestet. Quod hactenus quietis rebus sibi solis vixerint, laudari quidem posse; non ita, si porrò pergerent; sinerentque, cum extinguere possent, incendium. Diocletianus, cum surdâ aure hæc omnia excepisset; Herculius, quo se verteret, nesciebat. nam Maxentio suspectus; aliis, aut ignotus, aut invisus erat. Nec aliud occurrit; quàm Constantini Cæsaris è Britanniâ profecti, viri domi militiæque clarissimi, gratiam promereri; quod, promissâ in uxorem filiâ, fecit. *Sed dolo composito*, inquit Eutropius, *tanquam à filio* (Maxentium intelligit) *esset expulsus; moliens tamen Constantinum, reperta occasione, occidere; qui in Gallis, & militum, & provincialium ingenti jam favore regnabat; cæsis Francis atque Alemannis, captisq; eorum Regibus; quos etiam bestiis, cum magnificum spectaculum muneris parasset, objecit.*

Imperii competitores, cum Constantino.

Severus occiditur.

Licinius Cæsar.

Herculius Maximianus imperium affectat.

Cum Constantino paciscitur. Eutrop. l. 10

III. Enimverò *à Constantii parentis obitu, cum necdum Augustum* (loquitur Baronius) *sed Cæsarem tantùm ageret Constantinus; duos compressit barbaros Reges, timoremq; universis incussit.* In Galliâ nimirum, ubi strenuè pugnasse, & rebelles insigni virtute pressisse laudatur, ab Authore incerto panegyrici. Ibi Constantinus filius, cum patre Constantio, confertur, & præfertur ita. *Fortitudinem illius* (Constantii) *jam tum in principiis consecutus es. Multa ille Francorum millia, qui Bataviam, aliasq; cis Rhenum, terras invaserunt; interfecit, depulit, abduxit. Tu jam ab ipsis eorum Regibus auspicatus es; simulq; & præterita illorum scelera punisti, & totius gentis lubricam fidem timore junxisti.* Nazarius etiam, sed paulò luculentiùs rem gestam, narrat, & Regum nomina à Constantino devictorum. ita eum alloquens, & hujus anni victorias explicans. *Tu Imperator optime, inito principatu, adhuc ævi immaturus, sed jam maturus imperio; ostendisti cursum ætatis, non expectandum in festinatione virtutis. Tu exinde domi, militiaq; juxta bonus, nusquam gradum extulisti, quin ubique te gloria, quasi umbra, comitata sit. Tu ferocissimis Regibus Ascarico & Comite suo, captis, tanta laude res bellicas auspicatus es; ut jam inaudita, magnitudinis obsidem teneremus.* Nec tacuit Regum supplicia alter panegyricus, ab Eumenio dictus, ubi Ascarici comitis nomen expressum. nam ita loquitur. *Hæc est tua, Constantine, de Ascarici nece, Gaisiq; supplicio, quotidiana atque æterna victoria; omnibus quondam secundis præliis anteponenda. Semel acie vincitur, sine fine, documento. Cladem suam, quamvis multi pereant, vulgus ignorat: compendium est devincendorum hostium, duces sustulisse.* Gaisus ergo, vel ut alii, Regaisus, cum Ascarico victus est; & quia uterque provinciam factionibus impleverant, bestiis objecti.

Baron. hic n. 6.

Quæ Constantinus in Gallia fecerit? Incert. pan. 6.

Nazar. pan. 7.

In Ascaricum.

Eumen. paneg. 9.

Et Gaisum.

IV. Debeo his Eusebii narrationem adjungere; qui benè quidem rem gestam explicat, sed perperàm colligit, quid inde sequutum sit; quod

Euseb. l. 1. c. 19. Eusebii narratio excutitur.

necessariò corrigendum. *Itaque ut primum Constantinus fuit* (inquit ille) *in regni solio tuto locatus, imperii portionem, quam rexisset pater, studiosè prospexit. Commodisq; omnium gentium, quarum dominatum pater ante tenuisset, summa cum humanitate, & clementiâ consuluit. Omnia autem barbarorum genera, circa Rhenum, & Oceanum versus, Occidentem incolentia, quæ audacia & temeritate impulsa, seditionem conflassent, penitùs repressit: & ex indomitu, immanitateq; efferatis, mansueta effecit, & ratione tractabilia. Alia verò quorum animos adeo insanabiles animadvertebat; ut ad vitam quietè, placideq; degendam, nullo modo viderentur posse traduci, seclusit ab imperio; & tanquam agrestes belluas, è patria finibus prorsùs exturbavit.* Sequitur in Eusebio mirabile ὕστερον πρότερον, quod licet suprà in patria Constantini refutaverim; hic tamen, ipsâ rerum evidentiâ erroris arguitur: subjicit ergo ad præcedentia. *Istis ratione & consilio ab eo ritè compositis; reliquas orbis partes ante oculos proponens*, TANDEM TRAIECIT AD BRITANNOS, *Oceani litoribus undique conclusos. Quos cum vicisset, alias mundi partes animo complecti cœpit.* Quis non putaret hac Eusebii narratione peregrinum in Britanniâ Constantinum? qui post narratas Constantii expeditiones, & victorias plurimas, post mortis & funeris circumstantias, post Constantini filii insperatum accessum; post injectam illi purpuram & totius provinciæ faustissimas voces; vult Constantinum tandem aliquando pervenisse ad Britannos. Quod si hæc omnia in Britanniâ priùs contigerunt, ut constat contigisse certò suffragio historicorum omnium: ingens suspicio est, vel multâ ignorantiâ lapsum, vel invidiâ, mentitum esse Eusebium; dum nulla hactenus Britanniæ factâ mentione, vult Lectori persuadere, Constantinum, post res hoc anno gestas in Galliis, trajecisse primùm in Britanniam: quò reverâ nunquam trajecit, post hujus anni victorias, nec illos domuit, qui Regem paulò ante, Augustum & Imperatorem salutaverant. Pressit quidem superiore anno, ad murum aliquos, absolvitque ibi patris victoriam: Cæterùm non legitur exinde Britanniam intrasse.

An. 295. 36.

Et refellitur.

V. Constantinus Faustam ducit. Factus Imperator.

Maximianus Herculius, auditâ rerum à Constantino gestarum gloriâ, in Galliam descendens, illi Faustam filiam, & una purpuram donat: quam Constantinus, in nuptiarum solennitate, primùm induit, factus ita demum Imperator. testatur hoc Author panegyrici, qui nuptiis adfuit, & orationem ibi exorsus est ita. *Dixerunt licet plurimi, multiq; dicturi sint ea, quibus omnia facta vestra, summarumq; virtutum merita laudantur, sacratissime Principes; Maximiane, velis, nolis, semper Auguste; Constantine* ORIENS IMPERATOR: *mihi tamen certum est; ea præcipuè isto sermone complecti, quæ sunt hujus propria lætitiæ; quâ tibi Cæsari* ADDITVM NOMEN IMPERII, *& istarum festa nuptiarum celebrantur.* & in eundem sensum paulò inferiùs, utrumque Imperatorem alloquens: *Quid enim,* inquit, *aut tu cariùs dare, aut tu carius accipere potuisti; cum hac affinitate vestrâ. Et tibi, Maximiane, per generum juventa renovata sit: & tibi, Constantine, per socerum,* NOMEN IMPERATORIS ACCREVERIT.

Incerti pan. 5.

Idem suprà,

VI. Lipsii expositio reiicitur.

Hæc cum dixerit Orator, Constantino coràm, & multis testibus; mirari debeo Justum Lipsium, qui locum illum ejusdem panegyrici explicans: *Tu Constantine, Britannias nobiles illic* ORIENDO *fecisti*: vult ibi, ORIENDO, intelligi, sicut hic, Oriens Imperator. & inde colligit Britanniam laudari, quod in eâ ortus factusque sit Imperator; idque è mente hujus oratoris; qui tamen in hisce nuptiis, in Galliis sine dubio celebratis; clarissimè affirmat, Constantino Cæsari additum nomen imperii: sive quod idem est; hac affinitate, Imperatoris illi nomen accrevisse. Rectiùs ergo, & multo elegantiùs panegyricum sic exposueris, ut Orientem solem Constantinum, cum Occidente Maximiano compararit. Siquidem Maximianus purpuram, quam receperat, exuens; unà majestatem splendoremque suum exuere videbatur, itaque occidere: cum interim Constantinus, novo lucis accessu, ex aurorâ Cæsaris, in Imperatoris ortum transierit. Quod cum nihil faciat ad Britanniæ laudem; quia omnis hic ortus in Galliâ fuit; debet Lipsius concedere aliud laudis argumentum, cum ab eodem Oratore effertur Insula, ob ortum Constantini. Si dixit Orator: *O fortunata, & omnibus beatior terris Britannia, quæ Constantinum Cæsarem prima vidisti*, & intellexit ortum Cæsareæ dignitatis qui reverâ extra Britanniam fuit: jure Gallia excipiet, dicetque se magis fortunatam, ac beatam, quæ Constantinum prima vidit Augustum; cujus longè major, quàm Cæsaris majestas, amplior lux, atque ita laus illustrior. Sed satis suprà de hoc argumento. Cæterùm benè notat Baronius hic, quod hactenus Constantinus, Cæsar tantùm, non Imperator fuerit; numerari tamen annos imperii ejus, ab obitu Constantii.

VII. Maximiani fraus detegitur.

Absoluto convivio, nuptiisque celebratis; Herculius cœpit explicare fraudulentum animum, quem prius Faustæ filiæ paucisque detexerat. Filia autem sponsi amores affectans; & in sponsum, quàm parentem æquior, dolum aperuit, & præmeditatum facinus occupandi rursùs imperii. Tunc Constantinus, ut erat solertis præsentisque animi, censuit principiis occurrendum, ne factio cresceret, & diuturnitate temporis fieret difficilior curatio. Quamobrem Maximianum insequutus, qui Arelati purpuram resumpserat; prævertere non potuit supplicium, quod vindex sceleris conscientia antevertit. nam à Constantino *apud Massiliam obsessus, deinde captus; pœnas mortis genere postremo, fractis laqueo cervicibus, luit;* inquit Aurelius Victor. Eusebius etiam insidiarum meminit, & inquit: *Valerius Herculius Maximianus, postquam imperium suâ sponte deposuisset, insidias Constantino tetendisse deprehensus fuit; & turpissimâ morte tandem decubuit.* Quod ipse sibi violentas manus intulerit, affirmat alter Maximianus, qui pro Christianis scribens, Constantini exemplo, ita loquitur de Herculio. *Alter Maximianus, secundas à Diocletiano adeptus, propter plurimos suos perditos & fraudulentos conatus, quos conscivisset in vita; dæmonis incitatione, & pulsu, extremum vitæ spiritum laqueo interrupit.*

Victor in Epito. c. 40. Occiditur. *Euseb. l. 8. c. 26.*

Euseb. l. 8. c. 29.

VIII. Maximiani perversus animus.

Maximianum hoc meritum esse supplicium, nullamque in Constantino crudelitatis suspicionem, Eumenius probat ita dicens: *Gratulare, Constantine, naturæ ac moribus tuis; quod te talem Constantius Pius genuerit, talem siderum decreta formaverint; ut crudelis esse non possis. Illum autem non credo, cum venturus in lucem, optionem vitæ, quâ uteretur acciperet; sortem incurrisse fugiendam, quæ multis hominibus injustum, & postremò ipsi voluntarium ferret exitium. Vt enim alia mittam; hoc ipsum, nonne fati necessitas tulit; ut ille pietati tuæ*

Eumen. paneg. 9.

hanc

hanc referre vicem, quem tu ab urbe pulsum, ab Italiâ fugatum, ab Illyrico repudiatum; tuis provinciis, tuis copiis, tuo palatio recepisti? Quid, oro, sibi voluit? Quid optavit? aut quid amplius adipisceretur his quæ à te fuerat consecutus. Cui tu summa & diversissima bona, privatum otium, & regias opes dederas: Cui impensiùs etiam quàm tibi, occurrere obsequia nostra mandaveras. Cujus omnibus jussis, sic statueras obedire; ut penes te habitus, penes illum potestas esset imperii. Quisnam ille tantus fuit, non ardor potentiæ (Quid enim te imperante non posset?) sed error jam despicientis ætatis; ut tot natus annos, gravissimas curas, & bellum civile susciperet? Hinc videas Maximiani hujus consilium fuisse, solicitatis provinciis, & redacto in ordinem Constantino; ut imperium solus occuparet. quod eò urgebat licentiùs: quòd certò jam sciret, Diocletianum se ad otium quietemque obstinasse. violavit etiam Maximianus Sacramenti religionem, quo Constantino tenebatur, cum in illum majestatem omnem & purpuram transtulit. quod idem Eumenios insinoat dicens: *Maximianum Capitolini Iovis templo jurasse paniturt: non mirum, quod etiam genero pejeravit. Hæc est fides, hæc religio Palatini sacrarii devota penetralibus; ut lentè, & cunctanter, jam scilicet cum illis belli consiliis, itinere confecto, consumptis copiis, mansionem, ne quis consequi posset exercitus, repentè inter parietes consideret purpuratus; & bis depositum, tertiò usurparet imperium; literas ad solicitandos exercitus mitteret; fidem militum præmiorum ostentatione turbare tentaret; securè scilicet usurus exercitu, quem venales manus habere docuisset.*

Eumen. sup.

IX. JUSTA IN MAXIMIANUM VINDICTA.

Hæc do fusiùs, quò sciat Lector, fortunatum Constantini fœlicissimumque imperium, non potuisse parricidii crimine stabiliri: meritoque ipsum in vindictam surrexisse, & ludentem cum imperio socerum docuisse, nullum esse lusum Majestatis. Sed altior Dei mens, crudelissimum tyrannum, & qui Christianos in Occidente persecutus fuerat, voluit infami mortis genere perire: & Britannum Imperatorem persequi eum, qui Britanniæ Martyres interfecerat. Ita Albani & aliorum plurimorum sanguis, Maximiani sanguine expiatus est. Erat adhuc Constantinus Deorum cultor, sed patris sequutus exemplum, Christianis omnia permisit: cum interim Maximinus, in Oriente tyrannidem exercens, fideles vexaret, & Catharinam virginem sanctissimam, etiam martyrem faceret.

CATHARINA VIRGO ET MARTYR.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1059.

ANNUS CHRISTI 308.

MARCELLI PAPÆ 5.

CONSTANTINI IMP. 3.

I. CONSTANTINI VICTORIÆ IN GERMANIA.

CONSTANTINUS hoc anno trecentesimo octavo, Consulibus Diocletiano X. & Galerio Maximiano VII. compositis in Galliâ rebus, victoriam prosecutus, in Germaniam transiit, & barbaros ibi tumultuantes egregiè repressit, & Bructeros, ac finitimas Rheno provincias, imperio servire docuit. secesserant, opinor, aliquot provinciæ, ob Reges à Constantino interemptos. nam ita de superatis Bructeris, Eumenius Orator: *Vt tamen omnibus modis Barbarorum immanitas frangeretur; nec hostes regum suorum supplicia mererent; etiam immensam Bructeris vastationem fecisti Imperator invicte. In quo primo consilii tui fuit ratio, quod exercitu repente trajecto, inopinantes adortus es; non quo aperto Marte diffideres; ut qui palam congredi maluisses: sed ut illa natio, perfugiis silvarum & paludium, bellum solita frustrari, fuga tempus amitteret. Cæsi igitur innumerabiles, capti plurimi. Quicquid fuit pecoris, captum aut trucidatum est. Vici omnes igne consumpti. Puberes qui in manus venerunt, quorum nec perfidia erat apta militiæ, nec ferocia servituti, ad pœnas spectaculo dati, sævientes bestias multitudine sua fatigarunt. Hoc est, Imperator, fretum esse virtute suâ atque fortunâ: hoc est, non pacem emere parcendo; sed victoriam quærere provocando.* Hactenus ille.

Eumen. paneg. 9.

II. PONS IN RHENO IMPOSITUS A CONSTANTINO. Eumen. pan. 9.

Aliud, memoriâ dignum, in hac expeditione, Constantinus fecit, cum ad Coloniam Agrippinam, pontem Rheno imposuit: quo, facili in vicinam provinciam transitu, cives in officio continerentur. Expressit hoc eâdem oratione, qui suprà Eumenius. *Insuper*, inquit, *Agrippinensi ponte faciendo, reliquiis afflictæ gentis insultas; ne unquam metus ponat; semper horreat, semper supplices manus tendat: cum tamen hoc tu magis ad gloriam imperii tui, & ornatum limitis facias; quam ad facultatem, quoties velis, ad hostem transeundi. Quippe cum totus armatis navibus Rhenus instructus sit, & ripis omnibus, usque ad Oceanum, dispositus miles immineat. Sed pulchrum tibi videtur (& reverà pulcherrimum est) ut Rhenus ille, non solum superioribus locis, ubi aut latitudine vadosus, aut vicinia fontis exiguus, sed & ibi, novo ponte calcetur, ubi totus est, ubi jam plurimos hausit amnes, quos hic noster ingens fluvius, & barbarus Nicer, & Mœnus invexit: ubi jam immani meatu ferox, & alvei unius impatiens, in sua cornua gestit excedere. Servit profectò, Constantine Maxime, ipsa rerum natura numini tuo; cum in illa gurgitum altitudine, tantarum molium fundamenta jaciuntur, fidam & stabilem firmitatem habitura.*

III. CONSTANTINUS TREVIRIS LAUDATUR.

Laudavit, in hunc modum, Constantinum Eumenius, in urbe Trevirensi, ut patet ex illis verbis: *Hic noster ingens fluvius*; quibus Mosellam intelligi certum est: & valde probabile Helenam matrem Constantino adfuisse: tum quia suprà, elegantes ibi ædes, à Constantio illi donatas ostendi: tum qoia Eumenius, in dictâ oratione, se admodum effudit in laudes Britanniæ; unde conjectura est, plures Britannos, Constantinum sequutos adfuisse. Certè Belgicarum rerum Scriptores, tres oominant Helenæ vel patruos, vel avunculos, Johelinum, Traërnum, & Marium, qui, hoc tempore, pro Constantino pugnantes, Nervios, Ambianos, ac Morinos damnaverunt. & infrà, cum Coustantini militem expono, in Maxentium præliantem, dicam è Zosimo, fuisse in exercitu, præter Germanos & Celtas, etiam τοὺς ἐκ τῆς Βρεταννίας συνειλεγμένους, *milites è Britannia collectos.* Hi igitur Constantinum sequuti principem suum, Eumenio ansam dederunt, laudandi Insulam; quod tamen ille, tam operosè, oon fecisset; si Constantius Drepani in Bithynia somniasset: sed quia Constantinus ex Helena natus erat, Britannâ fœminâ, & illustrissimâ; ideo dixit in exordio orationis. *Tanta est nobilitas originis tuæ, ut nihil tibi addiderit honoris imperium. nec potuit fortuna numini tuo imputare, quod tuum est.* & post multa concludit: *O fortunata*

Eumen. pan. 9.

& nunc omnibus beatior terris Britannia, quæ Constantinum Cæsarem prima vidisti? meritò te omnibus cæli, ac soli bonis natura donavit; & cætera quæ sequuntur in Insulæ laudem profusissimè; quæ importunè dicta meritò censebuntur; si nihil Constantino interesset.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1060.
ANNUS CHRISTI 309.
MARCELLI PAPÆ 6.
CONSTANTINI IMP. 4.

I. Marcellus Papa moritur.

Hoc anno trecentesimo nono, incertis Consulibus: Marcellus Papa, Ecclesiarum procurationi intentus; eamque ob causam à Maxentio tyranno comprehensus, damnatusque ad Catabulum; in animalium servitio, nudus, cilicio tantum amictus, moritur, cum sedisset annos quinque, mensem unum, dies viginti quinque: in ejus locum Eusebius natione græcus, subrogatus est.

Eusebius Papa.

Instituit ille, ne profani, quos laicos vocant, Episcopum in judicium vocarent: & ne Sacrificium altaris in serico panno, aut tincto quisquam celebrare præsumeret, sed in puro lineo, quod communi consensu & consuetudine, Beda & Burchardo testibus, in Ecclesia receptum est.

Eius decreta.

Quod ad primum attinet, sanctissimi Imperatores Constantinus, Valentinianus, Theodosius, idem postea sanciverunt, ne in Clerum laici præsumerent. Nunc proh dolor, Calvini factio, in Ecclesiam surgit, laici in judicium Episcopos vocant, accusant, condemnant; & si hoc parum est ipsum Episcop nomen extinguere laborant, crimen revera nullis hostiis expiandum; si quos premunt Episcopos, Episcopi essent. Sed cum laica manus infulam porrexerit: cur non poterit eandem tollere? differunt toto cælo Episcopi illi, quos Eusebius Papa à Laicorum tribunali, judicioque eximios declaravit.

II. Interea Britanni, Constantino Christianis propitio, ædificandis Ecclesiis, sacrisque ædibus incumbunt. Ita surrexit, hoc anno trecentesimo nono, Wintoniense templum, quod nupera tempestate destructum diximus: quodque fuerat, Godwino teste, Monachorum domicilium.

Wintoniensa templum, inceptum.

Addit autem, idem tanta devotione inchoatum, hoc anno, ædificium, & tam admirabili zelo perfectum esse; ut unius anni, & triginta dierum spatio, ipsa Ecclesia, ædes Monachorum, eorundem officinæ, aliaque ædificia, eorum usibus deservientia, absoluta fuerint. de quo nos anno sequenti. Addunt alii, Abingdoniæ etiam reparatum Monasterium. cujus † alibi facta mentio. ubi, si Chronico illius loci credimus, Constantinus noster educatus; & quingenti fuere Monachi, qui per silvas & loca deserta, manuum labore victitantes, singulis Sabbathis, ac Dominicis ad Cœnobium conveniebant; in quo præter dictos quingentos, sexaginta assiduè versabantur, Sacrificio & Psalmis incumbentes. Sed *quoniam ex nullis certis exploratæq; fidei authoribus*, inquit Harpesfeldius, *sed ex majorum quâdam per manus ducta traditione hoc depromit, nihil eorum constanter affirmarim.*

† An. 189. 5. Abingdoniæ Monasterium.

Harpesf. cent. 10. c. 9.

III. Constantinus adhuc infidelis.

Hæc Monasteriorum, & Monachorum frequentia, quibusdam occasionem dedit opinandi; Constantinum, hoc anno ad Christianam fidem conversum esse. Unde scripsit Martinus Polonus: *Anno trecentesimo nono Constantinus, Magnus dictus, Christianus effectus, licentiam dedit Christianis libere congregari, & Basilicas in honorem IESV CHRISTI construi fecit.* Sed dicamus quod res est: Constantinus adhuc infidelis, plures Deos coluit, & ad eorum delubra supplicabat, Marti, Victoriæ, & imprimis Apollini devotus. Meminit Eumenius, ut Constantinus, post adeptam nuper Victoriam, ad Deorum templa accesserit. *Ubi*, inquit, *deflexisses ad templum toto orbe pulcherrimum, imo ad præsentem, ut vidisti, Deum. Vidisti enim credo Constantine, Apollinem tuum, comitante Victoria, coronas tibi laureas offerentem; quæ tricenum singula ferunt omen annorum.* Fuit etiam in Deos profusus, & eorum templa muneribus cumulabat. quod idem Author ita celebrat: *Meritò igitur augustissima illa delubra, tantis donariis honestasti; ut jam vetera non quærant. Iam omnia te vocare ad se templa videntur: præcipueq; Apollo † noster, cujus ferventibus aquis perjuria puniuntur, quæ te maxime oportet odisse.* Cæterùm Constantinus, cum ad Christi sacra transibit, pietatem ibi, animique magnitudinem, in ornandis d tandisque Ecclesiis, multo rectiùs explicabit: ut nemo miretur regiam ejus munificentiam, in Sanctorum templis extruendis, & Ecclesiarum pomœrio dilatando; qui meminerit eum in falsis numinibus colendis, tam liberalem extitisse.

Polon. apud Broughton. cen 4. c. 4. n. 7.

Eumen. pan 9

Idem

In Deos liberalis.

† Gallos Apollinem coluisse diss. an. 1 6

ANNUS URBIS CONDITÆ 1061.
ANNUS CHRISTI 310.
EUSEBII PAPÆ 2.
CONSTANTINI IMP. 5.

I. Hoc anno trecentesimo decimo, nullis Consulibus notato: Wintoniensis Ecclesia, ad decimum quintum Martii, à Constante ejus loci Episcopo, ut Goduinus, aliique apud ipsum referunt, consecrata est: Addunt etiam à S. Amphibalo, qui nuper sub Diocletiano illustre martyrium subiit, denominatam esse. Monasterio quoque absoluto, Deodatus quidam, Abbatis loco, præficitur. floruit locus ille, usque ad annum Christi quingentesimum decimum nonum. Quo tempore, Cerdicius, infidelis Saxo, dictum Monasterium demolitus est, Monachosque, vel ejecit, vel occidit. Hæc omnia moderni homines referunt; quæ tamen, non eorum, qui Monasteria, Monachosque persequuti sunt; sed antiquam fidem commendant.

Goduin. in Catalog. Wintoniensia Ecclesia perfecta. Amphibalo sacra. Deodatus Abbas.

II. Cæterùm quod ad tempus attinet; errasse videntur Wintoniensis Ecclesiæ Antiquitates, & Thomas Rudburnus in majore Chronico; ubi quid actum sit, persecutione cessante, explicat in hunc modum: *Orationes ac deprecationes justorum assiduæ, cum multum valeant apud justum judicem Deum: ascenderunt lacrymæ tuorum fidelium, in conspectu Conditoris altissimi: & sedatum est gravissima persecutionis, ac percussionis jaculum fulmineum. completo videlicet spatio viginti duorum annorum. Unde Christiani, qui prius in silvis,*

Apud Usser. fol. 194.

I. *opacissimisq́; locis sepo suerant in abscouso, in publicum se ostendentes; renovant Ecclesias, quæ usque ad solum, undique erant destructæ. Quo iu tempore readificata Ecclesia VVintoniensis secundò, ab Christi fidelium oblationibus. non tamen tantum spatium continebat Ecclesia, neque situs Monasterii, nec ejusdem loca, sicut prius Monasterium à Lucio Rege fundatum continebat. Constructâ sic denuo Ecclesiâ VVentanâ; Monachi secundò ipsam reintrant: scilicet anno Dominica Incarnationis CCXCIII. Et tunc ad requisitionem Deodati Abbatis, de novo vetus Cœnobium, in honore S. Amphibali, Sociorumq́; ejus consecratum est: ministerium dedicationis solenniter perficiente Constante, tunc in eâdem Ecclesiâ Pontificante; nonas Iunii, ut scribunt Giraldus Cornubiensis de gestis Britonum l. 3. c. 8. & Vigilantius in libro de Basilicâ Petri, c. 5. Dedicatâ sic & renovatâ Ecclesiâ VVintoniensi in honore S. Amphibali Martyris; quæ ex tunc hoc nomen sumpsit, Vetus Cœnobium; cequieverunt in eâ Monachi, in hymnis & spiritualibus canticis, Domino devotissimè vacantes fermè ducentis decem annis, usque ad adventum Cerdicis Saxonici, qui primus extitit Occidentalium Saxonum Rex.* Hæc omnia Author, nescio quam temporis rationem secutus.

III. Accipio tamen quod dicit Diocletianæam persecutionem cessasse in Britanniâ, *completo spatio viginti duorum annorum*, & tunc demum Wintoniæ Ecclesiam dedicatam. Sic enim exibit hic annus Ecclesiæ dedicatæ, trecentesimus decimus. & non ducentesimus nonagesimus tertius, ut Author suprà. Si enim Albanus, aliique in Britanniâ, martyrii lauream acceperunt anno ducentesimo octogesimo septimo, ut eo loco fusiùs ostendi: si etiam biennio tantum duravit tempestas; hic præsens annus 310. non malè ponitur vigesimus secundus à fine tempestatis. errant ergo Wintonienses Antiquitates, & eas secutus Thomas Redburnus: & in eo errant, quòd Diocletiani Imperatoris initia collocent ad Christi annum ducentesimum sexagesimum quintum, cum longè posteriùs collocanda sint. Rectiùs itaque vetustum Authorem secutus Godwinus ita tempus distinguit, & persecutionis initia. *Inter cætera*, inquit, *tyranni immanissimi mandato diruta, hoc nostrum VVintoniense imprimis memoratur: cujus incola, & ministri universi, qui fugâ sibi non consuluissent, crudelissimè feruntur interempti. Hoc anno Diocletiani secundo, hoc est, Christi ducentesimo octogesimo nono. Anno tum vix transacto vicesimo, restitui cœptum id templum tantâ provincialium promptitudine, ut tredecim mensium spatio templum & ædificia cuncta, &c. omnibus suis numeris absoluta & perfecta redderentur: atque Martii decimo quinto, anno trecentesimo decimo, ad petitionem Deodati novi istius Cœnobii Abbatis primi, per Constantem VVintoniensem Episcopum consecrata fuerit, & memoriæ dicatâ S. Amphibali, qui nuper sub Diocletiano martyrii coronam reportarat. Ducentos deinde & amplius annos in eodem statu permansit ad annum videlicet quingentesimum decimum nonum; quando Cerdicus Occidentalium Saxonum Rex primus, idolorum cultui deditus Ecclesiam convertit in templum Dagon, & Monachos ibi incolentes, partim fugavit, partim occidit.* Hæc ille.

Godwin. in VVinton.

V. an. 509. n. 14.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1062.

ANNUS CHRISTI 311.

EUSEBII PAPÆ 3.

CONSTANTINI IMP. 6.

I. GALERIUS MAXIMIANUS MORITUR.

HOc anno trecentesimo undecimo, Galerio & Licinio Consulibus, idem Galerius Maximianus Imperator, cognomento Armentarius, cum ultricem Dei manum sensisset; pro pace Christianis concedendâ scripsit, finemque Diocletianeæ persecutioni imposuit. atque ita vivere desiit fœda membrorum putredine consumptus. Quatuor adhuc restabant in Romano orbe, qui cum summo imperio provincias administrabant. Constantinus in Galliâ Britanniâque; Maxentius in Italiâ & Africâ, Maximinus in Oriente, Licinius denique in Pannoniis, Græciâ, Illyrio, & Thraciâ. Sed brevi, omnes uni Constantino sceptrum, vel inviti, porrigent.

II. EUSEBIUS PAPA MORITUR.

Moritur interim Eusebius Papa, cum sedisset annos duos, menses septem, & dies aliquot; & in locum ejus sufficitur Melchiades, natione Afer. Mendosa prorsus sunt, quæ in commentariolo, de Romanis Pontificibus, de Eusebio dicuntur, quod Crux Domini ejus tempore inventa sit. Cum enim indubitatum sit, non ab alio, quàm ab Helena, inventam esse: Helena autem nunquam hactenus Orientem viderit, quomodo potuit crux, Hierosolymis, ubi eam suprà absconditam diximus, ab Helenâ reperiri? Crucis inventio habebit suum locum, ubi Helena è Galliis in Italiam, ac inde porro, cum Constantino in Orientem perrexerit. Nunc ibi Maximinus tyrannidem exercet, Lucianum sanctum, crudeliter pro fide vexatum, hoc anno necat; & mortuum in mare projicit. quem postea Deus, delphinorum adminiculo, Drepanum Bithyniæ mirabiliter transferet. & tunc demum Helena peregrè profecta, Crucem quæret, Drepanum divertet, visoque Luciani corpore humi jacere, sublime illud efferet; & demum orbis inde facta illustrior, Helenopolis vocabitur. Sed hæc omnia posteriùs. nam priùs Constantinus debet in Maxentium pugnare, urbe potiri, in Orientem pergere, & Nicænorum Patrum conventui interesse; quàm Helena mater crucem quærat. Tunc autem peregrinationis religio, & Sanctorum locorum, ac Martyrum cultus, crimine vacabit; si trecentorum & octodecim Ecclesiæ Procerum oraculo, confirmentur.

An. 127. 2.

S. LUCIANUS MARTYR.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1063.

ANNUS CHRISTI 312.

MELCHIADIS PAPÆ 2.

CONSTANTINI IMP. 7.

I. CONSTANTINUS IN MAXENTIUM PARAT.

SEquitur Christi annus trecentesimus duodecimus, Constantini & Licinii secundo Consulatu; Ecclesiæ Dei, omni ex parte fœlicissimus. *Quo imprimis* (loquitur Baronius) *in Oriente furentis iterum Maximini in Christianos*

imperus;

impetus, immissis à Deo cladibus multiplicibus retardantur, & penitùs reprimuntur: & in Occidente Maxentius tyrannus, à Constantino, virtute Crucis, victus atque extinctus penitùs fuit. Hæc ille. Cæterùm ego, qui ornandam suscepi Britannicæ Ecclesiæ fidem; transito Oriente, ea dicam paulò fusiùs, quæ à Britanno Principe facta in Occidente, Christianis splendori, Britanniæ laudi, & Regiæ fidei fuerunt ornamento. Qualia sunt: quid Constantinum moverit in Italiam, hoc anno, proficisci; ibique expugnare Maxentium: qua ratione, cum paucis copiis, ingentem manum, & Romanæ urbis majestate munitam, fuderit: & denique quibus potissimùm armis hæc omnia perfecta sunt. Et quia Constantinianæ fidei auroram hæc expeditio aperit; articulatiùs explicanda sunt, quæ ad fidem spectant.

II. Maxentius qualis?

Maxentius Romani Imperii arcem, magis numero militum, quàm suo merito tenens; divina pariter ac humana jura, plures jam annos fœdaverat. Illum principio Constantinus demereri conatus est, oblato imperii participio; sed impia dominandi libido, consortem respuit. Fuit enimverò è re omnium, non itum esse in fœdera: quia serior venisset Ecclesiæ malo medicina, & ut accidit, fuit justior vindicta. Constantinus enim, quia invitus, vel quia à Deo jussus, in certamen descendens; victoriâ magis inclaruit: ut Nazarius Orator, licet infidelis, observat. *Pugnasti*, inquit, *Imperator, coactus quidem: sed hoc maximè victoriam meruisti; quia non desiderabas. Optasti pacem, sed ignosce, si plus omnium vota valuerunt. Nec illa divinitas obsecundare captis tuis solita, in hoc refragata est.* Hæc una fuit Constantino pugnandi causa: Maxentii tyrannis infinita, æqualitatis sociique impatiens. Sed & alia causa fuit majoris momenti: Maxentii vita, vitiis & libidine infamis; Senatus populique Romani strages, facultatum direptiones, virginum stupra, aliaque scelera, quæ Eusebius sic recenset: *Maxentius in omnia scelera praeceps delapsus, nullum impietatis, nullum intemperantiæ facinus prætermisit. Quippe adulteriis, & cujusvis vitiositatis corruptela, se contaminavit. Legitimas uxores viris eripuit, easque turpissimâ ignominiâ contumeliaque affectas, ad viros denuò remisit. Atque hæc non in ignobiles solùm, & obscuros quidem homines moliri cœpit: sed in illos, qui in Senatu Romano, principem locum tulerunt; quique fuerunt facilè præstantissimi, effrenatiùs insultare. Omnes verò, tum populus, tum Magistratus, illum graviter metuentes, acerba vexabantur tyrannide. Neque tamen ipsis; quantumvis pacato & tranquillo animo, asperam ferentibus servitutem; ulla extitit liberatio tyrannicæ crudelitatis, in eorum internecionem grassantis. Nam quodam tempore, levi admodum occasione arreptâ, populum in cædem satellitibus suis exposuit. Infinitaque populi Romani multitudo in media civitate; non Scytharum, non barbarorum, sed domesticorum suorum hastis, & armis cujusque generis, miserè trucidata fuit. Quanta cædes facta sit, qui Senatorum, propter insidias, quæ ipsorum parabantur divitiis, erant nunc uno, nunc alio crimine falso in eos confictο, è medio sublati, vix percenseri potest.*

Nazar. panag. 7.

Euseb. l. 8. c. 26.

III. Eius scelera ab infidelibus recensentur.

Nec Christianorum tantummodò hæc criminatio fuit: ipsi infideles Maxentii scelera abominati; Constantinum divino motum consilio, in illa pugnasse dixerunt. nam Incerti panegyricus, ita de Maxentio: *Mille*, inquit, *& sexaginta annis, contractas ex toto orbe divitias, monstrum illud redemptis ad civile latrocinium manibus, ingesserat. Ad hoc aliena matrimonia, innocentium capita cum bonis passim donando, usque ad mortis devotionem obstrinxerat parricidas. Omnes insidiatos sibi, aut palam aliquid pro libertate conatos pœnis affecerat, armis oppresserat. Inter hæc utebatur ejus urbis majestate, quam cœperat; totam Italiam conductis ad omne facinus satellitibus oppleverat. Hæc omnia, Imperator, cum cogitares, scires, videres; nec te paterna gravitas, nec tua natura temerarium esse pateretur; dic quæso, quidnis in consilio, nisi divinum numen habuisti? An illa te ratio ducebat (sua enim cuique prudentia Deus est) quod in tam dispari contentione, non poterat melior causa non superare: Et innumerabiles licet ille copias pro se objiceret? pro te tamen justitia pugnabat. Vt enim omittam illa, quæ non decet comparari, quod erat ille Maximiani suppositus, tu Constantii Pii filius: Ille despectissima pravitatis, detortis solutisque membris, nomine ipso, abusiva appellatione, mutilato: tu, quod sufficit dicere, tantus, & talis. Vt hæc, inquam, omittam; te, Constantine, paterna pietas, sequebatur. illum (ut falso generi non invideamus) impietas. Te clementia, illum crudelitas: te pudicitia soli dicata conjugio, illum libido stupris omnibus contaminata: te divina præcepta, illum superstitiosa maleficia. Illum denique spoliatorum templorum, trucidati Senatus, plebis Romanæ fame enectæ, piacula; te abolitarum calumniarum, te probatarum delationum, te conservatio, atque homicidarum sanguinis gratulatio. In tam diversa causarum ratione, divino consilio, Imperator, hoc est, tuo, non militum multitudinem, sed partium merita numerasti.*

Incerti panag. 0.

Differo copiosiùs, de facinorosâ Maxentii vitâ, ut Constantini causa illustrior sit: & magis appareat Majestas Crucis, illam orbis cloacam divinâ victoriâ eluentis. Gemuit certè ipsa infidelis Roma, & supplices Constantino manus tetendit, statim parente mortuo, priusquàm ille è Britanniâ moveret. Ita intelligo Florilegum nostrum, dicentem: *Anno gratiæ 312. Maxentius Herculis Maximiani filius, Romæ Augustus est appellatus: qui tyrannidem in populo Romano exercens, quosque nobilissimos subvertere nitebatur. Incumbente ipsius sævitiâ, fugerunt externati ad Constantinum in Britanniam, & honorificè excipiebantur ab ipso. Denique cum multi ad ipsum confluxissent, incitaverunt eum in odium Maxentii; talia sæpè referentes illi: Tu solus de genere nostro es: & quod amisimus, expulso Maxentio nobis reddere potes, Romanumque imperium, quod tibi debetur, nobis auxiliantibus poteris obtinere. Est namque tibi copia auri & argenti, ac robustorum militum maxima multitudo. His igitur, & aliis, incitatus Constantinus paravit navigium, Romanorum consilio in omnibus acquiescens.* Constantinus ergo inter cætera cepit urbis miseratio; & miserorum preces, ad imperium illum vocaverunt.

IV. Roma Constantino supplex.

Florl. hic.

Verùm si divini consilii rationes ingredimur; non unius urbis, sed totius orbis infinita calamitas, sub idolorum servitute gementis, divinam pietatem acuerat, ut tot malorum miseriâ tangeretur: atque ita Constantinum ab extremo orbis, in universi orbis remedium, vocaret. Hoc ipse Constantinus agnovit, quando cum gratâ beneficii memoriâ, ita scripsit: *Proinde cum tanta, & tam gravis impietas, per humanas res permanaret, & Resp. velut a morbo quodam pestifero, in periculum funditus intereundi venisset: & ob eam causam, magna atque salutari curatione egeret.*

V. Constantinus eligitur ad orbem liberandum.

Euseb. l. 2. c. 20.

Quodnam

Quodnam quaso remedium, divinum numen, aut quam rationem, ad Orbem terrarum, ex his malis eripiendum excogitavit? Dicam quidem: quippe beneficia à Deo Opt. Max. in nos collata, ingenuè agnoscere, eaq; egregie pradicare, revera gloriosum est. Deus quidem certè, tum meum ministerium, accuratè quale esset, explorasset; idemq;, ad ipsius voluntatem explendam, idoneum censeret; eodem utens, à mari Britannico, illisq; partibus, ubi sol, raro cursu confecto, necessario occidit, initium faciens; eximia quadam potentia, & virtute, omnia mala, qua homines premebant, profligavit, & è medio prorsus sustulit: adeo, ut meâ operâ, ac diligentiâ; tum humanum genus ad cultum augustißima legis, & disciplina revocatum esset: tum fides sanctißima permagnas, ipso Deo duce, faceret progreßiones. Ita ille ad provinciales Palæstinæ.

VI. Constantinus deliberat.

Visâ Constantini justissimâ causâ pugnandi; superest, ut consilii ipsius, in hac expeditione rationem exponamus. Cùm enim sciret, multis viribus opus esse, in urbem & orbem pugnanti; nihil temerè aggrediendum ratus, singula rerum momenta prudentissimè librabat. Illud imprimis, quo modo Reipublicæ pestem, in ipso imperii capite sanaret; quæ jam latè, per provincias, diffuderat sese. difficilis enimvero medecina erat, & humano ingenio major. Subit ergo animum majorum virtus, quæ spes ejus mulcebat primùm, inde admodùm acuebat. At, quâ ratione, inquit, in munitissimam urbem, hostemque innumerum, pugnabo? unde vocandus, aut quomodo scribendus miles, qui Italiam, & militiæ assuetum populum, premat? Galli, Britannique illi dudum servierunt, & frigori assueti, calore illo dissolventur. Dii igitur immortales movendi sunt, & in difficili negotio, Fortunæ litandum: sed quoties irritæ ad idolum illud ceciderunt preces? Et ego sine dubio aliquid, Fortunâ majus, aggredior. Quomodo ad partes meas vocabo numina, quæ nunquam inter se sociali fœdere coierunt? Aut omnia omnino placanda sunt, & quantus labor? aut aliqua tantum, & quæ utilitas? Immò si Diis habenda est fides, non esse pugnandum suadent Aruspices, & exta non arrident: Et tamen nescio quod sacratius numen, me ad Italiæ libertatem vocat, & accendit ad pugnam.

VII. Deus adest.

Hæc omnia volventi Deus immortalis pientissimè subdebat facem; & in ancipiti cogitationum labyrinto, victoria lucem monstrabat. Sæpè in eo æstu occurrebant animo Helenæ parentis monita; & Christianæ fidei, quæ juvenis audiverat, prima elementa: acriùs urgebat Constantii patris exemplum, qui sub finem vitæ, Vale Diis dicto, unum numen adoraverat, quod Christiani colebant. Dum ita Constantinus suppensis in cælum oculis animoque esset: Ecce tibi, luce clarâ, & spectante multo milite, immane prodigium.

Ostento Crucis.

Videt in cælo Crucem, solaribus descriptam radiis; &, in Cruce legit Victoriam. Inde, ne mentem pulsaret dubitatio, adest dormienti Christus, & novo prodigio liberat fidem: jubet Crucis imaginem fingi; & illâ spondet triumphum. Hæc gestorum summa, & Constantini conversionis initia. Verùm quia in tempora incidimus miraculis inimica; illis præsertim, quibus Romanæ fidei ritus probantur; non debeo cursim, hoc crucis ostentum, & Christi de formanda Cruce præceptum, transire: tum quia facit ad historiæ lucem, & Regiæ fidei splendorem: tum quia in illos scribo, qui nupero hoc sæculo Cruces proscripserunt, infinito scelere, prodigium illo. Disquiram ergo accuratè, quid visum à Constantino; dum cælum aspicit, & priusquam in Maxentium pergat. Nam licet antiquorum constet sententiis; sectarii tamen, qui tenebras in meridie causantur, hic etiam tricari cupiunt, & tam visum à Constantino, quàm dictum à Christo, novo commentarii genere elevant.

VIII. Sectariorum expositio.

Hos inter modernæ Theologiæ Doctor, Richardus Crakanthorpius, cæleste hoc miraculum narrans, duo dicit à Constantino visa. primò Christi nomen X. & P. in aere depictum, aliquo modo Cruci simile. deinde Christum ipsum, qui noctu eidem apparuit: & demum addit [illegible] ita. *Eusebius l. 1. de vita Constantini, c. 22. [illegible] signum illud, non crucem fuisse, sed [illegible] Christi elementa, liquido demonstrat.*

Crakanth. in c Constant. c 3.

Ita [illegible], Eusebium & miraculum commentatur eo [illegible] modo; quæ similis farinæ homines, plurima scripturæ loca, commentati sunt. Nam qui C[illegible] corpus, ab ipso Christo assertum, exponere solent, non Christi corpus, sed aliquid, aliquo modo illi simile: cur non in miraculis ludunt, & rebus minore pondere dictatis. Alii etiam, Christi apparentis, ac Constantinum docentis sensum pervertunt, ut sua firment dogmata; quæ revera stare non possunt, si antiquorum monumentis credimus. Illa ergo in præsenti quæstione evolvenda sunt priusquam historiæ filum repetamus. Nec oberit hæc digressio, quia multa incident scitu digna, & rebus, hoc anno, gestis opportuna, quæ Authores recensendo, explicanda sunt. Quoniam verò Eusebius, hac in re, testis integer, ab omnibus existimatur: & ille reverà, quid Constantino acciderit, ab ipso Constantino didicit; jure optimo, primo loco audiri mereretur.

IX. Constantini mens expenditur.

Eusebius itaque Constantino familiaris, ita pii principis pectus aperit, & consilia expeditionis ejus, ac deinde Crucis apparitionem narrat: nam volo omnia conjungere, ut quæ priùs dicta sunt compendio, fusius exponantur. ait ergo: *Cum accurata ratione, animoq; lustrando comperisset, propter maleficias & fallaces magorum prastigias, à tyranno studiose conquisitas; multo firmiore prasidio sibi opus esse, quam quod res militaris suppeditare soleret: Deum quasivit sibi adjutorem, ratus auxilium, qua ex armis petuntur, & militum manu, vix secundas tribuendas; At qua sunt ex Deo, nec viribus expugnari, nec ullâ frangi violentiâ posse. Mente igitur diligenter complexus est: quisnam Deus sibi in subsidium asciscendus esset. Ac quarenti illi talis subiit cogitatio, eorum, qui ante Pemp. attigissent, pleramque omnes suam spem, in Deos complures congessisse, eosq; victimis ac monumentis coluisse. Ac primum divinationum invisamentis, deinde oraculis, qua fausta feliciaq; auspicia ipsis denuntiabant, in fraudem inductos, infelicem reperisse exitum, & plane calamitosum: neque quemque Deorum, vel benigne illis opem tulisse. vel prohibuisse, quo minus nefanda internecione, calitùs invectâ, opprimerentur. Solum ejus patrem, ad contrariam viam, & eorum instituti longe dissimilem divertisse, eorum condemnasse errorem. Ipsum solum Deum omnium rerum administratorem, toto vita spatio, observantiâ veneratum esse: eumq; conservatorem, & custodem regni, omniumq; boni largitorem, comperisse. Ipsa cum secum exquisitè in utramque partem versaret, [illegible] ratioq; sedulo expenderet; quemadmodum illi Deorum*

Eusebius l. 2. c. 21.

multitudine

multitudine confisi, in varias clades, & exitia, incidissent; adeo, ut nec generis, nec sobolis, nec nominis, nec memoriæ, vel vestigium quidem inter homines esset relictum: & qua ratione, Deus patris sui, evidentia variaque sua virtutis & potentiæ indicia dedisset: atque adeo illi, qui antea contra tyrannum prælium iniissent, spéque in Deorum multitudine locatá, aciem contra hostem instruxissent, ad turpem exitum essent perducti. Alter enim infectâ re, cum ignominia, à prælio discessit: alter in ipso medio exercitu trucidatus, tanquam supervacanea mortis accessio, factus est. Ista, inquam, omnia, cum mente, tanquam in unum collegisset, in Diis, qui non sunt, colendis, tantam inanitatem consectari, postque periculum factum, cæco errore duci, summæ putavit esse dementiæ: Deumque quem pater sanctè adoravisset; solum observandum colendumque, statuit.

X. Sequitur narratio eorum, quæ Constantino, jam piè affecto, acciderunt: & è quibus Crakanthorpius suprà collegit, Constantinum Crucem non vidisse; quæ ideo observanda sunt:

Euseb. suprà c. 22. *Quocirca* (inquit Eusebius capite vigesimo secundo) *hujus Dei (quem pater adoraverat) opem*

ET APPARITIO. *precibus imploravit, hunc oravit, hunc obtestatus est, ut cum quinam esset, ipsi vellet significare; cum rebus quas apud animum proposuisset, dexteram, velut adjutricem, porrigere. Imperatori igitur ista precanti, obnixéque flagitanti, visio quædam divina, & imprimis admirabilis, apparuit; quam si quis fortè alius dixisset, non tam facile hominibus potuisset persuaderi. Verùm cum Imperator ipse Victor, nobis ipsis, qui hanc historiam jam literis prosequimur, longo post tempore, cum notitia eramus, & familiari colloquio ab eo dignati, narraret, & sermonem jurejurando confirmaret, cui dubium esse poterit, quin sit rei ita commemoratæ fides omnino adhibenda. Præsertim, cum tempus postea consecutum ratum orationi testimonium dederit. Cum jam sol ad medium cælum ascenderat, die in pomeridianum tempus paulatim inclinante, dixit se Crucis signum, ex lucis splendore figuratum, in ipso cælo, soli imminens, manifestò oculis aspexisse, inque eo inscriptionem consignatam, quæ hæc verba complectitur EN τούτῳ νίκα, In hoc vince. Admiratio ingens ipsum, & totum exercitum, qui eum quopiam iter facientem comitabatur, atque adeo hujus prodigii spectator factus erat, incessit.*

XI. PROBATUR. Habes, ex Exsebio, signum Crucis, manifestò visum; uoo modò à Constantino, sed ab omni milite: & illi meritò arguendi sunt, qui odio Crucis in meridianam hanc lucem & veritatem pugnant. Aderant eodem tempore prodigii spe-

ARTEMIO TESTE. ctator, Artemius quidam, non è militum vulgo, sed Augustali præfecturâ illustris: qui, quid tunc viderit, postea Juliano Apostatæ, cum ob Christianam fidem accusaretur, enarravit. *Ad Chri-*

Acto apud Metaphrast. 20. Octob. *stum*, inquit, *declinavit Constantinus, ab illo vocatus, quando difficillimum commisit prælium adversus Maxentium. Tunc enim ei, in meridie, apparuit signum Crucis, radiis solis splendidius, & literis aureis, belli significans victoriam. Nam nos quoque ipsi aspeximus, cum bello interessemus, & literas legimus. Quin etiam totus exercitus, id quoque contemplatus est: & multi hujus sunt testes in exercitu tuo.* Hæc ipse, Crucis inimico. quæ non dixisset tam constanter, si Crucis signum visum non fuisset. Et quoniam sine dubio, infideles etiam, Crucem viderunt, juvat ab eis petere suffragium. non quod illi Crucem nominabunt: sed quia ea referent; unde prudens quisque colligere poterit, Crucem imprimis à Constantino visam. Si enim dixerint, illum adversi ominis significationem habuisse, eoque exterritum militem, & consultos aruspices, infausta respondisse, ac bellum deprecatos esse: quis non intelligit, Crucis signum fuisse: quod lethale & execrandum omen Romani horrebant; & sacrificuli, non aliud portendi, quàm delendum exercitum, censebant.

Panegyrici Oratores, qui omnia Constantini XII. ET TESTIMONIO INFIDELIUM.

facta numerarunt, ostenti quoque hujus mentionem faciunt. Nazarius ita loquitur: *In ore*, inquit, *Nazar paneg. 7.*

est omnium Galliarum exercitus visos, qui se divinitùs missos præferebant. Et quamvis cælestia sub oculis hominum venire non soleant, quod crassam & caligantem aciem simplex & inconcreta substantia naturæ tenuis eludat: Illi tamen auxiliatores tui aspici, audireque patientes, ubi meritum tuum testificati sunt, mortalis visus contagium refugerunt. Sed quænam illa dicitur species, qui vigor corporum, quæ amplitudo membrorum, quæ alacritas voluntatum! Flagrabant verendum, nescio quid, umbone corusci, & cælestium armorum lux terribilis ardebat. Tales enim venerant, ut tui crederentur. Hæc ipsorum sermocinatio, hoc inter audientes ferebant. Constantinum petimus, Constantino imus auxilio. Habent profectò & divina jactantiam, & cælestia quoque tangit ambitio. Illi cælo lapsi, illi divinitùs missi gloriabantur quod tibi militabant. Ita ille, de rebus in cælo mirabiliter visis. Sed Oratorum alter, Crucem sine dubio intellexit, cum Constantinum laudat, quod in omnia portenta, etiam adversissima, constanter pugnaverit, neglecto Aruspicum responso. *Tene Imperator* (inquit) *tantum animo* *Incerti paneg. 6.*

potuisse præsumere; ut bellum tantis opibus, tanto consensu avaritiæ, tanta vernæ desperatione conflatum; quiescentibus, cunctantibusque, tunc imperii tui sociis, primus invaderes. Quisnam te, Deus, quæ tam potens hortata est majestas, ut omnibus ferè tuis comitibus, & ducibus, non solum tacitè mussantibus, sed OMEN apertè timentibus, contra consilia hominum, contra aruspicum monita, ipse per temet liberandæ urbis tempus venisse sentires. Habes profectò aliquid, cum illa divina mente, Constantine, secretum, quæ delegatâ nostri Diis minoribus curá, uni se tibi dignatur ostendere. & paulò infrà. *Vix enim quarta parte exercitus, contra centum millia armatorum hostium, Alpes transgressus es; ut appareret penitùs considerantibus id quod nos fugit in amore trepidantes, non dubiam te, sed promissam divinitùs petere victoriam.*

XIII. CONCLUSIO E DICTIS. Hinc colligere est non tantùm, visum à Constantino signum Crucis, quod Aruspices, & omnes ferè Comites, Ducesque timebant: sed lectam etiam, à milite, Crucis Epigraphen. ἐν τούτῳ νίκα, *in hoc vince:* & ideo ab Oratore dici promissam divinitus victoriam. Iterum, cum dicitur, *omnes ferè Comites Ducesque* timuisse; Christianos etiam in exercitu fuisse, qui omen non timebant, argumentum est. qui fortè promissam divinitùs victoriam significari noverant, Crucis hieroglyphicon, etiam si literæ non adfuissent. Hos autem Constantino aperuisse Crucis, & prodigii mysterium, mihi facilè persuadeo: nisi velis cum Sozomeno dicere, sanctos Angelos in cælo quoque apparuisse, qui Constantinum de victoriâ, per crucem obtinendâ, monerent. Ait enim: *Sozom l. 1. c. 3.*

ANGELI APPARENT. *Constantinus in tali cogitatione positus, per visionem, signum Crucis, in cælo splendescens, conspicatus est. Atque ei, jam visione obstupefacto, sancti Angeli astantes dixerunt: In hoc, o Constantine, vinces.* Zonaras quoque ait Constantinum vidisse armatum *Zonar. co. a*

equitem,

equitem, signum Crucis, pro vexillo, præferentem. Hi nimirum sunt illi, *auxiliatores, aspici audiriq; patientes.* & *visi exercitus*, quorum supra mentio. Hinc etiam Constantino nata religio in Crucem, & Angelos. nam Angelis fuisse ipsum devotissimum infrà patebit, cùm templum S. Michaëli, Angelorum principi, ab ipso positum referemus. De Cruce statim disputabo, ex quibus omnibus constat, quicquid sectarii tergiversentur, Crucis signum visum à Constantino, & promissam in Cruce victoriam. Superest, ut hujus Crucis, & apparitionis mysterium propiùs contemplemur.

V. an. 330. n. 1.

XIV. CHRISTUS CONSTANTINUM DOCET CRUCIS MYSTERIUM.

Euseb. l. 1. c. 23.

Narrat Eusebius, Constantinum, à visâ Cruce, *dubitatione admodum intra se distractum, quid tandem ostentum illud sibi vellet. Atque cum diu multumq; de eo, dubitantem oppressit nox. Ibi ei dormienti Christum Dei, cum signo in cælo monstrato visum esse; præcepisseq;, ut exemplari ad imitationem illius signi, quod in cælo apparuerat, fabricato eo tanquam præsidio, in præliis, cum hostibus committendis, uteretur.* Non dubitavit Constantinus, visam à se Crucem, nec promissam Cruce victoriam. nam hoc, ut dixi, Christiani, qui aderant, & ipsum cælum dictaverat: sed quomodo Cruce pugnandum. Christus autem, noctu apparens, docuit, militare signum, quod exercitui præferri solebat, non ultrà falsorum numinum effigie; sed imagine Crucis ornandum. Hic iterum sectarii nugas vendunt, cum Christi apparentis verba, novo & priscis inaudito glossemate, exponunt. Joannes Foxius, cum miraculum Crucis retulisset, monet Lectorem: Crucem in cælo visam. non ut illam Christiani colerent; sed ut ejus imagine, ad Crucifixi fidem & agnitionem surgerent. Ex eodem fonte potaverunt Magdeburgenses, qui ita scribunt: *Monuerat Deus Constantinum, per signum Crucis, & literas additas, IN HOC VINCE, de agnitione & invocatione verbi Dei & Domini nostri IESV CHRISTI: in cujus rei memoriam, id signum vexillo inscribi curavit, ut esset tanquam symbolum religionis Christianæ: quamobrem Deus etiam, non ob superstitiosam hominum opinionem; quasi in eo signo vis inesset; sed propter agnitionem Dei, fidem, invocationem & professionem veræ religionis fecit, ut quædam mirabilia circa id signum acciderint.*

Fox. l. 1. fol. 85.

FOXII COMMENTUM.

Cent. 4. c. 13. fo. 0430.

XV. REIICITUR.

Si hos divinæ mentis interpretes audire volumus; ut nulla Cruci virtus; ita nulla erit reverentia; & Constantinum Christus malè docuit, cum jussit illum, Crucem, *præsidii loco* habere. quod certè habere non potuit; si nulla omnino Cruci vis inesset. Constantinus itaque aliter Christum intellexit. nam Eusebio teste: *Ille simul atque dies illuxit, surgens primùm, arcanum illud visum amicis exponit. Deinde artificibus, qui aurum, & lapides pretiosos, affabrè sculpere norant, accersitis; medio inter illos loco assidet, verbis signi describit effigiem; eam auro, & lapidibus pretiosis, imitatione adumbrare mandat.* Tum narratâ vexilli descriptione: *Isto*, inquit, *salutari signo, Imperator, tanquam hostilis cujusdam & infestæ violentiæ propugnaculo, semper usus est: cujus expressæ similitudines mandavit, ut universum exercitum perpetuò antecederent.* Nec unam tantummodo Crucem, cum eximiâ in Crucem pietate, formavit Constantinus: sed innumeras, publicè, privatim, in diversis locis constituit: quibus Romanum imperium, ceu tot arcibus muniretur. Denique Regiam suam, insigni Crucis imagine, ex gemmis & unionibus confectâ, illustravit: non alium in finem, quàm ut Cruces istæ, firmum essent Regni propugnaculum. Audi Eusebium hæc omnia referentem. *Tantus & tam divinus amor Imperatoris animum complexus est; ut in ipso palatii introitu, in ædificio omnium excellentissimo, in medio tecti, laqueari inaurato; in tabulâ maximâ explicatâ, salutaris passionis insigne, & lapillis pretiosis cujusque modi, auroq; multo, politè elaboratis confectum, figendum curaverit. Istud Imperatori sanctissimò, Regni firmum videbatur esse propugnaculum.* Hæc ille, & omnia, sine dubio, Constantinum Christus docuit, cum Crucis mysterium explicavit.

Euseb. l. 1. c. 24.

Idem suprà c. 25.

Euseb. l. 3. c. 48.

XVI. CONSTANTINI FIDUCIA IN CRUCE.

Incert. panag. 6.

Nazarii paneg. 7.

Hinc nata est Constantino ingens victoriæ spes; quæ illum ad pugnandum adeò impulit; ut ardorem constantiamque ejus, in re difficillimâ, infideles vehementer admirati sint. Eorum unus ita loquitur. *Talis igitur ad liberandam Italiam, & tam tutus accedis, ut cum res bellica cæcos eventus habeat, in te tamen dimicandi voluntatem, pro victoriæ pignore tenebas, etsi abessent auxilia divina.* Idem intellexit Incerti Author, cum dixit: *Primum illud arripiam, quod credo neminem adhuc ausum fuisse, ut ante de Constantia expeditionis tuæ dicam, quam de laude victoriæ.* quod sequitur, in panegyri, difficultatem habet, è corrupta scriptione; & à doctis sudatum, pro vera lectione, quam nemo, opinor, assecutus est. dicit ergo Incerti Author consequenter ad prædicta. *Transacto enim nutu adversi ominis, & offensionis revocata, utar libertate erga te nostri amoris, quem tunc inter Resp. metus & vota suspendimus. Tene Imperator, tantum animo potuisse præsumere ut bellum tantis opibus,* &c. quæ suprà retuli. nam certum est, de expeditione in Maxentium esse sermonem. Livineius ergo, qui panegyricos illustrat, benè prima verba corrigit è Carolo Langio: *Transacto metu adversi ominis*, hoc est, cum Crucem Constantinus, non malum, sed fœlicissimum omen prædicasset. Sed quid illud: *offensionis revocata.* nodus certè est, & locus perdifficilis, in quo mihi ipse non admodum satisfaciam, inquit Livineius, putat tamen legendum *offenso revocato.* pro offensa, scilicet ipsius ominis memoria, & sermone omnium repetiti. *Estq; hæc omnino, ut ariolor*, inquit, *sententia. nam victoria parta, quamlibet Comitum ac Ducum tuorum, atque omnium nostrum, longè aliud omen, ac metus erat superatâ, inquam, hâc diffidentiâ publicâ, & sinistrâ omnis significatione, in melius conversâ: in cujus interpretatione, in pejorem partem, fieri potest, ut aliquid peccatum, cum tibi Constantine secretior quædam ratio constaret.* Ita ille, sed duriusculus est sensus. facilior si legis. *Transacto metu adversi ominis, & ostensionis renovata*, quasi diceret, post omen in cælo visum, & illius ominis expositionem noctu factam: tunc Imperator tantum animo præsumpsisti, ut cum exigua militum manu in Maxentium & infinitum populum pugnares.

Livine. in notis ad paneg. 6.

RESTITUITUR PANEGYRICI LOCUS.

XVII. HINC USUS ET CULTUS CRUCIS.

Credidit ergo Constantinus, à Deo doctus, Cruci vim inesse: & illi sunt falsi interpretes, qui aut ex apparentis Christi verbis, aut factis Constantini, contrarium collegerunt. Ex hac fide, veluti è fonte, surrexit apud orthodoxos, usus & consuetudo formandi Crucem, surrexit & cultus. utrumque suprà in Albano ostendi, illi sæculo familiare fuisse: verùm post hanc Constantini visionem, post Christum, visionis interpretem, & maximè post Helenæ industriam, ipsammet Christi Crucem, è tenebris, eruentis,

illustrissimum fuit, ut patebit hujus sæculi fidem & facta intuenti. & esto nunc in exemplum, tam usus, quàm cultus Crucis, novus tyro, sed è cælo doctus Constantinus: qui, si usum spectes, ubique Cruce pugnavit, Cruce vicit, cum Cruce deoique triumphavit: si cultum; Crucem à milite, ab exercitu, ab omnibus coli mandavit: & ipse cum illis Crucem veneratus est, Cruci plurimum detulit honoris, & omnem victoriæ laudem: denique Cruci templum constituit. Quæ omnia servato rerum gestarum ordine referemus: quo videat Lector, Britannicæ Ecclesiæ faciem, quam suprà in Lucio Rege, deinde in Albano martyre exposui, eandem in Constantino cernet & illos procul omni dubio, primitivæ Ecclesiæ faciem, pessimo foco, adulterasse, qui Crucem è templis, locisque publicis, è tectis privatisque ædibus; & demùm quantum possint ex hominum memoria eliminare & eradere contendunt.

XVIII. Constantinus Cruce armatur.

Constantinus ingenti miraculo, loquente cælo, & docente Christo, ad pugnam animatus; in Maxentium armatur, nulla in idolis spe, sed certissimâ in unum Deum fiduciâ, quam Crucis epigraphe instillarat. Quamobrem simulacrum illud, quo hactenus in militiâ usus fuerat, jubet ab exercitu amoveri; & ejus loco poni cæleste signum, quod nuper conspexerat. Crucem ergo, quam artifices, ejus jussu, eleganter formaverant, vexillo curat imponi, & exercitui præferri.

Sozome. l. 1. c. 4.

Quod Sozomenus ita expressit: *Imperator*, inquit, *prophetias de Christo admiratus; mandatum viris arte peritis dat, ut signum, quod a Romanis labarum vocatur, in effigiem Crucis, auro & lapidibus pretiosis collustratam, mutarent.* Si hujus facti sensum excutio; quis dubitat Constantini mentem consiliumque fuisse; exturbatis falsorum Deorum imaginibus; quæ labaro impressa, pugnante militia, explicari solebant, vocarique in subsidium; Crucem, in cultum substitui. Sed non est opus hunc sensum curiosâ aliquâ indagine eruere; cum idem Author expressè dicat, Crucem à milite adorari solitam. *Hoc signum bellicum*, inquit, *in multo majore honore, quam alia, propterea fuit, quod semper Imperatorem antecedere, & à militibus adorari consuevit. Quod quidem cum signum esset Imperii Romani omnium præstantissimum, arbitror à Constantino, ob hanc causam imprimis, signum Crucis mutatum, ut assiduo ejus aspectu, & CVLTV, subjectos suos pedetentim a Patriis ritibus desuefaceret; eumq; solum Deum existimarent, quem coleret Imperator: atque illo Duce & adjutore in bello, contra hostes gerendo uterentur.* & hoc est quod modò dixi, in locum idolorum, quæ à milite coli & invocari solebant, Crucem subrogatam esse: & à Cruce imposterum subsidium expectandum quod cælum promiserat, illo oraculo: ἐν τούτῳ νίκα.

Sozom. sup. Spelman. ad an. 312.

Unde corruit Spelmanni expositio, de *religione castrensi*, à divino cultu distinctâ. quasi Constantini miles, qui Aquilas, olim, dracones & lupos, militari modo coluisset; nunc eorum loco Crucem coleret. nam hic de cultu Deorum, & Patriis ritibus, & de adoratione, est expressa mentio.

XIX. Forma labari.

Euseb. l. 1. c. 25.

Quale fuerit hoc militare signum, Imperatorem semper antecedens, Eusebius ita declarat. *Hastile oblongum*, inquit, *erectumq; auro undique obductum fuit: quod cornu habuit transversum, ad formam Crucis constructum: supra in fastigio ipsius operis corona affixa lapidibus pretiosis, & auro politè circumtexta. In ea salutaris appellationis Servatoris nota inscripta, duobus solum expressa elementis, id est, duabus primis literis nominis Christi (erat enim litera P. in ipso medio litera X. curiosè & subtiliter inserta) qua totum Christi nomen perspicuè significavit. Quas quidem literas, deinceps semper Imperator, in galeâ gestare consuevit. Ad cornu illius particula, qua ex transverso erat, per hastile trajecta, velamen quoddam pertenue appensum adhæsit, regalis videlicet & magnifica textura, mirabili varietate lapidum pretiosorum artificiosè conjunctorum, lucisq; sua claritate pulchrè resplendescentium depicta, & multo auro intertextas quæ dici non potest, quantam spectatoribus, ob suam pulchritudinem excitaret admirationem. Istud igitur velamen ad cornu affixum, longitudinis latitudinisq; Crucis mensuram penitus exæquavit. Oblongum verò, & erectum hastile, in sublimi appensum; cujus pars inferior, versus basim longius ducta fuit, sub ipsum Crucis insigne ad texturæ discurrentis fimbrias, auream pii Imperatoris pariter ac liberorum suorum effigiem, ad pectus usque concinnè descripsam continuit.* Hactenus labari descriptio, ex Eusebio. cui illud Constantinus ostenderat: mandaveratque exercitum semper antecedere.

XX. Constantini galea qualis.

Cæterùm quod addit Eusebius, Imperatorem prædictas Christi nominis literas, in galeâ etiam semper gestasse in modum Crucis, magnam arguit Constantini pietatem, affectumque in Christum, & Crucem ejus. unde, qui nomen illud Christi primus sublime posuit, & in Regum vertice, merito Christianorum Imperatorum primus, Princepsque audit. Extat nummus æreus apud Baronium, in quo Constantini juvenis effigies cernitur, galea induti, Cruce, & literis illis illustri: hanc in religiosi Imperatoris æternam memoriam typis excudendam, & in Britannicæ Ecclesiæ Annalibus collocandam duximus.





Num. apud Baro. an. 312. n. 31

Cur Cruce frons signetur.

Euseb. l. 3. c. 11.

Nec in galeâ tantùm, Crucem portavit Constantinus; sed fronti illam solitus imprimere, docuit posteros vim Cruci inesse. testatur hoc Eusebius oculatus testis: *Interdum Constantinus*, inquit, *vultum salutari illa passionis signavit notâ: nonnunquam trophæo illo victorioso plurimum se extulit.* Si causam quæras, cur Cruce frons signetur, præter dicta superiùs in Albano, accipe, à viro hujus sæculi, causam aliam. sic enim canit Prudentius:

An. 286. 29.

Pruden. hym. 6.

Fac cum vocante somno
Castum petis cubile,
Frontem locumq; cordis
Crucis figura signet.
Crux pellit omne crimen,
Fugiunt Crucem tenebræ
Tali dicata signo
Mens fluctuare nescit.

XXI.

Ejusdem ævi est Cyrillus Hierosolymitanus, qui catechesi quartâ, docet frontem Cruce signandam, & cur id fiat eandem reddit rationem. *Signa te*, inquit, *Cruce in fronte, ut dæmones signum*

Cyril. Catechef. 4.

Regis

Regis videntes, trementes procul fugiant. Fac autem hoc signum, & manducans, & bibens, & sedens, & stans, & loquens, & ambulans, in summâ, in omni negotio tuo. Nec cæpit hoc sæculo usus crucis, quod olim aliqui objecerunt apud Prudentium, qui eleganti carmine contrarium probat. ita

ANTIQUUS USUS CRUCIS. *Prud. hym. 10.*

Crux ista Christi quam novellam dicitis,
Nascente mundo, factus ut primum est homo,
Expressa signis, expedita est literis:
Adventus ejus mille per miracula
Prænuntiatus ore vatum consono.
Reges, Prophetæ, Iudices & Principes,
Virtute, bellis, cultibus sacris, stylo,
Non destiterunt pingere hanc formam Crucis.
Crux prænotata, crux adumbrata est prius,
Crucem vetusta combiberunt sæcula.
Tandem retectis vocibus propheticis,
Ætate nostra, comprobata antiquitas
Coram refulsit ore conspicabili:
Ne fluctuaret veritas dubiâ fide
Si non pateret teste visu cominus.
Hinc nos, & ipsum non perire credimus,
Corpus vorandum, quod sepulchro traditur
Quia Christus in se mortuum corpus Crucì
Secum excitatum vexit ad solium Patris
Viamq; cunctis ad resurgendum dedit.

XXII. CONSTANTINI EXPEDITIO IN MAXENTIUM. ET ITINERA. *Euseb. l. 1. c. 22.*

Constantinus, Cruce in galeâ, & fronte munitusque cum exercitu etiam Crucem præferente, è Galliis, ubi Crux apparuit, in Italiam pergit: vel ut Eusebii verbis utar: *Deo omnium moderatore, sibi patrono, ante oculos proposito, & Christo Servatore adjutoreq; invocato, & salutari signo, tanquam victoriæ trophæo, ante armatos & satellites collocato, cum toto exercitu procedit, Romanis libertatem, quam à majoribus accepissent, recuperaturus.* Pergit Author narrare, ut cum Maxentio concurrerit. Sed priusquam ad urbem accedo, explicabo paulò latiùs Britanni Principis itinera, & Crucis gloriam.

SEGUSIENSES VINCUNTUR.

Ut in Rheno movit exercitus, Alpes versus, primum impetum in Segusiensium civitatem fecit (est populus trans Rhenum, Sequanis & Æduis finitimus, inter Lausanensem & Lugdunensem provinciam) quæ Constantino restiterat, quam ille, trophæo Crucis, facilè perrupit. meminit commissi hic prælii, Nazarii panegyricus; qui cum Imperatoris exercitum Cælestem vocavisset (fortè ob cæleste signum militi prælatum.) Ita Constantinum laudat: *Primam igitur Segusiensium civitatem, quæ primam iter dederat, victoria facilis amplexa est. Quæ resistendi pertinaciâ, ita in se Imperatoris vim convertit; ut pietatem tamen non alienaverit. Nam cum introitus, vi, manu quæreretur, & portarum inflammatio ignem latè distulisset, cujus facilis per adjuncta contagio, pastu pestifero, valescebat, maxima benignissimi Imperatoris fuit cura; non modo ut incendium non adjutum sen sceret; sed oppressum emori posset. Itaque digrediens sic cupiditatem suis fecit, ut eam ad omne obsequium, non victoriæ metus componeret, sed admiratio lenitatis.*

Nazar paneg. 7.

Author incerti panegyrici paulò clariùs, hoc Constantini facinus ita refert. *Probavit hoc prima obstinatio eorum qui sub ipsis Alpium jugis, munitissimo licet muro, ac situ tenentes oppidum, ausi fuerunt, te imminente, resistere, ac portas claudere; non credentes illi quidem teipsum adesse (Quis enim crederet tam citò, è Rheno, ad Alpes, Imperatorem, cum exercitu, advolasse?) sed tamen, non solùm præsenti numini tuo, verùm etiam nuntiationi nominis, cedere debebant. Luerunt igitur illicò dementia sua pœnas; cum oblatam sibi, à clementiâ veniam recusassent. Neque enim vallo, fossaq; obsessio inchoata est; nec cuniculis agendis, nec machinis admovendis, nec incutiendo ariete, tentati, quassatiq; sunt muri: sed statim injectæ faces portis, scalæ propugnaculis. Nec solum fundis (actum est) eminùs, telisq; missilibus, sed hastis & gladiis. Ita res simul capta, & patrata, junctumq; rebellibus fuit conatus & exitus.*

Incerti pan. 4.

XXIII. ET TAURINATES. *Incerti sup.*

Vix ex Alpium jugo descenderat miles in Italiam; cum ecce tibi in Taurinis aliqui, pro Maxentio, in Constantinum surrexere; sed victi statim profligatique sunt, teste panegyrista, pugnæ modum ita explicante. *Tibi, Constantine, paulò post, alia in Taurinatibus campis, pugna pugnata est, non trepidantibus ex tuâ victoriâ rebellibus; sed iratu incensisq; ad ulciscendum animis; quos fortunæ inclinatio restringere debuisset. Nec verò temerè, ac passim, magis hostibus, ut facilè palantes cæderentur; sed acie, in cunei modum structâ descendentibus retrò in altitudinem lateribus; quæ si cum prima avidè confligeret, reflexa impeditos certamine circuiret. Sed tu id providens, præmissis utrimque, qui obviam irent; & simul, si quid insidiarum lateret, excuterent; ipse obfirmato illo capite, dejectaq; acie, in fugam versâ; tanto majorem in processu stragem edidisti; quanto amplioribus subsidiis instructa constiterat. Ita usque ad Taurinatium muros, fusi, cæsiq; obseratasq; nacti portas, ab incolis, etiam corporum suorum mole, clauserunt.* Adde præterea, quid ex hac victoriâ consecutum. *At non in Taurinatibus, neque cæteris Italiæ civitatibus, idem animus fuit; qui te, Imperator, exultantes gaudio certatim ad se vocaverunt. Missæ ab omnibus legationes; oblati undique commeatus. Qui fuit dies ille, quo Mediolanum ingressus? Quæ gratulatio principum civitatis? qui plausus populi? quæ securitas intuentium te matrum virginumq;? quàm duplici fructu fruebantur, cum pulcherrimi Imperatoris formam viderent, & licentiam non timerent? Ostentare se omnes, & tripudiare, sine ullo de reliquis belli metu; & auspicium victoriæ tuæ, pro consummatione, metiebantur. Non Transpadana provincia videbatur recepta, sed Roma.* Pergit Author pluribus narrare Veronensium calamitates, qui numero militum fisi; Constantino, cujus minor erat exercitus, sunt ausi resistere.

ET VERONENSES.

XXIV. ARGUITUR ERRORIS ZOSIMUS. *Zosim. l. 2.*

Hic Zosimus, Constantinianæ virtutis juratus hostis, erroris arguendus est, dum Imperatoris victorias elevans, scribit ipsum, cum ingenti exercitu, in Italiam profectum, Maxentium expugnasse. *Collectis*, inquit, *copiis ex redactis in potestatem barbaris, & Germanis, & aliis Celticis nationibus; itemq; de Britanniâ coactis militibus; qui omnes erant ad nonaginta millia peditum, & octo millia equitum, ex Alpibus in Italiam movebat; ac oppida quidem, per inducias se dedentia, nullo damno mulctabat; ad arma verò tendentia, in deditionem redigebat.* Sed Author apertè Crucis gloriam obscurare nititur. Constat enim Maxentium longè majores vires habuisse. unde conqueritur Author incerti apud panegyricos, quod Constantinus parvam militum manum exposuerit magno exercitui. *An ostentare voluisti*, inquit, *diligentiam tuam, aut etiam jactanter & gloriosè probare liberandæ urbi te sufficere cum paucis? Vix enim quarta parte exercitum, contra centum millia armatorum hostium Alpes transgressus es.* & paulò infrà. *Tu verò etiam minoribus copiis (suprà numeraverat quadraginta millia) bellum aggressus es; tanto scilicet tua virtute potior, quanto ille numero instructior.*

Incerti pan. 6.

CONSTANTINI EXERCITUS, MINOR MAXENTII.

Zosim. supra.

Sed quicquid fit de numero militum Constantini, fatetur Zosimus. *Cum Maxentio*, inquit, *longè majoribus copiis semet instruente, Romanorum & Italorum octoginta millia se ad belli societatem conjunxerant: Itemq; Thusci, quotquot universam oram maritimam incolebant. Præbebant & Carthaginenses exercitum quadraginta millium, & præter hos Siculi: adeo quidem ut totus exercitus centum & septuaginta peditum, & decem atque octo millibus equitum constaret.* hæc ille. unde sine dubio instructior Maxentius fuit. & miraculo potiùs, quàm humanis viribus pugnasse Constantinum disertè affirmavit infidelis Nazarius. *Te tamen*, inquit, *non terruit; nec quod tanto numero duplicabat armatura terrorem; nec quod vim armis numerus addebat. Certum est, pro negotii modo animosam esse virtutem.* Tum plu ibus, recensita adversariorum acie, & ferratis agminibus, ita concludit: *Ad unum interfectis omnibus, tuis integris, horrorem armorum ad miraculum victoriæ transtulerunt. quod qui invulnerabiles habebantur; sine tuorum vulneribus interiissent.* Ita ille, de pugnâ, apud Taurinates; ubi habes virtutem Crucis, quam ante milites, ceu victoriæ trophæum, signifer ferebat.

Nazar. paneg. 7.

XXV. Pugna Veronensis.

Ad Veronenses redeo. & pugnantem ibi Constantini militem. Illuc plures, Brixiâ pulsi, ad præsidia majora contenderant, auxerantque hostem de quo Nazarius. *Ipsa autem Verona freta immanibus copiis, quas in unum adventus tui formido conduxerat; cum multorum jam cladem accepisset; facta est parumper metu cunctatior, non ratione fidelior. Muris se ab impetu vindicat. Aderat quidem Ruricius, experientissimus belli. & tyrannicorum Ducum columen. Per tota admodum mœnia, magna vis hominum, & apud Brixiam, plerique jam fracti.* Omitto quæ sequuntur, nocturnum prælium, Ruricii cladem, mortem plurimorum; solùm adverto in Constantino animi magnitudinem, quam sine dubio victoriæ trophæum crexerat; & inter summa pericula tutam fecerat. Quod Orator non dissimulat, dicens: *Tu tamen Imperator, non intutior tempore (noctu pugnatum) quam Deo tectior, cum sævissimo hosti multus instares; & libertate cædis exultans, donum noctis duceres, quod pugnantes nemo servaret. Per infestas acies interritus vadis, densissima quæque perrumpis, dejicis, proteris. Nihil enim te permovent tubarum fracta voces, horrendus militum clamor, permissa casibus vulnera, illisi cominus gladii, cadentium graves gemitus, arma latè strepentia,* &c. Recenset hoc prælium alius Orator, & amicè ita Constantinum se in pericula projicientem increpat. *Laudare me putas, Imperator, cuncta quæ in illo prælio feceris. Ego vero iterum queror. Prospexeras omnia, disposueras universa, summi Imperatoris officia compleveras, cur ipse pugnasti? cur te densissimus hostium globus inferuisti? Cur salutem Reip. in pericula tanta misisti? An nescire nos putes, quod dum nimio raperis ardore; in media hostium tela devenĕras: & nisi viam tibi cædibus aperuisses; spem totius generis humani, & vota deceperas.*

Ubi suprà.

Incerti paneg. 6.

XXVI.

Idem suprà.

Con-stantini fiducia.

Addit idem Author; ut Ruricium aggressus Constantinus; eundem fuderit, divinitùs à periculo omni servatus; & tantùm non nominat Crucem. *An non te cæsis fugatisq; hostibus; interfectoq; etiam ipso eorum Duce, Comites & Tribuni corripuere lacrymantes; amplexiq; tuum illud anhelum pectus, cruentas manus, & quicquid de sanguine profundæ cædis emerseras; hinc atque inde clamarunt: Quid egeras Imperator? in qua nos fata projeceras, nisi te divina virtus tua vindicasset?* Doctissimè hunc locum panegyrici commentatur Baronius ita: *Tantam Constantinus ex Christi nomine, Crucisq; virtute fiduciam animo conceperat; ut ardua quæque, ac dura, dixerim & impossibilia; illi facilia, plana, viderentur, atque secura. Oraculo namque illo semel persuaso: In hoc vince: semper sibi idem visum est esse vocale. illudq; propheticum veluti cælesti classico jugiter intonari. Ego ante te ibo, & gloriosos terræ humiliabo: portas æreas conteram, & vectes ferreos confringam.* Nunc quæ sunt Constantini reliqua prosequamur. nam magnis passibus, ad universi Orbis conversionem, Crux festinat. & libenter colligam ejus vestigia, spoliaque.

Baron. hic n. 43.

E Cruce.

XXVII. Aquileia capitur. Et Mutina

Nazar. paneg. 7.

Imperator, his, Crucis virtute, partis; nihil à tergo relinquens, quod morari victoriam posset, vi cepit Aquileiam, dato obsessis tempore pœnitendi. Pugnavit deinde in Mutinam, cæterasque urbes, quibus propter insecutus incredibilium bonorum commoditates, gratissima fuit (nisi Constantino Nazarius adulatur) ipsius oppugnationis injuria. Demum recuperatâ omni cis Padum Italiâ, Roma Maxentii sceleribus fessa, iterum supplices Constantino manus porrigebat. Jam sexennio monstrum illud urbi insederat, nihil ausum conari, ad tot nuntios suarum cladium; nimirum degeneres animos timor arguebat. *Stultum & nequam animal* (loquitur Author incerti) *nunquam extra parietes egredi audebat. ita enim aut prodigiis, aut metus sui præsagiis movebatur. Non ille aspirare in campum, non exercere armis, sed tantum, in suo palatio, marmoreis parietibus incedere. Nam in Salustianos hortos ire, peregrinatio & expeditio putabatur,* &c. *At ne tum quidem, cum tot adversa suorum prælia comperisset, obviam ire conatus est ad insistendum; cum Padi limite, aut Apennini jugis uteretur; sed literas calamitatum suarum indices supprimebat. Interdum etiam palam, ut usque ad portas veniretur, optabat; non intelligens majestatem illam urbis, quam pridem corruperat; flagitiis ipsius deformatam, ad Constantini auxilia suspirare.* Sequitur ultima, & fatalis pugna, quam Roma læta spectavit.

Quid interim Maxentius.

Incerti pan. 6.

XXVIII. Constantino occurrit Maxentius.

Paneg. 6.

Ut urbi appropinquavit Constantinus Imperator, Maxentius è vestigio, ad pontem Milvium educit exercitum; properatque eo modo ad exitum suum. *Potuisset ille quidem* (inquit Orator) *debitas Rep. pœnas, obsidione differre; nam exhaustâ Africâ, & exinanitis Insulis, infiniti temporis annonam congesserat: sed divina mens, & ipsius urbis æterna Majestas, nefario homini eripuere consilia; ut ex inveterato illo torpore, ac sædissimis latebris, subitò prorumperet; & consumpto, per desidiam, sexennio, ipsum diem natalis sui, ultima sua cæde signaret; ne septenarium numerum, sacrum ac religiosum, inchoando violaret. At quo modo instruxit aciem tot annorum vernula purpuratus? Ita prorsus, ne quis suorum evadere, ne loco motus referre gradum, & instaurare prælium posset: cum à fronte armis, à tergo Tyberi flumine premeretur. Enimvero commodum accidit, ut ante biduum, è Palatio, cum uxore & filio, in privatam domum sponte concesserit; immortali Deo ita ordinante, ut Constantinus jam olim exspectatus, dignior q; habitator, augustis illis ædibus, diu exhalatis expiatisq; succederet.* Hæc ille. Maxentius igitur, apud Tyberim fluvium, suos instruxit, sic ad ripam collocatos; ut ultimorum vestigia, præsagio quodam venturæ cladis, fatalis unda alluerct.

XXIX. *Euseb. l. 1. c. 32.* MILVII PONTIS COMPOSITIO.

Narrat Eusebius, quomodo Maxentios, ad vires suas fraudem addiderit, pontemque Milvium, ita dolosè composuerit, ut artificis arbitrio solvi, nullo negotio posset. Cum interim Constantinus noster compositis ordinibus suis, prælataque Cruce, primus aciem invadit. & *Obumbrant euntem*, inquit Nazarius, *telorum irrites jactus, sonat ictibus umbo securus. Hos quos crabalu hasta dejicit, insultans ferus proterit. fulget nobilis GALEA, & corusca luce gemmarum divinum verticem monstrat: auro clypeus, auro arma collucent. O quam vim possides virtus, qua in hoc habitu, plus terroris præferas, quàm decoris!* Intelligit sine dubio Crucis vexillum, quod suprà dixi, auro & argento affabrè confectum & galeam, Crucis Christique nomine, coruscantem, quæ licet ad speciem elegantissima essent, dicit tamen plus terroris habuisse. Nec unus Constantinus cum terrore pugnavit. Sequitur enim: *Serunt hunc ardorem fortissimi milites; & dignos se ductu ejus imperioq; testati; sic viritim laboraverunt, quasi summa res singulorum manu teneretur.* Breviter ergo ad primum Imperatoris congressum, primumque impetum victoris exercitus, *territi fugatiq; hostes, & angustiis Milvii pontis exclusi, exceptis latrocinii illius primis authoribus (prætorianum militem significat) qui desperatá veniá, locum, quem pugna sumpserant, texere corporibus; cæteri omnes in fluvium abiere præcipites; ut tandem aliquod cædis compendium, fessis Constantini manibus eveniret, cum impios Tyberis hausisset. Ipsum etiam Maxentium; cum equo, & armis insignibus, frustrà conatum, per abrupta ripæ ulterioris evadere, idem Tyberis correptum gurgite devoravit; ne tam deforme prodigium, vel hanc obitus sui relinqueret famam, quod alicujus viri fortis gladio, telóve cecidisset.*

Nazar. pan. 7. CONSTANTINUS IN MAXENTIUM PUGNAT.

Idem suprà.

Incerti paneg. 6.

MAXENTIUS OCCIDITUR.

XXX. Ingens quidem hæc clades fuit, sed orbi jucundissima; cum in uno capite, impietas, tyrannis, & idola ceciderunt: & quicquid sordium, Imperii sedes, Roma, contraxerat, Tyberini vortices eluerunt. Eleganter ille fluvium appellavit, laudavitque ob hoc officium pietatis, Ethnicus Orator. *Sancte Tybris, quondam hospitis monitos Æneæ, mox Romuli conservator expositi. Tu nec falsum Romulum diu vivere, nec parricidam urbis passus es enatare. Tu Romæ tuæ altor, copiis subvehendis, tu munitor mœnibus ambiendis, meritò Constantini victoriæ particeps esse voluisti; ut ille hostem in te propelleret, tu necares. Neque enim semper es rapidus, ac torrens, sed pro temporum ratione moderatus. Tu quietus armatum Coclitem revexisti: Tibi se placido Clœlia virgo commisit. At nunc, violentus & turbidus, hostem Reip. & ne tuum lateret obsequium, cruentato cadavere, prodidisti.* Hæc ibi. & infert ut Populus Romanus, reperto Maxentii corpore, & suffixo capite, ac in hasta elató, in gaudia & vindictam exarserit. Verum sepulto in flagitiis tyranno, ad Constantinum transeo, ad ingressum ejus in urbem, ad Senatus populique Romani effusam lætitiam, & denique quod imprimis spectandum est, ad triumphum Crucis.

Incerti paneg. 6.

MAXENTII CADAVER LUDIBRIO HABITUM.

XXXI. *Nazar. paneg. 7.* VICTORIÆ EMOLUMENTA.

Nullus post Vrbem conditam Romano imperio dies illuxit (loquitur Panegyricus) *cujus tanta gratulatio, aut fuerit unquam, aut revera esse debuerit: nulli tam læti triumphi, nulli plausus, quos Annalium vetustas consecratos literis habet. Non agebantur quidem ante currum vincti Duces, sed incedebat tandem soluta nobilitas: non conjecti in carcerem barbari, sed educti è carcere Consulares. non captivi alienigenæ introitum illum honestarunt: sed Roma jam libera, nihil ex hostico excepit, sed seipsum recuperavit: nec præda auctior facta est, sed esse præda desiit: & (quo nihil adjici ad gloriæ magnitudinem potest) imperium recepit, quæ servitium sustinebat.* Cæterùm ut intelligas hos plausus, hoc commune gaudium deberi Deo magis, Crucisque virtuti, quàm Constantino; audi ipsum Constantinum, post occisum Maxentium, Deo gratias referentem. *Constantinus*, inquit Eusebius, *cum suo exercitu, Dei præsidio, victoriam assecutus, meritò sanè, licet non verbis; re tamen ipsa, similiter, cum Israelitis, & egregio Dei famulo Moyse, eadem ipsa, quæ ille olim contra impium tyrannum Pharaonem cecinisset; sic quodammodo suavi concentu suderit dixeritq;: † Cantemus Domino, gloriosè enim magnificatus est: equum & ascensorem dejecit in mare. Adjutor & protector factus est mihi ad salutem. Et quis similis tibi in Diis Domine, quis similis tibi? Gloriosus in sanctis, admirabilis, & præclarè faciens prodigia.* Videamus nunc, non loquentem, sed facientem id Constantinum.

Euseb. l. 1. c. 32 CONSTANTINUS IN DEUM REFERT ACCEPTAM VICTORIAM. *† Exod. 15.*

Jussit Imperator, cum solenniter urbem ingressus est, præferri toti exercitui signum Crucis: quo sciret Roma, se illis armis olim emptam, nunc redemptam esse. Voluit insuper, ut ipse etiam infidelis populus, ac Senatus omnis, ante Crucem procumberet, Christique nomen adoraret. quod eleganter Prudentius versibus expressit, qui cum dixisset:

XXXII. CRUCI DEFERRI MANDAT CONSTANTINUS.

Hoc signo invictus transmissis Alpibus ultor
Servitium solvit miserabile Constantinus;
Cum te pestiferá premeret Maxentius aulâ.

Prudent l. 1 contra Symmia.

Mox ejus scelera recensens, quæ suprà posui, infert Crucis triumphum, cultumque ejus ab omni ordine, & ita loquitur:

Testis Christicolæ Ducis adventantis in urbem
Milvius, exceptum, Tyberina in stagna, tyrannum
Præcipitans; quanam victricia viderit arma
Majestate regi; quod signum dextera vindex
Prætulerit; quali radiarint stemmate pila.
Christus purpureum gemmati textus in auro
Signabat labarum, clypeorum insignia Christus
Scripserat: ardebat summis Crux addita cristis.
Ipse Senatorum meminit clarissimus Ordo,
Qui tunc, concreto processit crine, catenis
Squallens carcereis, aut nexus compede vastâ;
Complexusq; pedes victoris ad inclyta flendo
Procubuit vexilla jacens. Tunc ille Senatus
Militiæ ultricis titulum, Christiq; verendum
Nomen adoravit, quod collucebat in armis.

Idem suprà.

XXXIII. En habes virtutem Crucis, cultumque ejus, ab omni ordine. licet enim Constantinus ibi non ponatur Cruci supplex: eum tamen sæpè sæpè eam honorasse facilè probatur. & eodem argumento, erroris convincetur Whitakerus, nuperæ fidei homo, qui in Edmundum Campianum ita scripsit. *Crucis signo, Constantinus; quod in aëre conspexerat, tanquam vexillo uti voluit, &c. Hanc tamen Crucem ab eo fuisse cultam ac adoratam nunquam evinces.* In hoc enim egregiè hallucinatus est: nam quæ hactenus diximus, satis significant quantum Constantinus Cruci detulerit, deferrique ab omnibus voluerit. Sed & Sozomenus disertè affirmat: Constantinus *Sanctæ Cruci plurimum honoris tribuit: tum propter subsidia in bello contrà hostes gerendo, ex ejus virtute sibi allata; tum propter divinam sibi, de ea oblatam visionem.* Quasi diceret: plurimum Cruci tribuit honoris; quia Christus illum, in visione, ita docuit; &

OMNIS ORDO CRUCEM COLUIT.

Whitak. contra Campia.

ET IPSE CONSTANTINUS.

Sozom. l. 1. c. 8.

quia per eam victorias obtinuit. Quibus ſi addas ædificatum à Conſtantino templum, in honorem ſanctæ Crucis; dices profectò eum valdè obeſæ naris eſſe, qui inde non poteſt colligere cultum Crucis. Si enim Jovis aut Martis ſtatuam, exercitum antecedere juſſiſſet, ſi illi plurimum honoris tribuiſſet, & tribui ab omnibus mandaſſet, ſi victoriæ ſummam eò retuliſſet, ſi denique idolo illi templum conſecraſſet, omni procul dubio, dici poſſet ſtatuam illam coluiſſe. Unde Henrico Spelmanno, nobili antiquitatis cultori, ſatisfieri poteſt, qui quærit unde probari poſſit, Romanos milites ſigna militaria adorare conſuevisse; dico enim hinc manifeſtè colligitur: non ſolùm Aquilas, & dracones, ſed idolum aliquod, puta Martem, Jovem, &c. exercitui præferri, colique ſolitos. Nec tacuit Prudentius alio carmine, purpuram, Crucis vexillo ſupplicem fuiſſe, cum ait:

Prudent in Apotheoſi.

Perdidit inſanos mendax Dodona vapores:
Mortua jam muta lugent oracula Cumæ:
Nec reſponſa refert Lybicis in Syrtibus Ammon.
Ipſa ſuis Chriſtum Capitolia Romula mærent,
Principibus lucere Deum, deſtructaq; templa
Imperio cecidiſſe Ducum. Jam purpura ſupplex
Sternitur Æneadæ Rectoris ad atria Chriſti,
Vexillumq; Crucis ſummus dominator adorat.

XXXIV. CRUCIS TRIUMPHUS. *Nazar paneg. 1.* Hoc igitur ritu, ingreſſus Romam Conſtantinus, vel potius, Conſtantino jubente, Crux triumphavit. Certè infideles, qui ingreſſum explicarunt, vitia debellata, domitam perfidiam, catenata fuiſſe crimina, confitentur; quod Cruci proprium. Ita Nazarius triumphum narrat: *Ducſ ſane omnibus videbantur ſubacta vitiorum agmina, quæ urbem graviter obſederant. Scelus domitum, victa perfidia, diffidens ſibi audacia, & importunitas catenata; furor vinctus, & cruenta crudelitas, inani terrore frendebat: ſuperbia atque arrogantia debellata, luxuries coërcita, & libido conſtricta nexu ferreo tenebantur. Sequebatur hunc comitatum tyranni ipſius teterrimum caput: ac ſi qua referentibus fides eſt; ſuberat adhuc ſævitia, & horrenda frontis minas mors ipſa non vicerat. Quis triumphus illuſtrior? quæ ſpecies pulchrior? quæ pompa felicior?* Quis neſcit hæc eſſe ſpolia Crucis? Quod non tantùm Conſtantinus ipſe agnovit, ſed voluit etiam ab omnibus agnoſci, cum inter honores publicos, erigi juſſit ſuam ſtatuam, dextra manu tenentem Crucem, quam ita inſcribi mandavit.

Euſeb l. 1. c. 33.

HOC SALUTARI SIGNO VERO FORTITUDINIS INDICIO CIVITATEM VESTRAM TYRANNIDIS JUGO LIBERAVI: ET S. P. Q. R. IN LIBERTATEM VINDICANS, PRISTINÆ AMPLITUDINI ET ET SPLENDORI RESTITUI.

In quo elogio, ceu brevi compendio, legis quæcumque ſuprà dixi, de virtute Crucis.

XXXV. DEO VERO TRIBUITUR VICTORIA. Confirmari poſſunt hæc omnia, ex nobiliſſima illâ Epigraphe, quam devicto Maxentio, è decreto Senatuſconſulti, Romæ poſuit: ubi non Romano more, Diis; ſed vero Deo, & juſtis armis quibus Conſtantinus pugnavit, victoria attribuitur, in hunc modum:

IMP. CÆS. FL. CONSTANTINO MAXIMO
P. F. AUGUSTO S. P. Q. R.
QUOD INSTINCTU DIVINITATIS, MENTIS MAGNITUDINE, CUM EXERCITU SUO TAM DE TYRANNO, QUAM DE OMNI EJUS FACTIONE, UNO TEMPORE, JUSTIS REMPUBLICAM ULTUS EST ARMIS. ARCUM TRIUMPHIS INSIGNEM DICAVIT.

Scitè ſcripſit Senatus, DIVINITATIS INSTINCTU; quo rem teſtatiſſimam; Crucis, inquam, Chriſtique apparitionem, innueret. Sed & idem Senatus, paulò poſt; quod gratum ſciebat Conſtantino ſignum, videtur illud inter ſacra retuliſſe. nam Orator ille, dum Senatus officia in Conſtantinum recenſet; inter alia ita loquitur. *Incerti paneg 4.* *Meritò igitur tibi, Conſtantine, & nuper Senatus ſignum Dei dedit: & paulò ante ſcutum & coronam, cuncta aurea dedicarunt; ut conſcientia debitum, aliqua ex parte relevarent. Sæpè enim, & ſæpe debetur, & divinitati ſimulacrum aureum, & virtuti ſcutum, & corona pietati.* Non legitur, inter triumphalia ornamenta, ſimulachrum poni conſuevisse: ſed tantum coronam & ſceptrum; ſimulacrum ergo divinitati poſitum, ſignum illud fuit, cujus beneficio Conſtantinus pugnavit, & vicit. illud, inquam, quod, teſte Euſebio: *Euſeb. l. 1. c. 33.* *Romæ in loco celebri, ac multum a populo frequentato, locatum fuit, cum hac inſcriptione HOC SALUTARI SIGNO*, &c. Sunt qui putent Crucis cultum, tunc primùm cœpiſſe: cum Conſtantinus hac victoriâ potitus, eandem coluit, colique mandavit. Hoc innuit Juſtus Lipſius, cum de Cruce diſputans, dixit l. 3. c. 15. *A Conſtantini primordiis ſalutaris Crux cœpta honorari. Cauſa & origo à victoria contra Tyrannum.* Sed id, de publico, præceptoque ab Auguſtis cultu, intellige: non de privato, uſurpatoque paſſim à fidelibus. nam ille, morienti in Cruce Chriſto coævus: & creſcente fidelium numero tam conſpicuus: ut non ſolùm inde Albanus noſter, pro Chriſtiano agnitus: ſed omnes ubique Chriſtiani, Crucicolæ nuncupati ſint, ut ſuprà. *V. an. 286. n. 33.*

ANNUS URBIS CONDITÆ 1064.

ANNUS CHRISTI 313.

MELCHIADIS PAPÆ 3.

CONSTANTINI IMP. 8.

: I. AD annum Chriſti trecenteſim… um tertium decimum, & Conſtantini ac Licinii tertiùm Conſulatum: ſcribit Horilegus, Conſtantinum Imperatorem, tres Helenæ avunculos in Senatum adſciviſſe: Traherium, ſive Traërnum, Marium, & Leolinum. *Floril hic.* *HELENÆ AVUNCULI IN SENATUM ADLECTI.* quod inde etiam probari videtur; quod Julianus Apoſtata, qui *memoriam Conſtantini* (loquitur Ammianus Marcellinus) *ut novatoris turbatoriſq; priſcarum legum, & moris antiquitus recepti, vexavit; eum aperte incuſans, quod barbaros, omnium primus, adusque faſces auxerat, & trabeas Conſulares.* *Marcel. l. 21. c.* Ver… ùm, quos

Juliano id displicet.

Apostata barbaros vocat; Roma, post victorem Constantinum, suos esse censuit, ut pulchrè cecinit Rutilius Numatianus, eo versu:

Religiosa patet peregrinæ Curia laudi,
Nec putat externos, quos decet esse suos.

Aliis placet.

Nazar. pan. 7.

Victor de Cæsar. c. 41.

Laudavit hoc Constantini factum panegyricus, dum ita Romæ gratulatur. *Sensisti Roma, tandem arcem te omnium gentium, & terrarum esse Reginam; cum ex omnibus provinciis, optimates viros, Curiæ tuæ pignoraveris: ut Senatus dignitas, non nomine, quàm re esset illustrior, cum ex totius orbis flore constaret.* Aurelius Victor hoc etiam intellexit, cum de Constantino dixit: *Cuncta ejus, divino ritui paria viderentur; ni parum dignis ad publica aditum concessisset.* Britannos homines minùs dignos putavit, quia procul urbe nati, Romanis ignoti erant: Verùm Constantinus, qui eos provexit, & illis pugnantibus, in Morinis vicerat; matrìque noverat conjunctissimos, immeritò culpatur; quòd viros domi militiæque clarissimos, in Senatum adlegerit. & sanè si æqua lance rem pensamus; cur Britannia, quæ Romæ dederat scelerum & tyrannidis vindicem, atque Imperatorem, non posset jure optimo sufficere Senatorem.

II. Britannia Constantino congratulatur.

Certè inter Romani orbis provincias, quæ Constantino de victoriâ gratulatæ sunt, Britannia imprimis fuit. Ideo fortè, quia viam sibi ad honores, & trabeas, apertam vidit, quam omnia ante secula clauserant. Eusebius, in Britannia nominanda, ut dixi, scrupulosissimus; cum victoriam Constantini absolvisset, ita provinciarum gaudia exponit. *Omnes omninò qui civitatem incoluerunt, tam Senatus, quàm populus, velut acerbo ac tyrannico dominatu levati, clarioribus lucis radiis frui visi sunt; & novo, nova cujusdam, & renascentis vitæ, modo, rationeq; potiri.* Ita ipse de Romanorum gaudio; & videtur statim transire ad Britannorum jubilum, festosque dies: dicit enim: *Ac gentes universæ, quæ Oris Oceani ad Oceanum vergentis circundantur, prioribus malis, quibus implicatæ tenebantur, liberatæ, insignem festorum dierum celebritatem, lætis animis agentes; Constantinum Victorem, Pium, ac communem omnium patronum eximiè prædicarunt; dixeruntq; una voce, unoq; ore omnes, illum tanquam commune quoddam bonum, hominibus, Dei bonitate & clementiâ, donatum illuxisse.* Britanniam hic sine dubio intelligit, quæ Occidentali Oceano circumfunditur; quæ Constantinum genuerat; quæ eum Romano Imperio dederat; quæ denique, præ cæteris provinciis, plus in illum juris habebat. Fuit & Christianæ provinciæ alia gaudiorum causa: nimirum Constantini edictum, quod hoc anno dedit, pro Christianorum pace, & fidei incremento. Constantinus enim sibi suisque firmaturus Imperium; ex urbe hoc anno Mediolanum perrexit; eoque Licinium, in Illyrico cum exercitu agentem accersit; Constantiam sororem illi conjungit: atque ita Romano orbi pacem conciliat. Diocletianus ad nuptias invitatus, senectam objecit, vitamque quietam. Sed absentia ejus, è communi bono fuit. nam Constantinus Christianis, quos ille oderat, favere decreverat: & Licinium eò pellexerat, ut huic edicto nomen suum, & authoritatem adjiceret, quod ita inscribitur.

Euseb. l. 8. c. 34.

Idem suprà.

Constantinus Constantiam sororem, Licinio dat uxorem.

IMPERATORIORUM
Edictorum exemplar.

III. *Euseb. l. 10. c. 5.*

Constantini edictum pro Christianis.

CVM jam pridem religionis libertatem, nemini denegandam esse, sed cujusque menti ac voluntati potestatem permittendam; ritus & instituta divina, pro suâ animi voluntate, & arbitrio excolendi considerаremus; mandatum dedimus, ut cum singuli alii, tum Christiani, suæ sectæ ac religionis fidem integrè observarent. Sed quoniam in eo rescripto, in quo ejusmodi illis concedebatur facultas, multæ sententiæ dubiæ, & controversæ inesse videbantur. Quidam illorum propterea fortasse paulò post præmeriti, ab illius observatione repulsi sunt. Quapropter cum ego Constantinus Augustus, & ego Licinius Augustus, prospero itinere, Mediolanum pervenissemus; & omnia quæ ad utilitatem, & commodum Reip. pertinebant, accuratè disquireremus; ista inter cætera quæ plebi universæ perutilia videbantur; maximè omnium decernenda existimavimus; quibus reverentia & divinus cultus contineretur. Hoc est, ut tum Christianis, tum aliis omnibus, liberam optionem omnino daremus, eam religionem sequendi; quam ipsi in animos inducerent. Quo, quæcumque sit divinitatis, & cælestis numinis potentia; nobis, ac universis, qui sub nostrâ ditione vitam degunt, clemens & propitia esse posset.

IV. *Istam igitur nostram voluntatem ac sententiam, rectâ ratione, ac consilio decidimus; ut nemini prorsus libertas negetur, Christianorum observantiam & cultum imitandi, amplexandiq;: & cuique detur copia, suam mentem ei religioni addicendi, quam ipse sibi maximè convenire censuerit. Quo divinum numen in omnibus, quæ molimur, consuetam curam, studium & bonitatem in nos ostendat. De quâ quidem voluntate nostrâ, consentaneum fuit, ad te rescribere; ut tum controversæ illæ sententiæ, quæ prioribus literis ad tuam pietatem missis, de Christianis continebantur, penitùs tollerentur: tum ea quæ videbantur admodùm severa, & à nostrâ mansuetudine ac clementiâ aliena, omninò abrogarentur. Atque adeo jam quisque eorum, qui induxerunt in animum, Christianorum religionem observare, liberè, minimè fucatè, & absque ullâ molestiâ, aut perturbatione cujusquam, hoc ipsum custodiat. Quod quidem tuæ solertiæ plenissimè significare decrevimus; ut intelligas, nos liberam & solutam Christianis facultatem concessisse, suam ipsorum religionem sedulò excolendi. Quod quoniam tua pietas perspicit, à nobis liberè illis esse concessum; aliisq; etiam potestatem factam, cum observantiæ & religionis modum, quem apud animum proposuerint consectandi; & nostrorum temporum tranquillitati, & quieti reverà accommodatum esse; ut quisque facultatem habeat deligendi observandiq; eam, in Deo colendo rationem, quæ sibi maximè placuerit; hocq; à nobis factitatum esse, ut nullius honorи, nullius religionis authoritas, à nobis ullâ ex parte imminui videatur; tuarum partium est providere, ut nemo impediatur, quo minùs suæ professioni firmè adhærescat.*

Istud etiam, præter cætera, nominatim Christianis decernimus; ut loca eorum, in quæ ipsis in more positum erat, antea convenire (de quibus quidem rebus literis superioribus ad tuam sanctimoniam datis, aliâ formulâ, eo tempore, à nobis erat definita, & præscripta) si qui vel à quæstore nostro, vel ab alio quopiam, ea emisse videantur; Christianis absque argento, absque ulla repetitione pretii, quod in illis emendis collocaverint; sine omni mora, & dubitatione, restituant. Et si qui ipsa loca pro munere fuerint adepti; ut ipsis Christianis, quàm celerrimè reddant:

ac si qui ea, aut coemerint, aut dono acceperint, aliquid à nostrâ bonitate postulent; præfectumq; qui regioni, in quâ habitant, præest adeant; quo ipsorum etiam à nostrâ munificentiâ provisio, & cura suscipiatur. Quæ quidem omnia, Christianorum societati, tuo studio & industriâ, extemplo, & sine ullâ dilatione, restituenda cures, oportebit. At quoniam ipsi Christiani, non solùm ea loca, in qua convenire solent, sed alia etiam habuisse cognoscuntur; quæ non privatim ad singulos, sed ad jus totius ipsorum communitatis, id est, Christianorum spectabant; singulis qui ea possident, mandes velim; ut omnia, per legem, quam supra posuimus, absque ullâ controversia Christianis, id est, societati ipsorum, & conventui reddant; modo ratio ipsa ante demonstrata, sedulò conservetur: nimirum ut illi, qui sine repetitione pretii, sicut antea diximus, ea restituant; suas res & facultates, absque damno, à nostrâ beneficentiâ compensatas fore pro certo expectent. In quibus omnibus, prædictæ Christianorum communitati, studium & diligentiam, pro virili tua parte, vel maximè adhibere debes; ut nostrum citissimè conficiatur mandatum, quoad hunc modum, communi & publicæ tranquillitati, à nostrâ benignitate rectè prospiciatur. Nam hac ratione, sicut dictum est, divinum erga nos studium, quod in multis jam rebus experti sumus, perpetuò nobis firmum ac stabile permanebit. Ut igitur hujus nostræ sanctionis, & beneficentiæ decisio, ad omnium notitiam perferatur; has nostras ubique proponi, & in cujusque cognitionem venire consentaneum est, quo lex, à nostra clementia sancita neminem omnino latere possit. Hactenus Edictum.

V. Corollarium.

Hinc multa colligo, pro firmitate eorum, quæ superiùs narrata sunt; Constatinum, à Christianâ parente, & in Christianâ provincia natum, Christiano lacte educatum videri; ita piè & fortiter, pro Christianis disputat: non solum ut illi, nullâ afficiantur injuriâ, aut in unius Dei cultu turbentur: sed ut damna illis, seu jubente Diocletiano, seu Maximiano persequente, illata, reparentur. Quoniam verò, non solùm privati homines, sed Ecclesiæ etiam, ac Monasteria, persecutionis iniquitatem senserant; ut superiori sæculo demonstravi; pientissimè sancit, omnia restitui; ita privato publicoque bono consultum. Colligo etiam Eusebium verè dixisse, cum Constantinum, licet inter ethnicos agentem, ab ethnicorum tamen moribus alienum fuisse dixit unde Diocletianus sagacissimè judicavit illum à Christianorum partibus stare. Sed nihil in Edicto hoc eminere magis puto, quàm Helenæ pietatem, quæ precibus apud Deum, filiumque egerat, ut Christianorum Ecclesiis consultum esset. Et Deus, hoc anno, filiusque, annuerunt. Quod si petas, unde tam repentè in Constantino hic ardor pietatis justitiæque? hic in Christianam fidem impetus, devotioque? hoc studium Deo placendi? Dico, è Crucis Christique apparitione, omnia injecta esse ultimò: sed illorum igniculos jam olim præextitisse, *cum liquido constet apud omnes, ipsum apud Britannos & illius orbis incolas, Christiana primum fide imbutum esse*, ut optimè dicat Sozomenus.

Sozomen. l. 1 c. 5.

VI. Prospectum etiam Orienti.

Deerat adhuc ad orbis fælicitatem; ut partes provinciæque Orientis, quæ ad Maximinum spectabant, gemebantque adhuc sub jugo infideli, à pressuris respirarent. Et verò hoc egregiè præstitit Constantinus. convenitque cum Licinio, ut utriusque nomine literæ formarentur, idipsum postulantes. Cæterum licet ille ægerrimè ferret rem Christianam tam fæliciter procedere, veritus tamen utriusque iras, dedit pro Christianis literas, quas recitat Eusebius, aitque: necessitate magis, quàm Maximini voluntate, extortas. Quod etiam probavit eventus. Siquidem nec publicè convenire Christiani poterant, nec templa struere; quæ tamen Constantinus fieri rogaverat. Cessatum tamen ab injuriis; & Christiani tandem Constantini beneficio, per universum terrarum Orbem, saltem vixerunt. Feliciùs tamen in Occidente, & omnium fælicissimè in Britanniâ. ubi hoc anno (si Florilegum sequimur) *Basilica in honorem B. Albani Anglorum* (dixisset meliùs Britannorum) *Protomartyris construitur*. Nec dubium mihi, quin plures Ecclesiæ, eodem tempore, & Monasteria in Britanniâ surrexerint: cum inde potissimùm Constantinus didicerit, sacrarum ædium ruinas, quas Diocletiani turbo fecerat, resarcire. Et Helena, Britannique suggesserant, nullum majus fidei ac pietatis alimentum esse, quàm ut uni Deo templa, ac Monasteria ponerentur. quod ideo Constantinus toties in Edicto repetit, & societatibus ac conventibus nominatim consultum esse desiderat. Huc etiam referri potest quod ad Anullinum Africæ Proconsulem rescripsit, in hanc sententiam.

Floril. hic.

VII. Euseb. l. 10. c. 5. Et omnibus Ecclesiis.

Salve Anulline nobis imprimis venerande:

Est hac nostra clementiæ ratio, & modus, Anulline honoratissime; ut illa quæ ad alienum jus pertinent; non solum non perturbare, sed etiam cuique restituere, quàm maximè cupiamus. Quare volumus, ut simul hasce literas à nobis acceperis, si quæ ex his possessionibus, quæ ad Catholicam Christianorum Ecclesiam, in quibusq; civitatibus, aut aliis locis pertinent; etiam adhuc à civibus, aut ab aliis quibusdam retineantur; eas quàm primùm iisdem Ecclesiis facias restitui. Quandoquidem animo instituimus; ut ea quæ Ecclesiæ antea possederunt, ad ipsum jus denuò revertantur. Cum igitur tua pietas animadvertat decretum hoc, absque dubio, de nostrâ sententiâ esse publicatum; enitere atque elabora, ut sive horti, sive ædes, sive aliud quodcumque, aliquando ad jus ipsarum Ecclesiarum spectaverit; omnia illis, quàm celerrimè, reddantur. ut te huic nostro Edicto diligentissimum obsequium præstitisse intelligamus. Vale Anulline honoratissime, nobisq; charissime. Ita Constantinus scripsit ad Africæ Proconsulem. Unde curiosus Lector, facilè intelliget, Ecclesias, per universum orbem dispersas, jura, prædia, & possessiones habuisse, ante Diocletianum Augustum; sicque ea omnia quæ suprà de Britannorum Ecclesiis, Lucii Regis tempore, & deinceps, dicta sunt, illustriora redduntur.

VIII. Constantini pietas.

Egregium hoc religiosæ mentis tributum divinæ Majestati solvit Constantinus, pro Romani orbis adepto imperio. Nolebat enim Remp. quam administrandam susceperat, Dei ope; Christianorum bonis, nedum Ecclesiarum, obligatam & oneratam esse, gnarus magnarum mentium esse, reddere primo loco quæ Dei sunt Deo: & tum demùm, nec alia meliùs ratione, stabiliri ea, quæ sunt Cæsaris, Cæsari. Occasione hujus Edicti aliorumque operum pietatis quæ Constantinus fecit frequentissimè, statim ac potitus est Romano Imperio, satis magna controversia est, Quisnam hoc tempore fuerit Constantinus? Fidelis, inquam, an adhuc infidelis, & cultor idolorum? In qua quæstione putavit aliquando Baronius; quantumvis egregiè Christianis

Baron in notis ad 21. Augusti.

propitius

propitius ac benevolus fuerit; re tamen verâ, ab idolorum cultu nondum recessisse. Nec deerant oculato homini argumenta plurima. Verùm postea cum Annales scripsit, sensit omnino Constantinum hoc tempore, ita Christianam fidem amplexum esse; ut nullus fuerit in Deorum cultu.

Idem an. 312. n. 93.

Hoc mihi multa persuadent, innata viro pietas, Helenæ matris & morientis patris exemplum (qui ideò sine dubio in nominando eo hærede ac successore, animosior fuit, quod passim Christianorum causæ favisse deprehensus fuerit) deinde nobilissima victoria, quam Crux primò, deinde Christus promiserat, & fidem fecerat eventus. Probant hoc ipsum innumera Constantini dicta, facta, scriptaque; liberalitas in Ecclesiam, & largitiones sacræ; Crucis cultus ac reverentia; quod primum Christiani hominis insigne, & prima in alphabeto fidei, litera.

Necdum baptizatus.

Fateor tamen, si de Baptismo quæritur, necdum vitali illo charactere signatum fuisse. nam Sacramentum illud de more præcedere debebant, fidei mysteriorum expositio, preces, jejunia, aliaque suprà notata in baptismo Lucii. Et, Constantinus in componendâ Rep. quam Maxentius immaniter distraxerat, occupatior; audiendis fidei præceptis vacare, & otiosus esse non poterat.

IX. Constantinus Ecclesiasticos viros coluit.

Quod si in sensum ejus, animique recessus descendere velis, & considerare ea quæ statim gessit, à devicto Maxentio; videre est, illum, idolis nihil, Christo & Ecclesiæ ejus plurimum detulisse. nam testis est Eusebius, eum, à victoriâ, cæpisse statim Dei ministros revereri, & Ecclesiis benefacere. quod quia ad historiæ ordinem, & dictorum fidem facit, audi ipsum.

Euseb. l. c. c. 33.

Ipse porro Imperator Dei ministros accersere, cultu & observantiâ honorificè complecti; & tum re, tum verbis, tanquam viros Deo suo consecratos, humanitùs excipere, & maxima benevolentiâ prosequi cæpit. Quippe licet homines fuerint, ipsi in forma habitu ad aspectum abjecti; ab eo tamen, non ejus generis existimati sunt; sed quia non hominem, qui sub aspectum oculorum cadit, sed Deum ipsum, qui in eorum animis insidebat, considerare visum est; illos suæ mensæ effecit participes. Illos, quocumque iter capiebat, secum duxit: atque eâ de re Deum, quem sanctè colebant, sibi credidit fore propitium.

Et Ecclesiam.

Porrò Ecclesiis copiosa suppeditare subsidia, templa in sublime erecta, exædificataq; augere: plurimis monumentis augusta Ecclesiæ sacraria illustrare, varia pecuniarum largitione, egentium inopiam sublevare. Hæc cursim Author de Constantini primitiis, & fidei rudimento.

X. Romam imprimis.

Inter Dei ministros & Ecclesiam, quam veneratus est Imperator, Romana sedes principem, suo jure, locum habuit, quam hoc anno ornavit Lateranensi palatio, quod Melchiadi, Romano Pontifici, donavit.

Testis Lateranum a Constantino Melchiadi donatum.

nam illum fortè Eusebius intellexit, cum dixit: Constantinum, Dei ministros, non nudos homines existimasse, sed supra homines, Deo consecratos; ideoque illos honorificè complexus est, cultu & observantia, præsertim sacrorum Principem. Quod satis patuit, cum Donatistæ, in Africa, tumultuantes, à Constantino judices postularunt, hoc libello supplici:

Optat. l. c. contra Parmenia.

Rogamus te, ô Constantine optime, Imperator, quoniam de genere justo es, cujus pater, inter cæteros Imperatores, persecutionem non exercuit, & ab hoc facinore immunis est Gallia. Nam in Africâ inter nos, & cæteros Episcopos, contentiones sunt. Petimus, ut de Gallia nobis judices dari præcipiat pietas tua. Data à Luciano, Digno, Nasutio, Capitone, Fidentio, & cæteris Episcopis partis Donati.

Donatistarum libellus.

Putabant factiosi isti, novitio in Christiana fide homini imponere; qui communem controversiarum judicem non sunt ausi appellare. Quid ad hoc Constantinus?

Optat. sup.

Quibus lectis, inquit Optatus Milevitanus, *pleno livore respondet Constantinus: in quâ responsione, & eorum preces prodidit; dum ait: Petitis à me in sæculo judicium, cum ego quippe Christi judicium expectem.*

Con. Constantino displicet.

Et tamen dati sunt judices Maternus ex Agrippinâ civitate, Rheticius ab Augustoduno civitate, Martinus Arelatensis. Dixit prudentissimè Imperator, se in sæculo, hoc est, sæcularem hominem, ad Ecclesiasticum tribunal sedere non debere; nec voluit in Galliâ, quod Donatistæ sperabant, rem decidi: jussit ergo tres à se delectos Romam ire, & illius urbis Episcopi sententiam audire.

Romam remissus.

Atque ita factum. *Ad urbem Romam ventum est,* inquit Optatus, *in tribus Gallis & quindecim Italis. Convenerunt in domum Faustæ in Laterano Constantino III. & Licinio III. Coss. sexto nonas Octobris, sexta feria.* nimirum hoc anno trecentesimo decimo tertio. Condemnatus ibi Donatus, inde semper pro schismatico habitus: & Cæcilianus, Romani Pontificis definitivâ sententiâ absolutus. Hæc occasione Lateranensis palatii, ubi pro tribunali sedit Melchiades. Et quia domus illa, infinito jam tempore, ad Romanæ Sedis Episcopum pertinuit, consignatam illi hoc anno à Constantino putamus.

XI. Cur Roma?

Sed juvat, & ad fidei puritatem spectat, quærere; cur Constantinus Imperator, nec in Galliâ litem dirimi, nec ad aliud, quàm ad Melchiadis tribunal, illam remiserit. Et quia similem supra quæstionem proposui, cum Lucius Britannorum Rex, ad Eleutherium misit, *ut Christianus efficeretur*: accipe nunc idem, quod supra dedi responsum, non meis, sed ipsius Constantini verbis: nam ita ille scripsit ad Melchiadem.

Euseb. l. 10. c. 5.

CONSTANTINUS AUGUSTUS MELCHIADÆ Romano Episcopo Hierarchæ (sic enim legendum, non, & Marco, benè probat è græcâ literâ Baronius.)

Constantini literæ ad Rom. Pontificem.

QUONIAM ejusmodi literæ complures, ab Anullino clarissimo Africæ Proconsule, ad me missæ sunt; in quibus constat, Cæcilianum Episcopum civitatis Carthaginensium, à quibusdam collegis suis, in Africa ordinatis Episcopis, multis de rebus in crimen vocari: & illud mihi permolestum videtur; ut in his provinciis, quas divina providentia, ultrò, ac suâ sponte, sub meum subjunxerit imperium; & in illis locis, in quibus crebra hominum frequentia versatur; non modo multitudo, ad deteriora deflectat, & distrahatur dissidiis: sed Episcopi etiam discordiam inter se ipsi exerceant.

In causa Cæciliani.

Visum est mihi, ut idem Cæcilianus, cum decem Episcopis, qui illum reum facere videantur, & denum aliis, quos ipse suæ litis dijudicationi necessarios existimaverit, Romam navigio trajiciat: Vt ibi coram vobis, & Rheticio etiam, & Materno, & Marino collegis vestris; quos, eâ de causâ, Romam maturare jussi, possit audiri: SICUT SANCTISSIMA DEI LEX (ut nostis) POSTULAT. Atque ut de omnibus hisce plenissimam accuratissimamq; notitiam possitis habere, exemplaria literarum, ad me, ab Anullino missarum, literis meis subscripta, adversus prædictos collegas misi. Quas cum vestra gravitas perlegerit, exquisitè

ponderabit;

ponderabit; quo modo, quave ratione, lis illa, quam suprà diximus diligentissimè, rectissimeq; dirimatur: & ex juris præscripto tandem aliquando absolvatur. Quandoquidem illud vestrum studium minimè latet, me tantam reverentiam sanctæ, & Catholicæ Ecclesiæ tribuere, ut velim vos nullum generare schisma, nullam discordiam, ullo in loco, omninò relinquere. Summa magni Dei majestas, vos honoratissimi viri, multos annos conservet.

XII. Constantini sensus refrustur.

Augustin. Ep. 162.

Libenter versor in Constantini scriptis, quia inde Constantini pietatem, fidemque colligo. Hic certè video, quid de Romanâ Ecclesiâ senserit; quod eò Africanos Episcopos, eò Gallos, in gravissimâ causâ, miserit, *è sanctissima Dei lege.* Et verò Melchiades, in difficili quæstione, tam benè arbitratus est, ut magnum Augustinum coëgerit ad has voces. *O virum optimum! ô filium Christianæ pacis! ô patrem Christianæ plebis!* Patrem appellat eo sensu, quo in priore Epistolâ dixerat: *in Romanâ Ecclesiâ semper viguisse Apostolica cathedra principatum*; cujus tantummodo facultatis esset, de Episcoporum sedibus transigere. Et in eum etiam sensum scripsit suprà Constantinus, jubens Afros, Gallosque Antistites, apud communem omnium Ecclesiarum parentem, querelam deponere: quod aliis quidem verbis, Irenæus olim, sed idem re expressit, ubi ait:

Irena. l. 3 c. 3.

Ad Romanam Ecclesiam necesse est omnem Ecclesiam convenire, hoc est, eos qui sunt undique fideles, propter potentiorem principalitatem ejus. Unde Constantinus licèt impensè Sedem illam veneratus sit; nihil tamen novi, aut prioribus sæculis inauditum fecit. Sed Lucium Britanniæ Regem sequutus, planè assecutus est ejus fidem: & quod olim Africa dictaverat, quod Oriens & Occidens sanctissimè observarat; ipse verbo, scripto, factoque firmavit. Sed inquies. Donatistæ Melchiadis definitioni refragati sunt. Immò verò, vitiosi & peccantis humoris est, respuere medicinam: & factiosi semper principatum horruerunt; quod reverà à Donatistis æquè ac modernis factum. Sed quid Constantinus? nam de Regiâ hîc Britannorum fide, non de Afrorum factione agimus. Stetit certè à Romano Pontifice, & nefas putavit, illum non audire. Cum enim Donatus ipsum appellasset, tam indignè tulit intercessionem illam, ut teste Optato Milevitano responderit. *O rabida furoris audacia! sicut in causis gentilium fieri solet, appellationem interposuerunt.*

Obiectio.

Solvitur.

Optat. l. 1. contra Parmen.

XIII. Aliud Ecclesiæ, aliud Cæsaris tribunal.

Hæc Constantini verba, quia sonant Christianum Principem, sunt paulò uberiùs explicanda. Sciebat ille solitos interdum gentiles, profanis rebus miscere sacra, confundere tribunalia, & etiam cæremoniis præficere Cæsares: hoc autem, à Catholicæ fidei puritate, atque Ecclesiæ majestate, alienum esse, Constantinus didicerat, in hoc primo fidei tyrocinio: noluit itaque Ecclesiasticarum causarum judicium arrogare; ne gentilium impietati accederet. Testatur hoc ipse in literis, hoc anno, post Donatistarum appellationem, datis, ad Episcopos Catholicos; ubi inter cætera hæc habet. *Gaudeo equidem specialiter, quod tandem habita justissimâ dijudicatione; eos ad meliorem spem, fortunamq; revocasti, quos malignitas diaboli videbatur, è præclarissimâ luce Legis Catholicæ, miserabili sua persuasione avertisse. O verè victrix providentia Christi Salvatoris! ut etiam his consuleret, qui jam desciscentes à veritate, quodammodo adversùs ipsam arma inducentes, gentibus se copulaverant. Quia si vel nunc vera fide voluerint obsequia sanctissimæ legi deferre; intelligere poterunt, quantum sibi, nutu Dei, sit provisum. Et hoc quidem, sanctissimi Patres, sperabam etiam in eis, quibus ingenita est maxima durities animi, posse deprehendi. Sed non profuit apud eos recta dijudicatio; neque in eorum sensum ingressa est divinitas propitia. Reverà enim non immeritò, ab his procul abscesserit Christi clementia; in quibus manifestâ luce claret, hujusmodi esse, ut eos etiam à cælesti provisione exosos cernamus: quæ in ipsos tanta vesania perseverat. Cum incredibili arrogantiâ persuadeant sibi; quæ nec dici, nec audiri fas est, desciscentes a recto judicio dato, quo cælesti provisione meum judicium eos comperi postulare. Quæ vis malignitatis in eorundem pectoribus perseverat. Quoties à me jam ipso, improbissimis aditionibus suis, sunt condignâ responsione oppressi? Qui utique, si hoc ante oculos habere voluissent, minimè hoc ipsum interposuissent. Meum judicium postulant, qui ipse judicium Christi expecto. Dico enim, ut se veritas habet: Sacerdotum judicium ita debet haberi, ac si ipse Dominus residens judicat. Nihil enim licet his aliud sentire, vel aliud judicare, nisi quod Christi magisterio sunt edocti.*

XIV. Calvinus Constantino contrarius.

Ita sensit scripsitque Constantinus, de Episcoporum judicio, in rebus Ecclesiasticis. Quid dicturus, si in hæc tempora descendisset, ubi Calvino Dictatore, laici sedent, in causis Ecclesiasticis arbitri & judices? & tantum abest, ut Episcoporum judicium requiratur, in rebus fidei & Ecclesiæ: ut & ipsi Episcopi, à Laïcis judicari, exauctorari, condemnari, & possint, & debeant. Quo Christianus orbis nunquam vidit fœdius quidquam aut indignius, nedum orthodoxa fides. At Calvinistæ hi (quod est multò stupidius) summè sibi gratulantur, quòd fidem reformarint: cum interim fidei mysteria insulsis commentis fœdaverint, Sacramenta enervaverint, Sacerdotium contempserint, & sacra omnia profanaverint; & demùm à Lucii fide, à Constantini sensu, & sæculorum omnium consensu, procul, heu procul, recesserint. ut patet historias omnes evolventi. Constantinus dixit, in Donatistarum sensus, divinitatem ingressam non esse: quia semel, ab Episcoporum judicio, ad tribunal laicum provocarunt. Quid hodie diceret, si videret à suis Sedibus, & tribunali, Episcopos descendere, & laicorum arbitrio stare? imò ipsum Episcopi nomen authoritatemque omnem, ab Ecclesiâ eliminari, & illi succedere anarchiam? si malignitas diaboli Donatistas, miserabili suâ persuasione avertit, à præclarissimâ luce legis Catholicæ, ut sensit Constantinus: illi certè probantur vespertiliones, qui ipsam Ecclesiæ lucem horrent simul & impetunt, ac demùm pro viribus extinguunt. Sed redeo ad Historiam.

XV. Ecclesiæ immunitas a Constantino concessa.

C. de Episcopis & Cler. l. 2.

Ad hunc annum, & hunc, quem modo dixi, Constantini affectum in viros Ecclesiasticos, spectat sanctio illa, quam contra factiosos edidit Constantinus: cum illi privilegia, Clericis indulta, infringere præsumerent. Ita ergo loquitur piissimus Imperator. *Hæreticorum factione comperimus Ecclesiæ Catholicæ Clericos vexari; ut nominationibus, seu susceptionibus aliquibus, quas publicus mos exposcit, contra indulta sibi privilegia prægraventur. Ideoq; placet, si quem tua gravitas invenerit, ita vexatum; eidem alium subrogari, & deinceps à supradictæ religionis hominibus, hujusmodi injurias prohiberi. Datum prid. Kal. Novembris,*

Constantino Aug. III. & Licinio III. Coss. Si Constantinus, tyro adhoc, & nondum initiatus, tam pius fuit; ut Clerum à Laico distinxerit, ubi Laici premebantur: dicendum indubiè est, ipsum Christianæ religionis mysteria optimè edoctum, de illis nihil humile sensisse. In quo Lucium imitatus est, qui Druidarum privilegia, in Ecclesiam transtulit, quo Deo Clerus integriùs inserviret. Nascitur hoc, opinor, anno, Arelati in Galliis, Constantino Magno filius è Fausta conjuge, patris nominis, Constantinus. non nascatur autem anno Christi 317. ut è Zosimo colligit Petavius in notis ad orationem primam Juliani. nam Zosimum infrà aliter explicabo, ad annum 317. sub finem, &c.

XVI. Sub finem anni moritur Melchiades Papa; cum sedisset annos duos, & menses totidem. *Hic fecit*, inquit liber de Romanis Pontificibus, *ut oblationes consecrata, per Ecclesias, ex consecratu Episcopi, dirigerentur; quod declaratur fermentum.* Hinc orta consuetudo panes benedicendi, qui in partes concisi, aliis porrigebantur, in fidei, ac charitatis symbolum. Et licèt initiò Episcopi benedictio peteretur, usus tamen postea obtinuit, & Pii Papæ accessit authoritas; *ut de oblationibus qua offeruntur à populo, vel de panibus quos fideles deferunt ad Ecclesiam, Presbyter partes concisas habeat, in vase nitido & convenienti: ut post Missarum solennia, qui communicare non fuerint parati, eulogias, omni die Dominico & diebus festis exinde accipiant, quas cum benedictione priùs faciat.* Duravit hæc consuetudo ad nostra tempora: & ubi sacræ Eucharistiæ rarior est usus; ibi panis benedicitur, in Dominica. ut primum quod os intrat, sacrâ verborum formulâ, & Sacerdotis apprecatione, expietur. Illi tamen in hoc ritu claudicare, & à primâ institutione degenerare videntur, qui has eulogias, è panis azymi segmentis conficiunt atque dispensant: cum multo rectiùs, è communi pane, & fermentato, confici debeant. Quod ad discrimen venerabilis Sacramenti, sanctissimè institutum est; ideoque à Melchiade *fermentum* appellatum.

Apud Baronium hic 48.

Apud Baronium hic n 51.

PANIS BENEDICTIO QUI ET FERMENTUM. ET EULOGIA.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1065.

ANNUS CHRISTI 314.

SILVESTRI PAPÆ 1.

CONSTANTINI IMP. 9.

I. IN locum Melchiadis successit Silvester, anno Christi trecentesimo decimo quarto, Volusiano & Aniano Coss. Quo etiam anno Constantinus in Galliis, cum cruce, in Germanos pugnat: & Rheni transitum occupans, militari arte provincialibus imposuit, insignem nactus victoriam. in Britanniâ tumultuatum esse, Simon Dunelmensis, Florilegus, aliique affirmant. Unus ita loquitur: *Anno gratiæ trecentesimo decimo quarto, Octavius Gevissorum Rex insurrexit in Proconsules Romanæ dignitatis, quibus Regimen Britanniæ fuerat commissum; & ipsis interfectis solio regni sese insignivit. Cumq; id Constantino Romæ nuntiatum esset; misit Traherium avunculum matris suæ, cum tribus legionibus, ut Insulam Romanæ restitueret dignitati.* Ita ille non ubique veritati constans. Et sanè fatendum est, ubi externi Scriptores silentio involvunt res gestas in Britanniâ; ibi nec firmum pedem figere, nec multam lucem è Galfredi quem ille sequitur narratione polliceri nos posse. Richardus Vitus, Clementem Maximum Leonini filium, Britannici exercitus præfectum ponit, eo tempore, quo è Britanniâ solvit Constantinus. In hunc ergo fortè surrexerit Octavius, ad quem premendum eoque Traherius ex urbe, à Constantino mittitur; qui rebelli fugato, à milite circumventus occidnur, quo mortuo Octavius regnum occupavit. Verùm incerta hæc omnia, nec à classicis Anthoribus testata: qui verò fuerint hoc sæculo Gevissi, qui Regem habere potuerint, nullam esse mentionem. A Saxonum quidem ingressu, & deinceps, qui Occidentem Insulæ partem habebant, Gevissæ vocabantur, ut dicam suo * loco: & ibi fortè Princeps aliquis, in eos rebellavit, quos provinciæ præfecerat Constantius: In quem Traherius pugnavit, eo eventu quem narrat (si vera narrat) Florilegus: nam alii ad longè inferiora tempora Octavii regnum differunt: sed nunc Florilegum prosequamur, & Traërni facinora.

Florileg hic.

OCTAVIUS REX IN BRITANNIA.

R. Vitus l. 6.

GEVISSI QUINAM?

* V. an 63. 33.

II. *Itaque Traërnus (sic eum vocat) in Insulam appulsus, civitatem Kaerperu, quæ nunc Portcestria dicitur, infra duos dies cepit. Quo divulgato, Octavius in manu forti venit sibi obviam; & prælio commisso. Traërnum agminibus laceratis, in fugam convertit. At ille Albaniam petens, aquoreo cursu provincias capit devastare. At Octavius turmis resociatis in provincia quæ VVestmerland dicitur, dimicavit cum eo. Sed consternatus Octavius, sine victoriâ diffugit, Traherimq; insecutus eum, diadema illi cum regno eripuit. Porro Octavius Norvvegiam petens, à Rege * Humberto auxilium postulavit.* Hæc Florilegus, quæ è Galfrido Monumetensi mutuata, licet fidei suspectæ tamen nolui præterire. Addunt aliqui, Constantinum ipsum, ad has turbas componendas in Britanniam trajecisse: probantque ex Eusebio, qui cum dixisset, *Omnia barbarorum genera, circa fluvium Rhenum, & Oceanum versus Occidentem incolentia, quæ audacia & temeritate impulsa, seditionem conflassent, Constantinus penitùs repressit.* & mox: *Illis ratione & consilio ab eo ritè compositis, reliquas orbis partes, ante oculos proponens, tandem trajecit ad Britannos, Oceani litoribus undique conclusos: quos cum vicisset; alias mundi partes, animo complecti capit.* Verùm cum Eusebius affirmet ita factum, ante devictum Maxentium, non potest ad hunc annum referri. Majus certè argumentum est, nummus Londini cusus, cum epigraphe, ADVENTUS AUG. & effigie Constantini.

Floril. hic

TRAERNUS AB OCTAVIO FUGATUR.

SED POSTEA EUM SUPERAT.

* *Gunberrum vocat.*

R. Vitus l. 6.

Spodan in Constantino c. 47. n. 9

Euseb l. 2. c 19.





Num apud Spodam fol. 157.

Sed malo dicere, hunc nummum, Londini cusum, cum parente mortuo, primùm in Britanniâ, ab exercitu nominatus est Imperator; & Eboraco discedens, Londinum venit, trajecturus in

Galliam. tunc enim Britanni omnes, quantumvis ipse reniteretur, Augusti titulo eum ornaverunt. Tunc etiam Helenæ parentis monitu Londinensem urbem moribus cinxit, & officinam monetariam instituit, nummosque cudi præcepit, in Constantii parentis hooorem: cui officinæ præfuit is, qoi sub Comite facrarum largitionum, thesaurorum Augustensium præpositus in Britannia dicebatur, de quo statim. Porro quod ad alterum adventum spectat, cum panegyrici omnes, qui ejus vestigia victoriasque accuratè satis collegerunt, nullam illius expeditionis mennonem faciant; muto silentio videntur dicere, Constantino in Galliis Germaniaque occupato vel nullos in Britannia motus fuisse: vel, si qui ad Septentrionem fuerint, per legatos, nullo oegotio, compositos fuisse. Nisi mavis dicere, mutatam Reip. faciem in Britanniâ, quod hoc tempore factum, altercationi causam præbuisse.

IV. Enimvero Constantius olim Italiæ administrationem alteri cesserat, quò fortiùs Gallias & Britanniam in fide teneret: sed majoris animi vir Constantinus. Italiam, & quicquid in Occidente erat, complexus est, regendis multis provinciis revera par. Quo tamen faciliùs remotiora animaret, ita inter se provincias has connexuit; ut ab uno capite opportuniùs regerentur. Britanniam itaque, quam hactenus per Legatos, Roma administrabat, cum Gallus compofuit, jussitque Præfecto Prætorio Galliarum, Britanniam subesse. Testatur hoc Zosimus, qui Constantinum accusat. quod *rectè constituta* loco moverit: & unum Præfecti Prætorii Magistratum (qui ab Imperatore secundos habebatur) in quatuor imperia diviserit. Præfecto Prætorii Orientis, suberat Ægyptus, cum Lybiæ Pentapoli, & omois Oriens, ad Mesopotamiam usque. Præterea Cilices, Cappadoces, Armeni, & innumeræ provinciæ. Præfecto Prætorii Illyrici, Macedones, Thessali. Cretenses, Græci, Insulæ quoque viciniæ, & utraque Epirus. Tertio Præfecto parebant Italia, Mediterranei maris Insulæ, & omnis Africæ. Erat denique Præfectus Prætorii Transalpinorum, quos Zosimus numerat, transalpinos, Celtas, Hispanos, cum Insula Britannica, & Celtorum nomine Germanos intelligit: tum pergit narrare dissidiorum causas, hanc Reip. mutationem consecutas. Hinc ergo turbarum principium, & seditionis in Britanniâ, semen jactum. Nam Insulæ, quæ Romæ semper, nullo mediante, paruerant; nunc ferè Galliæ provincia censeri, & Præfecto ibi agenti subesse debuit; qood novum servitutis jugum existimatum est. & fortè Octavius, aut fortè factiosus aliquis, illud excutere laboravit.

Constantinus mutat Britanniæ regimen.

Zosim. l. 2.

Præfectus Prætorio in 4. distrahitur.

V. Ab hac novâ Reip. formâ & deinceps, sæpè Scriptores, græci præsertim, transalpinos omnes, Gallorum nomine, indigitant; quia Præfecto Prætorio Galliarum, omnes suberant. Latini etiam, uno Orientis nomine censent innumeras provincias, Præfecto Orientis subjectas. Durat etiamnum hujusce moris vestigium: nam Græcorum vulgus, Francos appellat Europæos omnes, Turcarum imperio non obnoxios. Quo supposito, Coostantinus Porphyrogenitus, qui aliquando dixit, M. Constantinum, è Francorum partibus ortum, facilè intelligitur. nam inde suprà collegi, Constantinum procul Oriente natum, in provinciâ, quæ Transalpinorum Præfecto parebat; in Britanniâ nempè, quæ propriè in illis partibus erat. Unde Sextus Rufus, inter Galliæ provincias, Britanniam succenturiat. *Sunt*, inquit, *in Galliâ, cum Aquitaniâ & Britanniis, provincia octodecim.* è quibus quatuor ponit in Britanniâ, quæ ita dicebantur: Maxima Cæsariensis, Flavia, Britannia prima, & Britannia secunda. Porrò hæ duæ posteriores provinciæ, seu potiùs, Britanniæ divisio, in primam, & secundam, jam inde à Traiano Imperatore fuit, ut ostendi ad annum Christi centesimum duodecimum. Cui à Constantino altera adjecta, circa hoc tempus, Flavia nempè, in Flaviæ gentis honorem: unde Constantinus ad imperium orbis surrexerat. Maxima, opinor, addita posteriùs, ubi Maximus rerum in Britannia potitus est. nam priora sæcula, à provinciis cognomina accipere, posteriora dare consueverunt.

Hinc Britannia Galliæ nomine aliquando audit,

An. 274. 69.

Sext. Ruf. in Brevia. c. 6.

Britanniæ divisio.

VI. Quod ad civilem Britanniæ administrationem spectat, quæ à Constantino cæpta, deinceps sub Romano imperio mansit, hæc summatim collegit, qui accuratè Insulam lustravit, & illustravit, Camdenus: *Præfuit Britannia Præfectus Prætorio Galliarum; sub eo Vicarius Britanniæ, qui ejus vices agebat, & SPECTABILIS dictus; cui parebant, pro numero provinciarum, duo Consulares, & tres præsides, qui causas civiles & criminales audiebant.* Pacatianus hoc tempore, eo munere fungebatur, ut è Codice Theodosiano probari potest. *Quoad rem militarem, imperavit Magister peditum Occidentis; sub cujus dispositione erant Comes Britanniarum, Comes litoris Saxonici per Britanniam, & Dux Britanniarum. Comes Britanniarum interioribus Insulæ partibus præfuisse videtur, qui secum habuit septem numeros peditum, & duas vexillationes equitum. Comes litoris Saxonici, qui litora contra Saxones tuebatur (& Comes tractus maritimi, ab Ammiano dicitur) ad tuendam oram maritimam, habuit septem numeros peditum, & duas vexillationes equitum, Legionem secundam, & unam cohortem. Dux Britanniarum, qui limites, contra barbaros tuebatur, imperavit XXXVIII. præsidiis, in quibus stationes egerunt 14000. pedites, & 900. equites. Ita ut eo sæculo, si Pancirolus rectè rationes subduxit, aluerit Britannia 19200. pedites, & 1700. equites, plùs minùs ordinarios. Præter hæc, Comes sacrarum largitionum, qui donorum & liberalitatis Imperatoris curam gerebat, habuit sub se in Britannia Rationalem summarum Britanniæ, Præpositum thesaurorum Augustensium in Britanniâ, & Procuratorem Gynegii in Britanniâ; in quo Principis, militumque, vestes texebantur. Comes etiam rerum privatarum, suum habuit rei privatæ Rationalem in Britanniâ; ut taceam Procuratorem Ludi gladiatorii per Britanniam, cujus meminit vetus inscriptio, & alios subsellii inferioris.* Hæc omnia Camdenus quæ curiosè antiqua inquirentibus, opportuna; cæteris fortè unportuna videbuntur.

Britanniæ administratio.

Camd. in Rom. in Britan.

VII. Ego sanè his potiùs immotari malo, quæ lucem historicis afferre possunt; quàm dubia, & incerta sequi, quæ Scotorum tenebræ, Britannorum rebus gestis solent assuere. Illi enim dicunt, Octavium à Traerno fugatum, ad Fincomarcum Scotiæ Regem transiisse: quem Rex nullis Traërni precibus minisve prodere voluit, aut remittere. & tum demum Traërnum, adnatis viribus, in Brigantum agros penetrasse. obi Westmorlandia est; quæ à Carausii temporibus ad Scotorum (scilicet) jura pertinebat: Denique Fincomarcum magna manu militum in

Fincomarcus Rex Scotiæ.

Traernum pugnasse, cumque post ingentem hominum cædem profligasse. Hæc, inquam, omnia prætereo, quæ emendicata videntur, ad Scotiæ nomen, & Reges illustrandos: quorum apud probatos Authores nulla adhuc mentio. Et quotquot Constantini vitam, resque ab eo gestas digesserunt, nunquam dixerunt ab eo tam infæliciter pugnatum esse. Agebat ille etiamnum in Galliis, schismaticorum factionibus, quam barbarorum motibus, hoc anno, distractior. Unde, invitus licet, novam Synodum, vocatis undique Episcopis coactus est colligere. tunc Arelatensem urbem sententiis dicundis elegit: & inde Synodo mansit nomen. Qua in re, Constantini pietas, & ratio procedendi, notanda est. vocavit quidem ipse, per literas, Episcopos ad Synodum: sed Synodo noluit præesse: ministravit sumptus, non arrogavit judicium. Fecit ergo quod erat Regium, dum tollendo schismati adlaborat, non vi aut authoritate suâ; sed Ecclesiastici tribunalis sententiâ; adhibuit ipse negotio manum, sed scribendo literas hortandoque ad pacem, non juris dictione utendo. Denique Ecclesiæ nutritium egit, aperiendo ærarium, & subministrando commeatum.

Constantinus in Gallia.

Arelatensem Synodum vocat.

VIII. Satis invitus.

Cæterùm, quàm invitus descenderit Constantinus ad novum quærendum judicium, cùm priùs eadem causa, à Romano Pontifice, præjudicata esset; ipse pluribus, quas ad diversos scripsit, literis ostendit. Mihi non vacat omnes colligere, quas Eusebius recitat. Quia tamen *Regia* Britannorum *fides* & pietatis argumenta prosequor: & quia Britanniarum quoque Episcopi, à Constantino Arelatum evocati sunt; debeo paululùm illi Synodo inhærere, & qualem se Constantinus gesserit, ostendere. scripsit ergo ad provinciarum præsides, mandavitque, ut, sumptu publico, Episcopi omnes Arelatum convenirent, ad sistendum Donatistarum furorem, quem factionis ardor accenderat. & inter cæteros ita scribit ad Ablavium.

CONSTANTINUS AUGUSTUS, ABLAVIO.

IX. Constantini literæ pro Arelatensi Synodo. *Apud Baron. hic n. 44.*

IAM pridem ante hac, cum perlatum fuisset ad scientiam meam; apud Africam nostram, plures, nefario furore, vanis criminationibus, contra se invicem, super observantiâ sanctißima legis Catholicæ discedere cæpisse; dirimendæ dissensionis hujusmodi causa, placuerat mihi, ut ad urbem Romam, tam Cæcilianus Carthaginensis Episcopus, contra quem, vel maxime universi sæpè me convenerant; quàm etiam aliqui ex his, qui ei quadam objicienda crediderant; præsentiam sui exhiberent. Nam etiam ad supradictam urbem, Romam nostram, quosdam Episcopos, ex Galliis ire præceperam; ut tam hi, pro integritate vitæ suæ, atque laudabili instituto; sed & septem ejusdem communionis, quam etiam urbis Romæ Episcopi, qui cum eisdem cognoscerent, possent rei, quæ videtur esse commota, finem debitum adhibere. Qui quidem ea quæcumque in præsentiarum fuerant gesta, cuncta ad scientiam meam, etiam altis habitis retulerunt; verbo insuper affirmantes, quod judicium suum pro rerum fuisset æquitate depromptum: eosq; potiùs causa obnoxios esse dicentes; qui contra Cæcilianum quædam putaverunt commovere, adeo ut justum post judicium habitum, Africam ipsos remeasse prohiberent. Inde propter hæc omnia, probabili rerum æstimatione speraverunt, quod omnibus omnino seditionibus, & contentionibus, quæ aliis hominibus videbantur subito commota, finis debitus fuisset impositus.

X. *Sed cum dictationis tuæ scripta legissem; quæ ad Nicasium & cæteros super iisdem simultatibus gravitas tua mittenda crediderat; evidenter agnovi, quòd neq; respectum salutis suæ, neq; (quod est majus) Dei omnipotentis venerationem, ante oculos suos velint ponere. Siquidem ea agere persistant, quæ non modò ad ipsorum dedecus infamiamq; pertineant, sed etiam his hominibus detrahendi dent facultatem; qui longè ab hujuscemodi sanctißimâ observantiâ sensus suos noscuntur avertere. Nam id quoque te scire convenit, quod ex eisdem venerunt asserentes; quod minùs dignus idem Cæcilianus cultus sincerißimæ religionis habeatur: & contrà id quod eisdem responderam, frustra eos id jactare; quippe cum res fuissent apud urbem Romam, ab idoneis ac probatißimis viris Episcopis terminata; obnixè & pertinaciter respondendum æstimaverunt. Quod enim omnis causa non fuisset audita: sed potiùs iidem Episcopi quodam loco se clausissent; & prout ipsis aptum fuerat, judicassent. Quare cum hæc tot, & tanta, nimium obnixas dissensiones protrahere perviderem; ita ut nullo modo finis iisdem dari posse videatur; nisi & Cæcilianus idem, & ex his, qui contra eum dissident, tres aliqui, in judicium eorum, qui contra Cæcilianum sentiunt, consensumq; debent, ad Arelatense oppidum venirent; injungendum solertiæ tuæ duxi, ut mox has literas meas acceperis, tam Cæcilianum suprà dictum, cum aliquibus, ex his, quos ipse delegerit: Sed & de Byzancena, Tripolitana, Numidiarum, & Mauritaniarum, & provinciis singulis, quique aliquantos ex suis perducere debebunt, quos ipsi putaverint eligendos, sed etiam aliquos ex his, qui contra eundem Cæcilianum dissentiunt, datâ evectione publicâ, per Africam & Mauritaniam, inde ad Hispanias, brevi tractu facias navigare. Et inde nihilominus hujusmodi his in singulis Episcopis, singulas tractorias tribuas: ut ipsi ad supradictum locum intra diem Kalendarum Augustarum possint pervenire; celeriter intimaturus iisdem, ut antequam proficiscantur, debeant disponere; quatenus absentibus ipsis, & disciplina competens habeatur, & nulla fortè seditio, vel aliquorum altercantium (quæ ad maximum dedecus spectat) oriatur. De secreto plenâ cognitione susceptâ finis adhibeatur.*

XI. *Qui cum præsentiam sui exhibuerint universi, quæ nunc in contentione esse noscuntur; quæque non immeritò finem debent accipere maturum, ut protinus possint terminari atque componi. Nam cum apud me certum sit, te quoque summi Dei esse cultorem, confiteor gravitati tuæ, quod nequaquam fas esse ducam; ut hujusmodi contentiones & altercationes dissimulentur, à nobis: ex quibus forsitan commoveri posset summa divinitas; non solùm contra humanum genus; sed etiam in meipsum, cujus curæ, nutu suo cælesti, terrena omnia moderanda commisit; & fecus aliquid hactenus incitata decernat. Tunc enim reverà, & plenißimè potero esse securus, & semper de promptißimâ benevolentiâ potentißimi Dei, prosperrima & optima quæque sperare; cum universum sensero, debito cultu, Catholicæ religionis, sanctißimum Deum, concordi observantia fraternitate venerari.* Hactenus Constantini Epistola. qui etiam ad Episcopos, eo ferè modo scripsit epistolas ut Arelatum contenderent, ad hujus anni Kalendas Augusti. Extat una ad Chrestum Siracusanum, ubi inter cætera dicit. *Tibi etiam per literas significandum putavi; ut acceptâ Rhedâ publicâ, à clarissimo viro Latroniano, Siciliæ conductore, duobus item aliis Episcopis, ex sede secundâ; quos tu ipse tibi maximè deligendos judicaveris, tibi ad societatem* *Apud Euseb. l. 10. c. 5.*

adſcitis; quinetiam etibus famulis, qui vobis inter vias miniſtrent aſſumptis; ad eum diem (Kalendas Auguſti) in loco præſcripto, aliis occurras. Quò per tuam gravitatem & conſentientem ſententiam reliquorum, qui eò conveniant; hoc diſſidium, quod hactenus improbè, ob turpes & ſceleratas concertationes, continuatum fuit; ſimul atque ea quæ ab utraque factione Epiſcoporum, quos ſimpliciter adeſſe mandavimus, audita fuerint; poſſit, licet ſerò, ad debitam religionem, fidem, & fraternam concordiam aliquando revocari.

XII. *Baron. hic n. 45.* SCRIPTUM ETIAM AD RESTITUTUM LONDINENSEM.

Ejuſdem argumenti (loquitur Baronius) *etiam ad reliquos Metropolitanos Epiſcopos datas fuiſſe putamus. Ex omni namque provinciâ acceſſirus videtur præcipuè Sedis Epiſcopus, cujus arbitrio, duo alii deligerentur ejuſdem provinciæ ſedium inferiorum Antiſtites; qui omnes ſimul, conductu publico, ducerentur. datis illis, juſſu Imperatoris, a provinciarum præſidibus, Tractoriis, pro viatico publico aſſequendo.* Unde dubium nullum eſt, quin Conſtantinus in Britanniam hujuſmodi literas dederit, ad Reſtitutum Londinenſem Archiepiſcopum quem Synodo interfuiſſe antiqui pariter & recentiores affirmant. Nec mirum ſi illæ perierint: cum ipſa etiam Britannorum Epiſcoporum nomina interiiſſent, niſi eorum memoriam externi Authores conſervaſſent. quod ni factum fuiſſet, Reſtitutum fuiſſe Londinenſem Epiſcopum, neſciremus. Scriptum pariter ad Britanniæ præſidem, pro evectione publicâ, & Tractoriis, Reſtituto ſociiſque concedendis. Cæterùm qualis fuerit hæc evectio publica, Epiſcopis à Conſtantino conceſſa; colligi poteſt è literis, quæ *Tractoria* dicebantur, & erant paſſim hujus tenoris. *N. princeps* (dicamus nos) *Conſtantinus princeps omnibus agentibus in illo loco. Nos Reſtitutum partibus illis legationis causâ direximus: ideo jubemus, ut locis convenientibus eidem à nobis evectio ſimul & humanitas miniſtretur hoc eſt, verhedi ſive paraverhedi tot, panes tot, vini modii tot, cerevisiæ modii tot. lardi lib. tot, carnis tot, porci tot, porcelli tot, vervecæ tot, agni tot, anſeres tot, phaſiani tot, pulli tot, ova tot, olei lib. tot, gari lib. tot, mellis tot, aceti tot, cumini tot, piperis tot, coſti tot, caryophilli tot, ſpica tot, cynnamomi tot, grani maſtices tot, dactyli tot, piſtacia tot, amygdala tot, ceræ lib. tot, ſalis tot, olerum leguminum carda tot, facula tot, pabula equorum carra tot. Hæc omnia tam eundo, quàm redeundo, eidem miniſtrari, in loco ſolito, & impleri ſine morâ procurate.*

Hic apud Baron. n. 48. TRACTORIÆ LITERÆ QUALES.

XIII. CONSTANTINI PIETAS.

Ex his literis Conſtantini pietatem colligo; qui Eccleſiarum paci, tanto ſumptu, tam magnis itineribus, tanto deniquè affectu, imperio vixdum confirmato, tam religiosè conſuluit. Jam verò quod ad Arelatenſem Synodum attinet, & numerum Epiſcoporum qui eidem interfuerunt, hæc habet Baronius. *Ingentem planè fuiſſe numerum Epiſcoporum, ex eo poteſt intelligi; dum conveniſſe conſtat Antiſtites ab extremis oris orbis Occidentalis, nempè ex Siciliâ, & Britanniâ, civitate Londinenſi.* Cæterùm Magdeburgenſes è Balæo noſtro, putaverunt Reſtitutum Londinenſem Epiſcopum, non in hac, ſed in altera Arelatenſi Synodo, poſteriùs habitâ, ſententiam dixiſſe. Quod quia non eſt animus impugnare, quidni putem utriquè Synodo, cum anni quadraginta non interceſſerint, adfuiſſe? Sed quicquid ſit, Baronius benè Lectorem monet, manifeſto librariorum errore factum eſſe, ut nomina Epiſcoporum, qui interfuiſſe ſciuntur in primo Arelatenſi Concilio, poſita ſint in ſecundo. & hinc eſt, quod communiùs ab Authoribus affirmetur, Reſtitutum in ſecunda Synodo ſediſſe, nulla facta mentione ejus in priore.

Baron. hic n. 51. QUI ARELATUM VENERINT. *Cent. 4. c. 10. in Reſtituto fo. 1293.* *Baron. hic n. 50.*

XIV. *Cent. ſuprà.* RESTITUTUS EPISCOPUS, QUALIS?

Proteſtantes noſtri, aliique ſectarii, qui Reſtituti Londinenſis mentionem faciunt; verſantur admodum in ejus laudibus. *Erat*, inquiunt Magdeburgenſes, *homo pro ſua ætate multipliciter doctus, ac vitâ modeſtiſſimus, qui inter alia ſcripſit ad ſuos Britannos, de Arelatenſi Concilio librum unum: ad Hilarium Pictavienſem Epiſtolas plures: claruit anno trecenteſimo quinquageſimo.* Matthæus etiam Parkerus, inter Britannorum Epiſcopos, quos doctrinâ, pietate, & prudentiâ inſignes vocat; Reſtitutum hunc nominat primo loco. eum deniquè laudant Balæus & Godwinus in Catalogo. Miratus ſum aliquando, cur hic præ aliis in deliciis ſit apud Sectarios, & ſtatim occurrit quod illi toties repetunt, ipſum aliquando uxorem habuiſſe, quod ultimæ editionis Epiſcopis admodum placet: *Reſtitutus Britannus*, inquiunt Magdeburgici, *Londinenſis Archiepiſcopus, uxoratus, & Hilario Pictavienſi Epiſcopo, pariter conjugato, notus, Arelatenſem in Galliis Synodum, religionis gratia adiit*, &c. tum narrant quid geſtum ſit in Arelatenſi Synodo altera, & de proteſtatione Diaconi quam elumbes ſolùm homines confinxerunt. Unde & multa hic pro Clericorum nuptiis comminiſcuntur, quæ alibi excutiam. Interim quia dicitur ubique Reſtitutus docuiſſe Inſulam, quæ Arelati didicit & decreta ſunt; volo aliquamdiu Arelati manere; & audire Canones à Synodo dictatos. prius tamen alios Britanniæ Epiſcopos, aliorum Epiſcoporum numerum, & conveniendi cauſam præcipuam breviter recitabo.

Cent. ſuprà.

XV.

Præter Reſtitutum Londinenſem Epiſcopum, adfuit etiam & priore loco ſubſcripſit, Eborius, Eboracenſis Epiſcopus. Adfuerunt etiam è Britanniâ, Sacerdos Preſbyter, & Arminius Diaconus, qui hoc ordine, & ritu, Synod. decretis ſubſcripſerunt:

Eborius Epiſcopus, de civitate Eboracenſi provincia Britannia.

Reſtitutus Epiſcopus, de civitate London, provincia ſupradicta.

Adelfius Epiſcopus de civitate Colonia Londinenſium.

Exinde Sacerdos, Preſbyter, Arminius Diaconus.

Ita legitur in noviſſimâ & correctiſſimâ editione Conciliorum Galliæ, quam Jacobo Sirmondo debemus: ut agnoſcunt & profitentur noſtrates, Seldenus, Spelmannus, Uſſerius, qui doctè diſputant, de novâ & nobis hactenus inauditâ ſede Epiſcopi, quam Adelfius inſediſſe ſcribitur: & benè concludunt, Camalodunum intelligi, urbem in Trinobantibus notiſſimam, hoc Romanorum tempore. Quæ quia contractiùs ſcripta Col. Camalodun. vel Colon. Camalodon, & notius erat Londinum, è librariis exiſtimata eſt, Londinenſium Colonia. Ibi igitur hoc tempore Chriſtianæ Reip. Epiſcopum præfuiſſe, hujus Arelatenſis Concilii authoritate probamus. & corrigendas cenſemus anteriores Conciliorum editiones; ubi Epiſcoporum & ſedium nomina perperam leguntur. ut vetus Iſidori Collectio: ubi, miſſo Reſtituti nomine, ita habetur. *Ex Britannia Eburius Epiſcopus. Ex civitate Culina Adelfius*: Ibi Britannia, per Britanniam: Culina,

per Coloniam corrigi debent. Paulò longiùs à vero itum, in Editione, Suriana, Crabbiana, & Binıana: ubi post Restitutum Londinensem, ita legitur: *Ex provincia Bizacena civitate Tuberaicen. Eburius Episcopus: ex eadem provincia civitate Culucitanâ Adelfius.* Cæterùm cum in eisdem Editionibus, Restitutus, Eborius, Adelfius, inter Gallos & Hispanos Episcopos medient: & tum demum post eos Africani nominentur. vix dubium est, quin intermedii tres, Britanni fuerint. Porrò quod Eboracensis ante Londinensem subscripserit; inferunt aliqui potiorem illam sedem fuisse: probantque, quia Spartianus in Severo, urbem illam κατ᾽ ἐξοχὴν civitatem vocat. Ita Berterius apud Usserium. (*Usser. fo. 97.*) Verùm Spartiani authoritas in re Ecclesiasticâ exigua est. & olim Episcopi, ætatis in Sede, magis quàm Sedis prærogativâ gaudebant, ut probat Baronius ad annum 465. sed his non immoror. Urget magis quod factiosi objiciunt, Arelatensi Synodi Canonem, de Protestatione Diaconi: nimirum: *Si Diaconi in ordinatione sua protestentur, se uxorem ducturos; ut liceat illis idipsum facere, & in ministerio permanere.* Ob hunc Canonem, Restitutum Londinensem impensè suaviantur ultimæ editionis Episcopi: & eos inter Balæus Apostata: qui tergit os suum decreto illo, dicitque non peccavi uxorem ducendo: licet reverà in ordinatione suâ voverit se non ducturum uxorem. Sed benè hoc loco notat Spelmannus, (*Spelman. to. 1. conc. fo. 43.*) se Canonem de Protestatione Diaconi, inter Arelatensis Synodi decreta non reperisse. de quo iterum inferiùs ad an. 353. n. 2.

XVI. (CÆCILIANUS ABSOLVITUR.) Ducenti Episcopi Arelatum convenientes, Cæcilianum Carthaginensem Episcopum; quod à Traditore sacrorum librorum, Felice Aptungitano Episcopo, ordinatus fuisset; accusatum, absolvunt: cum priùs Felix in Africâ à Traditionis crimine, innocens inventus, & declaratus esset. Tunc placuit ducentis Patribus aliqua statuere, pro pace Ecclesiarum; quò Christiana religio, per varias mundi plagas propagata; in sacrorum rituum unitate concurrens, sanctitatis odorem spargeret latiùs. (PASCHATIS DIES DEFINITUR.) Et quia Dominicæ resurrectionis mysterium, & nostræ redemptionis Sacramentum, è primis erant, quæ Christi cultum spectiarent; primo etiam loco de illo actum, decretumque; ut non pro cujusvis arbitrio, Christi resurgentis dies: sed ille tantùm ab omnibus Ecclesiis coleretur, quem Romanæ Ecclesiæ consuetudo jam olim servaverat. Et quoniam Melchiadi Romano Pontifici mortuo, Silvester in locum successerat; qui ad Concilium miserat, vice sua fungentes, Claudium & Vitum Presbyteros, communi suffragio iverunt omnes in hanc sententiam: orandum esse Romanum Episcopum; ut omnibus ubique Ecclesiis, unum eundemque Dominicum diem præscriberet: quod nemo opportuniùs facere poterat, quàm qui Ecclesiarum omnium curam haberet & imperium. Ita ergo ad Silvestrum primum Canonem dictaverunt. (*1. Arel. c. 1.*) *DE OBSERVATIONE PASCHÆ DOMINI, ut uno die & tempore, per totum orbem servetur, & juxta consuetudinem, literas ad omnes tu dirigas.* Cæterùm quæ fuerit Romanæ Ecclesiæ consuetudo, illius festi celebrandi, sat suprà in [a] Pio, [b] Eleutherio, & [c] Victore, Romanis Pontificibus diximus. (*a an. 159. 1. b an. 187. 6 c an. 198. 1. &c.*) Hunc ergo morem in Occidente jam dudum observatum, non solùm confirmaverunt Arelatenses Patres; sed in Africâ, & omni Oriente, hoc est, per totum Orbem, sacrosanctum esse voluerunt, quo Quartadecimanorum errori, qui in Oriente invalescebat, medicina pararetur. Huic Canoni Restitutus noster, cum aliis subscripsit: & sine ullo dubio Britanniam docuit illum servare.

(BRITANNIA ROMANUM PASCHA SERVAVIT.) Quod si verum est, ut ingratiis fatentur sectarii nostri; peccare admodùm convincuntur illi, qui defectionem suam à Romanâ Sede & fide tuentur, facto Britannorum; qui scilicet hoc sæculo, imò priùs, & posteriùs, Pascha celebrarunt more Orientis, non more Occidentis Ecclesiæ: quod ut superius refutatum est, ita nunc sedente Arelaò Restituto, dicenteque sententiam, constat esse falsissimum; & sequitur, defectionem, quæ huic nititur fundamento, à spiritu erroris esse. Britannia itaque cum Roma fuit, hoc sæculo; & dictatum, à Silvestro, diem Paschatis religiosè servavit; nullus fuit qui Orientis errorem, & quartam decimam porrigeret: & si quis fuisset, Restitutus in Britanniam rediens, & Concilii statuta secum deferens, illum dedocuisset. Porrò Britannorum observantia religioque in Dominicam resurrectionem, adeo illustris fuit, & nota omnibus; ut ipse Constantinus, cum errantes Orientis Ecclesias, ad sanctiorem ritum revocare cuperet, Britanniam illis proponeret in exemplum, ut suo loco dicetur. Hactenus ergo Restitutus Londinensis, & Arelatensis Synodus factiosorum causæ nihil patrocinatur. videamus decreta alia.

In capite 13. statuitur, ab ordine Cleri amovendum esse, quicumque in Actis publicis detectus fuerit, (*1. Arel. c. 13.*) *Sacras Scripturas, vel vasa Dominica tradidisse.* Hæc vasa, quia sacrificio servierunt; (VASA DOMINICA.) quod, ut suprà, Dominicum appellatum est; benè *Dominica* vocantur, quæ quia etiam sacrosancta erant, non debuerunt Christi Ecclesiam persequentibus tradi. unde illorum traditores omnis rectè sentiens Ecclesia detestata est. Patet etiam ex hoc eodem Concilio, vasa illa Sacrificio servisse: quia sacrificandi mentio ibidem habetur, cum dicitur: capite vigesimo, præcipitur que: *Ut peregrino Episcopo locus sacrificandi detur.* (SACRIFICIUM.) Erat ergo, hoc tempore, Sacrificium in Ecclesiâ, Sacerdotibus & Episcopis proprium, qui non solùm in suis sedibus, & Ecclesiis; sed ubique gentium, sacrificandi jus, & potestatem habere declarantur. Restitutus itaque, non modò Londini, sed Arelati, & in omni provinciâ, sacrificandi locum, jure suo petere, & uti poterat. Dicant igitur illi, qui nuper Restitutum magnis laudibus ornaverunt; cur dictatum hunc Arelati Canonem non observant? Cur sacrificandi locum, nec Sacerdotibus, nec Episcopis permittunt? Quod si id minus est: Cur omnia sacrificandi loca demoliti sunt? imò cur sacrificium omne abrogarunt? denique cum tueri volunt & tegere errores suos; cur ad hæc sæcula, ad Britannorum Remp. & Restitutum Londinensem appellant? Misera factio, quæ in suis latebris, & asylo, quò fugitur, tam facilè deprehenditur. Restituto dabatur sacrificandi locus in alienâ provinciâ; nunc nemini datur in suâ: ubi Lutherus aut Calvinus dictaturam obtinent. etsi facti hujus rationem exposcis, ad Restitutum & Arelatensem Synodum confugiunt, ubi sacrificandi locus, nec Sacerdoti, nec Episcopo denegatur.

Absolutâ Synodo, scripsere Patres ad Romanum Pontificem; & dicti, facti ratione redditâ, XVIII.

petiverunt ab eo ita omnia confirmari, ut ejus operâ & imperio, decreta omnia, per universum Orbem, (ut de festo Paschatis fecerant) robur obtinerent. & sic literas inscribunt.

DILECTISSIMO PAPÆ SILVESTRO MARINUS, &c.

Literæ Arelatensis Synodi ad Silvestrum.

Communi copulâ charitatis, & unitate Matris Ecclesiæ Catholicæ vinculo inhærentes; ad Arelatensium civitatem piissimi Imperatoris voluntate adducti: Inde te, Religiosissime Papa, cum meritâ reverentiâ salutamus. ubi graves ac perniciosos legi nostræ, atque traditioni, effrenatæ mentis homines pertulimus: quos & Dei nostri præsens authoritas, & traditio, ac regula veritatis, ita respuit, ut nulla in illis, aut dicendi ratio subsisteret, aut accusandi modus ullus, aut probatio conveniret. Ideo judice Deo, & matre Ecclesiâ, quæ suos novit & comprobat; aut damnati sunt, aut repulsi. Et utinam, frater dilectissime, ad hoc tantum spectaculum interfuisses, tanti fecisse, profecto credimus, quia in eos severior fuisset sententia prolata, & te pariter nobiscum judicante, cœtus noster majori lætitia exultasset. Sed quoniam recedere à partibus illis minimè potuisti, in quibus & Apostoli quotidie sedent, & cruor ipsorum sine intermissione Dei gloriam testatur. Pergunt recitare decreta quæ in Concilio sancita sunt, quæque per ipsum potissimùm insinuari cupiunt cunctis Ecclesiis, qui amplissimam haberet Diœcesim.

Corollarium.

Ubique vides Restitutum & Episcopos *unitatem matris Ecclesiæ Catholicæ, cum religiosissimo Papa Silvestro* profiteri; quem *meritâ reverentiâ salutant*, censentque eos, qui *Traditioni* obstrepunt, *effrenatæ mentis homines esse*, & eosdem *graves ac perniciosos legi nostræ.* Opinati sunt etiam (quod obiter notandum est) Petrum Romæ fuisse, & ibi sanguinem pro Christo fudisse. quæ omnia, ut Restituti & Britannorum fidem aperiunt: ita aperiunt novæ factionis iniquitatem, quæ nullâ in Romanam Sedem reverentiâ, Traditiones respuunt, & Petrum Romæ sedisse, aut fuisse, constanter negant.

Petrus Romæ sedit.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1066.

ANNUS CHRISTI 315.

SILVESTRI PAPÆ 2.

CONSTANTINI IMP. 10.

L

Sequitur Constantini Imperatoris annus decimus, Christi Domini 315. Constantino & Licinio IV. Consulibus, quando Crispus, & Constantinus M. Constantini filii, creati sunt Cæsares. Quo tempore quæstionem Judæos inter, & Christianos, ortam esse, coram Silvestro Papa, Constantino Augusto, & matre Helenâ, plurimi Authores docent. Quo errore, quâve in Helenam injuriâ, nunc videndum. Acta Silvestri ita rem, ab exordio narrant. *Constantino IIII. & Licinio * ter Coss. die Iduum Martiarum facta est Synodus in urbe Româ; in quâ diversarum provinciarum fuerunt Episcopi, numero septuaginta quinque, Sacerdotes Judæorum centum & novem, exceptis iis duodecim, qui ab Isachar Pontifice, altercationis gratiâ, fuerant destinati.* Causam convocandæ Synodi ita recitant Magdeburgici.

De Romana Synodo, et disputatione cum Judæis.

* quater

Acta Silvestri.

Disputationis causa.

Cent. 4. c. 9.

Helena Constantini mater, Imperatorem reprehenderat, quod Nazaræorum potiùs, quam Judæorum religionem amplexus esset. Periculum igitur facturus Imperator, utra religio firmioribus niteretur fundamentis; Romam convocavit Judæorum Sacerdotes centum & triginta: accersitis etiam Christianorum Episcopis, quatuor & viginti, quibus Silvester præfuit. Erat tunc, scilicet, in Oriente, Helena, cum duobus nepotibus, Constantino & Constante Augustis; gentilis adhuc, & Judæis addictior. unde ad filium scripsisse dicitur, ac illi succensuisse; quod tantis conatibus Christianam religionem, contra omnes sectas, tueretur. Hæc, aliaque his similia, cum omni historicorum fide pugnantia, de Helenâ efferuntur; quæ multis impugnat Baronius. Sed reverà non est opus multis, quia per se ipsa corruunt. Et quamvis plures Authores, & magni etiam nominis, illa transcribant; non possunt tamen constantissimam, quam hactenus secuti sumus, de Helenæ fide sententiam, concutere aut infirmare. nam, si alia deessent, una Constantini filii pietas; quam à matre potiùs, quàm à Diocletiani aula suxit; satis pro Helena clamat, falsa esse, quæ Acta Silvestri, quæ Marianus Scotus, quæ S. Antoninus, quæ Belvacensis: quæ denique Græci, [a] Zonaras, [b] Metaphrastes, [c] Glycas, [d] Nicephorus & [e] Cedrenus scripserunt.

Helena in Oriente.

Refellitur.

[a] *Annal. to. 3.*
[b] *die 2. Junii.*
[c] *in Annal.*
[d] *l. 7. c. 39.*
[e] *in compen.*

II.

Missis ergo iis omnibus, quæ habet Baronius, ad narrationem illam enervandam. nimirum Helenam in Oriente non fuisse, hoc anno, Constantino & Constante nepotibus Augustis (Constantinus hoc anno primùm Cæsar, non Augustus; Constans, nec Cæsar, nec Augustus) nec item gentilem, sed Christianam: paucis aperiam unde decumanus hic error pluribus subrepsit. nam vitioso fonte detecto, nemo mirabitur malè fluere veritatem. Eusebius in vitâ Constantini, ita ipsum aliquando effert, ut matrem deprimat. nam inter cætera sic ait: *Helenam, cum antea pietate minimè imbuta esset; ita piam reddidit Constantinus, ut à primo tempore ætatis, ab ipso communis omnium Servatoris ore instituta fuisse videretur.* Hic quamvis de Judaïzante Helena nil loquatur; aliqui tamen inde collegerunt Helenam post Constantinum, Christianam factam: non advertentes Eusebium, de pietate, non de fide loqui. Cæterùm ille non aliud intellexit, quàm Helenam à Crucis apparitione filio facta, novam pietatis flammam concepisse, quæ ipsam in Oriente peregrinam, & in religionis actibus devotissimam reddidit, ut infrà dicam. Porrò Helenam in fide Constantinum præcessisse, testatissimum est; & suprà è S. Paulino, Gregorio Magno, & Ambrosio probatum. Huc refertur ad errorem, inquam, confirmandum; quod habet S. Antoninus 2. par. cap. 1. tit. 9. §. 3. Cum Constantinum à Silvestro baptizatum retulisset: *Hæc ubi Helena, mater Constantini, in Britanniâ consistens, audivit: per literas laudat filium, quod abrenuntiasset simulacris idolorum. sed dirè increpat, quod relicto Deo Judæorum, crucifixum hominem Deum colat.* Pergit Author pluribus narrare, quod ad matrem Constantinus rescripserit, quòd Helena Judæos adduxerit, quòd coram Augustis Silvestro Papa, cum Judæis certamen inierit, & demum recesserit Victor. Ne autem de fide horum dubitares, Vincentius Belvacensis recitat ultro citroque datas literas, Judæorum nomina, & alias circumstantias; unde Legendarii Spartam nacti, egregie illam ornaverunt.

II. Acta Silvestri improbantur.

Eusebius in Helenam parum æquus. *Euseb. l. 3. c. 46.*

An. 256. 3. & an 275. 50.

Anton. 2. p. c. 1. tit 9. § 3

Inde Antoninus et alii.

Qui

III. Antonini locus restituitur.

Qui Sanctum Antoninum superiùs recensuit, & impressit, correxit illa verba: *Hæc ubi Helena in Bethaniâ consistens*; & reddidit ita. *Hæc ubi Helena in Bithynia consistens*, &c. Credidit ille, fortè Constantium Drepani somniasse in Bithyniâ, ibique ex Helenâ Constantinum suscepisse: & de Bethaniâ nihil legerat: non mirum ergo si ejus loco Bithyniam reposuit. Sed ubique peccatum est: non debet Bethynia poni loco Bethaniæ; sed utrique substitui debet Britannia. nam Helena, hoc tempore, in Britanniâ fuit, nec hactenus Orientem viderat: & intellecto filium Christianis impensè studere, ad illum scripsit è Britanniâ. Quid scripserit nunc videndum: & detegendus fons alius luculentè fluens, non Authoris, sed librariorum errore. Marianus Scotus Basileæ impressus, sub annum Domini 1559. ita habet ad annum Christi 322. *Constantino autem, à Papa Silvestro, baptizato, scripsit de Britanniâ sibi sua mater Helena, ut negando Christum Iudæos sequeretur*, Hinc S. Antoninus, Vincentius, & Acta Silvestri ansam acceperunt, multa componendi, quæ fidem Helenæ jure merito obscurare possent, nî certè constaret vitiatam esse sententiam. Nam quomodo fieri potest, ut Helena, quæ prius (è mente Mariani) Crucem Domini religiosissimè quæsierat in Oriente, inventam impensè coluerat, & ornaverat; quæ tot pietatis monumenta in Palæstinâ reliquerat; nunc reversa in Britanniam, Christianam provinciam; inde ad filium scriberet, ut *negando Christum Iudæos sequeretur*: cum nullus, nec Marianus ipse, tam subitæ mutationis meminerit?

Helena in Britannia.

Marian. an. 321.

Mariani Scoti locus depravatus.

IV. Dic, candide Lector, & historicæ veritatis amans, id nunquam in Mariani mentem, nec calamum, incidisse: sed vel amanuensium, vel criticorum vitio, factum, ut exigua literarum mutatione, immanis solœcismus in eum locum irrepserit: qui sic corrigendus est. *Constantino à Papa Silvestro baptizato, scripsit de Britanniâ mater Helena*, ut NEGANTES CHRISTVM IVDÆOS PERSEQVERETVR. Marianum ita scripsisse, licet ex impressis, aut Manuscriptis libris evincere non possim (nam unus mihi suppetit impressos Codex) vario tamen argumento probari potest. Imprimis, quæ suprà dicta sunt de patriâ Helenæ, de parentibus, de indole, fideque ejus; satis ostendunt, nec gentilem illam, nec Judæam fuisse. Et esto putaverint aliqui, natam in Græcia, & in πανδοχείῳ, quod cætera confingendi fundamentum fuit: nunc disjecto fundamento illo, & patriâ meliùs expositâ; non opus multo ariete, ut corruat quod superstructum est. Sed nihil hoc ad Mariani sententiam: & ille fortè putavit, Helenam in Bithynia natam, ac proinde judaïzare potuisse. Quorsum igitur, qui Bithyniæ substitutionem, in loco Bethaniæ, accusas in Antonino: hic integram sententiam invertis, evertis, & pervertis? Respondeo, cum Marianus, priùs posuerit Crucem ab Helena inventam, quàm datas ab eâ literas ad Constantinum; debuit sine dubio existimare, Christianam fuisse; & Judæis, qui Christum crucifixerant, inimicam potiùs, quàm amicam. & sic benè potuit Constantinum movere, ut Christi, quem colere incipiebat, crucisque osores persequeretur. Unde Marianus per Marianum corrigitur, nimirum è sensu verbisque Mariani.

Restituitur.

Objectio.

Solvitur.

V. E Florentio Wintoniensi.

Sed pergo ulteriùs, & Florentium Wigorniensem produco testem, quid scripserit Marianus. Cum enim ille, ejusdem cum Mariano instituti fuerit, Monachus: & ipsius Chronicon abbreviaverit, ut dicit Pitsius: vel, ut loquitur Balæus, ipsum religiosè sequutus sit; non est dubium quin sensum quoque ejus, in re tanti momenti, plenè assecutus sit. Ipse ergo ita scribit ad annum 306. secundùm Dionysium: *Constantino à Papa Silvestro baptizato, scripsit ei sua mater Helena de Britanniâ, ut negantes Christum Iudæos persequeretur. Tunc Constantino quartum, & Licinio quartùm Coss. die idus Augusti, congregati sunt cum Helena centum viginti sapientiores Iudæorum: Cum Constantino autem & Silvestro Papa viginti quatuor Episcopi, & superati sunt Iudæi omni Scriptura divina.* ita ille Marianum exscripsit statim ab ejus morte: & sine dubio multo rectiùs, quàm habent impressa nunc exemplaria. quod optimè confirmatur ex rebus gestis hujus anni, quas breviter sic accipe.

Pitsius in Florentio. Balæus ibi.

Florentius an. 306.

VI. Rei gestæ summa.

Judæi cum scirent Constantinum, in Christianam fidem propendere, & magnis conatibus illam promovere; in Christianos palam tumultuati sunt; & Constantino deinde parere recusarunt. Negotium etiam illis facessere non destiterunt, qui vel à Judæorum, vel gentilium ritibus, transire ad Christi castra desiderarint. Helena docta quid Judæi molirentur; & indignè ferens Christum iterum à Judæis crucifigi; monet filium, ut in Judæorum facinora inquirat, tueatur eos, qui ad Christi Sacramenta transire cupiebant, puniretque contra nitentes: & Constantinus piissimæ matris precibus annuens, reos punivit, lataque lege cavit, ne imposterum talia præsumerent. Si hoc à Constantino factum ostendero; ostendo simul, quid Helena ad Constantinum scripserit. nam teste Eusebio: *Constantinum, cum ob cæteras res omnes, tum ob pietatem in parentem & procreatricem suam, beatum judicare par est*: par etiam est credere matri obsequutum. S. Chrysostomus in Judæos scribens, cum dixisset eos, sub Constantino rebellasse, mox addit: *Constantinus amputatis Iudæorum auriculis, ac rebellionis signo impresso corpori illorum, per omnia loca circumferebat eos, ceu fugitiva mancipia, & verberones corporibus mutilatis, conspicuos illos faciens omnibus, ac eos, qui per omnes regiones erant sparsi erudiens, ne imposterum eadem conarentur.*

Euseb. l. 3. c. 46.

Constantinus in matrem pius.

Chrysost. contra Iudæ. hom. 2.

VII. Punit Judæos.

Eodem etiam tempore, & in eandem rem Constantinus ad Evagrium scripsit, & Judæorum procaciam cohiberi præcepit. *Etenim cum prosperis Christianorum rebus complures è Iudæis permoti*, inquit Baronius, *à patrio ritu desciscerent, & ad Christianam fidem capessendam sese conferrent; eorumq; contribules, id indignè ferentes, ipsos hostiliter ad necem usque insequerentur: Constantinus his prospiciens; qua decebat severitate, furentes eorum animos, edita ejusmodi lege compescuit.* Ego adderem, & legem hanc, & prædicta supplicia, ex Helenæ literis è Britannia scriptis, processisse: quod ferè significat ipse Constantinus; sic enim loquitur.

CONSTANTINUS IMPERATOR AD EVAGRIUM.

VIII. Lege in eos lata.

IVDÆIS *& majoribus eorum, & Patriarchis volumus intimari: Quod si quis post hanc legem, aliquem, qui eorum feralem fugerit sectam, & ad Dei cultum respexerit, saxis, aut alio furoris genere (quod nunc fieri cognovimus)* nimirum ex Helenæ matris literis, *ausus fuerit attentare, mox flammis*

dedendus est, & cum omnibus suis participibus concremandus. Si quis verò ex populo ad eorum nefariam sectam accesserit, & conciliabulis eorum se applicaverit, cum ipsis meritas pœnas sustinebit. Datum XV. Kalen. Novem. Margillo, Constantino A. IIII. & Licinio A. IIII. Coss.

IX. FIRMANTUR SUPRADICTA.

Cum hæc scribat Constantinus, eo ipso anno, quo Acta Silvestri convocatam Romæ Synodum consignant: cum Constantinus disertè affirmet, se legem ferre in Judæos, quorum scelera intellexerit; cum omnes fateantur Helenam, ad ipsum literas dedisse, cum expressa Judæorum mentione. Quis non videt, longè probabilius esse; Helenam, quæ Romam festinabat, ac inde in Orientem, Christi & Crucis amore, Constantinum in Judaicæ perfidiæ odium intrasse potius, quàm amorem; præsertim cum Sancti Patres, Helenam in fide commendent: cum Eusebius & antiqui omnes, nullam in ea Judaicæ perversitatis maculam viderint. Cæterùm latâ à Constantino prædictâ lege, imminuta videtur Judæorum audacia: & plurea putabantur Judaismum deserturi, si publica propositis argumentis premerentur. Hinc orta est quæstio; num admittere cum Judæis disputationem, de fide, stare posset; aut cum authoritate Ecclesiæ, aut cum utilitate Judæorum. Jam venerat in urbem Helena, quæ cum Constantino, pro Judæis advocavit, ut colloquium fieret: nec repugnavit Silvester; ratus è re Christiana futurum, si Mosaicæ legis antiquatio, & Messiæ adventus, ex ipsa Judæorum scriptura, probarentur. In hunc sensum Acta Silvestri recitat Adrianus Papa in Epistola tertia ad Carolum Magnum. *In ipsis exordiis Christianorum*, inquit, *cum ad fidem converteretur Imperator Constantinus, mater sua Helena Augusta, ad eum cum duodecim Scribis, & Pharisæis, ac magistris, ac principibus Iudæorum, in urbem venit Romam. Et ipsa una cum filio suo Constantino Augusto, concilium Iudeos cum Christianis facere censuerunt. In quo præsidem sanctus Papa Silvester, cum plurimis sanctissimis Episcopis, in ampliorem statum dilatantes Christianorum fidem, tam per sacram Scripturam, quàm per miracula, Domino protegente, Victores effecti sunt.* Ita ille. & habes cum Helenæ vindiciis, rem gestam bujus anni. non quod Constantinus revera baptizatus esset, quod Marianus est opinatus: sed quod Christianis impensè studeret.

Adriani Epistola apud Baronium hic n. 17.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1067.

ANNUS CHRISTI 316.

SILVESTRI PAPÆ 3.

CONSTANTINI IMP. 11.

I. ALBANO MARTYRI TEMPLUM.

HOc anno trecentesimo decimo sexto, Sabino & Ruffino Coss. absoluta est Sancti Albani Ecclesia, quam ante triennium inchoatam diximus. sic intelligo Joannem Spedum, qui Ecclesiarum texens Catalogum, ponit Albani templum in Catuenchlanis, & Herfordiensi agro, factum anno Christi 316. quod accipe de ædificii perfectione, & benedictione per Episcopum. Notum enim est hoc tempore, solenni aliquâ cæremoniâ dedicari solitas Ecclesias; & festum servari, seu in Sancti honorem, seu templi reverentiam. Fatentur hoc, inviti licet, Magdeburgenses. *Martyrum festivitates*, inquiunt, *in omnibus penè hoc sæculo* (& quartum hoc sæculum intelligunt) *Ecclesiis solennes fuisse videntur, quocumque tandem tempore cœperint.* Illustrant hoc plurimis exemplis, & Basilii, Ambrosii, Hieronymi, aliorumque doctissimorum testimoniis, quæ prætereo. *Sed & encænia*, inquiunt, *seu templorum consecrationes, & dedicationes huic sæculo festiva fuerunt.* Sed melior testis harum rerum & oculatus prodeat Eusebius, qui inter prima respirantis Ecclesiæ argumenta, ponit celebrari solita sacrarum ædium encænia, magno Cleri populique gaudio. Cum enim tyrannos extinctos narravisset. *Deinceps*, inquit, *celebre spectaculum nobis omnibus optabile, & vehementer desideratum ante omnium oculos proponebatur; dedicationum scilicet festivitates, per urbes singulas, templorum nuper exædificatorum consecrationes, frequentes Episcoporum in unum conventus, peregrinorum longè ab exteris regionibus accedentium concursus.* Ad hunc modum Albanensis Ecclesia exædificari cœpta anno trecentesimo decimo tertio, hoc anno consecrata, à Britannorum Protomartyre Albano nomen accepit; hodieque post varias rerum temporumque vicissitudines illud retinet. licet mausolæo longè augustiore. de quo vide anno 793.

BENEDICTIO, ET DEDICATIO.

Cent. 4. c. 6. fo. 411.

Eusb. l. 10. c. 3

II. ALBANI RELIQUIÆ ELEVATÆ.

Quinam ritus in consecratione bujus templi usurpati sint, facilè colligitur ex usu Ecclesiarum, & more bujus sæculi, factoque Constantini. nam Albani cineres, qui humiliter hactenus, & sine magno apparatu jacuerant; sublime ponuntur, & majore cultu. Quod passim fieri solitum hac ætate adversarii nostri fatentur: & insuper addunt, non priùs id à fidelibus factitatum. Quasi verò, ante Constantinum, Nerone & Diocletiano fidem persequentibus, & Ecclesias fieri vetantibus, sanctorum corpora publicè efferri, in Ecclesiis deponi, ibique à fidelibus coli, potuerint. Etenim si illud ab orthodoxis attentatum fuisset, barbari & infideles non patientiùs tulissent cultum illum, quam sectarii nuper tulerunt; cum sanctorum monumenta omnia destruxerunt. Vide ergo quàm imperitè loquantur Magdeburgenses. *In sæculis superioribus* (primo, secundo, tertio) *de translatione reliquiarum Sanctorum & veneratione earundem, nihil apud probatos Authores reperimus. At hoc sæculo* (quarto) *ea res, tum ex nimia Sanctorum prædicatione, & zizaniis de Sanctorum intercessione: tum ex ethnica superstitione, primùm cæpit; & mirum in modum mendacibus prodigiis & signis confirmata magis, magisq; crevit.* Nota hic Lector acumen Magdeburgicum. laudaverunt initio hoc quartum sæculum, quod Constantinum haberet orthodoxum principem, de Christi Ecclesia optimè meritum. quod plurimos haberet, & præ aliis ætatibus, præstantes & illustres Doctores; & denique quod magna hac ætate sacræ Scripturæ reverentia fuerit, & authoritas: & interim Constantinus, plurimi præstantes & illustres Doctores, Ecclesia denique, zizania, superstitionem, & mendacia prodigia admiserat, vitiaruntque fidem.

Cent. 4. c. 6. fo. 416.

In præfatione cent. 4.

Cent. 4. c. 4. initio.

III. OBIECTIO.

Sed inquiunt Magdeburgici, & in Sanctorum cultum, ita pugnant: *Non omnibus Piis Doctoribus illas Sanctorum venerationes placuisse apparet, ex contentione Vigilantii cum Hieronymo. Vigilantius enim ex ethnicismo in Ecclesiam eam,l invectam esse*

Cent. 4. c. 6. fo. 417.

SOLVITUR.

affirmat. Ecce auctam Calvinistarum classem, Pio Doctore Vigilantio: quem plurimi præstantes, & illustres Doctores hujus seculi, hæreticum damnaverunt. quasi dicerent; non omnes pii, pro Moysis corpore steterunt; ut apparet ex contentione diaboli cum Michaële Archangelo, Judæ c. primo v. 9. nos scimus dæmones mentiri minimè potuisse, in Daphne, quamdiu in vicino, S. Babylæ corpus colebatur. nam Socrates ita scribit: *Ubi Iulianus Imperator templa gentilium, quæ erant Antiochia aperiri mandaverat; oraculum ab Apolline, qui in Daphne colebatur, accipere maturavit. Verùm cum dæmon, qui in eo delubro habitabat, vicinum suum, Babylam martyrem videlicet, reformandans, nullum Imperatori responsum daret (loculus enim, quo Martyris corpus tegebatur, erat in proximo) Imperator causa intellecta, loculum Martyris, quàm celerrimè inde transferri jubet.* Hoc eodem spiritu pugnant sectarii, in Sanctorum cineres: quibus stantibus, non possunt dæmones fundere oracula, & homines pro libito seducere: sed iis amotis, Juliano facilè persuadebunt, Sanctos, Crucem, Sacramenta, & sacra omnia persequi. Si ethnica superstitio est, Sanctorum corpora venerari: cur rugiunt dæmones ad eorum sepulchra, qui ethnicâ superstitione delectantur. Sed quia in Albani corporis cultu versor, & ejus translatione, feci autem Babylæ Martyris mentionem; non erit opinor Lectori importunum, prius audire, quid factum à Christianis in Babylæ translatione, quàm ad Albani corporis elationem accedo. Pergit ergo Socrates dicere, quid egerint fideles, intellecto Juliani mandato, de S. Babylâ exportato.

Socrat. l. 3. c. 16.

BABYLÆ MARTYRIS RELIQUIÆ.

IV.

Socrat. supra.

TRANSFERUNTUR.

De qua re, inquit, *Christiani Antiochiæ certiores facti, una cum mulieribus & pueris exultantes gaudio, psalmosq; canentes, loculum, ex Daphne, in urbem Antiochiam transferunt: psalmis autem quos cecinere reprehensionem Deorum gentilium, & eorum qui in idola credebant, complexi sunt.* Ita ibi: sed mallem videre hujuscemodi aliquid in nostro Occidente, quia inde meliùs in Britanniam descendam. Ita ergo scribunt Magdeburgenses: *Ritum in levandis & transferendis Martyrum inventis corporibus cum observatum in Occidentalibus Ecclesiis, Ambrosius indicavit, Epist. 85. ad sororem, ad hunc modum primum inventa, seu studio, seu casu, sancti alicujus reliquiæ populo monstrabantur, & cujus essent Martyris significabatur: deinde ordine componebantur, & transferebantur ad aliquod templum, ubi vigiliæ sequebantur tota nocte, habebatur concio de vita istius Martyris, fiebant & miracula, si Ambrosio credimus; ægri enim, qui vestes saltem Sanctorum manu contigissent sanabantur, obsessi liberabantur.* Hinc collige, quid in Albani corpore factum, cum Oriens & Occidens, in eundem, ut vides ritum, colendi Martyres conspiraverit. Nisi enim velis Britanniam extra hunc orbem ponere, & numerum Christianorum; debes existimare idem factum Britannorum Martyrum reliquiis.

Cent. 4. l. 6. fol. 417.

V.

QOID FACTOM IN ALBANI TRANSLATIONE.

Dicamus igitur, hoc anno, sublatum à fidelibus Protomartyris Albani corpus, cum hymnis & canticis, & magno Christianorum jubilo, in novam ædem deductum; ibi populo ostensum, probatumque; depositum deinde cum honore, vigiliæ, precesque secutæ sunt, & concio in laudem Martyris. De miraculis deinde in eodem loco factis, ad Albani cultum probandum, nullum dubium esse potest, nisi apud eos qui Ambrosii authoritatem leviter in dubium vocant. certè Authores nostri, dum de Ecclesiarum vastatione per Saxonem agunt, ita de Albani corpore, de Ecclesiâ ejus hoc tempore, & frequentibus miraculis referunt. *Ecclesia Beati Protomartyris Albani*, inquit Florilegus, *quam Beda in Anglorum historiâ, post passionem ejusdem Martyris, miro tabulato lapideo scripsit fuisse constructam, inter cæteras regionis Ecclesias, funditus est subversa. Unde & sepulchrum ejus, quod in adventu S. Germani, & ante, a passione Martyris, usque ad illius patriæ desolationem, omnibus notum, & propter MIRACULORUM FREQUENTIAM, ab omnibus fuerat adoratum; tempore quo Offæ Regis extitit revelatum erat incognitum universis.* Hæc ille. & sanè qui viderit, quid postea ætas, quid Reges hujus Insulæ fecerint, in honorem S. Albani; & templa structa Regiâ prorsus magnificentiâ; nullo modo dubitare poterit, quin fuerit mirabilis Deus in Sanctis suis. & hæc omnia, quæ Deus optimus maximus, & sequentia secula probaverunt, zizania vocare, superstitionem, & ethnicismum, summa est impietas.

Floril. an. 794.

VI.

LICINIUS ECCLESIAM PERSEQUITUR.

Hoc eodem anno Licinius Imperator, in Oriente nova cœpit in orthodoxos moliri, nullâ piæ conjugis, nullâ datæ fidei, nullâ denique Constantini reverentiâ. Hinc ortum inter Augustos bellum: cujus causam licet Victor, & alii infideles, in Constantinum referant; constat tamen Licinii fraudes, & in Christianos crudelitatem, illam dedisse. ab Ovo rem narrat Eusebius, ubi recensito Occidentis, & Ecclesiarum ibi fælicissimo statu, ita scribit: *Atque ut in his plurimum percepit oblectationis: sic de illis, quæ in Oriente, magno cum tumultu & perturbatione gesta esse, auditione acceperat; mœroris non parum. nam ei nuntiatum est, belluam quandam immanem, & ferocem, illic tum Dei Ecclesiæ, tum reliquis provincialibus insidias tendere (quippe dæmon nefarios omnes suos nervos contendit, quo ea, quæ erant à Pio Imperatore confecta, contraria prorsus perageret) usque eo, uti imperium Romanum in duas partes diremptum; noctis tenebris, & splendori diei omnibus persimile videretur. nam his qui Orientem obtinebant, tanquam noctis caligo offundebatur: illis autem qui erant alterius partis incolæ, splendor clarissima dies illucescebat. quos tam infinitis bonis, divina providentiâ suppeditatis frui; neque diabolus invidiâ exæstuans, virtutiq; infestus, æquo animo spectare, tolerareq; neque tyrannus qui alteram orbis partem opprimebat, omninò ferre potuit. Qui quidem, cum imperium sibi prosperè succederet, & Constantinus tam eximii Imperatoris sororem duxisset; relictâ præclarorum hominum imitatione, perditos impiorum mores, & institutum æmulari cœpit. & quorum infœlicem vitæ exitum oculis aspexisset; eorum sceleratam mentem sequi maluit, quam in firmâ præstantioris viri amicitiâ acquiescere. Itaque nec legum amicitiæ, nec fœderum, nec cognationis, nec pactionum memoriam omnino animo tenens; bellum crudele & pestiferum, contra patronum suum movet. Nam sicut Constantinus, utpote princeps humanissimus, veræ benevolentiæ erga ipsum ostendit indicia, majorum cognationis, regii sanguinis antiquitùs ducti, consortem fieri voluit; sororem ei collocavit in matrimonium, liberam denique totius imperii perfruendi potestatem, tanquam cognato, & collegæ regni tribuit. Sic ille, contraria animo statuens, contra meliorem præstantioremq; hominem machinas comparavit: aliosq; alias excogitavit insidiarum modos; quo patroni sui benefacta malefactis compensaret.*

Euseb. in vita l. 6. c. 48.

VII. LICINII FRAUDES.

Ac primùm amicitiam callidè, & veteratoriè simulans; dolo & fraude egit omnia. & propterea, quæ temerè admiscebat, clàm ferè speravit. Cæterùm ejus insidias, ex occulto structas Deus famulo suo patefecit. Iste igitur simul ac fuit in primis illis conatibus manifesto prehensus; ad secundas fraudes se contulit. Cœpitq; interdum benevolentiam, & necessitudinem prætexere: nonnunquam fœderibus, & jurejurando fidem facere: tum quasi derepentè decreta antiquare. cursim per Legatos supplicare: iterum ex mendacii simulationibus, turpi ignominiæ labe notatus; tandem bellum palam indicere: ac mentis adeo temeritate, & insolentià incitatus; de cætero ipsi Deo (quem Constantinum Imperatorem augustè venerari cognovit) se opponere. Hæc omnia Eusebius, qui pluribus narrat, quæ Licinius in Christianos molitus sit: nunc pacta rescindendo, mox in eorum bona sæviendo; denique vita etiam exuendo. demum ut paucis plura ejus scelera recenseam: Ecclesiarum præsides, & quotquot in gentilium conversione laborabant, variis carceribus, & quæstionibus excruciatos, tandem occidit: in Christianas fœminas, matronas æquè ac virgines, inverecundus; fidelibus omnibus, tanquam Constantino studiosis infensus. Hæc omnia cum audivisset Constantinus, ægrè tulit lacerari in Oriente Ecclesiam, quam ipse sartam tectamque in Occidente servare tantopere satagebat: & statuit iterum crucis virtutem experiri, quam necdum senserat Oriens.

VIII. Euseb. in vita l. 2. c. 3. CONSTANTINUS OCCURRIT.

Cum igitur, ut cerneret quidem, inquit Eusebius, *de illis rebus quas diximus. dissipatum amplius ferendum cerneret; modestâ animi ratione, rem secum reputare, & morum severitate, cum clementiâ naturaliter sibi insitâ, temperatâ, ad afflictorum liberationem maturare cœpit: existimans pietatis & sanctimoniæ munus esse, ut per unam cædem, infinita hominum multitudo servaretur incolumis.* pergit post aliqua dicere, quibus armis Constantinus in Licinium pugnaverit: nimirum signo Crucis, quod infidelibus, & idolorum cultoribus terrori esse, jam multo didicerat experimento.

QUIBUS ARMIS? Euseb. suprà.

Idcirco, inquit ille, *consuetum militaris expeditionis apparatum instituit. universa agmina, tam peditum, quàm equitum ad illum frequentia confluunt. Quæ omnia antecedebant insignia certa in Deum fiducia; quæ Crucis effigiem supra monstratam, pulchrè repræsentarunt.* Quali verò in Sacerdotes observantiâ, Constantinus fuerit, quos & habuit negotiorum comites, declarant sequentia; in quibus etiam leges, quâ ratione muniverit exercitum:

Euseb. l. 2. c. 4.

Precibus, inquit Eusebius, *si unquam aliàs, etiam jam sibi opus esse probè intelligens; Dei solicitare Sacerdotes, ut semper cum ipso versari; semperq; præsto esse vellent: hosq; tanquam quosdam animæ custodes ducere.*

ANNUS URBIS CONDITÆ 1068.

ANNUS CHRISTI 317.

SILVESTRI PAPÆ 4.

CONSTANTINI IMP. 12.

I. CONSTANTINUS IN LICINIUM PERGIT.

CONSTANTINUS anno trecentesimo decimo septimo, Gallicano & Basso Consulibus, piis, ut dixi, armis instructus, Orientali Ecclesiæ, & Christianorum paci militaturus, & Crucis gloriam prolaturus, in Licinium pergit. Interim Licinius, (ut olim Romæ Maxentius) falsorum numinum præsidio, sibi prospera omnia pollicitus; intellexit tandem, armatum contra se venire Constantinum. mittit ergo qui exercitum ejus, vires, arma, militumque numerum exploraret: & intellecto, Crucis imaginem, in labaro expressam, primo loco, & aquilis potiorem, esse: Quid putatis fecisse infidelem principem? fecit sanè, quod hodieque sectarii faciunt; nisi fortè isti peccent immaniùs, post tot ætatum & miraculorum periodos: risit, inquam, Christi Crucem; & ratus inane futurum victoriæ simulacrum, multa effutiit per ludibrium. Sed audi Eusebium hoc meliùs referentem.

Euseb. l. 2. c. 4. LICINIUS CRUCEM RISIT.

Licinius, cum auditione accepisset Constantinum contra hostes, non aliter quàm per Dei virtutem præsidium ipsi afferentem, victoriam conari comparare, & eos quos dixi, (Dei Sacerdotes) ei adesse, & salutaris Christi passionis insigne, universum illius exercitum perpetuò antecedere. Has res reverà (sic namque erat verisimile) irrisione dignas putavit, simulq; Constantinum habuit ludibrio, & contumeliosis verbis laceravit.

II. EJUS APPARATUS.

Licinius contra, augures consulendo, inspiciendisque animalium fibris, faventem ubique fortunam invenit: sed quo esset certior victoria adivit religionis causa, petiitque oraculum Apollinis Dindymiæ, ubi de eventu belli sciscitantibus, dæmon ita mentitus est cautè.

Theoph. l. 9. c. 45.

Te juvenes, grandæve pater, vexare feroces
Certum est, te infirmum manet ærumnosa senectus.

Verùm hæc tripodum deliria, & aruspicum responsa, fuerunt Crucis trophæa: quâ pugnans Constantinus, idola potiùs illa, quàm urbes aut homines, visus est debellare. utroque certè, ita Crucis virtus eminuit ut meritò Constantinus, se illâ armaverit: & meritò Licinius contemptæ Crucis pœnas dederit.

III. CONSTANTINUS IN LICINIUM PUGNAT. Zosim. l. 2. Eutropius l. 10.

Bis, hoc anno, in Licinium, à Constantino pugnatum est. primò apud Cybalim in Pannonia, de quo pluribus Zosimus. *Fugatus est ibi Licinius & omnis ejus exercitus, primò Sirmium, inde in Thraciam; ubi Martinianum officiorum magistrum, Cæsarem creat. Interim Constantinus, omni Dardaniâ, Mœsiâ, Macedoniâ potitus, numerosas provincias occupavit*, ἧ ὁ Λικίνιος ἐβασίλευε, inquit Eutropius. Licinius enim Illyrium occupaverat, unde Constantianæ familiæ origo. nam Pannonia, Dacia, Mœsia, Illyrici partes fuerunt.

NOTA.

Mansit ibi Constantinus, fugato Licinio: missaque parte exercitus (erant quinque Legionariorum millia) qui Licinium insequerentur; ipse Naisi, Dardaniæ metropoli, consedit, cum Fausta uxore sua & Augusta. ibi curiam habuit, inde rescripta dedit, & filium, è Faustâ, secundo genitum suscepit, quem ab avo, Constantium appellavit. licet alii à patre, quia diu regnavit, alterum Constantinum nuncupaverint. Unde præsertim à morte parentis & fratris, binominis fuit.

CONSTANTIUS NAISI NASCITUR.

Hunc in Illyrico natum esse, nullum est dubium. nam Julianus Apostata, oratione primâ in Constantium, id disertè affirmat:

Julia. orat. 1 in Constantium.

Illyrici, inquit, *quod in eorum solo natus sis, tam felici sorte se privatos esse non patientur, si quis aliam tibi patriam attribuerit.* Eundem intellexit Sigonius, qui cum dixisset victum Licinium in Illyrico, & post victoriam hæsisse ibi Constantinum, ac Naisi rescripta dedisse; mox infert:

Sigonius.

Idibus Augusti, Fausta Augusta alterum peperit filium, quem Constantinum appellavit. palam est Constantium intelligi, quamvis Constantinum

vocet. nam Conſtans, Conſtantius, Conſtantinus fratres pro uno eodemque ſumuntur. ut patet in Nicephoro Calliſto, qui Conſtantini patrem Conſtantium, ubique Conſtantem vocat, & Zoſimus infrà Conſtantinum Arelati natum, Conſtantium vocat. Porro quod ad M. Conſtantini filios attinet, illi optimè ex ordine nativitatis dignoſcuntur; Sigonius ergo qui dixit Fauſtam Auguſtam *alterum puerum peperiſſe* Conſtantino; non potuit ejus primogenitum intelligere: intellexit ergo ſecundogenitum, licet Conſtantinum appellaverit.

V. hic n. 8.

IV. JULII FIRMICI SENTENTIA ELUCIDATUR. V. an. 275. n. 20.

Eodem modo Julius Firmicus explicandus eſt, dum probat ab Italis frequenter dominationis imperia tranſlata eſſe, & confirmat exemplo Conſtantini, apud Naiſum geniti: ſic enim habent antiqua exemplaria. nam quod Joannes Hervagius, & eum ſequuti pro Naiſo Tharſum ſubſtituerint, manifeſti erroris convincuntur, ut ſuprà oſtendi. Illi tamen duxerunt plures in eam ſententiam, ut de M. Conſtantino putaverint locutum eſſe Firmicum, qui tamen Conſtantinum hunc Naiſi (vel ſi obſtinatè vis Tharſi) genitum, Conſtantini filium appellat. quod Lipſius corrigendum putat, legendumque Conſtantii filium: ſed ponamus integram Firmici ſententiam, ut in antiquis exemplaribus legitur, & nihil eſt corrigendum, hoc ſolùm monito Lectore, quod alter Conſtantini M. filius, nempè ſecundò genitus, Conſtantinus etiam ut dixi, aliquando appelletur. Sic ergo loquitur Firmicus. *Ab Italis frequenter dominationis imperia tranſlata ſunt. Nec hujus rei, longè tibi, aut ex antiquis libris proferemus exempla. Dominus & Auguſtus noſter, & totius orbis Imperator, pius, felix, ac providus Princeps, Conſtantinus ſcilicet Maximus, Divi Conſtantini filius, auguſta ac veneranda memoria principis; qui ad liberandum orbem à tyrannicis immoderationibus, & ad comprimenda domeſtica mala, favore propitia majeſtatis, electus eſt, ut per ipſum ſervitutis ſqualore deterſo, ſecura nobis libertatis munera redderentur,* &c. *apud Naiſum genitus, à primo ætatis gradu, imperii gubernacula retinens, quæ proſperis naſtus fuerat auſpiciis, Romanum orbem, ad perennis ſælicitatis augmentum, ſalubri gubernationis moderatione ſuſtentat.* ita ipſe ad Mavortium Lollianum. Quæ omnia de Conſtantio, Conſtantini ſecundo genito, intelligenda eſſe ſuprà monui: nec aliter Firmici ſententiam corrigendam; niſi quod exemplaria aliqua, pro Naiſo, Narſum primò, inde Tharſum vitio poſuerint. nunc Conſtantini victoriam proſequamur.

Firmicus l. 1. c. 4.

An. 275. n. 20. &c.

V. ITERUM CONSTANTINUS IN LICINIUM PUGNAT.

Conſtantinus in Thraciam Licinium inſecutus, cum tandem aſſecutus eſt; & inſigni victoriâ fractum, ad fœdera & pacem coëgit. hoc prælium, & in eo mirabilem Crucis virtutem, narrat in hunc modum Euſebius. *Cum exercitus eſſent jam jam prælium inituri; qui amicitiæ fœdera ruperat, primùm dimicare exorſus eſt. Ibi Conſtantinus, Dei omnium Salvatoris auxilio implorato, ſignoq; iſto ſuis militibus dato; in primâ dimicatione hoſtes expugnavit. Deinde non longo tempore poſt, ſecundâ etiam pugnâ tulit ſuperiores; atque adeo jam, ſalutari Salvatoris vexillo exercitum ſuum antecedente, præclariora victoriæ trophæa conſecutus eſt. Nam quâ in parte iſtud Crucis vexillum viſum fuit; hoſtes fugam capere, victores perſequi. Quâ re intellectâ, Imperator, ſicubi partem aliquam ſui exercitus languentem cernebat; ibi ſalutare illud vexillum, tanquam quoddam ſubſidium, ad victoriam obtinendam, locari mandavit; cujus adjumentis, extemplo parta eſt victoria. Quippe dimicantium vires, divinâ quadam potentiâ, fuere admodum confirmatæ. Quapropter ſuis juſſit ſatellitibus; qui & corporis robore erant, & virtute animi, & pietatis inſtitutis imprimis eximii; ut in ſolam vexilli illius gubernationem, omni curâ ac ſtudio incumberent. Erant viri non pauciores quinquaginta numero, quibus nihil aliud impoſitum erat negotii, quam ut vallarent undique vexillum, præſidiis munirent, ſinguliq; ordine, illud ipſum humeris geſtarent. Atque iſta quidem Imperator ipſe, longo poſt temporis intervallo, cum animo vacuo erat, nobis, qui hanc hiſtoriam ſcribimus, expoſuit; addens etiam rem dignam eſſe, quæ literis ad poſterorum memoriam commendaretur.*

CRUCIS VEXILLO.

Euſeb. l. 2. Vit. c. 6.

Euſeb. ſup. l. 2. c. 7.

Euſeb. ſuprà c. 8.

VI. Euſeb. ſuprà c. 9. MIRABILE CRUCIS SUBSIDIUM.

Nam cum in mediâ, inquit, belli dimicatione, ingens fortè fremitus, & turbatio repentina exercitum occuparet: ille qui vexillum hoc portabat humeris; inter prœliandum primùm, præ formidine, exhorreſcere cœpit: deinde alteri illud tradere, ut belli impetum effugeret. Poſtquam alter accepit, iſteq; fuit ex acie egreſſus, & extra vexilli præſidium locatus; telo conjecto in ventre confoſſus eſt, morteq; ſopitus concidit. Atque ut iſte timiditatis, & diffidentiæ pœnas luens, ibi mortuus jacuit: Sic ille, qui ſalutare trophæum ſublime & erectum portabat; omnino ejus ſubſidio evaſit incolumis. Adeo ut ſæpè cum tela frequentia, ab hoſtibus, in eum jacerentur; qui ipſum ferebat, ſalvus extiterit, & vexilli haſtile tela miſſa exceperit. Atque iſtud omnem planè ſuperat admirationem: tum quod tela ab hoſtibus jacta, ſic intra exiguum illum, & anguſtum haſtilis ambitum, provolabant, ut in eodem fixa hæreſcerent: tum quod ille, qui illud ipſum geſtabat, mortem effugeret. Imò verò, ut qui hoc miniſterium obibant, nihil damni incommodive aliquando acciperent. Neq; certè hæc noſtra eſt oratio, ſed ipſius Imperatoris; qui præter alias res, hanc etiam nobis coram memoravit. Hæc omnia Euſebius de primo alteroque prælio Conſtantini.

VII. LICINIUS SENSIT VIRTUTEM CRUCIS.

Illuſtriſſimam fuiſſe Crucis virtutem jam nemo, opinor, inficiabitur; cum Conſtantinus ipſe ad poſterorum memoriam hæc ſcribi mandaverit. Et quamvis initio Licinius Crucem irriſerit; poſtea tamen doctior, vidit non eſſe in Crucem pugnandum; monuitque militem, ne fruſtrà contra niteretur. nam ita Euſebius. *Poſtea cum revera intelligeret Licinius, quanta, quam divina, quamq; inexplicabilis eſſet in ſalutari Chriſti paſſionis trophæo vis (quâ quidem roboratus Conſtantini exercitus, in bello ſuperior eſſe conſueverat) milites circa ſe hortatus eſt; ne huic ex adverſo irent; caverentq;, ne fortuito aut per imprudentiam in illud oculos conjicerent. Nam & virtute valere plurimùm; & ſibi adverſarium infeſtumq; eſſe affirmavit; & propterea debere declinare eam, quæ contra idem inſtituitur, dimicationem.* Licinii genius in ſectarios tranſiiſſe videtur, qui ne fortuitò, aut per imprudentiam, oculos in Crucem conjiciant; cruces omnes ſuſtulerunt. quod non eſt mirandum, cum toties malus genius, ſigno Crucis, profligatus ſit. illud verò mirandum, quod Crucis virtutem nolint agnoſcere; cum Licinius triſtiſſimâ experientiâ didicerit, virtutem ejus *plurimum valere.*

Euſeb. l. 2. c. 16.

VIII.

Quantumvis victoria penes Conſtantinum fuerit; ipſe tamen uti noluit; ſed maluit cum Licinio paciſci. Sic ergo itum in fœdera. *Poſtridie,* inquit Zoſimus, *pactis induciis, viſum eſt inter ambos eſſe debere ſocietatem, & fœdus mutuum: ita*

Zoſimus l. 2.

quidem,

CONSTANTINUS CUM LICINIO PACISCITUR.

quidem, ut Constantinus imperare Illyriis, & nationibus cæteris, quotquot ulteriùs essent porrecta: Licinius Thraciam, & Orientem, & ulteriores provincias haberet. Valens, appellatus à Licinio Cæsar; quod perhiberetur author eorum malorum quæ acciderant; è medio tolleretur. Quo facto, & Sacramentis ultrò citroq; præstitis, conditiones has sanctè utrinque servandas: ut arctiori se fide ad standum pactis conventis astringerent: Constantinus Crispum, natum è concubinâ, cui Minervina nomen, qui jam adoleverat, & Constantium in Arelatensi oppido ante non multos dies in lucem editum, Cæsares dixit: & cum iis Licinianus quoque Licinii filius, qui jam ætatis annum vigesimum ingressus erat, Cæsar designatus fuit. Ita Zosimus, in eo falsus, quod Constantini filios, nunc primùm creatos Cæsares affirmet; quos constat, tunc ascitos, quando parens decennalia celebravit. nam Nazarius Rhetor, eorum Cæsareæ dignitatis quinquennium, in Constantini Imperatoris annum decimum quintum refert. Eusebius etiam Constantinum Cæsarem factum decimo paterni imperii anno disertè tradit. Cæterùm quod Zosimus Crispum nominet, & Constantinum, in Arelatensi oppido natum. (ità enim habet tam græcus quàm latinus textus) arguit quod *modò dicebam; confundi passim nomina filiorum Constantini Magni, nisi quod, ille Arelati natus, vix alio, quàm Constantini nomine audiat. Sed quare vocat eum *ante non multos dies in lucem editum*; cum Constantinus Arelati natus, quinquennis hoc anno fuerit? Respondeo: iterum lapsus est Zosimus; & Constantinum diu antè Arelati genitum, confundit cum Constantio, reverà non ante multos dies, Nasi nato; qui nonnisi vigesimo Constantini Imp. anno factus est Cæsar.

Nazar. pan. 7.

Euseb. l. 4. Vi. c. 40.

* V. hic n. 5.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1069.

ANNUS CHRISTI 318.

SILVESTRI PAPÆ 5.

CONSTANTINI IMP. 13.

I.

LICINIUS CON- A STANTINO VINCITUR.

HIc annus trecentesimus decimus octavus, Licinio quintùm, & Crispo Cæsare Consulibus: rupto sæpius à Licinio fœdere, & bello redintegrato, novâ Constantini victoriâ, & denique Licinii morte illustris fuit. Non potuit Dagon cum arcâ consistere, nec cum Constantino debuit Licinius imperare. Ille idolis addictus, eorum cultum promovere: Constantinus contra Christi fidem pro viribus propagare laborabat; & Deus ejus votis adfuit. Licinius iterum ad fraudes conversus, provincias solicitare, barbaros sibi adjungere, & omnem movere lapidem, quo potior in imperio esset. Denuò igitur hoc anno magnis viribus concurritur. Constantinus indignum ratus, Crucem idolis cedere, perrexit in Thraciam: & versipellem hominem, terrâ mariq; aggressus; post aliquot prælia, quæ Zosimus aliique referunt, post datam secundò dextram, fidemque non semel violatam, purpurâ exuit, jussitque Thessalonicæ privatum esse. quod ille quidem spopondit; sed statim deprehensus, res novas moliri, laqueo vitam finivit. Hæc breviter transeo, quia ad Constantini pietatem propero, & apparatum ejus militarem, qui non in curribus & equis, sed in Christi nomine pugnavit. hinc tot, & tam illustres victoriæ; ut discere possint principes, Constantini armis nec aliter vincendum.

II. CONSTANTINI APPARATUS BELLICUS.

V. an. 635. 6. & an. 571. 17.

Constantinus ad Crucis imaginem, quam exercitui præferri mandavit, etiam preces religiosè adjunxit, quoties bellum aggressus est. & habebat in omni expeditione, inter milites, locum fundendis precibus, Crucique statuendæ destinatum. Quod quia à Saxonum quoque Regibus factitatum est, ut inferà dicturus sum; jucundum erit videre, ut præcesserit Constantinus, exemplo pietatis. Sic igitur scribit Eusebius *Quemadmodum hæc & infinita his similia Imperator facere consueverat: sic in præsentia de more suo, ante initum prælium; in tabernaculo separato, tempus precibus ad Deum fundendis liberum addixit; ab omni licentiâ, & vitæ ratione, luxu diffluente, sese vocavit; mediâ, & corporis afflictatione seipsum coërcuit; uti Deum sibi tum precationibus supplicibus placatum, tum benignum adjutorem haberet: eaque perageret, quæ Deus esset illius animo injecturus. Porro autem utpote natura vigilans, & attentus, permagnam Reip. curam suscepit; nec magis pro suorum, quam pro hostium salute, precatus est.* Idem Eusebius alibi narrat constitutum à Constantino Cruci tabernaculum, ubi soleret preces fundere. *Constantinus,* inquit, *qui secundo jam bellum necessario gerendum animadverteret; Salvatori suo preces fundendi tempus vacuum, & solutum dicavit. Et Cruci tabernaculo extra castra etiam longissimè fixo: ibi syncera & pia meditationi se dedens; more veteris illius Dei prophetæ; quem extra castra tabernaculum fixisse, divina confirmant oracula; Deum orare cœpit.*

Euseb. l. 2. c. 14.

Euseb. l. 2. Vit. c. 12.

III. QUEM ORTHODOXI PRINCIPES IMITANTUR.

Viget etiamnum hæc antiquæ fidei piissima consuetudo, & usus tabernaculorum, quo milea ad Deo fundendas preces convenire, & divinæ rei interesse possit. Nam ut olim in Constantini exercitu, sic hodie in Catholico, Sacerdotes Imperatorem comitantur, quasi ANIMÆ CUSTODES; orantem exemplo præeunt, adsunt periclitantibus, & militi Deum sacrificiis propitiant. Multum enim facit ad victoriam Principum, pietas: quod iterum declaratur Constantini exemplo, qui semper surgebat ab oratione fortior. de quo ita Eusebius: *Cum jam animo vacuo, attentè Deo preces exhibebat; semper divina aliqua visione dignatus fuit. Ac post illud, tanquam divino instinctu impulsus; exiluit è tabernaculo: & repentè exercitum incitare cœpit: mandavitq;, ut nullâ morâ interpositâ, ipsam gladiorum aciem experirentur. Qui ex improviso hostes adorti, homines cujusq; ætatis conciderunt: atque interdum punctò ferè temporis, partâ victoriâ, trophæa contra hostes insignia statuerunt.* Constantinum in hoc genere pietatis sequuti sunt Saxonum & Anglorum Reges sanctissimi: qui crucem erigentes, & in tabernaculo orantes, mirabiliter de hostibus triumpharunt. Sic Oswaldus Northumbrorum Rex; sic Ethelredus Monarcha, & plures alii, quos suis locis recensebo. ut ex Britannorum, Saxonum, Anglorum Regum factis, unam semper, eandemque fuisse hujus Insulæ fidem, meridianâ luce clariùs appareat.

Euseb. l. 2. Vit. c. 12.

V. an. 635. per totum. V. an. 571. 17.

IV. SERENATUS ORIENS.

Devicto Licinio, Orienti postliminio rediit serenitas; cum proscriptos ob fidem Constantinus revocavit; cum prostratas Ecclesias piè erexit, ornavitque; cum denique, edicto publico, aliorum Imperatorum crudelia, & impia decreta

refigens, Christianos omnes gaudere fecit fælicitate Occidentis. Ego decreti formulam his Annalibus insero; ut fidei ejus studium, conatumque ad propagandam Christi religionem, Lectori demonstrem: præsertim cum ipse ibi fateatur se ideo à Deo, è Britanniâ vocatum in Orientem.

VICTOR CONSTANTINUS MAX. AUG. PROVINCIALIBUS PALÆSTINÆ

V. *Eusob. in vita l. 2. c. 25.*

Decretum Constantini post devictum Licinium.

Quamquam erat olim veterum memoria, apud eos, qui rectè, & sincerè de Deo Opt. Max. sentiebant, evidens & perspicua differentia; quæ omnem dubitationem longè ab hominum mentibus dispulit; quæq; etiam, quantum intersit inter eos, qui augustissimam Christi religionem studiosè observant, & eos qui oppugnant eandem, atque adeo despicatui ducunt; accuratè distinguebat: tamen jam, & argumentis illustrioribus, & splendidioribus rebus gestis, tum hujus dubitationis inscitia, tum quæ sit præpotentis Dei vis, perspicuè patefit. Quandoquidem hos qui fideliter sanctissimam Christianorum legem & disciplinam colunt, nullumq; illius præceptum violare audeant; magna bonorum affluentiâ, & robur firmissimum ad præclaros conatus; cum bona spe suscipiendos, accommodatum: Illos autem qui impiâ mente imbuti sunt; eventus etiam ipsorum institutis consentanei sequuntur. Quod si quisquam, qui neque Deum, bonorum authorem agnoscere, neque officia honestati congruentia colere, in animum induxerit; aliquid boni sit consecutus; eventa rerum ab ipso gerendarum fidem orationi nostræ facilè facient. Ac si quis superiora tempora hucusque continuata, animo percurrat; & priores res gestas acie ingenii contempletur; reperiet omnes, qui fundamentum rerum gerendarum, in justitiâ, & bonitate posuerint; conatus suos ad fælicem exitum perduxisse; & tanquam ex suavi quasi radice, dulcissimum fructum percepisse: At qui iniqua facinora edere aggressi sint, & nullam piam sanctamq; cogitationem, erga humanum genus aliquando susceperint: sed homines exilio multare, illis contumelias facere, bona publicare, cædes, & multa ejus generis mala inferre, effrenatè moliti sint; & neque illos aliquando pœnituerit; neque mentem ad meliora converterint; supplitia appositè eorum sceleribus respondentia subiisse. Atque ista, neque temerè, neque sine ratione eveniunt.

VI. *Eusob. suprà c. 26.*

Spes fidelium firma.

Qui autem animo rectè ex justitia regulâ instituto, ad res gerendas se conferunt; & timorem Dei Opt. Max. assidue animo complectuntur, & firmam erga ipsum fidem retinent; & terrores, periculaq;, quæ in præsenti vita objiciuntur, spe illa de rebus futuris ostentatâ, posteriora ducunt: hi licet ad tempus rebus adversis & incommodis conflictentur; tamen quia pro certo persuasum habent, honores sibi multò majores imposterum reservatos; casus qui incidunt fortuitò, neutiquam agrè & graviter fuerunt; sed quo asperioribus divexantur molestiis; hoc illustriora gloria insignia assequuntur. Qui verò justitia normâ cum dedecore, rejecta, Deum Opt. Max. non agnoverunt; & eos qui illum sunt fideliter consectati; contumelia & supplicio intolerabili objicere non dubitarunt: neque illorum gratiâ, quibus ob talem causam pœnas irrogassent, se quidem miseros, illos autem fælices & beatos (utpote qui etiam dum tam dira tormenta subibant, pietatem erga Deum firmè retinerent) judicaverint; istorum certè copia complures conciderant, multa in fugam conversa sunt, omnis denique bellica expeditio, ab his suscepta, ad extremam cladem prolapsa.

VII. *Eusob suprà c. 27.*

Unde mala proveniant orbi.

Ex hujusmodi sceleribus, bella pestifera exorta; ex hujusmodi, vastitates perniciosæ: inde etiam diminutiones rerum ad vitæ usus necessariarum: inde malorum ejusmodi nequitiam insequentium multitudo; inde duces tantæ impietatis editi. Qui quidem vel extremis ærumnis exantlatis, extremam miseriam perpessi sunt; vel vitam turpissimam degentes; eam postea, cum supplicia suis nequitiis aptè & æqualiter convenientia sustinerent, morte graviorem esse facilè agnoverunt. Nam quò vehementius quisque eorum temeritate quadam inductus, ad divinam Christianorum legem & disciplinam expugnandam (sic enim putabat) vehementiùs acriusq; incubuit; hoc certè plus hausit calamitatis; usque eo, ut singulis ipsorum, non modo hujus vitæ acerbitates; sed etiam gravissimus ille metus suppliciorum, quæ se expectarent apud inferos subituros, maximam planè afferret molestiam.

VIII. *Eusob suprà c. 20.*

Proinde cum tanta & tam gravis impietas, per humanas res permanaret; & Resp. velut à morbo quodam pestifero, in periculum funditus intereundi venisset: & ob eam causam, magna eaq; salutari curatione egeret; quodnam quæso remedium divinum Numen (illud quidem omnino numen putandum, quod solum & reipsa est, & universo temporis spatio, satis virium ad opem ferendum in se continet) quod, inquam, remedium, aut quam rationem ad Orbem terrarum, ex his malis eripiendum, excogitavit? Dicam equidem: quippe beneficia à Deo Opt. Max. in nos collata ingenuè agnoscere, eaq; egregiè prædicare, reverà gloriosum est. Deus quidem certè, cum meum ministerium, accuratè quale esset, explorasset; idemq; ad ipsius voluntatem explendam, idoneum censeret; eodem utens, & à mari Britannico, illisq; partibus, ubi sol rato cursu confecto, necessariò occidit, initium faciens; eximiâ quâdam potentiâ, & virtute, omnia mala, quæ homines premebant, profligavit, & è medio prorsus sustulit: adeo ut meâ operâ ac diligentiâ, tum humanum genus ad cultum augustissimæ legis, & disciplinæ revocatum esset; tum fides sanctissima, permagnas, ipso Deo duce, faceret progressiones.

IX. *Eusob. suprà c. 29.*

Consilium Constantini eundi in Orientem.

Idcirco cum exploratum habeam, cum hoc ministerium omnium facile præstantissimum, mihi tanquam quoddam suæ singularis erga me benevolentiæ indicium commisisse; non meipsum dissolutum in eo sedulò exequendo, quo illi gratiam referam, præstabo. Ac propterea ad Regiones in Oriente sitas (quæ quidem orbis pars, quæ asperioribus calamitatibus implicata tenetur, eo majus firmiusq; auxilium à nobis implorat) iter jam suscipere animus est: Quippe universam omninò vitam, & id totum, quo spiritum duco, atque adeo omnes animi vires, quæ in intimo pectore insident, Deo Opt. Max. à me deberi, pro certo persuasum sum. Et quanquam profectò non sum inscius, eos qui spem in rebus cælestibus, verè & ex animo ponant; hominum benevolentiâ minimè indigere: & qui eam in Dei domicilio constanter, & firmè, collocarint; quique, quò magis se à rerum caducarum fragilitate, sceleribusq; omnibus sejunxerint; hoc plus dignitatis adepturi sint: tamen graves necessitates, ad tempus, eorum cervicibus impositas, & supplicia parum hominum naturæ consentanea, ab eis, qui nec culpæ alicujus affines, nec criminis cujusquam rei sunt, quam longissimè depellere, nostrarum partium imprimis esse statuo. An non absurdum est maximè, ut cum eorum animi tolerantia, & constans robur, per illos qui sint eos divini cultus, & religionis causa, acerrimè persecuti; satis exploratè cognitum sit, eorum gloria, à

mo, qui Dei obsequio me totum dicaverim; non ad clarissimum augustissimumq; splendorem extollatur.

X. Euseb suprà c. 30. RELAXATI EXULES.

Omnes igitur, sive qui crudelibus judicum sententiis subjecti; quibuscumque temporibus illud ipsis contigerit; patriam cum exilio ideo mutare coacti fuerint; quod & honorem erga Deum & fidem, cui totis animi viribus se consecraverant, non neglexerunt; sive qui inter Curiæ ministros numerati sunt; cum in eorum numerum, non jure fuissent ante relati. omnes, inquam, isti, tum patriis sedibus, tum otio consueto restituti, Deo omnium liberatori gratias agant. Sive præterea qui rebus suis fuerint privati, & fortunarum omnium amissione oppressi, hucusque vitam abjectissimam degerint; isti quoque domicilio pristino, familiæ, & facultatibus redditi, Dei opt. max. beneficentiâ, læti fruantur. Euseb. c. 31. *Quinetiam eos, qui in Insulis inviti detinentur, istius provisionis & solicitudinis nostræ beneficio potiri mandamus: ut scilicet, cum hactenus angustiis montium recessibus, maris fluctibus circumsepti, undique conclusi fuerint; jam acerbâ illa solitudine, & à naturâ hominum penitus alienatâ liberati, desiderio rerum ab ipsis optatarum satiato, se ad amicissimos recipiant: Cumq; longo temporis spatio, in squalore & sordibus odiosis vixerint; reditum, velut prædam repositam, minimeq; expectatam nacti, curis præterea molestiisq; in posterum erepti; vitam metus expertem sub nostro traducant imperio; qui quidem † vos Dei famulos esse, & gloriamur, & pro certo persuasi sumus; quique et, quod à ratione alienissimum esse (præsertim cum nostrum sit aliena peccata corrigere) ne aures quidem patefacere debemus, nedum fidem adhibere.*

† nos legit Baronius.

Euseb. c. 32. ET DAMNATI AD METALLA.

Quicunque porrò, aut ad metalla effodienda condemnati sint, aut ad publicorum operum ministeria obeunda addicti; hi continuis laboribus, cum grato otio commutatis, facilius & lenius vitæ genus, liberâ cum potestate agant: immoderatis laborum asperitatibus in placidam animi remissionem conversis. Atque si qui libertate, quæ est omnium communis, exciderunt; & ignominia affecti fuerint, isti cum solidâ lætitiâ, priorem dignitatis gradum, tanquam diuturnâ peregrinatione, ab ipsis abalienatum recuperantes, in suam ipsorum patriam, maturè se recipiant. Euseb. l. 2. c. 33. *Illis item, qui jam olim honoribus militaribus donati; ab eisdem injustâ, & iniquâ de causâ dejecti (nempè quod confessionem, in Deo verè cognoscendo, illis dignitatis ornamentis longè prætulerunt) libera detur optio, vel rei militari se dedendi; quo in pristino vitæ modo permaneant; vel cum honorata libertate, liberè, & pro arbitratu, vitam degendi. Rectum est enim, & rationi consentaneum; ut qui in periculis ipsis allatis, tam egregiam animi magnitudinem, & tolerantiam declaraverint; integram habeant potestatem; tum otio, tum dignitate liberè, pro animi sui sententiâ perfruendi.*

XII. Euseb. c. 34.

Porrò autem qui nobilitatis suæ amplitudine vi dispoliati; talem quandam judicum sententiam subierunt; ut vel in gyneceis, vel in textrinas intrusi, durum & miserum laborem sustinerent, vel ut cellæ pœnariæ ministri fierent; quo nihil superior illorum ortus ipsis afferret subsidii; hi quoque honoribus quibus ante fruebantur, & libertatis beneficio potiti, & ad pristina dignitatis ornamenta restituti; deinceps hilari & læto animo vitam degant. Qui item de libertate sit in servitutem datus; quique se iniqua & inhumana cuiusque alicujus vecordiâ ministeria ipsi insueta obire coactum esse secum admodum deploret; & seipsum pro libero servum ex improviso factum intelligat; is in libertatem priorem, nostro edicto vindicatus, se parentibus similem efficiat: exerceatq; labores libero homine dignos, & cogitationem servilium illorum munerum parum sibi accommodatorum, quæ antea perpessus fuerit, penitùs ex animo deleat.

XIII. Euseb. c. 35. DE BONIS PROSCRIPTORUM.

Porro illud nobis videndum est, ut facultates, quibus singuli, variis de criminibus falsò illis objectis, orbati fuerint, restituantur; atque si qui splendidissimum divinissimumq; Martyrii certamen, invicto & constanti animo sustinuerunt, & propterea rerum suarum amissione tolerarint, & Confessores constituti, spem perpetuam in cælo sibi compararint: qui itemque non modo solum vertere coacti, sed fortunis etiam privati fuerint; quod neutiquam fidem prodendo persecutoribus cesserunt; istorum quotquot vita defuncti sunt, hæreditates cognatis impertiri mandamus: omninò autem quibus hæreditates illæ debeantur, est cognitu perfacile; cum leges eos, qui genere propius accedunt, præcipiant hæredes fore: & quod ratione etiam oportet eos succedere, qui sint domesticâ consuetudine conjunctiores, constat: præsertim cum illi ipsi Martyres, non criminis ullius convicti; sed sua inducti voluntate, mortem oppetiverint. Euseb. c. 36. *Quod si nemo de cognatis superstit, qui illis vel Martyrum, vel Confessorum, vel exulum, quos diximus (qui ejusmodi de causâ solum verterent) hæres ratione succedat, ut Ecclesia semper cujusque loci hæreditatem adeat, ratum esto. Neque erit omnino molestum his, qui excedunt è vitâ; ut eam, cujus gratia omnes suos labores susceperint, heredem felices assequantur. Præterea hoc necessario proponi debet, quod si quis eorum, quos suprà memoravimus, aliquid de fortunis suis, quibus visum fuit, donaverint; his possessio jure stabilis & firma permanere debeat.*

XIV. Euseb. c. 37.

Et ne quis error appareat in edictos sed ut quid verè voluerit, omnibus ad cognoscendum in proclivo sit, sciant omnes; si agrum, si domum, si hortum, si quid eorum, quæ paulo ante posui, teneant, ipsis & honestum & utile esse, ut non ea confiteantur solum, sed omni abjectâ cunctatione, restituant. Quapropter licet maxime videantur quidam, ex injusta illorum possessione, maximos fructus cepisse; & nos ut isti reperantur, minimè æquum judicemus. Euseb. c. 38. *Tamen illi ipsi planè confiteantur, & quos habuerint fructus, & unde eos collegerint, hujusq; peccati veniam sibi à nobis concedi postulent: ut non modò avaritia antegressa, tali adhibita correctione, à probis remittatur; verum etiam Deus opt. max. illud pœnitentiæ loco excipiens, benignus & clemens, erratis veniam det. At dixerint fortassè, qui hujusmodi facultatum Domini (si modo istud nomen in illis valere vel debet, vel potest) facti sunt, excusatione pro se allatâ, quod fieri non poterat, ut se ab illis rebus abstinerent, cum tam varium & multiplex miseriarum cujusque generis spectaculum palam esset propositum: quo quidem tempore extiterunt crebræ, perditæq; proscriptiones eorum, qui nihil commeruissent, tàq; temere inconsiderateq; factæ crudeles etiam & insatiabiles persequutiones, injusta denique facultatum venditiones. Quod si hujusmodi verbis quidam se defendere contendunt, & admonitiones continuas expectant; ne existiment se illud impunè laturos: præsertim cum ipsa à nobis tam sedulò administrentur, quo Deo opt. max. debitum præstemus obsequium. Quæcumque enim antehac gravis & damnosa necessitas accipere coegerit; ea impræsentiarum retinere nonnihil habet periculi. At necessum est insatiabiles cupiditates omnibus modis, id est, rationibus & exemplis imminuere.*

XV. Euseb. c. 39.

Neque enim, si quid ærarium earum rerum, quas ante posuimus, possideat; firmè retinere illo liberum erit: imo verò contra sacrosanctas Ecclesias nihil omnino dicere audeat: & quas res ad tempus per

injuriam

injuriam possederit; eas Ecclesiis jure restituat. Omnia igitur, quæ rectè vereq; ad Ecclesias pertinere videantur; sive domus, sive agri, sive hortus; vel si qua sunt alia ejusdem generis, quæ in alicujus possessionem venerint; quo jus nullum, qui ad Remp. id est, ad Ecclesiam spectat, violetur, sed omnia sincera, & simplicia maneant; restitui mandamus. Euse. c. 40. *Quinetiam loca illa, quæ Martyrum corporibus honorata sunt, & monumenta gloriosæ illorum è vitâ discessionis; quis dubitet, quin ad Ecclesias spectent? imò verò etiam, quis non potiùs illud præciperet? quippe cum neque munus præstantius sit, neque labor Deo gratior, vel quod plus habeat utilitatis; quàm divino spiritu adhortante, in his rebus diligentem operam & studium collocare. Quæ etiam iniquis de causis, ab improbissimis hominibus ablata fuerint, ea, ut æquitas postulat, restitui; sanctèq; denuò Ecclesiis integra reddi jubemus. Cæterùm quoniam perfecta & singularis providentia est; ne istos quidem silentio præterire, qui aut justa emptione aliquid ab ærario acquisiverint, aut gratis concessum retinuerint, & ad hujusmodi res occupandas, cupiditate quadam inexplebili, temerè tuerint; sciant, quicunque fuerint de genere illo, sibi, quanquam harum rerum causâ, quas emere ausi sunt, nostram erga ipsos benevolentiam maximè abalienare laboraruns; à nobis, quantum ratio commodè ferre poterit, benignè prospectum iri.*

XVI. Euse. c. 41. *Hæc igitur hactenus sermone nostro provecta sint. Verùm quoniam virtus Dei omnipotentis evidentissimis argumentis, manifestissimisq; sese ostendit; cum ad optima cohortando, tum benignè meâ causâ adeo firma apportando subsidia; ut iis acerba calamitas, quæ cunctas res humanas antea districtas tenuit, jam ex omni mundo, radiis solis collustrato, prorsus exempta; universi simul & singuli, accuratâ curâ & cogitatione circumspicere debetis qualis tandem illa potestas fuerit; quæ semen (ut ita dicam) perditissimorum hominum, deleverit labefactaritq;: bonorum autem lætitiam, quasi denuò revocatam, in omnes regiones affatim fuderit, & omnibus concesserit potestatem; tum officia divinæ legi ac disciplinæ consentanea, cum omni observantiâ præstandi; tum illis, qui se huic consecraverunt, honesta virtutis munera sedulò excolendi: qui quidem tanquam ex crassâ caligine emergentes; quia eximiâ sunt sacrarum literarum cognitione imbuti; de cætero debitum cultum erga Deum, & honorem pium, eiq; congruentem declarabunt.* Ita Constantinus: qui nescio quid dici potest ad æternam principis laudem dignius: cum posthabitis fisci commodis, ita Ecclesiarum jura tuetur: ut vel unum hoc in causa esse putem, cur Deus illi diuturnum, fælix, & tot clarum victoriis imperium fecerit: quo discerent Principes, pietate magis quàm armis firmari regna. hujusce rei exemplum erunt Saxonum nostrorum Reges. interim viva esto & perennis lectio, Constantinus.

XVII. Arius. Vix cælum Ecclesiæ serenum undique & sudum erat; cum ecce tibi, è vanissimi hominis cerebro, vapores surgere, & malorum accessu paulatim in nubes densari, & demum dissolutione pessimâ, ingentem fidelibus nimbum minari. Arios in Alexandrina urbe Presbyter, quædam Scripturæ loca mentitus erat sensu suo, & cum Christi divinitatis injuriâ. Moneтur ab Alexandro. Illum Episcopus Alexander, amicè primùm, & privatim; tum vocatis ad id sociis, dictisque in Synodo sententiis, monuerat sapere: sed ille, ut sunt procacia factiosorum ingenia; non uni, non pluribus cedere, Recalcitrat. non stare Ecclesiæ judicio, aut scitis Patrum; sed suo potiùs ingenio, & altercandi libidine, omnia metiri, solicitare in factionem socios, aversari denique pastorem suum. Hinc ortâ contentionis scintillâ, Orientem ferè omnem, qui jam fælicissimè cœperat coalescere, graviter concussit. Ægyptum, Lybiam, Thebaida ita traxit, distraxitque, ut nec populus, cum Episcopis; nec inter se Episcopi convenirent. Strenuè agebat Alexander partes suas; & pro veritate, hoc est, Christi divinitate, stabat; arguens, obsecrans, increpans; à majorum fide, quæ Christum Dei filium credebat, Patri coæternum, non recedere. Unde horrendas esse voces illas aiebat: *Erat, quando non erat*, filius Dei. Arius contra, qui semel in majores & Ecclesiam peccaverat; obstinabat etiam os frontemque in cælum, & Patrem à Filio dividebat, non modò æternitate temporis, sed *divina* substantiæque identitate.

XVIII. Occidentis fælicitas. Feliciter jam Roma erigebat caput, & parturiebat etiam tum, quos postea paritura erat fidei triumphos; ubique etiam respirabant Ecclesiæ: & quæ priùs in cryptis & specubus sepultæ, divina faciebant, nunc sibi redditæ surgebant pulcherrimis incrementis. Jam enim solenniori ritu fumabant altaria, & Dei Sanctorumque cultus proferebatur latiùs: ossa Martyrum, eorumque cineres, extructis desuper templis (ut dictum suprà in Britanniâ) cultiùs, & cum honore quiescebant: cum communem hanc bonorum lætitiam, Orientis scandala interturbant: eò Ecclesiæ perniciosiùs, quò teneriora erant, & minùs ad fidei constantiam, formata membra. Arius ex Ecclesia ejicitur. Arium ita, ut diximus, lapsum Alexander Episcopus moverat à cœtu fidelium: & ille vagus, quæsiturus perfidiæ socios, per Orientem errabat, & quà miseriarum relatione, quà ingenii versutiâ; invenit primò qui ejus misererentur: tum etiam qui causæ patrocinium susciperent. Ab Eusebio Nicomedien. recipitur. Ita Eusebium pellexit Nicomediensem Episcopum; qui quò magis apud principes viros in opinione erat; eò etiam fuit Ecclesiæ fideique nocentior. Ægrè tulit Alexander, pulsos à se, ab aliarum sedium Episcopis admitti, scripsitque literas Catholico viro, & Episcopo dignas; quibus facti sui, multatique Arii rationem reddit: extant illæ apud Socratem & Baronium hic: ego partem delibo, quæ contentionis principium, & Arii errores recenset: literarum inscriptio hæc erat. Socrat. l. 1. c. 3. Baron. hic n. 60.

Charissimis honoratissimisque fratribus, qui obique gentium sunt nobiscum in Ecclesiæ ministerio constituti, salutem.

XIX. Alexandri literæ. *Cum in sacris literis sit unum corpus Ecclesia Catholica nobis traditum, & præceptum; ut concordiæ, & pacis vinculum firmum teneamus; consentaneum est, uti per literas colloquamur inter nos; aliiq; alios mutuò de rebus, quæ apud singulos geruntur, certiores faciamus; quò sive unum ex membris patitur, sive lætatur; nos inter nos, vel patiamur unà, vel unà lætemur. In nostrâ quidem provinciâ, prodierunt jam viri, qui leges tescendunt, Christum ipsum impugnant, omnes hominum ad factionem (quæ quidem prænuntia, & quasi præcursor Antichristi, non sine causâ, & existimari, & appellari possit) docere nituntur. Ac mihi certè in animo erat, de illo facinore penitùs reticuisse; ut ejus labes, si quo modo fieri potuisset, inter illos solum, qui ab Ecclesia desciverant, deleri quivisset; ne in alia loca evagata, simplicium quorundam aures suis sordibus inficeret. Verùm quoniam Eusebius, qui nunc Nicomediæ*

Episcopus est; quique totum Ecclesiæ statum, in suâ manu positum arbitratur: cum à nemine, quod Ecclesiam Beryti deseruerit, quodq; oculos cupiditatis atque ambitionis suæ, ad Episcopatum Ecclesiæ Nicomediensis obtinendum adjecerit, in se animadversum esse videat; istorum etiam, qui ab Ecclesiâ defecerunt, patrocinium suscipit; & ad omnes, qui sunt ubique gentium literas scribere conatur, eosq; in eisdem commendat plurimum; quò imperitos quosdam in gravissimam hæresim, Christoq; penitùs adversariam, rapiat; necesse habeo rem vobis omnibus indicare; quò non modò eos, qui defecerunt à Christo, execrabiliaq; verba, quæ illorum hæresis usurpat, cognoscatis: verum etiam, si fortè Eusebius literas scripserit, ad eas animos minimè attendatis, &c.

XX. Arianæ factioni exordium.

Hinc cœpit exordium gravissima disputatio, de Christi deitate, quæ postea non modò omnem Orientem, sed Occidentem quoque, & denique Britanniam concussit. Arius ab Alexandrinâ Ecclesiâ ejectus, in Nicomediensem admissus, utrumque Episcopum inter se commisit. Alexander doctior, Eusebius cum Constantino potentior, litem inchoarunt: quæ citò finem accepisset, si Constantinus de rei gravitate benè doctus fuisset, & non ab Eusebio persuasus, Alexandrum, levissimâ de causâ, Ecclesias turbare; Arii factionem auxisset, accessione eorum, qui aulæ potiùs quàm Ecclesiæ serviebant. Sed quàm gravis causa fuerit, cur Alexander in illum calamum strinxerit, ipse declarat in literis suprà, ubi hæc habet: *Quænam verò isti, contra scripturas excogitarint, temereq; effutiverint, sic accipitote: Deum non semper Patrem fuisse; sed tempus aliquando extitisse, cum Deus non esset Pater. Non ab æterno Dei verbum fuisse; sed ex nihilo ortum esse. nam Deum qui est, eum cum non erat, ex eo quod non est, procreasse: & propterea tempus fuisse aliquando, cum non esset. creatum enim & factum esse Filium, neque essentiâ Patri similem; neque naturâ verum Patris sermonem, neque veram ejus sapientiam esse; sed per abusionem, verbum & sapientiam dici*, &c. quæ Catholicæ aures audire non poterant, & oportebat enimvero orthodoxum Episcopum contrà niti.

Apud Socratem l. 1. c. 3.

Arii errores.

XXI. Constantinus occurrit, sed male doctus ab Eusebio.

Cum igitur Constantinus in Oriente esset, & procul Româ, & certo fidei fonte; audivissetque novas, in Ecclesia, turbas; ingemuit vir pientissimus, Christianam fidem, vixdum ibi radices agentem, importunè turbari. Eusebius, qui Constantiæ Augustæ animum auresque occupaverat, Constantino etiam dum Nicomediæ esset, imposuerat, causatus Alexandrum potiùs, quàm Arium, factionis seminarium esse. Unde Imperator ad utrumque literas dat, (si vera refert alter Eusebius, sed ejusdem farinæ homo) ubi inter cætera hæc habet: *Quapropter cum causa tam exigua sit illa quidem, quæ totius vestræ Reip. commoda impedire videatur; quid est quamobrem non expeditiorem, & multò faciliorem dissidiis correctionem spondeat? Inde igitur præsentis controversiæ fundamentum jactum esse intelligo, quod tu Alexander, à Presbyteris, de loco quodam in sacris literis scripto, quærebas: imò verò de inani quâdam quæstionis particulâ sciscitabaris; quid quisque illorum sentiret: Tu Ari istud, quod neque initio animo complecti; aut cum fuisses complexus, silentio præteriisse debebas, inconsideratè effutivisti. Unde discordia inter vos concitata, tum conventus in Ecclesiâ impeditus; tum populus sanctissimus variè in utramque partem distractus, ex totius corporis Ecclesiæ compage divulsus est. Proinde uterque vestrum vicissim veniam alteri tribuens, illud approbet, ad quod non sine causâ vester conservus vos cohortatur. At quid istud est? Ut de rebus ejusmodi, nec omnino rogetis, nec ad rogatum respondeatis. Tales enim quæstiones, quales nulla lex, canonvè Ecclesiasticus, necessariò præscribit; sed inanis dissoluti otii certatio proponit; licet ad ingenii acumen exercendum instituantur; tamen interiore mentis cogitatione continere debemus; & neque in publicos populi conventus temerè efferre, neque vulgi auribus inconsultò concredere.* Ita Constantino Nicomediensis Eusebius persuaserat.

Apud Eusebium l. 2. Vit. c. 63.

XXII. Causæ Ecclesiasticæ petunt tribunal Ecclesiasticum.

Sed pessimè Ecclesiæ consulunt, qui fidei causas ad laicum tribunal agunt, præsertim inimico impetu. Tunc enim factio vires suas exerit, & augere cupit; fidei negotium in postremis est. Arii dogma, perversumque de Christo sensum, nemo palam ausus est defendere: ejus tamen causam patrociniumque, ideo pietatis prætextu Eusebius suscepit; ut Alexandrum, qui in eum calamum strinxerat, fortiùs premeret: ita Christi divinitas, quæ cardo quæstionis erat, veni debet ad arbitrium factionis: & gravissimus fidei articulus, inanis concertatio dici; quo Eusebius justior appareat. Quod hodieque factiosis familiare est, qui quoties perfidiæ arguuntur, quod à majorum fide sensuque recesserint; ita fidei dogmata elevant, & distingunt, ut quicquid non vocant ipsi, referuntque ad fundamentum; id demùm, inter credenda, vel contentiosè respuant, vel in minimis habeant: licet reverà, de Sacramento, de Sacrificio, de Christi corpore, & divinitate ejus, sint gravissimæ quæstiones. Falsus ergo est Constantinus, sed pietatis imagine falsus; dum Episcopo, quem ob officii dignitatem colendum censuit, nimium credidit. Meliùs fidei consuluit Ecclesiarum Princeps Silvester, qui non uni Episcopo credendum, in re tanti momenti, sed Osium Cordubensem Episcopum misit (ut ostendit Baronius) quò plurium Episcoporum suffragio controversia finiretur. ut infrà.

Baron. hic n. 89. Vid. an. 325.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1070.

ANNUS CHRISTI 319.

SILVESTRI PAPÆ 6.

CONSTANTINI IMP. 14.

I. Constantinus in Arium scribit.

Constantinus hoc anno trecentesimo decimo nono, Constantino V. & Licinio Juniore Coss. ex Arii literis, quas ille procacissimè scripserat; factionis genium, & hæreticam mentem deprehendit. Quare non alienum à suâ majestate putavit, impio homini silentium imponere, & insanæ mentis impetum tundere; qui Scripturæ sensum, non majorum authoritate, sed suo tantùm sensu metiretur. Scribit ergo literas Imperator, quas recitat Baronius; ubi authorem Arianæ factionis, & factionem omnem elegantissimè detestatur. Harum exordium est scita descriptio, quæ bellè cadit in modernos nostros, novorum dogmatum fabros: & est ejusmodi. *Malus interpres, negotium est diaboli, ejusq; effigies & imago. nam quemadmodum illum callidi opifices ad escam fraudis effingunt; decorem ei pulchritudinis molientes, qui natura est turpissimus;*

Apud Baron. hoc n. 8.

ut

ut miseros mortales perdat, iis errorem prætendens ac propinans. Sic, ut arbitror, is facit, cui id tantummodo dignum studio videtur esse sua audacia venena nemini parcendo offerre; & quidem novam, quæque ex quo tempore nati homines sunt, nunquam extiterat, infidelitatis fidem inducit. Quare id verum esse experimur; quod divino eloquio definitum est; nempè quod ad malum sapientes sunt. Quæ Ario dicta, de omnibus novatoribus dici possunt. Etenim si malus interpres, & diaboli negotium fuit Arius, qui majorem filio credidit Patrem; certo, ut ipse putabat, Scripturæ argumento: profectò æquè malus interpres, & negotium diaboli erit, quisquis suo sensu loquentem Scripturam contra Scripturam facit: & negat corpus & sanguinem Christi quod ipse Christus suum esse corpus & sanguinem asseruit.

II. CLERICORUM IMMUNITAS.

Sed malo Constantinum legere, Ecclesiis dictantem privilegia; quam cum Ario disputantem: illud enim regiæ pietatis est; hoc subsellii doctioris. Si quid in regno aut Rep. vitiosum est, declive aut minùs rectum; ex eo plerumque nascitur; quod fisco, & accumulandis ærario pecuniis nimis intenditur; non tam ab ipsis principibus, quibus altior plerumque mens animusque; quàm ab eorum parasitis; qui tum demum se fideles putant, cum Reip. causâ mentiuntur. Illi interdum novis artibus omnes ingenii latebras excutiunt; quo exhauriendo civium arcas, principem ditent. & tum demum se Regiæ dignitatis studiosos putant. Quasi verò aut capiti, aut coronæ benè esse possit, si membra debilitantur; aut regnum & Resp. stare languentibus subditis. Id olim adverterat Pius Constantius, & fortè præceptum reliquerat filio: quia illo integerrimè secutus est. quod ex latis ab eo legibus, manifestum est. Hoc enim anno pro Ecclesiâ & Clericis legem dixit: qua divinæ servituti mancipatos, vulgo majores. & à communibus oneribus liberos esse voluit: ita ad Octavianum rescribens: *Qui divino cultus ministeria religionis impendunt: id est, qui Clerici appellantur; ab omnibus omnino muneribus excusentur: ne sacrilego livore quorundam, à divinis obsequiis avocentur. datum XII. Kal. Novemb. Constantino Aug. V. & Licinio Cæsare Coss.* Addit Sozomenus; decrevisse etiam Constantinum, ne ad sæcularium tribunalia Clerici traherentur, staréntve eorum sententiis. *Illud porro*, inquit, *est planè maximum reverentiæ Imperatoris erga religionem argumentum; quod Clericos ubique per legem, ob eam rem conditam, immunitate donari voluit: quodq; illis, qui erant in judicium vocati, dedit potestatem, si modo animum inducerent Magistratus civiles rejicere, ad Episcoporum judicium provocandi: atque eorum sententiam ratam esse, & aliorum judicum sententiis, plus habere authoritatis, tanquam ab ipso Imperatore prolatum statuit. Quinetiam jussit ut Magistratus res judicatas reipsa exequerentur, milites q; eorum voluntati inservirent: præterea ut conciliorum decisiones firmæ & immutabiles existerent.* Hæc Sozomenus.

CONCESSA A CONSTANTINO.

L. 2. de Episc. & Clericis Cod. Theod.

Sozom. l. 1. c. 9.

III. LATA LEGE.

Intelligit, opinor, legem illam, quam Constantinus tulit, habeturque in Theodosiano Codice l. 1. de Episco. judiciis. unde illam exscribo, ut videat Lector, cur nuper Eusebio Nicomediensi crediderit Imperator: & quantum Episcoporum judiciis detulerit. scribendæ legis hæc præcessit occasio. Nicolaus Myrensis Episcopus, cum tres è civibus suis, iniquâ Proconsulis sententiâ, capite plectendos audivisset, lictorem mox insecutus, tandem assecutus est: & extensam ejus manum, innocentum colla ferientem stitit, securim extorsit, reosque vinculis solutos, liberos dimittit. Aderant è Constantini tribunis militum, Nepotianus, Ursus, & Herpalio, qui reveriti dignitatem infulæ, contra niti non audebant. Nicolaus solutis civibus, obviam vadit Proconsuli, de iniquâ sententiâ questurus. Proconsul ut advenisse Episcopum, & simul adventus causam intellexit; proditum se videns, & apertam criminis conscientiam, viro sancto venerabundus occurrit, ejusque pedes amplexatur. Accidentem ille refellit, & acriter verbis castigat, quod auro muneribusque venalem civium sanguinem fecisset; adjungit minas, seque eum Constantino delaturum. Quod Proconsul supplex deprecatus, à se crimen in alios amovet, & demum amnestiam impetrat. Vix pauci menses effluxerant, cum tribuni qui aderant, ad Constantinum reversi, fictis & ipsi fucatisque criminibus, malè primum audiunt, mox de majestate postulati, carceri mancipantur, & tandem capitis damnantur, Albanio Prætorii præfecto sententiam dictante. Tum demum Tribuni, in angustiis constituti, cum humana remedia deessent omnia, certaque mors immineret; Myrensis Episcopi factum memoriâ repetentes; ipsum licet absentes invocant. Mirum dictu! Dormienti Constantino Nicolaus adfuit, & gravi sententiâ, prolatam contra Tribunos sententiam arguit; Tum Nicolaum se asserens, Myrensem Episcopum, qui nollet fundi innocentem sanguinem, ultra non comparuit. Perculit ea visio Constantinum, & adductos ad se Tribunos sciscitatur, si Nicolaum nossent Myrensem Antistitem. Respondent illi, imò verò, & sanctum esse, & iniquè damnatis opem ferre solitum: narratoque facinore quod ipsi in Lyciâ spectavissent, satis suam innocentiam probaverunt. Unde illos statim Constantinus absolvit, jussitque hoc rescripto Episcoporum judicia sancta esse. Ita enim scribit.

IMP. CONSTANTINUS A. ABLAVIO PP.

IV. SENTENTIÆ EPISCOPORUM RATÆ.

Religionis est, clementiam nostram sciscitari voluisse; quid de sententiis Episcoporum, vel ante moderatio nostra censuerit; vel nunc servari cupiamus, Albani pater charissime. Itaque quia à nobis instrui voluisti, olim prærogatæ legis ordinem, salubri rursus imperio propagamus. Sanximus namque (sicut edicti nostri forma declarat) sententias Episcoporum, quolibet genere prolatas; sine aliquâ ætatis discretione, inviolatas, incorruptasq; servari: scilicet, ut pro sanctis semper ac venerabilibus habeantur, quicquid Episcoporum fuerit sententiâ terminatum. Sive itaque inter minores, sive inter majores, ab Episcopis fuerit judicatum; apud vos, qui judiciorum summam tenetis, & apud cæteros omnes judices, ad executionem volumus pervenire. Quicumque itaque litem habens; sive possessor, sive petitor fuerit; inter initia litis, vel decursis temporum curriculis; sive cum negotium peroratur; sive cum jam cœperit promi sententia; judicium eligit sacrosanctæ legis Antistitis; illicò sine aliquâ dubitatione; etiamsi alia pars refragatur; ad Episcopum cum sermone litigantium dirigatur. Multa enim quæ in judicio captiosa præscriptionis vincula non patiuntur, investigat & promit sacrosancta religionis authoritas. Omnes itaque causæ, quæ Prætorio jure, vel civili tractantur; Episcoporum sententiis

terminata; perpetuo stabilitatis jure firmentur: nec liceat ulterius retractare negotium, quod Episcoporum sententiâ deciderit. Testimonium etiam, ab uno licet Episcopo perhibitum, omnes judices indubitanter accipiant: nec alius audiatur cum testimonium Episcopi, à qualibet parte fuerit repromissum. Illud enim est veritatis authoritate firmatum, illud incorruptum, quod à sacrosancto homine, conscientia mentis illibata protulerit. Hoc nos edicto salubri aliquando censuimus; hoc perpetuâ lege firmamus; malitiosa litium semina comprimentes; ut miseri homines, longis ac penè perpetuis actionum laqueis implicati, ab improbis petitionibus, vel à cupiditate praproperâ, maturo fine, discedant. Quicquid itaque de sententiis Episcoporum, clementia nostra censuerat, & jam hac sumus lege complexi, gravitatem tuam, & ceteros, pro utilitate omnium latam, in perpetuum observare conveniet. Datum III. Nonas Maii.

V. Britannia degeneravit, a pietate Constantini.

V. Quis crederet, Britanniam, Constantini patriam, Constantini etiam in fide parentem; hac nupera desectione, adeo à Constantini fide recedere potuisse: ut quos ille summis laudibus effert; eosdem ista non tantùm premat; sed prorsus exauctoret. Certè ut multa sunt, quæ pessimam esse factionem arguant; ita nihil magis quàm hoc in Ecclesiasticam hierarchiam grande flagitium. nam licet dudum sacra omnia conculcaverit, Sacramenta pro arbitrio finxerit, & denique novum Ecclesiæ caput, novos novæ creationis Episcopos formaverit: mansit tamen Ecclesiasticæ œconomiæ simulacrum aliquod, & subjectio: nunc verò pugnatur in omnem ordinem: & Episcopi, quorum vel nomen Constantinus voluit in honore esse, & eorum sententiam, oraculum; non ultrà in Ecclesiasticis causis judices; sed à plebe, à vulgo, à laicis judicantur, etiam invito, quod nuper creaverunt, Ecclesiæ capite. Calvini hic genius est, disciplinæ impatiens; primò Ro. Ecclesiæ caput petit, multa ibi causatur, & dura imperia: ad Reges appellat, & mavult Regi quàm Papæ subesse. ita factum, nec tamen ibi quiescit Calvini rabies, non Regi tandem, non Episcopo vult parere. quod novum fidei monstrum est, nec enim ullus à Christo nato, qui Christi nomen tulit, contra Episcopi nomen excepit. Calvinus tamen nec Episcopum, nec sæcula audire vult, sed ipse in sua sede Dictator esse. & quemadmodum principio rerum, cælestem hierarchiam dominandi cupiditate turbavit Lucifer, & subesse noluit: ita *spiritus manifestò dicit: quia in novissimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum, & cauteriatam habentes suam conscientiam:* qui nimirum *in cælum conscendunt*, Episcopos inde detrahunt, *super astra Dei exaltant solium* suum, ipsi soli sapientes, & *in monte testamenti*, soli Scripturarum interpretes: & hi omnes, in lateribus Aquilonis. Hasce maculas fidei in sole nostro, hanc Christianæ religionis caliginem, Britannia nunc patitur, justissimo Dei judicio; quia Constantini fidem reliquit. Unde quæ Romani cæli solem noluit excipere, & inde calorem fidei: in tenebris sedere debet, & ad latera Aquilonis.

Calvini genius.

1. Timot. 4. v. 1.

Isaia 14. 13.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1071.

ANNUS CHRISTI 320.

SILVESTRI PAPÆ 7.

CONSTANTINI IMP. 15.

I. Leges contra cælibatum.

I. Sequitur Christi annus trecentesimus vigesimus, Constantino VI. & Licinio Cæsare II. Consulibus. Idem Constantinus, leges Romanorum, à recto deviantes, & fisco magis, quàm virtuti servientes, Christiana pietate temperavit, aut omnino sustulit. cum enim in Galliis esset, legem promulgavit, contra Romanorum olim legem, cælibatum infirmantem, quæ fortè non ita primitus durè, degeneraverat; tamen in morem pessimum, quo sanctus Christianorum cælibatus reprobari videbatur. Habebat enim usus; ut cælibem vitam agentes, adeundæ hæreditatis incapaces essent. Unde fiebat, ut Christianorum castitas, quasi publicâ lege vapularet; quam tamen omnes amare, qui habent cognatam Angelis naturam, & possunt, & debent. Et verò amavit Constantinus; nam parùm de ærario solicitus, antiquatâ lege, quæ fisco favebat, castitatem probavit. Sed audi Eusebium Constantini sensum exprimentem. *Quibus*, inquit, *nulli erant liberi, hos veteres leges fœcundorum successionis ademptione plectebant. Dura sanè contra infœcundos lex, quæ illos, tanquam scelus aliquod admisissent, gravi supplicio afficiebat. His ille sublatis legibus sanxit, ut ad propinquos hæreditas deveniret; summam in hoc corrigendâ moderationem & æquitatem secutus cum ita sentiret; Qui voluntario scelere se implicassent, digno supplicio coërcendos esse: at multis, liberos, non voluntatem suam multorum liberorum cupidam, sed naturæ imbecillitatem denegasse. Alios sine liberis vixisse, non quod sobolis propagationem, successionemq́; abhorrerent; sed quod acerrimum philosophiæ amorem muliebri connubio anteponerent. Præterea castitatem, & inviolatam virginitatem multas mulieres sacris dicatas* (audi Anglia Constantini sensum, quem tu quoque olim virgo habuisti) *constanter retinuisse; cum omni puritate & sanctitate perfusâ vitâ, se totas corporibus & animis Deo consecrarent. Quid ergo? Supplicióne hoc dignum, an potiùs admiratione quadam & approbatione. Etenim propensa in hoc genus vitæ voluntas magnifacienda est; sed eam rectè factis tueri, & usque ad extremum persequi, longè supra naturam est. Quibus igitur non ipsorum voluntas, sed naturæ imbecillitas, liberos denegavit, eos misericordia, non supplicio dignos esse: at divinioris vitæ (ejus nimirum, quæ supra naturam est) amatores, non aliquâ pœnâ afficiendos, verùm incredibili admiratione suspiciendos esse.* ita castissimus Imperator.

Euseb l. 4. Vit. c. 26.

Antiquantur.

II. Virginitas possibilis, et amata a Constantino.

II. E quibus duo colligi possunt, & sunt notatu digna. Unum est, virginitatem perpetuam, Deoq́ue sacram, Constantini ævo possibilem, & in admiratione ac honore fuisse, atque ita sensisse Constantinum. Quod ante me viderunt Magdeburgici, quibus vel ideo habeo gratias. *Fuisse*, inquiunt illi, *ante Constantinum, etiam virgines, seu mulieres continentes, & castitatem perpetuam professas, ex Eusebio apparet, ubi magnoperè approbasse disciplinam ejusmodi imperatorem Constantinum affirmat; adeo ut frequenter earum contubernium adierit. Helenam verò Constantini matrem Hierosolymis*

Cent. 4. c. 6.

Amata a Constantino et Helena.

virgines Deo ſacras reperiſſe, Socrates teſtatur l. 1. c. 17. quarum profeſſionem, uſque adeo probarit, ut miniſtram ſe illis præbuerit. ita ipſi. in eo ſolum falſi quod dicant Conſtantinum, virginum contubernium freqoenter adiiſſe, teſte Euſebio l. 4. nam Euſebius ouſquam id affirmat. Sed ſolum dicit c. 28. *Sanctiſſimum ergo perpetuarum virginum cætum conſtanter colebat Conſtantinus, quod in earum mentibus Deum ipſum, cui ſe conſecrarant, inhabitare crederet.* quæ verba illi pervertunt in nequiorem ſenſum; & tam Conſtantinum, quàm ſacras virgines obliquè feriunt. Sed ego Deo laudem, illis gratiam opto; qui viderunt olim votivam caſtitatem, ubique cultam. Conſtantinus in Occidente illud vitæ inſtitutum honorat & admiratur: Helena in Oriente ſuſpicit, amat, & eiſdem ancillatur. Nec diſſentiunt Patres, Hieronymus, Baſilius, plures, & præſtantes hujus ſæculi Doctores. Favéntne ſectarii ooſtri? Dicam quod ſentio: parùm id facit ad rei dignitatem; nam arduum eſt placere omnibus: aliquibus etiam diſplicere interdum laudabile. ot vilis profectò caſtitas foret, ſi omnium amoribus proſtitueretur.

Euſeb. l. 4. Vit. c. 28.

ET A SANCTIS PATRIBUS.

III. NON A SECTARIIS.

Cæterùm ſectarii, cum Conſtantino & Helenâ non ſunt, in amore & laude caſtitatis: oec cum proceribus Eccleſiæ, qui hoc ſæculo floruerunt. nam de Baſilio ita ſcribunt Magdeburgenſes: *Extulit ſuperſtitiosè, & nimis magnis laudibus, virginitatem:* & quia damnat eas virgines, quæ poſt votam virginitatem ad carnis vitia deflectunt. aiunt denique: *Hæc autem pugnant cum verbis Chriſti, & Pauli: disertè enim inquit Apoſtolus; melius eſt nubere, quam uri.* Hieronymo item iraſcuntur, quod virginitatem nuptiis præferat, in epiſtolâ ad Demetriadem. & ſubduot. *Iſta autem cenſura, collata ad verbum Dei, non ſubſiſtunt.* Nec magis benevoli ſunt Magno Athanaſio. nam inquiunt. *Nimium virginitati tribuere videtur Athanaſius in Apologiâ ad Conſtantium Imperatorem, & l. de virginibus encomium prolixius texit virginitatis & continentiæ.* De S. Ambroſio ita cenſent: *Nimis inſolenter pronuntiat de virginum meritis Ambroſius l. 2. ad Marcellinum.* Hinc tamen videt Lector (quicquid dicunt quatuor carnis mancipia) Patrum hujus ſæculi ſenſum, & Conſtantini Helenæque conſenſum. quod infrà dicam ſemper, in Eccleſia creditum; donec delumbis hæc ætas, Lutheri amoribus diſſolutæ, guſtare neſcivit quàm ſuavis eſſet Dominus.

Cent. 4. c. 10.

Cent. 4. c. 4. folio 901.

Cent. 4. fo. 290.

IV. CONSTANTINI NATALES PURI.

Alterum quod animadverſione dignum putavi; non videri Conſtantium Drepani cum Helena ſomniaſſe, quando Conſtantinum genuit. Ita uterque caſtitatem amarunt, probaveruntque. Et quidem quod ad Conſtantinum attinet, plurimæ leges in virginum favorem latæ, ſatis teſtantur modeſtiam ejus, & amores caſtitatis. Sozomenus hoc pluribus oſtendit, cum dicit eum antiquaſſe veterem Romanorum legem, quæ vetabat cælibes, ſi annum ætatis vigeſimum quintum præteriiſſent, paribus cum his, qui nuptias contraxiſſent, privilegiis frui. *Quare,* inquit, *cum videret Imperator, eos qui virginitatem excolere, & ſine liberis eſſe, propter Dei amorem, in animum induxiſſent, hac de cauſa in deteriore eſſe conditione; ſtultum planè cenſuit, ut homines ſuum genus, ſuâ ipſorum ſolicitudine ac ſtudio augere conarentur: præſertim cum natura ſemper ſecundum divinam moderationem, humano generi tum interitum afferat, tum incrementum. Itaque legem plebi promulgavit, qua jubebat, ut tum cælibes, tum liberis carentes, pari jure, cum cæteris omnibus, fruerentur. Imo vero etiam decrevit; ut qui caſtimoniæ & virginitati ſe conſecraſſent, privilegio quodam præ cæteris donarentur: deditq; tum maſculis, tum feminis poteſtatem; etiamſi adhuc impuberes eſſent; teſtamenta, contra conſuetudinem communiter in Rep. Romana obſervatam faciendi. nam illam rectiſſimam omnium revera voluntatem cenſuit; divinum Numen ſemper colere, & pium vitæ genus exercere. Si quidem ob hanc cauſam, veteres quoque Romani, lege ſanciverunt: ut virgines veſtales, etiam ad ſextum ætatis annum teſtamentum componerent.* hæc omnia Sozomenus. Conſtans etiam Conſtantini pietatis ſtudium in pias virgines, exinde probatur; quod datis ex ærario publico, & Regiâ annonâ neceſſariis, eas ali præceperit. *Quin etiam,* inquit Theodoretus, *literas ad provinciarum præfectos dedit, mandavitq; ut certus frumenti numerus viduis, & his qui perpetuam ſervant virginitatem; quin & illis; qui divinis miniſteriis obeundis conſecrati ſunt; in ſingulis civitatibus quotannis ſuppeditaretur: eumq; non tam egentium neceſſitate, quam ſuâ ipſius magnificentiâ, menſus eſt. Hujus congiarii tertia pars adhuc ſuppeditatur: quippe impius tyrannus Iulianus totum penitus abſtulerat ille quidem; ſed qui ei ſucceſſit in imperio, hoc quod jam ſuppeditatur, donari mandavit.* Jovinianum intelligit, de quo dicam an. Chriſti 363. n. 6.

Sozom. l. 1. c. 9.

VIRGINUM PRIVILEGIA.

Theodor. l. 1. c. 11.

V. CONSTANTINUS ET OPTIMI QUIQUE RO. FIDEI FAVENT.

Habent hic ſectarii; qui ouper factionis ſuæ ſocios, per omnia ſæcula quæſiverunt; quos ſine ulla tergiverſatiooe colligere poſſint in ſuam claſſem. habent & orthodoxi ſuæ fidei ſocios, qui puram, primitivam, & virginem fidem ſervaverint. Conſtantinum, Helenam, Jovianum, & innumeras virgines, quæ ſe Deo conſecrarunt; in quarum mentibus Deum ipſum inhabitare fideles credebant; Quin & Athanaſius, Ambroſius, Hieronymus, Baſilius, hoc eſt, omnis Oriens & Occidens, ubi Chriſtus colebatur, orthodoxi ſunt, & Monaſteria coluerunt. Tyrannus impius Julianus Apoſtata à factioſis eſt, qui ouper Monaſteria omnia deſtruxerunt, & pium illud vitæ inſtitutum, quia ſequi non poterant, perſecuti ſunt. Sed iis relictis, quos hujus ſæculi majeſtas ubique prodit fidei eſſe perduelles; dicamus tantum illud quod ſuprà notavi, Conſtantinum non videri natum in Bithynia è meretricula, ſed oatum in Britannia ex Helena, matre honeſtiſſima: & ideo fidem ejus, ſtudium, & opera pietatis, ad Britannicæ Eccleſiæ Annales imprimis pertinere. hoc porro in cauſa eſt, cur aliorum Auguſtorum geſta ſummariè tantum, & παρέργως: hujus autem articulatiùs explicanda ſoſcepi. Deinde quod ad fidem attinet; quæ ſcopus & finis horum Annalium, visâ Conſtantini & Helenæ matris fide, eâdem operâ, omnium etiam Britannorum fides, aut compendio legitur, aut non difficulter eruitur.

JULIANUS ET IMPII ALTERI FACTIONI.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1072.

ANNUS CHRISTI 321.

SILVESTRI PAPÆ 8.

CONSTANTINI IMP. 16.

I.

HOc anno trecenteſimo vigeſimo primo, Conſules ſecundùm fueruot Criſpus, & Conſtantinus Cæſares. Quibus Conſulibus

DIES DOMINICUS COLI MANDATUR. *L. 3. c. de feriis.*

Constantinus Imperator, diem Dominicum, ab omnibus, etiam gentilibus, coli mandavit; de quo hanc edidit sanctionem. *Sicuti indignissimum videbatur, diem solis, venerationis sua celebrem, altercantibus jurgiis, & noxiis partium contentionibus occupari: ita gratum ac jucundum est, eo die, qua sunt maximè votiva, compleri. Atque ideo emancipandi, atque manumittendi die festo, cuncti licentiam habeant: & super his rebus actu non prohibeantur. P.P. quinto nonas Iunii Caralis, Crispo secundum, & Constantino secundum Coss.* Sed quoniam fortè difficile videbatur, gentiles omnes ab agriculturæ labore coërcere; quod Reip. incommodum foret, si sua & Christianorum sacra observare deberent: ideo Dominici festi religionem ita explicuit, ut in urbibus ab omni labore quiescerent, non ita ruri. quod in hunc modum decrevit. *Omnes judices, urbanaq; plebes, & cunctarum artium officia, venerabili die solis quiescant. ruri tamen positi agrorum cultura, liberè libenterq; inserviant. Quoniam frequenter evenit, ut non aptiùs alio die frumenta sulcis, & vinea scrobibus mandentur: ne occasione momenti pereat commoditas, cœlesti provisione concessa. Dat. Non. Martii Crispo II. & Constantino II. Coss.*

L. 1. de feriis Cod. Th.

II. MODUS CELEBRANDI.

Gentilibus dictam hanc legem existimo: quia militem omnem jussit eo die ab armorum usu vacare: & ideo solis diem, gentili more, non Dominicum, vocat. Et quoniam inter milites, Christiani quoque erant, benè Constantinus distinxit utrorumque morum festi celebrandi: quod ita Eusebius refert. *Cum hunc salutarem diem, quem lucis vel solis diem appellamus, universum exercitum omni studio colere docuisset: iis qui divino instinctu fidem sequuti erant, otium fecit; ut liberè possint Ecclesiam Dei frequentare; quo sine ullo impedimento preces Deo persolverent. Sed aliis, qui nondum divinam degustarant doctrinam, alia quadam lege mandavit; ut Dominicis diebus in patentes suburbiorum campos exirent; atque ut ibi eâdem precationis formâ, dato ab uno, aliquo signo, omnes simul ad Deum uterentur. Non enim oportere, aiebat, hastis uti, & rerum suarum spem in armis aut corporum viribus ponere; sed universitatis Deum rerum omnium bonarum, & ipsius victoria authorem agnoscere.* Docebat etiam eos (quod valdè in Imperatore mirandum) precandi modum, quem totum exercitum sequi volebat: de quo idem Eusebius ita scribit. *Formulam verò precandi ipse omnibus militibus praescripsit, mandavitq;, ut Romanâ linguâ ita omnes precarentur.*

Euseb. l. 4. Vi. c. 19.

MODUS PRECANDI. *Euseb. suprà.*

III. *Te solum Deum agnoscimus: te Regem profitemur: te adjutorem invocamus: per te victorias consecuti sumus: per te hostes superavimus: abs te & præsentem fœlicitatem consecutos fatemur, & futuram adepturos speramus. Tui omnes supplices sumus: abs te petimus, ut Constantinum Imperatorem nostrum, una cum piis ejus liberis, quàm diutissimè nobis salvum & victorem conserves. Ejusmodi ferè sanciebat à militibus, solis die fieri, talesq; ab eis voces, in divinis precibus adhiberi.* Porrò quod Romanâ linguâ mandaverit orationem fieri à milite; duo in causa fuerunt. Tum quod ipse illam conscripserit, latinus homo: tum quod militem haberet, ex Occidente & Britanniâ ferè collectum, ut suprà monui. Unde cum nihil græci schematis in Constantino reperiam; sive personam ejus inspicio, dicta, scriptaque, sive lustro exercitum; cogor ubique asserere non Bithynum, sed Britannum esse.

Idem c. 20.

IV. Ad Dominici diei festum vult Eusebius addidisse Constantinum, diem qui Sabbatum præcedit, quem feriam sextam appellamus, & facti ejus rationem benè reddit Sozomenus ita scribens: *Diem Dominicum veneratus est Constantinus, utpote in quo Christus resurrexerit a mortuis. Diem verò Veneris; utpote in quo crucifixus fuerit. Nam sancta Cruci plurimum tribuit honoris; tum propter subsidia in bello contra hostes gerendo, ex ejus virtute sibi allata; tum propter divinam sibi de ea oblatam visionem.* Sed quid Constantino, laico homini, & adhuc catechumeno, cum festorum indictione. Certè non opinor in Ecclesiam aliquid præsumpsisse; sed Dominicum diem (non in sacris literis præceptum, ut nupera Londinensis Synodus somniavit:) sed jam olim ab Apostolis præceptum, probatumque semper à Romanâ Ecclesiâ; gentiles, in quos nihil potuit Ecclesia observare suo modo fecit. Alium diem ita dicendus est præcepisse, ut à forensibus rebus feriari omnes voluerit, ob gratam memoriam vindicati semel iterumque orbis, virtute Crucis. Ita intelligo Sozomenum suprà, qui de utroque die ita scribit. *Legem tulit Constantinus: ut tum die Dominico (quem Hebrai vocant primum diem hebdomada, Graci autem solis nomine nuncupant) tum die Veneris, omnes à judiciis dandis, & aliis obeundis negotiis vacarent, precibusq;, & obtestationibus Deum colerent.*

DIES VENERIS IN HONORE. *Euseb. l. 4. c. 18. Sozom. l. 1. c. 8.*

Sozom. suprà.

V. LEGATA ECCLESIÆ. *L. 4. de Epis. & Cler. Cod. Theod.*

Dedit etiam hoc anno, Constantinus, pro Ecclesiarum amplitudine, tale rescriptum: *Habeat unusquisque licentiam, sanctissimo Catholica venerabiliq; concilio* (Ecclesiam intelligit) *decedens bonorum quod optavit, relinquere; non sint cassa judicia. Nihil est quod magis hominibus debetur, quam ut supremæ voluntatis, postquam aliud jam velle non possunt, liber sit stilus, & licens, quod iterum non redit arbitrium. PP. V. Nonas Iulii Rom. Crispo II. & Constantino II. Cess. Coss.* Hinc mirum crevit Ecclesiarum splendor & ornatus, adeo ut scripserint Magdeburgici, de hoc sæculo ita: *Largitionibus & mutuis collationibus vehementer locupletari Ecclesia cepit.* quod factum Constantini beneficio potissimum. Hoc priusquam aggredior pluribus ostendere: unam in sole nostro, Constantino inquam, maculam ostendam.

Cent. 4. fol. 510.

VI. Distulerat nimiùm salutari lavacro expiari: & cruce qua vicerat, solenniter muniri Constantinus: & debebat proculdubio id esse primum victoriæ tributum. periculosè divini Numinis obsequium negligitur: & ubi crescit beneficiorum moles, crevisse debuit servitutis amor, & ardor obsequii. Imperator itaque, qui tot tamque illustres fidei ac pietatis radios emiserat; immane peccat, & Christum ferè abjicit. Audit aruspices, & ad eorum nugas, aures animumque nimiùm inclinat. Româ tunc aberat, & ab illa sede, quæ ipsum meliùs docuisset. Sardicâ ad urbis præfectum literas dat: & aruspices, ibi, in quos priùs satis severè animadverterat, mandat consuli. Quid in causâ fuerit non admodùm laboro. nam quicquid dixeris, peccatum est, eò gravius, quò persona illustrior, auctiorque Dei donis. Illi mitiùs, & opinor verè, censuerunt, qui volunt Romæ Senatum populumque Constantino offensum, quod eorum ritus aliquos, non tantùm abjecisset ipse, sed lege etiam damnasset. Illud imprimis pupugerat infideles, quod ante duos annos scripserat in Aruspices; qui privatorum domos adire, & superstitionibus omnia miscere soliti erant. Hinc enimverò violare urbis majestatem factiosi causabantur. nam summæ

Cicero l. 2. de legib.

venerationis, & ut ſcripſit Cicero, *maximum & præſtantiſſimum in Rep. jus Augurum, cum eſt authoritate conjunctum:* additque: *Neque verò hoc, quia ſum ipſe augur, ita ſentio: ſed quia nos ſic exiſtimare eſt neceſſe. Quid enim majus eſt, ſi de jure quærimus, quàm poſſe à ſummis imperiis, & ſummis poteſtatibus comitia tollere; & concilia vel inſtituta dimittere, vel habita reſcindere? Quid gravius, quàm rem ſuſceptam dirimi, ſi unus Augur aliter dixerit? Quid magnificentius, quàm poſſe decernere ut Magiſtratu ſe abdicent Conſules?* Hanc igitur urbis dignitatem minuiſſe; dediſſe cauſam vel facilè daturum tumultui, videbatur. præſertim cùm Conſtantinus, ab aliis etiam ritibus alienus eſſet. & factionis titulus, à religione petitus, potens eſt rebellionis inſtrumentum. Ita ergo ad Maximum urbis præfectum ſcripſit Conſtantinus.

VII. *Apud Caſſiod. de Coſſ. hujus anni.* RESCRIPTUM PRO ARUSPICIBUS.

Si quid de palatio noſtro, aut cæteris operibus publicis, devaſtatum fulgure eſſe conſtiterit; retentò more veteris obſervantia, quid portendat ab Aruſpicibus requiratur; & diligentiſſimè ſcriptura collecta ad noſtram ſcientiam referatur. Cæteris etiam uſurpandæ hujus conſuetudinis licentia tribuenda; dummodo ſacrificiis domeſticis abſtineant, quæ ſpecialiter prohibita ſunt. Eam autem denuntiationem, atque interpretationem, quæ de tactu amphitheatri ſcripta eſt, de qua ad Heraclianum tribunum, & magiſtrum officiorum ſcripſeras; ad nos ſcias eſſe perlatam. Datum XVI. Cal. Ianua. Sardica Criſpo II. & Conſtantino II. Coss. Hoc Conſtantini peccatum, erit paulo levius, ſi Aruſpicum conſulta de tacto palatio, non à Conſtantino mandata, ſed permiſſa tantummodò dixeris. Sed peccata permittere, ſi potes & debes cavere, admittere eſt. Fortè Romani de prodigiis ad eum ſcripſerant, & votis populi cupientis doceri, quid ſuper iis aruſpices decernerent. vel certè, eâ ratione, Conſtantini voluntatem explorare volebat Senatus, quid de publicâ Aruſpicum religione cenſeret, qui privatam ſuſtulerat. Atque ita Imperator, ne omnem eorum ritum aboleviſſe videretur: datis literis, publicam aruſpicinæ cæremoniam permiſit. Verùm quicquid dixeris, non poteſt omnino Conſtantinus abſolvi; qui ſenſum quoque ſuum de aruſpicinâ nimis expreſſit. Quod & ſtatim Roma intellexit, incuſſo Chriſtianis timore. Porrò fidem, veluti oculi pupillam, ſi vel leviter tetigiſti, graviter offendis: nec unquam eſt, in ejus profeſſione ita claudicandum.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1073.

ANNUS CHRISTI 322.

SILVESTRI PAPÆ 9.

CONSTANTINI IMP. 17.

CHRISTIANI VEXANTUR.

ROMANI acceptis Conſtantini literis; cum legerent principem ſuis ritibus faventem, animoſiores facti, non jam in Imperatorem, ſed in Chriſtianos tumultuantur, anno Domini trecenteſimo vigeſimo ſecundo, Petronio Probione, & Auicio Juliano Coss. Duces factionis, aruſpices erant; qui ad luſtrorum ſacrificia celebranda, cogendos eſſe fideles reſponderunt. Sed illi deteſtandum ritum abominati; urbe potiùs, cum Silveſtro excedere, quàm ſuperſtitione illa contaminari maluerunt. Accidit hoc præter mentem Conſtantini: qui intellectâ Chriſtianorum fugâ, & moleſtiis, cum Sirmii eſſet, ethnicorum furorem ſtitit; & pro Chriſtianis ſequenti anno ſcripſit in hunc modum.

SILVESTER EX URBE RECEDIT.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1074.

ANNUS CHRISTI 323.

SILVESTRI PAPÆ 10.

CONSTANTINI IMP. 18.

DEFENDIT CONSTANTINUS.

QVONIAM comperimus quoſdam Eccleſiaſticos, & cæteros Catholicæ ſectæ ſervientes, à diverſarum religionum hominibus ad luſtrorum ſacrificia celebranda compelli: hac ſanctione ſancimus. Si quis ad ritum alienæ ſuperſtitionis cogendos eſſe crediderit, eos qui ſanctiſſimæ legi ſerviunt: Si conditio patiatur, publicè fuſtibus verberetur. Si verò honoris ratio talem ab eo repellat injuriam; condemnationem ſuſtineat damni graviſſimi. quod rebus publicis vindicabitur. Dat. VIII. Cal. Iun. Sirmii Severo & Ruffino Coss. nimirum anno Chriſti trecenteſimo vigeſimo tertio. Hinc ſatis patet, Romanam Eccleſiam, & Chriſtianos ibi, inquieta ſatis tempora habuiſſe, cum Conſtantinus ſcriberet. Quod ideo notandum eſt, quia ſurgent ſtatim factioſi aliqui, negabuntque Silveſtrum Romanum Pontificem, ad Soracte montem latere potuiſſe, Conſtantino principe, Eccleſiarum vindice & patrono. Verùm cùm ipſe pro Eccleſiaſticorum pace & quiete ſcribat, vetetque eos ad ſacrificia celebranda compelli: cur non exiſtimabimus turbarum aliquid Romæ fuiſſe; præſertim cum jura rurſum, & leges, penes aruſpices eſſent. Enimverò illi, cum ob nuperum prodigium, & tactas fulgure Imperatoris ædes; urbem luſtrandam eſſe cenſuiſſent: nullo negotio potuerunt unà jubere, abſente præſertim Conſtantino, cogendos quoque ad ſacrificia Chriſtianos. Notus certè infidelium genius, & dæmonis artes; quoties adverſi aliquid Reip. contigiſſet; id omne in Chriſtianorum capita conjicere: quod hodie in Anglia ſentiunt orthodoxi. inſuper cùm potiſſima mentio in literis, de Eccleſiaſticis perſonis fiat, & Silveſter omnium princeps fuerit; latere illum potuiſſe; donec monitus per literas Conſtantinus, Romanum orbem ſerenaſſet; quod factum præſentiâ ſuâ, anno ſequenti.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1075.

ANNUS CHRISTI 324.

SILVESTRI PAPÆ 11.

CONSTANTINI IMP. 19.

I. DE CONSTANTINI BAPTISMO.

SEQUITUR Chriſti annus trecenteſimus vigeſimus quartus, Criſpo & Conſtantino III. Conſulibus. Ubi digna ſcitu, & pro pietate Conſtantini neceſſaria quæſtio; quonam ille tempore ad baptiſmum tranſierit. difficilis tamen, hinc inde Græcis iterùm, Latiniſque

trahentibus virum in partes suas. Quoniam igitur multum hoc ad historiam refert, & magnum momentum est ad Britannorum fidem Regiam, in Græcos denuo pugnandum, videndumque, si vel hunc natalem ejus, sine Latinorum injuriâ, vendicent sibi.

EUSEBII DOLUS.

Eusebius græcus, & Arianus homo, quò fortiùs ad perfidiam suam traheret Constantium, Constantini filium, dixit, vel certè dixisse creditur M. Constantinum in Græciâ, ab Ariano Episcopo, sub finem vitæ baptizatum esse. Illum secuti græcorum alii, idem affirmarunt. Sed & in Occidente nostro, & in ipsâ (mirum dictu!) Britanniâ, novi homines, & græcæ potiùs, quàm Romanæ fidei, malunt Constantinum, ab Arianis, & factiosis hominibus, quàm à Silvestro, sanctissimo viro, & Romano Pontifice, baptizatum esse. Hos inter modernæ Theologiæ Doctor, solo nomine metuendus, Craconthorpius, librum edidit justæ magnitudinis, titulumque hunc fecit satis gloriosum, DEFENSIO CONSTANTINI.

CRACONTHORPII LIBER.

Arripui fateor, & primis oculis avidus legi, tam utilem operam, qua Constantinus noster, à pictare, ut ego quidem putabam, & virtutibus laudaretur. Crevit animus cum primam libri faciem inspexi, ubi Author, graviter sanè ut Doctorem decuit, conqueritur, de calumniis, opprobriis, cæterisque aliquando à Scriptoribus, cum Constantini injuriâ, dictis. Quis non amasset hunc virum; qui tam antiqui sæculi Principem, quasi à mortuis redivivum, & ab omni crimine absolutum, in medium statuit Principibus viris, & Jacobo Magnæ Britanniæ Regi, cui librum consecrat, argumentum sanctitatis.

II. REIICITUR.

Verùm, longè secùs, quàm opinabar, quamque præ se ferebat titulus, in sequentibus inveni. Nam author totus est in probando Constantinum, non Romæ, sed in Græciâ; non ab orthodoxis, sed à pessimo hominum genere; non anno Christi 324. sed longè post, & in ultimâ vitæ periodo, baptizatum esse. Iterum pugnat contentiosissimè, Constantinum in Catholicam Ecclesiam liberalem non fuisse; nec ea Romæ dedisse quæ Imperatores, Reges, Principes, & omnis post illum ætas, ab eo data crediderunt. Amabo te Lector, nonne videtur tibi eximius fuisse Constantini pugil, Cracanthorpius; qui obique probat, Constantinum nec Christianum, nec pium esse? & interim ausus est mentiri libri titulum, & inscribere DEFENSIO CONSTANTINI; unum benè, & prudenter egit, quod Anglicè loquutus, provincialibus fortè suis, qui Romanam fidem exuerunt, non videbitur omnino desipere. Cæterùm si viris doctis, in publicum & latinum orbem prodiisset; opinor, non Doctorem agere, sed Lectorem ludere videretur. Agendum igitur, cum Græcis & Græcorum proselytis; & quemadmodum nuper, pro Constantini patriâ; ita nunc pro fide, & nativitate alterâ, disputandum; dicendumque, Imperatorem hunc, bis natum in Occidente, nunquam in Græciâ: id ubi ostendero, legam ejus pietatis opera, quæ post Baptismum fecit. Structas Ecclesias, ornata altaria, culta Sanctorum corpora; & inde Romanam ejus fidem, quæ illustrissima fuit, eliciam. & sic demùm apparebit, num posteri Reges hujus Insulæ, Saxones, & Angli, a Magno Gregorio, & tum sequutis Romanis Pontificibus, docti; cum Constantino quod sectari negant, in fide convenerint.

III. CONSTANTINUS IN SUA VISCERA SÆVIT.

Ut sol interdum eclypsim patitur, ita Constantinus in fide. Distulerat hactenus, quod nullo tempore differendum erat, Baptismi Sacramentum. & Deus non eum semper novitium, sed veteranum militem volebat, quod hac tandem ratione factum. Constantinus sibi ipse lictor, in propria viscera sævit. Licinium sororis filium, quasi res novas molientem, è medio sustulit: Crispum spectatæ pudicitiæ juvenem, quem olim è Minervinâ filium susceperat, militiâ, & victoriis clarum, triumpho quoque proximum, hoc eodem anno, quo tertiùm Consul erat, percutit, mendacio delatum, quod novercam violasset. Denique Faustam conjugem, quæ accusationem in Crispum mentita fuerat; tepente balneo suffocat; quò innocentem sanguinem, nocente expiaret. hanc Constantini carnificinam, unus atque alter Græcus, in dubium vocat; non aliâ profectò de causâ, quàm ut Constantinum ut Græciam trahant, ibique baptizent. quod avidè sorbet Cracanthorpius, & multis in Baronium disputat, negans Crispum à Constantino patre interfectum; non quo Constantinum absolvat parricidii crimine, super quo gratias egissem; sed quò majoris impietatis accuset; dilati, inquam, usque ad extremum vitæ, primi & necessarii Sacramenti.

IV. PROBATUR.

Dicamus igitur quod antiqui, Græci pariter & Latini, Christiani etiam & Gentiles, constanter asserunt: Crispum hoc anno patris imperio è medio sublatum esse. dabo paucos in Gratiam Cracanthorpii, qui eum id docebunt. Eusebius in Chronico ita scribit; *Crispus filius Constantini & Licinius junior, Constantiæ Constantini sororis & Licinii senioris filius, crudelissime interficiuntur, anno imperii sui nono, qui nimirum est præsens Christi 324.* Uterque enim, Crispus, inquam, & Licinius, jam novem annos Cæsares fuerant, decennalia sequenti anno, si superfuissent, celebraturi. Quod clarè evincitur è Nazarii panegyrico, ubi decimum quintum Constantini annum in imperio, cum quinquennalibus horum Cæsarum componit.

Euseb. in Chro. an. 329.

Hoc Eusebii testimonium adversarii elevant, quod falsa multa in ejus Chronicon irrepserint. pergamus ad alios. Zosimus ita loquitur: *Crispum filium, quod in suspicionem venisset, quasi cum Faustâ novercâ consuesceret; nulla ratione juris naturalis habitâ, sustulit. Cumq; Constantini mater Helena, tantam calamitatem ægro ferret animo, & intolerabilem ex cæde juvenis dolorem perciperet: quasi consolans eam Constantinus, malum malo majori sanavit: nam cum balneum accendi supra modum jussisset, eiq; Faustam inclusisset, mortuam inde extraxit.*

Zosim. l. 2.

Tum narrat Zosimus, ut ad Flamines iverit lustrationem quæsiturus, & ab iis ad Christianos remissus sit, ut infrà. Julianus etiam Imperator avunculo non pepercit, sed hoc ipsum crimen objecit: *Dii*, inquit, *impietatis vindices, Constantinum, ut & ejus filios cruciabant, sanguinis cognatorum fusi pœnas exigentes; donec Iupiter in Claudii & Constantii gratiam, a malis respirare concessit.*

Iulia. Cæsares.

V. ARTEMII MARTYRIS TESTIMONIO.

Magnus hujus rei testis est Artemius præfectus Augustalis, & martyr; qui jussus ab eodem Juliano, fidei suæ rationem reddere, id strenuè constanterque fecit; & multa diluit à Juliano in Constantinum objecta crimina, atque inter cætera propinquorum necem. ad quæ ita respondit Artemius. *Ille autem* (Constantinum intelligit, & refert Metaphrastes) *uxorem Faustam justè*

Apud Surium 20. Octob.

admodum

admodum interfecit, ut qua priscam Phadram esset imitata, ejusq; Crispum calumniata, quod ejus amore captus, & vim ei conatus afferre; sicut etiam illa Hippolitum Thesei filium. Atque primùm quidem, qui sic in matrem insanierat (ut volebant ejus verba) ille cum esset maritus, punivit. postea autem, cum sensisset esse mentitam; ipsam quoque occidit, in eam ferens sententiam, omnium justissimam. Hæc ipse, crimen, nun factum negans. licet alii communiùs tot propinquorum cædem crimini etiam vertant. Unde Ablavius Consul, duobus versibus ad palatii fures appensis, putatur Satyricè Constantinum sugillasse. Illos recitat Sidonius Apollinaris, & intelligit de Crispo à patre interfecto.

Sidon. Apol. l. 5. Ep. Ep. 8.

Ferventis fulmen ingenii (inquit Sidonius) *& eloquii falsa libertas; plùs personis fortè, quàm causis impediebantur. Vt mihi non figuratiùs, Constantini domum, vitamq; videatur, vel pupugisse versu gemello Consul Ablavius, vel momordisse dysticho tali clam palatinis foribus appenso:*

Saturni aurea secla quis requirat?
Sunt hæc gemmea, sed Neroniana.

Quia scilicet prædictus Augustus, iisdem ferè temporibus, extinxerat conjugem Faustam calore balnei, filium Crispum frigore veneni. Hæc Sidunius. Idem affirmat Aurelius Victor:

Victor. in Epit.

Constantinus, inquit, *obtenta totius Ro. Imperii, mira bellorum fælicitate, regimine: Fausta conjuge, ut putant, suggerente, Crispum filium necari jubet.* Ammianus Marcellinus locum mortis designat, Polam Istriæ oppidum:

Marcelli. l. 14. c. 38.

Vbi, inquit, *quondam peremptum Constantini filium accepimus Crispum.* Paulus Orosius, Augustino æqualis:

Orosius l. 7. c. 07.

Latent, inquit, *causa, cur vindices gladium, & destinatam in impios punitionem, Constantinus Imperator, in proprios egit affectus. nam Crispum filium suum, & Licinium sororis filium interfecit.* Omitto S. Hieronymum, & eo posteriores Gregorium Turonensem, Suidam, Paulum Diaconum, & Freculfum Lexoviensem, aliosque infinitos: quia satis patet adversariorum fraus, nolentium Constantinum Romæ baptizari. Et quoniam Craeonthurpius putat, Zusimum invidiâ luquutum, addit Leunclavius in Apologiâ pro Zosimo: *Factum hoc indubitata veritas historia, summo consensu scriptorum, confirmat.*

Gregor l. 4. histo. c. 22. Freculfo. 2. l. 3. c. 20. Hierony. de script. in l. stan. Suidas v. n. lenne. Pa. Diaco l. 10. c. 13.

VI. CRISPI VIRTUTES.

Maneat ergo contestata veritas, Crispum à patre, conjugis Faustæ odiis decepto, occidi jussum, hoc anno 324. inde compunctum Constantinum, baptismi aquam, ad expiationem sceleris quæsivisse. Fuit autem Crispus (quod nullo modo tacendum est) egregiis moribus spectatæque vitæ adolescens. Sed & *Christianâ religione imbutum fuisse multa suppetunt argumenta*, inquit Baronius. qui & addit: *Par enim est credere eandem, cum patre religionem sectatum esse; & ad hanc ipsam, à puera, ab aviâ institutum.* quod ego de Helenâ nostrâ dictum libentissimè amplector, & ideo puto verisimillimum, quod mortuum nepotem, teste suprà Zosimo, illa tenerrimè fleverit. Quod & fæminæ pietatem, & egregiam nepotis indolem, arguit. Est & aliud Crispi fidei morumque argumentum, antiquum numisma apud Baronium; in quo Crispus audit nobilis Cæsar, & salus, & spes Reip. Prostat ibi effigies hominis, crucem gestantis, Christianæ religionis symbolum. Quid à cæde Crispi Constantinus fecerit; ut cognitâ fraude, & novercali odio resipuerit; ut demum ad Baptismi Sacramentum transierit, & quibus Authoribus id asseratur, nunc videndum est. Zusimus, aliique ethnici hæc latiùs prosecuti sunt:

Baron. hic n. 13.

Baro hic n. 16.

Quorum fidei, inquit Baronius, *non est propterea derogandum quod gentiles sint; cum ea præsertim scribant, quæ potius Christiano faveant, quàm patria eorum cultui.* Et reverà non erat illis opus mentiri, tantum virum, ab eorum ritibus, tam citò & sulemniter transiisse. Nec Zosi[mus] aliam ob causam Cunstantinum odit, quàm quod Christianus fuerit, Audi ergo ipsum pænitentiam principis post fusum suorum sanguinem, ita explicantem.

Baro. hic n. 17.

VII. Zosim. l. 2. OCCASIO CONSTANTINI BAPTISMATIS.

Horum, inquit Zosimus, *Constantinus sibi conscius, & propterea contempta Sacramentorum religionis, ad Flamines accedens, admissorum lustrationem poscebat. Illis respondentibus non esse traditum lustrationis modum, qui tam fœda piacula eluere possit: Ægyptius quidem ex Hispania Romam delatus, Palatinisq; muliercculis familiaris factus, & ad Constantini colloquium admissus, sententiam doctrina Christianorum habere vim abolendi quodcumque peccatum confirmavit; & idipsum adeò polliceri; nimirum acceptantes eam homines impios, mox omni delicto liberari. Eam orationem, cum non gravatè Constantinus accepisset; ac patrata missa faceret; perceptis iis, quæ hic Ægyptius offerebat, principium impietatis hoc dedit, ut divinationem suspectam haberet. Nam quod ei multa res prosperè, per hanc prædicta fuissent, eventumq; re ipsa sortita; verebatur ne itidem aliis, adversus ipsum, hanc consulentibus, id quod futurum esset, prædiceretur, atque hoc consilio impulsus, ad hujusmodi abolendas se convertit.* hæc usque Zosimus, quæ nullo modo controversæ forent, si Eusebius Græcæ factionis, fideique vir, omnia Constantini facta, cum veritate, narrasset. Vult enim ipse Cunstantinum, nun hoc anno Romæ, sed longè posteriùs, & sub finem vitæ, ad suburbana Nicomediæ Baptismi Sacramento initiatum fuisse, nisi fortè velut Eusebium, non esse consequenter loquutum: quod ex ejus verbis videtur evinci. *Verò*, inquit, *Constantino in mentem venit extremus vita ejus dies, existimaretq; hoc tempus opportunum esse, ad delenda illa errata, quæ, quoniam mortalis erat, admiserat; crederetq; arcanorum mysteriorum efficaciâ, & salutaris lavacri imitatione, mentem expiare. Hæc, inquam, cum ei in mentem venirent, humi procumbens genibus, & in ipsa Martyrum æde, errata sua confessus, supplicem se Deo afferebat: ubi primùm manuum per precationem impositione dignus habitus est. Inde discedens ad suburbana Nicomedia civitatis pervenit; & convocatis Episcopis ita ferè ad eos loquutus est, &c.* hæc si vera sunt, quis non inde rectiùs colligat, Constantinum baptizatum esse, quàm baptismo eguisse. Etenim qui ex memoriâ peccaturum compunctus volebat Sacramenti efficacia expiari; idque *salutaris lavacri imitatione*; nimirùm eo ferè modo quo expiationem confert baptismus (quem enim alium sensum patiuntur verba?) non ad primam illam, sed ad alteram post naufragium tabulam dicendus est confugisse. Præsertim cum sequatur in Eusebio, quod in ipsa Martyrum æde errata sua confessus sit, & humi procumbens genibus per manuum impositionem absolutus. Quibus verbis tam clarè convincitur Pænitentiæ Sacramentum, Constantino ministratum esse; ut jure quis suspicari possit; vel sequentia Eusebii libris imposita esse, vel Eusebium lectori imponere voluisse. Nam ita Constantinus inducitur Episcopus alloquutus.

Euseb l. 4. c. 21.

VIII. Euseb. l. 4. c. 62.

Quam ego fratres, avidâ mente, omnibusq; votis, à Deo salutem multis hisce annis deprecatus sum: eam

nunc

Constantini oratio ad Episcopos.

nunc hodiernus dies à me vehementer expectatus attulit. Tempus igitur est, ut tandem insigni illo, per quod immortalitatem adipiscimur, perfruamur. Quod ego etsi in illius Iordanis gurgitibus, in quibus Salvator noster, ad nostrum exemplum lavatus esse memoratur, facere constitueram; tamen Deus, quod mihi maximè accommodatum esset, cernens, hoc in loco, iisdem mysteriis dignatur. Omnis igitur amoveatur dubitatio. Quod si is in cujus arbitrio mors & vita consistunt; vitam inter vos longiorem vivere permiserit, & hac ejus menti sententia steterit; posthac aliquando, communes cum populi Dei grege preces in Ecclesiâ conjungam; vivendi leges mihi, quæ servo Dei conveniant, ponere haudquaquam differam. Hæc ille; quæ post annos octo, contingere debuerunt. Loquitur autem Constantinus, quasi nondum Romæ baptizatus; quasi nondum cum Dei populo communes preces junxisset; quasi necdum Dei servus fuisset: quam tamen appellationem ille dudum præsumpserat; priusquam decumberet ad suburbana Nicomèdiæ. Igitur si Constantinus, multis ante mortem annis, servus Dei esse, & vocari reverà potuit; si conjunxit in Ecclesiâ preces, in societate fidelium. multò magis, si in oratione frequenter divina visione dignus est habitus: si omnia vitæ officia, piè religioseque obivit. si universo pietatis genere eximius: si innocentem, & fidelem se fatetur: perpetuâ cum Deo amicitiâ junctus; denique si sanctissimus fuit, priùs quàm in Arianos incidit: baptizatum enimverò priùs fateri necessum est. Quæ omnia, vel ipso Eusebio teste probari possunt, & infrà probabuntur. Quo jacto fundamento ad rerum gestarum seriem enarrandam accedamus; & Constantinum à Silvestro salutari lavacro regeneratum ostendamus.

IX. Hadrianus Papa. Conc. Nicæni 2. Act. 1. Baptizatum Romæ Constantinum affirmat.

Hadrianus Papa in gravissimâ quæstione, ad Orientis Imperatores scribens; eo tempore, quo de fide maximè litigatum est: hæc habet de Constantini baptismo. *Ex eo, quo Christi Dei nostri Ecclesia, tempore quietis & pacis, aperta sunt fores; hactenusq́; depicta Ecclesia imaginibus sunt ornata: Beato atque sanctissimo Papa Silvestro testante. In ipsis enim exordiis Christianorum, cum ad fidem converteretur pius Imp. Constantinus, sic legitur: Transactâ die, nocturno Regi facto silentio somni tempus advenit: & ecce adsunt Sancti Apostoli Petrus & Paulus, dicentes: Quoniam flagitiis tuis posuisti terminum, & effusionem innocentium sanguinis horruisti; missi sumus à Christo IESV Domino dare tibi, sanitatis recuperandæ consilium. Audi ergo nostra monita, & fac omnia quæ indicabimus tibi.* Hæc ibi. Non possum pergere in rerum narratione, quia saxa offendo, quæ Romanæ fidei hostes objiciunt, & historici munus est ea movere. Cum igitur audis horruisse Constantinum fundere innocentem sanguinem; puta ipsum ob anteactæ vitæ crimina, & dilatum imprimis baptisma, à Deo leprâ percussum, anxiumque de remedio, doctum ab Aruspicibus, in uno infantum sanguine, medicinam esse: principem verò, tam atrox facinus detestatum, natura illum ad pietatem inclinante, remedio abstinuisse. Ita narrant Silvestri acta, quæ licet non ubique pura, illa tamen, quæ antiquissimi & ipsi Romani Pontifices referunt, cum de fidei quæstione agitur, à nemine sanæ mentis rejici possunt. Quid ad hæc factiosi?

Constantini lepra.

X. A Cracanthorpio

Hic Cracanthorpius agit scilicet officium defensoris, & ita pro Constantino litigat. Licèt Baronius Constantini lepram probet; licèt Binius idem faciat; imo licèt Angelicus Doctor, licèt acta Silvestri, licèt Hadrianus Papa, & secunda Nicæna Synodus, licèt denique Romanum Breviarium id affirment; est tamen fabula. ita Philistæus iste. Sed quo quæso teste? Canus, inquit, dicit Scriptores omnes veteres, Constantini lepram tacuisse; non omissuros, si illam scivissent. Verùm unius Cani authoritas tantæ nubi testium nihil derogat, & iniquioris causæ indicium est, tam infirma quærere adminicula, & cùm justis armis pugnare nequeas, levioribus velitari; nam quale quæso argumentum est? hoc unus vel alter planè tacuit: ergo nihil omnino factum; aot si ego summos viros & antiquissimos produco, immò Synodos integras, id est, ætates illas & innumeros testes: tu novos homines & singularem testem objicias, negativis tantum clausulis tua firmantes. Quis autem in urgendis testibus pro Constantini leprâ porrò urgebit, si viderit tam levi argumento plurimos rejici? Enimvero præter Hadriani authoritatem & Silvestri acta, quæ nemo prudens, in omnibus rejecit. Quis conventum illum trecentorum & quinquaginta Patrum in ipsa Græciâ, & procul Româ; ubi de cultu sacrarum imaginum acerrimè disputatum est, tam facilè contemnet? Ubi mentio effusionis innocentum sanguinis sine controversiâ admissa est.

controvertitur.

Sed firmatur.

XI. Domesticis testibus

Sunt & hujusce veritatis domestici testes, quos Cracanthorpius potiùs quàm unum Canum audire debuisset. Archidiaconus Huntingtonius ita scripsit ante annos quadringentos: *Constantinus à vulnere lepræ, ut scripta tradunt, per sanctum Silvestrum, in baptismate mundatus, fecit Romæ, ubi baptizatus est, Basilicam Ioannis Baptistæ.* & illo longè antiquior Aldelmus Schirneburnensis Episcopus de laude virginitatis, ante annos nongentos dixit. *Imperatoris Constantini diuturna valetudo, & elephantiosa corporis incommoditas; accepto Baptismatis Sacramento, statim à Silvestro curata est.* Quod alibi etiam versu exposuit, eodem argumento, ita scribens de Silvestro:

Huntingt. l. 2. historia.

Aldelm. de laud. virg. cap. 22.

His Constantini curavit lurida membra:
Horrida leprosis explodens ulcera squammis,
Dum regnatorem, Christi sub gurgite tinxit.

Idem in carmi.

plures externi sunt quos non accumulo. Berengosius Abbas, qui in magnâ Patrum Bibliothecâ appellatur vir vetustus & perquàm eruditus, libro tertio de Crucis inventione, ita de Constantino & leprâ ejus. *Quam sapienter ac strenuè Constantinus, Romanum imperium rexit ubique, usque hodie testantur virtutes ejus antiquæ: excepto quod multiplici culturâ idolorum, in brevi factus est persecutor Christianorum. proinde ad ulciscendam in eo culpam persecutionis nimiæ tradidit eum Deus in passiones ignominiæ: quando, licet magnæ potentiæ, & majoris esset constantiæ, lepra tamen percussit elephantia,* &c. Michaël Glicas hæc habet in Annalibus: *Constantinum, per uxorem Faustam, ad Deorum cultum exorbitantem, Deus per lepram retraxit,* &c. in quibus pergit, sanitatem ejus per baptismum acceptam, explicare.

Bereng. l. 3. de invent. Crucis c. 4.

Michaël Glicas in Annal. c. 4.

XII. Constantino apparent Apostoli.

Itaque Constantino, lepræ morbo laboranti, apparent in somnis Apostolorum principes Petrus & Paulus; in hunc modum illum compellantes: *Silvester Episcopus* (ita ex actis recitat Hadrianus) *civitatis Romæ ad montem Soractem persecutiones tuas fugiens, in cavernis petrarum, cum suis clericis, latebras fovet: hunc cum ad te adduxeris; ipse tibi piscinam ostendet, in quam dum tertiò merseris, omnis*

to

† mala valetudo. *Romanum.

*te † valetudo deserat lepræ. Quod dum factum fuerit, hanc vicissitudinem Salvatori tuo compensa; ut omnes, jussu tuo, per orbem totum, * Romana Ecclesiæ restaurentur. Tu autem in hac parte purifica te, & relicta omni superstitione idolorum, unum Deum, qui verus & solus est, adores & extollas, & ad ejus voluntatem attingas.* Hæc ibi. Rectè monent Apostoli, ut omnem superstitionem abjiciat, qui nuper, ut vidimus, pro Aruspicinæ religione scripserat. Quod ut Augures in spem erexerat; ita valdè Christianos, & Clerum imprimis, presserat. Unde factiosis satisfacere possumus; qui conantur infirmare Silvestri latebras, & nullam Constantini persecutionem ostendere. nam si duo hæc componas, nimirum datam paulò ante Aruspicibus potestatem, ad sacrificia cogendi: & eorundem in Christianos odium, & eum odio potentiam: quis non videt, & Constantini defectum in fide; & Silvestrum Papam latere potuisse: atque ita salva sunt hæc in parte Silvestri acta: & inanis est ille verborum strepitus, quo pluribus probat Cracanthorpius, quod nemo negat; Constantinum aliquando Christianis benevolum fuisse.

XIII. OBEDIT VOCI CONSTANTINUS.

Jubetur insuper Constantinus Romanas Ecclesias restaurare; id est, quasdam jam factas, & aliorum injuriâ neglectas, ad pristinum nitorem restituere; novasque majoribus spatiis ampliare. Hoc omne tam profusè præstitit Imperator; ut ipsæ ædium substructiones, vel hodie loqui videantur, ipsum è cælo doctum fuisse: & Petrum quodammodo laborasse, ut petra sibi olim commissa, quæ trecentos jam annos firmitatem suam miraculo tenuerat, reciperet tandem aliquando cultum splendoremque. Et qui templa à Constantino facta, tot jam annos durasse, inter maxima orbis, & Romanæ urbis incendia, perpenderit; facilè induci poterit ut credat; & Petri è cælo loquentis, dictantisque oraculum; & Magni Constantini, pii Principis jussa divinitùs exequentis, pietatem fuisse. Quod ideo notandum; quia Romanæ fidei, & Ecclesiarum splendoris hostes, nolunt audire Acta, quæ Constantinum jubent Ecclesias restaurare. Verùm cum ipse ingenuè fateatur, *sua operâ & Deo duce*, cultum augustissimæ legis revocatum esse; quid hoc aliud est, quàm restauratas à se ornatasque Ecclesias, divino oraculo. Vide ergo quid ipse suprà scripserit ad provinciales Palæstinæ, quod & retuli an. 318. n. 8. Nunc historiam prosequamur, Hadriano Pontifice, ex Actis præeunte.

XIV. CONSTANTINUS QUÆRIT SILVESTRUM.

Exurgens itaque è somno (Constantinus) *statim convocat eos, qui observabant palatium; & secundùm tenorem somni sui, misit ad montem Soractem; ubi S. Silvester cum suis Clericis receptus, lectionibus & ordinibus insistebat. At ubi à militibus se conventum vidit, credidit se ad martyrii coronam evocari; & conversus ad Clerum omnem, qui cum eo erat: Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. Profectus itaque, ut dictum est, pervenit ad Regem; cui nuntiatus, cum tribus Presbyteris & duobus Diaconis introivit. Ingressus dixit: Pax tibi, & victoria de cælo ministrentur. Quem cum Rex alacri animo, & vultu placidissimo suscepisset: omnia illi, quæ facta sunt, quæ dicta sunt, quæ etiam revelata sunt, secundùm textum superiùs comprehensum, exposuit. Post finem verò narrationis suæ, percunctabatur. Qui essent Dii, Petrus, & Paulus, qui illum visitarant, ob causam salutis suæ, & ejus latebras detexissent? Silvester respondit. Hi quidem Dii non sunt, sed idonei servi Christi, & Apostoli electi ab eo, & missi ad imitationem gentium, ut credentes salutem consequantur.* Hactenus acta. contra quæ sic insurgit multis verborum phaleris, novus Constantini defensor: Quid, inquit, vel formidare debebat mortem carcerésve Silvester, vel Constantinus ignorare singularitatem numinis? Dicam paucis: Nos orthodoxi, & Clerus imprimis, qui in hac Insula versamur, inter factiosos: ut Silvestri sensum quotidie experimur; ita optimè possumus eundem explicare. Habemus enim hodie, vel certè nuper habuimus, Principes, tam ab innocenti sanguine abstinentes, quàm naturâ sua fuit Constantinus: Et tamen trepidatio est inter orthodoxos, quoties, non dico milites, sed inermes quoque nuntii ad inquirendos Sacerdotes cum authoritate veniunt: & major proculdubio foret, & in eo, qui singulariter, & nominatim peteretur. Ita factum Silvestro, qui licet de Constantino polliceri sibi aliquid poterat: nihil tamen de urbe, populoque Romano; qui nuper Clerum ad Sacrificia coegerat. Et esto, à reditu Constantini, fuerit Roma quietor: nemo tamen temerè se credebat publico. quod iterum domestico exemplo manifestum est. Quis enim nescit quotannis spargi in vulgus foris, & extra Angliam, Romano-Catholicos domi nullam ob fidei professionem pati calumniam; & id interdum exteris principibus persuaderi: cum interim tamen à Catholicis & Sacerdotibus, tam in Insulâ trepidatur, quàm trepidatum legimus à Silvestro.

XV. OBIECTIO.

Sed illud fortè omnino incredibile: Constantinum putavisse Apostolorum principes, Deos esse: Ita est: nec Deos propriè Constantinus intellexit, qui dudum à teneris annis, Helenâ matre docente, didicerat unum Deum esse: quod & sæpè supra literis expressit.

SOLVITUR.

Sed eo modo loquutus est, quo postea in Nicæna Synodo; ubi Patres in unum collectos, quod Christi Ecclesiam referrent; id est, aliquid majus homine; * Deos dixit: nec sanus aliquis excepit. Quia & factiosi nostri, tam profusi sunt & liberales, in appellatione illa, principibus concedendâ: quàm parci sunt & illiberales in sanctis negandâ. Et ita facilis est ad utrumque responsio. Trepidavit Romæ Silvester, ut faciunt modò in Angliâ orthodoxi: Et Constantinus Apostolos vocavit Deos, non quod plura numine crederet, sed honorificâ utens appellatione, qua & scriptura homines aliquando insignivit, multò rectiùs, quàm adulatores aliqui ita vocant principes suos. atque ita ad reliqua pergamus.

*V. an. 325. n. 7. & n. 8.

XVI. APOSTOLORUM IMAGINES.

Cumq; his similia, Augusto diceret Papa; interrogare cœpit Augustus, utrumnam istos Apostolos haberet aliqua imago expressos? ut ex pictura disceret, hos esse, quos revelatio docuerat. Tunc S. Silvester, misso Diacone, imaginem Apostolorum sibi exhiberi præcepit. Quam Imperator aspiciens, ingenti clamore cœpit dicere, ipsos esse, quos viderat; nec debere jam differre Spiritum sanctum, ostensionem piscinæ, quam illos promisisse suæ saluti memorabat. Hæc omnia recitavit in Nicæna Synodo Hadrianus Pontifex, & scripsit in Orientem ad Imperatores; ubi nemo contra excepit. Tamen nupera hominum factio, ex negativis clausulis orta & conflata, pugnacissimè negat, ne usus imaginum antiquior probetur, eorum fide. Sic enim disputat Doctor Cracanthorpius. Si in templis prostabant imagines, cur illas nunquam vidit Constantinus? cur debuit doceri à Silvestro? quid? faciebat

Cracant. in defen. p. 1. c. 5.

fortè, ut faciunt in Anglia Catholici recusantes, & non itabat ad Ecclesias? ita ludit in feriis Constantini defensor. Cui sine joco respondemus. Non frequentabat Constantinus factiosorum Ecclesias: & id solum recusant orthodoxi; quia tales Ecclesias ubi Sanctorum cultus, majestas Crucis, sacrificii religio, aliaque exulant, quæ modo sunt Romæ in honore; nec Occidens tunc, nec Oriens habebat. Cæterùm si de antiquorum Ecclesiis sermo est, frequentabat illas Constantinus, baptismo lustratus: Catechumenus autem vel rarò; vel altaria ubi imagines erant, fortè nunquam. Fas enim non erat, & sacrorum majestatem decebat, non nisi initiatos propè accedere. Porro, fuisse in more positum servari à fidelibus sanctorum imagines, Petri præsertim & Pauli Apostolorum principum, testis est, qui cum Constantino vixit, & frequentavit Ecclesias, Eusebius ita scribens. *Nos Petri & Pauli Apostolorum, & Christi etiam ipsius imagines, in picturis colorum varietate expressas conservatasq́, aspeximus.* Et quorsum putas aspici has imagines, ad speciem fortè, & lenocinia oculorum? audi ipsum loquentem, reddentemque pingendarum imaginum antiquam rationem. *Idq́, propterea* (pergit Eusebius) *sicut verosimile est, quod majores nostri ad gentilis consuetudinis similitudinem, quàm proximè accedentes, eos qui tanquam Salvatores illis fuissent, id est, qui illis aliquid salutis & subsidii attulissent, apud se, honore ad hunc modum afficere consueverant.* Sequitur in Eusebio, hujusce cultus imaginum, à suo tempore, petita probatio. *Iacobi enim Apostoli cathedram,* (inquit) *ad istud tempus servatam, Episcopi, qui illic ordine successerunt permagnò æstimant: unde declarant perspicuè, quemadmodum veteres Patres, ad nostram usque ætatem; sanctis viris, ob eorum veram erga Deum pietatem, debitam venerationem, & tribuerint, & adhuc tribuere non cessent.* Hæc in gratiam Defensoris, & sociorum, qui nec imagines antiquas esse putant, nec earum cultum agnoscunt.

Euseb. l. 7. c. 14.

Euseb. supra.

XVII. Constantini baptismus qualis?

Restat nunc, ut exposita probataque hac in parte Actorum serie, ipsum Constantini baptismum, & qualis ille fuerit, videamus. nam qui suprà, in Lucii Regis baptismo scrupulosus fui, & articulatiùs inspexi singula: hic quoque eadem religione inspiciam, & explicabo illa, quæ Eusebius paucis retulit in ficto illo Constantini baptismo, ad suburbana Nicomediæ contigisse. Ipse enim nec baptizantis Episcopi nomen expressit, nec alia plurima, quæ Sacramenti majestatem, & ablutionis vim exprimerent; sed ista tantummodo: *Illi vero sacrorum religione consummatâ, adhibitisq́, statis divina institutionis cæremoniis, arcanorum mysteriorum eum participem faciunt: certa quadam quæ oportebat præfinientes.* Quæ rei gestæ verborumque confusio, & silentium eorum rituum quos, tam Oriens quàm Occidens in Baptismi Sacramento requirebat, arguit fraudem aliquam, & sine dubio Græcam fidem. dicam igitur paulò distinctiùs, quænam *adhibita, divinæ institutionis, statæ cæremoniæ*; (non enim nuda verborum formula, ut faciunt sectarii, baptizatus est) & quæ fuerint certa illa, quæ oportebat baptizantem præfinire. Hæc ex Actis, sic habentur compendio. Silvestro assensus est Imperator, & Christianæ religiosus ritu, per baptismum voluit expiari. Tunc jussus à Silvestro, septem saltem diebus, de more pænitere: & posito cultu Regio, per officia pietatis, ad

Euseb. l. 4. c. 62.

utriusque mali purgationem præparari. paruit Constantinus, acturusque privatim pænitentiam, exuit coronam, & simul vestem Regiam. Interim Pontifex, publicas pro Imperatore preces, & jejunium indixit. Et demum adveniente Sabbato, & fonte, consuetis Ecclesiæ ritibus, benedicto, descendit in illum Constantinus: & à Silvestro In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, baptizatus est. Quæ omnia, authoritate procerum Ecclesiæ hujus sæculi, ideo probanda sunt, quia in tempora nati sumus, sacris ritibus inimica.

A Silvestro baptizatur.

XVIII. Baptismi cæremoniæ probantur.

Imprimis baptismo præmitti solitam catechesim, qua mysteriorum capita traderentur, testis est S. Hieronymus. [a] *Iussit Christus Apostolos,* inquit ille, *ut primum docerent; deinde fidei intingerent Sacramento.* Sed ad id definitos etiam dies fuisse scribit alibi ad Pammachium. [b] *Consuetudo,* inquit, *apud nos istiusmodi est, ut his qui baptizandi sunt, per quadraginta dies, publicè tradamus sanctam & adorandam Trinitatem.* Narrat item Athanasius, (& legitur in secundâ Nicænâ Synodo) baptizandos ad Episcopi genua advolvi solitos; quos ipse cum Clericis suscipiens; per dies plurimos, in doctrinâ Christianæ pietatis erudiebat, & catechumenos deinde factos, post tridui jejunium baptizabat. Hic habes confirmata Silvestri Acta, ubi de precibus, de jejunio, de tempore agitur, quo Constantinus, de more, pænitere debuit. Indultum tamen, & datum personæ dignitati tempus contractius: tum quia non omnino rudi; tum quia magnis Reip. negotiis impedito, Sacramentum tradebatur. Quod autem baptismi aqua soleret tunc à Sacerdote benedici, egregius testis est, pro Occidente nostro, Mediolanensis Episcopus, S. Ambrosius. *Sacerdos,* inquit, *super creaturam aquæ invocationem postea, & precem adfert; ut sanctificetur fons, & adsit præsentia æternæ dignitatis.* Basilius etiam libro de Spiritu sancto c. 28. *Consecramus,* inquit, *aquam baptismatis,* &c. nolo id pluribus probare, quia habeo fatentes reos Magdeburgicos.

[a] Hiero. in c. 28 Mat. [b] Idem ad Pammachium Epist. Athanas. de passio. imagi. Christi.

Ambros. l. 1. de Sacram. c. 5.

Cent. 4. c. 6. fo. 415.

XIX. Crucis signum.

Cæterùm quod ad Crucis signum, usum Chrismatis, exorcismos, & insufflationem spectat, quæ sanctè adhuc ab orthodoxis observantur, eadem Constantini tempore fuisse, optimè testari potest S. Augustinus, dum ita loquitur in Symbolo, ad Catechumenos: *Dum per sacratissimum Crucis signum* (& nota Lector epitheton sacratissimum) *vos suscepit in utero sancta mater Ecclesia.* & infrà. *Omnia Sacramenta, quæ acta sunt, & aguntur in vobis, per ministerium servorum Dei; exorcismis, orationibus, canticis spiritualibus, insufflationibus, cilicio, inclinatione cervicum, humilitate pedum, pavor ipse omni securitate appetendus; hæc omnia, ut dixi, esca sunt, quæ vos reficiunt in utero; ut renatos ex baptismo, hilares vos exhibeat mater Christo.* hæc ille. Et paulò infrà, de renunciatione illa habet quæ etiamnum hodie usurpamus, cum jubemus baptizandos renunciare diabolo, & pompis ejus. quoniam verò Magdeburgici negant usurpatas hoc sæculo adjurationes in Baptismo, audiant S. Cyrillum Hierosolymitanum Archiepiscopum, easdem agnoscentem; & rationem reddentem cur Ecclesia illas usurpet. *Meritò baptizamur,* inquit, *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Homo corpus adhuc circumferens, multis cum dæmonibus ferissimis luctatur, & persæpè dæmoniacus, quis ferreis vinculis, à multis, retineri non potest; ab uno, solis verborum precationibus, continetur,*

Aug. in Symb. l. 4. c. 1. to. 9.

Cent. 4. sup.

Cyril. catech. 16.

per

per eam, quæ in illo est, Spiritus sancti virtutem, & simplex exorcizantis afflatus efficitur ignitus, his qui videri non possunt. Et alibi insufflationis quoque meminit, ejusque vim simul & exorcismorum explicat. *Nam ut insufflationes Sanctorum,* inquit, *& nominis Dei invocatio, tanquam vehementissima quædam flamma urit dæmones, & in fugam convertit: sic & exorcizatum hoc oleum, per orationem Deiq; invocationem, tantam virtutem consequitur; ut non modo ardentia peccatorum vestigia expurget; verùm etiam omnes invisibiles dæmones repellat.* hæc singula verba Sectarios nostros, & eorum fidem feriunt; non minùs quàm exorcismi diabolum.

Id. Catech. mistag. 2.

XX.
OLEUM SACRUM.

Feriunt etiam alia baptismo annexa; quæ Constantino collata esse, multi Patres testari possunt. cujusmodi sunt, usus sacri olei, & signum Crucis. Quorum non solùm meminit Cyrillus, sed effectum eorum virtutemque explicat. *Deinde,* inquit, *exuti, exorcizato oleo à summis capillis, ad internos usque peruncti estis, & participes effecti fructifera illius olea IESV CHRISTI; excisi enim ex oleastro in oleam frugiferam inserti estis, & pinguedinis illius vera olea quisque vestrum particeps est effectus. Illud ergo exorcizatum oleum symbolum est pinguedinis Christi vobiscum communicata, & quod omne vestigium diabolica operationis in nobis deletum sit.* Plura habet de Chrismate, quæ videri possunt in Lucii baptismate; nam Romana Ecclesia sacrorum rituum ab Apostolis descendentium custos est constantissima. nec opus hæc urgere pluribus, cum fateantur Magdeburgenses ex Ambrosio, sic: *Chrisma inungens Sacerdos sic dicebat* (nimirum 4. hoc est Constantini sæculo) *Deus omnipotens, qui te regeneravit ex aquâ & Spiritu sancto, remisitq; tibi peccata tua, ipse te ungat in vitam æternam.* hæc illi; & Rituale Romanum jubet hodie Parochos ita baptizatum Chrismate inungere. *Deus omnipotens Pater Domini nostri IESV CHRISTI qui te regeneravit ex aqua & Spiritu sancto, quique dedit tibi remissionem omnium peccatorum; ipse te liniat Chrismate salutis, in eodem Christo IESV Domino nostro in vitam æternam.* Nec est ovum ovo similius. Cæterùm quod simplex Sacerdos ita baptizatum ungat Chrismate, à Silvestro Papa, qui Constantinum baptizavit, traxisse putatur initium: Cum priùs id muneris soli Episcopi usurparent. Nam de Silvestro sic legitur in Romano Breviario: *Multa decreta fecit Ecclesiæ Dei utilia: in his ut à solo Episcopo Chrisma conficeretur: ut Presbyter Chrismate baptizati summum liniret verticem.* quod eo fine factum, ut nihil baptizato deesset ad Christiani hominis, & nominis veritatem. Unde dixit Cyrillus: *Hujus sancti Chrismatis dono accepto, meritò appellamini Christiani; veram efficientes appellationem, in ipsa regeneratione. Antequam enim hæc gratia vobis donata esset, non eratis propriè digni eo nomine; sed pergentes eousque progressi estis, ut efficeremini Christiani.* Quotquot igitur dignantur credere Constantinum nostrum, Christianum propriè fuisse: sive ille in Oriente, sive in Occidente baptizatus sit; dignabuntur etiam, opinor credere, Chrismate, cum baptizatur, delibutum esse. vel certè erraverunt Magdeburgici, qui baptismi ritus hoc sæculo legentes dixerunt. *Iam quæ post baptismi ablutionem fieri consueverint, hæc primum olei inunctio,* &c. & infrà. *Fuit & in occidua Ecclesia usitata post baptisma unctio. Chrisma inungens Sacerdos sic dicebat,* &c.

Cyril. catech. mystag. 2.

CHRISMA.

Magd. sub. S. Ambros. lib. 6. de Sacr. c. 6.

Rituale Rom. in baptis.

Ro. Brevia. in Silvest.

Cyril. catech. mystago. 3.

CHRISTIANUS A CHRISMATE.

Cent. 4. c. 6. fo. 429.

XXI.

Restat quærendum, de signo Crucis, adhibitumne fuerit in baptismo Constantini? Et sanè, qui hac de re dubitare audet, non sanæ mentis videtur. Qui enim tantum honoris Cruci detulit, quantum suprà posuimus; qui militem, & se, frontemque illâ munivit, ut ostendimus, in primo hoc Sacramento, primoque in Ecclesiam ingressu; sine dubio muniri Cruce, & voluit, & debuit. nam Ruffinus Presbyter S. Hieronymo æqualis, scribit solenne fuisse hoc sæculo, baptizandos signo crucis muniri, & satis insinuat Constantinum, cum baptizatus est, eo modo signatum esse. nam de illo agens proficiscente ad bellum contra Maxentium, hæc habet. *Erat quidem jam tunc Christiana religionis fautor, veriq; Dei venerator; nondum tamen, ut est solenne nostris, initiatus signum Dominica passionis acceperat.* Solemne vocat, quia in omni actione, præsertim sacrâ, & imprimis ac ante omnia, in Baptismi Sacramento fiebat. Eodem modo intelligendus est Eusebius, qui licet cursim de baptismi ritibus, quibus initiatus est Constantinus, & importunè loquatur; clarè tamen significat Cruce munitum. Cum enim dixisset, adhibitas illi divinæ institutionis cæremonias, statim adjungit: *Et sanè ex omni omnium Imperatorum memoriâ, solus Constantinus, in Christi martyriis renatus, & sacris initiatus DIVINOQVE SIGILLO donatus est.* quod sigillum, sive Chrismatis Sacramentum, sive Baptismi significet; utrobique certum est, Crucem intercessisse. nam Dominicæ passionis signum, divinæ mancipationis sigillum est, ut sæpè suprà demonstratum. Hoc adeo de Constantino certum est, ut cum aliquando coram magnæ Britanniæ Rege Jacobo, quæstio mota esset, fueritne Constantinus in baptismo, Cruce signatus: & doctiores signatum censuissent; jusserit Rex ritum illum in baptismo servari. Et licet Calvinistæ adhuc recalcitrent, & crucem horreant. Nihil ideo mirandum, quia eodem modo pugnant in omne, quod antiquum & sacrosanctum est. Qui igitur dudum conati sunt Ecclesiam, sine hierarchiâ; Sacerdotium sine Sacrificio; Christianum sine Chrismate, fidem sine operibus, instituere; consequenter sua sacra sine cruce conficiet: quod ut majores nostri ignorarunt; ita posteri mirabuntur, posse consistere. Ad Constantinum quod attinet: non solùm Cruce in baptismo munitum; sed eâ cruce à leprâ liberatum, statim videbimus.

SIGNUM CRUCIS.

Ruffin. l. 9. c. 9.

Vide ubi Liberii Papæ de quibus supra, hoc n. 31 ubi Constantinus in baptismo liberatur à leprâ per signum Crucis

Euseb. l. 4. c. 62.

V. hic n. 31.

XXII.
CONSTANTINI BAPTISMUS à S. GREGORIO PROBATUR.

Hoc igitur ritu, & hisce cæremoniis, Romæ Constantinus, à Silvestro Papa baptizatus est: & Romanam Remp. Deo secum subdidit, priusquam in Orientem ivit, ad suburbana Nicomediæ. Sic enim intelligo M. Gregorium, docentem Ethelbertum, primum inter Saxones Anglorum Regem, quid facto opus, & quo modo civibus præesse deberet, prolato Constantini domestico exemplo: sic enim ipse: *Ideo, gloriose fili, eam quam accepisti divinitùs gratiam, solicita mente custodi, Christianamq; fidem, in populis tibi subditis, extendere festina. Zelum rectitudinis tuæ in eorum multiplica conversione: idolorum cultus insequere,* &c. *Sic enim Constantinus, quondam piissimus Imperator Romanam Remp. à perversis idolorum cultibus revocans, omnipotenti Deo Domino nostro IESV CHRISTO secum subdidit, seq; cum subjectis populis totâ ad Deum mente convertit. Unde factum est ut antiquorum principum nomen, suis ille laudibus vinceret; & tantò in opinione præcessores suos; quantò & in bono opere superaret.* Hæc ibi.

Grego. apud Bed. l. 1. c. 32.

Quæ verba si rectè expendantur, baptizatum Constantinum arguunt priusquam Roma discederet: nam dicit se Christo subditum. Nos autem non aliter Christo, quàm per baptismum propriè subdimur; nec totâ mente ad Deum convertimur priusquam Crucem, Chrisma, & prima saltem illa conversionis elementa suscepimus. Adde, non potuisse antiquorum principum nomen suis laudibus vincere si baptismum ad ultimum vitæ finem distulit. quia Lucius Rex in Britanniâ, & Philippus Imperator, Constantinum præcesserant, certè Constantino meliores, si nondum ille baptizatus, cum Romanam Remp. Christo subdidit. Sed quicquid sit, non debebat Catechumenus adhuc dari Ethelberto Regi baptizato in exemplum pietatis. Jam verò si dixeris, ut omnino dicendum est; Constantinum à Silvestro baptizatum fuisse priusquam urbe discederet: & pulcherrimum religionis exemplum Ethelberto proposuit M. Gregorius: & Ethelbertus illud integerrimè sequutus, & assequutus est, ut dicam libro sequenti.

V. an. 602. n. 1.

XXIII. Confirmantur hæc omnia, à Dalmatio Cyziceno Episcopo (de quo Socrates libro septimo historiæ cap. 28.) qui collegit acta Concilii Nicæni, recitatque orationem Constantini, coram Patribus habitam: *In qua sæpiùs profitetur*, inquit Baronius, *se planè Christianum esse sacroq; baptismate initiatum.* Hic valdè torquentur factiosi. agnoscit Constantini Defensor orationem illam extare, libro secundo Actorum Concilii Nicæni, apud Binium: sed more suo tricatur in nomine. iterum, fatetur haberi, hæc verba Constantini. *Quatenus fides & animi justificatio facultatem dicendi dederit.* Sed non vult inde concludere Constantini baptismum. Dicit enim illum, sine baptismo, justificari potuisse, & probat exemplo Valentiniani Imperatoris. & paulò inferiùs. *Alibi*, inquit, *declaravi sententiam meam baptismum nemini dari (& minùs dubium est de adultis) ad hoc ut gratiam recipiat, aut justificationem: sed ideo, quòd ab Ecclesiâ supponatur primam gratiam recepisse, & ita justificatum esse.* hæc ille è modernâ tripode; quod monstrum in Theologiâ horrebat calamus latinè reddere. Quid enim aut contra Scripturæ sensum, aut Patrum, aut Theologorum scita, dici potuit insultius; quàm primum Sacramentorum omnium, januamque cæterorum, nullam gratiam conferre? Sed notus est Calvini genius, Ecclesiam reformantis; cum illam miserè turpet, atque dehonestet. Potestatem à Sacerdotibus sustulit dimittendi peccata, & Corpus Christi consecrandi; quam Christus illis asseruit: authoritatem in Ecclesiâ & monarchiam ubique labefactavit: & quasi parùm hæc essent, Sacramenta etiam omnia oppugnat, negat illa conferre gratiam: quicquid demùm in illis, in Ecclesiâ, in Scripturis, sacrosanctum est, extenuat & elevat, & interim se Ecclesiam reformasse gloriatur.

Baron. hoc n. 49.

Cracan. l. de defens. p. 2. c. 6.

Et Ambrosii authoritate & pac.

XXIV. SACRAMENTORUM EFFICACIA.

Sed surge Lector, ab hac Calvini hæreticâ fæce, & ascende ad hoc quartum sæculum, & Constantinum interroga quid sentiat ipse de baptismi gratiâ; nam ille Occidentis & Orientis Ecclesiæ sensum apprimè calluit, & doctus est, cum baptismum accepit. audi ergò, quid de sensu ejus scribat Eusebius. *Ut verò Constantino in mentem venit extremum ejus vitæ dies, existimaretq; hoc tempus opportunum esse, ad delenda illa errata, quæ quoniam mortalis erat, admiserat; crederetq;* (audi Calvinista Constantini fidem, è diametro cum tuâ pugnantem) arcanorum mysteriorum efficaciâ, & salutaris lavacri imitatione, mentem expiari. *Hæc, inquam, cum ei in mentem veniret, humi procumbens*, &c. *Existimavit* igitur, & *credidit* Constantinus, Sacramenti efficaciâ peccata deleri, & mentem expiari: quod Romæ & in Oriente etiam credebatur: contrarium existimat Doctor Cracanthorpius, contra Orientis & Occidentis sensum, & Patres omnes, qui hoc sæculo floruerunt; nescio quid dicturus, ad Christi verba, *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu sancto, non potest introire in Regnum Dei.* Quæ verba, quem sensum habeant in lexico modernorum; ipsi, qui soli sapiunt, sciunt. Constantinus intellexit, ut hodie intelligit orthodoxus orbis, & ideo renasci festinavit, ut gratiam ad delenda peccata; quæ, quia mortalis erat, admiserat, recipere mereretur. Hæc enim est ad justificationem via regia, teste S. Ambrosio, qui de baptismo ita loquitur. *Per eum fontem transitur a terrenis ad cælestia: Hoc est enim Pascha, hoc est, transitus ejus. transitus à peccato ad vitam, a culpâ ad gratiam: ab inquinamento ad justificationem.*

Euseb. l. 4. c. 61.

Ioan. 3. 5.

Ambros. l. 1. de Sacram.

Abutuntur ergo sectarii, nomine & authoritate Ambrosii, dum enervare conantur Sacramentorum efficaciam. Laudavit ille Valentinianum sine aquæ baptismo mortuum: quia Romanam fidem doctus, sciebat baptismi gratiam non alligari fluminis Sacramento: sed Flaminis etiam, & sanguinis mysterio. Valentinianus non solùm Baptismum petiverat, sed votum quoque suum, scriptis ad Ambrosium literis, aperuerat. quod ipse Ambrosius significat, ita scribens ad Theodosium: *Valentinianus, ut à me, Sacramentis Baptismatis initiaretur, scribendum arbitratus est.* Cum ergo baptismi votum haberet, & gentilium furore impeditus sit, ne compos fieret; potuit meritò Ambrosius sperare consecutum illum esse vitam æternam; non quidem sine omni, sed tantùm sine fluminis baptismo. Quod ideò certiùs sperari poterat: quia passim credebant homines; eundem Imperatorem ideo occisum esse, ab infidelibus; quod intercessionem pro gentilium ritibus non admiserit. Hoc si verum est, voto baptismatis accessit etiam Sacramentum sanguinis; & nemo dubitat sic credentem, sic petentem, sic morientem, adipisci posse gloriam, & suo sanguine baptizari, ut suprà diximus in Heraclio martyre, designato percussore Albani Protomartyris. Unde benè potuit Ambrosius dicere in ea oratione, qua mortuum laudavit: *Nec nos quidem dubitemus de meritis Valentiniani; sed jam credamus vel testimoniis Angelorum; quod detersâ labe peccati ablutus ascendit, quem sua fides lavit, & petitio consecravit.* Lotus ergo & ablutus fuit.

XXV. VALENTINIANUS IMP. UT GRATIAM CONSECUTUS?

Ambros. ep. 34.

V. an. 287. n. 7.

Superest ut ipsum Eusebium, qui Constantinum in Oriente baptizatum dicit, audiamus. qui enim totus est in Constantini laudibus: fortè aliqua proferet, unde colligi poterit baptismus ejus. Et sanè sæpè animum subit admiratio, quâ ratione Eusebius Constantinum vocet ubique *Christi servum*, *Sacerdotum conservum*, denique *singularis, ac eximiæ pietatis virum.* Immò, vocet eum, *Deo charum, divino ejus afflatum Spiritu, sanctissimum & perpetuâ amicitiâ conjunctum:* & interim dissimulet baptismum ejus: Alibi etiam dicit Imperatorem [a] universo pietatis genere eximium, [b] Dei nomen ingenuè amplexum. &

XXVI. EX EUSEBIO PROBATUR CONSTANTINI BAPTISMUS.

a Euseb. l. 2. c. 19.
b l. 2. c. 55.
c in laud. Const.

demùm addit, comnia vitæ officia eum piè religioſeque obuſſe. Quod profectò de nondum baptizato dici non debuit, ſed clariora ſunt adhuc, quæ idem Euſebius alibi recitat in laudem Conſtantini. *Hic Imperator*, inquit, *virtute tam eximius, ex Dei ſapientia mortali hominum generi donatus fuit, tanquam res quædam peregrina, qua homines in admirationem traduceret. Hic eum Chriſtum Dei, libero ore, ac ſermone, in omnes divulgavit: neque ſalutarem illam appellationem QVAM OBTINVERAT erubuit; ſed ipſá profeſſione gloriatus, ſe in luce, & omnium oculis collocavit: atque interdum vultum ſalutari illa paſſionis ſignavit notá.* Hæc ille. Quæ Conſtantinum non modò Chriſtianum, ſed Romano-Catholicum planè ſignificant. Jam verò dic ſodes, Euſebi, quænam illa erat ſalutaris appellatio *quam obtinuerat*, & quam non erubeſcebat Imperator? Quænam profeſſio, quà gloriatus eſt? reſponde Chriſtianam appellationem fuiſſe, & fidei in baptiſmo profeſſionem, vel aliud, ſi potes, finge: & quicquid finxeris, Conſtantinum non laudaſti, ſi nondum baptizatus eſt.

Euſeb. l. 3. c. 2.

XXVII. ·Quis neſcit ſub Diocletiano & Maximiano tyrannis, Chriſtianum nomen nuper viluiſſe, tam ſævâ tempeſtate, tantùm non extinctum? Iterum quis neſcit, in primo illo Sacramento, & non antea, hominem Chriſtianum dici; ut olim Lucius ad Eleutherium miſit & baptiſmum petiit, *ut Chriſtianus efficeretur*, inquit Beda; Profectò monſtrum orationis eſſet appellari aliquem profeſſum Chriſtianum, id eſt, militiæ Chriſti aſcriptum, & eundem non eſſe baptizatum: cum teſte Cyrillo ſuprà, ad appellationem illam, præter baptiſmatis ſubſtantiam, Chriſmatis etiam circumſtantia, quæ poſt dabatur, neceſſaria ſit. Adverte etiam, quod habet Euſebius, Conſtantinum, non tantùm à vulgo, Chriſtianum appellatum eſſe; ſed ipſum etiam reverâ appellationem illam obtinuiſſe; nimirum facto aliquo quod celari non poterat, quodque ad dictam appellationem jus aliquod dederat: & aliud, præter baptiſmum, intelligi non poteſt. Notandum etiam dici hæc omnia ab Euſebio, de Conſtantino priuſquam in Nicænam urbem Patres cogerentur. Quamobrem cum dicit poſtea baptizatum eſſe; videtur Græcus homo non conſequenter loquutus: & vel nulla illi fides habenda eſt; vel credendum potius ipſi, baptiſmum toties repetenti: quandoquidem ſemel tantùm affirmat Conſtantinum in extremo vitæ baptizatum: ubique autem ſupponat baptizatum priùs. ſicut & verba illa Conſtantini Deum orantis. *Propterea tibi animum meum amore, & timore tui ſincereq́; temperatum totum dedo: nam nomen tuum ingenuè amplector: Virtutem tuam, quam multis argumentis declaraſti, quoque meam fidem firmiorem reddidiſti; ſanctè veneror.* & infrà. *Tua potentia nos innocentes & fideles reddit*, &c. Hic vides Conſtantinum putaſſe ſe baptizatum eſſe, cum ſe innocentem, & fidelem vocat. Concludo: neminem Deo charum, perpetuâ amicitiâ cum Deo conjunctum, Chriſtianum nomen adeptum, fidelem, innocentem, & omnia denique Chriſtianæ vitæ officia piè religioſeque obeuntem dici poſſe; qui non ſit ſaltem baptizatus. Dic ergo vel rebaptizatum eſſe Conſtantinum; quod Arianis in more poſitum; quod tamen Patres Ario infenſiſſimi, Athanaſius, Ambroſius, Gregorius, & Orientalis Eccleſia, ignorarunt: Qui ſanctiſſimum, piiſſimum, fideliſſimum Conſtantinum ingeminant: aut falſum eſſe Euſebium, qui fabulam hanc Conſtantio Imperatori; qui patri morienti non adfuerat; in Arianæ factionis patrocinium finxit: aut certè verba illa, quæ baptizatum in Græciâ Conſtantinum faciunt, Euſebio inſerta.

Bed. l. 1. c. 4.

Euſeb. l. 3. c. 14.

Id. ſup. c. 37.

XXVIII. BAPTISTERIUM. Non ſum longior, in Conſtantini baptiſmo; quia ejuſdem rei eloquens argumentum eſt locus ipſe; quem orbis totus Conſtantini baptiſterium vocat: quod nunc inviſam, quia Imperatoris fidem & pietatem teſtatur. De illo igitur Anaſtaſius Bibliothecarius (vixit ante annos octingentos) ex antiquiſſimo Codice hæc deſcripſit. *Fecit fontem ſanctum, ubi baptizatus eſt Auguſtus Conſtantinus, ex lapide porphyretico, & ex omni parte coopertum intrinſecus, & foris, & deſuper, & quantum aqua continet, ex argento puriſſimo. libras tria millia & octo. in medio fontis columna porphyretica, quæ portat phialam ex auro puriſſimo, penſantem libras quinquaginta, ubi ardent balſami libræ ducentæ, annexum ex ſtipa amiantis. In labro fontis agnum, ex auro puriſſimo, fundentem aquam. penſantem libras triginta. Ad dexteram agni Salvatorem ex argento puriſſimo, in pedibus quinque penſantem libras centum ſeptuaginta. In lævâ agni B. Ioannem Baptiſtam ex argento, in pedibus quinque, tenentem titulum ſcriptum, qui hoc habet: Ecce Agnus Dei: ecce qui tollit peccata mundi, penſantem libras centum. Cervos ex argento ſeptem, fundentes aquam, penſantes libras octoginta. Thymiaterium ex auro puriſſimo, penſans libras decem, cum gemmis praſinis, & hyacinthinis, undique numero gemmæ quadraginta duæ.* ita ibi.

Anaſta. Biblio. to. 1. Conc. in Silveſtro.

XXIX. Hunc ſplendorem Eccleſiæ ſectarii non poſſunt ferre oculo irretorto: & Conſtantini defenſor Cracanthorpius contra excipit: quia ſtatuæ in baptiſterio non ſunt benè locatæ, & Chriſtus non habet primum locum: *Agnus autem*, inquit ille, *in baptiſterio deſcriptus, medium locum obtinet, inferiorem ſtatua Salvatoris argentea, quæ ad agni dextram legitur.* Sic nodum quærunt factioſi in omni ſcirpo; ut non tantùm Sanctos inter ſe, ſed Salvatorem etiam Salvatori committant. Nam ſi per Agnum Dei intellexit aliquando Joannes Chriſtum Domini, ut ipſemet extento digito, & pleno quantum licuit ore, profeſſus eſt. nónne dicendus eſt Conſtantini Defenſor in plumam velitari, qui contra Anaſtaſii relationem excipit. Sed ægrè etiam ferunt Calviniſtæ ſacrarum imaginum uſum, tam antiquum eſſe. Quid facies? Conſtantino ita viſum eſt. & factum probaverunt ſequentes ætates. nam S. Paulinus laudat S. Severum, qui S. Martini imaginem erexerat in novo baptiſterio. *Rectè*, inquit, *in loco refectionis humanæ, Martinus pingitur, qui cæleſtis hominis imaginem, perfectâ Chriſti imitatione, portavit; ut deponentibus in lavacro terrenæ imaginis vetuſtatem, imitanda cæleſtis animæ occurrat effigies.* Quod & verſu quoque ita expreſſit.

Cracan. p. 2. c. 6.

Paul. ep. 12. ad Sever.

Dives opum Chriſto pauper ſibi pulchra Severus
Culmina ſacratis fontibus inſtituit.
Et quia cæleſtes nulam condebat in actus,
Quâ renovarentur fonte; Deoq́; homines.
Digna Sacramentis gemina ſub imagine pinxit;
Diſceret, ut vitæ dona renatus homo.

Idem ſup.

Antiquior ergo conſuetudo eſt collocandi ſanctorum imagines, in locis ſacris, quàm eſt Calvini impietas illas inde exturbantis. Sed & ante Conſtantini baptiſmum, imagines ſacras in uſu

Hic n. 16

fuisse etiam in Oriente suprà dixi ex Eusebio.

XXX.

Non tantùm ornavit Constantinus baptismi sui locum, auro, argento, & lapide pretioso: sed eundem etiam dotavit annuo censu, quem ex variis agris collectum, Italiæ, Siciliæ, Græciæ, Africæ, ac remotiorum etiam provinciarum, loco illi servire fecit, & ea ipsos ex Athanasio digestos cum hac inscriptione.

DONUM SANCTO FONTI.

Constantini donum.

MASSA Festi ex territorio Pranestino, prastans solidos trecentos. Massa Gaba ex territorio Gabinensi, prastans solidos ducentos & duos. Massa Pictas ex territorio supradicto, prastans solidos ducentos quinque. Massa Statiliana ex territorio Sorano prastans solidos trecentos. Massa intra Siciliam, Taurana ex territorio Parentiensi prastans solidos quingentos. Intra urbem Romam, domus vel horti prastantes solidos bis mille trecentos. Fundus Basis prastans solidos centum viginti. Massa Lalinas ex territorio Carsiolano, prastans solidos ducentos. Fundus Catulis ex territorio Nomentano, prastans solidos quinquaginta. Massa Statiana ex territorio Sabinensi prastans solidos trecentos quinquaginta. Massa Murina ex territorio Appiano Albanensi prastans solidos trecentos. Massa Virginis ex territorio Sorano prastans solidos ducentos. Transmarina intra partes Africa. Massa Vinci ex territorio Mucario prastans solidos octingentos. Massa Capsis ex territorio Capsitano prastans solidos sexcentos. Massa Varia Sardana, prastans solidos quingentos. Massa Camaras ex territorio Curtalupi prastans solidos quadringentos quinque. Massa Numinas ex territorio Numidia prastans solidos septingentos viginti. Massa Baldarioliaria ex territorio Numidia prastans solidos octingentos & decem. In Gracia Massa Cephalenia, prastans solidos quingentos. In Mengaulo Massa Amazon prastans solidos ducentos viginti duos. Hæc Baptisterio donata à magno Principe, muto silentio satis loquuntur Constantinum Romæ baptizatum. Quibus si addideris, constructum ibidem, ad Lateranense Palatium, nobilissimum templum, de quo infrà, erunt omnia certiora. Sed audio modernos adhuc Lateranensi baptisterio obstrepentes; quasi nuperum illud sit, nec ab ævo Constantini. Verum Prudentius qui eodem sæculo floruit, neminem patitur dubitare. nam de eo ita loquitur contra Symmachum:

Prudentius in Symmachum.

Aut vaticano Tumulum sub monte frequentat,
Quo cinis ille latet genitoris amabilis obses
Cœtibus aut magnis Lateranas currit ad ædes
Vnde sacrum referat regali Chrismate signum.

Ubi habes & vota populi, sacra Apostolorum limina frequentantis, & Baptismi Sacramentum, cum Cruce & sacro Chrismate inatus dari solitum, ad Lateranas ædes. nunc videamus reliqua.

XXXI. Vestis candida.

Constantinus ex aquis egressus, novâ veste candidâ induitur: quo mysticè signatur veteris hominis depositio, & assumptio novi. quod revera in principe impletum est. Nunquam enim exinde ad idolorum cultum rediit; sed contrà, omnia Christiani hominis officia piè religioseque obivit; ut benè dixit Eusebius suprà. Sed & corpori ejus baptismus ille medicina fuit. nam à leprâ quam Deus immiserat, mundatus est, quemadmodum Authores nuper recensiti dixerunt: Quibus adde, quod in actis Liberii Papæ legitur, antiquissimis illis, & à Crescomo collectis; Constantinum a lepræ morbo in baptismate, Crucis signaculo, liberatum esse, ut refert hic Baronius. Cæterùm quod spectat ad vestem candidam, quam baptizati octo dierum spatio gestare consueverant; testantur Magdeburgenses hoc quarto sæculo id iri more positum; probantque authoritate Gregorii Nazianzeni, qui ora. 3. in sanctum lavacrum, ritum hunc, aliosque baptismum consequentes explicat. Sed & Lactantius, qui Crispum Constantini filium docuerat, apertè innuit cæremoniam istam, cum ita loquutus est in carmine de resurrectione Christi:

Baron. hic n. 42.

Cent. 4. c. 6. fo. 419.

Rex sacer, ecce tui radiat pars magna trophai,
Cum puras animas sacra lavacra beant.
Candidus egreditur nitidis exercitus undis,
Atque vetus vitium, purgat in amne novo.
Fulgentes animas vestis quoque candida signat;
Et grege de niveo gaudia pastor habet.

Lactan. de resur. Christi.

Cyrillus etiam Hierosolymitanus, explicans baptismi ritus, qui suo, id est, hoc sæculo, in usu erant; scitè adducit illud Ecclesiastæ: *Omni tempore sint vestimenta tua candida, & oleum de capite tuo non deficiat.* & ait: *Ita sanè exutis vestibus antiquis, & iis qua sunt secundùm spiritum alba, indutis, perpetuò jam in albis incedere oportet.* Hinc orta illius diei Dominicæ appellatio, quæ resurgentem Christum excipit. quam olim ita vocatam esse, testis est S. Augustinus: qui sermone 1. in octava Paschæ ita loquitur: *Paschalis solennitas hodierná festivitate concluditur: & ideo hodie neophytorum habitus commutatur; ita tamen ut candor, qui in habitu deponitur, semper in corde teneatur.*

Eccl. 9. 8.

Cyril. catech. mystago. 4.

Aug. ser. 157. de temp.

XXXII. Alcuinus explicat ritus baptismi.

Carolus Magnus, ante annos octingentos, Alcuinum nostrum, sui sæculi doctissimum, multa sciscitatus est, de ritibus baptismi, & de sensu eorundem. putabat enim regiâ inquisitione dignum, ea scire; quæ sancta Ecclesia, pro sacris habet. & verò Alcuinus ita aliquando monuerat Oduinum Presbyterum: *Ad cognoscendum rationabilem sacri baptismatis ordinem, de ministeriis totius officii tibi breviter scribere volui; ut cognoscas, quàm necessarium, nihil pratermittere, quod à sanctis Patribus sumptum est in illo officio.* Itaque Carolus non putabat alienum à suâ purpurâ esse; scire quæ olim Patres, de Sacramento illo, dictaverant. & Alcuinus illi abundè satisfecit, ritusque omnes eleganter exposuit, benè longâ ad Carolum Epistolâ, quæ inter ejus opera legitur. Si quæro à sectariis, cur Ecclesiæ morem tam antiquum, à tot Patribus probatum atque laudatum, ab Augustis viris amatum, & tanta sæculorum sanctitate sancitum, exploserint; respondent scilicet consultissimè. *Nullum mandatum Dei quòd ista necessariò jubeat baptismo addere, extat.* Ita quatuor viri Magdeburgenses. quasi verò nullum extet præceptum Ecclesiam audiendi. & impunè sperni possint Ecclesiæ proceres & Doctores; quos dedit Deus in consummationem Sanctorum. Pulchrè Basilius Magnus obstruit os loquentium iniqua, & constringit in chamo & freno maxillas eorum, nobilissimâ illâ sententiâ ad Amphilochium. *Dogmata qua in Ecclesiá servantur, & pradicantur, partim ex scriptá doctriná habemus; partim ex Apostolorum traditione, ad nos delatá, in mysterio accepimus. Qua utraque, ad pietatem, eandem vim habent: & nemo his contradicit, qui vel modicam saltem Ecclesiasticorum jurium experientiam habet.* Quasi diceret, omnes omnino docti, omnes Sacramentorum ritus, & imprimis baptismi, ab Apostolorum traditione descendere,

Alcuin. Ep. ad Oduinum fo. 1150.

Idem de caremo. baptismi ad Carolum fo. 1151.

Cent. 4. fo. 428.

Basilius probat.

Basil. de Spiritu Sancto c. 27.

& pari, cum iis quæ in Scripturâ habentur, reverentiâ, admittendas, crediderunt. Quod sequitur in Basilin, licèt illud suprâ posuerim in baptismo Lucii; juvat tamen repetere, quia insigni vaticinio nostri temporis calamitatem explicat. (An. 183. 20.) dicit ergo: *Si enim non scripto proditas consuetudines, veluti non vim magnam habentes, conemur rejicere, imprudentes etiam ipsis principalibus Evangelii partibus damnum inferemus; imò ipsam Evangelii prædicationem ad nudum nomen contrahemus.* Quod hodie contigisse, quis non videt? & propheticè dictum fuisse probat tristissima facies modernæ sectariorum Ecclesiæ; ubi Evangelii prædicatio, ita nudâ Scripturâ nititur, ut omnem pietatis antiquæ succum saporemque amisisse homines videantur: ubi nuda fides, nuda templa, nudum Sacerdotium, nuda Sacramenta, nescio quam babelem construxerunt, ad ipsum cælum, sine bonis operibus, sine sacrificio, sine gratia, vanissimo conatu, festinantem.

XXXIII. QUINAM RITUS NEGAVERINT?

Si porrò quæras, de quibus ritibus Basilius tam severè pronuntiet: dico illum, de his disputare quos jam in Constantini baptismo usurpatos dixi: imprimis de signo Crucis, quod Calvinistæ factiosissimè rejiciunt; de aquæ benedictione, & oleo unctionis, de renuntiatione Sathanæ, & Angelis ejus; quæ omnia traditione, non scripto accepimus: & hoc sæculo non clam, ut antea, & cum paucorum conscientiâ; sed publicè, & solennissimâ cæremoniâ fiebant in Ecclesiâ: & tantum maculæ quædam, Ariani, Macedoniani, & Aëriani, contra nitentes, modernæ factioni præluserunt; qui *nullam sententiam, immo ne vocem quidem, admittere in animum induxerunt, quæ non reperiretur, ex divinis literis accepta*, inquit Baronius; (Baron. to. 2. an. 13.) hos fortè Basilius intellexit: saltem sectarii nostri illos sequuti sunt; unde & Ariani esse, Macedoniani esse, Aëriani esse possunt; non possunt cum Basilio esse, nec Constantinum trahere in classem suam; non Patres hujus sæculi, non Reges Angliæ, qui Constantinum, ut infrà secuti sunt; non Reges Galliæ, quos Alcuinus noster docuit; non denique orthodoxum ullum. sed ad reliqua Constantini facta transeamus.

XXXIV. CONSTANTINI POST BAPTISMUM FACTA.

Imperator Albis indutus, ipsos septem dies, quibus lege jubebatur ita incedere, singulos singulari aliquo opere consecravit; quo scirent posteri, fidem operum sanctitate stare, nutriri, perfici: & eandem sine illis mortuam esse. Itaque primo die baptismi sui hanc legem dixit: Christum esse Dominum verum, qui se mundasset à leprâ, hunc ab omni orbe Romano colendum. Altero die, in eos pœnas decrevit, qui in Christum verbis, factisve peccarent. Tertio verò die supplicia decrevit in eos, qui Christianorum cuilibet molestiam exhiberet. Tum ad Ecclesias conversus; omnem Ecclesiarum parentem, Romam, Imperatoriis privilegiis, præ cæteris illostravit. Proximo die Ecclesiis omnibus immunitatem concessit, jussitque ad eam confugientes, securos & impunè esse. Denique sexto & septimo die decretum est illud: ne absque licentiâ Ro. Pontificis, alicubi construerentur Ecclesiæ, & decimas solvendas esse. Verùm quod postrema hæc dum in Græcis exemplaribus non reperiantur, putat Baronius superaddita esse: (Baron, hic ex.) *Cum utraque jure antiquiore*, inquit, *videantur eidem Ecclesiæ debita.* Sed dicendum, Augustum his diebus Ecclesias privilegiis munivisse; quo infideles, qui ubique erant, & divina jura non curabant, coërcerentur. Dedit ergo Constantinus Ecclesiis temporalia; & permisit, imo jussit, spiritualis potestatis supremum & liberrimum exercitium esse. Quod valdè notandum in Constantini Regumque sequentium privilegiis, & indultis. Nam sæpè leges infrà, principes hujus Insulæ, Saxones, & Anglos, donare, concedere, confirmare; non novum aliquid, aut aliàs indebitum; nec sua tantùm, sed ab aliis donata; ob majus robur, & datorum firmitatem. Potuit ergo Constantinus donasse aliquid, divino etiam jure, tam Romæ, quàm aliis Ecclesiis concessum, ut infideles, qui divini juris apices ignorabant; vel metu pœnæ, vel reverentiâ majestatis, ad id præstandum tenerentur; qui aliàs cogi non potuissent.

XXXV. BASILICA VATICANA.

Octavo die (ita habent Acta) *processit Constantinus totus mundus, & salvus; & veniens ad confessionem B. Petri Apostoli, ablatoq; diademate capitis, exuens se chlamyde & accipiens bidentem, terram primus aperuit, ad fundamenta Basilicæ construenda. Dehinc ob numerum duodecim Apostolorum, duodecim cophinos terrâ plenos, suppositis humeris bajulans asportavit, & ita gaudens & exultans in carrucâ suâ cum Episcopo sedens, ad palatium rediit* hæc ibi. Imitatur Constantinus Flavium Vespasianum, qui cum Capitolium corruisset; simili pietatis exemplo illud restituit. Nam teste Suetonio: *Ipse restitutionem Capitolii aggressus, ruderibus purgandis manus primus admovit, ac suo collo quædam extulit.* (Sueton. in Vesp. c. 8.) Ita ergo Flavius noster (nam paterno origine Flavii appellationem habuit) positurus Petro sanctius Capitolium, inclinat ponderi Regium verticem; & mox illum erigit, meritis & gloriâ, quàm mole terræ graviorem. Templi locus est in Vaticano colle, ubi olim Apollinis fanum; qui Constantini operâ cedere jussus est Apostolorum Principi: cujus corpus cum honore ibi depositum, Constantinus, & omnis post eum orthodoxus orbis sanctissimè veneratus est, hodieque veneratur. Quod quia ad Regiam fidem & principum nostrorum pietatem, qui Constantini exemplo Petrum coluerunt, facit maximè: hoc Imperatoris factum paulo fusiùs explicabo.

XXXVI. IBI CORPUS S. PETRI.

Eodem tempore (loquuntur antiqua Acta) *Constantinus Augustus fecit Basilicam Beato Petro Apostolo, in templo Apollinis. Cujus loculum, cum corpus S. Petri recondidit, undique ære cyprio conclusit, quod est immobile. Ad caput pedes quinque; ad pedes, pedes quinque; ad latus dextrum, pedes quinque; ad latus sinistrum, pedes quinque; subter, pedes quinque; supra, pedes quinque. Sic conclusit corpus B. Petri, & recondidit, & exornavit, super columnas porphyreticas, & alias columnas tres phyreas, quas de Græciâ perduxit. Fecit autem cancram Basilicæ ex *crimnia auri fulgentem, & super corpus B. Petri.* (* crymno.) Displicebit fortè hoc Constantini factum factioso stomacho: sed alibi medicinam ingero, (Infrà n. 41.) ne nunc occupatum in templis pientissimum Principem, factiosorum hominum litibus exponam. Redeo itaque in Vaticanum & S. Petri sepulchrum; quod multis post annis testis fuit Constantinianæ fidei atque pietatis. Siquidem M. Gregorius tradit ad quindecim pedes extra Petri sepulchrum, (Gregor. l. 3. Ep. 30.) fuisse desuper locum illum argento contectum: quod cum ipsius prædecessor mutare voluisset, apparente signo quodam, non parvo terrore absterritum, ab hujusmodi consilio destitisse. Quo satis confirmantur Anastasii

Bibliothecam, & antiquorum Actorum, hac in re assertiones: in quibus etiam hæc leguntur, de Constantino: *Qui super os, quo conclusit sepulchrum; fecit crucem auream purissimam, pensantem libras centum quinquaginta, ubi scriptum hoc est:* CONSTANTINVS AVGVSTVS, ET HELENA AVGVSTA, HANC DOMVM REGALI SIMILI FVLGORE CORVSCANTEM AVRO CIRCVNDANT. *Scriptum est nigellis literis in cruce. Fecit autem candelabra ex aurichalco, in pedibus decem, numero quatuor, argento conclusa, cum sigillis argenteis, unde Actus Apostolorum cernebantur; pensantia singula libras trecentas. Calices autem tres, cum gemmis prasinis, quadraginta quinque, pensantes singulos libras duodecim. Metretas argenteas duas, pensantes libras ducentas. Calices argenteos viginti pensantes singulos libras decem. Amas aureas duas pensantes singulas libras denas. Amas argenteas quinque, pensantes singulos libras viginti. Patenam auream, cum turre (legendum fortè turture) & columbâ ex auro purissimo, ornatam gemmis prasinis & hyacinthinis, & margaritis numero ducentis & quindecim, pensantem libras triginta. Patenas argenteas quinque, pensantes singulas libras quindecim. Coronam auream, ante corpus, quæ est Pharus, Cantharus, cum Delphinis quingentis, pensantes libras triginta quinque. Pharos argenteos, in gremio Basilicæ, cum delphinis, pensantes singulos libras decem. Ad dextram Basilicæ pharos argenteos triginta, pensantes singulos libras octo. Ipsum Altare ex auro & argento clausum, cum gemmis prasinis & hyacinthinis, & albis ducentis decem, pensans libras quinquaginta. Thymiamaterium aureum, cum gemmis undique exornatum, pensans libras quindecim.*

Basilicæ ornamenta, et vasa Sacrificii.

XXXVII. Hic Constantinus, & Helena, Regiam Britannorum fidem illustrissimam faciunt; qui Petri corpus simplici cultu habere non contenti; cruces aureas, argenteas, calices, patenas, candelabra, altaria, thuribula, tam impenso labore & sumptu fecerunt. Viliùs certè præstat sectariorum nuda fides & Ecclesia; nec amat tam carò, aut Deum, aut Sanctos colere: ac proinde ingenti intervallo distat ab antiqua Constantini & Britannorum pietate ac fide. Cæterùm ne vacillet hac in re, Actorum fides, quod admodum cupiunt sectarii, qui nuper hæc sacra vasa præsertim aurea, & argentea, ab Ecclesiis ad triclinia transtulerunt; lustrabo paululùm Orientem, & Ecclesias ibi, quæ hac Constantini ætate fuerunt: inde revertar in Italiam, inspiciamque templa, quæ certum est eundem principem ornavisse: si utrobique invenio vasa sacra, magnifica, splendida, quæque magnitudine, pondere, pulchritudine, & ignota etiam vasorum qualitate, barbaros ac infideles homines in admirationem rapuerint; puta Lector confirmari supradicta. Meminit Sozomenus ornamentorum Ecclesiæ, quæ Antiochiæ in Syria fuerunt tempore Juliani Apostatæ; nimirum circa annum Domini 362. ut refert Baronius ibi; ac eadem fuisse vasa sacra, à Constantino donata, non est arduum ostendere. Ita ergo scribit Sozomenus: *Memoriæ proditum est, cum id temporis seriò moliretur Iulianus, avunculus Imperatoris (Iuliani Apostatæ) pretiosissima monumenta Ecclesiæ Antiochenæ, in Syriâ posita; quæ quidem plurima erant numero; in Imperatoris æraria transferre, & Ecclesias quoque occludere*, &c. *ubi verò vasa sacra arripuerat, projectis illis in terram, cœpit petulanter in Christum illudere; blasphemias, pro sua libidine, jacere; ad extremum super vasa sedere, sicq; saltem jam contumeliam adaugere.* Hæc ille. & narrat in sequentibus, ut divina vindicta Julianum hunc invaserit, quod malo audire ex aureo ore S. Joannis Chrysostomi, qui eodem tempore vivebat, & ita scripsit: *Cæterùm ex iis, qui tum cum ipso erant, avunculus (Iulianus pariter nomine) cum licentiosiùs insaniam suam contra nos prodidisset; ausus impuris manibus sacra vasa contingere: hoc etiam scelere non contentus; sed contumeliâ ulteriùs progressus (vasis enim in inversis, & super pavimentum collocatis, atque extensis, ita super ea desedit) è vestigio illegitimæ hujus sessionis pœnas luit. Illius enim verenda corrupta vermiculos generarunt ita ut morbum divinitùs illatum constaret.* Ita Chrysostomus de Deo vindice, & testante vasorum sanctitatem.

Baron. to. 4 an 362.
Sozom. l. 5. c. 9.

Chrysost. contra Gentes.

Divina vindicta.

XXXVIII. Cæterùm hæc vasa, quæ Julianus temeravit, & Deus defendit; Constantini pietatis opera fuisse, insignis testis est Theodoretus, qui libro 3. c. undecimo, rem gestam fusè narrat, & addit: *Iulianus præfectus Orientis adversus sacram mensam minxisse dicitur: Et Felix sacrorum vasorum magnificentiam conspicatus (Constantinus enim, & Constantius, splendidè, & amplè ea conficienda curaverant) ecce, inquit, quàm sumptuosis vasis filio Mariæ ministretur.* Tum Juliani & Felicis infelicem mortem narrat; quod transeo, quia in Occidentem festino, visurus libentiùs ea vasa, quæ S. Petri Basilicæ, à Constantino donata dixi. nam Deus etiam illa mirabiliter defendit, cum anno Christi quadringentesimo decimo, Alaricus Gothorum Rex, urbem vastaret. quod M. Augustini discipulus Paulus Orosius, ita refert. *Discurrentibus per urbem barbaris, fortè unus Gothorum, idemq; potens & Christianus; sacram Deo Virginem, jam ætate provectam, in quadam Ecclesiasticâ domo reperit. Cumq; ab eâ, aurum argentumq; honestè exposceret; illa fideli constantiâ, esse apud se plurimum, & mox proferendum spopondit, ac protulit. Dumq; expositis opibus, attonitum barbarum magnitudine, & pondere, & pulchritudine, ignotâ etiam vasorum qualitate, intelligeret, virgo Christi ad barbarum ait; Hæc Petri Apostoli sacra ministeria sunt: præsume si audes; de facto tu videris. Ego, quia defendere non valeo, neque tenere audeo. Barbarus verò ad reverentiam religionis, timore Dei, & fidei virginis; ad Alaricum hæc per nuntium retulit: qui continuò reportari ad Apostoli Basilicam, universa, ut erant, vasa imperavit: virginem etiam, simulq; omnes, qui se adjungerent Christianos; eodem cum defensione deduci. Ea domus (virginis nempè quæ vasa custodierat) à sanctis Sedibus, longo, ut ferunt, & medio interjectu urbis aberat. Itaque magno spectaculo omnium, disposita per singulos singula, & super capita elata, palam aurea & argentea vasa portantur, exertis undique ad defensionem gladiis pia pompa munitur. Hymnis Deo, Romanis barbarisq; concinentibus, publicè canitur. Personat latè in excidio urbis salutis tuba: omnesq; etiam in abditis latentes invitat ac pulsat. Concurrunt undique ad vasa Petri, vasa Christi.* hæc omnia Orosius.

Theod. l. 3. c. 11.

Vasa Basilicæ Vaticanæ.

Orosius l. 7. c. 39.

Barbari reverentur.

XXXIX. Audisti Lector, statim à morte Constantini, Sancti Petri Basilicam, in urbe sacra vasa, & ministeria habuisse, aurea & argentea, quæ suo splendore ac pulchritudine, barbarorum oculos rapuerunt: & noli dubitare quin eadem illa fuerint, calices, patenæ, candelabra, thuribula, phari, canthari, metretæ, amæ, Altaria denique quæ suprà diximus Constantinum eidem Basilicæ donavisse. In quibus violandis religiosiores

Sectarii persequuntur.

fuerunt Alaricus, & barbari; quàm Calvini progenies. quæ ubi cruces aureas, argenteos calices, & patenas invenit: tanquam suæ Reip. hostes, invadit, rapit, damnatque ad servitutem. Et simul, ne omnem religionem exuisse videatur; clamat, strepit, vociferatur, superstitionem, idololatriam, & læsæ numinis majestatis crimen esse: ac eo nomine confiscat omnia. Quoque justior sit rapina, Magnum Gregorium (& qualem virum!) dictis, scriptis lacerant, quòd calices & patenas ac vasa sacra, primus insulæ obtruserit. Ita enim de illis loquens Britannicarum Antiquitatum Author egregiè hallucinatur. *Romana Ecclesia, Gregorio præsidente & authore, harum omnium superstitionum caput & origo fuit: indeque non modo in Angliam, ab Augustino inducta: sed in varias orbis Christiani regiones disseminata, latè dimanarunt.*

Antiq. Britan. fo. 42.

Quasi diceret: Nec Oriens, nec Occidens, habuit vasa sacra, ante Gregorii tempora: non rapuit illa Julianus Antiochiæ: & falsi sunt Chrysostomi, Sozomeni, Theodoreti, & alii plures, qui rapinæ & vindictæ meminerunt. Iterum non habuit Roma & Petri Basilica, sacra ministeria, & vasa, sub adventum Alarici; ad quorum magnitudinem, pulchritudinemque stupuerunt barbari: Et malè dictum est Laurentio Martyri, Romanos Antistites, auro libare, & scyphis fumare sacrum sanguinem. & mentiti sunt Orosius, Prudentius, & alii sexcenti. Debent enim negari hæc, omnia aut multæ stupiditatis accusari sectarii, qui insigni fuco conantur ubique plebi persuadere; Saxonum nostrorum fidem & Ecclesiam, à Britannorum fide differentem esse. Stet ergo, ante Gregorii sæculum, non solùm hæc vasa, in Ecclesiis fuisse; sed etiam à Constantino facta, fuisse apud barbaros in bonore.

XL. HELENA UBIQUE CONSTANTINO ADFUIT.

Redeo ad religiosissimum par, Constantinum & Helenam: utrumque enim in pio opere conjungo; quia suprà scriptum est in Cruce aureâ purissimâ: CONSTANTINUS AUGUSTUS, ET HELENA AUGUSTA, HANC DOMUM &c. AURO CIRCUNDANT. Possum ergo civibus & patriæ gratulari; quòd in primo Ecclesiæ fideique meridie, Britannia accommodaverit orbi duo lumina, quæ Occidentem & Orientem ornaverunt illustrissimè. possum etiam, debeoque mundum obtestari; ut ad Oceanum hunc nostrum conversus, jacentem ibi Insulam agnoscat, si non parentem fidei, saltem tam latè diffusæ obstetricem eximiam. Quod meritò mihi assero, quia ubique jam lego Constantinum Ecclesias ditantem; & cogor opinari piis ejus conatibus adfuisse Helenam. Id enim Helenæ pietas, & nota ejus sexus religio facilè persuadent. Quamobrem cum produco Constantinum dona templis & reditus conferentem; tu, Lector, ubique cogita suggerentem Helenam: quod infrà magis patebit è S. Paulino, qui Vaticanæ Basilicæ splendorem ad *venerabilem Reginam* (Helenam) refert. Nec id tacuit vir infidelis Ammianus Marcellinus, qui l. 27. cap. 6. disertè affirmat, Romanos Antistites ditatos esse *oblationibus matronarum*, & de Damaso loquitur, qui boc sæculo sedit. Maneat ergo Constantinum & Helenam, communis laus: & in utroque habeat Insula, fidei meritique participium. Restat, ut quæ sint reliqua Constantini dona videamus; compendio tamen, quia plurima sunt, & narrantur à multis.

Marcel. l. 27. c. 6.

XLI. *In reditibus* (pergunt Acta) *donum quod obtulit Constantinus Augustus B. Petro Apostolo, per Diœceses in Oriente. In civitate Antiochiâ, domum Datiani, præstantem solidos ducentos quadraginta,* &c. *Aromatum Casia libras ducentas, olei nardini libras trecentas, balsami libras centum,* &c. *olei cyprini libras centum,* &c. *Possessionem quam donavit Constantinus Ibronio, præstantem solidos quadringentos quinquaginta,* &c. *balsami libras quinquaginta,* &c. *quæ ad luminariorum impensam, & alia divini cultus Vaticanæ Apostoli Petri Basilicæ, à Constantino donata sunt.* inquit Baronius. Fuerunt ergo lampades, cerei, & luminaria, etiam olim in Ecclesiis. Quod si verum; cur lumina, quæ orthodoxi bodie in Ecclesiis accendunt, non potest ferre Calvinistarum acies? Dic breviter, sed verissimè: Lippiens est, & ut antiquæ fidei, sic lucis impatiens eorum oculus. Cui malo proderit hoc collyrium, si reverenter oculum inunxeris, & cum humili ergà majores sensu. Recipe scripta sanctorum Patrum, qui de Ecclesiis dixerunt aliquid: collige inde ritus solitos usurpari: fac fasciculum unum: tunde pistillo saltem bumanæ fidei: exprime succum sensumque verborum. unge oculos tuos, & polliceor sanitatem. Videbis enim clarè, olim in Ecclesiis, cereos, lampades & lumina fuisse. Dixi, cum bumili ergo majores sensu; quia nisi ita feceris, videbis quidem solitas accendi lampades: sed caligabit oculus, nec lucem sustinebit. Sic nugivenduli Magdeburgenses, cum dixissent: *Cereas candelas, & lampades in locis conventuum, à Constantino ipso accensas interdum fuisse, Eusebius retulit, l. 4. de vita Constantini*: cum aliorum quoque Patrum testimonia accumulassent: *Verum,* inquiunt, *hæc quoque ex Iudaismo orta, superstitionibus quoque causam dederunt.* Non descenderunt hi homines in Jordanem fluvium, nec laverunt oculos in natatoriâ Siloe; sed prætulerunt Abana & Pharphar, fluvios Damasci, omnibus aquis Israël: atque ita laborant semper, & leprâ fidei, & lippitudine oculorum. Porrò, quod Constantinus Romæ fecit, & in Basilica S. Petri: Quod etiam in Oriente, teste Eusebio; idipsum in omnibus passim Ecclesiis fiebat. Sic Melanes vir sanctus, & Rhinocururæ Episcopus, laudatur à Sozomeno, quòd Ecclesiæ lampades ipse, vir tantus, aptarit, concinnarit, accenderit. Audi ipsum. *Fertur,* inquit, *eos qui ad Melanem pellendum venerant, offendisse eum, tanquam infimum ministrum, lampades Ecclesiæ parantem, habentemque balteum, quo pallium cingebatur, oleo sordidatum, in lampades denique lychnos inserentem.* nec novum hoc, aut Constantini sæculo inductum; quia suprà vidimus, tyrannum hoc ipsum Laurentio exprobrantem; quod sacrificii tempore, arderent cerei.

DONA CONSTANTINI VATICANO.

Baron. his n. 65.

CALVINISTARUM LIPPITUDO.

MEDICINA.

Cent. 4. fo. 410.

Sozom. l. 6. c. 31.

185. n. 9.

Argenteis scyphis ferunt
Fumare sacrum sanguinem:
Auroque, nocturnis sacris
Adstare fixos cereos.

Prudentius de S. Laur. hymn. 2.

LXII. Sed audio: rectè inde probari cereos nocturnis sacris adhibitos: quorsum illos Roma diurnis adhibet? Respondet S. Hieronymus scribens contra Vigilantium, qui fortè bac Calvinistarum lippitudine laborabat. *Per totas,* inquit, *Orientales Ecclesias; quando legendum est Evangelium, accenduntur luminaria, jam sole rutilante: non utique ad fugandas tenebras, sed ad signum lætitiæ demonstrandum.* Ita ille. Constantinus igitur, Ecclesiarum morem sequutus: quo æternus esset earum splendor, sanctè providit; ne oleum ad

CUR CEREI IN SACRIFICIO?

Hieronymus cont. Vigilant.

lampades unquam deesset. immò nobilissimos liquores, balsamum, nardum, & quicquid in rerum naturâ pretiusum est, divinæ servituti mancipavit. hinc mansit Vaticana Basilica auro, argentu, lapidum, ac lampadum splendore, tam illustria; ut S. Paulinus, sequentis sæculi initio scripserit ad Alethium Episcopum, in hæc verba: *Quanto ipsum Apostolum attollebas gaudio, cum totam ejus Basilicam, densis inopum cœtibus stipavisses: vel quà sub alto sui culminis mediis ampla laquearibus longum patet, & Apostolico eminùs solio coruscans ingredientium lumina stringit, & corda lætificat.* Alludit sanè ad id quod suprà dictum est, de camerâ Basilicæ ex crimno auri fulgente. Ut & infrà de cantharis mentionem ita facit. *Vel qua sub eâdem mole tectorum geminis utrinque porticibus latera diffundit: quàve pratento nitens atrio fusa vestibulo est. ubi Cantharum ministram manibus, & oribus nostris fluenta ructantem, fastigiatus solido ære tholus ornat, & inumbrat; non fine mysticá specie quatuor columnis salientes aquas ambiens. Decet enim ingressum Ecclesiæ talis ornatus, ut quod intus mysterio salutari geritur, spectabili pro foribus opere signetur.* Non frustrà hîc Helenam nominavi; quia Paulinus in eadem Epistula splendorem loci eidem reginæ ascribere videtur, cum ait: *Videre mihi videor tota illa religiosa miseranda plebis examina, illos pietatis divinæ alumnos, tantis influere penitùs agminibus, in amplissimam gloriosi Petri Basilicam, per illam venerabilem Reginam, cæreali eminùs fronte videntem; ut tota & intra Basilicam, & pro januis atrii, & pro gradibus campi, spatia coarctentur.* Licet Paulinus non nominat Helenam, liquet tamen eam intelligi; quia idem alibi in Epistola ad Severum Helenam vocat *Reginam venerabilem.* nec enim Helena, hoc omni tempure, expers dignitatis, aut Imperii fuit; filio tantum deferente pientissimæ matri, ut veluti collega majestatis & haberetur & esset. Sic enim intelligo quod S. Severus ait libro 2. sacræ historiæ: *nam Helena mater Principis Constantini, quæ Augusta cum filio coregnabat,* &c. Foris ergo & militiæ, dictabat leges & imperia Constantinus; domi Helena ornabat Ecclesias.

Basilicæ Vaticanæ splendor.

Paulin. ep. 31. ad Alethium Episcopum.

Paulin. ep. 11.

Sever. l. 2. an. 307.

XLIII. Constantinum secuti Saxonum Reges.

Longior fui in Vaticanâ Ecclesiâ, quia Constantinum egregiè sequuti sunt Saxonum & Anglorum Reges; qui, statim à baptismo, Petro Apostolorum Principi templa posuerunt: & ita colliges Ethelbertos, & Sebertos in Oriente nostro: Kenwalchios in Occidente: Edwinos, Osvvaldos in Septentrione: in Merciis denique, sive Angliæ Mediterraneis, Peadas, Wolferos, atque Etheldredos (qui in baptismo Romanam fidem, & unà sedem amplexi sunt) hac quasi hæreditaria servitute & devotione in S. Petrum, cui templa struxissent; dominationem illam sive sedis principalitatem agnovisse, quam hodie nepotes exuere conantur. Sed frustrà conantur, quamdiu aut immortali memoria Constantinus vivit in libris; aut tabulæ, saxa, Ecclesiæ denique per omnem Insulam sparsæ, tam vocaliter illam loquuntur. Sunt alia in urbe, nec minùs illustria Constantinianæ pietatis opera. inter quæ illud satis eminet, ac meritò superiori jungitur, quod viâ Ostiensi hodieque cernitur, templum Paulo Apostolo sacrum. Constans enim opinio est, à Constantino positum. nam in supradictis Actis hæc leguntur. *Eodem tempore Constantinus Augustus fecit Basilicam B. Paulo Apostolo, ex suggestione S. Silvestri Episcopi. cujus corpus sanctum ita recondidit in ære & conclusit, sicut B. Petri, & dona obtulit. Nam omnia vasa sacra, aurea vel argentea, vel ærea ita posuit, sicut in Basilicâ B. Petri Apostoli. & ita B. Pauli Apostoli ornavit, sicut illam. Sed & crucem auream super loculum B. Pauli Apostoli posuit, pensantem libras centum quinquaginta: Sub civitate Tyria possessionem Comitam, præstantem solidos quingentos quinquaginta. Possessionem Forumnusa pensantem solidos septingentos. Possessionem Timian præstantem solidos ducentos quinquaginta. Olei nardini libras septuaginta, aromatum libras quinquaginta, casiæ libras quinquaginta. Sub civitate Ægyptiâ possessionem Cyrcos, præstantem solidos septingentos decem, olei nardini libras septuaginta, balsami libras triginta.* & alia quæ non exscribo. De hac Basilica, & primo ejus fundatore, ita scripsit Prudentius:

Parte aliâ titulum Pauli via tenet Ostiensis
Quà stringit amnis cespitem sinistrum.
Regia pompa loci est: Princeps bonus has sacravit arces
Clausitq; magnis ambitum talentis.
Bracteolas trabibus sublevit ut omnis aurulenta
Lux esset intùs ceu jubar sub ortu.
Subdidit & Parias fulvis laquearibus columnas.
Distinguit illic quas quaternus ordo.

Prudentius hymno 12.

XLIV. Basilica Lateranensis.

Nec finis hic fuit Constantini pietatis. nam intra Lateranense palatium, templum erigi curavit, ubi Christiani conventus agerent, & pauperibus alimenta è fisco, præstarentur: iisdemque singulis in baptismo albæ vestes, & solidi viginti: *dummodo afferrent pro tesserá Romani Pontificis chirographum;* ut acta loquuntur. Meminit ædium Laterani Julius Capitolinus: aitque natum ibi, & educatum in monte Cælio, M. Antoninum cognomento Philosophum: & Aurelius Victor in Epitome, inter ædes memoria dignas, præcipuas ponit, quas Laterano familiari suo struxit Severus Imperator, quem in Britanniâ mortuum dixi suo loco. Hic ergo Constantinus, ubi baptismum acceperat, memor beneficii; Deo ac S. Joanni Baptistæ, beneficium reddidit, insigni structâ Basilicâ. Cæterùm quibus ornamentis illam ditaverit, & quibus opibus auxerit, testatur *libellus de Constantini munificentiâ in omnibus fidelissimus,* inquit Baronius. Sed quoniam calices, pateras, altaria, aliaque nominat, & annuos reditus; eo ferè modo, quem suprà posui, in Vaticanâ Basilicâ, transeo illa: hoc uno contentus, quod *pharum cantarum ex auro purissimo,* ab Imperatore donatum inveniam, *in quo ardet oleum nardinum pisticum.* Sic enim probatur Romanæ hodie Ecclesiæ consuetudo statuendi ante altaria, vasa, quæ oleum & lumen, venerabili Sacramento subministrent. Quod templo splendorem, ingredientibus reverentiam, & cunctis intuentibus religionem concilias; adeò ut illud Aggæi Prophetæ in Constantinum imprimis & Helenam cadere videatur. *Magna erit gloria domus istius novissimæ plusquam primæ, dicit Dominus exercituum.* Quod sive de externo ornatu, sive de Sacramentorum majestate intelligis; in Constantini templa, non in sectariorum synagogas, nudas & investes, cadere certissimum est.

Capitol. in Antonino Philos. c. 1.

V. an. 211. 1.

Baron. hoc n. 67.

Aggæi 2. 10.

XLV. Liberalitas Constantini.

Illud etiam Constantinum movit ad profusas in Ecclesiam largitiones: Capitolini Jovis delubrum, ingentibus Romanorum muneribus locupletatum, eminebat in urbe adeo, ut gentilis Roma divitias suas admirata, exprobrare consueverit fidelibus Christianis, humilem ipsorum

Deum,

Deum, qui paupere cultu, & anguſtè coleretur. Quod crimen Imperator piiſſimè diluit; cum publicè ſacra fieri, & ſolemni ritu, permiſit: cum auguſtiſſimas ædes in eam rem, & ornamenta planè Regiâ, conceſſit. Unde factum ut infidelis Zoſimus moderatas ejus largitiones vehementer accuſet, exclametque: non illi ſuffeciſſe Romani orbis divitias; ſed nova inſuper, duraque provincialibus vectigalia præſcripſiſſe. Apertiùs autem templorum ædificia videtur intellexiſſe, cum illa vocat *inutiles ſtructuras*; dicit enim de Conſtantino. *Cumque pecuniam publicam in plurimas inutiles ſtructuras impenderet, quædam ædificavit non multò poſt diruta, quod ob feſtinationem durabilia non eſſent.* Verùm quicquid ſit de ſtructuris illis, quæ ſubitaneo opere ſurrexerunt; Lateranenſis Baſilica, & Principum Apoſtolorum ædes, quæ tot ſæcula duraverunt, arguunt Conſtantinum ſolidè conſtanterque ædificaſſe.

Zoſim. l. 2.

XLVI. Non potuit hic Eccleſiarum ſplendor, Romanorum Senatorum animos, divinis rebus aut fidei lucrari. Etenim ſi Helenæ noſtræ conſanguineos, quos ſupradixi adlectos in Senatum, & unum alterùmve, ut Anicium Julianum exceperis, Chriſtianum in eo ordine non reperies. Igitur dum Lateranenſe Templum conſtruitur; Conſtantinus ægrè ferens verum Dei numen, aliquo Senatuſconſulto, ſancitum non eſſe, Senatum omnem, & una populum Ro. ad concionem vocat, in Ulpiam Baſilicam: ubi, teſte Nicephoro, *Sincera mente ſanxit, ne de cætero Dii eſſe, vel dicerentur, vel crederentur: Non Deos hominum eſſe; ſed potius homines illorum eſſe, dictitans. Et cum ſeipſum* (pergit Nicephorus) *eâ in re apertum manifeſtumq; haberent exemplum; ut Dominum noſtrum IESVM CHRISTVM, ut Deum verum, certumq; in cælo regnantem adorarent, & colerent. Ne quis aliquid veteris erroris apud ſe habere ſuſpicari poſſet, ſinceritatis ſuæ indicium, templum in palatio quod erigebat, oſtendit. Populus verò hujuſmodi Imperatoris dictis applaudens, quadragies Chriſtianorum Deum verum Deum eſſe exclamavit.* hæc Nicephorus: qui & paulò ſuprà dixit, baptizato Romæ Conſtantino, hoc nimirum anno 324. duodecim millia virorum, præter fœminas, & parvulos baptizata eſſe. Et verò hoc Regiis virtutibus vitiiſque familiare, ut facilè trahant plebem, eò quò ipſi feruntur. Nam ſuprà baptizato Lucio, omnem ferè Inſulam ſecutam dixi. & infrà baptizato Saxonum primo Rege Ethelberto; dicam, magnis teſtibus, eodem tempore ad decem millia baptizata eſſe. Addit Nicephorus: *Conſtituit præterea Conſtantinus, voluntarium & non coactum baptiſmum eſſe, neque metu humano, ad Chriſtianorum cultum quenquam accedere; verùm volentem caſto, maturoq; conſilio, ſacro illorum numero aggregari debere. Itaque incredibilis in populo fuit lætitia eâ lege publicata.* Idem omninò in ſuâ provinciâ conſtituit dictus Ethelbertus, à M. Gregorio doctus: ut videas principes noſtros, ex uno eodemque fonte, & fidem, & ritus accepiſſe. Cæterùm Conſtantinum ita docuiſſe, Silveſter Papa, & Acta innuunt, in quibus ita legitur. *Cum Senatorum nullus omnino huic religioni ſanctæ fidem adhiberet*, (intellige neminem omninò Conſtantini lege converſum) *nec ob hoc alicui Auguſtum iraſci Papa permitteret, præcepit ſibi in Baſilica Vlpiâ excelſum tribunal ſtatui*, &c. his conſentiunt quæ habet Zoſimus: Senatores ipſos ſummoperè adverſatos Conſtantino, cum eum penitùs viderent eſſe religionis patriæ deſertorem, inter Chriſtianos publicè profitentem. quos cum Imperator demulcere non poſſet, urbem deſerendi, & aliam illi non imparem civitatem erigendi, conſilium iniit; de quo infrà. Hinc pro Romano Conſtantini baptiſmo ſumi poteſt argumentum: cum apertum manifeſtumque exemplum dederit ſe patriæ religionis deſertorem eſſe: ſed majus erit ſi ipſum in Ulpiâ perorantem audis, dicentemque clarè, ſe Chriſto cervicem inclinaſſe, quod propriiſſimè fit in baptiſmo. Audi ergo ipſum.

Constantini professio.

Niceph. l. 7. c. 34.

Plures baptizati.

V. an. 598. 14.

Niceph. ubi ſuprà.

Baptismus voluntarius.

Baron. hic 66.

XLVII. Concio in Ulpia Basilica.

Profanæ diſſenſiones mentium, ideo nulla ratione ſalubre conſilium ſumunt; quia profunda ignorantiæ circumdatas caligine, nullus eas clarus ac ſerenus veritatis ſplendor illuſtrat. Aperiendi ſunt ergo oculi animorum, & diligenti eſt examinatione tenendum, iſtos Deos, nec dici debere, nec credi, qui facti ab hominibus cognoſcuntur: Homines magis eorum Deos eſſe, quos ipſi plaſmaverunt. Denique ſi aliquo caſu, aliquid in eis læſum fuerit; homines, qui ſua eos arte fecerunt, eâdem eos nihilominùs arte reſtaurant. Quod in me quoque factum ipſi aſpicitis, & probatis. Niſi enim ipſe eſſet Dominus Chriſtus, qui nos fecit; non utique quod ab alio factum fuerat, reſtaurare valeret. Probatur ergo humanum genus, hujus Dei eſſe figmentum, qui reſtaurat lapſum, fractum ſolidat, ſublevat eliſum. Sed univerſa idola iſta, quæ hominum figmenta ſunt; hominum, cum læſa fuerint, auxilio reparantur. Habeant itaque, habeant finem illi errores: abdicetur iſta ſuperſtitio, quam ignorantia concepit, & ſtultitia nutrivit & aluit. Adoretur Dominus ſolus, qui unus & verus regnat in cælis: deſinamus hos colere, à quibus ſalvari non poſſumus; & quos læſos ipſi ſalvamus. Ceſſemus ab his flagitare noſtri cuſtodiam; quos noſtrâ cuſtodiâ continemur. Quid miſerrimi in his, niſi æs & lapides adoramus, & ferrum? Hactenus ſurdis diximus, ut audiant; cæcis, ut reſpiciant. Sit itaque omnibus ratum quod ab iſto errore, ipſo Deo Chriſto auxiliante, ceſſavimus. Et quoniam ſapientia Romana non fallitur, iſtum Deum excolat, à quo ipſa cuſtodiatur, non non quem ipſa cuſtodiat. Verùm ne longa vos oratio intentos extendat, quod conſtituendum cenſemus, breviter pandam. Patere volumus Chriſtianas Eccleſias; ita ut privilegia quæ Sacerdotes templorum habere noſcuntur, Antiſtites. Chriſtianæ religionis aſſumant. ut autem notum ſit univerſo orbi Romano; vero Deo Chriſto nos inclinaſſe cervicem; intra palatium noſtrum Eccleſiam Chriſto arripui conſtruendam, ut univerſitas hominum comprobet; nullum dubietatis in corde noſtro, vel præteriti erroris remanſiſſe veſtigium.

XLVIII. Populi plausus.

Hactenus Conſtantini oratio, quam excepit populus, fauſtis de more vocibus: nam ita ibidem ſubditur. Cumque in iſto verbo finiſſet eloquium: *Vox populorum per duarum fermè horarum ſpatium hæc fuit: Qui Chriſtum negant, malè pereant. Dictum eſt tricies. Iterum dictum eſt quadragies; unus Deus Chriſtianorum. Item; qui Chriſtum non colunt, inimici Auguſtorum ſunt. dictum eſt quaterdecies. Item qui Chriſtum non colunt, hoſtes Romanorum ſunt. dictum eſt decies. Item qui ſalvavit Auguſtum, ipſe eſt Deus; dictum eſt quadragies. Item qui Chriſtum colit, ſemper vincet. dictum eſt quinquagies. Item Sacerdotes templorum urbe pellantur. Dictum eſt tricies. Item, qui adhuc ſacrificant, urbe pellantur. dictum eſt terdecies. Item jubete, ut hodie urbe pellantur. dictum eſt quadragies.*

Ad hanc vocem Imperator silentium petiit: & eo facto, sic iterum populum allocutus est. Inter divina & humana servitia, hoc interest: quod humana servitia coacta sint; divina autem voluntaria comprobentur. Deus enim qui mente colitur, & sincero hominis veneratur affectu; spontanea ejus debet esse cultura. In hoc enim apparet; quia Deus verus est; quod per tanta sæcula contemptoribus suis non iratus finem imposuit: sed propitium etiam se, quis coli debeat, demonstravit, indulgendo crimina, & salutem animabus & corporibus conferendo. Sit igitur omnibus notum; nec necessitate coactos, sed suo judicio liberos posse fieri Christianos: nec humanum metuentes imperium, ad Dei culturam accedere aliquos oportere: sed rationabili consideratione magis rogare, ut Christianorum numero applicentur ab iis, qui huic sacratissimæ legi deserviunt. Justum etenim utrumque conspicimus; ut sicut petentibus culpa est, si negetur; ita non petentibus, si tradatur, iniquum. Sed nec hoc aliqui metuant, quod à nostrâ gratiâ divellantur; si Christiani esse noluerint. Nostra enim clementia talis est; ut in bono opere nos imitentur. Unde hoc considerandum est magis, quod nobis adhærebunt in amicitiis, qui spontanei ad Christianam legem venire voluerint. Tum omnibus Christianis & infidelibus hanc legem laudantibus, & vitam Augusto optantibus, finis ejus rei factus est: & revertente Augusto ad palatium, tota civitas cereis lampadibusque repleta, coronata est. Erat enim omnibus gaudium, quod lex talis processerat, quæ nullum ad culturam impelleret. Et nullum a culturâ repelleret Christi. Fit vox lætitiæ, per universas Ecclesias, honorantur omnia sepulchra Sanctorum; omnesque Confessores, qui exilia passi erant, ad propria jam revocati, amici facti sunt Regis. Hactenus ex Actis.

XLIX. CONFIRMANTUR SUPRADICTA EX EUSEBIO.

Hæc omnia possunt ex Eusebio confirmari; qui, licet parcè admodum Constantini res gestas in Occidente recenseat; meminit tamen legum latarum pro restitutione Confessorum, & apertione Ecclesiarum: meminit ingentis lætitiæ, & plausuum: meminit etiam Christianæ & publicæ professionis fidei: ait enim: *Pius Imperator ita crucis victricis confessione nobilitatus; cum magnâ dicendi libertate, filium Dei ipsis Romanis palam divulgare cœpit.* & infrà. *Insignem dierum festorum celebritatem lætis animis agentes, Constantinum victorem, pium, ac communem omnium patronum, eximiè prædicarunt: dixeruntque, unâ voce, unoque ore omnes; illum tanquam commune quoddam bonum hominibus Dei benignitate & clementiâ donatum illuxisse.* Vide latas leges in favorem eorum, qui exilia passi sunt l. 2. c. 30. & litteras in Orientem datas; ubi inter cætera, sic Deum alloquitur. *Nomen tuum ingenue amplector; virtutem tuam, quam multis argumentis declarasti, quaque meam fidem firmiorem reddidisti, sanctè veneror. Meos igitur humeros huic operi subjicere equidem maturo, ut tuam augustissimam sanctissimamque domum, in integrum restituam.* Ita ibi. Et mox jubet Dei cultum voluntarium esse. *Nemo,* inquit, *alteri molestiam exhibeat; quod cujusque animus vult, hoc quisque transigat.* Hinc patet actorum veritas.

Euseb. l. 1. c. 34.

Euseb. l. 2. 34.

Idem sup. c. 55.

L. SILVESTER HABUIT REGALIA.

Adverto illud, quod suprà dixit Constantinus: Christianæ religionis Antistites assumant privilegia, quæ Sacerdotes templorum habere noscuntur. hinc enim ortum habuit certissima opinio, Silvestrum Romanum Pontificem; etiam Constantini tempore; Regalia ornamenta habuisse. nam sacrorum Rex: ut ex ipsâ nominis prærogativâ constat, illa habebat: purpurâ imprimis indui solitum, docet ille locus Ciceronis, ubi de Vatinio strumoso in Sacerdotem assumpto ait: Denique Vatinii strumam διβάφῳ (id est bis tinctâ purpurâ) vestiant. Immò Aurelius Prudentius ritum consecrandi summi Sacerdotis describit, & coronâ caput circundari testatur ita scribens de S. Romano Antiocheno.

Cicero ad Atticum l. 2. ep. 9.

Prudentius hym. 10.

Summus Sacerdos nempè sub terra scrobe
Acta, in profundum consecrandus mergitur
Mitrâ insulatus, festa vittis tempora
Nectens, coronatum repexus aureâ
Cinctu Gabino Sufseam fultus togam.

Voluit ergo Constantinus, profani Sacerdotii splendorem omnem, Christianorum Ecclesias habere. Lateranense palatium donat, quia teste Dione nefas erat gentilitiæ superstitionis Antistitem summum, aliam quàm publicam domum habitare. Ideò Regalia induit Silvester; quia verè sacrorum Rex erat, & Pontifex maximus: quem titulum, & ejus tituli ornamenta, ut cum Imperio induerat Constantinus, teste Zosimo; ita nunc Christianus factus, eundem cum insignibus, in Silvestri manus resignat. Unde statim in Nicænâ Synodo, non inter Pontifices dicit sententiam; sed in numero laicorum audiet, & obediet. Quoniam verò Principis futurus erat, in hominum oculis, inanis titulus, nisi terrarum, ac bonorum possessio accederet, dedit etiam hoc anno, quæ ad tuendam Romani, hoc est, Pontificis maximi dignitatem necessaria Principi videbantur. Quod vel inde probari potest, si Orientis Ecclesias inspexerimus. Ubi si liberalem & profusum invenimus; optimè argumentari possumus, eum in Romanam Ecclesiam profusiorem fuisse.

Dio l. 54.

Zosim. l. 4.

LI. QUID FECERIT IN ORIENTE?

Igitur eo tempore, quo in urbe fundantur Basilicæ. quo, inquam in Cælio monte, in Vaticano colle, ac viâ ostiensi templa surgebant; Pius Imperator, ac verus Ecclesiæ nutritius in Orientem scribit, monet, rogat, hortatur Episcopos, ut ædes sacræ, quæ hactenus in humili & obscuro jacebant, ob perversorum principum tyrannidem; magnificentiùs struerentur: aut si pauciores essent, quam fidelium numerus requireret; plures de novo fierent. Et quoniam potissima difficultas, in sumptu necessario futura erat; mandat eum peti à Præfectis, & Magistratibus provinciarum, Regiumque fiscum condemnat ad illam servitutem. Testatur hæc omnia Eusebius, qui addit: *Lex prætereà* (Constantini) *illud est in se complexa; ut pecuniis largiendis non parcerent; sed a thesauro Regio promererentur, ad parandas res illis institutis necessarias. Quinetiam ad Ecclesiarum præsides, passim de ejusmodi rebus literas dare dignatus est.* Tum subdit unas ad se ab eo datas, quæ sunt ejusmodi.

Euseb. l. 2. c. 44.

VICTOR CONSTANTINUS MAX. AUGUSTUS EUSEBIO S.

LII. *Euseb. sup. c. 45.* CONSTANTINI LITERÆ PRO ÆDIFICATIONE ECCLESIARUM.

QUEMADMODUM ad hoc usque tempus, ob impia voluntatis institutum, & gravem tyrannidem servos Dei persequentem, pro certo cognovi, & satis persuasum habui, omnium Ecclesiarum ædificia, vel negligentiâ corruisse, vel impendentis periculi metu, minime prout debuerant, refecta fuisse, Frater carissime. Sic nunc cum libertas omnibus restituta sit; & draco ille Dei opt. max. providentiâ, nostroque ministerio, de communis Reip. administratione depulsus; arbitror equidem, & virtutem, ac potentiam divinam, omnibus satis constare; & eos qui vel timore,

vel infidelitate, in peccata lapsi sunt: cum illud quod reverà bonum est, satis perspiciant, in veram, & rectam vivendi viam redituros. Quibuscunque igitur Ecclesiis, vel ipse præsis, vel alii Episcopi, Presbyteri, & Diaconi, ubicunque terrarum quos nosti, præficiantur; nobis omnibus videndum est, ut earum ædificia sedulò accurentur; quo vel ea, quæ remanent, reficiantur, laxioraq; fiant: vel ubi necessitas postulaverit, de integro exædificentur. Quæ verò res ad ædificationem necessariò requiruntur; eas quidem, cum ipse, tum alii, tuo nomine, à Præfectis & Magistratibus provinciarum petant. Hisce enim per literas, à me, significatum est, ut omni studio, & propensione animi, ea quæ fuerint à tua sanctitate præscripta, subministrent. Deus te, frater charissime, diu florentem servet.

LIII. EFFECTUM SORTITÆ. Ita dictum à Constantino, ita præscriptum ab Episcopis, ita factum à Præfectis. nam in hunc modum narrare pergit Eusebius. *Ista literis prodita, quibusq; Ecclesiarum præsidibus, in singulis nationibus ætatem degentibus, missa fuere; ea quoque sedulò exequi, quæ erant his congruentia, provinciarum præfectis mandatum: ac quæ legibus erant sancita, illa etiam reverà, magna cum celeritate confecta.* (*Euseb. sup.*) Hæc ipse. invidiosè tacens, Arianus homo, quæ Romæ, & in Occidente gesta. Quasi verò, tam vigil fuerit Constantinus ad ostentandam foris pietatem suam, & tam dormiens ac supinus domi. Hinc colligit quid de donatione Constantini sentiendum, quam plurimi propugnant & impugnant. Nam si ejus substantiam spectes, nullum de ea potest esse dubium: si ejus donationis circumstantias, quis nescit rebus tam antiquis interdum aliqua irrepere non probanda: & factionis vitium est, à vili pretiosum non distinguere: & si in uno peccatur, calumniari omnia. Non hic ergo ea repetam quæ alio opere de hac donatione dixi. (*V. patriam Constantini cap. 2. sect. 2. n. 10.*) Pergo ad alia Constantini opera, quæ Romæ fecit. Enimvero ubi celebriores erant memoriæ Martyrum, & quò convenire fideles devotiùs solebant; ibi Constantini pietas maximè enituit. Erant porrò, tam Romæ, quàm in agris orbi proximis, complura Martyrum monumenta, sine cultu; & omnia Constantinus coli volebat. sic intellige, quod suprà dictum, cum Constantinus in Ulpiâ peroravit. *Fit vox lætitiæ per universas Ecclesias. Honorantur omnia sepulchra Sanctorum*, &c. Eminebat inter ea Laurentii Martyris memoria, quem nupera fornax Valeriani & Gallieni impietate succensâ, probaverat esse aurum purissimum. Hunc ergo ornandum cœpit inter primos; quod in Actis, seu libello de Constantini munificentiâ ita refertur.

LIV. BASILICA S. LAURENTII. *Eodem tempore, Constantinus Augustus fecit Basilicam Beato Laurentio Martyri, viâ Tiburtinâ, in agro Verano, supra arenariam cryptam, & usque ad corpus S. Laurentii, fecit gradus ascensionis, & descensionis; in eo loco construxit apsidem, & ornavit marmoribus porphyreticis, & desuper locum conclusit argento & cancellis de argento purissimo ornavit, pensantibus libras mille, & ante ipsum locum, in cryptâ, posuit lucernam ex auro purissimo, lychnorum decem, pensantem libras viginti; coronam ex argento purissimo, cum delphinis quinquaginta pensantem libras triginta, candelabra ærea duo, in pedibus denis pensantia singula libras trecentas. Ante corpus Beati Laurentii Martyris clausit sigilla passionum ipsius, cum lucernis, in *myxis argenteis pensantibus singulis libras quindecim, phatos argenteos triginta, pensantes singulos libras octo. dedit etiam Constantinus inter annuos redditus. possessionem cujusdam Cyriacæ religiosæ feminæ, quam Fiscus occupaverat, tempore persecutionis.* Hæc ibi.

* nixis

LV. Porrò quàm decenter poni olim solita sint Sanctorum corpora, testis est hic Veranus ager, & hoc Laurentii Mausolæum. ubi præter Laurentii sancti reliquias non procul absunt Hippoliti Martyris, quas Prudentius vir consularis, & hujus ævi, supplex invisit, meruitque à sancto audiri. nam ita de se, ipse sepulchri locum describens.

Peristeph. hymn. 11.

Mira loci pietas & prompta precantibus ara,
Spes hominum placida prosperitate juvat.
Hic corruptelis animiq; & corporis æger,
Oravi quoties stratus, opem merui.
Quod lætor reditu, quod te venerande Sacerdos,
Complecti licitum est, scribo quod hæc eadem
Hyppolito scio me debere; Deus cui Christus,
Posse dedit, quod quis postulat annuere.

Pergit Prudentius dicere quàm illustris auro & argento locus fuerit, & ait:

Ipsa, illas animæ exuvias quæ continet intus
Ædicula, argento fulgurat ex solido:
Præfixit tabulas dives manus æquore levi,
Gaudentes, recavum quale nitet speculum
Nec pariis contenta aditus obducere saxis;
Addidit ornando clara talenta operi.
Mane salutatum concurritur; omnis adorat
Pubes: eunt, redeunt, solis adusque obitum.
Conglobat in cuneum Latios simul; ac peregrinos,
Permistim populos religionis amor.
Oscula perspicuo figunt impressa metallo
Balsamo defendunt. fletibus ora rigant.

LVI. Hic mos figendi oscula, hodieque in Sanctorum corporibus visendis, colendisque, eodem fidei ac pietatis ardore viget: idemque servatus est in cultu Laurentii, eodem teste Prudentio qui oculatus hujus devotionis spectator, tam apertè ætatis suæ sensum fidemque exposuit; ut valdè mirum sit, à quopiam id posse controverti. Illud verò quod à sectariis dicitur, idololatriam esse sanctos colere, tam alienum est à Constantini sæculo; ut passim tunc crederent fideles, Sanctorum cultum, idolorum exterminium esse. Unde de S. Laurentio, à Romanis culto, ita dixit Prudentius.

Prudentius περὶ στεφ. hym. 2.

Mors illa sancti Martyris
Mors vera templorum fuit.
Tunc Vesta Palladios lares
Impunè sensit deseri.

SANCTORUM CULTUS ASSERITUR. Quasi diceret: non priùs idola per universum orbem prostrata fuisse, nec Romæ priùs corruerunt; quàm Martyrum sepulchra honorari cœperint. Certè Sanctorum cultus, tam oppositus est idolorum cultui; ut simul nunquam constiterint. Contrà verò ubi exulat Sanctorum invocatio; ibi misera idolorum servitus est. Quid enim Christiano homini accidere potest infelicius; quàm intellectum, quem captivare deberet, in obsequium fidei, eandem ipsum nobilissimam animi partem, erroribus mancipare; eosque tantu facere, ut mentitâ Scripturarum majestate, pro veritate colat; cum reverà sint cerebri vitia, & mentis idola. Si Constantinus, Helena & omne hoc sæculum, sanctos coluerunt, iidemque in idola omnia pugnaverunt: si priores & sequentes etiam ætates, cultum probaverunt: nonne prorsùs delirat, quisquis Martyrum, & reliquiarum cultum, nuperum à Gregorio inventum vocat, eoque authore Britanniam primùm

penetrasse? Quod si adhuc quis pergat Sanctis irasci, & religiosum hunc cultum, ubi Deus imprimis honoratur, idololatriam dicere; & obstinare intellectum, ut ita credat: nónne hic novæ fidei articulus, exuberantis cerebri vitium est, & stupidæ mentis idolum? Sed vide in Laurentii Basilicâ, conversum idolorum cultum, in cultum sanctorum, quod ita Prudentius versu expressit.

LVII. *Prud. suprà.*

Quicquid Quiritum sueverat
Ornare nenias numa,
Christi frequentans atria
Hymnus resultat Martyrem.
Ipsa & Senatus lumina
Quondam Luperci & Flamines,
Apostolorum & Martyrum,
Exosculantur limina.
Videmus illustres domos,
Sexu ex utroque nobiles,
Offerre votis pignora
Clarissimorum liberûm.
Vittatus olim Pontifex
Ascitur in signum Crucis,
Ædemq́, Laurenti tuam
Vestalis intrat claudia.
O terq́, quaterq́, septies
Beatus urbis incola,
Qui te ac tuorum comminus
Sedem celebrat ossium.
Cui propter advolvi licet,
Qui fletibus spargit locum,
Qui pectus in terram premit
Qui vota fundit murmure.

Conqueritur idem in sequentibus, se alpibus, & montium jugis ab urbe separatum, non posse quotidie sanguinis ejus vestigia intueri ac colere; ideoque fraudatum eo beneficio, quo Romani gaudent, qui vota quotidie offerre, & misericordiam è cælo, Laurentii Martyris intercessione, consequi valent. Sic enim loquitur:

Prud. hym. 2.

Videor videre illustribus
Gemmis coruscantem virum,
Quem Roma cælestis sibi
Legit perennem Consulem.
Quæ sit potestas crèdita,
Et muneris quantum datum,
Probant Quiritum gaudia,
Quibus rogatus annuis.
Quod quisque supplex postulat,
Fert impetratum prosperè:
Poscunt, litant, & indicant,
Et tristis haud ullus redit.
Ceu præsto semper adsies,
Tuosq́, alumnos urbicos
Lactante complexus sinu,
Paterno amore nutrias.
Hos inter, ô Christi decus,
Audi poëtam rusticum
Cordis fatentem crimina,
Et facta prodentem sua.

LVIII. IMPERATORES SANCTIS SUPPLICES. *Chrys. hom. 66 ad pop. Antio.*

Quod si quæras Constantini fidem, in cultu Sanctorum, & inde Britannorum omnium vis colligere: noli putare, viles tantùm è plebe, ad Martyrum sepulchra, supplices fuisse: nam aliter docuit Antiochenum populum, S. Chrysostomus: *Et ipse,* inquit, *qui purpuram indutus est, accedit; illa complexurus sepulchra; & fastu deposito, stat sanctis supplicaturus; ut pro se apud Deum intercedant.* & Eusebius de Constantino scribit: *Civitatem ipsius Constantini nomine nuncupatam, eximio splendore illustrare instituens; permultis templis, hoc* *Euseb. l. 3. c. 47.*

ET CONSTANTINUS

est, præclarissimis Ecclesiis IN HONOREM MARTYRUM, *illustrissimisq́, ædibus sacris adornavit, quibus Martyrum memorias* HONORABAT. Imò pientissimus Imperator, hoc potissimùm armorum genere idololatriam debellavit. nam de eo alibi ita scribit Eusebius. *Omninò omnibus Romano imperio subjectis gentibus, & legionibus, idololatriæ fores clausæ erant; repressumq́, quodvis idolis sacrificandi genus. Etiam ad ipsos gentium Præfectos, Imperatoris nutu ac voluntate, edictum perlatum est; ut illi perinde Dominicum diem venerarentur. Iidem consecratos Martyribus dies honore prosequerentur.* *Euseb. l. 4. c. 25.* Constantinus itaque, qui tot Martyribus templa construxit; qui eorum sepulchra tam impensè auxit; qui eorum memorias honoravit; præcepitque per universum Romanum orbem, in honore esse: non tam cum omnibus, quàm præ omnibus, Sanctos coluisse dicendus est. Deiparam imprimis, cui novam Romam, principem imperii sedem, consecravit, ut infrà. Unde Beatissimæ Virgini preces fudisse, certissimum est: *An. 330. I.* cum Athanasius Magnus hujus sæculi Doctor, ita eandem Virginem precatus sit. *Ad te clamamus. Recordare nostri sanctissima Virgo, quæ etiam à partu Virgo permansisti. & retribue nobis pro exiguis istis eloquiis magna dona ex divitiis tuarum gratiarum: tu quæ gratia plena es.* *Athanasius serm. de Deipara.* Ideò porrò urgeo toties Sanctorum cultum, & Constantini fidem; quia sequenti libro plures in medium produco, Saxonum & Anglorum Reges; quos non aliam quàm Constantini fidem perfectissimè assecutos ostendam, & quos ideo sectarii appellabunt perperam à Gregorio doctos, quod Sanctos & eorum sepulchra devotè coluerint.

LIX. CONSTANTINUS ACCUSATUR.

Erunt fortè qui existiment, benè probari Constantinum, crucem, Sanctos, & Martyrum sepulchra coluisse, erectis templis ornatisque Altaribus; sed declinasse ipsum a puritate fidei, & Christi Ecclesiam, eo imperante, novos ritus habuisse, tot aureorum, & argenteorum calicum, patenarum, candelabrorum, lampadum, aliorumque ornamentorum accessu, nihilominus credent: ita enim scripserunt nudifidii Magdeburgenses. *De ceremoniis hoc primùm in genere Lectorem monemus; ut attentè conferat cum superioribus seculis: & observet quantum hoc seculum à primitiva Ecclesiæ simpliciori statu degeneraric; cumulatis & in Ecclesiam invectis tum gentilium, tum Iudaicis ritibus. & subinde aliis atque aliis ex inscitiâ, superstitione, cacozeliâ, hypocrysi, traditionibus humanis, approbatis & usu receptis.* *Cent. 4. c. 6. princ.* Hæc illi. Et Deus bone, quàm malè consultum Ecclesiæ, sponsæque Christi, si isti vera referunt! Quàm citò fides, vix ex antris cryptisque emergens in lucem, echlipsim patitur! Cur tanto crucis miraculo, & tot victoriarum trophæis, è cælo vocatur Constantinus, contra Diocletiani & Maximiani tyrannidem, in fidei favorem atque patrocinium: si eandem illam superstitione & hypocrisi fœdavit? Ille sanè non uno loco testatur se è Britanniâ à Deo vocatum, ad fidem Ecclesiamque propagandam: & verum id fuisse, rerum eventus, & miracula docuerunt. Sed Doctores fortè hujus sæculi Constantinum malè duxerunt: & illis inscitia, cacozelia, & hypocrisis imputanda. nihil minus: nam scribunt Magdeburgici: *Habuit hæc ætas, si quæ unquam alia, plurimos præstantes & illustres Doctores.* & illis recensitis: *Magna,* inquiunt, *hac etiam ætate, sacræ Scripturæ reverentia & authoritas fuit.* *Cent. 4. c. 4.* Unde ergo in hanc

Ecclesiam superstitio, aut gentilium, Judæorúmve ritus? Dic ergo factionis vitium esse, quicquid ad stomachum non facit, rejicere, nauseare, denique calumniari. & contrà uno ore probare quod alii improbant. Absolvitur.

LX. Eusebius certè, quam Magdeburgici inter illustres & præstantes Doctores hujus sæculi, succenturiant; censuit, nullas à Constantino tenebras Ecclesiæ illatas, sed lucem potiùs splendoremque maximum: nam ita de illo: *In quas quidem res oculis conjectis, dixerit aliquis meritò, novum quendam & inusitatum mundi statum modo apparuisse, insolito quodam lucis splendore, velut post crassam caliginem, mortali hominum generi elucente. Fatendumq; universum hoc opus ipsius Dei esse; qui Imperatorem tam pium, impiorum multitudini adversarium opposuerit.* Dic ergo, Constantini operâ, Ecclesiam Christi, ab aurorâ in apertum diem, fideique meridiem emersisse: & lucem hanc lippientes sectariorum oculos sustinere non posse; hinc falsi sunt iidem Magdeburgenses, qui dixerunt *Veram Ecclesiam è simplicitate ceremoniarum cognosci, hypocriticam verò esse; quæ illas coacervat.* Sugillant apertè Romanam Ecclesiam, & hoc Constantini sæculum: quo fulgere crux, efferri publicè, ornari altaria, & sacra solenniter fieri, quæ primò, ut putant, alteróve sæculo non fuerunt. Sed fave, amice Lector, Constantino, & absolve ejus sæculum ab hâc calumniâ. non est ille novitatem doctus, aut priùs incognita: sed crucis cultum; dictante cælo didicit; & alia fecit solemnissimâ pietate, quæ priùs, humiliùs tantùm, & cum paucorum conscientiâ, fiebant. Si ergo nunc videris ornata templa, elata cum honore Sanctorum corpora; & splendido ubique apparatu coli, distinctos etiam ministrorum ordines, sacris solenniter operari; quæ priùs facta non legimus; noli cogitare novam Ecclesiæ faciem esse, aut aliam ab eâ, quæ paulò ante pallebat: sed illam, illam ipsam, posito luctu palloreque exporrectam atque lætiorem. Qui enim (amabo te quisquis fidem & veritatem amas) qui, inquam, fieri poterat, ut laborans Ecclesia sub Principum tyrannide, & ægrè inter miserias trahens anhelitum, ornatum splendoremque sacrorum meditaretur; cum sacra ipsa, nec privatim, nedum publicè licerent? Aut quomodo Sacerdotii majestas, cum dignitate, palàm esse; quæ esse omnino vetabatur. Taceant ergo factiosi omnes, qui in hujus sæculi lunam latrant. & sciant, ut oculi vitium est cæcutire ad meridiem, ita lippientis quoque esse, non ferre πανσέληνον, *plenilunem lunam.*

Euseb. l. 3. c. 1.

Cent. 2. c. 6.

LXI. Constantini consilium de Urbe deserenda.

Noluit Constantinus dissimulare fidem, quam Romæ cum baptismo acceperat: itaque idolorum sedes & templa fastidire, Romanorum Deos nullo in honore habere, Capitolium superstitionis arcem non ampliùs adire; sed profana hæc sacra, verbis proscindere cæpit. Fuit hoc sudes in infidelium Romanorum oculis: & ægrè tulit populus, antiquos gentilitiæ superstitionis ritus, ab Imperatore negligi: quos ideò fortè idem populus negligere cæpit: hinc consilium profectionis in Græciam, mutandæque imperii sedis Constantinus sumpsit, ut aliqui saltem putaverunt. inter eos Zosimus ita scribit. *Cum dies quidam, more patrio, festus appetisset: quo die in Capitolium exercitus ascendendum erat: cum ascensum verbis contumeliosis impudenter insectans Constantinus, re divinâ proculcata, Senatus, atque populi odium incurrit. cumq; profectas ab omnibus propè dixerim execrationes haud ferret; urbem quandam Romæ parem quærebat, in quâ palatium sibi conderet:* Factum id omne hoc annò sub autumni initium, cum adhuc navigandi tempus in Græciam invitaret. Fuerunt & aliæ profectionis causæ, quæ Constantinum, in Occidente natum, moverunt alibi sedem figere. Induit imprimis militis animum, cui patria ubique est; & augustiùs putavit, creditorem sibi Græciam facere, quàm se patriæ, Britanniæque debitorem. Sed aliud majus momentum, & è pietate, & Rep. petitum fuit: Christiana fides in hoc orbe illustrissima erat, surgebant templa, colebantur sancti, nec sathan aut occursus malus, fidei incrementum retardabat: in Oriente non ita; ubi plurimi, ut Romanorum jugum exuere nitebantur; ita Christianam quoque fidem obliquis oculis aspiciebant: adde his, quòd Græci elatioris animi, & Romanorum gloriæ æmuli, alienis vivere legibus, & tam longinqua accipere imperia, non nisi coacti, volebant. Habebant etiam ad manus qui factionem tuerentur, Persas & Parthos; quos Roma potuit interdum bellis frangere; sed omninò subjugare non potuit. hi Græcorum perfidiæ juncti, grave negotium Romano imperio dabant.

Zosimus l. 2.

LXII. Constantinus in Orientem vadit. Byzantium eligit.

Hanc potissimùm ob causam, Constantinus Imperator, relicta urbe, in Græciam profectus est: *Ubi cum esset,* inquit Zosimus, *intra Troadem, & priscum Ilium, invento loco ad urbem condendam idoneo, fundamenta jecit; & muris partem aliquam in altum egit: quam adhuc videre est, si quis versus Hellespontum navigent. Sed quod cum hujus operis instituti pænituisset, eo relicto, ut erat imperfectum, Byzantium concessit: cujus urbis situm admiratus; eam quàm maximè statuit amplificandam, & efficiendam idoneam, ut Principis in ea domicilium esset.* Cur Constantinum pænituerit instituti operis, gentilis homo non explicat: Christiani prodigiis territum scribunt. De quo dubitari forsan potuisset, num ad novæ urbis laudem id dictum esset, si Sozomenus, Cedrenus, & Nicephorus, græci homines, id tantummodò affirmassent; verùm cum Latini, & Beda etiam noster, miraculi meminerint, majorem idcirco fidem meretur. Sozomenus itaque sic rem gestam narrat. *Ista molienti Constantino, Deus noctu visus, alium locum quærere jubet: atque cum Byzantium, oppidum Thraciæ, ultra Chalcedonem, urbem Bythiniæ, situm, in memoriam ei redegisset; eam ut habitatoribus complendam, quippe quæ nomen Constantini mereretur, curaret, admonuit. Itaque Dei verbis obsecutus, oppidum quod Byzantium vocabatur, dilatare, & maximis amplissimisq; mænibus cingere cæpit.* Beda aliud refert evenisse ædificantibus apud Ilium: ut artificum instrumenta, non humano præsidio; sed mirabili arte, in adversum littus translata fuerint. Addit Zonaras, aquilam, cementariorum funiculum sustulisse in altum; & demum ad Byzantium urbem dejecisse. Notandum porrò, inter causas ædificatæ ibi urbis, nullam recenseri. quòd in Græciâ, aut Oriente illo natus sit Constantinus: quod argumentum alibi tractavi cum patriam exposui. nunc tempus ad sequentis anni gesta transeundi.

Zosimus l. 2.

Sozom. l. 2. c. 2.

Bed. de locis sanctis c. ult.

V patriam Constan. c. 1. sect. 2. 3. 8. n. 10.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1076.

ANNUS CHRISTI 325.

SILVESTRI PAPÆ 12.

CONSTANTINI IMP. 20.

I. Ariana factio invalescit.

Orientalis Ecclesia periculosâ febri laborabat, & futurum, ex humorum dissidio, grave corpori nocumentum, nisi medica manus adfuisset. Constantinus ergò, mystici hujus corporis tenerum adhuc novitiumque membrum; ut ægriùs malum tulit, ita operosiùs quæsivit morbo medicinam. anno Domini trecentesimo vigesimo quinto, Paulino & Juliano Coss. Arius acuerat impiè in Christum linguam calamumque: & veneno perfidiæ multos infecerat: quod nimis conceptum medullis, non nisi totius corporis motu, & connisu, evomi curarique poterat. Accedebant huic malo quartadecimani; Miletianæ etiam, & Colluthianæ fæces, quæ in uno impietatis symbolo convenientes, Christianam religionem communi scelere concusserant. Ea propter innumeri Patres eruditione, & fide præstantissimi in Nicæam urbem vocati, de causæ gravitate, fideique mysteriis disceptare jubentur. Qualem hic operam, quamque Ecclesiæ utilem Constantinus præstiterit, ita narrat Eusebius. *Deinceps igitur concilium generale, tanquam quendam Dei exercitum instruens, in unum locum coëgit: & Episcopos undique per literas honorificè scriptas, ut eò maturarent, accivit. Neque mandatum duntaxat erat, ad hanc rem datum; sed in eâ peragendâ multum attulit subsidii, authoritas Imperatoris ac nutus: qui nonnullis fecit potestatem, equis publicè ad iter celeriter conficiendum dispositis, utendi: aliis permagnum jumentorum instratorum, quibus veherentur, numerum suppeditavit. Civitas autem Bithyniæ, quæ Nicæa ἀπὸ τῆς νίκης, id est, à victoria nomen traxit, concilio celebrando admodum idonea designata fuit. Ubi autem edictum in quaque provinciâ divulgatum erat; omnes summâ cum animorum alacritate, tanquam è carceribus ad cursum emissi, properè advolarunt. Nam bonorum spes ipsorum mentibus injecta, vel potius pacis fruendæ potestas, & novi ac peregrini cujusdam miraculi spectaculum, quod in tanti Imperatoris vultu ostendebatur, eos allexit plurimùm.* Hic factiosi altercantur, & volunt ex hoc Constantini facto inferre Imperatorum esse in rebus fidei definiendis, concilia indicere.

Patres Nicæam vocati.

Euseb. l. 3. c. 6.

II. Constantini observantia in Nicænos Patres.

Sed utinam semper Constantini regnarent, & facerent principes in Synodis quod fecit in hac Nicænâ Synodo Constantinus. Tunc enim ærarium publicum & fiscus Regius, utilitati Ecclesiarum, evectioni Prælatorum, denique Reip. Christianæ pulcherrimè inservirent. Tunc Imperatores & Reges, haberent rerum Ecclesiasticarum judices in honore, nec eorum subsellia affectantes, infulæ jura, cum coronâ confunderent. Tunc denique Episcoporum nutritii forent Principes, & mamillâ Regum lactaretur Ecclesia. Quid hac in re præstiterit Constantinus, & quâ reverentiâ se gesserit erga Episcopos, declarat Gregorius Presbyter Cæsariensis: *Cum sancti Patres,* inquit, *non secus ac quædam apes operariæ, è floridis pratis, unusquisque ex propriis Ecclesiis surgentes perveniunt Nicæam, locum qui componit alvearia orthodoxa opinionis: divinus Constantinus, cum audisset sacram & Angelis reverendam sanctorum Patrum venisse præsentiam; statim ex vestibulo convenientibus eos prosequitur honoribus.* Quinam illi honores fuerint, facilè conjicies è supradictis: è scriptis literis, è moribus, è pietate Constantini. Siquidem intellecto Episcoporum adventu, admodum gavisus est; venientibus processit obviam, obvios salutavit, & ruit in amplexus. tum domum deducens humanissimè excepit, tecto, cubiculo, mensâ: denique cum una omnes in Synodo essent, noluit, nisi jussus ab Episcopis, sedere; ut infrà notabitur.

Apud Metaph. 10. Julii.

III. Descendit ad posteros.

Servatum hunc morem salutandi excipiendique Ecclesiarum Præsides, etiam posterioribus sæculis, ad exemplum Constantini; testis est Leontius, Tripolis in Lydiâ Episcopus, qui ab Eusebiâ Augustâ factuosâ fœminâ vocatus ad colloquium, legem Augustæ præscribens, excipiendi Episcopum, ita respondit: *Si me ad te venire volueris, debitâ Episcopis reverentiâ: ego quidem ingrediar: Tu autem statim de sublimi isto solio descendens, reverenter mihi obviam procedas; & caput meis manibus supponas, benedictionem acceptura: ac deinde ego sedeam; tu verecundè adstes: cum jussero, dato signo, sessura: si hæ, inquam, tibi conditiones placuerint, veniam ad te: sin alio modo, non tam multa dabis, tam magna poteris, ut nos honore Episcopis conveniente neglecto, divinum Sacerdotii institutum violemus.* Illustrissimum quoque argumentum hujus debiti honoris est, quod Valentiniano Imperatori contigisse memoriæ prodiderunt Authores plurimi. Ille enim, cum venienti Martino sancto Turonensium Antistiti nollet assurgere, factus est insigni miraculo supplex: & è cælo didicit Constantinum imitari. Rem gestam versu Venantius Fortunatus ita explicat:

Suidas in Leontio.

Valentinianus docetur Episcopos colere.

Venant. Fortun. de vita S. Martini l. 3.

——— Martinus pergit ad arcem.
Limine nullus obest ad Principis ora perintrat.
Quo sanctum inspiciens, quod adesset, frenduit ore
Atque astante pio. solio neque surgit ab alto.
Regalem sellam mox ignibus ardor oberrat
Et vaga flamma natat, qua molle sedile coruscat.
Undique fusa furens, sed culpa Cæsaris ultrix
Cervicis dura solvens ardore rigorem.
Inde flagella coquunt, hinc Regem incendia cadunt,
Vapulat & rapidis flammis Augusta potestas.
Hinc celer exilit rapiens se Cæsar, & ardens
Martini genua amplectens, pedibusq; volutans;
Sicq; superbum hominem se agnoscere pœna coëgit.
Vilia regna probans, & celsa cacumina curvans
Imperiale caput Sanctis ad vestigia subdens.

IV. Sacerdotum benedictio.

Fluxisse hunc morem, ut Imperatores Episcopis assurgerent, ex Constantini facto, vix potest dubitari. Cæterùm quod voluit Leontius Augustam fœminam caput sibi inclinare ad benedictionem petendam, minùs mirandum est; quia Episcoporum est & Sacerdotum omnium, eo modo populo benè precari. Unde S. Augustinus sermone 18. de verbis Apostoli. *Ad Ecclesiam,* inquit, *curris: Episcopum videre desideras, ad ejus pedes volutaris.* & prior eo S. Ambrosius de Sacerd. c. 2. *Regum colla & Principum submittuntur genibus Sacerdotum: & exosculatis eorum dextris, orationibus eorum se credunt communiri.* Certè Insula nostra sanctarum consuetudinum fertilissima provincia, hoc idem Sacerdotibus factitabat

omni sæculo. Britannorum enim tempore, hoc est, Constantini & deinceps ad excidium usque, id in more positum fuisse testatur Giraldus Cambrensis, qui antiquæ fidei fundamentum & Christianorum amorem ac devotionem explicans, hæc habet de Britannis: *Viro cuilibet religioso, Monacho vel Clerico, vel cuicunque religionis habitum præferenti, statim projectis armis, cernuo capite benedictionem petunt.* Nec minor fuit Saxonum pietas: imo illustrissimi fuerunt, in hoc genere Reges plurimi, quos infrà suo loco recensebo, Constantinianæ fidei, & pietatis hæredes: quemadmodum etiam Eudoxia Arcadii Imp. uxor, quæ cum Theodosium peperisset, anno primo sequentis sæculi: Episcopis ad se venientibus *inclinavit caput dicens, Benedicite Patres mihi, & filio quem donavit Dominus, per sanctas vestras preces, Infantem quoque tradidit, ut ipsum signarent. Sancti autem Episcopi, & ipsam, & infantes signarunt signo crucis.* Ita Marcus apud Baronium. & habes religiosi ritus hujus augustissima exempla.

Girald. Camb. de sirip. c. 18.

V. Nicæni Patres.

Restat ut aliqua, de Patribus, qui Nicæam convenerunt, quinam illi illustriores, & unde fuerint, paucis exponam. nec istud quæsivissem, nisi uxorii quidam homines, Ecclesiæ ordinem invertentes, malè loca personasque designassent. Magdeburgici, qui nuptias ubique somniant, nec aliud & sapiunt; ita Synodum componunt. *Inter præcipuos verò, & maximè præ cæteris admirabiles erant Paphnutius, civitatis cujusdam in Thebaide superiore Episcopus, & Confessor; in persecutione à Maximino, dextro orbatus oculo, & poplite sinistro mutilatus; & Spiridion, celebris ille Trimithuntis Cypri Episcopus, Hosius Episcopus Cordubensis*, &c. Si quæras, Cur ignotæ sedis Episcopus, primo loco, & in capite Synodi nominatur; Respondent paulo inferiùs, è Sozomeno: Canonem *Paphnutius, præ cæteris, solus obtinuit; de usu scilicet conjugii Sacerdotum.* unde ipsi sperant à Synodo dictandam sententiam, quâ Sacerdoti liberum sit, tam contrahere matrimonium, quàm jam contracto. ut Lutherus, Calvinus, aliique fecerunt. Iterum si petas, cur non solum Paphnutius; sed Spiridion quoque Hosio Cordubensi, Romanæ Sedis legato, præfertur: Respondent: *Spiridionem Trimithuntis Cypri Episcopum, uxorem & liberos habuisse: & ob id nihilò ad res divinas deteriorem fuisse*, Sozomenus l. 1. c. 11. refert. Ita illi, pro libidine primas in Synodo Cathedras dispensant. Sed dicamus quod verum est: primi fuerunt Hosius Cordubensis Episcopus, Victor & Vincentius, à Romanâ Sede legati. quod apertissimè convincitur, tum ex literis à Synodo scriptis, quarum hoc est exordium. *Beatissimo Papæ urbis Romæ omni reverentia colendo Silvestro Hosius Episcopus provinciæ Hispaniæ civitatis Cordubensis, Victor & Vincentius Presbyteri urbis Romæ ordinati, ex directione tua*, &c. tum ex impressione nominis, quod Synodi actis adjecit Hosius, ante collegas omnes, & Episcopos etiam secundæ tertiæque sedis, Alexandrinæ, inquam & Antiochenæ, & ante totius Africanæ Ecclesiæ Primatem Cæcilianum: quod profectò nulla sedis suæ, nulla Hispaniæ provinciæ prærogativa, sed solo Silvestri nomine, personaque, quam referebat, facere potuit. Qua etiam de causâ paulò posteriùs in Sardicensi magno & œcumenico concilio, primus subscripsit. Nec de hac re Græci Authores tacent. nam Dalmatius Cyzicenus Episcopus, & Photius, inter legatos Apostolicos Hosium numerant.

Cent. 4. c. 9. fo. 630.

Cent. 4. fo. 656.

Cent. 4. fo. 481.

Hosius primus in Synodo.

Silvestri nomine.

VI. Alexander Episcopus.

Post hunc, omni merito secundas tenuit, Alexandrinæ sedis Episcopus, Alexander, qui Arium pientissimè insequutus; ferè cogendi conventus causa fuit; & acerrimè pro Christo-Deo quem factiosi homines negabant, decertavit. Duxit ille secum eximios aliquot pietate & fide viros: Qui publicè in sacro conventu, fidem defenderent; quam non ita pridem in tormentis cruciatibusque constantissimè confessi fuerant. Ex hos inter fuit Paphnutius, quem Constantinus Imperator honorificentissimè habuit, & in *tanta veneratione & affectu*, inquit Ruffinus, *ut sæpius eum intra Palatium evocatum complecteretur, & oculum illum, qui in confessione fidei evulsus fuerat, avidioribus osculis demulceret.* Duxit & Athanasium sedis suæ Diaconum, orthodoxæ fidei integerrimum defensorem: cui etiamnum illæsam Christi deitatem debemus. Interfuit Jacobus Nisibis in Mesopotamiâ Episcopus, & Cæcilianus Carthaginensis aliique ad trecentos & octodecim, ex omnibus penè Ecclesiis: licet Occidentalium Episcoporum memoria penè exciderit: * *& qui descripti habentur*, inquit Baronius, *codicum vitio obscuri admodum magno dispendio antiquitatis remanserunt.* Ego nolo pulverem excutere, ut Britannorum legam nomina; licet non diffidam, ex hac quoque Insulâ, missos esse, qui cæterorum sensa & fidem exponerent. Qui nuper conciliorum summam collegit Franciscus Longus à Coriolano: dum Sardicensis Synodi Episcopos numerat: *Utrique*, inquit, *Concilio* (Nicæno & Sardicensi) *iidem ferè Patres interfuerunt.* Cum autem constet M. Athanasii authoritate, Britannos in Sardicensi fuisse, cur non opinari possumus, Nicæno quoque adfuisse. Qui Commentarium scripsit in Eutychii origenes, Joannes Seldenus: *Veri est perquàm simillimum*, inquit, *haud defuisse Patrum Nicænorum cætui Antistitem unum, imo nec plures è Britanniâ nostrâ.* fo. 117. quod inde colligit quia Synodo Arelatensi Britanni adfuerunt anno 314. Sed pro Britanniâ non laboro, quam diu Constantinum habeo eximium Synodi auditorem: qui licèt ibi suffragium nullum tulerit; obedivit tamen ipse & scriptis posteà literis, Britannias cum Nicænâ Synodo sentire testatus est, quod majus causæ meæ momentum est, quam si per conjecturas Episcopi alicujus nomen eruerem.

Paphnutius Episcopus.

Ruffin. l. 1. c. 4.

Athanasius Diaconus.

Jacobus Nisibitanus Episcopus.

Cæcilianus Episcopus.

** Baron. hoc n. 89.*

VII. Arianæ factionis Episcopus.

Erant etiam in Synodo factiosa capita, quæ pro Ario stabant, Episcopi. *Siquidem*, inquit Theodoretus, *divinus iste & venerandus cætus, hostibus Dei non caruit; sed aderant quidam, licet pauci numero, iique veteratores; qui more brevia imitati calliditatem suam occultarunt*; horum principes fuerunt, Eusebii duo, Nicomediensis & Cæsareæ Palestinæ Episcopi. Hi potissimum libellum, de criminibus, quæ aliis objicerent, Imperatori porrexerunt. Orthodoxi contra, lites omnes, non illo brachio, sed regulari judicio terminandas censuerunt. Quid ad hæc Constantinus, quem nuper Silvester instruxerat? audi Sozomenum. *Ubi dictus dies venit Imperator, oblatis sibi libellis acceptis: ista, inquit, criminationes tempus quidem sibi præstitutum habent, diem videlicet magni judicii: judicem autem, qui sit tum de omnibus sententiam pronunciaturus: mihi vero non est fas cum homo sim, ejusmodi causarum cognitionem arrogare: præsertim cum & qui accusantur, Sacerdotes sint.* Audi Anglia sensum principis tui, & Christianissimam

Theodoret. l. 1. c. 7.

Sozom. l. 1. c. 16.

Constantini modestia.

Ruffinus l. 1. c. 2.

V. sup. an. 324. n. 15.

Theodoret. l. 1. c. 11.

vocem, non levi aliquo, aut subito impetu; sed acri aliquot dierum examine dictatam: qua jubentur principes, ab Ecclesiâ abstinere, & in sacra aut Infulas non præsumere. Ruffinus ita hoc Constantini dictum refert. *Deus vos constituit Sacerdotes, & potestatem dedit de nobis quoque judicandi; & ideò nos à vobis rectè judicamur: Vos autem non potestis ab hominibus judicari: propter quod Dei solius inter vos expectate judicium; & vestra jurgia, quæcunque sunt, ad illud divinum reserventur examen. Vos autem nobis à Deo dati estis dii, & conveniens non est, ut homo judicet Deos: sed ille solus, de quo scriptum est: Deus stetit in Synagogâ Deorum: in medio autem Deos discernit.* Addit Theodoretus, Constantinum jurejurando adjecto dixisse, se ne verbum quidem inscriptum perlegisse. Nam *Sacerdotum vitia*, inquit, *non sunt populo aperienda.*

VIII. CONSTANTINI EXEMPLUM PROPONITUR.

Ambrosius Epist. 32.

V. an. 386. 2.

Grego. l. 4. Ep. 31.

Provocarunt ad hanc Constantini vocem, omni sæculo viri sancti atque doctissimi. Nicolaus, Romanus Pontifex inde monuit Michaelem Augustum; cum in Ecclesiam, & viros Ecclesiasticos nimiùm præsumpsisset. Ambrosius, Valentiniani Imperatoris animos compressit hac oratione Constantini, ita scribens: *Quando audisti, clementissime Imperator, in causa fidei laicos, de Episcopis judicasse? & si vel scripturarum seriem divinarum, vel vetera tempora retractemus: quis est, qui abnuat, in causa fidei, Episcopos solere de Imperatoribus; non Imperatores de Episcopis, judicare. Et si conferendum de fide est, Sacerdotum debet esse ista collatio. Sicut factum est sub Constantino augustæ memoriæ principe; qui nullas leges ante præmisit; sed liberum dedit judicium Sacerdotibus.* Similia ad Mauritium Imperatorem scripsit M. Gregorius, & Apostolus noster; qui & Constantini factum recensuit. *Ecclesiastica testatur historia*, inquit, *quia, cum piæ memoriæ Constantino principi, in scripto oblatæ accusationes contra Episcopos fuissent; libellos quidem accusationis accepit, & eosdem qui accusati fuerant, Episcopos convocans; in eorum conspectu libellos accendit dicens: Vos Dii estis: Ite, & inter vos causas vestras discutite: quia dignum non est, ut nos judicemus Deos.* Alter item Gregorius, eo nomine secundus, Leonem Isaurum, Sacerdotii jura usurpantem, Constantini mentione, ab incepto revocat.

Extat apud Baron. to. 9. ad an. 726.

IX. CONCORDIÆ COMMODA.

Et ego rursùm cogor dicere: Utinam semper Constantini regnarent: utinam ejus sensum Reges, principesque omnes exprimerent. pulchriùs enimvero corpus & anima; principes & Episcopi, regnum & Ecclesia, reciprocâ sese charitate ac honore foverent: pulchriùs, inquam, ornatiusque constarent. Elementa si moveas loco, ferent graviter levitatem suam. Ubi se humilior elevat, aut demittit altior, omnis benè institutæ societatis harmonia turbatur: jucunda autem est cuique rei in suo centro quies. Sic optimè Constantinus, in re Ecclesiasticâ, omnem authoritatem Nicæno Senatui inesse dixit; nullam sibi. Non ita sectarii; qui dudum sic imperii & Sacerdotii jura confuderunt; ut œdipus sit, qui explicet: quibus ego, hoc loco, Constantini nomine irascerer; nisi scirem ab illis peccari non omnino imperitè. Etenim qui Ordinis Sacramentum ex Ecclesiasticâ Rep. sustulerunt; quomodo possunt, à profanis sacra distinguere? Aut quale erit Sacerdotium, ubi nullum est altare, nullum sacrificium? Quem verò honorem, aut qualem dignitatis prærogativam merentur, qui in nulla re eximi, à vulgo hominum tam parùm differunt? Qui ita pro uxoribus advocant, quasi in eo humani generis beatitudo consistat? Pergant illi, Sacerdotium suum premere; jure à populo prementur. Enimverò ipsi suo casui viam fecere, qui tam academicè pro uxoribus, & pro Regum in Ecclesiam imperio, dimicarunt. Respiciant interim ad Constantini sæculum, & primorum Principum pietatem: & quantum ab illorum temporum fide, absint, qui primò sacra profanis miscuerunt: inde sacrum omne, magnis nisibus, abolere conati sunt.

X.

Eusеb. l. 3. c. 10.

Hactenus, quid ab Episcopis & Constantino factum, priusquam pleno Concilio aliquid definitum: cæterùm nunc videndum est, quid in ipsa Synodo, & quomodo Constantinus cum Patribus convenerit. Eusebius oculatus testis ita id recitat. *Die concilio, quo res in controversiam vocatæ dirimerentur, præstitutâ; singuli parati erant in ipsâ mediâq; regalis palatii aulâ, quæ amplitudine cæteris facilè præstabat, illud celebraturi: ac compluribus sedibus, in utroque aulæ latere, ordine dispositis; qui erant accersiti intùs præstò fuerunt; & sedem quæ quemque decebat capiebat quisque. atque cum universus ministrorum Dei conventus decenti ordine collocatus esset, propter Imperatoris adventum, qui jam erat in expectatione, omnibus fuit silentium. Ac primum, unus ex principis familiâ, deinde alter, ac tertius ingreditur. Imperatorem antecedunt alii, non ex armatis satellitibus, qui ei adesse consuevissent; sed ex amicis solum, qui Christi fidem amplexarentur. Signo verò dato, quod Imperatoris introitum indicabat, consurrexisse omnes dicuntur. Imperator deinde tanquam quidam cælestis Dei Angelus, purpureo vestitu & nitido, velut claro luminis fulgore splendescens, coruscantibusq; illius radiis illustratus, & conspicuo auri lapidumq; pretiosorum nitore, pulchrè adornatus, per medium concessum intrat. Atque hæc sunt, quæ ad corporis decus spectant. Quod autem ad animum attinet; eum timore Dei, & verâ pietate insigniter decoratum constat: quas quidem res oculi demissi, vultus pudor, & incessus moderatio, satis indicabant. Quinetiam reliqua formæ species, & proceritas, tum pulchritudinis excellentia, tum magnificâ totius corporis conformatione, tum invicti roboris firmitate eximia, facilè omnem omnium suorum præstantiam superavit. Quæ certè, cum morum modestiâ, & mansuetudinis, vere Regia, suavitate temperata, singularem mentis indolem, quæ nulla dicendi facultate explicari potest, declarabant.*

CONSTANTINI INGRESSUS IN SYNODUM.

ANIMI DOTES.

ET CORPORIS.

XI.

Theodoret. l. 1. c. 7.

Theodoretus hæc de Constantini modestia paucioribus absolvit: *Cujus*, inquit, *corporis proceritas, summè laudanda fuit, cujus pulchritudo excellens maximè, cujus pudor qui in vultu insedebat planè admirabilis.* in singulis his & Eusebii verbis, & in singulis Constantini corporis lineamentis, lego eum natum procul Græciâ, & omni Oriente: ubi nec tanta hominum proceritas, nec tam miranda pulchritudo est, aut membrorum firmitas conjuncta robori; quæ potiùs illi calore solis solvuntur & fluunt: quibus si addideris modestiam animi, & Græciæ differentes mores: denique si mox audieris in gravissimo græcorum Patrum senatu, latinè perorantem, egentemque interprete; putabis profectò Constantinum in Græciâ peregrinum esse, & confirmabis omnia quæ suprà dixi de patria Constantini. Sed revertamur ad Synodum duce Eusebio. *Simul ac verò*, inquit ille, *ad summum locum venit: pronium in medio conventu erectus constitit: ac cùm parva*

Euseb. l. 3. c. 10.

quadam

quadam sella, ex auro fabricata, illi esset loco posita; non priùs consedit, quàm Episcopi ad id innuissent; idemq; omnes post Imperatorem factitarunt. Episcopus autem qui in dextro ordine primam sedem occupabat; assurgens, perbrevi oratione Imperatorem affatus est; hymnumq;, quo Deo omnipotenti, pro illo, gratias ageret, recitavit. Tacet hic Author Episcopi nomen: unde Sozomenus, aliique opinati sunt ipsum Eusebium fuisse, & modesto silentio sese occultasse; sed falluntur: nec enim Græcus ille & Arianus homo, tam parcus fuisset in suis laudibus. Invidiâ potius peccavit, cum noluit magnum Eustathium Antiochenum Episcopum nominare, Arianæ factionis constantissimum hostem. Theodoretus illum expressit, cum ita dixit: *Statim ut sessum est, Eustathius ille magnus, Imperatorem laudibus insignibus ornare, & ei pro singulari suo studio erga res sacras, eximia gloria præconia tribuere capit.* noluit etiam Eusebius Eustathii orationem exponere, nec illam inter Constantini laudes ponere; quia Arii hæresim egregiè pupugit: & fuit hujusmodi.

Id. sup. c. 11.

Theodoret. l. 1. c. 7.

XII. Eustathii oratio ad Constantinum.

Deo agimus gratias, ô optime Imperator, qui terrarumq; tibi regnum dirigit, qui errorem simulacrorum per te abolevit, & in fidelium animis tranquillitatem collocavit. Cessabit nidor dæmonum, multiplices Deorum cultus: soluta est falsa religio, expelluntur tenebræ impietatis, luce divina cognitionis, Orbis terrarum illustratur. Pater glorificatur, Filius simul adoratur, Spiritus sanctus annunciatur, Trinitas consubstantialis, una divinitas, in tribus personis, & hypostasibus prædicatur. Per eum, ô Imperator, tibi munitur tuæ pietatis potentia. Eam nobis serva integram & inviolatam. Nullus hæreticus subiens Ecclesiam, de Trinitate unum aliquid auferat, reliquum quod restat affectum ignominiâ. Arius nobis, qui à furore accepit dominationem, orationis causa est, & conventus: qui nescio qua modo allectus in presbyteratum Ecclesiæ Alexandrinæ, nos latuit, cum esset alienus à doctrinâ Beatorum Apostolorum, ac Prophetarum. Unigenitum enim Filium, & verbum Patris, non veretur privare eâdem & æquali cum Deo substantia; & creatorem cum creaturâ, creaturæ cultor contendit connumerare. Eum autem persuaseris, Imperator, mutatâ sententiâ non repugnare doctrinæ Apostolicæ: aut, si vana opinionis, cujus est convictus, perstiterit in impietate; eum de Christi, & nostro cœtu funditus sustuleris, ne suis turbidis verborum blanditiis venetur animas simpliciorum. Hæc ille. & vides causam, cur hæc omnia tacuerit Eusebius; qui subdit tamen, quod factum dictumque est à Constantino. nam ait: *Imperator primùm alacri obtutu & placido oculos in omnes conjiciens, sedatâ ac leni voce hoc modo apud eos dicere aggressus est.*

Euseb. l. 3. c. 11.

XIII. Constantini oratio ad Patres.

Quoniam mihi admodum in optatis fuit, amici charissimi, illo vestro consessu aliquando frui: Iam eo potitus, Regi & moderatori omnium Deo, ideo gratias me agere debere fateor; quòd mihi præter cæteros largitus est, ut istud, quod omnibus ferè bonis antecellit; nempe vos in unum convocatos, unamq; omnium, & consentientem esse voluntatem, oculis tandem aspiciam. Nolite igitur pati, ut ulla invidiæ tempestas, nostris rebus prosperis inimica, istud bonum labefactet: neque cum tyrannorum dimicatio contra Deum suscepta, jam Dei Salvatoris virtute profligata sit; ut denuò perditus dæmon, divinam Christi disciplinam, & religionem, malevolorum obtrectationibus lacerandam objiciat. Quandoquidem intestina seditio, in Ecclesiâ Dei conflata, multò plus molestiarum & acerbitatis, quàm quodvis bellum, pugnave, videtur mihi in se complecti. Atque ista res ad animum spectantes, longè plus, quàm quæ ad corpus pertinent, doloris afferre videntur. Cum igitur Dei opt. max. nutu, victoriam ab hostibus reportassem; nihilq; amplius mihi reliquum esse putarem, quàm ut tum Deo gratias agerem; tum unà cum his, qui, Deo opem ferente, per me essent in libertatem vindicati, communem lætitiam animo perciperem: ut primùm dissensio vestra ad aures meas præter omnem spem pervenit; rumorem illum de eâ allatum, non planè negligebam: sed optans imprimis, ut huic rei, meâ operâ & sedulitate, remedium inveniretur, omnes vos absque morâ accersebam. Attamen lætor equidem vehementer, cum jam vestrum consessum intueor: tunc tamen arbitror me rem maximè, ex animi sententia gessisse; ubi vos animorum conjunctione colligatos, & unam eandemq; communem inter omnes, & tranquillam concordiam (quam quidem vos, cum sitis Deo consecrati, aliis etiam à Deo impetrare consentaneum est) vigere, florereq; intellexero. Itaque ne ulla sit, quæso, in vobis mora, ô charissimi; ne gravemini, ô sancti Dei ministri, & spectati communis omnium nostri Domini, ac Salvatoris famuli: ne gravemini, inquam, deinceps causas dissensionis inter vos grassantis, jam penitùs tollere: primoq; omnium operam detis, ut omnia vincula, quibus constricta tenetur controversia, pacis legibus omninò dissolvantur: sic enim estis, & Deo omnium gubernatori rem gratam facturi; & mihi, vestro in Domino conservo, maximum præstituri beneficium.

XIV. *Hic ista* (pergit Eusebius) *latino sermone, altero eadem interpretante loquutus, sermonem omnem deinceps concilii præsidibus concessit.* Quæ verba aliàs retuli, causamque, cur Constantinus latino idiomate peroraverit. nunc tempus colligendi Synodi decreta quibus Imperator, non tantum assensus est; sed etiam, suâ manu, eorum observantiam, provinciis omnibus intimavit. Cæterùm ea solùm hic colligam, quæ huic sæculo nequam, & rebus hodie controversis mederi poterunt. Vix enim ullus è sectariis reperitur, qui hujus Synodi decreta, non revereatur, aut saltem revereri non fingat, si ut verbo, ita re verâ facerent: non ita hodie hominum animi fluctuarent, in rebus controversis; sed fundum invenirent, ubi anchoram figerent. Si enim in gravissimâ illâ quæstione, de Christi deitate, ejusdemque cum Patre substantiâ; præter Scripturæ authoritatem, quam utraque litigantium pars, ad se traxerat; repertus est modus, quo difficultatum nodi solverentur: cur non inde, alia fidei dogmata, quorum solutio è Scripturâ non potest peti, erucimus. nam eadem est modò Christi Ecclesia, quæ fuit Constantini tempore, eadem sine dubio componendi controversa potestas: & quemadmodum Niceni Patres *ὁμοούσιον, ejusdem substantiæ*, dictaverunt (quod quasi fusum cælo oraculum, universus Orbis reverenter excepit) ita potest omni sæculo, Christi Ecclesia, dictare credenda, dubia componere, controversa decidere: & factiosus est, imò Christo judice, sicut ethnicus & publicanus, habendus qui Ecclesiam ita dictantem, componentem, decidentem, non audit, atque reveretur.

In patriâ cap. 1. sect. 2. §. 2. n. 6.

Ratio componendi controversa.

XV. Mira animorum conspiratio fuit, in optimis quibusque; ut contra Arium, Christi divinitas, inter fidei articulos censeretur. Quod licèt olim creditum, & ab Apostolis, ad illum usque diem, fideles exceperint; tamen nutante Ario,

ὁμοούσιον.

ſpargenteſque noxium dogma; periculum erat ne plures inficerentur. Quamobrem viſum eſt Patribus; &, ſine dubio, Spiritui ſancto; articulatim definire, juberéque, ut omnes id ore profiterentur, quod corde ſemper hactenus ab Eccleſia creditum. Hanc ob cauſam formare placuit vocem, divinitatis Chriſti aſſertivam, Chriſtumque vocare ὁμοούσιον, & Patri conſubſtantialem: & mox facilè patuit, qui orthodoxi[1], qui factioſi eſſent. Orthodoxi enim religioſiſſimè vocem exceperunt; nihil de vocis novitate, nihil de Synodi poteſtate prætendentes: Ariani contrà, recalcitrare, vocemque & Synodum calumniari cœperunt: & iiſdem prorſùs uti argumentis, quibus noſtri temporis ſectarii, cum illos in controverſiis premimus. Exclamarunt enim ὁμοούσιον, novam & inſolentem vocem, in Scripturis non haberi, quæ ſolæ, fidei controverſias decidere debent. Ibi nulla ὁμοουσίου, nulla conſubſtantialis Filii mentio; ſed contrà, Pater ibi disertè dicitur major Filio: ſi major, non idem, non ὁμοούσιος. Ita peccant factioſi noſtri in Lateranenſes Patres, qui in ſimili controverſiâ, tranſubſtantiationem dictaverunt; & non minùs quàm Ariani verboſi ſunt. agunt tamen impudentiùs, quia nullum Scripturæ textum, ut illi; nullum etiam ſuperiorum ætatum conſenſum, poſſunt objicere. & debuerunt Arianorum (quorum duram & ſuperbam cervicem orthodoxus orbis ſemper abominatus eſt) exemplo ſapere.

Admissum ab orthodoxis.

Ab Arianis rejectum.

XVI. Ariani qua ratione vincendi.

Vidimus nuper in Angliâ meritò caſtigari Arianum hominem, quod decreto hujus Synodi obtemperare nollet, & Chriſtum credere conſubſtantialem Patri. Sed productus in judicium cum ſceleris argueretur; & obſtinatiùs defenderet errorem ſuum; potuítne convinci ſectariorum noſtrorum argumentis? reverà non potuit. Nam ille ad Scripturas provocare, Patres non audire, Eccleſiam, nec ſenſum ejus curare, in ſolo Dei verbo velle acquieſcere; quod potentiſſimè majorem Filio Patrem loqueretur. Quid hic faceret modernus judex, qui eodem ſcelere peccat, & Scripturæ inhæret tam pertinaciter; ut montem citiùs moveris quàm illum à ſenſu ſuo. Vicit tamen Arianum argumento ignis & ultimi ſupplicii, qui nullo alio ſectariorum telo cadere potuit. Longè aliter argumentati ſunt ſancti Patres in Nicænâ Synodo: nimirum iis rationibus, quas vellem ſectarios diſcere, cum iterum Arianis perſuadere conantur veritatem. Si Scripturæ loca difficultatem habent ut hîc, *Ego & Pater unum ſumus*, & illic *Pater major me eſt*. Si poſt trecentos annos Scriptura, nec loqui poſſit, nec ſenſum ſuum de novo reddere, Quid facient Chriſtiani? hærebúntne ſemper in dubiis? & tanti momenti rem, aut negligent; aut aliter, quàm oportet, credent? malè profectò conſuluiſſet Chriſtus Eccleſiæ ſuæ; ſi pendulas hominum mentes, nec in unâ eademque fide conſtantes, ſine remedio reliquiſſet. Quod igitur primo ſæculo factum, cum Apoſtoli, dictante Spiritu ſancto, definiverunt quid tenendum. Hoc idem fecerunt Nicæni proceres. Inſpectis, enim diligenter, perpenſiſque Scripturis, deſcenderunt in ſenſum priorum ſæculorum, & Patrum qui præceſſerant teſtimonia produxerunt; traditionem etiam Apoſtolicam, quâ potiſſimum dubia ſolvuntur. Ita iverunt ferè omnes in hanc ſententiam: Filium Patri conſubſtantialem eſſe. Cumque adverterent ingratam illam vocem factioſis eſſe, in ſymbolo fidei ponendam cenſuerunt, ut teſtatur S. Ambroſius.

Ambroſ. de fide ad Gratianum l. 3. c. ult.

XVII. Consubstantiatio, et Transsubstantiatio.

Quod Patres hic fecerunt, pro Filio conſubſtantiali, idem fecere Lateranenſes, cum in Euchariſtiâ, de Chriſti corpore, quæreretur, modóque ibi exiſtendi, quem *tranſubſtantiationem* vocaverunt: eâ voce, non novum dogma, ut valdè cupiunt factioſi; ſed præteritorum ſæculorum ſenſum exprimentes. Nicæni igitur identitatem ſubſtantiæ in Trinitatis myſterio; Lateranenſes, mutationem ſubſtantiæ in altaris Sacramento decreverunt. utrique, novâ voce, nihil novum, dixerunt. Vociferentur itaque quantum velint in pulpitis factioſi, & in tranſubſtantiationem diſputent; nihil certè adferent, quod non æquè Arianis faveat, qui noluerunt vocem *conſubſtantialis* eſſe. Cæterùm tunc meritò novis vocibus iraſcimur; cum veritati fideique adverſantur. ut & benè Arianis reſpondit Athanaſius. *Quapropter*, inquit, *ſi iſti hæc vocabula exotica cavillantur; reſpiciant ſenſum juxta quem Synodus, ea in decretis ſuis adhiberi voluit: & tum demum ſi poſſint, voces culpent.* Hæc ille, & rectè. nemo ergo debet ex vocis novitate, novum fidei dogma dicere. nam altiſſimum Trinitatis myſterium, à Chriſtianis omnibus ſanctiſſimè creditum eſt, priuſquam Trinitatis vox innotuit. Sic arguendi ſunt, qui novos fidei articulos cudi quotidie in Romanâ Eccleſiâ, invidioſè calumniantur: quaſi aliquid fidelibus credendum proponatur, quod antea minimè creditum ſit. Reverà enim, quod primum Apoſtoli, & inde Nicæni Patres, dictante Spiritu ſancto, fecerunt: Hoc ipſum, nec aliud facit Eccleſia. Nimirum exortos errores, & luxuriantes palmites, authoritatis ſuæ falce putat, quo vitia excernat; & enucleatiùs aperit educitque in lucem, quod aliter novis noxiiſque ſenſibus obnoxium eſt. ita Romæ factum in Laterano, ita Nicææ, quod modo in manibus eſt, & aula Imperatoris; & æqualis fidei utrumque eſt. Nec minus certum quod nuper Tridentino ſuffragio, quicquid factioſi, de more, recalcitrent, deciſum eſt. & deberent Principes Conſtantinum ſequi, parendo, præcipiendo, cogendoque, ut audiant ſubditi. Nam ita Imperatorem feciſſe ſtatim apparebit. nunc ad Arianos redeo, quorum genium explorabo, conferamque cum hujus ſæculi factioſis; qui licet in errore differant, in more tamen errandi, peccandique conveniunt.

Athan. in decretis Synodi.

XVIII. Arianorum fraus.

Cum Patres, Chriſti divinitatis aſſertores, magno animorum conſenſu juſſiſſent Chriſtum ὁμοούσιον dici; factioſi homines cum nulla intercedendi ſpes eſſet, nec frontem contra explicare auderent, οὐσίας & ſubſtantiam negando, artificioſè literulam, voci miſerunt & ὁμοιούσιον, *ſimilem in ſubſtantia*, legunt, non ὁμοούσιον, quaſi in Chriſto divinæ eſſentiæ ſimilitudo eſſet, non identitas. Verùm ſancti Patres horruerunt vocem illam, impiamque Arianorum mentem; qui tanta verbi ſimilitudine, venenum incautis propinarent. Unde multis explicant divinam in Patre Filioque ſubſtantiam. Ariani interim cum undique causâ cecidiſſent, arripuere poſtmodum quicquid inter explicandum Patribus excidiſſet; quod non omninò referebat naturæ ſubſtantiæque identitatem; illo gloriantes quaſi Patres omnes ab illis ſtetiſſent. audi Athanaſium id apertiùs exponentem. *Cum Synodus*, inquit, *in hoc eſſet, ut Arianorum impia vocabula tolleret; &*

Athan. in decret. Synodi.

voces

voces adhibere vellet, quæ sine controversiâ sacrarum literarum essent: nimirum, eum esse Filium, &c. & inde. Episcopis hoc rursum affirmantibus, & hoc quoque scribi debere: eum verum esse & imaginem Patris. & similem Patri, & indemutabilem per omnia. & inconvertibilem & æternum, & indivisum in Patre subsistere; nunquam enim non erat, sed semper erat, subsistebatq; perpetuò, apud Patrem, ut splendor Patris. Ista quidem eatenus sustinebant. Eusebiani, nihil ausi contra dicere; ob probrum quod in dictis suis refutatis passi erant: sed ita tamen, ut deprehenderentur inter sese mussitare, nutus conferre, oculisq; sibi invicem applaudere: quasi illud simile esse, & in eo esse, & ejus potentiam esse, communia Filio nobiscum essent.

XIX. Eadem sectariorum. Egregiè profectò, hac in re, præluserunt Ariani sectariis nostris; qui vocibus abusi, quas in antiquis Patribus legunt, ad simile, & umbras verborum, eorum mente, sensuque neglecto, confugiunt, in rebus controversis. Venialiùs tamen Ariani peccaverunt; qui tantùm mussitare & nutibus agere ausi sunt: cum nostri palam, & sine fronte garriant. Etenim orthodoxi cum pro substantiâ corporis Christi, in Sacramento; urgent Patrum testimonia: vel ad Scripturas provocant factiosi, vel in unâ alteráve Patrum vocula ougantur ita solemniter, ut modestos quie dixerit Arianos fuisse. Si legunt semel in Augustino corpus Christi Sacramentum & signum esse; licet centies declaret sententiam suam, veram esse Christi corporis substantiam, Christum ipsum esse, miraculum esse, & infinita similia: non illi mussitabunt inter se, & silentio sibi applaudent; sed vociferabuntur publicè, libros edent; & plenis buccis, non unum Augustinum, sed Patres omnes à se stare pronuntiabunt; & se scilicet orthodoxos esse: licet interim Scripturæ, Patres, & omnium sæculorum suffragia repugnent. Igitur factiosorum hominum genius est in verbis & voculis ludere; ad *signa*, & *simile* fugere; ubique verò negare substantiam. Hoc Ariani fecerunt in uno Trinitatis sanctissimo Sacramento: sectarii nostri faciunt in altero. Nunc ad Constantinum redeo.

XX. Scribit Constantinus pro decreto fidei. Oravit Synodus Constantinum; ut manum decreto fidei porrigeret; & Arii condemnationi, non modò ipse subscriberet, sed literis suis juberet, ab omnibus subscribi. Paruit Imperator & ad Alexandrinam Ecclesiam has literas, suæ fidei testes, dedit.

CONSTANTINUS AUG. CATHOLICÆ ALEXANDRINORUM ECCLESIÆ.

Socrates l. 1. c. 6.

Salvete plurimùm, fratres charissimi: Permagnum certè & singulare beneficium, à divinâ providentiâ in nos collatum est; quòd omni errore liberati, unam eandemq; fidem agnoscamus. Non est profectò Diaboli insidiis, contra nos intentatis, de cætero quicquam loci relictum. Nam quicquid ille per fraudem in nos molitus; illud funditùs sublatum est. Dissensiones autem animorum, schismata, tumultus illos, & lethalia discordiarum, ut ita dicam, venena, veritatis splendor (juxta Christi nutum) penitus obruit, delevitq;. Vnum igitur Deum omnes, & nomine veneramur, & esse credimus. Vt autem istud, Dei admonitione, ad exitum perducerem; magnam Episcoporum turbam, ad urbem Nicæam, accersivi: quibuscum ego (qui unus ex vestrum numero sum, quique eidem obsequio unà vobiscum lubentissimè meipsum totum addico) operam dedi; ut veritas diligenter investigaretur. Proinde omnia, quæ aut controversiæ, aut dissensionis materiam præbere videbantur, accuratè excussa & exagitata sunt. Quanta, & quam execrabilia probra (ô bone Deus, sis nobis clemens & misericors) nonnulli in venerandum nostrum Salvatorem, in spem & vitam nostram scelerate, nefarieq; jecerunt, & Scripturis divinitùs inspiratis, fideiq; sacrosanctæ contraria non modo impudenter effutiverunt; sed se ita credere palam confessi sunt! nam cum ampliùs trecenti Episcopi, viri propter animi modestiam, & solertiam admirabiles, unam eandemq; fidem (quæ & veritate, & exquisitis legis divinæ testimoniis vera fides esse confirmatur) constabilivissent: solus Arius inventus est, qui vi, ac fraude diabolicâ, victus, ab eâ penitus desciverit: quique impiâ animi impulsione incitatus; hanc erroris labem, primùm apud vos, deinde apud alios, sparserit. Quocirca eam quam omnipotens Pater nobis tradidit doctrinam amplexemur: ad fratres nostros charissimos, à quibus nequam & impudens diaboli minister nos segregavit, redeamus: ad commune corpus Ecclesiæ, & ingenua nostra membra, toto pectore, ut dicitur, revertamur. Istud enim vestra prudentia, fidei, & sanctitati imprimis consentaneum est, ut errore illius, qui se hostem veritatis constituerit, penitùs depulso, ad Dei gratiam & voluntatem vos denuò recipiatis. Nam quod trecentis Episcopis visum est, non est aliud putandum, quàm Dei sententiam: præsertim cum in talium, & tam præclarorum virorum mentibus, sacer insideret spiritus, qui illis divinam voluntatem aperuerit. Quapropter nemo vestrum hæsitet, nemo moram interponat; sed omnes lubentibus animis, ad viam veritatis redito; ut simul atque ipse ad vos adventavero, debitas gratias Deo, qui omnia lustrat, unà vobiscum agam, quòd non modò fidem sinceram nobis patefecerit, verùm etiam charitatem, quæ omnibus optanda erat, benignè largitus sit. Deus vos fratres charissimi diu servet incolumes.

XXI. Constantinus defensor fidei Nicænæ. Hîc lego Christianum Principem, Catholicæ Ecclesiæ alumnum definitæ à Patribus fidei defensorem, denique M. Constantinum; qui si iterum posterioribus sæculis in Britanniâ natus fuisset, & vel Romæ, in Laterano; vel Tridenti, Patribus adfuisset; dixisset enimvero, iterumque scripsisset; sacrum proceribus illis infedisse spiritum: & tam piè in sectarios calamum acuisset, qui Conciliorum authoritati stare recusant; quàm olim in Arium acuit, Nicæno decreto reluctantem. Nec enim illi in mentem unquam venisset, opinari, assistentiam Spiritus sancti, unius tantùm sæculi esse: cum Christi promissio non unis Nicænis Patribus facta, sed ad omnia sæcula extensa sit: *Ego rogabo Patrem, & alium paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, SPIRITUM VERITATIS.* Quamdiu ergo manet hæc militans Ecclesia, & quamdiu homines insanire possunt, ac cum Scripturis ludere proprio sensu: quamdiu, inquam, errari potest in fide, & à via salutis æternæ: debet tamdiu in Ecclesia esse, quod errores vincat, medeatur malis, & putrescentia membra, aut arte curet, aut tollat potestate. Diceret ergo Constantinus; tam puniendos esse, qui Lateranenses & Tridentinos Patres audire noluerunt: quàm punitus est Arius, & ab Ecclesia ejectus; qui Nicænos non audivit. Nec prodest illis, ad Scripturas fuga; quia locum ibi pro se habuit Arius, tam eloquentem; ut sectariorum nemo similem, nedum clariorem, produxerit unquam in

Ioannis c. 14. 16.

in patrocinium erroris ſui. Nec vocis novitatem accuſare poſſunt, cum Nicæni Patres unam cuderint, non priùs auditam. Cæterùm omnium Conciliorum, quæ ad ſtomacbum non faciunt, authoritatem inficiari; & Scripturam, ſuo, non Spiritus ſancti, ſenſu metiri, ut ita declines judicis ſententiam; Arianæ impietatis eſt, non hominis orthodoxi.

XXII. ARIUS CONDEMNATUR.

Hic habent ergo Principes cauſam, cur ſedere poſſint & debeant in Conciliis; non ut controverſa fidei dogmata decidant, aut ſuper iis ferant ſuffragia: hoc enim Conſtantinus, ut ſuprà audiviſti, omnino declinavit: ſed ut, decretam à Patribus ſententiam, primi amplexentur; & accommodent ad illius executionem, ubi invocatur, brachium ſæculare. Ita enim fecit cum laude Conſtantinus; quando rogatus à Nicæno Senatu Arium damnatum à Patribus proſcripſit, & lege lata libros ejus legi vetuit. Teſtatur hoc Sozomenus: *At verò Imperator*, inquit, *non Arium ſolùm multavit exilio: verùm etiam Epiſcopis omnibus, & populis edictum ſcriptum miſit; ut tum illum, tum ejus opinionis fautores, impiorum numero ducerent. & ſi quis liber reperiretur ab illis ſcriptus, in ignem conjicerent: quo neque ipſius, neque opinionis, cujus author fuerat, ullum monumentum extaret. Quod ſi quis aliquem librum ejus occultare deprehenderetur, ac non illicò in publicum productum incenderet; ut capite multaretur ſupplicio. Quin etiam epiſtolas ad civitates ſingilatim ſcriptas miſit, quibus Arium & ejus fautores damnabat.* Tacuit hæc omnia Euſebius: quæ licet in Conſtantini laudibus eſſent ponenda: ipſe tamen Arianus homo, & ad Conſtantium ſcribens ejuſdem factionis principem; ſtudio omiſit: ne per illa vapularet. unde facilè videt quilibet, quam ille fidem mereatur in rebus à Conſtantino geſtis, quæ ad orthodoxam religionem ſpectant. Sed quia ipſe tacuit, loquatur pro ſe Conſtantinus.

Sozom. l. 1. c. 20.

VICTOR CONSTANTINUS MAX. Aug. Epiſco. & populo S.

XXIII. Socrat. l. 1. c. 9. CONSTANTINI EDICTUM.

CUM Arius, ſceleſtorum & impiorum hominum conſuetudinem imitetur; eandem cum illis ignominiæ & turpitudinis notam, meritò ſubire debet. Quemadmodum Porphyrius capitalis pietatis hoſtis, qui nefarios libros contra religionem Chriſtianam nuper edebat, mercedem dignam laboribus recepit; & ejuſmodi quidem ut apud poſteriora ſæcula, non ipſe ſolum maximis probris vexatus fuerit, & turpiſſimâ infamiæ labe aſperſus; verùm etiam impia ejus ſcripta deleta penitus & extincta: ſic jam viſum eſt Arium, & ejus ſectatores, Porphyrianos nuncupare: ut quorum ſecuti ſunt mores, eorum etiam nomen habeant; quin etiamſi quod opus ab Ario conſcriptum reperiatur, illud cremandum eſſe: ut non modò execrabilis ejus doctrina funditus tollatur; ſed etiam nullum monumentum ejuſdem omninò relinquatur ad poſteritatem. Illud etiam mandamus, ut ſi quis librum ab Ario compoſitum occulcaſſe deprehenſus ſit; & eum non ſtatim in medium adductum igne combuſſerit, morte mulctetur. Nam mox ut comprehenſus fuerit, plectatur capite. Deus vos ſervet incolumes.

XXIV.

Meminit harum literarum Theodoſius Junior, qui Conſtantinum imitatus ita ſcripſit. *Quemadmodum Ariani, lege divæ memoriæ Conſtantini, ob ſimilitudinem impietatis, Porphyriani à Porphyrio nuncupantur; ſic ubique participes nefariæ ſectæ Neſtoris, Simoniani vocentur.* Fui longior in hac actione Nicænæ Synodi: & Conſtantinum audivi

*Theodo. lege ut . . de haret

loquentem lubentiùs; quia infrà accuſabitur à nonnullis, quod ad eandem factionem declinaverit. Et ego non parcam, ſi exerrantem videro; abſolvam tamen eum, & dicam ab omni procul hæreſis ſuſpicione mortuum: quia Britannia eum ut ſanctum venerata eſt, & græci latinique Patres eximiis illum laudibus ornaverunt. nunc ad alia Synodi decreta tranſeo.

Erat non levis momenti quæſtio, de die Paſchatis; quem Romana quidem Eccleſia, & omnis cum illa Occidens, jam diu magno animorum conſenſu ſervaverat: nimirum, Dominicum diem, qui à decimâ quartâ lunâ, poſt vernum æquinoctium primò occurrebat, accepto ab Apoſtolis & prioribus ſæculis more. Erant pauci in Oriente, & imprimis Aſia, qui, neſcio quâ prætensâ, à Joanne quoque Apoſtolo, conſuetudine, noluerunt cum reliquo Oriente, & omni Occidente convenire. Dixi ſuprà ut laboratum ſæpè à Romanis Pontificibus, indictis ubique Synodis, ut ad unum morem feſtique obſervantiam colligerentur omnes Eccleſiæ. Sed factioſi adhuc reſiſtebant. Non quod deeſſet primæ ſedi imperium ad jubendum; ſed deerat Conſtantinus aliquis ad premendum rebelles. Jam ergo Patres, Imperatorem nacti, qui gladio juberet fieri, vel ſaltem authoritate ſuâ, quicquid illi calamo ſcripſiſſent; rati ſunt tempus opportunum eſſe definiendi Paſchatis diem, & corrigendi eos, qui ab aliarum Eccleſiarum more receſſerant; Judæorum more, nullâ diei Dominici reverentiâ, Paſchatis feſtum, decimâ quartâ lunâ ſemper celebrantes. Quoniam verò ſectarii noſtri, quo Romam licentiùs averſentur, hos Quartadecimanos invocant patronos ſox ſcilicet & Britannorum fidei; debeo diligenter Inſulam luſtrare, ac diſpicere. num ita Britannorum Eccleſiæ cum paucis in Oriente, contra Occidentis morem ſenſerint: & ſi invenero Judaïzantes Britannos, dolebo quidem nobiliſſimam provinciam, & cum Româ hactenus facientem; paucorum factione corruptam eſſe; ſed dicam tamen ſectarios habere veſtigium aliquod impietatis ſuæ; nec primos eſſe, qui à Romano, id eſt, recepto totius orbis more exorbitent. Verùm ſi hac etiam in re invenero virginem Inſulam, & ab omni corruptionis ſuſpicione remotam; da veniam Lector ſi illis iraſcor; qui ſine causâ accuſaverunt majores ſuos; & ad Judaicos ritus damnaverunt; quo ipſi factionem peſſimam tuerentur.

XXV. CONTROVERSIA DE PASCHATE.

NUM PECCAVERIT BRITANNIA.

XXVI.

Non ero multus in hac quæſtione, quam alias diſputavi: dicam ſolùm quid Nicæni Patres ſanxerint; qui cum illis, qui contrà, ſenſerint: & denique quid factum à Britannis: Qui quoniam M. Gregorii tempore, hoc eſt, poſt annos ducentos quinquaginta, erraverunt aliquando in Dominicâ Paſchatis; putantur etiam hoc tempore erraviſſe: nec Romanorum Pontificum decreta, quæ ſuprà poſui, ſervaſſe. quod hoc loco oſtcodam, M. Conſtantino teſte, falſiſſimum eſſe, & imperitè poſitum à ſectariis, factionis nuperæ fundamentum. Et mirum ſanè, non è plebe aliquos, aut Scriptorum vulgò; ſed ipſos Eccleſiarum Antiſtites, Parkerum, Godwinum, & alios plures, affirmare Britannos à primo ſuæ converſionis exordio, ad M. Gregorii tempora; hoc eſt, omni Britannici regni periodo; cum peccante Aſiâ, Paſcha celebraſſe: cum nuper ipſimet fateantur, Reſtitutum Londinenſem Epiſcopum,

V. an. 314. n. 15.

ideo Arelatum iviſſe, anno hujus ſæculi decimo quarto; ut dictatos ibi Canones Britanniæ porrigeret: quos inter unus erat, Romani Pontificis juſſu, de Paſchate celebrando. & Inſulam in eo prævaricatam eſſe, nemo dixit. Cæterùm cùm ab eo tempore, ad hunc annum decem tantummodò anni interceſſerint, nullo modo probabile eſt, nec ulla prorſus conjectura, Britanniam à Romano more receſſiſſe. Adde, M. Athanaſium, cum cauſas explicat, cur Patres Nicæam convenerint, enumerare eos omnes, qui ſecùs quàm oportebat, reſurgentem à mortuis Chriſtum coluerunt. Dicit ergo: *Nicæna Synodus, non temerè habita eſt, ut quæ habeat graviſſimos uſus, & legitimam rationem. Syri enim, Cilices, & Meſopotamiani in cauſa feſti claudicabant, atque unà cum Iudæis Paſcha celebrabant. Et jam tum Ariana hæreſis, quæ contra Eccleſiam inſurrexerat, ſuos propugnatores habebat, qui ipſam defenderent, & qui piis injuriam facerent, Euſebianos ſcilicet. Atque ea cauſa fuit, cur univerſus Orbis in Concilium coiret: ut & eodem die, ubique feſtum celebraretur: & hæreſis, quæ ſuppullulaverat, anathemate percuteretur. Quod & factum eſt*, ita ille: qui cum Syros tantùm, Cilices, & Meſopotamianos nominet; nónne impii ſunt, qui remotiſſimæ Inſulæ illud crimen imponunt? præſertim, cum ſit & nominetur à nobis, qui Romanum morem; nemo autem ſit, aut fingi unqoam poſſit, qui Aſiaticum porrexerit. Sed proſequamur hiſtoriam, & quid hac in re à Nicænis Patribus factum videamus.

Athanaſ. de Syn. Ariminen.

QUI PECCAVERINT.

XXVII. ALEXANDRINUS EPISCOPUS.

Illi igitur magnâ uſi induſtriâ, quo omnes Eccleſiæ in unum morem celebrandi feſtum coaleſcerent; non aliud ſtatuerunt quàm quod Occidens ſemper per tria ſæcula conſtantiſſimè obſervarat, & nuper Arelatenſe Concilium confirmarat: nimirùm à Romani Pontificis ore pendendum. Quoniam verò difficilis erat tum verni æquinoctii, tum decimæquartæ lunæ obſervatio, ob inconſtantes Lunæ motus, & incrementa ac decrementa non ſemper eadem; decreverunt Alexandrini Epiſcopi operâ utendum: nimirum ut ille adhibitis calculandi peritis, qui Lunæ curſum diligentiùs explorarent, notarentque peculiari ſtudio primi menſis Lunam decimam quartam; eâ inventâ Romanum Pontificem certiorem facerent, de prima Dominica, quæ primi menſis plenilunium ſequitur: quo poſſit ille univerſis Eccleſiis dictare unum eundemque ritum. Teſtatur hoc S. Leo ita ſcribens ad Marcianum Imperatorem. *Paſchale feſtum, quo Sacramentum ſalutis humanæ maximè continetur; quamvis in primo ſemper menſe celebrandum ſit; ita tamen eſt lunaris curſus conditione mutabile; ut plerumque ſacratiſſimi diei ambigua currat electio: & ex hoc fiat plerumque quod non licet, ut non ſimul omnis Eccleſia; quod non niſi unum eſſe oportet; obſervet. Studuereq; ſancti Patres occaſionem hujus erroris auferre, omnem hanc curam Alexandrino Epiſcopo delegantes; quoniam apud Ægyptios hujus ſupputationis antiquitus tradita eſſe videbatur peritia; per quam quis annis ſingulis dies prædictæ ſolennitatis eveniret, Sedi Apoſtolicæ indicaretur: ut hujus ſcripti, ad longinquiores Eccleſias judicium generaliter perveniret.* Hæc S. Leo. Cæterùm Ægyptiis ideo negotium hoc demandatum eſt; quia illi, præ cæteris, ſolis lunæque curricula metiri poſſunt; ſive arte propiore, ſive cæli bonitate, qua fruuntur; contemplatione, inquam, cæli libera, & ſudo aere, & nebulis non infeſto.

S. Leo Epiſt. 64.

XXVIII. RO. EPISCOPO SUGGERIT DIEM PASCHATIS.

Itaque, jubente Nicænâ Synodo, Alexandrinus Epiſcopus primi menſis invento plenilunio, ex obſervatione æquinoctii; præcedenti ſemper anno ſuggerebat, per literas, Romano Pontifici; in quemnam diem, ſequenti anno, quartadecima luna incideret. unde neceſſariò conſequitur, Dominicam proximè inſequentem, reſurrectionis Chriſti ſacram eſſe; tum Ro. Pontifex ſcriptis in eam rem, per univerſum Orbem, literis; tempeſtivè monebat omnes Eccleſias; dictabatque diem Paſchatis, quem eo anno conjunctis animis, & prævia jejuniorum ſolennitate, celebrarent. Habitâ in provinciis notitiâ diei feſti; ipſo Epiphaniæ die, inter Miſſarum ſolemnia, Diaconus clara voce Paſchatis feſtum enunciabat: unde quadrageſimalis jejunii initium & reliqua feſta ſequebantur: quæ quia ad motum Paſchatis variantur, dicuntur *mobilia*. Perſeveravit hic mos petendi ab Alexandrinâ Eccleſiâ notitiam Paſchatis, quamdio ſedes illa, cum Romanâ, in fide conſenſit. Poſtea quantumvis Alexandrini, Paſchales literas (ita enim dicebantur) obtruderent, Roma tamen noluit eas admittere; ne cum alienis à fide ullo modo communicare videretur. nec erat tamen errandi periculum, quia non unius Alexandrini; ſed aliorum quoque Epiſcoporum, etiam olim, explorabatur ſententia; ut plurimorum ſuffragia concurrerent ad definiendum id, quod omnes ſequerentur. De quo ita ſcribit S. Ambroſius, ad Epiſcopos Æmiliæ. *Etiam poſt Ægyptiorum ſupputationes, & Alexandrinæ Eccleſiæ definitionem, Epiſcopi quoque Romanæ Eccleſiæ, per literas adhuc plerique meam expectant ſententiam, quid exiſtimem ſcribere de die Paſchæ.*

Ambroſ. Epiſt. 83.

XXIX. RO. PONTIFEX BRITANNIÆ.

His præmiſſis, certum efficitur omnem ſaltem Occidentem & imprimis Britannorum Eccleſias, dictatum à Romano Pontifice diem Paſchatis, nec aliunde, excepiſſe: illumque morem obſervaſſe, quamdiu Paſchales literæ in Britanniam tutò mitti poterant; hoc eſt, quamdiu pleno vicarioque commercio, Britanni liberè cum Romanâ Eccleſiâ communicabant. Verùm infideli Saxone Inſulam ingreſſo, & occupante maritima: cum illi ad montes & inculta cogerentur; vix ſeſe tueri ab hoſtili incurſu; nullo autem modo, Romanæ Sedis oracula excipere, potuerunt. Tunc demum, ut deſiit Paſchalium literarum communiò; cæpit nequior ille celebrandi Paſchatis ritus, quem infrà explicabo; & oſtendam nullo modo Græcum aut Orientalem fuiſſe; quod ſectarii noſtri, decumanâ calumniâ, illis affingunt: ſed tantùm decimâ quartâ lunâ in Dominicam cadente, non expectabant, cum reliquo orbe, ſequentem: itaque tranſgreſſi ſunt illi quidem, Nicænam legem; quæ Judæos averſata, cavit, ne cum illis, qui Chriſtum crucifixerant, Paſchale Sacramentum coleretur; cæterùm quàm procul fuerint ab errore quartadecimanorum, tunc indicabo, cum primùm à Romano more receſſerint. Interim dico, nunquam illos hactenus, aliter feciſſe, quàm quod ab exordio fidei docti ſunt; ab Eleutherio, inquam, Victore, aliiſque Romanis Pontificibus, ut ſuprà oſtenſum. & quod ad hoc ſæculum ſpectat, probari poteſt illuſtriùs: quia Conſtantinum habemos in Nicæna Synodo illuſtriſſimum principem; qui ſcriptis literis univerſo Orbi teſtabitur, Britanniam, cum Urbe, in feſto Paſchatis fuiſſe. Nam & hic viſum Patribus, Imperatoris auxilium implorare; ut

ET BRITANNIA OBEDIVIT.

datis

datis in Orientem literis, monerentur illi, qui in festo claudicabant; cum aliis, melius sentientibus, rectà incedere. Quod ille religiosè præstitit; & decretum à Patribus diem, multis rationibus urget, & potissimum Occidentis exemplo: à quo recedere, indecorum putat, & tot Patribus refragari, impium. Quoniam verò numerando Occidentis provincias, quæ Romam sequebantur, expressam Britanniæ mentionem facit, & integras ejus literas, ut discant sectarii non ultra fingere, Britannos hoc tempore, græcæ potiùs fidei, quam latinæ, fuisse.

CONSTANTINUS AUGUSTUS
Ecclesiis, Salutem.

XXX. Euseb. l. 3. c. 14. Constantini literæ pro Paschate.

Cum ex florenti, & prospero Reip. statu quanta sit divinæ virtutis erga nos benignitas, compertum haberem; istud omnium maximè mihi propositum putavi, ut in sanctissimâ Catholica Ecclesia multitudine, una fides, sincera charitas, & consentiens erga Deum omnipotentem religionis cultus, servaretur. Verùm quoniam istud non poterat aliter in loco tuto firmoq; collocari; nisi vel omnes Episcopi, vel maxima eorum pars, in unum convenisset; singuliq; judicium, de rebus ad sacratissimam religionem pertinentibus, interposuissent: eam ob causam, cum cœtus quantum fieri poterat, maximus, coactus esset; ipse tanquam unus è vestrum numero, unà adfui. Neque enim recusabam (ex qua re jam maximam capio lætitiam) me vobiscum in eo ministerio conjungere. Atque eousque de omnibus rebus accuratè quæsitum est, quoad sententia Deo omnium contemplatori grata acceptaq; propter concordiam, & animorum consensum, palam pronuntiata esset; sic ut nihil, quod vel ad discordiam, vel ad fidei controversiam spectaret, omninò in posterum coloquium fieret. Ubi cum de sanctissimo festo die Paschalis disceptaretur, communis omnium sententia, videbatur rectum esse; ut omnes ubique, uno eodemq; die, illud celebrarent. Quid enim præstabilius, quidve Augustius esse poterat, quam ut hoc festum, per quod spem immortalitatis nobis ostentatam habemus, uno modo, & ratione, apud nos integrè sincereq; observaretur. Ac primum omnium, indignum planè videbatur; ut ritum & consuetudinem imitantes Judæorum (qui quoniam suas ipsorum manus immani scelere polluerunt, meritò, ut scelestos decet, cæco animorum errore tenentur irretiti) istud festum sanctissimum ageremus. Est enim nostrarum partium, ut illorum more rejecto; veriore ac magis sincero instituto (quod quidem usque à prima passionis die hactenus recoluimus) hujus festi celebrationem, ad posterorum sæculorum memoriam propagemus.

XXXI. *Nihil igitur sit nobis commune, cum Judæorum turba, omnium odiosâ maximè. Aliam Dominus viam, quam insistamus à Servatore didicimus. Proponitur namque sanctissimæ religioni cursus quidem, & legitimus, & decorus. Hunc igitur consentientibus animis mordicùs tenentes, fratres honoratissimi; ab illa detestabili Judæorum opinione, nos ipsos removeamus. Est enim reverà absurdissimum, ut illi insolenter se jactent, nos absque ipsorum disciplina subsidio, istas res nullo modo posse observare. Quid tandem est, de quo illi rectè sentire queant; qui post necem Domino illatam, post parricidium illud nefandum, ex mentis statu deturbati; non ratione ulla, sed temerario animorum impetu, quocunque insita ipsis, & innata insania rapiat, feruntur? Hinc etiam existit, quod ne in hac quidem parte veritatem perspiciant: quippe præ errore extra exquisitam temporis, in hoc festo celebrando, observationem, longissimè evagati, eodem anno alterum Pascha celebrant. Proinde quid est, quod eos imitemur, quos constat gravi erroris morbo laborare? Eodem namque anno idem festum bis celebrandum non permittemus.*

Verum quamvis ea à me non fuissent proposita, tamen vestra solertia esset, cum diligentiam adhibere; tum semper optare, ut nulla vobis aliquando detur occasio, vestrorum animorum integritatem, nequam hominum moribus admiscendi. Ex his item illud potest intelligi; nefas esse, uti in tanto, & tam solenni religionis nostræ festo, regnaret dissensio. Unum enim libertatis nostræ diem festum, hoc est, sanctissimæ passionis, Salvator noster nobis tradidit, unamq; Ecclesiam Catholicam esse voluit. Cujus quidem membra, tametsi in multa, & varia loca dispersi sint; tamen uno spiritu, hoc est, divinâ voluntate, & nutu coalescunt. Vestræ igitur sanctitatis prudentia, accuratè secum consideret; quàm grave, imo verò quàm indecorum sit; ut iisdem diebus, alii jejuniis vacent; alii agitent convivia: ac post dies Paschatis, alii in festis, & animorum remissione versentur; alii præscriptis jejuniis se dedant. Quapropter istud rectiùs instituendum est, & ad unam normam redigendum. Hoc enim (sicut omnes vos satis animadvertere existimo) divina providentia vult. XXXII.

Et quoniam istud erat ita via & ratione gerendum, ut nihil nobis cum consuetudine parricidarum, & illorum, qui necis Domini authores extiterunt, sit commune: & modus ille eximius decorusq; servandus sit, quem omnes Ecclesiæ servant, quæ orbis partes, vel versùs Occidentem, vel versùs Meridiem, vel versùs Septentrionem sitas incolunt, ac nonnullæ quoque quæ in locis ad Orientem spectantibus habitant: idcirco omnes in præsentiâ hoc rectè se habere arbitrati sunt. Ipseq; etiam in me recepi, vestram sapientiam facilè assensuram, ut videlicet, quod in urbe Româ, in Italiâ, in Africâ, in Ægypto, in Hispaniâ, Galliâ, & BRITANNIA, in Lybiâ, & universâ Græciâ, in Diœcesi Asiaticâ & Ponticâ, in Ciliciâ denique, unâ & consentiente sententiâ conservatur: hoc etiam vestra prudentia libentes, approbaturos: illud sedulò reputantes; non solùm quod in locis, quæ modo citavi, major Ecclesiam numerus existat; sed etiam quod sanctissimum institutum sit; ut omnes communi consilio id ratum cupiant, quod recta ratio postulare videtur; quodq; nihil cum Judæorum perjurio habet commercii. Verum ut summam rei breviter complectar; visum est, communi omnium judicio, sacratissimum Paschatis festum, uno eodemq; die celebrandum esse. Neque enim de re tam sanctâ, ac solemni, ulla dissensio debet existere: imo verò hanc sequi sententiam, cui nullus à fide alienus error, nullum vitium admistum sit; multò maximam habet commendationem. Quæ cum ita se habeant, libentibus animis hoc decretum, tanquam donum Dei, & mandatum reverà cælitùs demissum, amplexamini. Nam quicquid in sanctis Episcoporum conciliis decernitur; id universum divinæ voluntati debet attribui. Quamobrem vos, ubi omnibus dilectis nostris fratribus, res in hoc concilio gestas, sententiam jam decretam, & sanctissimi festi observandi modum, denunciaveritis; eadem ipsi approbare, justeq; disponere debetis; ut simulatque vestram rectam omnium rerum dispensationem, jam pridem à me desideratam, me planè perspicere contigerit; uno eodemq; die vobiscum una sacrosanctum festum recolere possim; & simul omnium causâ permagnam animo capiam voluptatem. quod quidem fiet, cum intellexero, & diabolicam crudelitatem, divina virtute opem ferente, per vestra rectè facta, prorsùs profligatam esse; & fidem nostram, pace & concordiâ XXXIII.

Britannia Romanum Pascha observat.

conciliatâ,

conciliatâ, ubique egregiè florere. Deus vos fratres chariss. servet incolumes. Huc usque Constantini literæ.

XXXIV. Non observat Constantini monita.

Et utinam illæ aureis exaratæ literis, tam communes essent, ut à vulgo legi & intelligi possent. Erubescerent fortè aliqui ad singulos apices, cum se tam longè cernerent à sui principis antiqua fide & pietate. Legerent enimverò, quid factum à Britannis, in solennitate Paschatis, quam procul illi fuerint à diabolicâ crudelitate, quam factiosi hodie vellent illis imponere. Legerent etiam quàm grave & quàm indecorum sit, illis diebus in conviviis esse quibus alii jejuniis vacant: Et contra, modum illum decorum eximiumque servandum esse; quem omnes per orbem servant Ecclesiæ. *Denique scirent quicquid in sanctis Episcoporum conciliis decernitur; id universum divinæ voluntati debere attribui.* Et fortè ut, dixi erubescerent clarè cernentes, Constantini dicta nullo modo stare cum factis suis. Immò, quod nunquam putasset Imperator, tam promiscuè convivia agitari; ut nullâ quadragesimæ reverentiâ, ad Paschatis festum irreligiosè curratur. Sed nec ipsum festum coli ex mente & decreto Synodi. Non sum quidem nescius Nicænam Synodum, à modernis Principibus hujus Insulæ verbo tenus fuisse in honore, & publicis comitiis decretam observantiam. Sed quid putatis, de publico & singulari more servandi Paschatis? Estne ille, quem Nicæni Patres sanciverunt? quem ut audisti, universus Orbis observavit? quem denique gravissimis literis commendat Constantinus? Nihil minus. præscripsit Synodus, ut dies ille Dominicus sacer esset resurrectioni Dominicæ, qui primus occurreret à Lunâ decimâ quartâ mensis primi. quod etiamnum observat orthodoxus orbis. Servátne Anglia? Cogor sanè Constantini patriam, in rectâ fide quondam principem, erroris arguere, quem nec Græci, nec Oriens, nec Scotorum primi, qui Britannos malè docuerunt, tam obstinatè admisissent. nam sæpè, sæpè paucorum annorum spatio Pascha celebravit (si tamen festum illud celebrari dicendum est, nullâ jejuniorum religione præviâ) secundâ Dominicâ post decimam-quartam Lunam. & tunc mihi occurrebat Constantini sententia: *Modus ille decorus, eximiusque, servandus esset, quem totius orbis servant Ecclesiæ.* Quis putaret, stante hoc errore alieni ritus, in observatione Paschatis, vocari posse in patrocinium hodierni schismatis, aut Nicænam Synodum, aut Constantinum nostrum, aut Britannos hujus sæculi: & tamen ambitiosissimè vocantur, quoties læsæ majorum fidei factiosi arguuntur. Dicunt enim, se Saxonum fide, quam M. Gregorius, & Augustinus legatus ejus, docuerunt, antiquiores esse: & cum Constantino & Britannis, qui hoc sæculo fuerunt, credere: ritumque celebrandi Paschatis, non ex urbe, sed ex Asiâ accepisse. quæ, ut Lector videt, ἀσύστατα sunt, & optimè probant sectarios nostros in fide perduelles esse.

XXXV. Anglia non vult sequi Nicænos Patres.

Quæsivi aliquando à peritis, in hâc Insulâ, quorsum errarent tam enormiter à Nicæno Canone in festo Paschatis? & quorsum in dierum calculo supputationeque, à reliquo orbe dissentirent? & nunquid Roma fecisset benè, in decem dierum correctione? Responsum est; rectè quidem id factum: nec aliter servari potuisse Nicænum Canonem: sed quia Roma præcessit, Angliam sequi puduit. Itáne verò Angliam pudet sequi, quod rectum est? Vide quid fecerint Nicæni Patres. Illi decretum à Romanis Pontificibus Paschatis diem, ut suprà ostendi, nec alium sequuti sunt. Quod & ipsi testantur in literis, quas communi suffragio scripserunt, ad Alexandrinam Ecclesiam. ubi inter cætera aiunt: *Quod autem ad omnium consensum, de sacratissimo festo Paschatis, attinet; scitote quod vestris precibus, controversiá, ea de re, susceptá, prudenter & commode sedata est; ita ut omnes fratres, qui Orientem, quique, Iudæorum consuetudinem ante, in eo festo observando, imitari solent; jam ROMANOS, nos & omnes vos, qui eundem morem, quem nos in eo recolendo, à primis temporibus, tenuistis, sunt consentientibus animis, in eodem celebrando deinceps sedulò secuturi.* Ecce non pudet universum Orbem, Orientem & Occidentem, Romanos sequi: & nunc pudet Constantini patriam: cum tamen ipse Constantinus suprà tam seriò monuerit: *Ne in re tam sanctâ atque solenni ulla dissensio debeat existere: atque ut lubentes hoc de Paschate decretum, tanquam donum Dei, & mandatum reverà cælitùs demissum amplexarentur omnes.* Hæc satis de festo Paschatis.

Theodoret. l. 1. c. 9.

Hic n. 33.

XXXVI. Britannia Romanam Sedem coluit.

Sequitur aliud, quod sectarii nostri habent in ore frequentissimum· Britanniam, ante Gregorii M. tempora, nunquam Rom. Sedem coluisse, nec inde jura aut imperia accepisse. Unde sequitur, Rom. Pontificem hoc omni sæculo, nullum in Britannorum Ecclesiis primatum habuisse. videamus quid hac in re senserint Nicæni Patres.

Canon 6.

In canone sexto dixerunt: *Antiqua consuetudo servetur per Ægyptum, Libyam, & Pentapolim: ita ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem: quia & urbis Romæ Episcopo parilis mos est. Similiter autem & apud Antiochiam, cæterasque, provincias, suis privilegia serventur Ecclesiis. Illud autem generaliter clarum est; quod si quis præter sententiam Metropolitani, fuerit factus Episcopus, hunc magna Synodus definivit Episcopum esse non oportere.*

Variè exponitur.

In hoc Canone legunt orthodoxi Romanæ Sedis primatum, super omnes omnino Ecclesias, & magnis probant argumentis, nihil à Nycæna Synodo, Romanæ Sedi, de novo concessum: sed declarari tantùm, quod priùs creditum, præcipique id servari. Heterodoxi verò in hoc Canone non conveniunt. Quidam primatum hîc, de novo concedi, nec ante hunc Canonem, Romanum Pontificem, Primatem fuisse putant: ideo Silvestrum nunc sedentem primum appellant Romanæ urbis Papam, quia scilicet Constantini permissu; ut ipsi putant, pontificatus ac principatus insignia induit. Alii qui magis Romanam Sedem premunt, volunt tantùm hic decerni Romanum Pontificem, simili cum Alexandrino jure gaudere, & omnem Occidentem eo modo regere debere, quo Orientem Antiochenus; & Ægyptum Alexandrinus regere præcipitur. ita Theodorus Balsamon in hunc Canonem, & Nilus libro contra Primatum. *Concilium,* inquiunt, *decrevit ut Episcopus Alexandrinus habeat curam totius Ægypti: sicut Rom. Episcopus habet curam totius Occidentis.* Ubi nota, non de novo decerni, sed supponi Romani Pontificis potestatem, in omnem Occidentem. unde sequitur, & opinor nemo diffitetur; Rom. Episcopum esse saltem magnum Italiæ, & nostri Occidentis Metropolitam. Quemadmodum ergo Nicæna Synodus definit Alexandrinum Episcopum habere

Balsamon in can. 6.

omnium Ecclesiarum Ægypti, Libyæ, & Pentapoleos, potestatem: sic, sine ullo dubio, dicit eadem Synodus, eandem Rom. Pontificem in omnes Occidentis Ecclesias potestatem jam olim habuisse.

XXXVII. BRITANNORUM EPISCOPI A ROM. METROPOLITA.

Hoc præmisso, redeo in Britanniam; & miror nescio quos nepotes, in majores suos impios, asserere Britannorum Ecclesias, nullum habuisse cum urbe commercium, & nullam Ecclesiæ illi servitutem debuisse; cum Britannia Occidentis provincia sit, & plures Episcoporum sedes habuerit, nec Alexandrino, nec Antiocheno Episcopis subjectas. Porrò, cum trecenti & octodecim Patres disertè affirmaverint, *PER OMNIA MANIFESTUM EST, quod si quis præter voluntatem & conscientiam Metropolitani Episcopi fuerit ordinatus: hunc Concilium magnum, & sanctum, censuit non debere esse Episcopum.* Manifestum per omnia est, aut Britanniam nullos Episcopos, aut eos habuisse è voluntate arbitrioque Rom. Pontificis. Et illi insigniter Insulam dehonestant, & omnem Britannorum fidem; qui negant eorum Ecclesias hoc tempore, Romanæ paruisse. Nec novum hoc, subjicere minores Ecclesias alicui principi. Nam *morem* & *antiquam consuetudinem* id Nicæni Patres vocaverunt. Et prior Tertullianus jussit in negotio fidei, petendas pulsandasque esse Apostolicas Ecclesias, & pro Occidente Italiam nominat. Prior etiam Cyprianus hujusce moris originem & causam reddit, libro quarto Epist. 8. ubi scribit: *Romanam Ecclesiam ab omnibus aliis pro matrice & radice Catholicæ Ecclesiæ agnoscendam esse.* Confirmaverunt ergo Nicæni Patres morem, quem orbis jam inde ab Apostolorum tempore observarat. Cæterùm Britanniam hunc morem violasse, aut potiùs nunquam servasse; insignis calumnia est, & factiosæ tantùm frontis fictio. Constantinus certè Britannus homo, non tantùm illum servavit, sed ad id divina se lege teneri arbitratus est, cum Donatistarum querelas ad Rom. Sedem misit, scripsitque ad Melchiadem Papam, *Sanctissimam Dei legem ita postulare.* Hanc etiam ob causam Lucius Rex noster, ad Eleutherium misit, promisitque subjectionem: quæ nunquam soluta est; quicquid factiosi contra nitentur. Concludo itaque: Britannia hoc quarto sæculo agnovit Romanam Sedem, principem suam esse. Si litem intentas; trecenti decem & octo Nicæni Patres judices: Constantinus & Helena, testes sunto.

Tertul. de præs. c. 36.

XXXVIII. DE SACERDOTUM CÆLIBATU.

Vidimus sectarios nostros in duobus satis turpiter lapsos: in Paschate, inquam Britannorum, & eorum subjectione obedientiaque in Rom. Sedem: nunc aliud exploro in quo æquè hallucinati sunt. Conquirunt enim undique argumenta, quo Romanæ Sedis imperium fugiant. Quod ego patientiùs ferrem, si factionis tantummodo genium secuti, jugum exuissent. Sed quia Britannorum exemplo, id factum esse contendunt: contendam ego id, injuriâ, & præter omnem veritatem dici ac fieri. Porrò, quia tria tantum prætendunt schismati suo: & jam constat de duobus, fucum esse. Tertium objiciunt: Britanniæ clerum omnem conjugatum fuisse, ac proinde Orientis Græciæque potiùs morem, quàm Occidentis sequutum. Conantur tueri nunc errorem è Nicænâ Synodo, quam jam inspicio. Videbo an subsistat: Canon tertius sic se habet. *Interdixit per omnia magna Synodus, non Episcopo, non Presbytero, non Diacono, nec alicui omnino, qui in Clero est, licere subintroductam habere mulierem: nisi fortè aut matrem, aut sororem, aut amitam, vel eas tantum personas, quæ omnem suspicionem effugiunt.* ita ibi, & adhuc salva res est: nec Britannus Clerus ibi excipitur, aut patres, eorum conjugiis suffragantur: sed potiùs, omni ubique Clero continentiæ præceptum imponitur. Verùm Socrates & Sozomenus huic actioni aliquid intexuerunt, quod factiosi hauriunt paulò avidiùs. Sozomenus ita scribit. *Dum esset de hac re deliberatum, aliis visum est, legem introducere, quæ juberet; ut Episcopi, Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi, cum uxoribus, quas ante duxissent, quàm essent sacris initiati, neutiquam dormirent. At Paphnutius Confessor, in medio consessu surgens, illi legi contradixit; nuptiasque, honorabiles, & consuetudinem virorum cum suis uxoribus continentiam vocavit. Postremò Concilium hortatus est; ut talem legem minimè promulgaret. nam rem esse ad ferendum difficilem; & fortasse causam illorum uxoribus fore, ut non satis castè vitam traducant. Ac veterem Ecclesiæ traditionem esse, ut qui cælibes gradum sacerdotalem consecuti fuissent, postea minimè uxores ducerent. Qui autem post nuptias, ad eum ordinem vocati essent: hi ab uxoribus minimè separarentur.* Ita Sozomenus, & eo ferè modo Socrates: addit solùm: *Paphnutius vehementer vociferatus est non grave jugum cervicibus illorum imponendum esse, qui erant sacris initiati,* &c.

Conc. Nic. can. 3.

Sozom. l. 1. c. 22.

PAPHNUTII SENTENTIA.

Socrat. l. 1. c. 8.

XXXIX. EXCUTITUR. *Hic n. 5.*

Jungunt hic cum Paphnutio dextras sectarii; & pro intercessione hac, gratias illi agunt tam impensè; ut primam illi in Synodo sedem concesserint, quemadmodum suprà animadverti. traxit hæc sententia Lutherum è Monasterio, moniales aliquot à consilio castitatis, & Anglicanum Clerum ad nuptias tam effusè; ut susque deque habentes *veterem Ecclesiæ traditionem,* (ut qui cælibes gradum Sacerdotii consequuntur postea minimè uxores ducerent) quam tamen magni fecit Paphnutius; ad uxores, tam priùs, quàm posteriùs promiscuè currant. Sed quid? peroravit ita Paphnutius? & unus ille ignotæ sedis Episcopus traxit universam Synodum in partes suas? Nihil minùs; sed Græci tantùm quærunt patrocinium aliquod incontinentiæ suæ. nam plura concilia idem sanciverunt; & absque controversiâ ab omnibus observata est vetus Ecclesiæ traditio, ab uxoribus priùs habitis abstinendi. cujus rei testis est S. Basilius qui Nicæni Canonis authoritate, noluit septuagenarium senem, secum habitantem habere mulierem, sed inquit: *Ejice illam ex ædibus tuis, & trade in Monasterium; sit illa cum virginibus, tu inter viros ministra. Lege Canonem à sanctis Patribus nostris in Nicæna Synodo constitutum; qui manifestè interdixit ne quis mulierem subintroductam habeat.* Hoc neutiquam Basilius allegasset, si Paphnutius à condendo Canone Synodum ita terruisset. Adde, concilia nunquam Ecclesiasticas consuetudines invertunt, aut evertunt: Teste autem S. Hieronymo: *Apostoli, vel virgines, vel post nuptias continentes; Episcopi, Presbyteri, Diaconi, aut virgines eliguntur, aut vidui; aut certè post Sacerdotium in æternum pudici.* Hinc satis constat Paphnutium non ita, ut fingitur, pro uxoribus advocasse; qui *à puero,* inquit Socrates, *seipsum severo vitæ disciplinæque generi totum dedidit, ob singularem castimoniam famâ eximius.* Constat, inquam, non ita *vehementer vociferatum esse.* Nam Deum immortalem! qui fieri potuit, ut in sanctissimo gravissimorum

REIICITUR.

Basilius Epist. 7.

S. Hieron. Epist. 50.

Socrat. l. 1. c. 8.

virorum coovenru ; ubi Christi divinitas Arii factione admodum periclitata elt ; nemo vociferatus legitur : Paphnutius autem vir modestissimus, pro re uxoria *vehementer* vociferatus sit. Dic ergo intrepidè Græcos tantùm quærere textum pro prætextu suo ; eo modo, quo nostrates quærunt in Græciâ socios factionis.

XL. PAPHNUTII VOX NON SUFFRAGABATUR CLERO ANGLICANO.

Sed demus omnia : Paphnuoium ita pro Sacerdotibus intercessisse ; ac ut uxoribus uterentur, *vehementer vociferatum esse* : demus Socratem, & Sozomenum fideles esse, demus Patres omnes obsequutos nni : non inde tamen sequitur conjugatio nostrorum Clericorum, quæ omnino præter mentem Paphnutii est, & admodum heteroclyta. Unde non video cur factiosis nostris Paphnutius adeò in deliciis sit, aut cur ad eum tanto impetu provocent : cum à Christo nato ad hunc usque diem, oulla Synodus, nollus Paphnutius, nulla ætas, Sacerdoti æquè ac Laico conjugia permiserint. Videntur ergo sectarii, eo modo peccasse in hac quæstione ; ut nuper peccaverunt in Græcorum Paschate. Et quemadmodum ibi avidiùs hauriendo, nec morem, nec circumstantias, nec tempora discreverunt ; ita hic, cum vident in Socrate aliquid, quod Roma damnat in lege Sacerdotii ; de circumstantiis parùm sollicitò, Paphnutium inclamant, cum in capite Synodi collocant, & matrimonia nuptiasque tuburcinantur. Nihil ergo mirum si inane tantum & futile argumentum elicitur : cum ex cibo avidiùs sumpto, atqoe ita indigesto ; mhil sanum perfectumque enascatur. Vide Lector factiosorum in arguendo cacoëthes, & ride. Paphnutius in Nicænâ Synodo censuit, coujugato homioi ; si ad Sacerdotium ascendat ; licere usum conjugii. Ergo ad castitatem nemo, non Monachus, non Sacerdos, oon Episcopus, quamvis priùs castitatem voverint, tenetur. Iterum. Britanni olun conjugati fuere. E græciâ ergo Britannorum fidei primitiæ. Sed unde probas conjugatos fuisse ? quia, inquiunt, Paphnutius Nicææ *vehementer vociferatus est*. O auritos homines ! qui ad unius vocem tam immaniter aures porrigunt, & claudunt obstinatè ad Orientis & Occidentis decreta ! Nos certè scimos, Nicænos Canones, à Britannis religiosè servatos ; unde facilè probamus, eorum Sacerdotes, omne mulierum consortium declinasse. nam quicquid de Oriente sit ; Romani Ponofices Occidenti id nunquam permiserunt.

XLI. BRITANNORUM SACERDOTUM CÆLIBATUS.

Sed uode probant proletarii nostri, Britannorum Clerum ivisse post carnem alteram, & Sacerdotium nuptiis miscuisse ? Si dicunt, Restitutum Londinensem Episcopum, & Hilarium Pictaviensem, conjugatos fuisse ; manifestè ludunt in verbo, nec tangunt difficultatis nodum. nam aliud est conjugatum esse, aut fuisse ; aliud Episcopum ac Sacerdotem posse uxorem ducere. primum, olim, & in inopiâ ministrorum freqoens, ut notat Hieronymus contra Vigilantium : aliud monstrum est, & fœtus illius fidei, quæ nuper miscuit sacra profanis ; & paulatim sacra omnia omninò temerat atque profanat. frustrà ergò Restitutus & Hilarios, testes producuntur, pro Britannorum conjugiis ; nisi simul probetur, quod nunquam hactenus probatum est ; eos, stante Sacerdotio, conjugii quoque usum habuisse. Sed aliud, & fortius, telum jaciunt in Britannici Cleri castitatem, cum Bedam & Aldelmum producunt, magnos & anoquos testes, Britannos olim *perplura in Ecclesiasticam castitatem & pacem peccasse*. dicendum ergo illos à Paphnutio doctos, Nicænum Canonem respuisse. & quamvis Beda & Aldelinus errorem appellent ; Britanni tamen aliter putaverunt. Deus bone, quàm sæpè, quàm ulsipidè, ille Bedæ locus pro Anglicani Cleri nuptiis adfertur ! quàm imperitè Magdeburgici Aldelmo irascuntur, quod scripserit librum contra Britannos, cælibatum improbantes ! nam suo loco ostendam, nec Bedam, nec Aldelmum, unquam somniasse, nédum dixisse, Britannos aliquid in castitatem peccasse : sed prætendi tantùm amanuensium & librariorum vitia, pro factionis fundamento. *Scripsit Aldelmus*, teste Beda, *librum egregium contra errorem Britonum, quo vel Pascha non suo tempore, vel alia perplura Ecclesiastica* CARITATI *& paci contraria gerunt* : nihil scripsit de eorum castitate. de quo plura sequenti sæculò. Erepto hoc telo, è manibus adversariorum ; nullum omnino superest qoo probent Britannorum Sacerdotes conjugatos fuisse. Servaverunt ergo Nicænæ Synodi canonem tertium ; nec Paphnutii vehementem vociferaoionem audiverunt. sed potiùs secundæ Arelatensis Synodi canonem secundum (ut referunt Magdeburgici) ubi dicitur. *Assumi aliquem ad Sacerdotium non posse, in vinculo conjugii constitutum, nisi fuerit promissa conversio.*

Bed. l. 2. c. 19.

Cent. 7. c. 10. fo. 589.

BEDÆ LOCUS RESTITUITUR.

l. an 692 n. 4. 5 &c

2. Arelat. c. 2.

XLII. ACESII DOGMA.

Actum quoque in Synodo est, de Acesio, qui revocarat ab inferis Novatianum dogma ; quo lapsis pœnitentia & absolutionis beneficium negabatur. Quod ab universo cætu damnatum est ; indeque semper ab Ecclesia explosum, teste S. Augustino. Sed noo obiter prætereunda est mentio paradoxi hujus : quod hoc nupero sæculo cum majore impietate revixit ; auctoribus Luthero, & Calvino : itaque Novatianus olim concesserat quidem Sacerdotem posse absolutionis beneficio peccata dimittere : aliqua tamen dictitabat esse majoris momenti crimina ; quorum absolutio ob facti enormitatem divino solùm examini reservari deberent. Quid ad hoc Nicæni Patres & Constantinus dixerint, & qua ratione Acesii malo occurrerint, Socrates in hunc morem narrat. *Quoniam concordia Ecclesia, permagnam curam habebat Imperator ; Acesium secta Novatianorum Episcopum, ad concilium accersivit. ac postquam decisio de fide à concilio, tum in Commentarios relata, tum subscriptionibus confirmata erat ; Imperator sciscitatur ab Acesio ; utrum ipse, & eidem fidei & decreto quoque de festi Paschatis observatione constituto assentiretur ? Tum ille, nihil novi, inquit, ô Imperator Concilium decrevit statuitq; : nam antiquitùs à primis Ecclesia jactu fundamentis, & ab Apostolorum temporibus, eandem fidei decisionem derivatam fuisse, & idem tempus festi Paschatis celebrandi observatum accepi. Rursum cum Imperator quæreret ; quid causa esset, cur se à communione segregasset : Ille res regnante Decio gestas, & qua persecutione ingruente acciderant, pro se citavit ; exquisitamq; severi cujusdam canonis observationem, in medium adduxit : nimirum eos qui post baptismum in illud peccati genus, quod sacrosancta Scriptura peccatum ad mortem appellant, delapsi fuissent, non debere divinorum mysteriorum fieri participes ; sed ad pœnitentiam cohortandos, & remissionis spem, non à Sacerdotibus, sed a Deo, qui & potest & authoritatem habet peccata remittendi, expectandam. Qua cum dixisset Acesius : Imperator sic cum denuò affatus est : Erigito tibi scalam, Acesi, & ad cælum solus ascendito.* Ita ibi.

August. de agon. Christ. c. 31.

Socrat. l. 1. c. 7.

XLIII. GRADUS PERFIDIÆ ET FACTIONIS.

Non ita olim insaniverat Novatianus, ut Sacerdoti in peccata potestatem negaverit; negavit tantùm in lapsos exercendam: Acesius porrò progressus est ad altiorem impietatis gradum, cum peccata aliqua, potestate clavium majora asseruit. quod in Synodo reprobatum est. Cæterùm hodie in profundum impietatis descensum est ab iis, qui omnem potestatem, in quæcunque crimina, ab Ecclesiâ tollunt. Quod nec Novatianus, nec Acesius affirmarunt. Constantinus hic Acesium risit, & solâ rei gestæ narratione singularem hominem, & quasi suo se ore damnantem, notavit: quid facturus si auctam impietatem, convulsamque omninò majestatem clavium audivisset? sine dubio rejecta paucorum hominum opinione, à Nicænis Patribus stetisset, quod ubique & in omni Synodi decreto religiosissimè præstitit.

MELETIUS CONDEMNATUR.

Meletium in Ægypto schismaticum Episcopum, Patres in ordinem redegerunt: id factum laudavit Constantinus. Romanam Sedem, solemni decreto, illi cæteris prætulerunt. Iste ratum habuit, & prætulit. Illi sacrum Clerum cælibem & castum esse jusserunt: Iste divinam id decere majestatem dixit. Quicquid demum hæc magna Synodus edixit: id Constantinus, non admisit modò; sed ut alii admitterent, laboravit, jussit, coëgit; atque ita se nobilem Ecclesiæ ministrum præbuit; ut nescio quid in Constantino magis laudari probarique possit. Quid inde porro fecerit, sub finem Synodi, ut liberali epulo Episcopos omnes exceperit, & demum discedentes muneribus coluerit, mallem audire loquentem Eusebium.

XLIV. Euseb. l. 3. c. 14. CONVIVIO PATRES EXCEPTI.

Quibus ad exitum perductis, inquit ille, *secundam istam victoriam Imperator se contra Ecclesiæ hostem consecutum affirmavit: & propterea festum triumphale ad Dei honorem illustrandum egit. Eodem tempore vigesimus ejus regni annus completus est: in quo conventus celebres etiam apud reliquas gentes agitabantur. Inter Dei ministros, jam pace conciliatâ, ipse Imperator convivium celebrare cœpit; & hoc tanquam sacrificium Deo valde accommodatum, per illorum præsentiam obtulit: neque quisquam ex Episcoporum numero, ab illo Regali epulo abfuit. Istud porrò quod ibi factitatum est, omnem dicendi facultatem superat. Satellites enim armati districtis gladiis undique Regiæ vestibula observabant: per quorum mediam turbam, sancti Dei homines, absque formidine ingressi sunt, & ad interiores palatii ædes perrexerunt. Ex quibus alii deinde, una cum Imperatore accumbere: pars propè valvas triclinii utrimque assidere: Regni Christi * effigiem in eâ re adumbrari videbatur: ubi autem convivium magnorum splendore venit ad exitum; illud præterea, quo omnes magnificentiùs, & liberalius exciperentur, accessit: quisque nimirum pro dignitate, muneribus honorificè donatus fuit.* Hæc Eusebius. Ita Christus Dominus consolatus est Ecclesiam, quæ post tristissimam hyemem, & tyrannorum tempestates, jucundissimè emersit in serenum diem, & à Constantino meruit honorari. juxta Isaiæ vaticinium: *Pro eo quod fuisti derelicta, & odio habita; & non erat qui per te transiret; ponam te in superbiam sæculorum, gaudium in generationem & generationem. Et suges lac gentium, & mamilla Regum lactaberis: & scies, quia ego Dominus salvans te, & redemptor tuus fortis Iacob.* Quod modò illustrissimè adimpletum est, Constantino in Nicænis Patribus universam Christi Ecclesiam complectente, exhilarante magisque honoribus, & muneribus coronante.

* effigies fortè.

Isai. 60. 15.

XLV. SCRIBUNT AD SILVESTRUM.

Porro Nicæni Patres pro decretorum suorum firmitate, literas ad Silvestrum dederunt in hæc ferè verba: *Beatissimo Papa urbis Romæ, cum omni reverentia colendo, Silvestro, Osius Episcopus provinciæ Hispaniæ civitatis Cordubæ, Macarius Episcopus Ecclesiæ Hierosolymitanæ, Victor, & Vincentius, Presbyteri urbis Romæ, ordinati ex directione tuâ: & cæteri Episcopi CCCXVIII. in Domino salutem. Quoniam omnia corroborantur divinis mysteriis, Ecclesiastica utilitatis causâ, quæ ad robur pertinent S. Ecclesiæ Catholicæ, & Apostolicæ, ad sedem etiam Romanam explanata, & de græco redacta scribere confitemur. Nunc itaque ad veræ fidei augmentum accurrimus roborare. Itaque censeat vestra Apostolica doctrina, Episcopos totius vestræ Apostolicæ urbis in unum convenire, vestrumq; habere concilium: sicut docet mystica veritas, confirmet nostra sancita, ut gradus fixos connexa ordinationis tuæ sanctimonia, nostra possit habere regula. Quoniam decet numerum dilectum Coepiscorum à te discere gradus conformes conscendere verbi. Quicquid autem constituimus in Concilio Nicæno, precamur vestro oris consortio confirmetur. Orat beatitudo tua pro universo Concilio. Datum VIII. Kalend. Iulias. Accept. XIII. Kal. Novem. Paulino & Iuliano summis Coss.* Ideò scriptæ hæ literæ, petitaque Actorum approbatio est: quia nihil universæ Ecclesiæ proponi solebat credendum, tenendumque; quod Romanæ Sedis oraculo non firmaretur. *Cum canon Ecclesiasticus vetet*, (inquit Socrates) *ne decreta, absque sententiâ Romani Episcopi Ecclesiis sanciantur.*

CONFIRMARI PETUNT DECRETA, ET QUARE?

Socrat. l. 2. c. 18.

XLVI. Theod. l. 1. c. 11. QUID GESTUM FINITA SYNODO,

Redeuntes in provincias Episcopi, inter cætera, Constantini literas habuerunt, ad provinciarum Præfectos: quibus jubebatur, *ut certus frumenti numerus*, inquit Theodoretus, *viduis, & iis quæ perpetuam servant virginitatem: quin etiam illis, qui divinis ministeriis obeundis consecrati sunt; in singulis civitatibus quotannis suppeditaretur: eumq; non tam egentium necessitate, quam sumptus magnificentiâ mensus est.* Sed quid audio? Perpetuam virginitatem, Constantini sæculo, in honore fuisse? notam etiam probatamque Nicænis Patribus? nam illos procurationem suscepisse, & Constantino suggessisse; non solum est verosimillimum: sed ex præsenti etiam historiâ optimè probatur. Theodoretus enim ita rei gestæ seriem connectit; ut literarum harum ad præfectos missarum bajuli, Episcopi imprimis fuisse videantur. *Convivio tandem peracto*, inquit, *alia dona rursus illis distribuit: Quin etiam literas ad provinciarum Præfectos dedit, mandavitq; ut certus frumenti numerus*, &c. Unde constat has perpetuo virgines, non Constantino modo, sed Nicænis etiam Patribus curæ fuisse; qui institutum illud agnoverunt, probaverunt, defenderunt, atque promoverunt. Quorsum ergo sectarii nostri, qui Nicænos Patres in specie venerantur; has virgines esse noluerunt? ædes earum, virginitatis asyla, destruxerunt? & demum ipsum institutum, dictis factisque lacerarunt? Dicent fortè Constantini tempore, non erant virgines, religione votoque tales, quales hodie fovet Roma; nec ita Monasteriis circumseptæ. Imò verò tales fuerunt, eædem fuerunt, nihil religione, voto, domiciliis, differentes: & illas, pientissimè foverunt Constantinus & Helena Britanni Principes. De Constantino vidimus. de Helenâ testatur Socrates, ita scribens: *Mater Imperatoris adeò pia fuit, ac modesta; ut in medio plebeiarum mulierum turba precaretur. Virgines etiam quæ*

PERPETUA VIRGINITAS PROBATUR A PATRIBUS.

Theod. sup.

AB HELENA, Socrat. l. 1. c. 13.

Ecclesiastica vivendi regula, se consecraverunt; ad epulas invitaret, ipsa illis ministrare obsonia, mensa apponeret.

XLVII. ET CONSTANTINO. *Euseb. l. 4. c. 28.*

Rursum de Constantino, audi Eusebium: *Maximis*, inquit, *honoribus eos prosequebatur Constantinus, qui vitam suam cœlesti philosophiæ dedicassent. Sanctissimum ergo perpetuarum virginum cœtum constanter colebat, quod in earum mentibus Deum ipsum, cui se consecrarant, inhabitare crederet.* En nunc Anglia Constantini sensum, & erubesce novam prolem, heri natam, ab ejus fide degenerem: quæ stantibus virginibus stare non potuit; sed tantùm earum corruptione. Coluit Constantinus maximis honoribus, quotquot se Deo consecrarant; & credidit earum virginum mentibus Deum insidere: cur tu illas profanasti? cur perpetuæ virginitatis consilium improbasti, & dixisti esse ἀδύνατον? potes certè gloriari Constantinum esse civem & Principem tuum: sed nunquam poteris gloriari te habere fidem ejus aut pietatem; donec virginum domicilia, quæ dudum sustulisti, restituas; credasque cum Constantino, & Nicænis Patribus (quod non credidit Lutherus) consecrari posse virgines, ut earum mentibus insideat Deus.

XLVIII. FIDEI ORTHODOXÆ NOTA.

Quoniam verò jucundè versor in hoc argumento, & virgo fides optimè ostenditur perpetuæ virginitatis studio; morabor paulò diutiùs in Helenæ, Constantini, adeoque Britannorum omnium sensu. Quem eleganter expressit S. Athanasius dum Constantini mentem explicans Constantio filio ejus; non tantum dicit ipsum virgines coluisse; sed asserit veræ fidei notam esse sacras virgines, qui se Deo consecrant, colere. Unde Lector colliget, ubi exulant virginum Monasteria, inde quoque exulare virginem fidem. Sed audi Athanasium, quem suprà etiam retuli. *Dei filius*, inquit, *Dominus & Salvator noster IESVS CHRISTVS, homo propter nos factus, profligatâ morte, & liberato è servitute & corruptione humano genere, inter cætera dona largitus est nobis, in virginitate, exemplar angelicæ sanctitatis. Certè puellas, eâ virtute præditas, sponsas Christi Catholica Ecclesia appellare solita est: Quas Ethnici conspectas, ut templum, verbi admiratione prosequuntur. Nusquam enim alibi sanctum illud & cœleste æternæ fidei virginitatis mandatum, feliciter adimpletur, nisi duntaxat apud nos Christianos. ATQVE IN EO MAGNVM DOCVMENTVM EST, PLANE APVD NOS ESSE VERAM RELIGIONEM. Has præ cæteris omnibus beatæ memoriæ religiosissimus pater tuus Constantinus Augustus in pretio habuit: & tua religiositas sæpè eas, in suis scriptis pretiosas & sanctas nominat.* Hæc M. Athanasius, qui si hodie viveret, & audiret nupera dogmata, quibus sacræ virgines premuntur, dehonestantur, & proscribuntur è Rep. diceret enimvero IN EO MAGNUM DOCUMENTUM EST PLANE APUD EOS VERAM RELIGIONEM NON ESSE: & Lutherum non benè secutum doctrinam Christi, qui inter cætera dona largitus est nobis in virginitate Angelicæ sanctitatis exemplar.

An. 301 3. Athanas. Apol. 2.

XLIX. ITERUM OSTENDITUR.

Nec unus Athanasius asserit, veræ fidei notam esse, virginitatis studium; fuit enim eadem mens cæterorum Patrum, qui cum Athanasio vixerunt. Cyrillus Hierosolymitanus eo argumento distinguit orthodoxam Ecclesiam à Manichæorum perfidia, & ait: *Memineritis quæ dicta sunt vobis* (orthodoxis) *quæ consonantia vestrorum, ad illa* (Manichæorum dogmata) *quid luci cum tenebris? quæ Ecclesiæ gravitas ad Manichæorum fœditatem? Hîc ordo, hîc scientia, hîc gravitas, hîc puritas, hîc continentiæ patientia, hîc virginitatis æqualis Angelis dignitas.* Quasi diceret non alibi facilè reperire est, tam pura fidei argumenta; certè non in Manichæorum scholâ: adde, tu Lector, nec in Lutheranâ, aut Calvinisticâ. Cæterùm laus illa, qua virgines sacræ æquantur Angelis, frequentissima est apud Patres hujus sæculi. Cyrillus enim alio loco dixit, è Scripturis id probari: *Præcipuam coronam*, inquit, *in Scripturis habet virginitas; cujus gratia lucebit sicut Angelus.* Hoc in causa fuit, cur statim à conversione Constantini, prodierint in Ecclesia, sacrarum virginum examina: veluti emensâ hyemis asperitate prodeunt ex alveari bus apes, & jucundissimè flores depascuntur, ad mel conficiendum. Hic inquam, Constantini & Helenæ amor, erga virgines Deo dicatas: Hæc laus Patrum, & Sanctorum omnium excitavit plurimos ex omni ordine, sexu, ætate, ad consecrandam Deo virginitatem suam. inter eos Constantia, Constantini filia, meritò vendicat primum locum, quia exemplo suo traxit innumeras, etiam Prætorum, etiam Senatorum filias. Testatur hoc Aldelmus noster in libro de laude virginum, ita scribens. *Constantia, integerrima virtutis virago, Constantini filia, quæ per idem tempus, tripartiti mundi monarchiam prosperis successibus gubernasse noscitur: nónne cunctas propemodùm Romanorum Prætorum filias, omnemq; penè generosam fœmineam sobolem, ac pulcherrimam pubertatis indolem, famosâ virginitatis rumore ad culturam Christianæ religionis, & coronam castitatis incitavit, sermone suasit, exemplo instigavit? Ita duntaxat, ut unamquamque spreto nuptiali thalamo, & maritalis luxus commercio; cœlestis sponsi amplexus enixiùs satagere, & inter virgines sapientes, cum lampadibus properare, ducta crebro suspiria faterentur.* Hæc ille, qui plura habet de hoc argumento, in libro carminum, ubi illam Constantinam vocat. Ut enim Constantius & Constantinus: ita Constantia, & Constantina indiscriminatim ponuntur ab Antiquis.

Cyril. Catech. 6.

Cyrillus cat. 12.

Aldelm. de laud. virg. c. 25.

CONSTANTIA VIRGO CONSTANTINI FILIA.

L. VIRGINES SACRÆ IN BRITANNIA.

Hinc collige, in Britanniâ quoque fuisse, quæ se virgines castas exhibuerunt Christo; & à virorum consortio procul positæ, in Monasteriis se abdentes, virginitatem integerrimè Deo consecrarunt. quod non est arduum hoc tempore probare: cum Oriens, Africa, & omnis Occidentis angulus, ac deserta loca piis hominum cœtibus referta esse prodant latini græcique Historici: & Insula ista, quæ secutis temporibus, tot liliorum millia ad cœlum misit; benè probat sementem præcessisse. Imò satis probabile est exercuisse Helenam illa pietatis obsequia, in virgines sacras, priusquam Orientem lustrasset; nimirùm in Britannia, ubi ut à Josephi Arimathæi tempore, virorum monasteria fuerunt; ita à Lucio Rege, & deinceps, virginum quoque seminaria, transmiserunt in omnem posteaætatem ingentem messem: nec dubitare debemus de earum instituto, quin ejusdem generis & speciei fuerit, cum eo quod hodieque floret: nam Augustinus ita de illo: *Hæc est vita fœminarum, Deo solicitè casteq; servientium, quæ habitaculis segregatæ, ac remota à viris, quàm longissimè decet, piâ tantùm illis caritate junguntur, & imitatione virtutis. Ad quas juvenum nullus accessus est, neque ipsorum*

Aug. de morib. Eccl. c. 31.

IN AFRICA

quamvis gravissimorum senum, nisi usque ad vestibulum, necessaria prabendi, quibus indigent, gratiâ. Lanificio namq; corpus exercent, atque sustentant; vestesq; ipsas fratribus tradunt, ab iis invicem, quod victui opus est, resumentes. Fuerunt ergo in Africâ sanctimoniales inclusæ pro virginitatis custodiâ. Quod ad votum accesserit velum capiti, ac crinium depositio, testatur S. Hieronymus ita scribens de Ægypti Monasteriis ad Sabinianum. *Moris est in Ægypti, & Syria Monasteriis; ut tam virgo, quàm vidua, qua se Deo voverint, & saculo renuntiantes, omnes delicias saculi conculcarint; crinem Monasteriorum matribus offerant descandum, non intecto post, contra Apostoli voluntatem, incessura capite; sed ligato pariter ac velato.*

ET ÆGYPTO.

Hiero. Epist. 48.

LI. VELATÆ VIRGINES.

Optat. l. 6. cont. Parmen.

Hoc velum capiti virginum impositum, mitrellam vocavit Optatus Milevitanus; qui inter cætera Donatistas accusat in hunc modum: *Iam illud quàm stultum, quàm vanum, ut virgines Dei agerent pœnitentiam, ut jam dudum professa signa voluntatis capitibus, postea vobis jubentibus immutarent, ut mitrellas alias projicerent, alias acciperent.* Cæterùm quid mitrella fuerit, dicat Cæsar Baronius hunc Optati locum exponens: *Erant*, inquit, *mitrella in Africanâ Ecclesiâ, ornamenti capitis genus, quod sacrandis virginibus ab Episcopis soleret imponi: sicut Roma, & in aliis locis sacrum velum. Quod enim virgines sic Deo dicata, sponsa Christi ex more dicerentur, eo insigni earum capita tegere, quò à nubendis discriminarentur virginibus, consueverunt Antistites, erat enim capitis tegumentum ex lanâ, purpurâ tamen pictum, potiùs quàm tinctum. Fortasse Christi nomen, vel crucis signum, in eo purpureo colore erat expressum, per quod omnibus indicaretur virginem illud gestantem, jam professam esse perpetuam virginitatem, & Christi desponsatione Deo dicatam.* Hæc Baronius, optimè è mente sensuque Optati: quod ut clariùs cernas da mihi veniam Lector illius sancti Patris, qui hoc quarto sæculo vixit, verba fusiùs exponere.

Baron. an. 302.

LII. VIRGINUM SACRARUM PROFESSIO.

Optat. l. 6. cont. Parmen.

Agens Optatus contra Donatistas, qui sacras virgines, ad novam virginitatis professionem (quasi prior quam in Catholicâ Ecclesiâ emiserant, irrita esset) cogere volebant; pluribus hæreticam illam perfidiam refellit; & simul explicat ritus usurpari solitos in virginum professione, quos etiamnum usurpat sancta Romana & orthodoxa Ecclesia. Dicit imprimis: *Non pracepta, sed consilium erogat Paulus ad virginitatem. Nec impedimento est voluntati, nec nolentes impellit, aut cogit. Qui dederit, inquit, virginem suam benè facit: & qui non dederit melius facit. hac sunt verba consilii.* ita ipse: & idem sentit Roma. Nimirum ad illum perfectionis gradum neminem cogi posse aut debere: posse tamen quemlibet sponte ad illum & cum laude ascendere. Addit Optatus de mitrellâ: *Nec ulla sunt*, inquit, *pracepta conjuncta, vel de quâ lanâ mitrella fieret, aut de quâ purpurâ tingeretur.* & paulò infrà Pannum vocat: explicat etiam mitrellæ effectum sensumque, quasi novi matrimonii signum: sed audi ipsum: *Spiritale*, inquit, *nubendi hoc genus est, in nuptias sponsi venerant (sacra virgines) voluntate & professione sua: & ut sacularibus nuptiis se renuntiasse monstrarent, spiritali sponso solverant crinem, jam calestes celebraverant nuptias. Quid est quod eas iterum crines solvere coëgistis? Quid, inquam, quod ab ipsis per vos exacta est professio secunda? Quis est alter spiritalis sponsus, cui iterum nuberent? quando mortuus est cui nupserant, ut iterum nubant? nudastis denuo capita jam velata, de quibus professionis detraxistis indicia; qua contra raptores aut petitores viderentur inventa. in mitrella indicium est voluntatis, non castitatis auxilium; ut rem jam Deo devotam, ne qui sponsabat perseveret petere; aut ne rapta audeat violare. Signum est ergo non Sacramentum. Invenistis igitur hujusmodi virgines, qua jam spiritaliter nupserant; quasi secundas coëgistis ad nuptias, ut crinem iterum solverent imperastis.* Et hæc quidem de Africâ, & virginibus ibi sacris.

LIII. ETIAM IN OCCIDENTE.

Cent. 4. fol. 467.

Porrò quod ad Occidentem spectat, non malè scribunt Magdeburgici. *In Europâ*, inquiunt, *virginitatis votum, apud alterum sexum, commune fuisse Ambrosius indicat l. 1. de virginibus. ait enim: De Placentino veniunt sacranda virgines, de Bononiensi veniunt, de Mauritaniâ veniunt, ut hic velentur.* Pergunt etiam Magdeburgici, & verum dicunt: *Votum autem faciebant virgines; non adolescentula, sed maturioris atatis. ut ex Ambrosii l. 3. de virginibus apparet. Potest & ex eodem libro animadverti, qua ratio fuerit virgines velandi. Primùm enim velabantur in templo, ad altare, in die Pascha, solemni conventu, candelis accensis: cum ante vel impositionem, Sacerdos diceret: Aspice filia & intuere, & obliviscere populum tuum, & domum patris tui, & concupiscat Rex decorem tuum. Ad hac verba, cùm velamine tecta esset, omnis populus acclamavit, Amen.* Hæc omnia fatentur adversarii: qui simul fateri debent, se hujus sæculi mores exuisse, & fidem. Qui enim oderunt illud vitæ institutum, quod hujus sæculi Doctores illustrissimi probaverunt, & Principes devotissimè ornaverunt, & sequentes ætates religiosè admiserunt; cur opus alio argumento, ut factiosi esse probentur. cum suis se verbis & factis probent. Maneat ergo, Constantinum, Helenam, Nicænos Patres, & hujus sæculi proceres Ecclesiæ, Britannos etiam omnes, pro sacrandis velandisque virginibus fuisse: maneat M. Athanasii firma sententia: *Magnum documentum est planè apud eos veram religionem esse, qui sacras virgines fovent, amant, & tuentur, ut exemplar Angelica sanctitatis.* Maneat denique eos à verâ religione alienos esse, qui omnia virginitatis pudicitiæque claustra violarunt. nunc tempus ad sequentis anni gesta transeundi.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1077.

ANNUS CHRISTI 326.

SILVESTRI PAPÆ 13.

CONSTANTINI IMP. 21.

I. SEQUITUR Christi annus trecentesimus vigesimus sextus, Constantino Augusto VII. & Constantio Cæsari Coss. quo Helena Constantini mater Hierosolymam profecta, loca sancta invisit, crucem Dominicam, (cujus virtute Constantinus filius imperium adeptus, felicissimè de hostibus triumpharat) piè quæsitam, & mirabiliter inventam, religiosissimè coluit; quæ omnia diligenti rerum examine expendenda sunt. Principio dicam de peregrinationis religione, quæ Helenam in Orientem traxit: inde de studio & pietate ejus, in Cruce quærendâ; dicam denique quid inventâ cruce fecerit; Quæ omnia mortem

PEREGRINATIONIS RELIGIO.

ejus; quæ hoc quoque anno contigit, præcesscre. Itaque priusquam Helenam Imperatricem Hierosolymam deduco, aut peregrinam induo; præparabo illi viam, qua inoffenso pede, & gradiatur ipsa, & sequantur alii: quoniam non de plebe tantum, sed viri planè magni, Principes, & Reges nostri, post Helenam ibunt: & Romam aliaque loca sancta petent religionis causâ. Quærendum ergo num id, & qua ratione deceat Britannorum fidem & Ecclesiam. Erunt enim qui sequentibus sæculis, Cedwallas, Koenredos, Inas, Ethelwolphos, & Alfredos, vocabunt in judicium; quod, specie pietatis, profecti peregrè, Martyrum sepulchra religiosè coluerint. Quibus ego benè patrocinatus sum, si eos Regum & Augustorum exemplis, qui primo tempore fuerunt, defendero; & simul ostendero divino id consilio factum.

Helenam trahit, et plures Reges.

II. Sacra loca a fidelibus frequentata.

Sectarii cum legunt antiquorum pietatem studiumque in peregrinatione suscipiendâ; satis audacter illud reprehendunt: errorem, tenebras, cacozeliam, denique superstitionem vocant; quos ego, de more non scholarum argumentis, sed præteritorum sæculorum factis refellam. Etenim si lustrans hanc Constantini ætatem, videro sacra loca, à fidelibus frequentata, & piè culta esse: satis pro Saxonum Regum fide, qui idem fecêre, stipulatus sum. Quid igitur hoc sæculo factum sit, dicant Magdeburgici. *Cœperunt*, inquiunt, *hoc quarto sæculo primò sub Constantino loca terræ sanctæ ab ethnicis idololatriis expurgari, & excoli, & in pretio haberi, propter memoriam rerum ibi gestarum. Nam Constantinus magnus in locum sepulchri Christi, fœdatum idolo Veneris, oratorium constitui præcepit: & Helena mater Imperatoris, mulier superstitiosa, illuc profecta, adorandi causa, reperta Domini cruce, duo templa ædificari curavit*, &c. *quæ res paulatim in errorem multitudinem deduxit, ut non in postrema pietatis laude ponerent terram sanctam, & loca sacra invisisse, ut patet ex Gregorii Nisseni Epistola*, &c. Ita illi. Quod quia ut vides non admodum placet Areopagitis istis, vide Lector quæ suprà dixi à Christianis facta, Hadriano Imperante, anno Christi 127. & puta Helenam nihil novi, sed acceptam à majoribus morem, piè servasse; cum peregrinari voluit ad loca sacra. Quod si in hoc facto, vocantem Deum sequuta est; eodem modo hic peccant sectarii, superstitionem illud appellando; quo nuper peccaverunt Constantinum aliosque accusantes, quòd crucem è cælo docti coluerint. Illis igitur omissis, videamus quid alii sanctiores, doctiores, antiquiores, de Helenæ facto censuerint.

Cent. 4. fo. 457.

Helena a sectariis arguitur.

III. Laudatur ab orthodoxis.

Berengosus Abbas, non solùm Helenam & Constantinum laudat, quòd officiosè loca sancta excolentes crucem invenerint; sed satis laborat cuinam debeat in pussimo opere prærogativam dare. Et quoniam inter cætera dicit; divino id consilio factum ab utroque; ecce ipsum loquentem. *Ex antiquo divinitatis consilio*, inquit, *invenienda Crucis officium matri Helenæ servabatur, & filio; ut uterque eorum, hoc ex divinâ gratiâ percepisse se nosset; quod ante se alius habere non posset. Unde cum studio amborum inventum sit Crucis vexillum; dubium est utrum in hac inventione, illam præferamus, aut illum. Maximè cum ad hanc inquisitionem, tam diu eis esset consiliarius unus ex mille; usque quò ad effectum illius operis illa pervenisset & ille. Per internum enim inspirationis Dominicæ suasum eidem inventionis filius præbuit ortum, & mater occasum. Quia ad hanc inquisitionem uterque eorum se fecit acclivem, imponens originem.* Hæc ille.

Bereng. de invent. Cruc. l. 2. c. 2.

Eo antiquior S. Ambrosius ait Spiritum sanctum Helenæ iter suggessisse. *Infudit*, inquit, *Helenæ spiritus ut lignum crucis requireret.* Et S. Paulinus ejusdem ævi vir: *Helena*, inquit, *divino* (ut exitus docuit) *inspirata consilio; cum Hierosolymam agnosceret nomine, filium rogabat, ut sibi facultatem daret cuncta illic loca, Dominicis impressa vestigiis, & divinorum erga nos operum signata monumentis, purgare*, &c.

Ambros. in funere Theod.

Paulin. Epist. 11.

IV. Eusebius cum illis est, & rem gestam narrat in hunc modum. *Helena, cum Deo omnium gubernatori, debitum piæ mentis, & affectionis munus impartire in animo haberet: & pro filio suo, tanto & tam præclaro Imperatore, proq; liberis ejus Cæsaribus, Deo charissimis, suis nepotibus, gratias per preces agendas esse putaret: ætate jam ingravescente, singulari quodam consilio, & provida animi cogitatione, vereq; Regiâ, adducta: properè, instar adolescentulæ venit: tum sacrosanctam terram oculis lustratura; tum gentes Orientem incolentes, plebemq; pariter & populi multitudinem conspectura.* Hæc ultima verba (ut hoc obiter notem) satis innuunt, Helenam nunc primùm, in Orientem venisse: & non ibi, sed potiùs in Occidente natam. Porrò quod ait venisse *singulari quodam consilio*, divinum intelligit, ut ipse explicat in Chronico, nam inquit ibi. *Helena Constantini mater, divinis monita visionibus, beatissimum Crucis lignum, in quo mundi salus pependit, apud Hierosolymam reperit.* Jam verò si rectè philosophari volumus, divinitùs non potuit moveri Helena, ad opus aliquod superstitione & impietate plenum. Adde Socratem, qui dicit eam è cælo monitam, ut iter hoc profectionemque institueret. *Helena*, inquit, *Imperatoris mater, in somniis divinitus admonita, Hierosolymam iter cœpit.* Denique qui Helenæ vitam scripsit apud Capgravium, fidem ejus religionemque commendat, in illo peregrinandi studio: sic enim loquitur. *Beatissima Imperatrix Helena, incomparabilis fœmina, fide, religione ac magnificentiâ singularis, à SPIRITU SANCTO EDOCTA. divinisq; admonita visionibus, Hierosolymam petiit.* Nihil ergo peccavit Helena, nec potuit dici superstitiosa fœmina, quæ Deo movente, cælo favente, & Spiritu sancto suggerente, peregrinata est. Ideo factum laudavit Cyrillus Hierosolymitanus ita scribens ad Constantium Augustum. *Tempore Deo dilectissimi & B. memoriæ Constantini patris tui, salutare crucis lignum, Hierosolymis repertum est: divinâ gratiâ concedente ei, qui rectè quærebat, pietatem, etiam abstrusam locorum sanctorum inventionem.*

Euseb. l. 3. c. 41.

Nota pro patria Helenæ.

Euseb. in Chronico an. 325.

Socrat. l. 1. c. 13.

Capgrav. in Helena.

Cyril. Epistola ad Constantium.

V. Porro multos hoc sæculo imò priùs etiam, consuevisse ad loca sacra, devotionis ergo proficisci, plurimi Patres attestantur. Augustinus epistola 137. ad Clerum & populum Hipponensem. *Elegit*, inquit, *aliquid medium, ut certo placito se ambo constringerent, ad locum sanctum se peregrinaturos.* Ita ille de duobus. Sed luculentiùs S. Hieronymus Epist. 17. ad Marcellam: *Longum est*, inquit, *nunc ab ascensu Domini, usque ad præsentem diem, per singulas ætates currere: qui Episcoporum, qui Martyrum, qui eloquentium in doctrina Ecclesiasticâ virorum, venerint Hierosolymam; putantes minus se religionis, minus habere scientiæ; nec summam, ut dicitur, manum accepisse virtutum; nisi in illis Christum adorassent locis, de quibus*

primum Evangelium de patibulo coruscaret. Ecce Martyres, Doctores, & Episcopi, Helenam docuerunt Hierosolymam peregrinari; & noli putare, de vicino tantum Oriente illuc profectos. nam certum est plures è longinquo venisse. unde idem Hieronymus Epist. 27. de obitu Paulæ: *Cujus,* inquit, *gentis homines ad loca sancta non veniunt?* Eleganter etiam S. Chrysostomus, hom. 66. ad pop. Antioch. comparans sepulchra Martyrum, cum Regum sepulchris, ait: neminem ad Regia sepulchra proficisci: ad Martyrum verò etiam Reges peregrinari. *Itaque,* inquit, *quò Regias quidem aulas videat; nullus unquam peregrinatus fuerit: multi verò Reges plerumque hujus spectaculi gratiâ peregrinati sunt.* Ecce quod Helena fecit, à multis Regibus factum: & non est alienum à fide: imo si Hieronymo credemus Epistola 154. scribente ad Desiderium: *Certè,* inquit, *adorasse ubi steterunt pedes Domini, pars fidei est.* Non immeritò igitur Giraldus Cambrensis de antiquorum Britannorum religione scribens, ait: *Præ omnius autem peregrino labore, Romam peregrè libentiùs eundo, devotis mentibus Apostolorum limina, propensius adorant.* Absolve igitur Lector, Helenam, heroinam nostram, ab omni alieni cultus suspicione, & puta fecisse, quod omnes licere credebant.

Girald descr. Cambriæ c. 18.

VI. Objectio. E Greg. Nysseno. *Cent. 4. fo. 458.*

Sed audio Illyricum in centuriis dicentem, Gregorium Nyssenum, in epistolâ: *Opinionem hanc & superstitionem; eleganter refutare.* Quicquid ergo sit, de Eusebio, Ambrosio, Paulino, Cyrillo, Augustino, Hieronymo atque Chrysostomo, non sunt prorsùs impii qui peregrinationis laborem improbarunt. Imò verò impii sunt, qui antiquorum Patrum scripta pervertentes, inde perversa stabilire dogmata conantur; qui novam religionem ex antiqui sæculi corruptione procreant; qui vitia hominum, moresque degeneres, in factionis suæ patrocinium quærunt.

Solvitur.

Nusquam Nyssenus Gregorius superstitionem vocat, sacra loca venerari: nusquam negat illis debitam reverentiam. nusquam denique accusavit Helenam, quod impia aut superstitiosa fuisset, cum adoravit in loco ubi steterunt pedes Domini. Quod spectat ad Epistolam quam referunt Magdeburgenses, inter opera illius Gregorii minimè reperitur: & esto ita scripserit, nullum tamen inde velamen modernæ factioni; tantum enim ibi arguuntur Monachi solitarii, & sanctimoniales, qui promiscuè, & sine delectu sociorum, adeoque cum magno castitatis periculo, longinquam peregrinationem instituunt. Quod idem factum est à S. Bonifacio nostro, qui, ut sequenti libro dicetur; satis acriter calamum strinxit, in nescio quas virgines, quæ specie peregrinationis prodibant nimium in publicum: Non inde tamen inferri potest, ipsum peregrinationem omnem improbasse, nedum locis sacris cultum aut reverentiam negavisse, quam ipsemet scitur illis exhibuisse, ut dicetur. Eodem modo Gregorius (si tamen Gregorius) accusat nimios quorundam vagosque fœminarum discursus; qui omnem pietatem se putabant assequutas, cum quotidie per publicum cursitabant. Non improbat profectionem Hierosolymitanam, si moderatè, & consultò fiat. unde fatetur disertè, se non frustra tantam viæ molestiam sustinuisse. Cæterùm Epistola illa licet nihil concludat contra peregrinationis sanctitatem, cultumque debitum locis sacris: non tamen Nysseni videtur esse, & placet censura Cardinalis Bellarmini ita scribentis. *Hæretici qui peregrinationes ad loca sancta reprehendunt, utuntur maximè oratione quadam valde prolixâ S. Gregorii Nysseni: sed eam orationem non invenimus hactenus inter opera S. Gregorii Nysseni; neque argumenta quæ inde colligunt hæretici aliquid probant, ut nos aperte ostendimus in controversiis libro 3. de Sanctis cap. 8.*

V. an. 742. 32.

Bellarm de script. Eccles. in Greg. Nys. obser. 3.

VII. Sublato hoc viæ scandalo, quod sectarii vanè objecerunt; dicamus Catholicæ Ecclesiæ, & omnium sæculorum sensum esse; Helenam, è virtute, & majorum fide fecisse, cum religionis causâ hoc anno Hierosolymam peregrinata, loca sancta invisendo, ac venerando, crucem invenit: cujus rei gestæ historiam jam aggredimur. Helena quæ jam processerat in diebus multis, & veluti Anna illa prophetissa, vidua erat usque ad annos octoginta, non discedebat de templo jejuniis & obsecrationibus serviens, nocte ac die: piâ ac frequenti memoriâ pulsabatur vitæ passionisque Christi Salvatoris nostri; ac mentem sæpè subibat crux illa, redemptionis nostræ instrumentum; quo ut olim beatum fuerat genus humanum, ita nuper Constantinus filius. Illius ergo inveniendæ desiderio impensè ferebatur. nec videbatur arduum negotium in Syriæ regionem, quam Christus noster, & vivens inhabitaverat, & morte consecrarat, proficisci. Ardebat etiam ambitione tangendi loca illa, quæ nascentis fidei primordia fuerant; quæque jam, ut inaudierat, jacebant penitùs inculta, atque neglecta. Hunc itaque pietatis igniculum, Constantini Imperatoris animo subjicit: & ille statim concepit flammam; quæ Helenæ opera Palæstinam omnem pervadens, eandem jucundissimè depasta est. Rem benè ab Eusebio narratam attexere lubet ejus verbis. Sic enim loquitur primas de more tribuens Constantino.

Lucæ 2. vers 36.

Helenæ pietas.

VIII. *Euseb. l. c. 24.*

Et Constantini studium, in quærenda Cruce.

His rebus hunc in modum constitutis; aliud quoddam opus maximè memorabile, apud Palæstinorum gentem, divinus iste Imperator efficere aggressus est. At quodnam quæso? Sanctissimum illum salutaris Christi resurrectionis locum, Hierosolymis existimavit, ita illustrari debere; ut omnibus eximius & veneratione dignus videretur. Idcirco mandavit ibeo statim templum construi. Neque istud opus aggredi absque divino impulsu; immò verò ipso Salvatoris spiritu incitatus, in animum induxit. Olim enim viri impii, immò verò, istorum subsidio, universum dæmonum genus, omni studio incubuit; ut divinum illud mortalitatis monumentum, tenebris obrueret, oblivioneque penitùs deleret: ad quod quidem Angelus de cælo delapsus summis claritate refulgens, non solùm lapidem revolvebat ab illis, quorum animi instar lapidis obduruissent; verùm etiam, quem ipsi inter mortuos adhuc versari putabant, cum mulieribus vivere annunciavit: & ad vitam & resurrectionem illius, qui quærebatur illustrandam, incredulitatis lapidem, ab eorum mentibus, amovit. Istud Salvatoris sepulchrum impii quidam & scelerati homines, ex hominum memoriâ delere cogitabant: & (quæ eorum inscitia fuit) censebant veritatem ad hunc modum se posse occultare. Hæc Eusebius de Constantino; tacens Helenam, quæ tamen in eo opere pientissimè laboravit, ut Sancti Patres infrà testabuntur. nec mirum est universum genus dæmonum cruci irasci quia teste M. Athanasio: *Signo crucis omnia magica compescuntur, veneficia inefficacia fiunt, idola universa deserta relinquuntur.* Nunc videamus reliqua, & quantoperè ethnici, cum sectariis, laboraverint,

Diabolus Crucem obliteravit.

Orat. de Incarn. Verbi

ut sanctitatis loca delerentur, ac cessaret ad ea fidelium peregrinatio.

IX. Eusob. l. 3. c. 25. Locus terra obruitur et obscuratur. *Itaque primum*, pergit Eusebius, *permultum capere laboris ceperunt, in terra aliunde & extrinsecus invehenda; qua locum universum obducerent. Deinde cum molem terra, in immensam altitudinem, erexissent, constravissentq́, lapidibus divinum sepulchrum, ingenti aggere superinjecto obtegere: Post cum nihil jam illis ad opus explendum deesset, super illum terra tumulum, nefandum revera & execrabile bustum animarum construere; & recessum lasciva Veneris damoni unà ædificare, simulacrisq́, mortuis complere: tum detestabiles ibi victimas super impuris aris, & omni nequitia labe pollutas immolare. Nam non aliter, quod instituerant, se putabant ad exitum posse perducere; quàm ut per ista nefaria scelera, salutare illud sepulchrum penitùs obruerent. Verùm miseri illi neutiquam illud poterant intelligere, quod sol ipse (modò terram suo splendore collustrare, & consuetum sibi cursum in cælo obire pergeret) non posset præclarum illud facinus Christi, qui contra mortem tam eximia victoria trophæa fuisset adeptus, ita in obscuro relinquere: illudq́, universum hominum genus prorsùs celare.* hæc Eusebius. Si quæras,

A quibus? quinam illi, qui tam studiosi fuerunt, omnemque lapidem moverunt; ut passionis Christi monumenta laterent obducta situ, sordibusque. Imprimis certum est non fuisse eos, quos hodie vocamus Romano-Catholicos, qui res hujusmodi venerari solent. Secundo, certum est Judæos & gentiles fuisse, dæmonum instrumenta. Qui enim Christum oderant, & omnem ejus cultum; Christianis eò peregrinantibus, benevoli esse non poterant. Quod si scire cupis κατὰ μέρος, *per partes*, quando, & à quibus, hoc factitatum sit; vide quæ diximus ad annum Christi 127. unde colliges, nec Lutherum, nec Calvinum, primos fuisse qui peregrinationi bellum indixerint: præcesserunt eos Wiclefus, & Petrobusiani: sed omnium primi fuerunt Judæi, & gentiles, dæmone suggerente. quod omni schismati erroríque commune est.

X. Expurgatur. Cæterùm Judæorum & gentilium conatus, obscurare volentium loca sacra, elusit Deus, Constantini & Helenæ industriâ: qui quantum laborarint in pio opere, pergat Eusebius dicere: Eusob. l. 3. c. 25. *Veruntamen impiorum & nequam hominum molitiones, contra veritatem parata, longinquo temporis spatio processerunt. Nemo enim vel ex Præfectis, vel ex Ducibus, vel ex ipsis Imperatoribus ad eorum conatus evertendos satis idoneus repertus est, præter unum solum.* A Constantino. *Qui quidem utpote Deo omnium gubernatori charus, & divino ejus afflatus spiritu; locum illum, qui est suprà demonstratus, per fraudulentos hostium conatus, omni impurâ materiâ obductum, & oblivione, ignorationeq́. obrutum iri non passus est: neque authorum ejus facinoris cessit malitia: sed Deo adjutore invocato; illam terra particulam, hostium sceleréq; contaminatam, imprimis perpurgari jussit. quam quidem sensuit admirabili, & singulari Dei opt. max. beneficio, per illum potiri debere. Confestim igitur, ejus mandato, machinamenta ad homines in errorem inducendos comparata; de sublimi ad solum projicruere; & ædificia falso cultui consecrata, una cum statuis, & dæmonibus disturbare, dirnereq́, cœpit. neque his rebus gestis, alacre Imperatoris studium acquievit; sed de integro dedit mandatum; ut materia eorum, qua erant ejecta, sive lapidea illa esset sive lignea, tolleretur penitus, & quam longissime extra loci fines ejiceretur.* Hæc

XI. Et Helena imprimis. Helenam in hoc opere principem fuisse multa persuadent: tum nota ejus, & illius sexus devotio: tum quia dicitur alimenta pietatis suppeditasse filio, & mandatum ejus in Palæstinam detulisse: literas, inquam, quas scripsit Constantinus super hoc negotio ad Macarium Hierosolymorum Episcopum: utrumque expressit Theodoretus, cum literas recitasset ita scribens: Theod. l. 1. c. 18. *Hujus Epistola perferenda negotium non alius quispiam, quàm ipsa Imperatoris mater, eximii præclari filii procreatrix, cujus laus omnium piorum ore ac sermone prædicata est, suscepit: qua & hoc eximium mundi luminare peperit, & pietatis alimenta ei suppeditavit. Hac itineris labores subire non recusavit, neque senectutis invaletudinem (nam paulo ante mortem, quam octogesimum annum ætatis agens oppetebat, illud iter fecit) omninò animo complexa est: sed postquam vidit locum illum, qui particeps fuit afflictationum, pro communi omnium salute susceptarum, confestim execrabile illud Veneris fanum deturbari, & aggerem ex urbe exportari jussit.* Ita ille in Helenæ laudibus ponit, quæ Constantino tribuit Eusebius. Sed & S. Paulinus, in Epistola, quam infrà recitabo, Severus etiam Bituricensis Episcopus, Helenæ primas tribuunt. Etenim quæ adhuc in Britannia existens, ad filium scripserat, ut Judæos persequeretur; quam primùm ad filium venit, suggessit illi plura, quæ Christianam fidem illustrarent; & inprimis ut Incarnationis Christi passionisque ejus monumenta; hoc est, Christianæ fidei prima elementa, in oculis omnium animisque essent: quæ Judæorum invidiâ, per trecentos ferè annos occulta manserant. hanc ob causam literas à Constantino impetravit; quibus, quod in animo habebat, opere exequeretur: & ecce illas.

VICTOR CONSTANTINUS MAX. MACARIO S.

XII. Theodo l. 1. c. 17. Constantini literæ. *TANTA Salvatoris nostri, erga nos, benignitas declarata est; ut nulla tam accurata dicendi gratia, & vis sit qua præsens miraculum, pro dignitate explicare posse videatur. Nam ut insigne illud sanctissima illius passionis monumentum, quod terra visceribus jam pridem abditum, tot tamq́, multis annorum conversionibus delituisset: tum illucesceret servis Dei; cum illi, communi omnium hoste devicto, in libertatem essent vindicati; omnem profectò hominum admirationem longe superat. Etenim si omnes, qui in universi Orbis terrarum ambitu sapientes videantur, in unum locum congregati, aliquid pro rei dignitate dicere aggrederentur; ne minima ejus parti, oratione, ex æquo satisfacere possent. Miraculi namque fides tantò plus universum humana rationis & natura captum vincit: quanto res cælestes & divina. humanis sunt valentiores. Quapropter hoc unum mihi semper imprimis propositum sit ad dicendum; quod sicut vera fides sese ipsa quotidie novis miraculis patefacit, sic nostri omnium animi, omni modestiâ & concordi alacritate, ad sanctas Evangelii leges colendas, attentiores fieri debent. Præterea illud, quod cuique perspicuum esse arbitror, pro certo tibi cum primis persuasum velimus; hoc nobis præ cæteris rebus omnibus, maxima cura esse; ut locus ille sacer, quem Dei jussu, turpissimâ simulacrorum mole tanquam gravi quodam onere imposito, purgavimus, quemque & primis mundi temporibus, ipsius Dei judicio sanctum habitum esse; & postea etiam, quia fidem passionis Salvatoris, tan[...] e tenebris in lucem evocavit; multo clariorem sua sanctitatis significationem dedisse* Pro locis sanctis.

cognovimus, praclara ædificiorum structurâ exornetur.

XIII. *Par est igitur, ut tua prudentia, ita opus disponat, & proinde res quasque accuret necessarias, quò non modo sanctuarium templi, reliquis omnibus, quæ ubique sunt, pulchritudine antecellat; sed etiam cætera ejus partes, tales sint; ut omnia templa, quæ in singulis civitatibus primas tenent, hujus ædificii dignitate, longè superentur.* (Exornandis.) *Ac de erigendis parietibus, exquisitoque artificio perpoliendis, tum Draciliano, amico nostro, qui nonnullas aliarum provinciarum partes, administrat; tum vestræ etiam provinciæ Præfecto, scito curam a nobis esse impositam. A nostra enim benignitate, illis imperatum est; ut qui artifices, qui operarii, quæve res aliæ fuerint ad illud ædificium necessaria, à tuâ prudentiâ discant: & statim eorum provisione eò mittantur. Quod autem attinet ad columnas ex marmore conficiendas; quas ipse existimaveris; vel ad decus illustriores; vel accommodatiores ad diuturnitatem fore: cum eas quasi summatim tecum consideraveris, fac ad nos diligenter perscribas: ut cum ex literis tuis, quibus rebus opus fuerit, intellexerimus; undique eadem illo comportari possint. Nam locus ille, qui totius Orbis terrarum facile primas fert, omnibus ornamentis meritò illustrandus est. Testudinem verò sanctuarii laqueatam ne facere, an alio quodam fabrica genere extruere placeat, abs te certior fieri velim. Quod si fiat laqueata, scite quoque inaurari poterit. Restat igitur, ut tua sanctitas illis, quorum judicio, ut suprà dictum est, rem permisimus; quot operariis artificibusque, quantis denique sumptibus opus fuerit, quam celerrime significet: quin etiam nos, non solum de columnis, ex marmore conficiendis; verum etiam de testudinis laquearibus (si modò illud fabrica genus pulchrum esse censeas) quàm primùm facias certiores. Deus te, frater charissime, diu servet incolumem.*

XIV. (Helena in Palæstinam vadit.) His munita literis, Imperatrix Helena, in Palæstinam vadit, invisitque illius provinciæ urbem principem, Hierosolymam, ubi amplissimum campum nacta exercendæ pietatis, loca sacra Christi pedibus calcata, ejus præsentiâ, & sanguine consecrata, quærit: & postquam venerabunda ad omnia procubuisset; inde cœpit pietatis suæ habenas laxare, unde nobis illuxerat reconciliationis initium. A sepulchro, inquam, & antro illo, quod Deum-hominem mortuum texerat. (Loca expurgat) Illud, aliaque loca, situ sordibusque oblita, amotis ruderibus, jubet expiari. priùs enim Constantinus, ut in suprà recitatis literis dicitur, idola solùm, & simulacra abstulerat, manebantque adhuc loca inculta & horrida, quæ Helenæ manum expectabant: quam ipsa pientissimè admovit. nam ita intelligo Eusebium qui post recitatas Constantini literas ad Macarium, in hunc modum scribit; nullâ tamen factâ Helenæ mentione. (Euseb. l. 3. c. 33.) *Primum omnium, sacrum antrum, divinum illud videlicet monumentum, ad quod olim Angelus, fulgore nitens delapsus; specus regenerationis, quæ est à Salvatore nobis illic ostentata, omnibus annunciavit. Primum, inquam, omnium Imperatoris magnificentia istud, velut totius ædificii caput, eximiis columnis illustrare, & ornatu splendido maximoque, decorare, atque adeo variis cujusque generis insignibus illuminare cœpit.* Hæc [illegible] Eusebius. quæ Socrates paulò fusiùs exponit, Helenam nominat; & aperit difficultatem, quam [illegible] reperit, prius quam sepulchrum reperire potuit. un[illegible] antiqua peregrinationis religio confirmatur. sic ergo ait.

XV. (Socrat. l. 1. c. 13.) *Helena Imperatoris mater, in somnis divinitus admonita, Hierosolymam iter capit. Et cum veterem illam Hierusalem desertam, tanquam pomorum custodiam, ut est apud prophetam, offenderet; Christi monumentum in quo sepultus est, & ex quo resurrexit, diligenter pervestigat. ac tandem, licet valde ægrè, Deo tamen illi opem ferente, reperit.* (Christi monumentum reperit.) *Causam autem, quæ ei quærenti tantum attulerit difficultatis, breviter exponam. Quemadmodum illi, qui Christi fidem amplexarentur; post tempus illius passionis, illud monumentum in magno honore habuerunt: sic qui ab ejus religione abhorrerent, loco illo, aggere & ingenti terræ mole obruto, delubrum Veneris in eo extruxerunt. & loci illius memoria suppressa, idoli simulacrum erexerunt.* Quasi diceret Socrates. Qui veram Christi fidem amplexabantur, hoc veluti charactere, ab aliis distincti sunt, quòd Christi monumentum colere, & ad illud frequentes itare consueverint: & infideles, cultum illum frequentiamque aversantes (ut hodie sectarii, fidelium pietatem impedire conati sunt, erecto ibi turpissimo idolo quod illi maximè horrebant. Unde si venerabundi, ut antea ad locum accessissent; simulacrum illud, quod solum cernebatur, colere viderentur. Ita impiorum mentem consiliumque explicat Sozomenus. (Sozom. l. 2. c. 1.) *Sternunt,* inquit, *Gentiles locum lapidibus; deinde fanum Veneris superextruunt; postremò simulacrum in eo statuunt: ad eum sanè finem, ut & qui Christum in eo loco adorarent; Venerem viderentur colere: & temporis diuturnitate vera causa cur homines EUM LOCUM VENERARENTUR, veniret in oblivionem: Quippe cum Christiani neque eò tutò ipsi accedere possent neque aliis indicare auderent, sed contra omnibus pro certo confirmaretur, in eo loco aliud esse nihil, præter fanum Gentilium & Veneris statuam.*

XVI. (Primorum Christianorum Religio.) Hinc pro Regiâ Britannorum fide argumentum collige: nimirum quid factum creditumque à Christianis statim à passione Christi, docentibus id Apostolis, & fatentibus illis qui primitias spiritus habebant. Tunc enim tam manifestò Christi monumentum venerabantur, & tam constanter ritum illum supplicem usurpabant; ut non potuerint Gentiles alio stratagemate pietatem impedire, quàm collocatâ ibi infami statuâ, quam castissimi fideles aversabantur plurimum. Mansit hæc Christianorum religio, à morte Christi ad Hadriani Imperatoris tempora per annos circiter nonaginta. Sic intelligo S. Hieronymum supra, cum dicit, *ab Ascensu Domini, &c. venerunt Hierosolymam,* &c. Inde per annos ducentos tepuerat primùm: demum ferè abolita est devotionis hujus memoria: quà metu idololatriæ, ne idolum colerent, in quo religiosissimi fuerunt: quà Judæorum ac Gentilium invidia, qui Christianos vexabant. Cæterùm hoc anno, antiquum cultum, Apostolorum tempore usurpatum, & solâ tyrannorum perfidiâ antiquatum, restituit Helena, cum Hierosolymam veniens, eruderato solo, amotisque sordibus, ipsa primùm locum illum venerata, alios docuit exemplo suo. (Posteros Helena docuit.) Quod ipsa venerationem exhibuerit, non omisit Eusebius, licet pauca illi, omnia ferè Constantino, tribuat: dicit enim, Helenam, (Euseb. l. 3. c. 42.) *Locis in quibus Salvatoris erant impressa vestigia, debitam venerationem adhibuisse, idque convenienter prophetico sermoni, dicenti: Adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus.* Helenam, in hoc, secuti sunt fideles, omni sæculo. unus sufficiat testis Augustinus, qui libr. 22, de [illegible] tate Dei, testatur non

solum

ſolum eos pietatis causâ, terram ſanctam inviſere ſolitos; ſed eandem quoque radere, domum deferre, ſervareque, ad dæmones, ad morbos, ad alia etiam incommoda pellenda. Audi ipſum, de Heſperio viro tribunitio, hæc narrantem.

Auguſt. de Civit. Dei l. 22. c. 8.

Attulerat, inquit, *ab amico ſuo terram ſanctam, de Hieroſolymis allatam: ubi ſepultus Chriſtus, die tertia reſurrexit. Eamq; ſuſpenderat in cubiculo; ne quid mali ipſe etiam pateretur. At ubi domus, ab illa infeſtatione purgata eſt, quid de illâ terrâ fieret, cogitabat: quam diutiùs in cubiculo ſuo* REVERENTIÆ CAUSA *habere nolebat; fortè accidit, ut ego & collega meus, Epiſcopus Siniţenſis Eccleſiæ Maximinus, in proximo eſſemus; ut veniremus rogavit: & venimus. Cumq; nobis omnia retuliſſet, etiam hoc petivit, ut infoderetur alicubi, atque ibi orationum locus fieret: ubi etiam poſſent Chriſtiani, ad celebranda quæ Dei ſunt congregari.* Hæc Auguſtinus. Nemo igitur miretur, paſſim fideles, omni ævo, religionis ſtudio ductos, illam terram inviſiſſe:

Richardus I. Edoardus I. Robertus Gulielmus piſius F.

Reges quoque hujus Inſulæ, eò iviſſe; ac pro illa ſtrenuè pugnaviſſe; quam Imperatrix Helena, Britanna fœmina, priora etiam, & poſteriora tempora, coluerunt: verùm ad hiſtoriæ ordinem redeuntes, videamus egregiam, ſive Conſtantini, ſive Helenæ matris, ſive potiùs utriuſque in ornando loco iſto pietatem. Euſebius accuratè ſatis templi formam, parietes, valvas, porticus, columnas, fornices, exedras, & veſtibula deſcribit in hunc modum.

XVII.

Euſeb. l. 3. c. 34.

SANCTISSIMI MONUMENTI STRUCTURA.

Deinde ad ampliſſimum templi locum, libero cælo patentem exornandum ſe contulit (Conſtantinus) *cui, & ſolum lapide eximio conſtratum, & porticus longis ambulationum ſpatiis ex tribus lateribus circundati, permultum decoris attulerunt. Adverſo autem lateri antri, quod ſolem Orientem ſpectabat, regale & Auguſtum ſanctuarium adjunctum fuit. Opus planè eximium, ad infinitam altitudinem erectum, longitudine & latitudine immenſa patens. Cujus ædificii partes interiores, marmoris verſicoloris materia incruſtata: exterior autem parietum ſuperficies, politis lapidibus, qui commiſſuris quibuſdam, inter ſingulos interjectis, colligabantur, exornata, ſingularem quandam pulchritudinis ſpeciem, eamq; non minùs ad aſpectum illuſtrem, quàm ſi marmore obducta fuiſſet, præbuit.*

Euſeb. ſuprà c. 35.

Quod autem ad ipſa tecta, in ſublimi poſita, attinet; exteriores ejus partes, plumbeâ obtexit materiâ, quæ tanquam firmum munimentum, tempeſtuoſos imbres depelleret. Interiores verò cælatis laquearibus affabrè inter ſe compacta, & tanquam quoddam vaſtum pelagus, per univerſum ſanctuarium, coagmentationibus quibuſdam inter ſe continenter cohærentibus, diffuſa, dilatataq;, & fulgente auro paſſim cooperta, totum templum, velut lucis claritate, mirè illuminarunt.

Idem c. 36.

Duabus porticibus, partim ſubterraneis, partim ſupra terram eminentibus, xyſti gemini, ex utroque latere adjecti, ad longitudinem ſanctuarii porrigebantur. Quorum teſtudines erant ex auro inſigniter, & vario artificio illuſtratæ. Ex quibus alter à fronte inferioris templi, columnis ingentibus ſuffulciebatur; alter intrò ſpectans, ſubſtratis poſtibus, magno extrinſecùs ornatu decoratis, erigebatur. Tres portæ ad Orientem ſolem, aptè & eleganter diſpoſitæ, multitudini ingredientium patuerunt. Iſtis ex adverſo erat fornix dimidiati univerſi cæli circuli ſpeciem adumbrans, in ſummo ſanctuario in orbem ductus: quem duodecim columnæ, Salvatoris Apoſtolis numero pares, tanquam corona cingebant; crateribus ex argento confectis, circa faſtigia concinnè expolita: quas Imperator Deo illic, pro monimento pulcherrimo, dicavit.

Idem c. 38.

Inde ad introitus, pro templo, locatos, accedentibus area patuit. Erant inibi utrimque, primò atrium, deinde porticus, ad extremum atrienſes portæ; poſt quas, in ipſa media platea, à foro eò deducente, totius ædificii veſtibula, perpolitè conſtructa, iter illac facientibus, admirabile viſu ſpectaculum, quod rerum intus fabricatarum pulchritudinem, quodammodo monſtrabat, exhibuerunt.

XVIII.

ORNAMENTA TEMPLI ET SUPELLEX.

Addit etiam Euſebius, dona plurima à Conſtantino miſſa, quæ fortè per manus Helenæ tranſmiſſa ſunt. Et non eſt dubium, quin illis ſimilia fuerint, quæ nuper baptizatus Imperator, Romanæ Eccleſiæ dederat: nimirum calices, patenas, candelabra, thuribula, aliaque ſuperiùs recenſita: quæ quia omnibus templis communia erant, Euſebius noluit recenſere; ſed brevi uſus compendio, tantùm indicat eorundem materiam.

Euſeb. ſuprà c. 39.

Illud verò templum, inquit, *quo tanquam teſtimonio ſalutaris Domini reſurrectio illuſtris, & nota fiebat, extruxit Imperator: & quo totum illud magnifico & regali ornatu decoraret; inſignibus, quæ oratione explicari nequeunt, & monimentis auri, argenti, & lapidum pretioſorum materie diſtinctis, & quaſi depictis, quæ erant numero ferè infinita, adornavit. Quorum apparatum, tum magnitudine, tum multitudine, tum varietate denique, adeo artificioſè elaboratum ſigillatim jam oratione proſequendi otium non datur.* Nonne tibi, Lector, videtur loqui Euſebius, de vaſis & ornamentis Hieroſolymitanæ Eccleſiæ, ad eum modum, quo ſuprà diximus, de Vaticanâ Baſilicâ locutum, vel Anaſtaſium Bibliothecarium, enarrantem ſingula; vel Paulum Oroſium ſcribentem, attonitos Gothos, eorum magnitudine, pulchritudine atque diverſitate? Et ſanè, cum deſcriptio Hieroſolymitani templi, ab Euſebio facta, quoad atria, porticus, fornices, columnas, & xyſtos ſpectat, omnino conveniat cum Vaticanâ Petri, Paulique, viâ Oſtienſi Baſilicis: jurè inde inferri poteſt, eadem quoque fuiſſe utrobique templi ornamenta, ſacrificio inſervientia. nam ut una eademque fuit Occidentis & Orientis fides: ita eadem fuit Eccleſia, eadem Sacramenta, iidem Deo ſerviendi ritus, ac cæremoniæ. Nunc cætera quæ fecit Imperatrix Helena, hoc eſt, alia ejus pietatis opera, videamus quæ S. Paulinus compendio recitans ita refert.

Paulin. Epiſt. 11. ad Severum.

Itaque prompto filii Imperatoris adſenſu, mater Auguſta, patefactis ad opera ſancta theſauris, toto abuſa fiſco eſt; quantoq; ſumptu, atque cultu Regina poterat, & religio ſuadebat; ædificatis Baſilicis contexit omnes & excoluit locos, in quibus ſalutaria nobis myſteria pietatis ſuæ, Incarnationis, & Paſſionis, & Reſurrectionis, atque Aſcenſionis Sacramentis Dominus Redemptor impleverat. Hæc ſummatim.

XIX.

Igitur duo prætereà egregii operis templa, ſub hæc tempora, in Palæſtinâ regione erecta, in Helenæ laudibus ponuntur, quæ nunc luſtranda ſunt; ut tandem in terræ viſcera deſcendentes, pretioſiſſimum Crucis theſaurum, cum illâ eruamus. Euſebius de his agens, primò ait Conſtantinum illa feciſſe in memoriam ſuæ matris: deinde ait Helenam matrem eadem ædificaſſe, Deoque dicaviſſe: quod ita intelligendum eſt, ut Conſtantinus abſens unam manum accommodaverit operi, alteram & proximiorem Helena.

Euſeb. l. 3. c. 40.

Eodem tempore (loquitur Euſebius) *cum alia duo loca, quibus duo abdita & quaſi myſtica antra multum honoris & dignitatis afferebant, reperiſſet; ea magnifico apparatu ſumptuq; cohoneſtare inſtituit*

(*Conſtantinus.*)

Templum in Bethleem, et monte Olivarum.

(Constantinus.) Ac primum illud in quo primum Salvator noster divini Numinis virtute in carne apparuit, honoribus decenter affecit: deinde alterum quod fuit ejus in cælos ascensionis monumentum, in summo montis vertice situm, præclaris ornamentis illustravit; atque ista tam splendide decoravit loca, quo matris suæ memoriam, quæ tantum benignitatis, hominum vitæ detulisset, immortalitati commendaret. hæc ille. Qui in sequentibus disertè affirmat, Helenam matrem incepisse templa illa: perfecisse verò & ornavisse, Constantinum filium. Nam ita loquitur, templorum istorum elegantiam explicans. *Posteaquam Helena, locis in quibus Salvatoris erant impressa vestigia, debitam venerationem adhibuerat, idq; convenienter prophetico sermoni dicenti: Adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus: pietatis suæ monumenta, quibus post se relictis, posteris hominibus prodesset, statim fabricare aggreditur.*

Eusеb. sup. c. 41.

XX. Id. c. 42. In Helenæ laudibus ponitur.

Nam Deo, quem adoraverat duo dicavit templa: quorum alterum ædificavit in monte, ubi ascenderat: alterum, ad obscurum illud antrum nativitatis ejus. Etenim nobiscum Deus in terris nasci (locus autem illius nativitatis proprio nomine apud Hebræos Bethlehem) pro nobis sustinuit. ac propterea Imperatrix sanctissima Deiparæ partum eximiis monumentis exornare; & sacrum illud antrum variis cujusque generis insignibus illustrare studuit. Imperator autem paulò post eundem locum ornamentis regalibus ornare, & monumentis ex auro & argento, variisq; auleis, matris suæ magnificentiam adaugere capit. Rursum ejus mater; quo omnium nostri Salvatoris, in cælos ascensionis memoriam celebraret; excelsa quædam ædificia, in monte Olivarum, extruere parat, ac primùm in summo totius montis vertice, sanctuarium Ecclesiæ Dei erexit, templumq; inferius etiam ædificavit, in eo ipso antro in quo (ut vera & sacrata Dei testantur eloquia) Discipuli, & Apostoli, à Salvatore omnium, arcanis mysteriis initiati fuerunt. Imperator quoque ibidem variis monumentis & insignibus Regem magnum Deum veneratus est. Ista igitur duo templa memoria perpetua celebranda, augusta & eximia, in duobus obscuris quasi antris, & mysticis, Helena Augusta pii Imperatoris pia mater, suæ piæ mentis tanquam indicia, Deo Salvatori fundavit; filio suo ei opem, per Regiam suam potentiam & authoritatem, porrigente. Ita Eusebius.

XXI. Probatur a Severo Sulpitio

Sever. l. 2. sacra hist.

Sanctus quoque Severus eandem laudem Helenæ tribuit, & unà Christianæ religionis progressum, cum illa venit in Palæstinam. *Hoc temporum tractu*, inquit, *mirum est quantum invaluerit religio Christiana: tum siquidem Hierosolyma horrentis ruinis, frequentissimis ac magnificentissimis Ecclesiis est adornata. Nam Helena mater Principis Constantini, quæ Augusta cum filio conregnabat; cum Hierosolymam agnoscere concupisceret; reperta ibi idola ac templa protrivit; mox usa regiis viribus, Basilicam in loco Dominicæ Passionis, & Resurrectionis, & Ascensionis constituit.* Omittit Severus specum Bethleemiticam, quam certo tamen constat, Helenam, erecto ibi templo ornavisse, & variis monumentis, Regiis donis, aureis etiam vasis illustrasse; & hanc Helenæ magnificentiam, ut suprà dixit Eusebius, auxit Constantinus. Ipsum præsepe, in quo Christus recens natus jacere dignatus est, argento tectum fuisse, non solum Eusebius suprà insinuat, sed sanctior testis est S. Chrysostomus, qui ita devotionem suam affectumque explicat, in nudum præsepe: *O si mihi videre liceret illud præsepe, in quo Dominus jacuit. Nunc nos*

et S. Chrysostomo.

Christiani, quasi pro honore, tulimus lateritium, & posuimus argenteum. Sed mihi pretiosius est illud, quod ablatum est: argentum autem & aurum meretur gentilitas. Christiana fides meretur illud luteum. Non tamen condemno eos, qui HONORIS CAUSA fecerunt; neque illos condemno, qui in templo fecerunt vasa aurea. Sed admiror Dominum, qui creator est mundi, non inter aurum & argentum, sed in luto nascitur. Hæc Chrysostomus: & ejus suffragio absoluta est Helena, quæ *honoris causa* ornavit præsepe, & vasa aurea fecit, in usum Ecclesiæ: quæ tamen ideo apud factiosa subsellia, & in Magdeburgensi hypocausto, audivit nuper *superstitiosa fœmina.*

Chrys. in Lucam c. 2.

XXII. Helena hinc dicta stabularia.

Fortè superstitionis arguitur Helena, à sectariis: vel quia ad Christi incunabula, venerabunda procubuit, & loco illo humili plurimum delectata est: & tunc Judæos gentilesque, sectarii imitantur, qui Helenam eo sensu stabulariam vocaverunt. quam calumniam ita in ejus laudem vertit S. Ambrosius. *Bona stabularia, quæ tam diligenter præsepe Domini requisivit: Bona stabularia, quæ stabularium non ignoravit illum, qui vulnera curavit à latronibus vulnerati: Bona stabularia, quæ maluit existimari stercora, ut Christum lucrifaceret.* Eodem modo retorqueri potest superstitionis opprobrium: Bona superstitio, quæ omnem superstitionem & idola sustulit: Bona superstitio, quæ Ecclesias fundavit, & Christianam religionem, mirum in modum, teste S. Severo, fecit invalescere. Bona superstitio, quæ Helenam piam, pussimam, imò à Græcis Latinisque omnibus sanctam, nominari fecit, colique. vel dicitur à sectariis superstitiosa Helena, quia Ecclesiam eo loco fundatam, Deo dedicavit & Deiparæ Virgini, ut suprà dixit Eusebius. Sed ego, vel ideo, amabo magis religiosam heroinam: quæ domi, hoc est, in Britanniâ, didicerat Christianæ religionis incunabula consecrare Deiparæ, exemplo Josephi ab Arimathiâ, qui Glastoniensem ædem dedicaverat olim Beatissimæ Virgini, ut dictum suprà. Porro Ecclesiam illam, ab Helena positam, sanctæ Mariæ nomen servasse, Beda noster insinuat in libro de locis sanctis. ubi de hoc loco: *Hæc*, inquit, *spelunca, tota interiùs specioso marmore tecta, supra ipsum locum, ubi Dominus natus specialiter traditur, Sanctæ MARIÆ grandem gestat Ecclesiam.* Ita ibi. Habuit ibi Helena pietatis suæ alimenta plurima; Christum natum, cantantes Angelos, Virginem Deiparam; qui omnes locum illum sua præsentiâ, præ aulis Regum & Augustorum nobilitaverant. Hanc ob causam frequens ibi fuit, modò sacræ Incarnationis beneficium, gratâ mente recolens; modò solum, & parietes osculo & manu terens; modò præsepe amplexans, quod Deum-hominem tenuerat; ubique fundens devotionis lacrymas, ex divini amoris contemplatione, votoque fruendi eorum conspectu & commercio, quorum umbra & recordatione jucundabatur. Ob hæc pietatis studia, qui divini ignis vim ignorabant; Helenam stabulariam vocaverunt: quemadmodum qui veram fidem ignorant, factionem nuperam secuti, *superstitiosam* appellarunt; cæterùm qui Deum & hujus sæculi fidem sapiunt, optimè norunt hujuscemodi studia certum esse & constantem, tam veræ fidei, quàm æternæ vitæ atque immortalitatis, characterem: ideo Helenâ & ejus fide gloriantur.

Ambros. de obitu Theod.

An. 63. 22.

Bed. de lo. sanctis c. 8.

XXIII. Ecclesiæ

E specu Bethleemitica, & Christi humilitate, ascendamus cum Helenâ montem, & ejusdem

IN MONTE OLIVARUM.

Christi gloriam contemplemur. Videamus, inquam, & lustremus Ecclesiam, quam Augusta ascendenti Domino posuit, in monte Olivarum. Non enim satisfactum erit pietati Helenæ, nisi omnia Salvatoris sui vestigia exploret, inveniat, adoret, exornet. Igitur annosa mulier, Olivetum petit & venerabunda procumbit ad locum, in quo videntibus Apostolis elevatus est Christus, & Eusebio teste, *Ubi Salvatoris erant impressa vestigia, debitam venerationem adhibet.* Sed quænam hæc vestigia? Illa enimvero, de quibus Propheta Zacharias. *Statuunt*, inquit, *pedes ejus super montem Oliveti, qui est contra Hierusalem ad Orientem.* Etenim Christus Dominus, dicturus Discipulis suis ultimum vale; in terrâ quam postremò calcaverat pes ejus, nobile monumentum reliquit ascensionis suæ: nimirum ejusdem pedis impressum vestigium, quod fidelibus omnibus in honore & veneratione fuit; eò supplices ventitabant, & pulverem pedum ejus, etiam Reges lingebant. Inter hos Helena, peregrino habitu, & avitâ pietate, vestigia illa adoravit: & quod Christianis solenne erat, terram, submisso corpore complexa est. Sed ne iterum Helena audiat superstitiosa fæmina, quod locum illum magni fecerit, audi Hieronymum, miraculum simul, & Christianorum morem explicantem. *Mons Oliveti*, inquit, *ad Orientem Hierosolyma, torrente Cedron interfluente, ubi ultima vestigia Domini humo impressa, hodieq; monstrantur. Cumq; terra eadem quotidie à credentibus hauriatur, nihilominùs tamen eadem sancta vestigia pristinum statum continuò recipiunt.* Ita ibi. Si quæras cur Christiani terram haurirent; habes suprà Augustinum ejus rei interpretem: nimirum collectum pulverem contra morbos & dæmones valuisse; ideoque cum reverentiâ servari solitum.

Euseb. l. 3. c. 41.

Zachar. 14. 4.

ASCENSIONIS MONUMENTUM.

Hieron. de locis Hebr. Act. Apost.

XXIV. Hunc ergo locum sanctissima Imperatrix, pro eximiâ pietate, qua in Deum-hominem ferebatur ornare instituit, & Ecclesiam ibi ponere. Quo in opere ingens naturæ prodigium accidit, quod quia antiqui Patres, Hieronymus, Paulinus, Severus, aliique ejus ævi recitant, nefas est hoc loco præterire. Dum ergo, Helenæ jussu, marmore insternere incipiunt locum, sacrorum pedum vestigiis proximum: mirum dictu! quasi oneris impatiens terra, & indignata novam servitutem, nullo marmore, nullâve re aliâ tegi potuit. Iterum cum circumquaque erecti, & constituti parietes essent, summaque manus adhibenda, tegendo & fornicando operi; nullâ arte, industriâve concludi circumquaque potuit: sed necessum erat, tantum tecti apertum, & intectum esse; quantum gloriosum Christi corpus occupasse conjectura est. Utrumque miraculum ita apud antiquos legitur. *Illud mirum*, inquit Severus, *quod locus ille, in quo postremò institerant divina vestigia, cum in cælum Dominus nube sublatus est; continuari pavimento, cum reliqua stratorum parte, non potuit. Siquidem quæcumque applicabantur, insolens humana suscipere terra respuebat; excussis in ora apponentium sæpè marmoribus. quin etiam calcati Deo pulveris ad eò perenne documentum est, ut vestigia impressa cernantur.* Ita ille. Aliud miraculum testatur Beda noster de his agens in locis sanctis. *In summo vertice*, inquit, *montis Oliveti, ubi Dominus ad cælos ascendit, Ecclesia rotunda grandis, ternas per circuitum cameratas habet porticus, desuper tectas. Interior namque domus, propter Dominici corporis meatum, camerari & tegi non potuit. Altare ad Orientem habens angusto culmine protectum; in cujus medio ultima Domini vestigia, cælo desuper patente, ubi ascendit, visuntur: quæ cum quotidie à credentibus terra colligatur, nihilominus manent, eandemq; adhuc speciem sui, velut impressis signata vestigiis, servat.* Hæc Beda. Ubi præter novum miraculum, habes quod suprà dixi, Helenæ, Hieronymi, & Augustini tempore; idem omnino Bedæ quoque sæculo factitatum, circa loci hujus reverentiam.

NON POTUIT TEGI.

Sever. sacra hist. l. 2.

Beda de locis sanctis c. 7.

XXV. His omnibus antiquior Cyrillus Hierosolymitanus in Catechesi 14. ubi agit de resurgente, & ascendente Domino; cum dixisset: *Reges* (Constantinum & Helenam intelligit) *pietatis ergo, argento & auro induisse sanctam Ecclesiam, resurrectionis Salvatoris, & argenteis monumentis splendidam effecisse:* de alterâ Ecclesiâ in monte positâ, ita loquitur. *Stat ad hodiernum usque diem mons Olivarum, qui ascendentem in nube oculis fidelium modo commonstrat, & portam, qua ascendit in cælum, indicat.* Plura de his habet Paulinus in Epistolâ, quam inferiùs ob fidem horum miraculorum recitabo. Interim legamus Regii operis præmium, ac coronidem. Crucis, inquam inventionem; quæ sine dubio præcipua causa fuit, quæ Helenam eò traxit, & peregrinam fecit.

Cyril. Catech. 14.

XXVI. Dum supradictæ Ecclesiæ Hierosolymis apud Bethleëm, & in monte Olivarum, ab Helenâ construuntur: unum illi deerat quod ingentibus votis ambiebat: Crux, inquam, quæ olim tormento Christi, hominem beaverat; & nupero miraculo Constantinum filium, ad fidem & baptismum traxerat. Hanc in sacris illis locis abditam, occultamque esse, mussitabant homines, & credebat Helena: sed ubinam gentium tantus thesaurus conderetur, & reperiri posset; hoc enimverò opus erat, & sine divini Numinis instinctu, inutilis labor. Sive ergo ab hominibus docta; sive, quod verius puto, divinitùs mota; jubet Calvariæ montem, ubi crucifixus Dominus, excuti, & eruderari. verùm quo affectu pietatis id egerit, dicat Ambrosius, Helenæ mentem pro concione eleganter explicans. *Helena mater Constantini*, inquit, *anxia pro filio, cui regnum orbis Romani cesserat, festinavit Hierosolymam, & scrutata est locum Dominicæ passionis. Venit ergo, cæpit revisere loca sancta: infudit ei spiritus, ut lignum crucis requireret. Accessit ad Golgotham, ait: Ecce locus pugnæ, ubi est victoria? Quæro vexillum salutis, & non invenio. Ego inquit in Regnis, & crux Domini in pulvere. Ego in aulis, & in ruinis Christi triumphus? Illa adhuc latet, & latet palma vitæ æternæ? Quomodo me redemptam arbitror, si redemptio ipsa non cernitur! Video quid egeris, diabole* (addo sectarios) *ut gladius quo peremptus es, obstrueretur. Sed Isaac obstructos ab alienigenis puteos eruderavit, Nec latere aquam passus est. tollatur igitur ruina, ut vita appareat. Promatur gladius, quo veri Goliæ caput est amputatum: aperiatur humus, ut salus fulgeat. Quid egisti diabole, ut absconderes lignum, nisi iterum vincereris. Vicit te MARIA, quæ genuit triumphatorem; quæ sine imminutione virginitatis edidit eum, qui crucifixus vinceret, & mortuus subjugaret. vinceris & hodie, ut mulier tuas insidias deprehendat. Illa quasi sanctum Dominum gestavit: ego crucem ejus investigabo. Illa generatum docuit, ego resuscitatum. Illa fecit ut Deus inter homines videretur. ego ad remedium peccatorum, divinum è ruinis elevabo vexillum. Aperit itaque humum; decutit pulverem: tria patibula confusa reperit, quæ*

CRUCEM QUÆRIT HELENA.

Ambros. de obitu Theod.

ruina contexerant, inimicus absconderat. Sed non potuit obliterari Christi triumphus. Incerta hæret, ut mulier: sed certam indaginem Spiritus sanctus inspirat: eò quòd duo latrones cum Christo crucifixi fuerint: Quærit ergo medium lignum: sed poterat fieri, ut patibula inter se ruina confunderet, casus mutaret, & inverteret: redit ad Evangelii lectionem; invenit quod in medio patibulo prælatus titulus erat IESVS NAZARENVS REX IVDÆORVM. Hinc collecta est series veritatis, titulo Crux patuit salutaris. Hæc Ambrosius de crucis inventione.

XXVII. SECTARIORUM EXCEPTIO.

Verùm moderni, factiosi homines, in quos continuò pugnandum est, pro fide Regia, primò negant hæc scripta ab Ambrosio; deinde inventionem Crucis controvertunt: denique ab Helenâ inventam negare contendunt. Imprimis ergo Erasmus Ambrosii orationem funebrem, non putat genuinam esse: eum secuti Magdeburgici, inde colligunt, & concludunt, Crucis inventæ historiam, non esse fide dignam. Licet alibi ob inventam cultamque crucem, Helenam superstitiosam fœminam dixerint. Ita enim cum Ambrosii verba recitassent, argutè scilicet inferunt; tu Lector nota illationem. *Verùm*, inquiunt, *Erasmus judicat hæc scripta non esse Ambrosii: Meritò igitur de fide laborat historia.* Optima collectio. Unus modernus, Grammaticus homo, pro tribunali sedens, de Patrum scriptis judicat, nimirum sutor ultra crepidam; & inde concludi debet, non modò non ita scriptum ab Ambrosio: sed nec ita dictum factúmve ab Helenâ. Apage has moderni sæculi sordes, quæ antiqua relegentes, non in Fide Regia, non in certis probatisque historiis, non denique in Regum & Imperatorum præclarè factis: sed in nescio quibus sæculorum excrementis voluptuantur: Quis crederet inveniri aliquos, tam duræ frontis, qui negarent, aut controverterent inventam ab Helena crucem? Id tamen anxiè conantur versipelles, quatuor viri Magdeburgici: & inde Britanniam invidiosè premunt; quæ meritò gloriatur Helena cive, & ejus beneficio inventa Cruce. Cæterùm videamus, quo argumento conentur improbare, quod non solum Britannia jam olim sibi persuasit; sed quod Christianus orbis professus est, scriptis libris, vario marmore, structisque variis Mausoleis, Imperatorum etiam edictis, in quibus legere est sæculorum fidem, de inventa per Helenam cruce.

Cent. 4. c. 13 fol. 1459.

XXVIII.

Itaque sectarii, qui vellent crucem adhuc in sordibus, & abdito esse; quia Eusebius in historiâ nihil habet, de Crucis inventione; inde cupiunt concludere, inventam non esse. *Eusebius*, inquiunt, *qui eo tempore vixit, & qui lib. 3. de vitâ Constantini etiam meminit Helenæ, & loci resurrectionis Christi, jussu Imperatoris repurgati; ne verbum quidem ea de re facit.* Ita est: sed quid si alio in loco mentionem faciat? Quid si scribat in Chronico: *Helenam Constantini matrem divinis monitam visionibus, beatissimum crucis signum, in quo mundi salus pependit, apud Hierosolymam reperisse.* Quis poterit aut de crucis inventione aut de facto Helenæ dubitare? *Verùm*, inquiunt quatuor capita, *quàm facilè hæc à posterioribus inseri potuerunt Eusebii Chronico?* Quid facies, in hoc pugnæ genere? ubi si non habes antiqua arma, rejiceris; si habes, eluderis. Omisso igitur Eusebio, aliorum antiquorum petamus suffragium, si Helena crucem invenit, si Ambrosius, aut author ille falsus est; si Britannia nostra & cum illa

Cent. 4. suprà.

Euseb in Chron.

Orbis universus attribuit Helenæ, quod reverâ non debetur: aut, quod ingens suspicio est, si falsi sunt Magdeburgici: sitque sepulchrum patens, guttur eorum, qui linguis suis dolosè egerunt.

XXIX. PROBATUR AB HELENA CRUX INVENTA.

Hoc Helenæ sæculo, vixit Ruffinus, Presbyter Aquileiensis, Hieronymo quondam amicissimus; postea tamen, ob nescio quæ, inimicus. Ille disertè affirmat Helenam Christi Domini crucem Hierosolymis reperisse, & ita loquitur. *Sed cum Helena, religiosa fœmina, properasset ad locum, cœlesti sibi indicio designatum; cuncta ex eo profana, & polluta deturbans, in altum purgatis ruderibus, tres confuso ordine reperit cruces. Sed obturbabat reperti muneris lætitiam, uniuscujusque crucis indiscreta proprietas. Aderat quidem & titulus ille, qui græcis & latinis, atque hebraicis literis, à Pilato fuerat conscriptus: sed nec ipse satis evidenter Dominici prodebat signa patibuli. Hic jam divina ambiguitatis incertum, divinum flagitat testimonium; accidit in eadem urbe, primariam quandam loci illius fœminam, gravi ægritudine confectam, semineceam jacere: Macarius per idem tempus, Ecclesiæ illius Episcopus erat. Is ubi cunctantem Reginam, atque omnes, qui ibi aderant, vidit: Afferte, inquit, huc totas, quæ reperta sunt Cruces; & quæ sit, quæ portaverit Dominum, nunc nobis adaperiat Dominus. Et ingressus cum Reginâ pariter, & populis, ad eam quæ decumbebat, defixis genibus, hujuscemodi ad Deum precem profudit. Tu Domine, qui per unigenitum filium tuum, salutem generi humano, per passionem crucis conferre dignatus es, & nunc in novissimis temporibus aspirasti in corde ancillæ tuæ, perquirere lignum beatum, in quo salus nostra pependit: ostende evidenter ex his tribus, quæ crux fuerit ad Dominicam gloriam; vel quæ extiterint ad servile supplicium: ut hæc mulier quæ semiviva decumbit, statim ut eam lignum salutare contigerit, à mortis januis revocetur ad vitam. Et cum hoc dixisset, adhibuit primò unam, ex tribus, & nihil profecit. Adhibuit secundam. nec sic quidem aliquid actum est. ut verò admovit tertiam, repentè apertis oculis mulier consurrexit, & stabilitate virium receptá, alacrior multò, quàm cùm sana fuerat, tota domo discurrere, & magnificare Domini potentiam cœpit. Sic evidenti indicio, Regina voti compos effecta; templum mirificum in eo loco, in quo Crucem repererat, Regia ambitione construxit.* Hæc omnia Ruffinus.

Ruffin. Eccles. Hist. l. 10. c. 7. & 8.

CRUX CHRISTI MIRACULO PROBATUR.

XXX. CUR DE CRUCIS INVENTIONE DUBITATUR?

Hæc ingentia miracula, quæ facta scribuntur in Crucis inventione, in causa sunt; cur Helena negetur Crucem invenisse. Quotquot enim meminerunt repertæ Crucis, meminerunt unà rerum mirabilium, quæ virtute Crucis, divinitùs patrata sunt: & moderna factio non potest stare, stante virtute & miraculo Crucis: debet ergo negare omnia, sanctitatem Helenæ, inventam Crucem, edita miracula; debet Crux latere ut olim inter rudera sordesque idolorum; non debet in publicum & lucem prodire; quia si prodit, fugient factiosi, ut noctuæ solem. verùm dicamus, quod sole meridiano clarius est, Crucem Domini, beneficio Helenæ concivis nostræ, inventam esse: quod Authores alii, etiam antiquissimi, statim dicturi sunt. Sequenti sæculo vixit S. Paulinus, Nolanus Episcopus. Is pluribus, quàm cæteri, refert Helenæ studium, inventum thesaurum, facta miracula: ejus verba, & dignissimam lectu Epistolam referam in sequentibus: Interim prodeat æqualis illi, & temporis antiquitate, & loci dignitate, nec non opinione

sanctitatis,

ſanctitatis, Severus Bituricenſis Archiepiſcopus; qui de Helenâ ita ſcribit: *Helenæ Reginæ beneficio, Crux Domini tunc reperta: quæ neque in principio obſiſtentibus Iudæis potuerat conſecrari; & poſtea diruta civitatis oppreſſa ruderibus; non niſi fideliter requirenti meruit oſtendi. Igitur Helena primùm de loco paſſionis certior facta; admota militari manu, atque omnium provincialium multitudine, in ſtudia Reginæ certantium; effodi terram, & contigua quæque, ac vaſtiſſima ruinarum purgari jubet. mox pretium Fidei, & Laboris, tres pariter Cruces, ſic, ut olim, Domino, & latronibus duobus fixæ fuerant, reperiuntur. Hîc verò major dignoſcendi patibuli, in quo Dominus pependerat, difficultas, omnium animos menteſq; turbaverat: ne errore mortalium, forſitan pro Cruce Domini, latronis patibulum conſecrarent. Capiunt deinde conſilium, ut aliquem recens mortuum Cruci admoverent. Nec mora, quaſi Dei nutu funeris extincti ſolennibus exequiis deferebatur; concurſuq; omnium feretro corpus eripitur. Duabus prius fruſtra crucibus admotis, ubi Chriſti patibulo attactum eſt, dictu mirabile! trepidantibus cunctis, funus excuſſum, & inter ſpectatores ſuos aſtitit: Crux reperta, dignoq; ambitu conſecrata.* Hæc omnia Severus. Ubi non eſt omittendum, quod in eodem ſequitur: *His per Helenam, Principe Chriſtiano, libertatem atque exemplum fidei mundus acceperat.* Quaſi diceret: ab Helena quæ Crucem religioſè quæſivit, religioſè invenit, inventamque digno ambitu conſecravit: didicit terrarum Orbis *exemplum fidei,* nimirum Crucis reverentiam: de qua ſtatim fuſiùs.

Sever. l. 2. ſacra hiſto.

XXXI. MIRACULUM PROBATUR.

Niceph. l. 8. c. 29.

Cæterùm quod ſpectat ad mortuum, Crucis attactu reſuſcitatum, eadem quoque habet S. Paulinus, quæ infrà referam: nec differre putanda ſunt ab illis, quæ Ruffinus narrat: non ſolùm, quia Nicephorus utrumque miraculum eveniſſe ſcribit: nimirùm fœminam à morbo liberatam, & alium redivivum; ſed quia Nicephoro longè antiquior Sozomenus idem affirmat. cujus verba, quia moderna factio, in Helenam & crucem pugnat, apponam. Sozomenus igitur, cum Helenam Hieroſolymam deduxiſſet, & ad montem Calvariæ, ita ſcribit de Crucis inventione.

Sozom. l. 2. c. 1.

Tandem locus erutus, & error in quo ſtabiliendo tantopere laboratum fuerat (nempe Crucem ibi non eſſe, & præter Veneris ſtatuam aliud nihil) manifeſtò deprehenſus: indicio, uti quidam memorant, Hebræi cujuſdam, verſus Orientem habitantis: qui avito quodam ſcripto admonitus, locum commonſtravit. Sed quæ verior eſt opinio, monſtratione Dei opt. max. qui ſignis quibuſdam & ſomniis, homines ad memoriam excitavit. Nam res divina, meâ quidem ſententiâ, humano indicio non egent, cum Deo viſum ſit eas patefacere. Itaque ut primùm locus ille, imperatoris mandato, fuit perpurgatus; in profundo, quadam in parte illius, antrum unde Chriſtus reſurrexit, emerſit: in altera autem parte ejuſdem loci, tres inventa ſunt Cruces, & aliud ligniculum ſeparatim, quod tabulæ geſſit ſimilitudinem, verbis & literis, non hebraicis ſolùm, verùm etiam græcis, & latinis inſcriptum. Cæterùm adhuc erat difficile, Crucem Domini à reliquis duabus internoſcere, diſcernereq;: præſertim cum non illius modò inſcriptio, ab ea divulſa diſtractaq; eſſet; verùm etiam ipſæ tres cruces promiſcuè projecta, ordine earum, ut eſt veriſimile, eo tempore, quo corpora illis ſuffixa, ablata erant, penitus confuſo, & perturbato. Nam cum milites IESVM in cruce mortuum reperiſſent; eum inde ſublatum, primùm, uti literis ſacris proditum eſt, ſepeliendum tradiderunt: deinde, quo latronibus utrimque ſuſpenſis mortem maturarent, eorum crura confregerunt: poſtremò cruces, nullo ordine, aliam alio in loco projecerunt. Nam quid curæ potes illis fuiſſe, de Crucibus ordine, quo prius erant, reponendis? præſertim cum ſinguli feſtinarent domum ante redire, quàm adveſperaſceret, & non duceretur operæ pretium, in crucibus hominum, per vim interfectorum, ordine collocandis, aliquid temporis conſumere. Quare cum divinum Dominicæ crucis lignum, hac de cauſa, adhuc etiam ignotum eſſet, & diviniore quodam, quàm ſit in humanâ ſitum poteſtate, egeret indicio, ejuſmodi quiddam accidiſſe conſtat.

XXXII. DENUO PROBATUR

Adverte Lector, ex Sozomeno, qui ante annos mille ducentos vivebat; non ſolum Crucis Chriſti inventionem colligi, ſed *conſtare* etiam, facta miracula: & valdè factioſos eſſe oportet, qui hæc omnia controvertunt. *Nobilis quædam mulier,* pergit Sozomenus, *Hieroſolymis in morbum graviſſimum, eumq; planè inſanabilem, fortè inciderat. Ad quam, in lecto decumbentem, Macarius Epiſcopus Hieroſolymorum, ſibi Imperatoris matre, & aliis, quos ipſe circum ſe habebat, aſſumptis, venit: atque ut primùm precatus eſt, dederatq; in ſpectantibus iſtud ſignum: nimirum eam eſſe Domini Crucem, quæ mulieri adhibita morbo illam liberaret; ſingulas cruces allatas, mulieri admovit. Verum duabus illarum appoſitis, factum quidem ineptum, & planè ridiculum viſum eſt; quippe mors nihilominùs mulierem, jamjam erat occupatura: ſed ſimul ut tertia itidem fuit ei adhibita, derepentè aperuit oculos; & collectis viribus, extemplo è cubili ſana exilut. Fertur item mortuum crucis virtute, ſimili ratione ad vitam revocatum.* Hactenus Author. Cæterùm auditâ crucis virtute, modernus genius aperit ſeſe. & quicquid Ruffinus, Severus, Paulinus, Sozomenus, Socrates, Theodoretus, antiquiſſimi dicant, & conſtanter affirment; nugas tamen, ſuperſtitionem, & idololatriam appellat. Ita Magdeburgenſes: *Sulpitius Severus,* inquiunt, *& Sozomenus, & poſt eum Nicephorus, etiam mortuo impoſitam crucem nugantur,* &c. *ſed cum ſuperſtitioſa illa opinio,* &c. *Relinquatur ea Socrati & aliis hominibus ſuperſtitioſis, qui doctrinæ puritate amiſſâ, ex antiquitatis veſtigiis, ſuperſtitioſas & idololatricas venerationes fabricarunt, comminiſcentes varios, & miraculoſos eventus.* Hæc cum lego in Illyrico Flacco, occurrit illud Satyrici Flacci:

Sozom. ſup.

Cent. 4. c. 13. fo. 1499.

Fœnum habet in cornu: longè fuge dummodo riſum
Excutiat ſibi, non hic cuiquam parcet amico.

Horat. Satyra 4.

Si de uxoribus ac nuptiis Clericorum diſputatio eſt. Socrates & Sozomenus, licet ſoli loquantur, in pretio erunt, præ cæteris omnibus: ſin autem peregrinam Helenam, crucis virtutem, aut miracula loquantur, quibus modernæ factioni incommodatur; nugivenduli cenſebuntur, licet ſtipati prodeant antiquorum graviſſimorumque Authorum numero & ſuffragio. Accedit ergo cæteris, quos recenſui pro Helenâ, & majeſtate crucis, Socrates: qui pluribus etiam narrat Helenæ ſtudium, ejus induſtriam in amovendis idolis, in expurgando loco, & tandem crucis inventionem ac miraculum: quæ non refero, cum moderni ipſi fateantur, eadem probari poſſe authoritate Socratis.

Socrat. l. 1. c. 13.

XXXIII. EX THEODORETO.

Quoniam verò Theodoretus, Socrate atque Sozomeno ætate antiquior eſt, fide ſanior, & major inſulâ: quoniam etiam virtutem crucis miraculo probatam, *facilè perſpectam* aſſerit, erit opinor operæ pretium loquentem ipſum audire:

Theodor. l. 1 c. 18.

Ita igitur ille. *Poſtquam Helena vidit locum illum; qui particeps fuit afflictationum, pro communi omnium ſalute ſuſceptarum; confeſtim execrabile illud Veneris fanum deturbari, & aggerem ex urbe exportari juſsit. Quâ re confectâ, ſepulchrum, quod diu abſtruſum jacuiſſet, emerſit, & ſimul tres cruces, quæ propè illud Domini monumentum erant recondita, reperta ſunt. Quòd autem una ex his Domini noſtri & Salvatoris* IESV CHRISTI *crux fuit; reliquæ verò duæ latronum, qui pariter cum eo crucibus ſuffixi fuerant, extiterunt, ad unum omnes ſine controverſia crediderunt. Sed tamen ignorarunt prorſus, quæ illarum corpus Domini ſuſtinuiſſet, & guttis pretioſi ejus ſanguinis aſperſa fuiſſet. Cæterùm ſapientiſſimus ille, & planè divinus Macarius, urbis illius Antiſtes; tali viâ illorum animos dubitatione liberare aggreſſus eſt: mulieri cuidam nobili, morbo diuturno oppreſſa, unamquamque crucem ſigillatim, precibus ad Deum ſimul ardenter fuſis, admovens; Crucis Salvatoris* VIRTVTEM FACILE PERSPEXIT. *nam ut primùm ea mulieri adhibita fuit; illico gravis ille morbus depulſus eſt, & homo ipſa ad integram valetudinem reſtituta.* Hæc ibi. quæ ego paucioribus tranſiviſſem; niſi adverſariorum pertinacia cogeret, Helenæ facta & pietatem firmare, fidemque ejus ab omni ſuperſtitionis umbrâ immunem oſtendere. Quod tunc abundè feciſſe mihi videor, cum illam ab antiquis, & ſanctis Patribus laudatam, oſtendi: quòd non modo crucem piè quæſiverit, & feliciter invenerit; ſed etiam quòd eandem miraculo inventam religioſè coluerit: de quo enucleatiùs nunc agendum erit.

XXXIV. DE CULTA AB HELENA CRUCE

V. an. 286 per totum.

Superiori ſæculo, cum Albanus noſter crucem ab Amphibalo oſtenſam intuitus eſt; eandem proſtratus in terram veneratur, ut * ſuprà dixi pluribus: nunc videndum; quid inventâ cruce fecerit Helena: niſi enim cum Albano fecit; cur illam cum Albano in eadem fidei & ſanctitatis claſſe conſtituo? Edmundus Campianus qui eleganter, & nervosè pro orthodoxâ fide, & ejus profeſſoribus ſcripſit: ita de noſtrate Helena: *Noſtra*, inquit, *Helena quam Dominicæ crucis inventio celebravit.* doctè innuens Romanæ fidei illam teſtem eſſe. Vidit hunc Campiani ſenſum Guilielmus Whitakerus, modernè factioſus; & ita primùm reſpondet; *Quæ apud Ambroſium*, inquit, *de Helena leguntur, ea ſuſpecta admodum ſunt.* Deinde addit: *Helena crucem invenit, eſto: non enim magni intereſt. num autem adoravit? id enim ad cauſam pertinet.* & paulò infrà. *Quanquam ergo crucem invenit: non tamen veſtra fuit, quia crucem vobiſcum minimè adoravit.* Hæc ille. Eſt igitur neceſſariò, hoc loco quærendum, quid ab inventa cruce, circa crucem fecerit Helena. Nam ſi illam religioſè coluit, Romana eſt. Si illam abjecit occuluitve, ad modernam factionem trahi poſſe videbitur. Cæterùm priuſquam ad Authores deſcendo, hujus facti fideique interpretes, ingens ſuſpicio eſt; Helenam Romanam eſſe, & Romano more crucem coluiſſe, atque integrè ſecutam Albani martyris fidem factumque. Nam, amabo te Whitakere, cur tam anxiè, ut ſuprà dictum eſt, crucem quæſivit? cur tanto labore ingreſſa eſt terram? cur adhibuit militarem manum, quò crucem inveniret; ſi inventam abjicere aut vilifacere libido fuiſſet? Iterum, cur Magdeburgici tui quos ſequeris, in premendo Ambroſii ſcripto, Helenam vocant ſuperſtitioſam fœminam? Cur ſuprà idololatricas venerationes nominarunt, ſi Helena non docuit exemplo ſuo fideles omnes crucem venerari? Contra hæc Whitakerus, Ambroſii authoritatem objicit. *Ambroſium audi*, inquit, *invenit* (Helena) *titulum, Regem adoravit, non lignum: utique quia hic gentilis eſt error, & vanitas impiorum.* Conclamatum ergo eſt, Helenam non Romanè, ſed modernè, ſapuiſſe. Verùm dic ſodes Whitakere, ubi illa Ambroſii verba reperiſti? quo in loco ſcriptorum ejus, ut tam confidenter dicas, audi Ambroſium? nimirum in oratione funebri, ubi crucis inventio per Helenam celebratur: & quàm paulò ante admodum ſuſpectam eſſe cenſuiſti. Itáne verò tam verſipellis es, ut unum & idem ſcriptum, modò Ambroſii, velis, modò nolis eſſe? & Helena non poteſt probari noſtra eſſe, argumento inventæ crucis; quia quæ ſcripſit Ambroſius *admodum ſuſpecta ſunt?* probari verò poteſt moderna eſſe, quia Ambroſius ibi dicit. •Regem ab illa adoratum, non lignum?

Campian. ratio. 10.

Whitaker. cont. Camp. ratio. 10.

NEGAT WHITAKERUS.

Whitakerus ſuprà.

XXXV. REIICITUR.

AMBROSII MENS EXPONITUR.

Nos veritati conſonantiùs, ita dicimus Helenam Dominicam crucem inveniſſe, cum Ambroſio: ut cum eodem eſſe affirmemus, non more gentilium, adoratam ab Helena crucem: ſed tantum Chriſtiano more cultam. Quod quia moderna factio neſcit diſtinguere, ſed pretioſum & vile, gemmas & lutum confundunt imperitè; da veniam Lector, ſi deſcendo paululum in Romanæ Eccleſiæ ſenſum; & eo aperto, nuperam Babelem, malè materiatam everto. Ut certum eſt, & ſatis ſuprà probatum, Chriſtianos omni poſt Chriſtum ſæculo, crucem coluiſſe; & inde *Crucicolas* appellatos: ita certum quoque eſt, eoſdem, unius numinis majeſtatem, non Deos plures, adoraſſe. Etenim pro unius Dei cultu, carceres, exilia, rapinam bonorum, immaniſſima tormenta, conſtantiſſimè perpeſſi ſunt: & debuerunt hi tot ligna lapideſque, quot cruces fuerunt, latriâ venerari, more gentilium? nihil tale. Crediderunt ergo lignum omne, creaturam eſſe; & crucem inde formatam, opus manuum hominum; & ita ſi nudè ſpectetur, nulla dignum reverentiâ cultuive. Sciebant tamen quædam vaſa teſtea in honorem, quædam in ignominiam fingi. Legerant etiam in ſacris literis, omnem creaturam ſanctificari poſſe, per verbum Dei & orationem; quin immo aliquas aliis ſanctiores eſſe, ſine verbo & oratione, ſolo contactu ſanctioris hominis: ita olim Pauli ſudaria, vel ſemicinctia (cur enim in re teſtatiſſimâ, ſcripturas egrediar) virtutem habebant communi ſudario, & ſemicinctio majorem. Hoc multò magis de veſte, & contactu Chriſti, fideles credebant; nec ſine fructu fidei: *Nam ecce mulier*, (inquit S. Matthæus) *quæ ſanguinis fluxum patiebatur, annis duodecim; acceſſit retrò, & tetigit fimbriam veſtimenti ejus. dicebat enim intra ſe, ſi tetigero tantum veſtimentum ejus ſalva ero.* Nec Chriſtus fœminam reprehendit: nec fœmina credebat aliquid, ab unius Dei majeſtate alienum: nec fimbriam veſtimenti adorabat more gentilium: ſed tantùm credebat Chriſti fimbriam, ex divinæ perſonæ contactu, communi fimbria ſanctiorem eſſe. quod fortè multo experimento didicerat. *Nam omnis turba quærebat eum tangere* (nimirum ejus veſtem, ut hæc mulier) *quia virtus de illo exibat, & ſanabat omnes.* Chriſtus etiam qui hæmorrhoïſſam laudavit: *Confide filia, fides tua te ſalvam fecit;* non ſinit nos dicere, ſuperſtitioſè factum, nedum idololatriæ crimen eſſe,

1. ad Timot. 4. 5.

Matth. 9. 20.

Luc. 6. 19.

in

in pretio habere, aut Pauli sudarium, aut vestem Christi.

XXXVI. Et Christianorum cultus.

Simili modo Christiani olim, de ligno crucis ratiocinati sunt. Crux nudum Christi corpus excepit; & tribus quatuórve clavis fixum, multas horas tenuit. In illa Christus extrema passus, infinitam amoris vim erga genus humanum effudit; illam etiam pretioso suo sanguine, & lytro redemptionis nostræ, purpuravit. Demum extremum ibi spiritum, in Patris manus, commendavit. Ergo si fimbria Christi, ex ejusdem contactu virtutem habebat, & sanabat omnes: Lignum crucis, ex contactu corporis & sanguinis Christi, virtutem habebit: & qui supplex ac religiosè (ut mulier illa fluxum sanguinis patiens) accedens illud tetigerit; non poterit fides ejus in dubium vocari, sed potiùs merebitur illud elogium Fides tua te salvum faciet. Ingens ergo discrimen est, inter Gentiles ligna & saxa, Deorum loco, venerantes; & Christianos, qui olim aut Christi fimbriam, aut Pauli sudaria religiosè tangebant. Illi ad quælibet manufacta prostituebant fidem, Deosque appellabant: isti, nec Pauli sudarium credebant Deum esse, nec fimbriam Christi, Christum. Et tamen tam fimbriam quàm sudarium communi fimbria & sudario dicicerant vario miraculo sanctiorem esse, & majore in pretio habendam. Jam verò si honor ille pretiumque, ad personam referatur: ad illum, inquam, unde virtus exibat, qua ratione potest esse, levis aliqua idololatriæ suspicio, lignum crucis ob Christi contactum colere & amare; cum nihil ibi magis, quàm Christus ipse, colatur? hinc optimè dixit suprà Ambrosius: Helenam Regem adorasse, non lignum, qui gentilis est error. Quasi diceret Helena, cruce inventâ, reverentiam exhibuit: non tamen more gentilium, qui lignum adorantes, non porrò pergebant; Helena verò, ut suprà Albanus, à cruce ad Christum ibi pendentem transiens, eundem adorabat. Hanc esse mentem Ambrosii, indicant ipsius Ambrosii verba sequentia: *Avida mulier, festinabat tangere remedium immortalitatis, metuebat calcare remedium salutis.* Unde satis colligitur, quanto gaudio & amore inventam crucem amplexata sit, quantoque in pretio illam habuerit; quæ, ex mente Ambrosii, existimabat illam esse immortalitatis nostræ remedium, & Sacramentum salutis.

Ambros. de obit. Theod.

XXXVII. Helena inventam Crucem coluit.

Campianus igitur eleganter docuit Helenam, nostram, hoc est, Romanam esse, argumento inventæ crucis; & quod inde necessariò sequebatur, etiam ab ea cultæ, enimvero conspecta primum cruce, quam avidè quæsierat; avidè etiam in illius amplexum & oscula ruit. Quod præter Ambrosium, qui suprà dixit *festinabat avida tangere*, colligi quoque potest ex Eusebio; qui cum Helenam deduxisset in Palæstinam, & loca sacra, disertè affirmat, eisdem locis in quibus erant Salvatoris impressa vestigia, debitam venerationem ab eadem adhibitam: & Deus bone, quàm certum, quàm probatum miraculo, denique quàm vocale vestigium Salvatoris erat crux! quam ultimò mortalis calcarat, quam sacro sanguine resperserat, in qua pœnosè pependerat, & ubi restabant adhuc tria saltem foramina, quæ manuum pedumque vestigia erant eloquentissima. Et putabimus Helenam, *quæ convenienter prophetico sermoni, adoravit in loco ubi steterunt pedes ejus*; non in terram prostrasse sese, & devotè crucem amplexatam; quæ nudam terram ample-

Probatur ex Eusebio

xata, & venerata legitur? Nec hic superstitionis aliquod, nedum idololatriæ crimen est, aut umbra criminis, cum id passim in rebus etiam vilioribus quotidie cernamus, ab omni hominum genere fieri: qui imaginem aliquam, aut rem amici suaviabuntur, sine injuria rei, per imaginem representatæ. Venerabuntur etiam effigiem, thronum, soliumque principis, illæsa principis majestate; immò, cum principis illius, quem venerantur, laude & argumento servitutis. Quod exemplo scripturæ expressit Leontius Cypri Episcopus, l. 5. Apolog. pro Christianis contra Judæos. *Quemadmodum*, inquit, *Iacob accipiens à filiis suis vestem sanguine conspersam Ioseph, cum lachrymis eam osculatus est; suisq; oculis circumposuit; non ipsam vestem diligendo aut honorando, hoc fecit; sed per eam arbitratus est se Ioseph osculari, & habere in manibus: sic Christiani omnes imaginem Christi aut Apostoli in manibus tenentes, nostraq; carne osculantes; animo videmur nobis, ipsum Christum, aut Martyrem amplecti.* Ita ille.

Leontius Apol. pro Christian.

XXXVIII. Ex Ambrosio. *Ambr. de obit. Theod.*

Hunc Helenæ sensum sancti Patres agnoverunt: & imprimis Ambrosius ita illum laudavit: *Sapienter Helena egit quæ crucem in capite Regum levavit, & locavit; ut crux Christi in Regibus adoretur; non insolentia ista, sed pietas est, cum defertur sacræ redemptioni.* Et paulò infrà de clavis, quos unà cum cruce inventos, statim dicemus. *Ecce*, inquit, *& clavus in honore est; & quem ad mortem impressimus, remedium salutis est; atque invisibili quadam potestate, dæmones torquet.* Torquet etiam Magdeburgicos hæc sententia; & ita in Ambrosium scribunt. *Hæc certè vehementer contumeliosa sunt in meritum Christi, & pugnant cum fide.* Moderna scilicet, quæ nihil commune habet cum Helenæ fide. Quod Whitakerus non advertit, cum dixit suprà: *Audi Ambrosium.* Nos Ambrosium audimus, & indignè ferimus Ambrosium à factiosis hominibus nominari; qui Ambrosiani sæculi fidem, quæ in summis infimisque, omni hac ætate legitur, detestantur. Quid enim necessum est nominare Patres, populos, provincias, qui crucem cum Helenâ coluerunt; cum Joannes Chrysostomus scribat ita ab omni orbe factitatum. *Hoc lignum*, inquit, *in quo positum sanctum corpus Domini, & crucifixum est; totus orbis habere contendit: & qui parvum quiddam ex illo habent, hoc auro includunt, tam viri, quàm mulieres, & cervicibus suis optant: hinc valdè honestati, & magnifici, muniti & protecti, licet condemnationis fuerit lignum.* & Cyrillus Hierosolymitanus: *Christum testatur* τὸ ξύλον τὸ ἅγιον τοῦ σταυροῦ, signum sanctum crucis, *ad hodiernum diem apud nos apparens; & apud eos, qui secundùm fidem ex illo capientes hinc universum Orbem ferè jam repleverunt.* Quæ loca, si urgere vellem contra factiosos, non opus esset alio argumento, ad probandum eos in fide perduelles. Si enim totus orbis in crucis cultu erat; si tam viri, quàm mulieres, cervicibus suis aptabant crucis particulas: nullus tunc erat, aut Lutheri, aut Calvini factionis, crucis inimicus. quod magis adhuc ex usu cultuque crucis probatur.

Cent. 4. fol. 502.

Crux ubique culta.

Chrysost. hom. Quod Christus sit Deus.

Cyril. catech. 10.

XXXIX. Et Crucis imago.

Ex quo enim Helena crucem invenit; mirum est, quantum crucis devotio fidelium mentibus insederit. Cum enim illam præsentem habere, & auro includere non possent omnes; effigiare similem, & illa saltem muniri, omnes cupiverunt. Ita sanctus Ephrem qui hoc sæculo, & fortè cum Helenâ vivebat (floruisse scribitur circa annum

Ephrem de Paenitentia. c. 3.

Domini 360.) *Pingamus*, inquit, *in januis, & in frontibus nostris, & in ore, & in pectore, & in membris omnibus vivificum signum. armemur insuperabili hac Christianorum armatura. Ea enim victrix est mortis, fidelium spes, lux Orbis terræ, paradisi reseratrix* PROFLIGATRIX HÆRESIVM (nota Lector antipathiam) *dæmonum expultrix, Monachorum adminiculum*, FIRMAMENTVM FIDEI, *magna salutarumq́; custodia, & gloria perpetua orthodoxorum in æternum. Hanc, ô Christiane, armaturam, diebus singulis & noctibus; horis atque momentis; in omni loco circumferre non desinas.* Sed nihil hæc fortè ad crucis cultum, quem conor ostendere: quamvis Magdeburgici hunc ritum signandi se in superstitionem hoc sæculo abiisse dicentes, videantur crucis cultum innuere: dicunt enim *simpliciores existimasse magnam vim in signatione hujusmodi sitam esse.* quasi dicerent Constantinus, Helena, Ambrosius, Hieronymus, Chrysostomus, Augustinus, Ephrem, Oriens, Occidens, totus demum terrarum Orbis, tam viri quàm mulieres, qui lignum crucis habere contendebant, & suis cervicibus aptare; simpliciores fuerunt. Quod necessario dicendum: nisi mavis, meliori compendio dicere, modernam fidem, non fidem esse, sed litigantem perfidiam.

Cent. 4. fol. 459.

XL. CRUCI TEMPLUM HELENA STRUXIT.

Non potuit Helena alicui rei, majorem honoris significationem exhibere, quàm in ejusdem rei honorem templum erigendo: quod quidem primò & principaliter soli Deo ponendum; secundò tamen sanctis sacrisque rebus, ceu in eorundem honore poni, dicari, & consecrari potest. Sic teste Ruffino factum ab Helena, mox ut crucem invenit. Ita enim scribit: *Evidenti indicio Regina voti compos effecta*, TEMPLVM MIRIFICVM *in eo loco in quo crucem repererat, Regia ambitione construxit. Ligni verò ipsius salutaris partem detulit filio: partem verò thecis argenteis conditam, dereliquit in loco, quæ etiam nunc ad memoriam, sollicitâ veneratione servatur.* Hæc ille, quod Theodoretus etiam in hunc modum expressit. *Quod autem ad crucem Salvatoris attinet, partem illius in Imperatoris palatio locandam, reliquam verò in capsa argentea reponendam curavit. Illudq́; dedit Episcopo civitatis illius: hortataq́; illum est, ut ad posteritatem velut monumentum salutis nostræ reservaretur. His rebus constitutis, artifices materiæ cujusque generis undique cogere, templaq́; & ob magnitudinem amplissima, & illustrissima ob splendorem, extruere cœpit: quorum pulchritudinem, amplitudinemq́; oratione describere valdè supervacaneum arbitror; præsertim cum omnes pii propè dixerim illò procurrant, operumq́; magnificentiam suis ipsorum oculis aspiciant.* Ita ille. Hujus etiam templi in honorem crucis erecti meminit Eusebius in oratione quam habuit de laudibus Constantini: *In media*, inquit, *urbe, quæ apud Hebræos primas obtinet; non modò Ecclesiam amplissimam, quæ ad memoriam salutaris passionis ædificata fuit, verùm etiam templum sanctum salutari signo crucis dedicatum, magnificis, & sumptuosis insignibus exornavit.* hæc Eusebius. Una igitur sacrosanctæ crucis pars Hierosolymis relicta, ab Helena Augusta donata est Macario Episcopo, qui eandem solenni cæremoniâ in novo templo deposuit: ubi ad memoriam *sollicita veneratione* servaretur. quod revera factum, nam sequenti post Ruffinum sæculo, eandem servatam esse, testatur Sozomenus: *Hujus*, inquit, *crucis salutaris jam tum inventæ maxima pars adhuc etiam Hierosolymis, in capsa argentea custoditur.* Hanc quotannis in Paschate ostendi solitam populo & à Clero populóque adorari, ita refert S. Paulinus: *Ecclesia Hierosolymitana, arcano positam sacrario crucem servat; quam Episcopus urbis ejus, quotannis cum Pascha Domini agitur adorandam populo, Princeps ipse venerantium promit.* Quem morem etiamnum servat Romana Ecclesia; quæ in die Parasceves, Sacerdote præeunte, crucem adorat: & Helenæ Augustæ, ejusque pietatis studio, hujus Ecclesiasticæ cæremoniæ debemus originem. quod illos observare par est, qui Ecclesiasticas origines investigant.

Ruffin. l. 10. c. 8.

CRUCIS PARS UNA CONSTANTINO,

Theodoret. l. 1. c. 18.

ALTERA TEMPLO DONATUR.

Euseb. de laudib. Constantini.

Sozom. l. 2. c. 1.

S. Paulin. ep. 11.

CRUCIS ADORATIO IN PARASCEVE.

XLI. CONSTANTINUS CRUCEM DATAM COLUIT.

Aliam crucis portionem pia mater Helena Constantino filio dono dedit, misitque Constantinopolim: vel, ut alii dixerunt: ipsa sacri pignoris bajula fuit. Ruffinus dicit Helenam detulisse filio: Socrates verò illam misisse Imperatori: denique Sozomenus ait: *Reliqua pars crucis ab Imperatrice ad filium Constantinum deportata est.* Nec dubium quin Constantinus, qui olim ut dictum est, didicit, docente cælo, crucem colere; eâdem reverentiâ cultuque donum exceperit, quo inventam exceperat mater Helena. Enimvero Socrates scribit: *Ubi Constantinus crucis partem receperat, ratus civitatem in qua illa servaretur, omnino salvam & incolumem fore; in suam ipsius inclusit statuam; quæ Constantinopoli in foro, quod à Constantino nomen traxit, supra columnam ingentem, ex lapide porphyrite confectam, collocata est.* Legunt hæc in Socrate Magdeburgenses, & ita commentantur. *Sed cum superstitiosa illa opinio, Constantino pio Imperatori non competat, ut qui mediocriter in doctrinâ Christianâ instructus, noverit non in ligno vim aliquam esse conservandæ civitatis*, &c. Quasi diceret: Constantinus existimare non potuit vim cruci inesse ad præsidium urbis & Reip. & unus Socrates id affirmat. Sed hoc quàm à veritate alienum sit, suprà dicta testantur. Eusebius etiam, qui multo meliùs sensa Constantini novit, quàm moderni critici, ita scripsit: *Tantus & tam divinus amor Imperatoris animum complexus est; ut in ipso palatii introitu, in ædificio omnium excellentissimo, in medio tecti laqueari inaurato, in tabulâ maximâ explicatâ, salutaris passionis insigne, ex lapillis pretiosis, cujusque modi, auroq́; multo politè elaboratis confectum, figendum curaverit. Illud Imperatori sanctissimo Regni* FIRMVM *videbatur esse* PROPVGNACVLVM. Ecce videtur aliquid Constantino quod non videtur Magdeburgicis. & quod nuperæ factioni superstitio est; Constantini tempore laude dignum, & sanctissimum Imperatorem decere, censebatur.

Ruffin. l. 10. c. 8.
Socrat. l. 1. c. 13.
Sozom. l. 2. c. 1.
Socrates suprà.

MAGDEBURGICI ARGUUNTUR.

Cent. 4. fo. 1429.

Euseb. l. 3. c. 48.

XLII. HELENÆ FIDES ET BRITANNORUM

Ex dictis collige Helenæ fidem, circa cultum crucis; quæ sine dubio fuit Albani Protomartyris, & Britannorum omnium, adde, & fidelium hujus quarti sæculi, qui *Crucicolæ* vocabantur. unâ obmutescant ergo quatuorviri Magdeburgenses, qui in Helenam garriverunt: taceat Gulielmus Whitakerus, qui Helenam trahere cupit in partem suam: dicat verò Edmundus Campianus, & audacter pronunciet: *Nostra est Helena: quæ Dominica crucis inventione celebratur.* Nostra enim est, quæ in hac Insulâ, è Regio sanguine nata est: nostra quæ Constantinum in Britanniâ genuit: nostra etiam est quæ Palæstinam pietatis fideique studio lustravit. Nostra est, quæ terram sanctam, & sacrorum pedum Christi vestigia debitè venerata est: nostra, quæ crucem

divino

divino instinctu quæsivit, invenit, inventamque eximiè coluit, auro, argento, erecto templo, & demisso supplicique cultu corporis. Nostra, quæ sacras virgines amavit, & in illis vitam monasticam, vota tria; & virginitatem perpetuam credebat sitam in hominis, à Deo adjuti, potestate. Denique si Helenam in omnem partem verses, & à capite ad ima contempleris, tota tota nostra est, Romana est, orthodoxa est; nec vel leve vestigium habet factionis nuperæ. Ideoque illam in hac constantissimâ fide, mox sepeliam. Priùs tamen repetam terræ viscera, in quibus Augusta adhuc devotissimè versatur. Et veluti apis argumentosa Ecclesiæ deservit & quærit sibi aliisque alimenta pietatis.

XLIII. Clavi inventi, ab Helena coluntur, et mittuntur ad filium.

Inventâ cruce, pergit porro Helena, alia passionis instrumenta explicare; quibus non minùs amoris & reverentiæ debebatur. Quæ pia Imperatrix eò teneriùs suaviatur, quò magis intimè Christi corpus penetrarant: clavos, inquam, qui sacrum corpus non modò superficie-tenus, tetigerant; sed carnem, venas, ossa pervaserant. Cum igitur debitam, & illis venerationem adhibuisset; Constantinum filium, quem suarum virtutum hæredem scripserat, illo etiam thesauro ornare voluit. Cui ut certò persuaderet, maximam Christiani Principis gloriam, in passione Christi positam esse; Regium diadema ex uno clavo compositum ad eum mittit. Iterum, quo eundem instrueret, passionem Christi, nostrarum passionum vitiorumque frænum esse, ac illâ, errantes motus optimè compesci, frænarique: alium è clavis in fræni similitudinem efformatum eidem Constantino donat. Explicat hæc omnia S. Ambrosius, ita scribens inter cætera. *Quæsivit Helena clavos, quibus crucifixus est Dominus, & invenit; de uno clavo frenos fieri præcepit, de altero diadema intexuit: unum ad decorem, alterum ad devotionem vertit. Misit itaque filio suo Constantino diadema gemmis insignitum, quas pretiosior ferro innexas crucis redemptionis divina gemma connecteret. Misit & frenum, utroque usus est Constantinus, & transmisit FIDEM ad posteros Reges. Principium itaque credentium Imperatorum sanctum est, quod super frenum; ex illo fides ut persecutio cessaret, devotio succederet.* Et paulò infrà, de iisdem clavis: *Rectè in capite clavus; ut ubi sensus est, ibi præsidium: in vertice corona, in manibus habena. Corona de cruce, ut fides luceat; habena quoque de cruce, ut potestas regat: sit justa moderatio, non injusta præceptio.* Hæc Ambrosius.

Ambros. de obit. Theod.

XLIV. Helena prophethiam implet.

Fueritne Helena divinitùs inspirata, ad frænum ita componendum, cur hic disputem? cum satis constet prædictum id olim à Propheta Zacharia; qui cum dixisset: *In tempore vesperi, erit lux* (intelligo Diocletiani noctem, Constantini diem) *& erit in die illa, exibunt aquæ vivæ de Hierusalem: medium earum ad mare Orientale, & medium earum ad mare novissimum.* post pauca addit: *In die illa erit quod super frænum equi est, sanctum Domino.* Ita ergo Prophetæ locum de facto Helenæ interpretatus est S. Ambrosius; & post eum Theodoretus, qui addit, ideo Reginam clavum fræno immiscuisse, ut prophetia illa impleretur: *Imperatoris mater*, inquit, *clavorum partem in Imperatoris galeam artificiosè includendam curavit; quo capiti filii consuleret; & hostium tela depellerentur: partem equi illius fræno admiscuit, quò tum Imperatorem tutum, ac securum redderet; tum veterem prophetiam explere posset. nam olim prædixerat Zacharias Propheta: Quod est in fræno equi erit sanctum Domino omnipotenti.* Eodem modo loquitur Gregorius Turonensis, sed paulò aliter locum Scripturæ vertit: *Speciosi*, inquit, *omniq; metallo nobiliores, Dominicæ crucis clavi, qui beata membra tenuerunt, ab Helena Regina post ipsius sacræ crucis inventionem, reperti sunt. Et de duobus quidem frænum Imperatoris munivit; quo faciliùs, si adversæ gentes restitissent principi, hac virtute fugarentur. De quibus non est ignotum Zachariam vaticinasse Prophetam. Erit, inquit, quod in os equi ponitur, sanctum Domini.* Eandem prophetiam Cyrillus Alexandrinus in Helenæ & Constantini laudem exponit in hunc modum: *Non incredibile hoc dixerit quis, neque alienum à decoro est meminisse Deum, & propheticâ prædictione honorasse Imperatorem valdè pium. Equos enim Regum clavo crucis Christi ornari: quid aliud declarat, quam summam Imperatorum pietatem?*

Zachar. 14. 7.

Zachar. 14. 20.

Theo. l. 1. c. 10.

Grego. Turon. de gloria Marty. l. 1. c. 6.

XLV. Numerus clavorum.

De numerò clavorum, quibus sacræ Christi manus, pedesque, in cruce pependerant; & quot, ab Helena reperti sint; esset hoc loco inquirendum, si vellem certis incerta miscere. Cæterùm ut recèns usus pingendi Christum crucifixum tres tantum innuit fuisse clavos; ita antiquior, qui hodieque quibusdam in locis adhuc cernitur; quatuor clavos in crucifixi formatione adhibuit. Unde ex pictoribus atque poëtis nihil potest solidè in utramvis partem concludi. Si tamen dicendum est quod censeo: antiqui magis ad rei veritatem videntur accedere, qui singulis pedibus, singulos clavos attribuunt. Id enim decenti faciliqúe modo pendendi in cruce magis convenit: præsertim si suppedaneum quo corpus fulciatur Christi pedibus suppositum dixeris. Sed quicquid sit, Gregorius Turonensis ante annos mille, quatuor fuisse clavos asserit, & cur tot fuerint causam reddit. *Clavorum*, inquit, *Dominicorum gratiâ, quòd quatuor fuerint hæc est ratio. duo sunt affixi in palmis, & duo in plantis. Et quæritur cur plantæ affixæ sint, quæ in cruce sancta dependere visæ sunt potiùs, quam stare: sed in stipite erecto foramen factum manifestum est. pes quoque parvulæ tabulæ in hoc foramen insertus est; super hanc vero tabulam, tanquam stantis hominis sacræ affixæ sunt plantæ.* Ita illè. A quo si quæras, quid de quatuor his clavis factum sit, respondet: *Duo sunt quos suprà diximus aptatos in fræno, tertius projectus in fretum Adriaticum mare, cum illud magnis fluctibus moveretur: in quo tam frequentia erant naufragia, ac demersio hominum; ut vorago navigantium diceretur. Tunc provida Regina (Helena) condolens excidia miserorum, unum ex quatuor clavis deponi jubet in Pelagus; confisa de Domini misericordiâ, quòd sævas fluctuum commotiones facilè posset opprimere. Quo facto, redditur mare quietum, tranquillaq; deinceps navigantibus flabra præstantur. Quartum asserunt esse defixum in capite statuæ Constantini, quæ civitate ut aiunt tota excelsior esse suspicitur; scilicet ut tota cùi eminet munitione, salutis quodam modo galea coronata est.* ita Gregorius, significans diadema quòd suprà dixi donatum ab Helena Constantino.

Gregor. Turon. sup.

Quid de clavis factum?

XLVI. Clavorum virtus.

Spectat etiam ad fidem Helenæ, aliquid dicere, de virtute horum clavorum; quos pia mater, ceu eximium munus, donavit filio. Putavit enimvero religiosa mulier (ut sunt tenera parentum viscera) filium qui in multos hostes pugnaturus erat, illius ferri virtute, inter pericula tutiorem fore: & victoriam quoque longè faciliorem.

Ruffin. l. 10. c. 8.

Nec falsa est: Nam si Ruffinum sequimur, vix Constantinus frenum acceperat, cum admodum feliciter in hostes pugnavit. *Interea*, inquit, *Constantinus pietate fretus Sarmathas, Gothos, aliasq; Barbaras nationes; nisi qui vel amicitiis, vel deditione sui, pacem praevenerant; in solo proprio, armis edomuit.* Sed quia volupe est, Regiis adhuc exemplis firmare singula, vide Justinum Imperatorem, insigni miraculo, & horum clavorum virtute, à præstigiis liberatum. Rem gestam ita refert Gregorius Turonensis: *Magnam asserunt virtutem esse hujus freni: quod ambigi nequaquam potest. Quod Iustinus Imperator* (juniorem intelligit Baronius) *publicè expertus est, ac suis omnibus patefecit. Illusus enim à quodam Mago, propter pecuniam, immissas sibi à dæmonis umbrâ, intolerabiles per duarum curricula noctium sustinuit insidias: sed cum tertiâ nocte, frenum capiti collocasset; locum insidiarum inimicus ultra non habuit, repertumq; autorem insidiarum gladio perculit.*

Gregor. de glor. Mart. l. 1. c. 6.

Baron. an. 571.

XLVII. OBIECTIO.

Meritò hoc loco dubitari potest: cur cum Helena nostra quatuor summùm clavos invenerit, illique ut dictum, vel diademati intexti, vel in frenum conversi, vel demum submersi sint: unde potest Occidens noster, Italia, Gallia, Britanniaque clavos ostendere, unà cum Christi cruce Hierosolymis inventos? Et dicendum est,

SOLVITUR.

præter quatuor clavos, qui Christi corpus affixerant, alios fuisse quibus compacta crux firmataque fuit, ad pondus sustinendum. Imprimis decussatam partem crucis, quæ recto stipiti inhærebat, duobus tribúsve clavis conjunctam fuisse verosimile est: & suppedaneum, quo totum Christi corpus tenebatur in cruce; duobus minimum, clavis cruci affixum. admoti etiam fortè stipites internè ad crucem roborandam, atque stabiliendam, eidem cruci clavis conjuncti sunt: denique titulus cruci impositus, JESUS NAZARENUS REX JUDÆORUM, clavo affixus. His ergo clavis meritò gloriari potest Occidens: & illos æquè ac crucem revereri, tam Chrysostomi sæculo, quàm sequentibus, cum totus orbis illa habere contendebat. Unde nihil mirum si Italia, Gallia, & Britannia hujuscemodi cimelia possederint; quæ religiosæ semper fuerunt, in hoc genere pietatis: & passionis Christi, hoc est, redemptionis nostræ instrumenta, magnis votis expetebant. De Galliâ, testis est Gregorius Turonensis, Reginas ibi Helenæ fidem imitatas, in crucis inquisitione. *Crux Dominica*, inquit, *quæ ab Helenâ Augustâ reperta est Hierosolymis, ita quartâ & sextâ feriâ adoratur. Hujus reliquias, & merito, & fide, Helenæ comparanda Regina Radigundis expetiit, ac devotè in Monasterium Pictaviense, quod suo studio construxit, collocavit: misitq; pueros iterum Hierosolymam, ac per totam Orientis plagam, qui circumeuntes sepulchra sanctorum Martyrum, Confessorumq;, cunctorum reliquias detulerunt, quibus in arcâ argenteâ, cum ipsa cruce sancta, locatis, multa exinde miracula conspicere meruit.* Ita dives fuit Gallia, sacrarum rerum, sanctorumque exuviis.

Grego. suprà c. 5.

GALLIA HELENÆ FIDEM IMITATUR.

XLVIII. NEC MINUS BRITANNIA IN CRUCIS ET CLAVORUM CULTU.

Nec cessit Galliæ Britannia; sed ut Helenæ & Constantini bonorum hæres; ita eorum etiam pietatem propiùs secuta est. Unde Reges habuit crucis Christi cultores eximios. Aluredus Rex & Angliæ Monarcha, qui Romæ doctus, nulli Regum pietate secundus fuit, sacrosanctæ crucis particulam à Martino Papa impetravit; quam ipse Glastoniensi Ecclesiæ, ut ibidem coleretur, dedit. testatur hoc Guilielmus Malmesberiensis, dum de loci illius Antiquitatibus agit, ita scribens: *Rex verò Aluredus contulit Monasterio Glastoniæ partem ligni crucis Dominicæ; quod ei Martinus Papa antea dederat.* Iterum de Athelstano Rege, scribunt Authores nostri, & externi, missa ad eum à Galliarum Regibus, pretiosa munera, sancti ligni portionem aliquam, & unum è clavis, qui cruci inhæserant. Malmesberiensis de illis ita scribit: *Adulphus filius Balduini Comitis* (*legatus Hugonis Regis Galliarum*) *protulit munera sanè amplissima, &c. ensem Constantini Magni, in quo literis aureis nomen antiqui possessoris legebatur. In capulo quoque super crassas auri laminas, clavum ferreum affixum cerneres, unum ex quatuor, quos Iudaica factio Dominici corporis aptarat supplicio: particulam sanctæ & adorandæ crucis, crystallo inclusam: ubi soliditatem lapidis oculus penetrans potest discernere, qualis sit ligni color, & quæ quantitas. portiunculam quoque coronæ spineæ, eodem modo inclusam, quam ad derisionem regni, militaris rabies sacrosancto imposuit capiti.*

Malmesb. Antiq. Glast. in Alured.

ATHELSTANUS REX.

Malmesb. l. 2. de gest. Regum.

XLIX.

Idem suprà.

Pergit Author dicere, quàm grato Rex animo hæc munera acceperit; & quid de illis factum. *His tantis*, inquit, *& tam elaboratis donis, magnificentissimus Rex gavisus; non minoribus penè respondit beneficiis. Et cæteris quidem successores Reges dotavit: partem verò crucis & coronæ Malmesburiæ delegavit: quorum sustentaculo adhuc credo vigere locum illum, tot libertatis naufragia, tot calumniatorum injurias passum.* Non videtur tamen omnem crucis portionem illi loco legavisse: quia idem Author in Antiquitatibus Glastoniensibus scribit, Ethelstanum Glastoniæ dedisse: *De terra*, inquit, *& lapide, ubi crux Domini stetit; de sancta cruce Domini quinque portiones.* & addit: est etiam sexta portio cum pulvere, & hoc scripto:

Malmesb. in Antiq. Glaston.

Ecce Deo dignum, sacrorum pulvere lignum.

EDGARUS REX.

Edgarus etiam Rex & monarcha, Glastoniensi Ecclesiæ *donavit modicum de ligno Domini*: ut habent Antiquitates ejus loci. Sic habes Britanniæ Reges, & omnem Insulam, Helenæ beneficio, & crucis Christi thesauro, beatam. Nunc tempus eandem Helenam immortali gloriâ, & æternæ vitæ præmio beandi. Quod quia hoc ipso anno trecentesimo vigesimo sexto fieri debet, erectâ nunc prælataque cruce, ejus funus componam, deducamque ad sepulchrum.

L. HELENA CUPIT DISSOLVI.

Inventâ cruce, aliisque sacris passionis Christi insignibus, Helena cupiebat magis magisque illius amplexu ac præsentiâ frui, cujus umbrâ, & ænigmate adeo jucundabatur: Deus autem voto adfuit, annosam fœminam, tam meritis quàm ætate gravem, spe certâ æterni præmii consolatus. Sensit Heroina vocantem Deum, & peregrinationis laborem brevi quiete compensandum. Quamobrem impensiùs adornavit animum illis virtutibus, quæ Reginam decebant; & tam difficili itineri necessariæ videbantur. Quas quia satis luculenter expressit Eusebius, ipsum accipe. *Helena Augusta*, inquit, *pii Imperatoris pia mater, præmia digna laboribus reportavit. Nam cum jam planè grandis esset, inq; omnium bonorum affluentiâ; omne vitæ suæ tempus ad extremam usque senectutem obiisset; & tum verbis, tum rebus ipsis, veros pietatis fructus, quos præcepta Salvatoris præscribunt extulisset; atque ita vitam suam florentem, & expertem cujusque molestiæ, valenti corporis & animi virtute transegisset: deinceps eximium pietatis suæ exitum, & præclaram rectè factorum à Deo*

Euseb. l. 3. c. 42.

remunerationem,

remunerationem, etiam in hac vitâ consecuta est. Intelligit, opinor, Eusebius, inventæ nuper crucis beneficium: quo ipsa Regina, & omnis orbis beati fuerunt. Restabat ergo aliud æternæ vitæ præmium, quod fidei ejus, spei atque charitati debebatur. De quo modò agendum. Si priùs breviter Theologicas illas virtutes in Helenâ paucis ostendero, à Fide incipiens.

LI. HELENÆ FIDES.

Sufficiat imprimis compendio dicere, Helenæ fidem, qua in unum Deum, & Salvatorem nostrum, magno pietatis impetu ferebatur, omni vitæ tempore eximiam fuisse. Sed quia omnis motus in fine est velocior; ideo maximè enituit ardor fidei; cum Augusta, ingravescente ætate cupivit dissolvi & esse cum Christo. Tunc enim quia fides suggerit promittitque nobis Christi-hominis in cælo æternam fruitionem: quam nobis morte & passione suâ dudum promeruerat: noluit Helena quiescere, donec ipsum passionis locum venerata, & mortis instrumenta, immortales Christo gratias egisset; ac vidisset in speculo ac ænigmate, quod postea visura erat facie ad faciem. Hoc enim fuit consilium peregrinationis ejus; eò tendebant oscula & lacrymæ, & ut benè notat Eusebius: *Sua pia mentis tanquam indicia duo templa Deo Salvatori fundavit augusta & eximia.* In illis ergo fidem ejus legimus augustam & eximiam. Unde Ruffinus ita laudat à fide Helenam. *Per idem tempus Helena Constantini mater, fœmina INCOMPARABILI FIDE, religione animi, ac magnificentiâ singulari.* Et S. Paulinus non dubitavit asserere Constantini fidem Helenæ fidei acceptam deberi. Quod innuit etiam S. Ambrosius cum dixit: *Helena fidem transmisit ad posteros Reges.* Quamobrem si Regiæ fidei exordium inquirimus; post tempestatem illam, quâ omnium fides periclitata est, principium esto fides Helenæ. iterum si sequentium Regum fidem inspicimus, quænam illa & qualis: inveniemus illam ipsam esse, quam ad eos transmisit Helena. Quæ nimirum Sacramentum incarnationis Christi, & nativitatis ejusdem; non modò ipsa credidit ac venerata est: sed voluit etiam omnes posteros illud credere & venerari. Ideo Deiparæ Virginis partum & speluncam Bethleemiticam, magnifico apparatu (ut dixit suprà Eusebius) sumptuque cohonestare instituit, & honoribus decenter affecit, ejecto Adonidis simulacro, quod Hadrianus Imperator ad obliterandam Christianorum pietatem erexerat, ut monui ad an. 127. n. 5. Ideo ascensionis Christi locum invisit; ac vestigiis pedum ejus debitam venerationem adhibuit. Ideo revelavit passionis instrumenta, crucem, clavos, aliaque, ut in illis ipsa legeret, videret contemplaretur, ac demùm constantissimè crederet, Christum ea passum, quæ oculis usurpabat. Et quoniam experientiâ jam didicit vivam crucis memoriam, egregium pietatis alimentum esse: cupiebatque fidei flammam in omnium pectore excitare; erexit crucem, fecit toti mundo conspicuam, & denique in templis posuit; ut illi omnes, & summi etiam Principes, inclinarent verticem. Quod post Helenam fecerunt alii Reges. Qui religiosè crucem, aut ejus saltem portionem aliquam quæsiverunt, eamque auro & argento inclusam, in templis, ad cultum statuerunt; ut Radigundes in Galliâ, Aluredus, Athelstanus, Edgarus, aliique in Britanniâ. Et tanti dux fœmina facti, fideique, Helena.

Eusеb. sup.
Ruffin. l. 10. c. 7.
Paulin. ep. 11.
Ambros. de obitu Theodosii.
Euseb. l. 3. c. 40.

LII. HELENÆ SPES.

Nec minori passu, in Deum, spe, Helena tetendit; quæ toto vitæ tempore, & magno etiam impetu, cælestia venabatur. Quoniam verò incolatus ejus prolongatus est, & nimiùm incola fuit anima ejus; in Palæstinæ regionem peregrè profecta est, ut saltem Josephi tunicam suaviaretur; quia fera pessima devoraverat eum. Et quemadmodum spei proprium est, ita mentem acuere divinorum bonorum desiderio; ut minus incommoda metuantur, quæ in voti prosecutione subeunda sunt: sic annosa fœmina nullas itineris molestias exhorruit; ut eo pleniùs frueretur, quem desideraverat anima ejus. Unde noster Gregorius benè dixit: *Spes in æternitatem animum erigit; & idcirco nulla mala exteriùs, quæ tolerat, sentit.* Sed maximè eluxit in Helenâ virtus hæc, cum inventis tribus crucibus, dubitare cœpit quænam esset illa in quâ Deus homo pependerat: nam omnino confidebat votis suis Deum etiam miraculo affuturum, potiùs, quàm ut latronis patibulum, pro sacrosanctâ Cruce, coleretur. Exponit hoc optimè S. Paulinus in Epist. ad Severum quæ est numero undecima, ubi plura de Helenæ fide, spe, & religiosæ mentis solicitudine circa crucem Christi. & inter cætera hæc habet.

Greg. in Iob.

LIII. FIDUCIA HELENÆ, PRO VERÆ CRUCIS INVENTIONE.

Paulin. ep. 11.

Sed in Historiâ Crucis accipite magnum & verè divinum miraculum. Regina illa venerabilis, ut venit Hierosolymam, diligenter & piè locis scilicet omnibus divinorum curiosa insignium, & oculis haurire gestiens fidem quam piis auribus, literisq; perceperat; Crucem Domini studiosissimè inquirere adorsa est. Sed qua via vel ratio inveniendi subesset, cum index idoneus nemo inveniri posset? ubi memoriam & curam religiosa conscientia vel observantia, & antiquitas ævi, & superstitionis impia diuturnitas, abolevisset. Verùm ipso omnium & terris & animis opertorum conscio & teste Deo, fidelis mulier sanctum Spiritum, per affectum pium meruit. Quo adspirante, cum rem ab humanâ conscientiâ divinitus remotam, frustrà diligens requisisset; de loco tantùm passionis certior fieri studuit. Itaque non solùm de Christianis doctrinâ & sanctitate plenos viros, sed & de Iudæis peritissimos, ut propria (quâ miseri gloriantur,) impietatis indices, exquisivit: & accitos Hierosolymam congregavit. Tum omnium una de loco testificatione confirmatâ, jussit illico (urgente sine dubio concepta revelationis instinctu) in ipsum locum operam fossionis accingi; parataq; mox civium pariter & militari manu, brevi laborem istius molitionis hausit; & contra spem omnium, sed secundùm ipsius tantùm Reginæ fidem, altâ egestione reseratis terræ finibus, abdita crucis arcana patuerunt. Sed cum tres pariter cruces, ut quondam fixa Domino & latronibus steterant, reperta fuissent; gratulatio repertarum cœpit anxia dubitatione confundi, justo piorum metu; ne forsitan, aut pro cruce Domini patibulum latronis deligerent, aut salutare lignum, pro stipite latronis abjiciendo, violarent.

LIV. HELENÆ VOTIS DEUS ADFUIT.

Respexit pias fideliter æstuantium curas Dominus, & ipsi potissimum, quæ tam pia solicitudinis princeps erat, hujus consilii lumen infudit; ut aliquem recens mortuum inquiri & inferri juberet. nec mora, verbo factum, cadaver illatum est, deponitur, jacenti una de crucibus admovetur: sed eorum ligna mors sprevit. Postremò Dominicam crucem prodit resurrectio, & ad salutaris ligni tactum morte profugâ funus excussum, & corpus erectum est, tremefactisq; viventibus stetit mortuus; & funebribus, (ut Lazarus quondam) vinculis expeditus, illicò inter spectatores suos redivivus

incessit. Ergo Crux Domini tot operta ætatibus, & Iudæis in tempore passionis abscondita; neque gentibus in ædificatione sani, terram sine dubio ad ipsam fabricam egerentibus, revelata; nónne divinâ manu latuit, ut nunc inveniretur cum religiosè quæreretur? Hæc & plura S. Paulinus, qui ejusdem crucis particulam in Basilicæ coosecrationem, S. Severo Bituricensi Archiepiscopo misit: & eâ occasione historiam scripsit inventæ Crucis. Nunc ad alias Helenæ virtutes transco.

LV. Helenæ charitas,

Fide & spe, major est & Regina virtutum, charitas: quæ quantum in Helenâ eminuerit, licet superiùs dicta satis significent; lubet tamen attexere quæ de illâ habet Eusebius: opera, inquam, eximia, quæ Augusta fæmina narratur fecisse, divini amoris, tam erga Deum, quàm proximum, argumenta. Illis enim duabus alis nititur charitas: & mentem pleuè in cælum erigit. Cæterùm quod attinet ad amorem Dei, ita scribit Eusebius. *Helena, licet ejusmodi rebus esset insigniter nobilitata; alia tamen in Deum pietatis munera minimè neglexit. nam ubique cernebatur in Ecclesiam Dei intrare, templaq; splendidis exornare monumentis: inque ædes sacras, vel in minimis urbibus extructas, suam benignitatem ostendere. Licebat præterea eam & decoro eximioq; apparatu admirabilem videre, sæpè versari cum multitudine, & verum cultum erga Deum, omnibus piis vitæ officiis declarare.* Ita ille. Ex hoc caritatis culmine descendebat aliquando Helena, necessario gradu, in amorem proximorum; illorum miserias sublevabat, & uno verbo viscera in eos effundebat sua. Nam talia tantaque pauperibus erogavit, ut Eusebio teste, vix potuerint numerari. Audi ipsum. *Porro Helena, dum Regiarum opum magnificentiâ instructa, omnem Orientem peragrat; cum universo populo, quasq; civitates incolenti, tum simul, tum privatim singulis eorum, qui ad ipsam accedebant, infinita munera largita est: infinita etiam ordinibus militaribus, quasi plenâ manu distribuit. Quæ verò pauperibus, omnibus rebus nudatis, omniq; ope & auxilio destitutis, dispertierit, vix enumerari possunt. Quippe in alios grandem pecuniarum vim conferre, aliis corporis tegumenta prolixè & largiter suppeditare, vinculis eripere alios; alios, tum laboribus in metallis effodiendis afflictatos, tum fraude & injuriâ oppressos, liberare: denique ab exilio alios in patriam revocare dignata est.* Hæc ille, oculatus fortè dictorum testis.

Euseb. l. 3. c. 44. In Deum, — Et proximos. — *Euseb. l. 3. c. 43.*

LVI. Virginibus ministrat. *Ruffin. l. 10. c. 8.*

Huc referri debet, quæ fecit Helena Hierosolymis: de quibos ita Ruffinus. *Reliquit Hierosolymis indicium hoc religiosi animi Regina venerabilis. Virgines, quas ibi reperit, Deo sacratas, invitasse ad prandium, & tantâ eas devotione curasse dicitur; ut indignum crederet, si famularum uterentur officiis: sed ipsa manibus suis, famulæ habitu succincta, cibum apponeret, poculum porrigeret, aquam manibus infunderet; & Regina orbis, ac mater Imperii, famularum Christi se famulam deputaret.* Hæc ille. Nec minùs laude dignum, æquè certè decet Fidem Regiam, quod fecit hoc anno Regina Helena, cum relictâ Palæstinâ in Græciam abiit: ubi Sanctorum in cælo regnantium cultui impensè dedita, debitam illis reverentiam exhibuit: & simul facto docuit, non solùm Crucem Christi, sed Sanctos qooque coli, & in eorum memoriam templa poni ornarique posse. Divertit in hoc itinere Drepanum Bithyniæ; ubi Sancti Luciani corpus jacebat, loco humili; & Reginam expectabat, quæ opes suas, unà cum animi virtutibus, explicaret. Ut vidit Helena sanctas reliquias, sine debito honore; & intellexit miraculum, deportati eò corporis, adminiculo delphinorum. *Cum esset sanctorum Martyrum studiosissima*, inquit Baronius, *digno trophæo, triumphum martyris ornare decrevit. atque illic sumptuosam desuper Basilicam erigendam curavit. Testantur hæc ejusdem Luciani Acta martyris, antiquitus scripta, in quibus illhæc in fine leguntur. Postea autem quàm nobis salutarem Domini restituit crucem; quam magnum inter claros Imperatores genuit Constantinum veneranda Helena; quando revertebatur Hierosolymis, locum honorans, & in eo condidit civitatem; convocatis habitatoribus, ex iis quæ circum circa erant regionibus, & effectus operis participibus; & validis eam cinxit mœnibus, & Martyri templum ædificavit maximum; quod nunc quoque insigne & pulchrè extructum cernitur, ab iis, qui & terra, & mari ingrediuntur, ac navigant.* hæc ille. Suppeditavit in eam rem sumptus de more Constantinus filius: & cum loco celebritas crevisset, à matris nomine, urbem illam, non ultra Drepanum, sed Helenopolim vocari mandavit. nec aliud in causâ fuit sic denominandæ urbis, quàm ne Helenæ nomen obliteraretur in Oriente, ut suprà ex Sozomeno probavi. Eodem modo vicinum mare, ab Helenâ Helenapootus dicitur, non quod iis in locis nata sit Helena: sed quod urbs & vicinia, quæ priùs obscura, Helenæ pietate in lucem emerserint.

Drepanum divertit. — *Baron. hic n. 57.* — S. Luciano templum ædificat. — *Acta Luciani apud Surium 7. Ian.* — *275. 49.*

LVII. Helena rediens Constantinopolim.

Quid egerit prætereà Imperatrix Helena, priusquam ad filium rediit Constantinopolim; pauci admodum tradiderunt, qui tamen ejus vitam collegit, inter historicos nostros Joannes Capgravius, disertè affirmat Helenam, in hoc itinere, vicinas Indiæ regiooes lustrasse, idola ibi dejecisse, templa & Monasteria fundasse, denique divinum cultum ubique propagasse. Quod ideo non est omittendum, quia Regiæ Fidei sunt monumenta illustria: & sancti cum morti ac coronæ propinquiores sunt, solent fidei, spei, & charitatis opera constantiùs explicare. atque illa imprimis contemplanda sunt. Ita ergo habet Capgravius. *Ad filium suum Constantinopolim properavit sancta Imperatrix, cum omnia quæ Hierosolymis agere constituerat, consummasset ad votum, tandem infinitis & inpretiabilibus ditata reliquiarum thesauris. Profecta tamen, antequam Constantinopolim venerat, ad terras & provincias circa Indiam, cum maximo & nobili comitatu, se transtulit, in quibus omnia templa & aras idolorum, prout potuit destruxit: & pro his, in laudem & honorem Dei, Ecclesias & Monasteria sumptuosissimè, & devotissimè fundavit; & cultum divinum, in cunctis partibus illis, per omnia reparavit, & ampliavit: fidemq; Christianam, penè elapsam exaltavit & glorificavit. Insuper & trium sanctorum Regum corpora, Gasper videlicet, Melchior, & Balthazar, à Principibus, & prælatis terrarum illarum, non tam studiosè quàm miraculosè impetravit. Quibus & aliorum variis suffulta reliquiis, gaudens Constantinopolim rediit ad filium: paulo post ad cælestis regni transitura palatium.* Hæc apud Capgravium. Quæ quia ab Eusebio, Socrate, Sozomeno, Theodoreto, aliisque antiquioribus prætermissa sunt, videndum est, an veritati consteiit; ne temerè & sine delectu, dubia certis misceantur, sed æquâ lance librentur singula.

Capgravius. — In Indias proficiscitur.

LVIII. De trium

Duo igitur in supradictâ narratione controverti possunt: iveritne Helena ad regiones Indiæ vicinas: & num ibidem sanctorum Regum

corpora

REGUM CORPORIBUS.

Hic n. 55.

corpora collegerit. Primum licet Eusebius disertè non affirmet; affirmat tamen id unde satis constat, Helenam, in peregrinatione Hierosolymitana, non esse sectatam viarum compendia. Unde facilè potuit in Arabiam descendisse: præsertim cum dixerit Eusebius suprà, ipsam *omnem Orientem peragrasse*. Alterum, quod potiori jure quæritur, de trium Regum corporibus, majorem difficultatem videtur præ se ferre. Cum enim illa, apud Coloniam Agrippinam, constanti satis testimonio colantur; qui fieri potuit, ut ab Helenâ inventa sint in Regione aliquâ Indiæ vicinâ? Imprimis statuo Helenam, non solum crucis Christi, sed Sanctorum etiam corporum, ac reliquiarum cultricem fuisse. id satis inde probari potest quod sancto Luciano supplex, ejus corpus insigni templo honoraverit. Iterum legimus eam cum Hierosolymis esset collegisse sanguinem Stephani Protomartyris, & Ecclesiis ad cultum dispensasse. Sic Bisontina Ecclesia gloriatur aliquâ portione illius sanguinis, quem Helena Hierosolymis collegit, donavitque Hilario Bisontino Episcopo, cum templum S. Stephano extrueret. Testatur hoc Miræus in Fastis Belgicis ad 22. Julii. *Hilarius*, inquit, *aliam Ecclesiam in superiore Celis montis parte, quæ sola S. Stephani Protomartyris nomen retinuit, cæpit excitare. Idem à Beatâ Helenâ dono accepit portionem sanguinis ejusdem S. Stephani Hierosolymis allatam.* hæc ille.

Miræus in Fastis 22. Julii.

Unde dubitari nullo modo debet, Helenam in quærendis sanctorum corporibus, religiosam fuisse. Quod vel ex eo colligitur, quod suprà Eusebius cum dixisset Orientem omnem ab eâ peragratam, mox addit: *Ubique cernebatur in Ecclesiam Dei intrare, templaq; splendidis exornare monumentis, urbiumq; ædes sacras, vel in minimis urbibus extructas. suam benignitatem ostendere.* Quasi diceret, ideo peregrinata est Helena, non ut curiosè provincias lustraret; sed ut Dei Ecclesias inviseret ac ornaret. Cumque inter cætera templorum monumenta, quæ devotas ad se mentes trahunt, numerentur sanctorum reliquiæ: studuit Helena illas colligere, & in Occidentem dispensare: eo ferè modo, quo dicemus infrà, fecisse Constantinum filium, cum funus ipse suum appararet. Non est ergo alienum, à Regiâ fide Helenæ, Constantini, & hujus sæculi, ambire sanctorum reliquias, illasque ut crucem, piè quærere, & religiosè venerari.

Euseb. l. 3. c. 48.

An. 337. 4.

LIX. HELENA SECUM TULIT BYZANTIUM TRIUM REGUM CORPORUM.

Hinc descendo ad id quod quæritur de trium Regum corporibus. & dico, Helenam, quæ omnia Christianæ fidei vestigia curiosè inquisiverat; intellecto tres illos Reges, qui Christum in cunis adoraverant, non procul esse; magno desiderio exarsisse, illas etiam fidei primitias contemplandi. Quamobrem illò profecta, magno studio sacras exuvias impetravit, & secum Constantinopolim detulit: ut è Roberto Abbate Sigeberti continuatore, & Winhemio colligit Aubertus Miræus in Fastis: ubi insuper narrat, qua ratione eadem corpora, inde Mediolanum, ac demum Coloniam advecta sint. Idem etiam habet Gallicanum Martyrologium, ubi Andreas du Saussay ita loquitur in supplemento ad 6. Januarii. *Coloniæ Agrippinæ in solo Gallico, ad Rheni ripam sinistram in Ubiis, memoria sanctorum trium Regum, qui hac die Christum in cunis apud Bethleëm adoraverunt. Horum corpora sancta Helena Augusta studio, Constantinopolim ex Oriente allata, ibidem in Ecclesiâ S. Sophiæ (magnificentiori deinde fabricâ, à Iustiniano instauratâ) usque ad tempora Emmanuelis Imperatoris permanserunt: qui cum Eustorgium Mediolanensem Episcopum, natione græcum, charissimum haberet; eidem instanter flagitanti ipsamet pretiosa pignora donavit. Quæ eadem Mediolanum continuò transvecta, in Ecclesiâ virginum Christo sacrarum collocavit. At anno 1164. Fredericus Imperator, cum Mediolanum, suam in potestatem, vi armatâ, redegisset, Reynoldi Archiepiscopi Coloniensis sui Cancellarii concessit fervidis postulationibus, tria eadem sacratissima corpora: quæ ille Coloniam transtulit, reposuitq; in Basilicâ suâ primariâ, ubi hactenus observantur, cum multâ veneratione.* Hæc ibi.

Marty. Gallic. in suppl. 6. Jan.

INDE MEDIOLANUM ALLATA,

DENIQUE COLONIAM.

Rainoldus Coloniensis Episcopus, qui ab aliis Reginaldus vocatur Frederico Imperatori adfuit, cum ille Galliam Cisalpinam & Mediolanum urbem principem depopulatus est. Cumque eo tempore sanctorum reliquiæ, quæ ibi cum honore servabantur, in varios distribuerentur, Reginaldo obtigerunt Imperatoris beneficio Magorum corpora, ut testatur etiam Nauclerus in tertio volumine. *Mediolano*, inquit, *subverso, Imperator* (Fredericus) *reliquias ibi inventas, inter Prælatos & Principes divisit. Trium quoque Magorum corpora apud S. Eustorgium, ubi nunc est habitatio Fratrum Prædicatorum, recondita, dedit Rainaldo Coloniensi Archiepiscopo; qui ea ad Coloniam honorificè transportavit, & in majori Ecclesiâ decentissimè collocavit.* Et satis hic probatum habes, quod suprà dixit Capgravius, Helenam ultra Hierosolymam perrexisse, idola destruxisse, Ecclesias ædificasse, ubique Dei cultum promovisse, trium Regum corpora avexisse: ac demum in omnibus, Regiæ Fidei, spei, ac eximiæ in Deum charitatis argumenta reliquisse. Restat ergo ut cumulo virtutum ejus par gloria accedat, & labori præmium.

Naucler. vol. 3. gene. 39.

LX. DUBIA DE LOCO ET ANNO MORTIS HELENÆ.

Sed iterum cogor narrationis filum suspendere: quia occurrunt dubia de loco & tempore mortis Helenæ. Quod ad tempus spectat, nullus quidem est qui disertè affirmet, quo anno mortua sit, sed omnes passim conveniunt sub octogesimum ætatis annum diem suum obiisse. Sozomenus ita scribit. *Cum hæc vita ei esset necessariò deserenda; mortem certè gloriosam obiit; tum cum & annos circiter octoginta confecisset, & filium simul cum nepotibus Cæsaribus totum imperium Romanum gubernantem, post se relinqueret.* Et Socrates: *Omnem*, inquit, *vitæ cursum, sanctè & religiosè confecit: octogesimo suæ ætatis anno mortem obiit.* Jam verò, cum suprà dixerit Capgravius, paulò post Crucis & Sanctorum corporum inventionem, illam ad cælestis regni palatium transivisse: ideo non puto mortem ejus ultrà differendam, sed hoc anno, vel sequenti consignandam. Ita suprà posui nativitatem ejus, anno Christi ducentesimo quadragesimo septimo; à quo tempore, ad hunc annum 306. sunt anni circiter octoginta. Nec multum refert, si cum Baronio dixeris supervixisse aliquantulum, & demum sequenti anno mortuam: vel decimo octavo Augusti, ut nostrum, Romanum, Gallicanum, aliaque latina Martyrologia legunt: vel vigesimo primo Maii, ut habet Græcorum menologium.

Sozom. l. 2. c. 2.

Socrat. l. 1. c. 13.

LXI. LOCUS MORTIS ET SEPULTURÆ.

Majoris momenti difficultas est, quo in loco mortua ac sepulta sit. Eusebius, cui præ cæteris hac in re credendum esset, dubio viam fecit, sepulturæ locum obscuriori paulò periphrasi describens in hunc modum. *Ejus tabernaculum* (intelligit mortuum Helenæ corpus) *splendidis*

Euseb. l. 3. c. 46.

exequiis

exequiis decoratum: nam maxima satellitum turbâ ad civitatem, quæ principem locum tenet Imperii, deportatum fuit, ibiq; regali sepulchro conditum. Eusebium sequutus Socrates, nescio an assequutus est, dum putat *principem Imperii urbem*, Constantinopolim esse. & ideo ita Eusebium reddidit. *Corpus Helenæ ad Constantinopolim, quæ nova Roma appellata erat, deportatum, regali sepulchro conditum est.* Hinc orta est multorum opinio, Helenam in Græciâ mortuam, Occidentem nunquam revisisse. verùm quicquid sit de loco mortis, Eusebium per *principem Imperii urbem*, non novam, sed veterem Romam intellexisse, inde videtur probari posse; non solùm quia Constantinopolis, in nullam adhuc majestatem surrexerat: sed quia de Nicænâ Synodo agens, & Patribus ac Episcopis, qui ex Occidente eò venerant, ita de Romano Pontifice loquitur, absente quidem in suâ personâ, sed in Legatis præsente. *Quamquam*, inquit, *urbis illius penes quam imperium est Episcopus, ingravescente ætate præditus, abfuit; ejus tamen Presbyteri, qui aderant, ejus locum suppleverunt.* Itaque si ex mente Eusebii, Helena sepulta est ad Urbem imperii principem; non in Græciâ ac Constantinopoli, sed Romæ sepultam debemus affirmare. Atque ita Eusebium intellexit Nicephorus. *Cum*, inquit, *Helenæ vitæ finis instaret, cum celeberrimâ memoriâ Romæ decessit, undeoctogesimum annum agens.*

Socrat. l. 1. c. 13.

NON CONSTANTINOPOLI, SED ROMÆ.

Euseb. l. 3. c. 7.

Niceph. l. 8. c. 31.

LXII. HELENA IN OCCIDENTEM REDIIT.

Quamobrem dicendum est: Helenam, ubi è peregrinatione Constantinopolim rediit, & crucis partem, clavorum aliquos, aliasque reliquias filio commendasset; è Græciâ in Occidentem solvisse, cum crucis portione cætera, sacro clavo, nec non sanctorum reliquiis; quibus & alter orbis bearetur; & ipsa haberet viæ solatia. Constantinus autem non ita multò post parentem sequutus est. Quid ad novum hoc iter traxerit annosam fœminam, ideo operæ pretium est contemplari: quia sequenti libro videbimus Saxonum Reges, depositâ coronâ, Romæ senuisse: qui sine dubio unum idemque cum Helenâ consilium habuerunt. Igitur Helena, cum Palæstinam lustrasset, & loca illa Christi, ac Apostolorum memoria illustrissima; non potuit devotionis sitim omnino explere, nisi ipsorum Principum Apostolorum limina repeteret. Et quia jam præsagiebat animus, brevi futuram depositionem corporis sui; sperabatque Christi meritis & passione, aperiendum sibi cælum; cæli janitorem paulò devotiùs venerari decrevit. ac inter tot millia Martyrum, quorum sanguine calcbat adhuc Roma, corpus deponere. Hanc quoque mentem habuisse Saxonum nostrorum Reges, cum in urbem profecti sunt, dicam suo loco: nunc de Helenâ accipe, quæ habet Author ejus vitæ: *Helena valefaciens filio (quippe quæ obitus sui fuit conscia) ad limina devotius visitans Apostolorum: partem quoque crucis Christi, cum maximâ quoque veneratione, secum detulit; & in Basilicâ Sanctæ Crucis, quam filius, ejus rogatu, ædificaverat, collocavit. Quibus gestis, quod reliquum temporis supervixit, ibidem sanctissimè exegit.*

Capgrav. in Helena.

LXIII. IN MARI ADRIATICUM DEMITTIT CLAVUM.

Illud memoriâ dignum, & argumentum est redeuntis Helenæ in Occidentem nostrum, quod in Adriatico mari contigit naviganti Helenæ, cum ad sedandos maris fluctus, illa clavum injecit, ut * suprà retuli è Gregorio Turonensi. Inde Romam devecta, sanctissimæ Crucis portionem deposuit; & ædem sacram in honorem ejus extrui mandavit: sed Romanæ urbis pomærio non potuit contineri ejus religio. Aurelius in Galliâ principem ædem construxisse dicitur, in honorem crucifixi; & vestem Christi inconsutilem Treviros misisse, ut statim dicam. Inter hæc pietatis officia, cum propinquæ mortis conscientiam haberet; egregiè se ad immortalitatem præparabat, orationum ac jejuniorum frequentiâ, templorum visitatione, recreatione pauperum, & denique humanitate in omnes: quod paulò fusiùs narrat Author ejus vitæ, in hunc modum, & insuper fidem ejus commendat. *Semper*, inquit, *quoad vixit Helena, orthodoxæ fidei acerrima protectrix fuit, & quàm maximè pauperum, & orphanorum curam gessit: quos utique tantâ prosequebatur humanitate & charitate, ut verè omnium mater vocari mereretur. Beatissima igitur Regina Helena, Romæ constituta, jam & annis & meritis matura, ad instar illius sanctissimæ Annæ evangelicæ, filiæ Phanuel à templo minimè recedebat, sed jejuniis & orationibus vacabat die ac nocte. Cupiebat enim dissolvi & esse cum Christo, ipsumq; videre, Regem Regum, in decore suo. Nec est illa felix virago frustrata desiderio suo: dispersis namque suis in pauperes Christi thesauris, Dominicisq; munita Sacramentis, erectâ oculorum acie, vidit cælos apertos, & IESVM stantem, cum Angelorum multitudine, crucemq; illius fulgore ineffabili coruscare. Quâ sacrâ visione ad cælestiâ ardentiùs invitata est. invalescente morbo, tandem Regni temporalis administratione præcisa (cui petente filio atque senatu, flagitantibus quoque populis, se pluribus jam annis viriliter ac strenuè immiscuerat) felix & inter Reginas prædicabilis, & victoriosa, nec absimilis illius sanctæ prophetissæ Deboræ, quæ populum Israel tam strenuiter judicavit, & gubernavit: viâ Lavicanâ decimo quinto Calendas Septembris dulciùs migravit ad Christum.* Hæc omnia Author.

* Hic n. 45

Capgra. in Helena.

Lucæ 2. 36.

ROMÆ MORITUR.

LXIV. CONSTANTINUS MORIENTI ADFUIT.

Euseb. l. 3. c. 45.

Verùm quia Constantinus filius morienti matri adfuit, illique pientissimè clausit oculos, audiamus Eusebium illud referentem: *Demum verò*, inquit, *cum naturam, satietate vivendi, explevisset Helena, & ad meliorem statum evocaretur, octogesimumq; ferè ætatis suæ annum confecisset, & ad extremum vitæ exitum propè venisset; decrevit secum statuitq; coram Imperatore filio suo, unico principe mundi potentissimo, hujusq; liberis Cæsaribus, nepotibus suis, testamentum suum facere, & sigillatim nepotibus suis, quæ sibi in toto Orbe terrarum suppeterent, facultates dispertire. quibus rebus ad hunc modum constitutis; suo filio, tanto tamq; eximio Imperatore, ei ipsi præsto assistente, sedulò inserviente, & manus illius tenente, finem ita vivendi fecit; ut beatissima quidem jure optimo, non morti prudentibus videretur; sed vitam caducam & fragilem, cum cælesti & æternâ revera commutare. Animus igitur corporis compagibus solutus, ad immortalem & angelicam naturam, atque adeo ad ipsum Salvatorem assumptus est.* Addit Theodoretus: *Ubi filio, de piâ vivendi ratione plurima præceperat, & eum benedictionibus, quæ ab exeuntibus è vitâ dari solent muniverat, hinc ad alteram vitam demigravit.*

Theodor. l. 1. c. 18.

LXV. HELENÆ LAUS.

Euseb. l. 3. c. 46.

Mortuam flevit Constantinus filius: & splendidis exequiis prosequutus est funus, ut suprà dixit Eusebius: qui addit hæc in laudem Helenæ. *Sic igitur Imperatoris mater diem suum obiit: quæ quidem est immortali planè memoriâ celebranda; non modò propter piæ vitæ officia; sed etiam propter eximium illud & admirabile germen, ab ipsâ editum,* (Constantinum dico) *quem quidem cum ob cæteras res omnes, tum ob pietatem in parentem, &*

procreatricem

procreatricem suam, beatum judicare par est. Ita honore regio eam exornavit ut cum apud omnes gentes, tum apud eos qui in aliquo gradu militari collocati essent, Augusta & Imperatrix nuncuparetur; aureaq́ numismata, ejus imprimerentur effigie. Iam verò thesauro Regio pro arbitratu utendi, proq́; animi sententiâ, & ut sibi commodissimum fore putaret, singula liberè dispensandi, filius ei liberam fecit potestatem; quo etiam in his omnibus eam, & splendore eximiam, & amplitudine admirabilem efficeret. Hæc omnia Eusebius. quod spectat ad aurea numismata ejus effigie, Constantini jussu, impressa; unum refert in suis Annalibus Cæsar Baronius. Refert aliud Camdenus ubi Helenæ nomen & Augustæ cognomen ita legitur.

XVII.

Habes hîc explicatum Eusebium, qui dixit; Constantinum adeò pium in parentem fuisse ut illam jusserit Augustam appellari & nummos percussserit ejus effigie. Intelligis etiam benè dictum suprà à S. Severo. *Helena mater Principis Constantini quæ Augusta cum filio conregnabat.* Vides etiam non imperitè dictum à Capgravio Helenam, petente filio atque senatu, flagitantibus quoque populis, Remp. administrasse, eique procurationi renunciasse, cum sacrâ visione ad cælestis regni gloriam invitatur. Nec illud omittendum, quod in numismate cernitur Helenam in Flaviæ gentis honorem transiisse. Quæ omnia probant *honestissimam matrem.*

Sever. sac. hist. l. 2.

LXVI. HELENÆ SEPULCHRUM.

Cæterùm quod spectat ad sepulchrum Helenæ, hæc habet Author vitæ ejus. *Helena sacrum corpus, à summo Pontifice, lacrymantibus populis, condigna traditur sepulturæ: cui postea filius ejus Constantinus, Mausoleum erigens, in porphyretico sepulchro corpus ejus honorificentiùs collocavit.* Nimirùm in Basilicâ Martyrum, viâ Lavicanâ, inter duas lauros positâ, de qua Anastasii liber, de munificentiâ Constantini. *Ibi Mausoleum*, inquit, *condidit, ubi beatissimam Augustam matrem suam posuit in sarcophago porphyretico.* Porrò quod addit Author vitæ, corpus Helenæ Constantinopolim translatum esse: in eo secutus est Nicephorum, qui ait, id post biennium factum: sed intelligi tantùm debet de parte corporis, quam Orientis Ecclesiæ, ob eximiam Helenæ pietatem, quam nuper viderant, religiosè petiverant. nam major pars corporis in Occidente mansit. minor benè potuit Constantinopolim mitti; quia ibi in honorem ejus erecta est Ecclesia, quæ teste Justiniano Imperatore, *sanctissimæ majori Ecclesiæ copulata est.* Similem fortè ob causam putaverunt aliqui Venetiis Helenam sepultam esse, *in Ecclesiâ pulcherrimâ ejus nomini dedicatâ*, ut inquit Capgravius: qui addit illam ibi, innumeris huc usque clarere miraculis. Sed constantior fides est, Helenæ corpus è Basilicâ Martyrum, viâ Lavicanâ, in Gallias translatum, circa annum Domini 849. in Rhemensi Diœcesi, & Altovillari Monasterio collocatum esse; ut dicam plu-

Authen. col. 2. tit. 3. const. 3. c. 1.

ribus ad eum annum. Interim accipe, quæ Gallicanum Martyrologium habet de sanctitate Helenæ, de sepulchro ejus, atque translatione, ad decimum octavum Augusti: & esto vitæ compendium. V. an. 849. 7.

LXVII.

Mart. Gallica. 18 Aug.

COMPENDIUM VITÆ HELENÆ.

Rhemis, & Aurelii, festivitas S. Helenæ Augustæ, quæ Constantini Magni mater, postquam à S. Silvestro Pontifice in fide fuisset confirmata; eâ felicitate potita est, ut filium singulari Dei beneficio, verâ pietate illustratum, sanctissimæ religionis primùm ex Augustis apertum professorem, ac strenuum propagatorem factum viderit. Cujus ope, ac benevolentiâ nixa, præclara præstitit in cultu Christi augendo opera. nam pietatis ergo profecta Hierosolymam, crucem Domini cum clavis mirabiliter invenit; loca sacra superstitionum spurcitiis ethnicarum, Iudaicarumq́ expurgavit; ædificiis splendidis instruxit, donariis exornavit. Quin & amica Christo humilitatis æmula, epulo ibidem Virginibus sacris exhibito, iisdem inservire voluit in habitu famulæ. Romæ Crucis Basilicam deinde condidit, quam salutifera Crucis parte insignivit. In Gallia decoramentum etiam religiosè propensa, Aureliis principem ædem construxit, in Christi crucifixi veneratione. Cujus & tunicam inconsutilem, Treviros pro cultu observandam misit, cum plerisque aliis humanæ redemptionis monimentis. Tandem post tam clara piaq́ edita toto orbe facinora, in Christo, cujus gloriam zelo fervens provexerat, placidè obdormivit: Romæq́ sub patrocinio Sanctorum Petri, & Marcellini, sepulta est, in porphyreo Mausoleo. Deinde, cum miraculis, quæ in vita etiam patraverat, coruscaret, à Theogiso Monacho, in Franciam, corpus ejus sacratissimum advectum, atque in Altovillari Cœnobio, ingenti cum miraculorum fulgore collocatum fuit; ubi hactenus, magnâ religione servatur: demptis aliquot particulis, quæ hinc Aureliam missæ ad principis Ecclesiæ ornatum, & clientelam, digna etiam observatione habentur. Hactenus Martyrologium. Quæ fuerint miracula, quorum hic mentio, cum Helenæ reliquiæ transferrentur, refert Flodoardus in historiâ Rhemensi, & ego illa suo loco recensebo. Porro Carolus Saussçius, in Annalibus Aurelianensis Ecclesiæ, dicit translatas in eam urbem Helenæ reliquias, ex Altovillari Monasterio, sub annum Domini 1278.

TRANSLATIO CORPORIS S. HELENÆ IN GALLIAS.

Ad an. 849. 7.

LXVIII.

Statim à morte Helenæ, latissimè patuit odor sanctitatis ejus. nam Theodoretus ita scribit: *Illi che post mortem talis tributus est honor, qualis ei, quæ Deum omnium moderatorem tam assiduo atque ardenti studio coluerat, meritò tribuendus erat:* & Hierosolymis, teste Nicephoro, venerandæ illæ Virgines; quibus veluti quædam ancilla, inservierat; præcipuis eam sunt memoriis solenniter prosecutæ. Cæterùm Occidens quoque noster anniversariam ejus memoriam servat: & Romana Ecclesia ita legit in suo Martyrologio ad 18. Augusti. *Romæ viâ Lavicanâ S. Helenæ matris Constantini Magni, piissimi Imperatoris, qui primus Ecclesiæ tuendæ ac amplificandæ exemplum cæteris Principibus præbuit.* Ita ibi eodem ferè modo legunt alia Martyrologia: & nostrum addit mortuam illam hoc anno Domini 326. Visitur nobilis memoria S. Helenæ Romæ in atrio Sessoriano in Basilica dicta Sanctæ Crucis, quam constat olim appellatam esse Basilicam Helenianam. Ibi enim ad basin statuæ ejusdem Helenæ talis est inscriptio. DOMINÆ NOSTRÆ FL. JUL. HELENÆ PIISSIMÆ AUG. GENETRICI D.N. CONSTANTINI MAXIMI VICTORIS CLEMENTISSIMI

Theodo. l. 1. c. 10.

HELENA CULTA.

Rom. Mart. 18. August.

SEMPER AUGUSTI, AVIÆ CONSTANTINI ET CONSTANTI BEATISSIMORUM AC FLORENTISSIMORUM CÆSARUM, JULIUS MAXIMIANUS V. C. COMES PIETATI EJUS SEMPER DICATIS. Similis Epigraphe visitur Neapoli in Campaniâ; ubi Neapolitanus populus devotionem quoque suam explicat in hunc modum: PIISSIMÆ AC VENERABILI DOMINÆ NOSTRÆ HELENÆ AUGUSTÆ, MATRI DOMINI NOSTRI VICTORIS SEMPER AUG. CONSTANTINI: ET AVIÆ DD. NOSTRORUM BEATISSIMORUM CÆSARUM. ORDO ET POPULUS NEAPOLITANUS.

LXIX. In Britannia.

Verùm ut par erat, Insula nostra longè sanctiùs Reginæ suæ parentavit, structis templis, & dictis ab Helena. Erant, sine dubio Britannorum sæculo plura hujusmodi. Sed obliteravit ferè omnia rerum varia & inconstantissima vicissitudo, quæ toties Insulam afflixit, & sacra pessundedit. Saxones tamen, ubi Christum didicerunt, & coli posse sanctos; hanc Augustissimam fæminam, cum primis coluerunt: non tantum in Trinobantibus, & Essexiensi Comitatu, natali ejus solo; ubi ad Merseum oppidum Ecclesia est ab Helena nuncupata: sed alibi etiam in Atrebatiis, & Bercheriensi agro: ubi ab æde sacra, olim dicata Helenæ, dictum est oppidum Helenstoum. Est & aliud ejusdem nominis oppidum in Cattieuchlanis, juxta Bedfordiam: ubi Juditha illustrissima fæmina Monasterium erexit sacris virginibus, & locum consecravit Helenæ. Londini quoque, quam urbem Regina, ut suprà dictum, mænibus cinxerat, templum fuit Helenæ sacrum, quod Guilielmus Balingus fecisse memoratur. Et hæc quidem monumenta nominis ejus supersunt adhuc è tot ruinis, quas ætas hæc fecit inimica sanctis. Denique meminit Alcuinus noster Ecclesiæ, ubi cum Cruce sanctâ, Helena quoque colebatur. quod ipse in hunc modum describit.

V. an. 275. 61.

Alcuin. poëm. 240.

Adspice tu, Lector, nostra pia signa salutis
Ecclesia in medio nobis mirabile donum;
Pro mundi vitâ, mundi jam vita pependit, &c.
Hic quoque sit nobis sacra spes magnâ salutis
Agmine Apostolico; quoniam hac ara refulsit
Et simul Helena meritis vivacibus alma
Quæ invenisse Crucis fertur mirabile lignum
In quo Christus honor mundi, laus, vita pependit.

LXX. Constantinus et Helena comparantur.

Berengo. l. 2. de Cruc. inven. c. 11.

Claudam Helenæ laudes Berengosii Abbatis sententiâ, qui ita piam matrem cum filio componit, & præfert. *Licet,* inquit, *æterno non sit incognitum patri; utrum majorem reverentiam debeamus filio an matri: nos tamen in ipso, qui semper vota respicit humilium, majoris meriti credimus matrem esse, quàm filium. Sed tamen aliquam reverentiam inde debemus utrique; quod jam uterque torum præmia sortitus est vita. Quamvis sicut stella à stella differt claritate, sic mater à filio, meritorum differt enormitate. Si enim gesta utriusque velimus pensare subtilius, coram Deo majoris pretii creditur mater esse, quàm filius: quia postquam utrique cælesti reconciliati sunt, in construendis Ecclesiis Dei, magna cura filio, sed major inerat matri. Quamvis enim filius, multas Ecclesias in Græciâ construxisset, & Romæ; quibus in thesauris, & allodiis, multa regalia contulit dona: mater tamen, ut adhuc diversa Sanctorum testantur martyria, multò plures Ecclesias, in Galliis ædificavit ac Syriâ. Quapropter Ecclesiæ in honorem ejus, Deo ubique sacrata, benè testantur, quanta coram Deo polleat sanctitate. Maximè cùm benè sciat solâ divinitatis antiqua scientiâ; qualis aut quanta sit sanctitas ejus, & magnificentia. Unde cum virtus sanctitatis ejus sit tanta, ut meritò inter alios sanctos, & ipsa numeretur sancta; mirum non est, quod sicut Catalogus Sanctorum solet ubique testari, festivitas ejus à nobis annua semper debet, revolutione celebrari.* Hæc Berengosius.

LXXI. Galliæ templa ab Helena posita.

Templa quorum hîc mentio, in Galliis ab Helena positorum: *Ut diversa,* inquit, *Sanctorum testantur martyria:* superiùs ferè enumerata sunt, S. Stephani, & aliorum. Sed magis fortè videtur Abbas respexisse ad Thebææ legionis Martyres, quos S. Helena coluit, & quibus in urbe Sanctensi Ecclesiam extruxit, de qua Stephanus Pighius Canonicus Sanctensis in Hercule prodicio, & Miræus in Fastis, ad 18. Augusti ubi ait: *Sancta Helena Imperatrix, Sanctis in Cliviâ, Collegium Canonicorum in honorem Sancti Victoris, & aliorum trecentorum triginta Martyrum Thebææ legionis, eo loci, pro Christo occisorum instituit:* Horum ergo diversa martyria testantur Helenæ fidem, & templa etiamnum illam loquuntur. advertendum porro hic coronidis loco, cum templa supradicta non potuerint poni ab Helenâ, post Hierosolymitanam aut Orientalem peregrinationem; poni certè debuerunt priusquam Græciam lustrasset; atque ita ferè arguunt Occidentis illam non Orientis alumnam. Quamobrem si illius vitæ Synopsim nosse desideras, ita collige. Imperatrix Helena, Coëli Principis filia, in Britannia nascitur, sub annum Christi 247. Ibi Constantio Senatori, legitimo matrimonio juncta est, cum eò trajecit Constantius, ad Britanniæ motus componendos. Ibi Constantinum genuit sub annum 275. Ibi denique Constantii morientis oculos clausit, anno sexto sequentis sæculi. Anno altero Helena mater, filium in Gallias secuta, vidit eidem purpuram injici, interfuit nuptiis, audit Panegyricos: eos, inquam, qui Constantini natales, ac Britanniæ Encomia recensuerunt suprà, tam effusè; ut jure quis mirari potuerit, nisi illa adfuisset: Treviris mansit aliquamdiu, lustravit Gallias, Besontionem, Cliviam, ubique Deo & sanctis devota. E Galliis in urbem cum Constantino profecta; illum semel, iterum, tertiò, sæpiùs monitum, ut orthodoxam fidem amplecteretur; tandem miraculo doctum animavit, pellexitque ad Christum. Inde in Orientem abiens, peregrina mulier, loca sancta religiosè venerata, Crucem Domini impiorum operâ damnatam tenebris, in lucem eruit, amplexata est, coluit osculo, supplici cultu corporis, denique erecto mausoleo. Collegit etiam multorum Martyrum reliquias, imprimis trium Regum, Drepanum divertit, S. Luciani corpus honorat, ædem sacram ibi, imò urbem totam, ornat. Tum Italiam repetens, & Apostolorum limina; dispensatis inde, in omnem Occidentem, sanctorum Martyrum reliquiis, sanctissimè moritur propemodum octogenaria, hoc ipso anno 326. Et sepeliri potest cum hoc elogio:

Miræus in Fastis ad 18. Aug.

Synopsis vitæ S. Helenæ.

V. an. 275. 38.

HELENÆ
DEBET CHRISTIANUS ORBIS
CONSTANTINUM ET CRUCEM:
IN UTROQUE
RESTITUTAM FIDEM.

Erat,

LXXII. TEMPLA IN ORIENTE CONSTRUIT CONSTANTINUS.

Erat, ut dixi, Conſtantious in Occidente, cum Helena moritur: ſed non diu manere ibi potuit, qui alibi civitatem urbi æmulam magno ſtudio ædificabat, apud Byzantium. Eo igitur hoc anno reverſum neceſſe eſt affirmare, quia plurima ejus juſſu in Oriente facta ſunt, quæ ipſius præſentiam requirebant. Cæterùm quid Romæ nuper fecerit, Euſebius in Græciâ occupatus, omninò prætermiſit. Facilis tamen conjectura eſt, vel novas Baſilicas erexiſſe, vel erectas nova largitione muneribuſque ditaviſſe. Nam vix Orientem reviſit, cum urbes & oppida ingreſſus, ubique templa conſtrui mandavit. Ita enim Soaomenus loquitur, cum Helenæ funus abſolviſſet. *Imperator, qui ſemper omni curâ ac ſtudio, ad pietatem augendam incubuit; cum in aliis locis ferè omnibus pulcherrima templa Deo ædificavit, tum maximè in urbibus primariis, ut Nicomedia, Bithyniæ, Antiochia, ad Orontem fluvium, & Byzantii.* Porrò quòd ad Nicomediæ templum ſpectat, refert Euſebius magnificum ac inſigne fuiſſe; ac in eo crucis ſignum à Conſtantino collocatum. *Ibique*, inquit, *Salvatori ſuo contra hoſtes, & adverſarios Dei, præclara victoria erexit trophea.* Crucem intelligit, de qoa præcedenti capite dixerat. *Salutaris paſſionis inſigne Imperatori ſanctiſſimo regni firmum videbatur eſſe propugnaculum.* Quod ſæpius repetendum eſt, contra eos, qui crucem ferre non poſſunt, qui illam è templis locisque omnibus eliminant: qui denique à Conſtantino, ut vides, habiti; ab Euſebio etiam vocati ſunt, *hoſtes & adverſarii Dei.*

Sozom. l. 2. c. 2.

Euſeb. l. 3. c. 49.

LXXIII. DOMINICUM AUREUM.

Verùm inter Baſilicas, in Oriente, erectas, juſſo Conſtantini, eminuit imprimis illa Antiochiæ poſita; quæ ob inſignem elegantiam dicta eſt *Dominicum aureum. Cui præter auguſtiſſimam ſtructuram, acceſſit in ſacris ex auro confectis vaſis, effuſa Conſtantini munificentia*, inquit Baronius. nec dubitandum quin ea vaſa fuerint, quæ ſuprà diximus Romanæ Eccleſiæ ab eodem donata, calices, patenas, thuribula, candelabra, aliaque ad Sacrificii majeſtatem ſpectantia. Habes hujus templi formam in Euſebio l. 3. de vita Conſtantini c. 49. Et iterum in oratione de laudibus Conſtantini: ubi templa omnia quæ Deo atque univerſarum rerum Domino, dicabantur: *Domini*, inquit, *nomen obtinuerunt, quod nomen, non ex hominibus, ſed ex ipſo omnium Domino, illis fuit impoſitum: & propterea DOMINICA ſunt appellata.* Ubi nota. ipſum Miſſæ ſacrificium, ubi Dominicum Corpus Deo immolabatur, ante Conſtantini imperium, Dominicum quoque appellatum eſt, ut ſuprà vidimus in Diocletiano illud perſequente. Et hoc primum in cauſâ fuit, cur templa Chriſto Domino; & ejus majeſtati conſecrata, Κυριακα, inde Dominica appellata ſint: quam vocem adhuc in Occidente veneramur, fortè in memoriam Conſtantini, Occidentis alumni; cum templa non alio apud Germanos, & inde oriundos, nomine, quam Kyrken vel Kyrk dicimus. Juſſit inſuper Conſtantinus apud Palæſtinos, ad Zuercum Mambre, exædificari templum, cauſamque explicat in Epiſtolâ quam dedit Macario, & cæteris Paleſtinæ Epiſcopis: nimirum ut loca ſancta (ibi enim Deus olim Abrahamo apparuerat) à fœdis ſuperſtitionibus purgata, ſanctitati reſtituerentur. hanc Epiſtolam recitat Euſebius, quam vide apud ipſum: nam propero ad unum in quo Conſtantinus admodum excelluit.

Baron. hic n. 65.

Euſeb. de laud. Conſtant.

An. 303. 7.

Euſeb. l. 3. c. 52.

LXXIV. CONSTANTINI MODERATIO.

Fidem ferè ſuperat, quàm ſupini homines jacerent, & profundè immerſi idolorum ſordibus. accedebant errores infiniti, quibus eluendis, inſignem quoque operam poſuit Conſtantinus Imperator. Noluit tamen in rebelles & factioſos homines gladium ſtringere; donec tranquillis rebus, definitiſque per Synodum controverſiis, major Eccleſiæ ſerenitas illuxiſſet. Tum enimvero ſurrexit majori impetu, & authoritate ſuâ utendum ratus, purgare cæpit orbem zizaniis, noxiiſque herbis. Hoc ardore non tantùm idolorum templa demolitus eſt, ut Eunapius Ethnicus homo conqueritur, dicens. *Phana toto orbe celebratiſſima, à Conſtantino everſa ſunt.* Verùm etiam, quod majoris operæ fuit, errores fidei, qui dudum emerſerant, perfecto odio perſecutus eſt. Non volo multus eſſe in movendis & everrendis idolorum ſordibus, quas ille ſuſtulit: dico tantùm compendio, Æſculapios omnes, Delphicos tripodas, Cupidines, Veneres, & reliqua vitiatæ naturæ portenta Conſtantinum amoviſſe, & illis porrò vetuiſſe ſacra fieri. Hujuſmodi enim turpitudinum illecebris, pius Princeps præ cæteris bellum indixit; quibus integritas & pudicitia lædebantur. Sic Ægyptia monſtra, & libidinum cloacas, lege lata coercuit; licet inde irritati Nili ſterilitas, ab infideli plebeculâ, timeretur. Et adfuit conatibus Deus mirabiliter: nam nunquam Nilus uberior: & honor, qui infami ſerapidi habebatur, Deo vero eſt redditus. Vix alia magis templa disjecit, quàm quæ ſuperſtitioſâ hac impuritate fætebant, (& fætebat paſſim Oriens) cæteris ferè omnibus expiatis, & ad beatorum cultum tranſlatis. Erat adeo Conſtantinus honeſti amans & pudoris, ut non publicæ tantùm ſpurcitiæ delubra; ſed privatos etiam fornices, & vetitos amores vir caſtiſſimus damnarit: unde nunquam ſatis mirari poſſum, nec iraſci Nicephoro, qui Conſtantini parentem Drepani ſomniaſſe finxit.

Eunap. de vit. Philo. in Ædeſimo.

IMPRIMIS IDOLIS BELLUM INDIXIT.

LXXV. VETAT COLI IDOLA.

Disjectis, vel expiatis falſorum numinum templis, Conſtantinus idola coli vetuit. Teſtatur id Conſtantius ejus filius, cum ad Magdalianum ita ſcripſit. *Ceſſet ſuperſtitio, ſacrificiorum aboleatur inſania. Nam quicunque contra legem divi Principis parentis noſtri, & hanc noſtra manſuetudinis juſſionem, auſus fuerit ſacrificia celebrare; competens in eos vindicta, & præſens ſententia exeratur.* Hanc Conſtantini legem non ſolùm de publicis, ſed & de privatis etiam ſacrificiis, intelligit Euſebius, qui pluribus hæc omnia narrat lib. 4. cap. 25. Quæ cogor tranſire ut ad ſequentium annorum res geſtas feſtinem.

L. 2. de Pag. C. Theo.

LXXVI. JUBET COLI SANCTOS.

Huc tamen referri poſſunt, quæ fecit ſcripſitque Conſtantinus pro ſanctorum cultu. Nam eâ ratione videtur bellum in idola ſuſcepiſſe; quo ſancti in mortalium oculis animiſque eſſent. quamobrem ſanctorum Martyrum dies feſtos in honore habuit, eoſque pro idolorum feſtis ſubſtituit. ita pietatis ejus ac religionis ordinem deſcribit Euſebius. *Omnino*, inquit, *omnibus Romano imperio ſubjectis gentibus, & legionibus, idololatriæ fores clauſæ erant; repreſſumque, quodvis idolis ſacrificandi genus. Etiam ad ipſos Gentium Præfectos, Imperatoris nutu ac voluntate, edictum perlatum eſt; ut illi perinde Dominicum diem venerarentur. Iidem, conſecratos Martyribus dies honore proſequebantur, & feſtorum ſolennitates in Eccleſiis celebrabant; quæ omnia ſecundùm Imperatoris voluntatem gerebantur.* Unde Conſtantini fides egregiè

Euſeb. l. 4. c. 23.

patuit, in cultu Sanctorum, & Martyrum imprimis. Hinc benè Turſellinus advertit in Epitome: dubium eſſe, pluráne templa, araſque deorum, everterit Conſtantinus, an Chriſto ſanctisque Martyribus excitarit. Hinc, & ex Helenæ quoque matris pietate, quam modò pluribus expoſui; deſcendere poteſt Lector, in omnium Britannorum Fidem; eandemque cenſere, cum eâ, quam hodie propugnat Roma, oppugnant ſectarii.

LXXVII. Non debet omitti Conſtantini zelus, in proſcribendis erroribus, quos olim Rom. Sedes, & poſt eam Chriſtianus orbis, damnaverat. Qui quoniam varii erant, & differentes, uno edicto in omnes pugnavit. Arianos ſine dubio, præ cæteris, hoc tempore, perſecutus eſt: ſed ſubdolè Euſebius, nomen illud tacuit; ne Conſtantium, ad quem Conſtantini vitam ſcripſit, eo morbo laborantem, à ſe averteret: Et hæc ſolum cauſa, cur inter plures hæreſes, quæ in edicto nominantur, nulla ſit Arianorum mentio. Audi igitur Conſtantini ſtudium, in orthodoxâ fide tuendâ, primò ex Euſebii verbis, inde è Regio edicto. *Poſtquam Eccleſiam Dei*, inquit Euſebius, *ſublatis è medio diſcordiis, in tranquillo ſtatu collocaverat: inde digreſſus, aliud impiorum hominum genus, tanquam latens venenum humanæ vitæ paratum, comprimendum cenſuit. Iſti corruptores, quidam erant, qui honeſtatis ſpecie, & ſimulatione* (Calviniſtarum inſtar) *civitates labefactabant. Eos verò pſeudo-prophetas & lupos rapaces, Salvatoris vox divinitus vaticinando nuncupavit ad hunc modum. Attendite à pſeudo-prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ovium: intùs autem ſunt lupi rapaces; à fructibus eorum cognoſcetis eos. Edictum igitur Imperatoris quod ad provinciarum præfectos miſſum fuit; univerſum illud hominum genus graviter inſectatum eſt. Et præter ipſum edictum, Imperator etiam ſalutarem admonitionem illis ipſis propoſuit: hortatus admodùm, ut maturè reſipiſcerent. Nam aſſeruit illos, Eccleſiam Dei, ſalutis portum habere, quò ſe reciperent.* Quod Conſtantini digniſſimum apophthegma ſcribendum eſſet literis aureis, ut ſectarii noſtri doceantur Eccleſiæ ſcita potiùs quàm ſui cerebri, ſenſa venerari. Quorſum enim Eccleſiam Dei appellavit Conſtantinus, *ſalutis portum*, ſi alio ſe recipere, aut alios audire controverſiarum judices, deberent fideles. Dico igitur ſi factioſi noſtri Conſtantini ſæculo fuiſſent, habuiſſent profectò locum in hoc edicto: ſed poſſunt nihilominùs ubique intelligi à Conſtantino condemnari, quia loquitur in hunc modum.

ORTHODOXAM FIDEM TUETUR CONSTANTINUS.

Euſeb. l. 3. c. 61.

VICTOR CONSTANTINUS MAX. AUG. HÆRETICIS.

LXXVIII. *Cognoſcito jam per legem hanc, quæ à me ſancita eſt, ô Novatiani, Valentiniani, Marcioniſtæ, Pauliani, quique cataphrygum nomen uſurpatis, & omnes omninò, qui per conſpirationes à vobis conſtatas, hæreſes & ſectas, etiam atque etiam augere conamini. Cognoſcite, inquam, quibus mendaciis veſtra doctrina inanitas implicata teneatur; & quatenus peſtiferis quibuſdam venenis, veſtra uſque eò inficiatur diſciplina; ut per eam integri ac valentes ad morbum, vivi autem ad ſempiternum interitum abſtrahantur. O veritatis inimici, hoſtes vitæ, internecionis authores, & Conſiliarii; omnia apud vos veritati contraria, turpibus conſentientia maleficiis, ineptiis, & commentitiis fabulis exultantia. Quibus certè mendacia ſtruitis, premitis inſontes, fidelibus veritatis lucem denegatis. Nam falsâ viſione, & ſpecie pietatis ſemper delinquentes, omnia contagione veſtrâ contaminatis, conſcientias integras, & labe vacuas lethalibus plagis vulneratis: ipſum diem, penè dixerim, hominum oculis ademistis. At quid attinet ſingula perſequi, cum de veſtris flagitiis, ſicut eorum natura poſtulat, dicere, neque temporis anguſtia, neque occupationes, quibus diſtricti ſumus, ſinunt. Nam ſcelera veſtra adeò grandia, adeò immenſa ſunt, adeò etiam turpia & omni crudelitate redundantia; ut dies integer ad ea explicanda non ſufficeret. Imò verò ab hujuſmodi rebus aures abducere, oculoſque avertere, convenit; ne ſingulorum explanatione, ſincera, & incorrupta fides noſtra profeſſio, commaculetur. Quid ergo? Patiemúrne ejuſmodi malorum contagionem longiùs ſerpere? præſertim cum longa dilatio faciat, ut ſani ac valentes, ea tanquam peſtifero morbo inficiantur. Cur igitur non cum maxima celeritate ejuſmodi pravitatis, ut ita dicam, radices animadverſione & pœná publicá amputamus?*

Euſeb. l. 3 c. 62

CONSTANTINI EDICTUM CONTRA HÆRETICOS.

LXXIX. *Atque quò iſta veſtra peſtiferæ pernicies longiùs graſſari impediatur, per hanc legem mandamus; ne quis veſtrûm poſt hac conventus cogere audeat, & propterea etiam jubemus, ut univerſa ædes veſtræ, in quibus congreſſus illos celebrare conſuevitis, penitùs evertantur. Et hæc cautio, eò vim ſuam porrigit; ut non modò in publicis, ſed ne in privatis etiam ædificiis, aut in locis ullis ſeparatis, hujus veſtræ ſuperſtitioſæ amentiæ factiones coeant. At verò, quod multò præſtabilius eſt, ſi qui veſtrum veræ ac ſinceræ religionis curam habeant, ad Catholicam Eccleſiam revertantur; & ejus ſanctitatis ſint participes, per quam poterunt ad veritatem pervenire. Fraudulenta veſtræ perverſæ mentis aſtutia, hoc eſt, ſcelerata & perdita hæreticorum & ſchiſmaticorum ſeditio, omninò ab hac proſperâ temporum noſtrorum conditione ſejungatur. noſtræ enim proſperæ ac beatæ vitæ rationi, quâ Dei beneficio fruimur, eſt admodum conſentaneum, ut qui ætatem, bonâ ſpe ſuſtentatam degant, ab omni vago & cæco errore, ad rectam viam, à tenebris ad lucem, ab inſcitiâ ad veritatem, à morte denique ad ſalutem, traducantur. Ac quò proviſio hæc in curandis erroribus robur & firmitatem ſibi neceſſariam aſſequatur; mandavimus, ut ſupra dictum eſt, ut omnia ſuperſtitionis veſtræ loca, in quibus convenire ſoleatis, omnia dico hæreticorum templa (ſi modo templa appellari conveniat) ſine recuſatione, aut controverſiâ diruantur; & diruta abſque morâ Catholicæ tradantur Eccleſiæ: reliqua loca publico Reip. uſui addicantur; ne ulla in poſterum vobis conventus celebrandi relinquatur facultas. Sit igitur hoc ratum ſtatutumque; ut poſt hunc diem, in nullo loco publico, vel privato, nefarii veſtri conventus, in unum coïre audeant.* Hactenus edictum.

HÆRETICORUM CONVENTUS PROHIBENTUR.

LXXX. *Ad hunc modum* (pergit Euſebius) *occulta quaſi latebra, & receſſus eorum, qui alienam ab Eccleſiâ Catholicâ doctrinam & opinionem tenebant, Imperatorio edicto evoluti patuerunt. Beſtiæ etiam immanes, quæ hujus erant impietatis authores, exactæ.* Tum narrat pluribus, ut multi errorem agnoſcentes, tandem *Eccleſiam matrem agnoverint.* Et ſanè Conſtantinus, cum verbis & imperio ageret cum hæreticis, illo telo potiſſimùm uſus eſt, ad quod Patres olim provocabant; nimirum authoritate Eccleſiæ: probè doctus, inde naſci errores omnes & ſchiſmata, quod unus in Eccleſia Dei negligatur Judex, ac Sacerdos. Ideoque tam ſeverè invitavit omnes ad hunc ſalutis portum. Et reverâ, qui eò nolunt appellere, eos in fluctibus hærere, & ſemper per incerta jactari,

Euſeb. l. 3. c. 64.

CONSTANTINUS PUGNAT ECCLESIÆ.

necessum est. Quid enim facies, si venti perflant, si urget tempestas, si opinionum varietas mentem inundat ac distrahit? jactabis fortè anchoram in profundissimum scripturarum Oceanum? & demissâ proprii judicii bolide, fundum quæres? Ita faciunt sectarii, & fundum pro libidine metiuntur; sed mentiuntur veriùs, & periculosè admodum stationem tenent. Non ita Constantinus, & omnis orthodoxus. nam ille, vel Romæ Silvestrum audivit; vel in Græciâ Nicænos Patres; & ubique privatorum hominum deliria, ut suprà in edicto legisti, vehementer insectatus est. Sed tempus est sequentis anni gesta percurrere.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1078.

ANNUS CHRISTI 327.

SILVESTRI PAPÆ 14.

CONSTANTINI IMP. 22.

I. Constantinus Athanasium persequitur.

BENE dixit suprà Theodoretus Helenam Constantino suppeditasse alimenta pietatis. nam eâ è vivis sublatâ, sequenti anno, qui est Christi trecentesimus vigesimus septimus (Constantino Cæsare IV. & Maximo Consulibus) Constantinus filius, à nescio quibus Episcopis, pro Ario solicitatus, oblitus est pietatis & modestiæ, quam Romæ didicerat & in Nicænâ Synodo. Enimvero non tantùm factiosis hominibus favere cœpit; sed Magnum Athanasium, qui superiori anno, in Alexandrinam Sedem, suis meritis, intraverat; & cum eo ferè orthodoxam causam persecutus est. Cæterùm major Constantini culpa foret, & minor locus veniæ; si suopte judicio, non provocatus ab Episcopis; quorum judicia, sacrosancta esse & haberi præceperat, præsumpsisset ita tractare infulam. Sed ut sol interdum eclypsim patitur; ita Constantinus in fide.

II. Eusebius Nicomediensis Constantini commendatur.

Eusebius Nicomediensis Episcopus, M. Athanasi æmulus, & Arianæ factionis antesignanus; subdolis artibus in Constantiæ Augustæ, Constantini sororis, animum irrepserat: & illa moriens Constantino commendaverat hominem, Arii studiosissimum; nescio quid mussitans, in mortis articulo constituta, pro Ario: timere se, ne pro innocentium pœnis Augustus in alterâ vitâ puniretur. Terruit Constantinum extrema vox sororis: & jubet Arium, quem factiosi mentiebantur pœnitentem esse, Alexandriam redire, & honori locoque restitui. Verùm Athanasius, qui propiùs hominem noverat, intercessit; & indignum hominem in Ecclesiæ suæ communionem non admisit. Quievisset enimvero Constantinus, si turbulenti potuissent quiescere. Eusebius enim nullum non movit, pro Ario lapidem, & tandem ab Imperatore impetravit, ut ad Athanasium scriberet, pro ejusdem restitutione. Id certè parum fuisset, si non porro à Constantino progressum: nam minæ additæ, exulceratum Constantini animum arguunt; ita enim inter cætera scripsit ad Athanasium.

Scribit ad Athanasium Constantinus.

Cum igitur mentis meæ sententiam intelligas, omnibus qui in Ecclesiam intrare postulant, aditum inoffensum præbebis. Quod si prohibueris quempiam qui se Ecclesiæ participem esse vult; aut si excluseris ab ingressu; mittam continuò cum meo mandato, qui te deponant, & in alium locum deportent. Ita Constantinus longè alter, ab eo quem Roma & Nicæna Synodus formaverant. Verùm doctus iterum ab Athanasio; non eum esse Arium, quem putaret pœnitentem; aut orthodoxè de Christo sentientem; sed potiùs Nicæni Canonis hostem, qui conaretur adhuc latiùs erroris sui venenum spargere; tacuit Imperator; fidemque sanctissimo Antistiti habuit: donec Eusebius coitione cum Meletianis factâ, traduxit Athanasium, fictisque ad invidiam criminibus Constantino, reddidit infensum. Quid ille faceret, qui tam impensè favebat Episcoporum sententiis? Eusebiúmne audiret in alienâ causâ, an Athanasium in suâ? Verum facilis responsio, & Christiano principi necessaria. Periculosè admodum laica manu tangitur Ecclesia; sive damnandus è clero aliquis, sive absolvendus.

Athan. Apolog. 2.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1079.

ANNUS CHRISTI 328.

SILVESTRI PAPÆ 15.

CONSTANTINI IMP. 23.

ANNO Christi trecentesimo vigesimo octavo, Januario Justoque Coss. quietem nactus Athanasius Diœcesim suam lustrat vigilantissimus pastor: & dum cleri vitia corrigit; Ischyram pseudo-presbyterum invenit, sacra præter ordinem ministrantem; de quo ita narrat Athanasius. *Mareotis regio quædam Alexandrina est, ubi quondam Meletius schisma inducere non potuit. cum igitur ibi Ecclesiastici certas suas sedes obtinerent; & Presbyteri synaxes in Ecclesiâ celebrarent, populusque in quiete esset, Ischyras quidam ut nequaquam clericus, ita moribus improbissimus, conatus est sui pagi incolas decipere; jactans sese clericum esse. Id ubi rescivisset ejus loci Presbyter; mihi tum Ecclesias perlustranti renuntiavit. Ego igitur illum ipsum cum Macario Presbytero, ablego ad Ischyram accersendum: quem cum morbo decumbentem invenissent, patri injunxere, ut filio denuntiet, ne tale quid, quod de eo ferebatur, tentaret. Ille autem ubi à morbo surrexisset, & ab amicis atque adeo suomet ipsius patre coerceretur; ad Meletianos confugit.* Hæc ille; atque hinc ortæ in Athanasium calumniæ de fracto calice, aliisque criminibus, quæ postea ab innocente Episcopo facilè diluta sunt.

De Ischyra pseudo-presbytero.

Athan. Apol. 2.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1080.

ANNUS CHRISTI 329.

SILVESTRI PAPÆ 16.

CONSTANTINI IMP. 24.

I. Constantinus pro Athanasio est.

ANNO trecentesimo vigesimo nono, Constantino Augusto octavum, & Constantino Cæsare V. Coss. Vix impleverat Pastoris officium Athanasius: cum Meletiani eum læsæ Majestatis accusant: sed à Constantino auditus, &

facilè absolutus; magnâ cum laude ad suam sedem revertitur; unà ferens literas Imperatoris ad Alexandrinos datas, innocentiæ testes, quæ ita claudebantur. *Vis sola invidia vit suis fucis, & pigmentis innitens: sed tamen nihil mali isti adversus Episcopum vestrum potuero. Mihi credite, fratres, nihil aliud studio habent, quàm assiduè nostris temporibus, nullum sibi locum pœnitentia in hac vita relinquere. Ipsi igitur vobismet ipsis auxilio estote (obtestor caritatem vestram) ipsi vos invicem diligite, & omni ope pro vestrâ concordiâ istos persequimini: qui vestram concordiæ gratiam demoliri student. Deumq; præ oculis habentes, in mutuâ charitate consistite. Ego enim Episcopum vestrum Athanasium libenter recepi; eumq; ut virum Dei allocutus sum. Vestri autem est, non mei judicii, eâ de re cognoscere. Quantum autem attinet ad officium salutationis, colloquiiq;, cum Reverendissimo Athanasio, idoneum eum necessariumq; arbitratus sum, qui vobis in sacris minister esset: ea est hominis in æquitate tuendâ sedulitas; non indigna profectò, nec inepta nostra pacifica religioni; ut quæ dotes salutaris sententiæ semper foveat, & rationis adhortamenta sequatur. Deus vos conservet dilecti fratres.* Ista Imperator.

Athan. Apolog. 2.

II. CONTRA EUSEBIUM.

Vides Lector, ut post modicum deliquium pietatis, redditus sibi Constantinus, & doctior factus ab Athanasio; sua ipse manu maculam absterserit, quam nuper aliorum invidia & factione contraxerat. Iram porrò deinceps in Nicomediensem Eusebium ita convertit, ut eum tyrannicæ crudelitatis administrum, & factionis Authorem vocet in literis, quas ad Nicomedienses scripsit, recitatque Theodoretus: ubi inter cætera, ab eo se perversum & delusum esse, his verbis conqueritur. *Quæ perturbatio illico ex absurdo & perniciososo conatu Eusebii vires collegit. Nam quantâ concursione iste Eusebius, utpote ipsâ conscientiâ convictus; quantâ cum ignominiâ, mendaciis undique deprehensis, aggressus est; primùm homines subornare, qui pro eo deprecarentur: deinde à me auxilium petere; ne tanti sceleris damnatus, honoris sui gradu dejiceretur. Hujus rei testis est mihi Deus; quod & meum pervertit judicium, & turpiter à veritate abduxit.* Pergit Constantinus Nicænam olim sententiam in factiosos pronuntiare: & Eusebium, aliosque, suis sedibus pellit: quos tamen sequenti anno ob novæ Urbis inaugurationem, vir mitissimus restituit.

Theod. l. 1. c. 20.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1082.

ANNUS CHRISTI 330.

SILVESTRI PAPÆ 17.

CONSTANTINI IMP. 25.

I. CONSTANTINOPOLIS VIRGINI MATRI SACRA.

ANNO Christi trecentesimo trigesimo, Gallicano secundùm & Symmachio Coss. Byzantina civitas; quam Constantinus ædificandam de novo ornandamque susceperat; Deo imprimis opt. max. ac Virgini Matri dedicata est: & à Constantino nomen accipiens, Constantinopolis appellata. In qua solennitate non sunt ea silentio prætereunda, quæ ad Imperatoris fidem pietatemque faciunt. Scribit Nicephorus urbem illam, incruento sacrificio, precibus, votisque Dei genitrici MARIÆ consecratam fuisse: nimirùm eo modo quo suprà dixi Albano martyri templum positum, in Britanniis. Sed & memoriis Martyrum, Constantinopolim illustratam à Constantino scribit Eusebius. *Civitatem*, inquit, *ipsius nomine nuncupatam eximio splendore lustrare instituens; permultis templis, hoc est præclarissimis Ecclesiis, in honore Martyrum illustrissimisq; ædibus sacris adornavit: quæ partim in suburbibus, partim in ipsa urbe; quibus tum Martyrum celebravit memorias; tum ipsam urbem Martyrum Deo consecravit.* Erexit ibi Constantinus insigne Crucis trophæum, quod eodem Eusebio teste, Imperatori sanctissimo *videbatur firmum regni propugnaculum.* Addit Nicephorus, Constantini statuam, super porphyreticam columnam collocatam, in dextrâ habuisse malum aureum; *cui veneranda Crux*, inquit, *erat superposita, cum tali inscriptione: TIBI CHRISTE DEVS VRBEM HANC COMMENDO.* Subdit etiam de sacris reliquiis in basi ejusdem columnæ. plures quoque erectas à Constantino cruces, in eadem urbe habet Nicephorus lib. 1. cap. 32. Sed quoniam templorum meminit Eusebius nunc à Constantino positorum, libentiùs illa ingredior. duorum meminit Socrates. *In illâ urbe*, inquit, *binas Ecclesias ædificavit: alteram pacis (quæ nunc communius sapientia dicitur:) alteram Apostolorum nomine appellatam: & non modò religionem auxit Christianam, sed omnium gentilium ritus penitùs delevit.* Plures ædes sacras, numero nimirum quatuordecim, & inter eas sanctis Martyribus Mocio, Agathonico, Mennæ & Acacio, conseratas esse, alii memoriæ tradiderunt. Meminit & Sozomenus nobilissimi templi, tunc etiam positi in honorem S. Michaëlis Archangeli; quem militantis Ecclesiæ principem singulari modo coluit Constantinus. Quoniam verò Deus, eo loco, probavit sæpiùs Imperatoris fidem, rebus suprà naturam gestis, recitabo miracula aliquot quorum etiam idem Author oculatus est testis. Ita igitur Sozomenus: *Hanc civitatem Constantinus suo appellatam nomine, & velut recens ad Christi honorem extructam, multis maximisq; Ecclesiis exornavit. Cujus propenso studio Deus ipse opem tulit, & visionibus quibusdam confirmavit, Ecclesias in ea urbe ædificatas, sanctas & salutares esse. Ex quibus, eam, quæ est in loco qui Hestiæ, id est vesta sacer, olim dicebatur, sita, in maximo honore, tum à peregrinis, tum à civibus, ex illo tempore habitam fuisse constat. Idem tamen locus jam Michaëlium appellatur, estq; naviganti ex Ponto Constantinopolim ad dextram positus: atque abest ab urbe, si nave trajicias, circiter triginta quinque stadia; sin autem sinum qui interjacet, pedibus aut equo undique circuire velis, septuaginta. Loco verò istud nomen, eò impositum est, quòd pro certo creditur divum Michaëlem Archangelum ibi apparuisse. Quod etiam ipse equidem non parvum in eodem loco beneficium adeptus; verissimum esse confiteor. Atque id ita se habere argumento prætereà esse possunt multa alia res, quas compertum est ibidem gestas esse.* Prosequitur Author plura miracula ibidem patrata quæ non exscribo. unum ex eis non omittam quod est ejusmodi.

Niceph. l. 8. c. 26.

Sup. an. 316 1.

Euseb. l. 4. c. 47.

CRUX CONSTANTINOPOLI ERECTA;

Niceph. l. 7. c. 49.

Socrat. l. 1. c. 12.

ET ECCLESIÆ DUÆ

ET PLURES ÆDES SACRÆ

S. MICHAELEM COLUIT CONSTANTINUS.

Sozom. l. 2. c. 2.

II. MIRABILIS VISIO IN TEMPLO S. MICHAELIS.

Sozom. l. 2. c. 2.

Accepi, inquit, *Probianum unum ex satellitibus qui Imperatorem in palatio stipabant; cum dolore pedum graviter affligeretur; in eo loco etiam cruciatu levatum, & admirabili quâdam ac divinâ visione dignatum fuisse. Nam iste cum initio gentilis esset; postea tamen factus Christianus, quanquam omnia alia religionis nostræ instituta, probabilia putabat;*

sanctam

sanctam tamen crucem salutis omnium causam extitisse neutiquam admittere volvit (laborabat fortè moderno morbo, & cum sectariis nostris sentiebat) *cui sic animo affecto visio divinitùs oblata, quandam Crucis effigiem, quæ in Altari illius Ecclesiæ statui solet,* (nota Lector antiquum Ecclesiæ morem statuendi Crucem in Altari) *ante oculos proposuit: declaravitq́, manifestò res, quæcunque à tempore, quo Christus in crucem actus erat, vel ad utilitatem humani generis communem, vel ad privatam quorundam, seu à divinis Angelis, seu à piis & perfectis hominibus gesta fuerint; non sine virtute Crucis salutaris rectè gestas esse.* Hæc Sozomenus. Non absimile Crucis miraculum scimus nostra hac ætate contigisse. Cum vir è Britanniâ nobilissimus Christianus quidem, sed eo ferè modo quo Probianus, uno verbo, factionis nuperæ; decumbebat ille ad mortem æger, nec ullam Romanæ fidei, licet in Catholici Regis provinciâ, aulâque esset, admittere volvit mentionem: donec admirabilis planè ac divina Crucis apparitio, expressit tam clarè orthodoxæ religionis Sacramenta omnia: ut brevi veluti compendio, ibi universa legerit, intellexerit, crediderit: & simul majorem crucis usum esse, & virtutem, quàm vellent sectarii nostri. dedit igitur cruci manus, ac Romanæ fidei, ac piè in ea moritur, anno Christi 1605. illustrissimi Baronis primogenitus filius.

Crux in Altari.

Similis in Hispania.

III. Constantinus ornat Ecclesias.

Dedit Constantinus erectis à se Ecclesiis opes & dona plurima; quod facilè prudens Lector existimare poterit, ex iis quæ suprà diximus. Unum hic singulare est, quod sacræ Scripturæ volumina eleganter describi, & plura extare mandaverit exemplaria, ut patet è literis, quas ad Eusebium dedit Cæsareæ Palæstinæ Episcopum, in hæc verba.

VICTOR CONSTANTINUS MAXIMUS, AUG. EUSEBIO.

Euseb. l. 4. c. 36.

Eius literæ pro describenda S. Scriptura.

CUM Dei Salvatoris nostri providentiâ factum sit, ut in hac urbe nostri cognomine, infinita ferò multitudo sanctissimæ se Ecclesiæ consecrant: æquum sanè imprimis esse videtur, ut universo eorum cætu, mirabiliter aucto, Ecclesiæ quoque plures, in ea, instituantur. Quapropter quid nobis videatur accipe. Visum est hoc significare prudentiæ tuæ; ut quinquaginta illarum scripturarum volumina, quarum & apparitionem, & usum maximè Ecclesiæ necessarium cognoscis: quæq́, præterea facilè legi, & circumferri queunt, ab artificibus scitè scribendi peritis, politiore membrana describi cures. Nostra clementia ad provinciæ præfectum literas dedimus, penes quem totius administrationis summa est; ut quæ ad eas conficiendas necessaria videantur, omnia, summâ diligentiâ suppeditari curet. Nam ut codices scripti, quàm celerrimè appareant, tuarum id partium est. Ad eos verò perferendos, vehicula duo publica, hujus nostræ epistolæ authoritate accipies. Ita enim quæ pulchre descripta sunt, etiam ad nostrum conspectum facillimè perferentur. Si ad hoc munus obeundum aliquem, ex tuâ Ecclesiâ, ministrum delegeris: qui ut ad nos venerit, nostram erga ipsum humanitatem sentiet. Deus te conservet, frater dilecte.

IV. Euseb. l. 4. c. 37.

Subdit his Eusebius: *Hoc Imperatoris mandatum, res ipsa celeriter consecuta est; cum in membranis curiosè elaboratis, terniones & quaterniones misceremus.* Quorsum hujus viri operâ in describendis Biblis voluerit uti Constantinus, illa ratio reddi potest; quòd penes ipsum vetusta essent exemplaria divinæ Scripturæ, quæ olim Pamphilus Martyr fideliter collegerat, & procul manserant à furore tyrannorum; qui nuper in sacras paginas, ut suprà visum est, impiissimè sævierant: adeoque habita sunt antiquæ fidei.

V. Scholæ Constantinopoli

Unum deerat novæ Urbi ornamentum maximum, quod Constantinus noluit diu deesse: Ecclesiarum, inquam, Seminaria, quæ pii Principes procurare solent, ut utrique Reip. benè sit. Scholas intelligo bonarum artium, quas nunc Constantinopoli nobiles fecit Constantinus. Laudantur enim à Gregorio Nazienzeno, qui ait, excellentissimis Oratoribus, atqoe Philosophis refertas fuisse. Quamobrem benè dixit Aurelius Victor, Constantinum bonarum artium nutritorem, fovisse præcipuè studia literarum. Quibus verò privilegiis, studia muniverit, ex Constitutione ad Volusianum editâ, patet, obi sic dicitur. *Medicos, Grammaticos, & Professores alios literarum, immunes esse, cum rebus, quas in civitatibus suis possident, præcipimus, & honoribus fungi: in jus vocari eos vel pati invidiam prohibemus; ita ut si quis eos vexaverit, centum millia nummorum ærario inferat: à Magistratibus, vel Quinquennalibus exactus, nec ipsi hanc pœnam sustineant. Servus eis si injuriam fecerit, flagellis debet à suo Domino verberari, coram eo, cui fecerit injuriam; vel si Dominus consensit, viginti millia nummorum, fisco inferat, servo pro pignore, donec summa hæc exsolvitur retinendo. Mercedes eorum & salaria reddi præcipimus. Quoniam gravissimis dignitatibus, vel parentes, vel domini, vel tutores esse non debent: fungi eos honoribus volentes permittimus, invitos non cogimus.* Hæc ipse. Putatur etiam operâ Constantini addita ibidem illustris Bibliotheca, quam alii postmodum auxerunt, ad numerum centum viginti millium librorum: qui tempore Basilisci Imperatoris incendio perierunt.

Gregor. orat. in laudem Basil.

Victor. in Const.

Reger. de Medicis & Profes. C. Theodos.

Cum privilegiis

VI. Urbis Magistratus.

Hunc in modum è Byzantii ruinis Constantinopolis surrexit, in eam amplitudinem, quam hodie orbis admiratur. Senatus ibi Romanorum civium institutus, & *Senatoribus* (inquit Sozomenus) *eosdem honores, eosdem dies sacros, qui Romanis veteribus tribui solent, assignavit.* Christianos plures à Constantino in Senatum adlectos habet Baronius. quod fortè in causa fuit, cur Zosimus ipsum accuset, quod Magistratuum officia jam olim instituta conturbarit, vel fortè significat illis verbis quatuor prætorii præfecturas, præter Romanorum consuetudinem erectas esse. Quod Britannorum plurimi Constantinum ad hanc urbem sequuti sint, vel quod Palatina officia obierint, dixi, cum de Constantini patria inquisivi, c. 1. sect. 2. §. 9. n. 13.

Sozom. l. 2. c. 2.

Baron. hic n. 27. Zosimus l. 2.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1082. 1083.

ANNUS CHRISTI 331. 332.

SILVESTRI PAPÆ 18. & 19.

CONSTANTINI IMP. 26. & 27.

Ficta crimina in Athanasium.

PROCASSISSENT optimè Orientis Ecclesiæ, Constantino imperante, si factiosi homines coërceri potuissent. Iterum ergo anno Christi trecentesimo trigesimo primo, Ovinio Basso iterum, & Ablavio Coss. vexatur Athanasius. Affinguntur ei crimina, cum nulla reverâ in

in sanctissimo viro essent: nescio quæ fracti calicis, & Arsenii ab eo occisi, fabula cuditur, in orthodoxi Antistitis invidiam, Sed non potuere mendacissimæ nubes solem tegere: non potuit, inquam, Athanasii sanctitas, hoc fuco infici. Nam brevi, hoc est, sequenti anno 332. Pacatiano & Hilariano Coss. repertum est Arsenium vivere, mentiri hæreticos, & innocentem esse Athanasium. Quæ quoniam nota sunt, ad alia transeo.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1084.

ANNUS CHRISTI 333.

SILVESTRI PAPÆ 20.

CONSTANTINI IMP. 28.

I. PROBATUR ATHANASII INNOCENTIA.

ABSOLUTUM esse Athanasium, ab omni criminis suspicione, testantur Constantini literæ, quas scripsit anno trecentesimo trigesimo tertio, Delmatio & Zenophilo Consulibus, in hunc modum.

VICTOR CONSTANTINUS MAX. AUG. PAPÆ ATHANASIO.

Apud Athanas. Apo. 2.

LITERIS tua prudentia perlectis, in eam veni sententiam; ut putarim te præscriptis nostris adhortandum, ut populum Dei ad modestiam & misericordiam adduceres. Meo enim in animo hæc inter præcipua habeo; ut & veritatem colam, & in mente semper justitiam conservem; iisq; potissimum gaudeam qui rectâ viâ incedunt. De illis autem omni execratione dignis Meletianis, immanibus, inquam, & nefariis hominibus, qui quasi Apoplexiâ sibi stupent, & solummodo invidiâ, & æmulatione, & tumultibus ad scelera motum habent, nefariam suam mentem declarantes, ista mihi dicenda puto. Vides enim homines illos, quos ipsi ferro interfectos aiebant, in medio versari, & vitâ frui. Quo ipse nullum unquam fuerit gravius præjudicium: quodq; tam clarè eorum causam oneret, quam eos, quos ipsi necatos asseverabant vivere, & luce frui; qui ipsi pro se causam dicere possunt. Deinde & id quoque additum fuit Meletianorum criminibus: Te nefario impetu irrumpentem, rapientemq; poculum, quod in sacratissimo loco repositum erat, confregisse. Quo scelere, nullum unquam profectò gravius esse posset. Si quidem id factum, & contestatum esset. At quodnam hoc genus criminationis? quave ista desultoria personarum transmutatio, & reorum diversitas; ut nunc in hunc, nunc in illum, crimen conferant? Quæ res ipsa luce lucidior est, ipsos tuæ prudentiæ insidias tetendisse. Denique quis jam deinceps homines istos, tam multa ad noxam fingentes, sequi velit? maximè cum ipsi seipsos in barathrum ducant: Cumq; in conspectu sit, eos fictarum & falsarum rerum accusatores esse. Vt iterum dicam, quis eos sequi velit, & iter exitii præceps inire, in quo illi soli mortalium, spem salutis auxiliiq; constituunt? Si enim vellent purâ conscientiâ ingredi, & bonæ mentis meminisse, & sanum animum inducere: facilè intelligerent; nullam ipsis opem, à Dei providentia, expectandam esse; cum se talium rerum æmulatores, in suam perniciem, præbeant.

GRAVE SCELUS CALICEM FRANGERE.

II. *Postremò etiam illud adjungimus, ut operam des, quò ista quæ scripsimus, subinde ad populum recitentur; ut res ad omnium notitiam veniat: & præcipuè, ut illi qui ita agunt, & ad istum modum conversantur, resipiscere possint; quod ista quæ nunc à nobis, emendationis causâ, dicuntur; re ipsâ & factis demonstrantur vera esse. Iam cum in hoc negotio, tanta sit malitia importunitas: certum habeant me ita decrevisse, atque hujus esse sententiæ: si quid tale iterum moverint; non pro more Ecclesiarum, sed legibus publicis, meâ ipsâ operâ, causæ cognitionem suscepturum. Ac deinde cognoscent, se non solùm humani generis, sed etiam divinæ disciplinæ latrones esse. Deus te servet frater dilecte.* Itáne verò, Constantine, minaris te, non pro more Ecclesiarum, suscepturum causæ cognitionem? Tam citò memoria excidit lectio illa quam Romæ didiceras; & postea in Nycænâ Synodo recitasti? Vereor ne lapsus hic majoris adhuc ruinæ argumentum sit. Jam enim pro Ecclesiâ in factiosos pugnas, & benè Athanasium absolvisti: sed quid si hos ipsos quos incipis odisse; audieris rursum mentientes, & cœperis irasci Athanasio? Timendum sanè, ne non pro Ecclesiarum more, Ecclesiasticæ causæ cognitionem suscipias, & judex esse velis in tribunali non tuo. Ita sanè factum anno sequenti.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1085.

ANNUS CHRISTI 334.

SILVESTRI PAPÆ 21.

CONSTANTINI IMP. 29.

HOC anno trecentesimo trigesimo quarto, Optato & Paulino Consulibus: cum impii homines Constantini aures tam immaniter occupassent; ipse immemor literarum, quas nuper scripserat; & immemor sponsionis, quam Athanasio dederat, permittit ipsum in judicium vocari; & periclitari innocentiam, quam tantâ verborum gravitate defenderat. Meritò quis fortè irasci Constantino posset, & admodum indignari; nisi notæ hæreticorum artes, & exporrecta ad fallendum frons, factum pii cæteroquin principis elevaret. Etenim qui suprà meminerit Donatistas adeò impudentes fuisse; ut à Romanâ Synodo, & à præjudicatâ toties causâ, resilierint: qui iterum Imperatoris patientiam, nimiamque (ita cogor dicere) facilitatem animi toties legerit; quoties Episcopi pro aliquo rogaverunt: Is accusabit fortè Constantinum, quod præter nominis dignitatem, inconstans in Athanasii causâ fuerit: sed tamen feret æquanimiùs, si non quosvis è Clero obloquentes, sed ipsos Cleri principes viderit. Episcoporum ergo illud crimen fuit, qui quò altiore sunt loco, eò graviùs Ecclesiam vexant, si cæco impetu feruntur, à quo certè immunes illos esse præ cæteris oporteret. Fuisse autem moris ejus, Episcoporum sententiis in omni re stare, jam dictum est suprà. CONSTANTINI INCONSTANTIA.

ANNUS

ANNUS URBIS CONDITÆ 1086.

ANNUS CHRISTI 335.

SILVESTRI PAPÆ 22.

CONSTANTINI IMP. 30.

I. CONCILIABULUM TYRIUM.

CUM nullum altercandi finem, in causâ Athanasii, cerneret Imperator; & cogi in unum plures Ecclesiarum Antistites oporteret, ad Hierosolymitani templi encænia, ac ipsiusmet Constantini triennalia, quæ in annum inciderunt hujus sæculi trecentesimum trigesimum quintum, Constantio & Albino Consulibus, voluit congregatos apud Tyrum in Phœniciâ Episcopos, in Athanasii causâ judices esse. Erant illi Arianæ ferè factionis; atque ita malignantium potiùs, quàm benè judicantium facturi conventum. Habuerunt enim Synodi præsidem, non Ecclesiarum more lectum, non Româ missum, aut à primâ sede provinciæ: sed Dionysium, nescio quem, Comitem, & cum eo, militarem manum. Eo sanè consilio, ut vi & armis opprimerent, quem jure non poterant. Addit Ruffinus, Archelaum quoque Orientis Comitem, unà cum

VOCATUR EÒ ATHANASIUS:

Dionysio, concilio præsedisse. Athanasius, Constantini literis evocatus, cogitur adesse: non quo ipse cæteros moderaretur, ut Alexandrinæ Sedis prærogativa postulabat; sed ut inferioribus Episcopis, iisdemque factiosis, & nuper à Nicænis Patribus damnatis, reus ipse sisteretur; & dictandam ab ipsis sententiam expectaret. Eusebius Cæsariensis sedebat inter Episcopos primus, cum eò accessit Athanasius, & unà quadraginta septem Episcopi ejus innocentiæ luculenti testes. inter eos Potamon & Paphnutius, aliique, qui nuper in magnâ Synodo, pro veritate steterant. Hi omnes insigni oratione, pro Athanasio dixerunt.

CRIMINA OBIICIUNTUR,

Verùm Ariani penes quos judicium erat, accusationum capita tam impudenter texunt, quàm impiissimè defendunt. Sed quænam fingi poterant in sanctissimum virum crimina? miratur sanè etiamnum orbis potuisse inveniri tot Episcopos, qui ita fidem frontemque ad fallendum prostituerent. Nihil enim novi, nihil non optimè priùs dilutum; sed fractum poculum, & occisum Arsenium, aut certè mutilatum factiosissimè protulerunt.

DILUUNTUR.

Verùm abstersit hæc crimina, vivis argumentis Athanasius: statutoque in medium Arsenio, ac ostensis duabus manibus, integrum esse hominem, non mutilum probavit.

II. ITERUM ACCUSATUR,

Desiissent Episcopi porrò Athanasium criminari; nisi cum verâ fide, modestiam quoque exuissent. perrexerunt ergo fallere, & testes invocare infimos quosque: & quod mirêre, eos etiam, qui tam venales habent linguas, quàm corpora. Impudicas inquam mulierculas.

ET INNOCENS EST.

Sed nec ita devirginari potuit Athanasii existimatio: nam, ipso tacente, evanuit calumnia, adeo patenter; ut erubuerint etiam impudentes. Hic optimi speraverunt absolvendum Athanasium, locoque restituendum: sed non potuit ab Ariano ore nisi perversa esse sententia.

Sozom. l. 2. c. 24.

Concilium (inquit Sozomenus, sed conciliabulum debuisset appellare) *cum indictâ causâ condemnat, abdicat Episcopatu, decernit denique, ne postea Alexandria habitet: Ne, inquit, tumultus, & seditiones, si adsit, concitare aggrediatur: Ioannem autem, & omnes qui ab eo stabant, Meletianos scilicet, uti incommodis per injuriam affectos, in communionem recipit, & quam illorum quisque in Clero dignitatem obtinuerat, cuique reddit.*

III. QUID CONSTANTINUM FEFELLERIT?

Nollem his immorari, quæ ita Constantini laudes obnubilant; nisi institutum mihi esset, ita pro Britanniæ Regibus, & eorum fide dicere, ut nullo modo errata prætermittam, aut in sole nostro maculas. Constantinum fefellit Episcopi nomen, cui impietatem subesse, vir naturâ suâ optimus, existimare non potuit. Unde mirari desines, si postea ratam habuit, sanctamque Athanasii condemnationem; de quo posterius: nam solvi nunc debet Episcoporum cœtus, & ire Hierosolymam, ad novi templi inaugurationem. Utinam obivissent eam sanctiores Episcopi, qui linguam manumque non maculassent infami sententiâ.

Euseb. l. 4. c. 41.

HIEROSOLYMITANI TEMPLI CONSECRATIO.

Idem suprà c. 40.

Narrat pluribus inaugurationis cæremoniam Eusebius; ut Sacerdotes precibus & disputationibus celebritatem ornarint; ut sacris lectionibus fideles paverint; ut incruentis sacrificiis, & mysticis consecrationibus, divinum Numen placarint, tricesimo Imperatoris anno: & tandem concludit: *Quale verò Salvatoris templum, quale item Salvatoris antrum fuerit; atque etiam, quàm præclari conatus Imperatoris: Quanta etiam in ipso templo, donorum turba ex auro, argento, pretioso lapide, separatim suo, quoad ejus fieri potuit, volumine conscriptum Imperatori dedimus.* Unde constat varia fuisse, & magna Ecclesiæ ornamenta: non alia certè, quàm quæ suprà numeravimus, in Occidentis Ecclesiis.

IV. SILVESTER MORITUR.

Moritur sub finem hujus anni Silvester Romanus Pontifex, cum sedisset annum unum & viginti, menses decem; vir multis nominibus beatus, & felix, quod in Constantini tempora inciderit; videritque per universum ferè terrarum Orbem, (quod hactenus Romanorum Pontificum nemini concessum) Ecclesias magnificè construi, ornari, ditarique.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1087.

ANNUS CHRISTI 336.

MARCI PAPÆ 1.

CONSTANTINI IMP. 31.

I. MARCUS PAPA.

IN Silvestri locum successit, anno trecentesimo trigesimo sexto, Nepotiano & Facundo Coss. Marcus, Prisci filius, natione Romanus. Quo pariter anno Athanasius Constantinopolim profectus, Imperatorem Constantinum docuit, quid Tyri factum; & quomodo Episcoporum judiciis miles se immiscuerit, ad ferendam contra se sententiam armis, cui jure non poterant adversari. Suadet Constantino, & verò persuadet, innocentem se, ab impiis traductum esse. Obstupuit pius Princeps istam condemnationis sententiam, in virum vitæ fideique integerrimæ, & mox ita scripsit.

VICTOR CONSTANTINUS MAGNUS AUGUSTUS.

II. Athanas. Apol. 2.

EGO ignoro quid sibi velint ista, quæ à vestrâ Synodo, per tumultum & tempestatem judicata sunt. Mihi sanè videtur; vestro quo pacto, veritas per

Constantinus pro Athanasio scribit.

immodestiam opprimi; dum per vestram contentionem, quam invictam cupitis; eaque Deo placent, non consideratis. Sed erit divinæ providentiæ officium, & explorare scelera istius contentionis, & explorata dissipare, vobisq; clare ostendere, quantam, in vestro congressu, veritatis curam habueritis: & an vestra judicia, citra gratiam & odium, calculum suum prompserint. Quocirca festinanter ad meam pietatem accurrite, ut rerum illarum excussam exactamq; fidem, coram me in præsentiâ, ipsi præsentes doceatis. Quare autem ista scribere voluerim, & quapropter literis meis vos accersendos putaverim, ex sequentibus cognoscetis.

III. *Ingredienti mihi cognominem, ac felicem patriam meam, Constantinopolim (eram autem in equo) subitò Athanasius Episcopus in mediâ viâ, cum nonnullis aliis, quos circum se habebat, ita inexpectatus occurrit; ut non levem mihi causam admirationis præberet. Testis mihi Deus omnium speculator, me quisquis esset primo aspectu cognoscere nequivisse; nisi nostrorum quidam, quisnam ille, & quamnam injuriam passus esset, jam antea auditam (ut fieri solet) mihi indicasset. Ego igitur per illud temporis verba cum illo non habui, neque colloquium miscui. Cum autem ille se audiri postularet, & hoc recusarem, & propemodum eum submoveri juberem; magnâ libertate nihil aliud postulavit, quam ut vos huc evocari juberem; quo vobis præsentibus, quæ per vim passus esset, conqueri posset. Quod cum mihi æquum & temporibus meis congruum videretur; scripto vobis denunciatum volui, ut quotquot Synodum Tyri absolvistis, sine omni tergiversatione, ad prætorium nostræ clementiæ conveniatis; reipsâ quantum sinceritatis, integritatisq; sit in vestris sententiis, coram meipso sincero famulo Dei (quod ne ipsi quidem abnegaveritis) declaraturi. Certè per meum erga Deum cultum, observantiamq; jam ubique terrarum pax est, & à barbaris ipsis nomen Dei sincerè benedicitur, qui hactenus veritatem ignorabant. Nihil dubii autem est, eum qui veritatem ignorat, etiam Deum ignorare: sed tamen (ut antea dixi) barbari per me sincerum Dei famulum Deum agnoverunt, & jam metuere didicerunt; ideo quod mihi illum protectorem esse, meiq; curam gerere reipsà experti sint: atque ita in nostris rebus Deum agnitum, nostri formidine barbari reverentur. Nos contra, qui mysteria clementiæ ejus ostentare & præferre videmur (non enim dixerim tueri) nos, inquam nihili facimus, nisi ea quæ ad discordiam & odium pertinent: & ut semel dicam, quæ ad humani generis perniciem referuntur. Quapropter vos meo prætorio sistite, quemadmodum dixi, & festinate huc quàm celerrimè: tertiq; sitis, me omni ope studioq; adnisurum, ut ea quæ sunt legis Dei, quàm maximè inoffensa illabefactaq; serventur; quibus nullum nec probrum, nec infamia allini posset, profligatis scilicet & contritis simul inimicis legis, qui sub specie sancti nominis multiplices & diversas blasphemias afferunt.* Hactenus Imperator.

IV. Constantius Constantinum avertit.

Quod adcò se Athanasio difficilem, primo aspectu, fecerit Constantinus, illud putamus in causâ fuisse; quod Constantius filius, factus Cæsar, Arii studiosissimus, ita parentis sui aures obsederat, ut nullum sanctissimo Episcopo conveniendi principem locum fecerit. Hinc ingens miseriarum cumulus, Athanasio, Ecclesiæ, & bonis omnibus inundavit. Nam venientes Constantinopolim Episcopi, qui Tyri judices fuerant, adcò de novo Athanasium calumniati sunt; ut Constantinum, mitem cæteroquin principem, coëgerint, ad crudelissimam exilii sententiam; quâ Athanasius damnaretur proscriberetur que in Gallias, & urbem Trevirensem. Hoc Imperatoris factum, quo vir sanctissimus, & Nicænorum canonum acerrimus propugnator, è sede suâ pellitur ita offuscavit Constantini laudes, ut Patres admodum laborent, quo ipsum defendant ab Arianæ perfidiæ suspicione. passim tamen omnes illum absolvunt; quia facti, non fidei quæstiones fuerunt sententiæ in Athanasium causa. Unde Lucifer Calaritanus, præter aliorum Patrum mentem locutus est, cum scribens ad Constantium, dicit Constantinum, Athanasium condemnasse, qood noluerit esse Arianus. Nam reverâ Constantinus, non nisi damnatum, proscriptumque ab Episcopis, damnari permisit, atque proscribi. Nec Patres quantumvis Ariani, de fide quæsiverunt. Et licet nullo modo dubitandum, quin odio orthodoxæ fidei, & impetu propagandi Arianam perfidiam, moti sint adversarii: id tamen, ut in hujusmodi factionibus fieri solet, sanctiore fuco obductum, Imperatorem celaverunt. Et ille, cum videret Episcopum, aliorum calumniis opprimendum, subduxit illum iniquitati temporum & injuriis. Ita Constantinum excusat, qui optimè nosse poterat, ipse Athanasius, sic scribens ad Solitarios. *Constantinus calumniâ Eusebianorum, Athanasium in Gallias ad tempus amandavit; quo liber esset ab illorum crudelitate, qui illi per insidias imminebant. Hoc enim à Beato Constante, post mortem patris scriptum fuit, ut ex literis illius patet.* Eodem modo parentis factum interpretatus est Constantinus junior, ita scribens ad Alexandrinos. *Ad hanc igitur feritatem eludendam, tot faucibus inhiantium Athanasius subtractus est; ut sub me ageret, jussus est; atque ita in hac urbe* (agebat tunc Constantinus Treviris) *commoratus est, ut omnibus rebus necessariis abundaret.* Addit insuper parentis consilium fuisse, eum ab exilio revocare, & sedi suæ restituere: sed morte præventum, non fecisse.

Athanasius exulat.

Lucifer l. 1. pro Athan. n. 37.

Athanas. ad solita.

Apud Theodoretum l. 2. c. 2.

V. Constantinus excusatur.

Theodo. l. 1. c. 31.

Benè etiam pro M. Constantino scripsit Theodoretus, & criminis invidiam amolitur; quod suo nihil, Episcoporum arbitrio Imperator omnia permiserit. *Nemini*, inquit, *mirum videri debet, quòd Constantinum in fraudem illectus, illustres viros solum vertere coëgit. nam fidem adhibuit Episcopis, qui occultare studebant veritatem, illustrem quandam vitæ speciem præseferentes; quâ Imperatorem dolo deluserunt. Neque sanè eos fugit, qui sunt in sacris literis eruditi, Davidem Prophetam reverà deceptum fuisse; quem non Pontifex, sed verna, & verbero (Sibam dico, qui falsum crimen contra Miphiboseth detulit ad Regem, illiusq; agrum suum ita reddidit) veteratoriè circumvenit. Atque ista quidem dico, non quò prophetam insimulem: sed quò pro Imperatore respondeam, ostendamq; humanæ naturæ imbecillitatem; & doceam simul, non solis accusatoribus credendum, quamvis digni videantur, quibus sit habenda fides.* Ita pro Constantino dixit Theodoretus.

2. Reg. 16.

VI. Orientis sensus ob exilium Athanasii.

Sozom. l. 2. c. 29.

Flevit Oriens injustam sententiam, & ægerrimè questus est Athanasii injuriam. *Alexandrinus populus continenter vociferatus est*, inquit Sozomenus, *& precibus Deum solicitavit pro ejus reditu. Magnus etiam Antonius, qui Eremum incolebat, de eo persæpè ad Imperatorem scripsit, obsecravitq; eum ut Meletianorum sententiæ minimè assentiretur; sed eorum criminationes, calumniarum loco duceret.* Clerus etiam & sacræ virgines Antistitis sui

absentiam

Et Occidentis. — *Hieron. in Chron.* — Imperii partitio.

absentiam ægerrimè tulerunt. Denique ex hac illustrissimi sideris eclypsi Orbis terrarum gemere cæpit se ferè Arianum esse. Arius enim per Eusebianorum potentiam restitutus, rediit ad Alexandrinam Ecclesiam: sed non diu permissus ibi quiescere. populus enim in Athanasium propensissimus, noluit monstrum illud in honore, aut loco aliquo esse. In communibus hisce lacrymis, lætatus est Occidens, quod eximium virum, orthodoxæ fidei columnam habere, & fovere meruerit. Venit ille Treviros, magno bonorum jubilo exceptus est. Maximinus ibi Trevirorum Episcopus tunc clarus habebatur. *A quo*, inquit S. Hieronymus, *Athanasius Alexandriæ Episcopus honorificè susceptus est*. Denique Constantinus junior agebat in Galliis, & Athanasium pro meritis amavit. Hoc enim anno videtur Constantinus imperium ita divisisse, ut paternam hæreditatem grandiori natu filio, id est, Gallias, Hispanias & Britannias, Constantino: Orientem Constantio, natu proximo: & inter hæc media, Constanti dederit administranda; qui postmodum ut dicetur, ita tenuerunt.

VII. Ariani orthodoxam fidem simulant. — *Sozom. l. 2. c. 30.* — Constantini sensus.

Cum audis Arium Ecclesiæ restitutum, & ejectum inde Athanasium; noli putare Constantinum, à Nicænorum Patrum fide recessisse. Nam Arius non admissus, nisi priùs juratus professusque, non ore solùm, sed & scripto, Nicænam fidem. Idem & alii fecerant, qui vocem homusion, in qua anima erat visque tota controversiæ, specietenus, diu etiam post Constantini mortem admiserunt. Testatur id Sozomenus ita scribens. *Sub idem tempus Eusebius Episcopus Nicomediæ, & Theognis Niceæ Episcopus, scriptis Cœperunt formulam fidei, à Nicæno Concilio editam, innovare: ac tametsi non auderent palam denegare Filium Patri consubstantialem esse* (pro certo enim sciebant Imperatorem ita sentire) *aliam tamen formulam ita composuerunt, verbaque fidei, in Concilio Nicæno edita ab Episcopis Orientis, interpretationibus quibusdam additis, recepta esse omnibus indicarunt. quæ quidem formula, & sensus ejusdem effecerunt, ut superior controversia in disceptationem rursus vocaretur; & cum jam videretur esse sedata, de integro agitaretur*. Ita factum in Antiochenâ Synodo, sub Constantio Imperatore. Unde pro Constantini fide optimè argumentari possumus, in nullo læsam fuisse, licet Athanasius exularet. Cum nec statim, sub Constantio filio, ausi sint Ariani, in insaniam hæresimque prorumpere.

VIII. *Epiph. hæres. 69.* — Constantini fides laudatur. — *Hilar. ad Constantium l. 1.* — *Theod. hist. l. 2. c. 1.*

Accedit his Epiphanii testimonium, qui ita scribit, *Constantius Rex in aliis quidem omnibus mitis, & bonus, veluti filius magni & perfecti Constantini pii, qui rectam fidem integrè servavit. Sed & ipse Constantius pius fuit, & bonus juxta multos modos: verùm in hoc solum quod non secundùm fidem parentis processit, deviavit atque deliquit: non ex sua causâ, sed ab his qui rationem reddituri sunt in die judicii qui in apparentiâ quidem Episcopi dicuntur, veram autem Dei fidem corrumpunt*. Ita Epiphanius. Acriùs in eundem Constantium surrexit S. Hilarius, sed eodem modo parentis fidem commendavit, cum scripsit: *Audi hæretice, condemnationis publicum sensum; & intellige te divinæ religionis hostem, & inimicum memoriis Sanctorum, & paternæ pietatis hæredem rebellem.* Idem sensit Athanasius; optimus testis Constantinianæ mentis: & eò spectat quod Constantem postea Imperatorem obnixè rogarit, ut vindex, custosque esset paternæ fidei: quod à Theodoreto narratum accipe. *Athanasius*, inquit ille, *ad Constantem accedens, de factionis Arianæ insidiis conqueri, bellum contra fidem Catholicam excitatum lamentari; & tum Patris tum magni Concilii Nicæni, quod ille convocaverat, tum in memoriam reducere cœpit. Quinetiam decreta Patrum, quibus ille una interfuerat, ab illo lege confirmata fuisse. Talia cum gemitu & lacrymis apud Constantem Imperatorem elocutus; eum ad patrem æmulandum excitavit. nam simulatque ista audivit, literas scripsit ad fratrem, nempe Constantium, uti hæreditatem pietatis paternæ integram inviolatamque servaret.*

IX. Constantinus orthodoxus. — *Apud Baron. to. 10. an. 865. n. 94.* — *Baron. hic n. 42.*

Cæterùm licèt ista fortè sufficiant, ad Constantinum absolvendum: quia tamen Regiæ Fidei Britannorum causa agitur, & statim sepelire debeo magnum Principem, descendam libenter in sequentium sæculorum sensum, ut inde pro Constantino suffragia petam. Quod si invenero laudatum eum, à Romanis Pontificibus, ob amorem & cultum Romanæ Sedis, fideique; nulli dubium erit, quin procul fuerit ab Arianâ perfidiâ. Dicat ergo Nicolaus Romanus Episcopus, quid de Constantino sentiendum. Ita scribit ille ad Michaëlem Imperatorem: jubetque bonorum Principum, ac inter eos Constantini fidem ac mores imitari. *Cogitate*; inquit, *dies antiquos, & annos æternos in mente habetote. & quid Imperatores, qui persecuti sunt Ecclesiam Dei, & maximè Ecclesiam Romanam: id est, Nero, Diocletianus, Constantinus, Anastasius, & cæteri moris eorum, pertulerint; & ubi modo sint, attendite diligenter; & quantum sit in Ecclesia Dei execrabilis fama eorum; & nomen detestabile, sapienter advertite. Quanta autem Dei cultorum Augustorum, qui Ecclesiam Dei exaltaverunt, & præcipuè Romanam, Constantini, & Constantis, Theodosii quoque majoris, & Valentiniani, & cæterorum laus in universâ Ecclesiâ polleat; & eorum præconia ubique personent; & nomen eorum inter sacra mysteria impræternussè commemoretur, attentiùs & sedulò recordamini; sicque nos audire illos imitantes*, &c. & infrà. *Quapropter attendat clementia vestra, quantus fuerit erga Sedis Apostolicæ reverentiam, antecessorum vestrorum piorum Imperatorum, & præcipuè quos suprà memoravimus, amor & studium: qualiter eam diversis privilegiis extulerint, donis ditaverint, beneficiis ampliaverint. Qualiter illam literis honoraverint, ejus votis annuerint, instituta perficienda mandaverint, orationes petiverint,* FIDEM SECTANDAM *decreverint. Qualiter etiam legibus suis, pro adunandis ei Ecclesiis promulgaverint, pro colligendis Conciliis, & pro ferendis sententiis non imperaverint; sed precati & hortati solùm extiterint: & quæ illi decreverunt, ipsi consenserint; & quæ illi damnaverunt, ipsi respuerint*. Hæc Nicolaus, ubique Constantinum nostrum intelligens. Hinc optimè pro illo conclusit Baronius: *Luce clarior*, inquit, *testata redditur fides Catholica Constantini, usque ad vitæ exitum illibatè servata: unde universa Catholicorum posteritas, ipsaque publica Synodalia acta, magno præconio ex fide Catholicâ potissimùm comparato, consueverunt ipsum laudare*.

X. Arius subdole profitetur fidem.

Facit etiam ad integram Constantini fidem, quod hoc ipso anno gestum est Constantinopoli, pro inquirenda Arii fide: qui eò vocatus, jubetur coràm, Nicænam fidem profiteri. Eum enim respuerat Alexandrina Ecclesia, quod adhuc pessimo errori patrocinari videretur. voluit autem Constantinus explorare hominem rejectum toties ab orthodoxis, & à paucis tantùm defensum.

Orat. 1. cont. Arian. *Socrat. l. 1. c. 25.*

Quàm verò subdolè, in profitendo fidem, mentitus sit Arius; non solum Athanasius; sed alii etiam testantur. Socrates enim ita narrat rem gestam. *Imperator Arii opinionis periculum facere cupiens, illum ad palatium suum accersit: rogat utrum Concilii Nicæni decretis consentiret. Ille sine morâ, alacri & prompto animo coram Imperatore subscribit; cum tamen ea quæ in Concilio, de fide decisa erant, astutè & veteratoriè ludificatus sit. Imperator hoc admiratus, illum etiam ad jus jurandum adigit. Ille simulatè & fallaciter istud quoque præstitit. Fucata verò ratio, quâ ad fraudem in subscribendo usus sit, sicut ipse audivi ejusmodi fuit: Arius, suam ipsius opinionem in chartâ, quam habebat conscribit: eam sub alâ gestat. Iurat se, verè & ex animo sentire, quemadmodum scripserat. Istud ita factum esse, famâ solum & auditione accipiens, literis mando. Verum quod jus jurandum subscriptioni adjiciebat perspicuè ex Imperatoris literis colligo. Imperator illi fidem adhibens dat mandatum Alexandro Episcopo Constantinopolis, ut in communionem recipiatur.* Hæc omnia Socrates. Quæ cum ab aliis quoque referantur, manet quicquid de Constantini facto dixeris, fides tamen ejus virgo & incorrupta. Etenim qui adeo curiosus fuit ut non nudam Nicænæ fidei professionem; sed jure jurando, manuque Arii confirmatam esse voluerit: quis sine injuriâ poterit Imperatorem ad eorum partes trahere, qui Nicænos canones oderant? Accedit his; Constantinum, audito Arii juramento, eidem si mentiretur imprecatum esse. Ita enim Athanasius. *Accersitus erat*, inquit, *ab Imperatore Constantino Arius, operâ & studio Eusebianorum: quem ingredientem Imperator interrogavit; an fidem Ecclesiæ Catholicæ servaret; ille autem se rectè credere jurejurando affirmavit, suppressis iis, ob quæ ab Ecclesiâ ejectus erat, &c. Illum igitur ita juratum se nihil eorum, ob quæ ab Alexandro ejectus erat, fecisse; absolvit Imperator cum his verbis: Si recta est fides tua, benè jurasti. si autem impia est & tamen jurasti; Deus te pro juramento condemnet.* Ita Constantinus: cujus preces exaudivit Deus, fecitque clarum miraculo, Imperatorem fidelem, Arium infidelem fuisse. Siquidem impius homo è vestigio perfidiæ suæ pœnas dabit, infami morte, eo modo quem nunc prosequemur.

Athanas. ad Serapio.

XI. Alexander Episcopus Arium admittere formidat.

Debuit Arius, pugnantibus pro eo Eusebianis, & nunc jubente Constantino, in fidelium communionem & societatem recipi, ab Alexandro Constantinopolitanæ urbis Episcopo: & ille horrebat dextram dare aut osculum pacis, homini, tantarum tragœdiarum authori ac principi. Quid tamen faceret, quem tot præsentes Episcopi & Imperator premebat? Fecit profectò, quod piissimi erat Antistitis; nec statim voluit admittere ad aliorum consortium, quem Sacramentorum participio indignum sciebat. Audi Socratem hoc narrantem. *Alexander*, inquit, *in grave certamen devenit; idque maximè, quòd Eusebius, Nicomediæ Episcopus, sæpè & graviter illi interminatus fuisset; se quàm primum eum Episcopatu abdicaturum, si non Arium cum suis in communionem reciperet. At Alexander non tantùm de abdicatione laborabat, quantùm de doctrinâ Concilii Nicæni; quam omni curâ ac studio evertere contendebant. Nam cum se patronum decretorum illius Concilii duceret; omnibus viribus sibi enitendum censuit; ne illius formula & præscripta, ullo modo labefactarentur. In hac igitur concertatione constitutus, dialecticæ argutias penitus missas facit, ad Dei auxilium confugit, in jejuniis assiduis se attentè defigit, nullam precandi formam prætermittit. Tale denique obsequii genus studiosè amplexatur. Itaque in Ecclesiam, quæ pacis nomine nuncupata est, se solum occludens, ea quæ sibi videbantur convenientia, peregit. Ad altare progressus, humi coram Sacramenta, sem faciem prostravit; cum lacrymis Deum oravit; permultas noctes diesque continuas, in iis rebus versatus est. Nam à Deo opem postulavit, postulationis compos factus est. Postulatio autem talis fuit. O Deus, inquit, largire, ut si Arii opinio vera est; ipse diem disceptationi præstitutam neutiquam videam: sin autem fides, quam ego teneo vera est, Arius omnium istorum malorum author, debitas suæ impietatis pœnas luat.* Ita precatus est optimus Antistes; & armis illis in Arium pugnavit. Qui enim dati sunt in reprobum sensum, non alio meliùs argumento vincuntur: & esto in exemplum Arius.

Socrates l. 1. c. 25.

Imprecatur Ario.

XII. Dudum ille abiverat in consilio impiorum, & in viâ peccatorum steterat: videamus ergo eum in cathedrâ pestilentiæ, æternùm sedentem: nam erroris magistro sedes illa debebatur. Athanasius in Galliis exulabat, eum Eusebiani contenderent Arium in Ecclesiam admittendum. Qui ita tragicam illius rei catastrophen, Arii, inquam, scenam ultimam describit. *Digressum, à Principe voluerunt Eusebiani, solitâ vi suâ, Arium, in Ecclesiam introducere. Sed contradicebat Constantinopolitanus Episcopus, Beatus Alexander; non debere, inquiens, hæresis inventorem, in communionem recipi. Ibi jam minabundi Eusebiani: quemadmodum, inquiunt, cum vobis invitis curavimus, ab Imperatore evocari; ita crastino die, etiamsi vobis minimè ex sententiâ sit, in communionem Ecclesiæ adducemus. Sabbatum autem erat, cum hæc loquerentur. Quibus auditis Alexander, magno cum mœrore, Ecclesiam intravit, & porrectis ad Deum manibus, lamentatus est; pronus in vultum cadens, humique jacens, ita oravit (aderat enim cum eo Macarius, socius orationis, qui ejus verba excepit.) Postulabat autem alterutrum: si, Arius, inquit, crastinâ die in synaxin introducetur, nunc dimittas, quæso, servum tuum, Domine; & non pium cum impio perdas. Sin autem Ecclesiæ tuæ parces (scio autem quod parces) respice in verba Eusebii; neque des in exitium, & vituperium sortem tuam: & tolle Arium, ne eo recepto in Ecclesiam, videatur simul cum eo hæresis recipi, néve deinde impietas, pro pietate habeatur.*

Athanas. ad Serap.

XIII. Arius crepat medius.

Hæc precatus Episcopus, plurimùm cogitabundus & anxius, inde recessit: & res mira incredibilisque evenit. Eusebianis minantibus, Episcopus orabat. Arius autem Eusebianis fretus, multa blaterans, in secessum abiit, quasi ad usum alvi: & derepentè (juxta quod scriptum est) pronus factus, medius crepuit, humique expiravit, utroque, & vitâ, & communione fraudatus. Hæc de infami Arii exitu compendio recitat Athanasius, quæ alii fusiùs prosequuntur. Sed fœtentem animam satis sit paucis attigisse; quam Alexandri preces, & imprecatio Constantini, exire è corpore, ne porro terrarum Orbem inficeret, coëgerunt. Quid inde factum, & ut in orthodoxâ fide firmior Imperator, ita scribit Socrates. *Hac re gestâ, ingens terror, & exanimatio, Eusebianæ factioni incussa est; fama rei non solum per totam civitatem; sed etiam per universum propè dixerim Orbem terrarum permanavit. Imperator verò hac ratione Catholicæ fidei firmius adhæsit: fidem Concilii Nicæni authoritate, & nutu divino, revera confirmatam asseruit, & propterea exitu illo Arii magnopere lætatus est.* Quis hæc legens, de Constantini

Socrat. l. c. c. 25.

fide dubitavit? aut putabit in Arianâ hæresi mortuum, aut in eâ sequenti anno baptizatum, quam tam insigni miraculo reprobatam legit? Constat certè ipsum agitasse mox consilium de Athanasio revocando; facturumque nisi mors conatum & vota prævertisset, ut suprà dixit Constantinus filius. Hic n. 4.

XIV. ORATUR AD ALTARE.

Si Alexander ad altare progressus, ibique prostratus, in Arium felicissimè pugnavit: si Deus opt. max. ita orantem audivit, ut adversarius ejus crepuerit medius, & effusa sint omnia viscera ejus: ergo Constantino imperante, Constantinopolitana Ecclesia, altaria habuit; quæ non modò populus, sed Clerus, & Cleri princeps Episcopus, venerari solebant. & eo modo fusæ preces Deo placuerunt: dicant hic igitur mortalium factiosissimi, qui altaria aversantur, & nolunt ea revereri: qua fronte audeant Romanam fidem calumniari, quod præter primorum sæculorum morem, altaria construant, & orent ad illa; cum primorum sæculorum consuetudo apertissimè illis suffragetur: si Arius ita peccavisset, & altaribus indignatus, in illa garrivisset; posset fortè excusari; quia telo illo periit; & canes solent projectum in se lapidem petere: sed illos, qui cum Ario non communicant, in altaria furere, quibus Arius prostratus est, vix credent posteri; nisi adverterint, differentes inter se diversasque factiones; unam eandemque veritatem, solitas plerumque impio consensu oppugnare.

XV. MARCUS PAPA MORITUR.

Moritur hoc anno Marcus Papa, cum sedisset menses octo; & illi successit Julius, civis Romanus. Sed primus sedis annus numeratur Constantini ultimus, quò nunc propero.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1088.

ANNUS CHRISTI 337.

JULII PAPÆ 1.

CONSTANTINI IMP. 32.

I. JULIUS PAPA.

CONSTANTINO ab omni Ariani criminis suspicione absoluto; reliquum est, ut eum, in Fide Regiâ, hoc est, sanctâ, Catholicâ, Romanâ sepeliam. Nec erit, opinor, difficile illam probare; nam novæ Babelis seu Ecclesiæ, quam nuper sectarii finxerunt, sine cultu Sanctorum, sine altari, & sacrificio, sine debitis Deo sanctisque cæremoniis, nulla est, hoc sæculo, memoria. Quod licet ex supradictis satis clarè pateat; constabit tamen magis ex dicendis. Etenim si Constantinus, hoc est, primus maximusque Christianorum principum, morti vicinus imploravit Sanctorum patrocinia; & speravit post mortem; eorum suffragia, animæ profutura; in eamque rem plurima fecit ac Regia opera, quibus immortalitatem sibi compararet; nemine prorsus mortalium, qui tunc, vel sequentibus sæculis, vixêre, reclamante, improbante, vel non summè laudante: quis non mirabitur novæ factionis genium, qui non tantùm in Sanctos impius, eorum cultum negat, & pœnas post hanc vitam non semper duraturas: sed audet etiam Constantinum, & prima sæcula, in partem suam trahere. Prodeat ergo anno trecentesimo vi-

CONSTANTINI FIDES ORTHODOXA.

cesimo septimo, Feliciano & Titiano Coss. moriturus Constantinus, & Regiâ, quæ eum decet, majestate, dicat palam, non tam verbis, quàm quæ fortiùs docent, factis; in qua fide mori velit: & faciat ea, quæ sine ambagibus, fidem demonstrent. Simul etiam instruat Saxonum & Anglorum Reges, quà ratio e sequi debeant & quomodo, hoc est, quibus operibus, æternitatem consequi. Unum profectò in omni hac historia maximè commendabo. Posteriores videlicet Reges hujus Insulæ, magnos illos & sanctissimos, Ethelbertos, Edgaros, Alfredos, &c. ea fecisse morte proximos, quæ fecit hoc anno Constantinus: ob quæ tamen lacerantur à sectariis. Sed ego in eorum laudibus ponam, quod primorum sæculorum fidem integerrimè secuti, ouperâ hac tantùm ætate persecutionem patiantur. EADEM REGUM SAXONUM.

II. QUID OLIM FACTUM, QUID CREDITUM A REGIBUS NOSTRIS.

Ferunt novi homines indignissimè, quòd olim Reges nostri ædificaverunt templa, fundaverunt altaria, Monasteria, ædesque sacras: *Pro redemptione animæ suæ, & parentum suorum.* Ita enim in Regiis chartis loqui, protestari, scribere, solebant: sati hoc opere pietatis, animæ suæ, ac defunctorum parentum, melius futurum. addebant insuper statas preces, Missas, cæteraque post mortem suffragia, quibus juvari omnino sperabant. Hic, inquam, mnderni impotentissimè stomachantur: prodi antiquam fidem; evacuari passionem Christi: scripturæ majestatem lædi: induci novitatem. Ita vociferatur Joannes Fox, & laudat eximiè piorum locorum nuperum exterminium; ideò nimirùm, quòd à primis Regibus, eo modo, facta fuerint & fundata Monasteria templaque omnia. Ego igitur hic inquiram, oum simile aliquid fecerit Constantinus: nom & ipse in remedium animæ suæ fecerit aliqua: speraveritque inde quietem. quod si ab eo factum invenero, claudam Constantini majestate, os loquentium iniqua; vel si id efficere non potero; in camo, & freno, maxillas eorum constringam, qui in pessimâ causâ, cum nulla habeant adminicula, appellant prima sæcula, & ita Reges nostros elevando, carpendo, proscindendo, putant tueri fidem suam. Cæterùm optimè fecisse Saxonum Reges & primorum sæculorum morem sequutos, jam docere volo exemplo Constantini.

III. CONSTANTINUS ÆDIFICAT APOSTOLIS TEMPLUM CONSTANTINOPOLI. Euseb. l. 4. c. 58.

Cum tempus mortis, non procul esse, Imperator cerneret, pæniteretque eum, duriorem se in Athanasium fuisse; cujus adversarii infamis exitus eum ferè miraculo innocentem docuerat: cæpit dignis Deo operibus promereri veniam, & Sanctorum Apostolorum patrocinia quærere; quibus olim sciebat, ligandi solvendique peccata potestatem esse creditam. Quam ob rem Apostolorum templum in Constantinopolitanâ urbe, ubi per eos dies agebat, ædificare cæpit *ad perpetuam illorum memoriam conservandam*, inquit Eusebius. Quam verò impensè studuerit Apostolis placere, ab eis post mortem juvari, & fidem suam, quam Romæ didicerat, in extremo vitæ testari: Audi quo apparatu, quibus sumptibus, quâ demum dignitate, hæc ædes surrexerit: describat illam Eusebius, & causam indicat cur ita munificus & liberalis fuerit. Nam fortè dicet causam fuisse, *ut defunctus precationum quæ ibi essent ad Apostolorum gloriam offerendæ particeps efficeretur.* Quod si dictum invenero ab Eusebio, dicam enimvero, Imperatorem, purgatorium credidisse, cœli posse sanctos, juvarique eorum

suffragio.

suffragio, post hanc vitam animas, & ita demum Romanæ fidei principem fuisse. Hic igitur libenter Ecclesiam exscribo, qui facta Constantini consiliaque intimè noverat. Ita ergo ipse, de Apostolorum templo.

Euseb. l. 4. c. 19.

TEMPLI ÆDIFICIUM.

Illud verò cum in infinitam extruxisset altitudinem, lapidumq; omnis generis, ac crustarum varietate, ab ipso solo, ad superiorem contignationem collustrasset, summo artificio facta laquearibus tectum intus complexus est, auroq; universum contexit. Suprà verò pro tegula inductum æs, à toto opere imbrium injurias arcebat. Quod ipsum etiam multo auro fulgebat, ita ut longè contemplantibus, per reciprocatos solis radios, incredibilis splendor effundi videretur. Interiorem ædis partem, undique in amplitudinem circumductam, reticulari opere, ex ære & auro affabre facto, convestivit. Ac templum quidem hunc in modum, permagna Imperatoris, & curâ, & studio exornatum est. Huic autem atrium ingens, & subdiale circumdatum in apertum purumq; aërem explicabatur. Hujus per quatuor latera porticus erant disposita, quæ medium atrium cum templo ipso complectebantur. Porticibus accommodabantur Regia domus, balnea, deambulatoria, aliaq; habitationes plurima, ad necessitatem illorum qui locum custodirent, constructa. Hæc omnia dedicavit Imperator ut Salvatoris nostri Apostolorum memoria apud omnes gentes æternitatem compararet. Attamen in ipsa coædificatione etiam aliud quiddam spectabat; quod primis temporibus obscurum ad extremum, ab omnibus manifestè deprehensum est.

IV. CONSTANTINI MENS EXCUTITUR.

Adverte Lector Constantini mentem in hoc opere; quod fidem ipsius sigillaturum erat; ab omnibus non statim intellectam; postea tamen claram, manifestamque fuisse; & ideo forsan, cum eam Eusebius aperuerit, Fidem impetrabit à modernis: nisi fortè velint manifestè deprehensa tunc ab omnibus, negare facta. ita ergo pergit Eusebius, & *incredibile fidei studium* in Constantino probat.

Euseb. suprà c. 60.

Hic igitur in opportunum ventura mortis diem hunc locum sibi, provida dispensatione, designavit; incredibili fidei propensione providens (nota quisquis Constantini fidem scire, amare, sequi desideras) *cum jam corpus suum communem cum Apostolis appellationem post mortem participaret; fore ut defunctus quoque precationum, quæ ibidem essent ad Apostolorum gloriam offerendæ, particeps efficeretur. quod non est aliud ab eo, usurpari solito, à Regibus nostris qui posteriùs fuerunt, scribebantq; pro remedio, pro redemptione animæ suæ,* ut infrà sæpiùs dicetur. nunc pergat Eusebius Constantini pietatem explicare, & *incredibilem fidei propensionem,* quæ quoniam manifestè deprehensa tunc est ab omnibus; facilè judicabit Lector, modernáne fuerit an Romana. *Quare,* inquit, *illic cappas duodecim* (θήκας habet græca lectio) *quasi sacras quasdam columnas, ad Apostolici collegii honorem, memoriamq; attollens; medium inter ipsos conditorium suum locabat; quod utrinque seni claudebant Apostoli; sano certè* (ut dixi) *consilio præcogitans; quod mortui corporis tabernaculum, ibi dignè decenterq; quiesceret. Atque hæc ille longo ante tempore cogitatione cum depinxisset; Ecclesiam Apostolis dedicavit, quàm plurimum utilitatis illorum memoriam animæ suæ conciliaturam existimans.*

V. CUR CAPPAS FECIT CONSTANTINUS

Avebit fortè scire Lector, quid illæ cappæ, seu thecæ, significent, quæ Apostolorum memoriis consecratæ, Constantini sepulchrum munire, & quasi σωματοφύλακας esse debuerunt. Certum porro est, quicquid demum fuerint, ex Eusebii narratione colligi, in honorem Apostolorum constitutas esse. Quod licet mihi satis sit ad eorum cultum asserendum; malo tamen enucleatiùs scire, quid in thecis illis condiderit, vel condi mandaverit, moriens Imperator. Ingens enimverò suspicio est, condendis Apostolorum & aliorum Martyrum reliquiis serviisse: eo prorsus modo, quo solent hodie Romanæ fidei templa, illis ornari: & tunc sectarii, qui sanctorum reliquias, è templis ejecerunt, à Constantini fide perduelles esse convincentur. Socrates ergo de hac Apostolorum Ecclesia loquens, in eum finem à Constantino ædificatam refert, & cappas positas; ut Apostolorum reliquiæ ibidem ponerentur. Audi ipsum mortuum Constantinum in illa Ecclesia sepelientem.

AD APOSTOLORUM RELIQUIAS.

Socrat. l. 1. c. 26.

Corpus Imperatoris necessarii ac familiares, in loculo aureo condunt, ad Constantinopolim deportant, ibi in palatio altiùs à terrâ collocant, magno prosequuntur honore; usque eò, quoad unus ex filiis adventaret. Post Constantii ab Oriente adventum, Regio decoratur funere, inq; Ecclesiâ Apostolorum (sic enim vocabatur) *reponitur. Quam quidem Ecclesiam, ob eam ipsam causam Constantinus ædificaverat; ne Imperatores & Sacerdotes Apostolorum reliquiis aliquando destituerentur.* Ita Socrates. & clarè vides quid Cappæ significent: Thecas nimirùm pro condendis Apostolorum reliquiis. Unde & principes viri sumerent alimentum fidei, & pietatis suæ: & Sacerdotes haberent, pro templorum & altarium consecratione sanctorum exuvias; sine quibus, nec Ecclesiæ, nec altaria consecrari consueverunt.

VI. COROLLARIA.

Hinc duo colliget curiosus Lector pro fide hujus sæculi. primum, moris fuisse etiam principibus viris, vel gestandi sanctorum reliquias, vel illas ad cultum domi habendi. Alterum: reliquias Sacerdotibus necessarias fuisse ad templorum inaugurationem. Primum probari potest pietate Constantini, qui duodecim lipsanothecas posuit, ornavitque eum in finem. Iterum sequenti sæculo veniet in Britanniam Germanus, Altisiodorensis Episcopus; & capsulam habebit cum sanctorum reliquiis suo lateri adhærentem, teste Beda lib. 1. Ecclesiast. Hist. cap. 18. Alterum quoque de templorum inauguratione facilè colliges è Socrate suprà, & ex eo etiam quod sequenti sæculo factum à S. Severo Bituricensi Episcopo; qui consecraturus Ecclesiam, cum sanctorum reliquiis careret; magnis precibus à S. Paulino illas postulavit. Ex eo porrò quod Paulinus rescripsit leges quam necessariæ sint reliquiæ ad consecrationem Ecclesiæ. Sic enim rescribit.

Paulin. ep. 12.

SANCTORUM RELIQUIÆ AD TEMPLI CONSECRATIONEM NECESSARIÆ.

Frater Victor, inter alias operum tuorum & virorum narrationes, retulit nobis, desiderare te ad Basilicam quam modò apud Primuliacum nostrum, majorem priore condideris, de sacris sanctorum reliquiis benedictionem, qua adornetur domestica tua Ecclesia; ut fide & gratiâ tuâ dignum est. Testis est autem Dominus, quòd si vel scrupulum sacri cineris habuissemus, suprà quam nobis ad Basilicam, quæ proximè in nomine Domini consummabitur dedicandam NECESSARIUM ERAT; *misissemus unanimitati tuæ. Sed quia nos non habuimus hujus muneris copiam; & ille se spem ejusdem gratiæ copiosam habere dixit, à S. Silvia* (quæ illi de multorum ex Oriente Martyrum reliquiis spopondisset) *invenimus, quod dignè, & ad Basilicæ sanctificationem vobis, & ad sanctorum Synodum cumulandam benedictionem mitteremus: partem particulæ de ligno divinæ Crucis, quod nobis bonum benedicta Melania ab Hierusalem, munere sancti inde Episcopi Ioannis attulit.*

Hæc

Hæc ille de more ſui ſæculi. Nunc redeo ad Conſtantini Baſilicam, & duodecim cappas viſurus quid demum in illis reconditum ſit.

VII. *Hæc omnia mutuavi propter Vſſerium fo. 653.*

Nihil invenio, Conſtantino imperante, in thecas illas illatum; ſed ſtatim à morte, conſtat ſanctorum Martyrum & Apoſtolorum reliquias illò tranſlatas eſſe, & imprimis SS. Timothei Martyris, Lucæ Evangeliſtæ, & Andreæ Apoſtoli. nam ad annum Chriſti 348. ſcribit Matthæus noſter Weſtmonaſterienſis. *Reliquiæ Beati Timothei Conſtantinopolim referuntur.* & poſt alterum annum: *Conſtantio*, inquit, *Romam ingreſſo, oſſa S. Andreæ Apoſtoli, & Lucæ Evangeliſtæ Conſtantinopolim delata ibidem honorificè deponuntur.* Unde fit ſatis manifeſtum, Conſtantinum priuſquam moreretur, Româ, & aliis è locis ſanctorum reliquias, & præſertim Apoſtolorum, pro templi ſui conſecratione collegiſſe. Theodorus Lector diu ante Matthæum noſtrum, non ſolùm tranſlationis harum reliquiarum meminit, ſed etiam diei quo Conſtantinopolim venerunt. Sic enim ſcribit in collectaneis. *Conſtantium filius Magni Conſtantini imperavit annos viginti quatuor, dies quinque* (certum eſt Conſtantium intelligi, licet Conſtantinum vocet; fuit enim binominis, ut ſuprà dixi in patriâ Conſtantini) *& ſub illo Conſtantinopolim venerunt reliquiæ Sanctorum Apoſtolorum Timothei 8. Calend. Iulii. Andreæ & Lucæ, quinto Nonas Martii; collocataq́ ſunt in conſecrato magno Sanctorum Apoſtolorum templo.* Idem habet Chronicon Alexandrinum, & refert Uſſerius fo. 653. His adde S. Hieronymum contra Vigilantium, hoc ipſum de Conſtantio, quem Conſtantinum vocat, affirmantem. nam ita, quaſi ſectarios alloquens, qui nobis ſacrilegium objiciunt quando Sanctorum cineres veneramur. *Ergo*, inquit, *ſacrilegi ſumus, quando Apoſtolorum Baſilicas ingredimur? Sacrilegus fuit Conſtantinus Imperator, qui ſanctas reliquias Andreæ, Lucæ, & Timothei tranſtulit Conſtantinopolim, apud quas dæmones rugiunt, & inhabitatores Vigilantii, illorum ſe ſentire præſentiam confitentur.* Hoc fortè in causâ fuit, cur Vigilantii hæredes, ſanctorum reliquias è templis, locisque omnibus ejecerint; ne earum præſentiâ, dæmones, ut olim, torquerentur: à quibus gratiam profectò inire poterunt, nullam à ſanctis.

Weſtmonaſt. an. 348.

Idem an. 350.

Theodo. Lect in collect. l. 2.

V an 275. 22.

Hiero. in Vigilan. c. 2.

VIII. CONCLUSIO PRO FIDE CONSTANTINI. *Euſeb. l. 4. c. 40.*

Itaque Conſtantini conſilium fuit ſanctis Apoſtolis Eccleſiam dedicare; primò, ut ibi Apoſtoli cum honore colerentur. Iterum, ut animæ ſuæ poſt mortem ex eorundem cultu & ſuffragiis benè eſſet. Denique ut Apoſtolorum & Martyrum reliquiæ ibi conderentur, itaque ſibi aliisque *quamplurimum utilitatis* eveniret. *Neque ſanè,* (pergit Euſebius) *vota ejus expectationemq́ fefellit Deus. Nam ut primas Paſchalis celebritatis exercitationes expleſſet, ipſumq́ ſalutarem diem, cum ſibi ipſi clarum & illuſtrem, tum aliis omnibus, omni cum lætitiâ celebrem reddidiſſet: cum eodem tempore & extremum diem obiret, & has celebritates curaret: Dei cujus nutu hæc omnia geſta ſunt: hoc peraccommodato tempore ad meliorem eum vitæ conditionem divinitùs transferre voluit.* Quaſi diceret: Cum Deus ejus mentem & conſilia probaviſſet in templi ædificio; & eo opere ſanctè ſe ad mortem præparaſſet Conſtantinus, tranſire meruit ad alteram vitam. Quod hoc anno factum, cum regnaſſet annos unum & triginta, & menſes aliquot, totidemque ante imperium annos vixiſſet ut Euſebius, Epiphanius, Victor, & Zonaras colligunt.

IX. CONSTANTINI EXERCITIA ANTE MORTEM. *Euſeb. l. 4. c. 51.*

Sed operæ pretium eſt, Conſtantinum obſervare, ut è virtute agat claudatque ultimum, qui illi reſtabat, vitæ terminum. Euſebius illum obſervavit & ita ſcripſit. *Imperator autem uſque adeo mente rationiq́ viribus conſtabat; ut uſque ad ſummam ſenectutem pro conſueto more orationes conſcriberet, ſolitos cum amicis congreſſus faceret, & dignas homine Chriſtiano diſciplinas auditoribus ſuppeditaret. Aſſiduè etiam leges ferebat, aliquando de rebus civilibus, aliquando de bellicis: omnia verò quæ ad vitam degendam eſſent neceſſaria, mente & intelligentiâ comprehendebat. Iam illud dignum ſanè ſempiternâ memoriâ eſt, quòd cum ejus extremus propè vitæ dies adeſſet, recitabat funebrem quandam orationem; eo ipſo ferè loco, quo dicere conſueverat; in quâ etiam multa diſputabat, perpetuâ oratione, de animorum immortalitate, deq́ iis qui vitam piè ſanctèq́ egiſſent, & de præmiis quæ bonis, & gratis acceptiq́ Deo hominibus apud ipſum Deum repoſita eſſent. Ad hæc etiam quem finem habituri eſſent, qui contrariam partem ſequerentur; copioſâ & longâ oratione demonſtrabat: impiorum everſionem, & interitum, præſentium auribus obiter inculcans. Hæc ille cum conſtanter & graviter conteſtaretur; ita viſus eſt domeſticos quoſdam ſuos tangere; ut ex eis aliquis, qui ſapiens haberi volebat, interrogatus; quid ſibi videretur de Imperatoris oratione: licet invitus, reſponderet tamen: vera quidem illum ſibi videri dicere, atque adeo vehementer laudare, quæ contra numeroſam deorum turbam ab Imperatore diſputata eſſent. Hæc ille cum familiaribus ſuis paulo ante mortem commentans, viſus eſt hoc genere ſermonis viam ſibi ad meliorem vitam, mollem atque æquabilem præſtruere.* Hactenus Euſebius.

X. CONSTANTINUS ÆGRITUDINE PULSATUS,

Hunc planè in modum mori decet Chriſtianum principem. decet, inquam mente & cogitatione in cælum ſurgere, quo ſecutura ſtatim anima, veluti æternitatis candidata, gloriam & immortalitatem petat: miſſum à Deo ſatellitem ad ſiſtendum Conſtantinum aliqui affirmarunt. Eutropius enim apparuiſſe in cælo crinitam ſtellam inuſitatæ magnitudinis tradit. Unde oborta principi eſt quædam corporis inæqualis intemperies: dilata tamen remedia: donec accedens vehementior morbus, coëgit eum ad calida civitatis balnea proficiſci: & *inde* (loquitur Euſebius) *ad civitatem matris ſuæ cognominem,* (Helenopolim in Bithyniâ intelligit) *ubi in Martyrum ſacra æde diu verſatus; ſupplices preces & vota publica adhibuit Deo.* Quid ultra Conſtantinus fecerit in æde illa S. Luciani Martyris, inquirendum eſt; quia idem hodieque faciunt omnes principes qui Conſtantini fidem ſequuntur.

Euſeb. l. 4. c. 61.

HELENOPOLIM VADIT,

XI. PECCATA CONFITETUR.

Dico igitur, eum Imperator, factâ ad Deum oratione, ſentiret adeſſe vitæ terminum, in eodem loco peccata ſua confeſſus eſt, à Sacerdote abſolutus eſt, & ipſe credidit poteſtate clavium peccata verè dimitti. Nec enim aliter intelligi poteſt Euſebius; qui dicit Conſtantinum credidiſſe *imitatione ſalutaris lavacri expiari* poſſe mentem. Unde licet idem Author fingere videatur novum Conſtantini baptiſmum; in ſuburbano Nicomediæ: id tamen nullius eſſe fidei, & vel ex hac Euſebii narratione arguitur falſitatis: ubi alteram poſt naufragium tabulam deſcribit, pænitentiam inquam: eaque dicit Imperatorem credidiſſe condonari peccata. nam ita ipſe. *Vt verò in mentem venit Conſtantino extremus ejus vitæ dies: exiſtimaretq́ hoc tempus opportunum eſſe, ad delenda illa errata, quæ quoniam mortalis erat, admiſerat;*

Euſeb. l. 4. c. 61.

crederetq́ arcanorum mysteriorum efficacia, & SALVTARIS LAVACRI IMITATIONE, mentem expiari: hæc, inquam, cum ei in mentem venirent, humi procumbens genibus, & in ipsa Martyrum æde, errata sua confessus, supplicem se Deo offerebat. ubi primum manuum per precationem impositione dignus habitus est. Si hoc in loco confessus est Constantinus peccata sua: si credidit eâ confessione quasi *salutaris lavacri imitatione* mentem expiari: si denique precatione Sacerdotis, ejusque manuum impositione dignus est: revera superfluum erat quod postea Nicomediæ actum narratur, circa Constantini scilicet baptismum: & Eusebium ita fingentem (si tamen ille & non alius quispiam ejus loco finxit) ferè excuso: quod cum non posset ullo fuco Constantinum asserere natum in Græciâ, conatus tamen est alterum ejus natalem Græcis ascribere, quo juris haberet aliquid in Augustissimum virum oriens: quod Constantio ejus filio, qui ibi regnaturus erat, non poterat non placere.

XII. Cæterùm cùm suprà dixerim, ubi, quando, & quomodo baptizatus sit, omissâ fabulâ de baptismo altero, reliqua prosequamur, quæ Constantinum spectant, & mortem ejus. de quibus ita Eusebius. *Confectis verò omnibus sacris, splendido Regioq́ apparatu, atque adeo luce clariore convestitus; candidissimo in lecto se reclinavit: rejectâ jam purpurâ, quam ampliùs nolebat attingere. Tum verò clarissima voce, cum precatus, Deo gratias egisset, hæc ferè addidit. Nunc reverà novi me beatum esse, nunc immortali vitâ dignum esse habitum, nunc divinæ lucis participem esse factum. Simul miserorum rejecit sortem, quos infelices prædicabat, quod hisce divinis bonis orbati essent. Cum verò Centuriones & Duces militares intromissi, casum suum deplorarent; quod deinceps se orbos fore lugubri voce testarentur, longioremq́ ei vitam optarent etiam his respondit; se nunc veram vitam adeptum esse. Seq́ ipsum solum intelligere, cujus felicitatis particeps factus sit: ac propterea festinare, nec migrationem ad Deum suum procrastinare. Deinde quæ videbantur extrema quasi voluntatis suæ disponebat, ac Romanos qui Regiam civitatem incolebant, annuis pensionibus honorificè donabat; liberis verò suis Regni hereditatem, tanquam patrimonium relinquebat, cæteraq́ omnia quæ ei videbantur, expressè disertisq́ verbis describebat.*

Euseb. l. 4. c. 62.

Constantinus ad mortem se componit.

Idem sup. c. 63.

XIII. Moritur Constantinus.

Hæc sigillatim omnia gesta & consummata sunt, maxima illa celebritate veneranda & sacrata Pentecostes, quæ septem continuas hebdomadas omnibus honoribus decorata, ad extremum unitatis numero consignata est. quo tempore sacræ literæ testantur & communis nostri Salvatoris in cælum ascensum, & sancti ad homines spiritus descensum accidisse, hujus in celebritatis extremo ferè die omnia ista consecutus imperator; ipsa meridie ad Deum suum assumptus est: partem sui mortalem, mortalibus cognatam, relinquens humi: sed animi partem intelligentem & divinam, Deo conjungens suo. Hic Constantino extremus vitæ dies fuit. Hactenus Eusebius.

XIV. Lucetur.

Luxit Orbis universus occasum hujus sideris; miles, Dux, Ecclesia, Senatus, populusque, & denique boni omnes. Itaque Constantini funus & suorum lacrymas prosequamur. *Satellites*, inquit Eusebius, *& universus stipatorum cætus, dilaceratis vestibus, corporibusq́ ad pavimenta projectis, & collisis ad solum capitibus, lugubres voces cum magno luctu & clamoribus edebant; cum identidem Dominum, Principem, Imperatorem; & tamen, non ut dominum, & tyrannum, sed ut patrem pii liberi, & germani inclamarent. Centuriones verò & manipulares, servatorem, custodem, beneficum prædicarent: totus exercitus, cum omni reverentiâ, tanquam ovium greges pastorem suum desiderarent. Populus omnis, per omnem urbem volitaret, occultum animi vulnus apertis vociferationibus, & clamoribus contestans. Reliqui, demisso vultu, tanquam obstupefacti incederent: singuli eam sibi calamitatem præcipuè accidisse putarent, seq́ ipsos, quasi communi humanæ vitæ salute orbatos, mirabiliter affligerent.* Hæc satis de luctu singulorum: nunc ad funus, de quo ita Eusebius. *Hic milites arreptum cadaver, aureâ capsulâ includunt; & undique purpureâ veste contectum, Constantinopolim perducunt. Ibi cum in omnium magnificentissimis Imperatoriis ædibus, celso atque edito loco deponunt: luminibusq́ circum funus, aurea supra candelabra accensis, admirabile spectaculum intuentibus præbebant: & sane hujusmodi, quale nunquam in terris, ullum à condito mundo sub sole visum est. Nam intus, in ipso ferè medio Regii palatii excelsâ & aurea capsulâ, inclusum Imperatoris corpus, Imperiali apparatu, id est purpurâ & diademate ornatum, permulti circumfusi vigiles, die noctuq́ asservabant. Iam totius exercitus Duces, & Comites, omniumq́ Principum cætus, quibus antea in more fuit Imperatorem venerari; pristinum morem & consuetudinem conservantes; statis temporibus introeuntes Imperatorem in capsula jacentem, tanquam vivum etiam post mortem humi procumbentes salutabant. horum reverentiam, eodem pietatis officio subsecutus est Senatus, & omnes reliqui magistratus.* Hic priusquam pergo, nostris Regibus debitum & consuetum cultum, volo Constantini exemplo defendere; nec ullus in posterum miretur si omnis ordo & sexus, genibus humi positis honorat Reges hujus Insulæ; quia, ut audisti, Constantino vivo mortuoque hoc obsequium debebatur, adeoque delatum est.

Euseb l. 4. c. 66.

Constantini funus.

Euseb. suprà c. 67.

Mos Angliæ Reges venerandi.

XV. Constantius funus deducit.

Aberant Constantini liberi; Constantinus alter, Constantius & Constans; cum ista circa Constantinum mortuum agerentur. Mansitque corpus, ut supra, donec efferendo paterno funeri, vel saltem filiorum unus adesset. Cæteris vicinior erat secundò genitus Constantius, qui, ut venit, piè decenterque deduxit funus. *Præibant turbatim militum cohortes*, loquitur Eusebius, *infinita hominum turba sequebatur. Imperatoris funus, hastatis & armatis militibus cingebatur. Vt verò ad Salvatoris nostri Apostolorum ædem ventum est, funus deponunt. Sic adolescens Constantius Imperator, cum præsentiâ suâ, tum reliquis rebus tanto homine dignis, omnia patri pietatis officia præstabat.* Mirarer profectò, si inter hæc filiorum civiumque officia, nullus pro demortui Constantini animâ rogavit Deum; cum ipse suprà speraverit, fidelium preces sibi mortuo profuturas, & Lactantius Firmianus hoc sæculo scripserit: *Sed & justos cum Deus judicaverit, etiam igni eos examinabit*, nimirum purgatorio igne l. 7. divin. Institut. sed & Athanasius quæst. q. 34. dicit peccatorum animas participare beneficia *ab exanguis immolatione & gratificatione pro ipsis facta, sicut solus ordinat & præcepit, qui vivorum & mortuorum potestatem gerit Deus noster.* Hactenus ergo honoris affatim, ac reverentiæ: affatim luctus & lacrymarum: prodeant aliqui pro Imperatoris animâ supplices Deo; vel transcribo ferè ætatem istam, urbemque novam in nuperam factionem. Nam solet etiam illa mortuos laudare, & fidem tam mirabilem;

Euseb l. 4. c. 70.

Num oratum pro mortuo? Vide n. 4.

ut

ut licet ſola ſit, illa tamen à culpa abſolvat mortuns omnes & à pœnâ, ita ut nullis egeant animæ ſuffragiis.

XVI. Oratum pro mortuo.

Sed hoc monſtrum fidei Conſtantini ætate incognitum fuit: nam, ut ſuprà fuſiùs; ſperabat ille refrigerium animæ, & fidelium preces pro mortuo impetrare poſſe. Sed & Eccleſia piiſſimo Imperatori, hoc etiam pietatis genere, adfuit. Nam pergit Euſebius: *Sed cum Conſtantius, cum reliquis militum cohortibus seceſſiſſet, aderant Dei Sacerdotes circumfuſi turba ac univerſo pietatis ſtudioſo populo, à quibus divinus per preces cultus habitus eſt.* Verùm non movebuntur ſectarii tam levi argumento, qui ad majora ſolent obſtinare animos. Dicent enimvero Sacerdotes laudaſſe Deum potius, aut oraſſe alia omnia, quàm ut Conſtantini animæ benè eſſet. Nec volent damnare nobiliſſimam Urbem, & cum eâ Græciam & Orientem omnem, ſuperſtitioſi cultus. Cæterùm velint, nolint, aut Romanam Eccleſiam debent abſolvere, cùm pro mortuis orat: aut calumniâ fictoque crimine ſuperſtitionis Conſtantinopolim, & ibi Eccleſiam omnem involvere. Nam audi quid Euſebius: *Iam populus frequens*, inquit, *una cum Sacerdotibus, non ſine lacrymis, & ſanè magna cum gemitu, preces pro anima Imperatoris Deo fundebant.* & audi rurſum num benè factum, & ex mente Conſtantini. *In quo* (pergit) *& illi gratum, atque optatum pia principi officium præſtabant: & Deus ipſe ſingularem benevolentiam, erga famulum ſuum oſtendit: quod poſt mortem, charis ejus & germanis filiis, patris ſui ſucceſſoribus, imperium donaſſet; & quem votis expetierit locum, unà cum Apoſtolorum memoria conſequutus eſt.* His adde ſi placet, quæ Cyrillus Hieroſolymitanus in Catecheſi myſtagogica ſcribit: *Pro omnibus*, inquit, *oramus, qui inter nos vita functi ſunt, maximum eſſe credentes animarum juvamen, pro quibus offertur obſecratio ſancti ſacrificii*, &c. quæ ſuprà poſui in contemplatione primi ſæculi num. 17.

Euſeb. l. 4. c. 71.

Euſeb. ſuprà.

XVII. Oblatum Miſſæ Sacrificium.

Unum supereſt, nec illud contemnendum: num à Sacerdotibus iſtis, qui funeri dicuntur circumfuſi; Miſſæ ſacrificium aliquod oblatum fuerit, pro animâ Conſtantini? nam ſi ita factum, antiquo aliquo, & oculato teſte: cur Inſula, hæc chariſſima Conſtantini patria, Sacerdotes proſequitur; quod idem incruentum ſacrificium offerant? aut quorſum hic Romanus ritus arguitur novitatis, ſi tam altum, tam antiquum, tam Auguſtum principium repetit? feſellit me certè Euſebius, vel qui Euſebium fecit latinè loqui, ſi pro Conſtanini anima non eſt oblatum Miſſæ ſacrificium. ita enim habet Author: *Nam adhuc quidem licet contemplari ter beata anima tumulum Apoſtolici nominis appellatione decorari, & ad Dei populum aggregari, diviniſq; ceremoniis, & myſtica ſacrificia, ſanctarumq; precationum ſocietate perfrui.* Sed non ſum falſus: nam ita ſaltem intellexit quiſquis diſtinxit Euſebii capita. Etenim ſeptuageſimum primum, unde prædicta verba, hanc habet epigraphem & argumentum: *Sacra ſynaxis in Apoſtolorum martyrio celebrata in mortem Conſtantini*: & ita Miſſæ ſacrificium hodiéque appellamus, ſed nec diviniores ullas cæremonias, nec aliud novit Eccleſia myſticum ſacrificium. Jam verò, ſi Conſtantinum aſpexeris deponi à Conſtantio filio, in novo illo & nuper ſtructo tumulo, inter Apoſtolorum reliquias collocato; idque ex ultimis ejus tabulis; ſi excuſſeris mentem ejus, & incredibilem fidei propenſionem, qua ſperabat precationum, quæ poſt mortem ibi ad Apoſtolorum gloriam offerendæ erant, participium; dicet profectò quiſquis mentis judiciique compos eſt, Romanæ fidei, illius, inquam, quæ hodie eſt, Conſtantinum egregium cultorem diſcipulúmque fuiſſe: & myſtico illo ſacrificio juvari poſt mortem voluiſſe. nec ſpero ibit inficias, Orientem omnem, cum Româ, quæ tunc erat, in ritibus omnino conſenſiſſe. Imo eant, per me licet, moderni, emetiantur hodie Oceanum, tranſeant Italiam, & urbem illam, quam oderunt: pergant porrò in Græciam & Orientem omnem; quantus quantus Chriſtianus eſt; quærant inter rudes illos, miſeros, & à Romanâ communione averſos homines, Græcos, Armenos, Ægyptios; invenient fortè monſtra aliqua, Neſtorii, inquam, Pelagii, Eutycheos, Arii, damnata olim dogmata: ſed illam fidei rerumque differentiam, atque diſtantiam, quam hodie in nobis calumniantur; Sanctorum cultum, Miſſæ ſacrificium, Purgatorias pœnas, precéſque pro mortuis, denique Tranſſubſtantiationem, tam clarè invenient, quàm Solem quis inveniet in meridie. Incurrent fortè in Aërium, qui hoc ſæculo docuit nec orandum pro mortuis, nec pro illis offerendum eſſe ſacrificium: ſed Epiphanium invenient alióſque ſexcentos, qui hæreſim illam notabunt. Deſinant ergo garrire in Baptiſtarum ritus, eóſque ut putant, ignominioſè, Romanos appellare: quia ſi vel parum excuſſerint lethargiam, oculoſque non omnino clauſerint; ubique terrarum cernent ea omnia, quæ invidioſiſſimè carpentes, Romanis imponunt.

Euſeb. ſup.

Eram in Urbe, ſub annum Chriſti 1619. cùm venit illuc ex remotiſſimâ Armeniâ, vir inter ſuos illuſtris, profeſſione monachus, dignitate inter Armenos, nemini ſecundus. Cauſa tam longinquæ profeſſionis, non alia, quàm ut Romam, & loca ſacra, totque Martyrum nobilitata ſanguine, ea more viſeret. Sed quoniam claudicare in fide Armenos notum erat; juſſus eſt vel errores deponere, ſolitâ fidei profeſſione: vel in hoſpitio quieſcere. Ille frontem primò obſtinarat, Catholicum ſe eſſe, doctum ab Apoſtolis, nec alia poſſe ſapere. neſcio quo caſu datum mihi à ſancto officio negotium, ut hominem de fide convenirem: ille officioſè me exceptum, vix patitur de negotio fidei quærere. Ego contrà, tam longinqui itineris cauſas ſciſcitari, per interpretem, quid rerum in Armeniâ ageretur? Qui Roma & ejus ritus placerent? cum alii in patriâ, & ab iſtis differentes? Ille primùm modeſtè ſubterfugere, probare omnia, de fide nihil reſpondere. Tum de Eccleſiâ ejuſque capite quærens, hoc tandem elicui, Romanam urbem benè à ſuo capite gubernari: nec minùs inquit benè Armeniam à ſuo. Ut Petrus, inquit veſtram, ita noſtram Bartholomæus fundavit: vos benè & religioſè Petrum Principem colitis; Cur nobis non liceat eodem modo Bartholomæum venerari? Sed doctus unius corporis unum caput eſſe debere; ut unus eſt in cœlo Deus, unus in orbe Sol, una Fides, & una denique Eccleſia: non porrò perrexit, & tandem faſſus eſt, ita omnino convenire. Magis laboratum ut infamem illum hæreticum Eutychetem condemnaret, qui in Chriſto negaverat duas naturas. Sed tandem acquievit, manuſque veritati dedit: & omnes urbis Eccleſiæ ſtatim illi patuerunt,

XVIII. Armenorum religio.

putaret Romanum hunc esse, qui Romanam Ecclesiam non agnovit Principem; sed magis sanctum, ut vocabat Eutychetem? & tamen cum se in his duo ·us eondem ·asset, cùm unum Ecclesiæ caput, & duas in Christo naturas agnovisset, nihil reliquum erat in quo nobis differret: Intravit Ecclesias, lustrali aquâ munivit se, & signo crucis, procubuit ad altaria, veneratus est sanctos, & eorum reliquias, confessus est sacerdoti peccata, &, ut nuper Constantinus, impositione manuum per precationem dignus est habitus: Denique Missæ sacrificium obtulit; nihil tamen horum in Urbe, sed hæc omnia foris doctus ab infantiâ. Quicquid autem de viro hoc dixi oculatus testis, eadem dici possunt de Græcis, iis, inquam, qui factionem adhuc tuentur, de Ægyptiis, de omni denique Oriente, ubi Christi nomen innotescat. Nam licèt ibi sit unius fortè articuli, aut paucorum differentia; in iis tamen quæ moderni urgent contra Romanæ Ecclesiæ ritus, nulla prorsus.

Sectariorum argumenta in Rom. Ecclesiam, ubique solvuntur.

XIX. Quod Romæ imputant, ab omnibus creditum.

Quamobrem misereri soleo Occidentis nostri; ubi pauci homines, in angulo orbis constituti, obstinaverunt linguam in ritus aliquos, sanctos illos, antiquos & omni ætate locóque creditos: eaio illos effutientes opprobria, quæ audire pudet. & interim plebi persuadent, se antiquam Ecclesiam revereri, & Romanam tantummodo superstitionem impetere: Cùm tamen, ut jam probavi, Constantinus in Græciâ, Helena in Palæstinâ; & alii denique in remotissimis constituti, eadem crediderint, fecerint, docuerint, & denique ad nos certa constantique traditione transmiserint. Nunc restat ut de Constantini funere dicamus; quid Occidens noster, & imprimis Roma, accepto mortis nuncio fecerit.

XX. Roma Cōstantinum luget.

Roma Constantinum mortuum, ceu primogenitum Ecclesiæ filium amarissimè flevit: & vel inde constat orthodoxum fuisse; ac eadem cum Urbe & Romanâ Sede sensisse. Eusebius cæteroquin io Urbe nominandâ, & laudandâ parcus; ingentem tamen Romanorum luctum, & Christianorum sine dubio describit, in hunc modum: *Ut verò Imperatorem vitâ functum esse, Senatus populusq; Romanus, ac tota Imperatoria civitas accepisset: tùm hac fama, nihil sibi gravius aut luctuosius accidere posse existimarent; nullum dolori & lamentationi modum statuebant. Nam balnea clausa, & fora publica; item spectacula summota, & præterea omnia, quæ per vita otium & tranquillitatem facere solebat animus pacatus, & nulla perturbatione impeditus. Nam qui ante omnibus lætitiis affluebant, nunc tristi & demisso vultu, in publicum procedebant: & omnes tamen beatum Imperatorem acceptumq; Deo, & verè imperio dignum prædicabant. Neque hæc voce tantùm, & clamoribus significabant: verùm etiam reipsa declarabant; cùm eum vitâ functum picta tabella tanquam vivum colerent. Nam cùm tali effigiem in tabellâ propriis coloribus expressissent: depingunt eum super cælestes orbes in æthereo cætu requiescentem. Iam liberos ejus, ii solos rerum Dominos & Augustos nuncupabant; adhibitisq; supplicibus vocibus, suum Imperatoris sui, ad ipsos efferre, & in Imperatoria urbe deponere cupiebant.* Ita Eusebius. Verùm ad corpus quod attinet: non est illud motum Constantinopoli; ut universus Orbis haberet aliquid, quo de hoc principe sidere gloriaretur. Oriens, ejus occasum habuit, Roma meridiem, auroram denique, ortumque vitæ ac fidei, Britannia. De

Eusеb. l. 4. c. 69.

eo igitur dici potest carmen illud, quod dictum de Orientis Apostolo:

Nascitur occiduus, sed Eois occidit oris.
Hoc tantum differt: cætera falsa habet.

Nisi mavis dicere ad laudem hujus Insulæ, omnem terrarum Orbem Britanniæ Helenæque obligatum esse; quod partum hunc mundo & Ecclesiæ felicissimum ediderit, protuleritque longè.

XXI.

Quod attinet ad nummos Constantini effigie percussos, plures illi fuerunt, & varii generis; Eusebius enim cap. 73. lib. 4. alium describit; qui *unâ parte*, inquit, *beatum hunc nostrum, obvoluta capite, repræsentabat: alterâ parte, quadrigis, instar aurigæ, insidentem; demissâ ibi cælitus manu dexterâ exceptum.* Habe hanc ejus effigiem è Baronio expressam: quo scias Constantinum ex hoc mundo in cælum evocatum.

Euseb. l. 4. c. 73.

Num. apud Baron. hic n. 10.





XXII. Britannia Constantinum colit.

Si nummi sensum nosse desideras, Baronius illum latè explicat. Britannia certè credidit illum ex hac vitâ ad meliorem transisse. Unde non tam luxit quàm coluit illum, scripsitque nomen ejus in Ecclesiasticis tabulis, ad diem vigesimum primum Maii, quod etiam Græci in Menologio & Gallicana quoque Ecclesia fecerunt. nam in Gallorum Martyrologio ita legitur: *Aurelius festum S. Constantini Magni Imp. a quo fundata creditur ipsius urbis primaria Basilica, sub veneratione sanctæ Crucis.* Ita ibi ad 21. Maii Solemnis apud Græcos extitit Constantini memoria: nam Manuelis Imperatoris Constitutio de feriis, ad vigesimum primum Maii feriari jubet: *Propter memoriam Sanctorum, & Apostolis parium, magnorum Principum, Constantini & Helenæ.* Addidit insuper Britannia in ejus honorem templa. Unum hodiéque extat in Ordovicum agro, Constantini adhuc nomen retinens. eò enim redacti olim Britanni, cùm Saxones provinciam invaserunt, piissimi Principis memoriam, structo ibi templo, transmiserunt ad posteros. Minuit Britannia luctum, cùm mortuus est Constantinus; quia ejusdem nominis filium, paternæ pietatis heredem, habere meruit principem; Constantinum, inquam, filiorum natu maximum, qui in imperii partitione obtinuit rexitque hanc Insulam de quo nunc dicendum: servato rerum & annorum ordine. priùs tamen Constantini fidem, & pietatem sigillabo insigni testimonio Leonis Papæ IX. Unde supradicta plurima confirmari possunt: ipsum præsertim in Romanâ & orthodoxâ fide mortuum. Scribit ergo ille ad Constantinum Monomachum ita: *Antiqua & jam emerita Roma, illum primum, nobilissimum & religiosissimum Constantinum; cujus genealogiâ gloriaris, & potentiâ magnificaris, cujusque de nomine dictam urbem famosam regis temporaliter; edidit, nutrivit, provexit, & super omnes mortales constituit; nec à beneficiis cessavit donec eundem æternâ regni gloriâ cumulavit.* & infrà: *Tu ergo magnus successor Magni Constantini sanguine, nomine, & imperio factus*

Apud Baron. an. 1054. n. 5.

Idem ibid. n. 7.

ut

ut fiat etiam imitator devotionis ejus, erga Apostolicam Sedem exhortamur: & quæ ille, mirabilis vir, post Christum eidem Sedi contulit, confirmavit, atque defendit: tu juxta tui nominis etymologiam constanter adjuva recuperare, retinere, & defendere.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1089.

ANNUS CHRISTI 338.

JULII PAPÆ 2.

CONSTANTINI JUN. IMP. 2.

I. Constantinus Britanniæ Imperat.

MORTUO Constantino, Romanum imperium in tres filios descendit: eos inter Constantinus (Junior dictus,) major natu, Britannias, Hispanias, Gallias, avitam scilicet hæreditatem adivit. Constantio secundo genito, Oriens, minimo natu Constanti, Italia obtigit. Sed fratrum concordia rara: & Constantinus putatur ægrè tulisse, fratres natu minores, majores se provincias obtinere. Unde fortè concessa illi Africa: ut ex edicto colligitur, de quo anno sequenti. Nam ratio instituti mei, hoc anno 338. Urso & Polemio Coss. est, magis de fide Constantini hujus, qui Britanniam administravit, quàm de regni ejus finibus disputare, & imprimis Christianum fuisse nullo modo dubitandum est; cum parens Constantinus, Christiani nominis tantus assertor fuerit. Solùm ergo quæri potest: num Arianus, an orthodoxus? Quoniam verò pestis illa, Orientem vix adhuc exuverat; facilè probari potest, Catholicum fuisse, & ab Arii factione aversissimum. Statim enim ut parentis voluntatem ultimam intellexit (nimirum anno altero à morte ejus, & Christi trecentesimo trigesimò octavo) nullâ morâ interpositâ, Athanasium, virum sanctum, & in fide incorruptum, Alexandrinæ Sedi restitui mandavit. scriptis ad id literis, ut testis est Theodoretus in hæc verba. *Divinus ille Athanasius, biennio integro, & mensibus quatuor, Treviris commoratus, revertit Alexandriam. Quo quidem tempore, Constantinus filius Constantini Magni, natu maximus, qui Galliæ versus Occidentem imperium obtinuit, literas scripsit ad Ecclesiam Alexandrinam.* Meminit harum literarum ipse Athanasius, qui eas recitaturus hæc præmittit: *Certè quidem Beatus Constantinus, memor scriptorum patris sui, dum nos patria restitueret, in hac verba epistolam misit.*

Princeps orthodoxus.

Theodo. l. 2. c. 2.

Athan. Apol. 2.

CONSTANTINUS CÆSAR, populo Catholicæ Ecclesiæ Alexandrinæ, S.

II. Scribit pro Athanasio.

NEQUE vestram sacram mentem latere arbitror; ideo Athanasium adorandæ legis interpretem, in Gallias missum esse; ne quo tempore sanguinolentorum hostium feritas, sacro ejus capiti, quam maximè imminueret; implicitusq; malorum tollimino, aliquid intolerandum, & cui remedium nullum esset, pateretur. Ad hanc igitur feritatem eludendam, tot fantibus inhiantium subtractus, ut sub me ageret, jussus est, ut omnibus rebus necessariis abundaret: tametsi ejus reverenda virtus, divina ope fretus, onera asperioris fortunæ vili penderet. Iam cum imprimis vestra in Deum pietati, suisq; sedibus hunc Episcopum, dominus noster & pater Constantinus restituere vellet; & humana sorte præventus, antequam hoc votum impleret, requieverit: Ego mihi convenire puto, ut suscepta voluntate sacræ memoriæ Imperatoris, id ipsum adimpleam, quod ille non potuit. Cum igitur Athanasius ad vestrum conspectum penetraverit; tunc demum intelligetis, quanta apud nos reverentia fuit. neque id mirum videri debet; si quid hujusmodi in ejus gratiam fecerim: ad hoc enim faciendum meam mentem vestri desiderii imago, & species tanti viri instigavit. Divina providentia vos servet dilecti fratres. Datum Treviris 15. Calend. Iulias.

III. Theodoret. l. 2. c. 2. Athanasius Alexandriam redit.

Cum istis Constantini literis, inquit Theodoretus, *S. Athanasius redit Alexandriam. Quem omnes, tum cives, tum rustici, tum nobiles, tum plebei, cupidè libenterq; excipiunt: exceptis solùm Arianis, quibus ejus reditus molestia, & angori fuit.* Ita ille. Qui addit, Eusebium, aliosque, suas omnes machinas de integro admovisse ad Athanasium oppugnandum. Ægrè etiam id tulit Constantius, in Oriente Imperator: sed quem sciebat in Magno Constantino absolutum, & à fratre Constantino restitutum: non est ausus oppugnare, præsertim cum Constans etiam Imperator, & frater, ab Athanasio staret: sed non sunt passi Athanasium, in Sede Alexandrinâ, diu quiescere, qui Arii factionem tuebantur.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1090.

ANNUS CHRISTI 339.

JULII PAPÆ 3.

CONSTANTINI JUN. IMP. 3.

I. Ariani Ro. Sedem appellant.

ANNUS Christi trecentesimus undequadragesimus, Consules habuit duos Augustos, Constantium secundò, & Constantem: quando Eusebiani quò Athanasium certiùs ferirent, Romanam Sedem appellarunt, missâ ad Julium legatione. Testatur hoc Athanasius in Epistola ad solitariam vitam agentes. *Eusebiani*, inquit, *videntes hæresim suam succumbere; & Romam & ad Imperatores, Constantinum & Constantem, contra Athanasium, scribunt.* Sed in Petram ut marini fluctus incurrerunt: nec illa poterat, ut olim sæculares viri, & aliarum sedium Episcopi, fallaciis deludi. Misit enim eò Athanasius; vel potiùs Alexandrina Synodus; scripsitque literas de quibus ipse in Apologiâ. *Hæc*, inquit, *Ægyptii ad omnes & ad Episcopum Romanum Iulium scripsère.* Ubi vides illius Sedis prærogativam esse, de summis viris primarum Sedium Episcopis, quantumvis longè positis, sententiam ferre. Quid inde factum in hac causâ, prosequuntur alii pluribus; ego paucis absolvam, quia festino in Britanniam: quò Imperatorem deducam.

Athan. Apol. 2.

II. Auditâ Eusebianorum oratione Julius, & Athanasii integritate cognitâ; illum è vestigio absolvisset; ni factiosi homines, spartam, quam semel nacti fuerant, ornare satagerent, cuperentque, ut olim Donatistæ, universali Episcoporum Synodo controversiam decidi. Descendit ad eorum preces, Julius: Romam undique Episcopi vocantur, ut inspectis omnibus, pro veritate decerent. Nec aliud in hac Synodo definitum; quàm Arium impium esse: ejus dogma, & dogmatis fautores habendos pro hæreticis: Athanasium, invidiâ potiùs, quàm verè accusatum, innocentem esse; nec ea commisisse crimina, quæ alii mentiti sunt:

ſed integræ fidei vitæque virum, eruditione magnum, & loco ſuo digniſſimum eſſe. nec alia crimina cum Sede expuliſſe damnaſſeque in Gallias: licet olim M. Conſtantinus Epiſcoporum clamoribus illum ſubduxerit. quod vel inde probari poteſt quia rebus quietioribus juſſit illum reſtitui: idque benè factum à Conſtantino filio. Hic Ariani cum omnia pro Athanaſio facere viderent; judicium ſubterfugiunt: & malunt Conſtantium in Oriente, quem dudum ad ſe traxerant, quam Julium & Romanam Synodum controverſiæ arbitrum eſſe. quod quis non videt, factionis genium eſſe, & hæreticorum omnium. ut infrà contemplabor, & unà Rom. urbis imperium. Nunc in Britanniam transeo viſurus quid ibi rerum agatur.

An. 400. 20.

III. NUM CONSTANTINUS JUNIOR IN BRITANNIAM VENERIT?

Fueritne quieta Inſula, à morte M. Conſtantini, & alteri Conſtantino obediens, poteſt eſſe dubium. nam aliqui affirmant Conſtantinum, cum fratre Conſtante, in Britanniam trajeciſſe, ibi pugnaſſe, & demum victoriâ potitos. Fundamentum hujus opinionis eſt, Julius Firmicus, qui de errore profanarum religionum ſcripſit, ad Conſtantinum & Conſtantem Auguſtos: (ita legit * Baronius) & capite vigeſimo nono affirmare videtur, utrumque Auguſtum, ſævientes Oceani noſtri undas calcaſſe. Verùm cum Julii Firmici liber, in magnâ Patrum Bibliothecâ, non ad Conſtantinum, ſed ad Conſtantium & Conſtantem Auguſtos inſcribatur: puto, non natu maximum, ſed ſecundò & tertiò genitum intelligi. Quod ſi Baronius invenit Conſtantini nomen, & non Conſtantii; meminerit Lector, quod ſuprà ſæpè oſtendi, Conſtantium, interdum Conſtantinum appellari. & imprimis à Julio Firmico, qui Matheſeon libros ſcripſit, ut dixi in patriâ Conſtantini. Si igitur Firmicus iſte, Conſtantinum ſcripſit, Conſtantium ſecundò genitum non primò genitum intellexit: & ille potuit, ut dicetur infrà, Britanniam terruiſſe. Cæterùm alter Conſtantinus, qui jure primogeniti Conſtantino ſucceſſit, in regnum Britanniæ; ſine controverſiâ à Britannis admiſſus, in illos nunquam pugnavit. Quid, eo occiſo, factum à Conſtante: cum jura regni, & imperii majeſtas læſa, videndum ſuo loco inferiùs. nam turbatâ Rep. ſæpè civium animi in diverſa feruntur.

** Baro. an. 337 n. 74. & 75.*

V. an. 273. 22.

V. an. 342. 1.

NON VIDETUR VENISSE.

IV. Eſt penes nos numiſma ita inſcriptum CONSTANTINUS JUN. NOB. cujus altera facies ita notatur: PROVIDENTIÆ CÆS. & infrà leguntur hæ literæ P. LON. unde colligo nummum Londini cuſum: ſed non poſſum inde certò colligere, Conſtantinum ibi fuiſſe cum cuderetur: vel cuſum ob ejus adventum aliquem, ſaltem poſt adeptum imperium. nam ibi non Auguſtus, ſed potiùs nobilis Cæſar appellatur, ut intuenti apparebit: & ecce illum.

Apud Camde. in num. XIX.



V. Data hoc anno lex à Conſtantino contra Magiſtratuum emptores, planè ſignificat Conſtantinum in Africam juriſdictionem exercuiſſe. Sic enim ſcribit ad Celſinum: *Rarum Carthaginis ſplendidiſſima Senatum, & exiguos admodum curiales reſidere conqueſtus es: dum univerſi indebita dignitatis inſulas fœda familiaris rei vexatione mercantur. Igitur iſtiuſmodi viri, demptis honoribus imaginariis hujuſcemodi illi erunt, quos fuerunt conſecuti: civicis muneribus ſubjugentur. Quod equidem per omnem Africam ſolertiſſimè ſervari oportet. Dat. VI. id. Ian. Trev. Conſtantio II. & Conſtante Coss.*

ANNUS URBIS CONDITÆ 1091.

ANNUS CHRISTI 340.

JULII PAPÆ 4.

CONSTANTINI JUN. IMP. 4.

ANNO Chriſti quadrageſimo ſupra trecenteſimum, Acindino & Proculo Coss. Conſtantinus Junior Imperator, apud Aquileiam, à Conſtantis fratris milite occiditur: an dolo Conſtantis, ut * Zoſimus tradit: an verò vitio ſuo, & proferendi imperii ambitione, non ita conſtat. Succeſſit in imperium ejus Conſtans frater; & eodem jure, ſi jure tamen, Britanniam obtinuit, & omne Occidentis imperium. Quamvis fortè Inſula, parricidium deteſtata, ægrè paruerit: de quo paulo inferiùs. Interim Vetranio ſub Conſtante Imp. Britanniis dicitur præfuiſſe, qui poſtea in Illyricum profectus, tyrannidem voluit occupare; ut infrà an. 350. 3. nunc quæ magis Eccleſiam ſpectant, percurramus. I. CONSTANTINUS IMP. OCCIDITUR. ** Zoſim. l. 2.* CONSTANS IMPERATOR BRITANNIÆ.

In hæc tempora incidit S. Gudwalus; in Britannia, ſed ignotæ ſedis Epiſcopus, quem etiam aliqui Archiepiſcopum vocant: de quo Surius, & eum ſecuti Franciſcus Haræus, Lippelous, & alii, Molanus etiam in additionibus ad Uſuardum, Myræus in faſtis, & denique Capgravius ac Martyrologia ferè omnia, è quibus quis qualiſve fuerit breviter oſtendam. Nihil tamen poſſum certò definire de anno quo natus, vel quo mortuus ſit. Licet noſtrum Martyrologium ad 22. Februarii, aliquando dixerit illum in magnâ ſanctitate quieviſſe in Domino circa annum Chriſti trecenteſimum quadrageſimum: ideo huc illum referimus: quamvis idem Martyrologium ad ſextum Junii mortuum ponat, circa annum Chriſti quadringenteſimum tertium. Priorem igitur Martyrologii locum & Jacobum Malbrancq ſequutus, S. Gudwali vitam hîc compendio recitabo. II. S. GUDWALUS EPISCOPUS. *Sur. to. 3. 6. Iunii. Haræus ibi. Lippel. ibi.* *Malbrancq in Chro. to. 2. de Morinis fo. 145.*

III. EIUS VITÆ COMPENDIUM. *S. Gudvvalus* (ita Haræus poſt Surium) *in Britanniâ ortus, parentes & cognatos habuit, generis nobilitate inſignes; qui ubi ad viriles pervenit annos, Levita & Sacerdos ordinatus, cœpit prodere ſapientiæ à teneris annis acquiſitæ theſauros: quos & quoſdam ita veri ſolis radiis inflammavit; ut ipſi quoque alios, & illuſtrandis & inflammandis idonei facti ſint. Factus Epiſcopus, quò altiùs in populo Dei caput extulit; eò latiùs de ſe ſparſit ſanctæ converſationis odorem: & quamdiu quidem Sacerdotio functus eſt, opus gratiæ ſuæ, per illum magnificè declaravit Spiritus ſanctus, omni Clero populoq; lætante. Erat autem illi amplum patrimonium, ſed ille faſtidiens opes, & copias omnes labentis vitæ, quicquid habuit facultatum, Eccleſiæ Chriſti elargitus eſt.* ita ibi. Addit noſter FIT EPISCOPUS.

Capgravius in vita Gudvvali.

Capgravius S. Gudwalum in Britanniæ finibus ortum, ex oobili prosapiâ, eo tempore, *quo se mucro furoris Domini à terrâ illâ suspendit quam eo usque gladio, fame & peste afflixit.* Intelligit fortè Diocletiani persecutionem in Britanniâ, S. Albani, aliorumque Martyrium: quando revera Insula gladio, & miseriis subdita, vehementer gemuit. Quod si tunc natus est, meliùs obiisse ponitur hoc anno 340. quam sequentis sæculi anno tertio.

IV. *Cernens Gudvvalus, etiam curâ pastorali* (pergit Haræus) *ceu catenis quibusdam sæculo se illigari; quàm primùm potuit illa se penitùs expedivit. Itaque summo pastori, & deinde idoneo substituto successori, Ecclesiam commendans, suæ Diœcesis quoddam Monasterium petiit: ubi & vitam monasticam, imo angelicam vixit. Erat autem Monasterio illi propinquum mare, in cujus sinu rupem vastam extare videns vir sanctus; quo secretiùs uni Deo vacaret, eò quoque postea se confert; discipulos illic colligens ad centum octoginta octo. cui sanctæ multitudini cum loci angustia ægrè sufficeret, vir beatus cum Deo tractans, magnaq; Dei fisus potentiâ, cum mare, suo more, recedens vasta illic arenarum spatia retecta relinqueret; virga, quam manu gestabat, certa arenis vestigia imprimens, in Christi nomine præcepit undis, ne illa unquam transgrederentur. Vidisses ad eas voces S. viri indomabile Pelagus mitescere, suos cohibere impetus, tumores remittere. & certè in hunc usque diem leges sibi præfixas mare transgredi non audet. Iam vir sanctus, mundo, & omnibus quæ hic mundus auferre potest, amicisq; suis valefecerat, planeq; mundo crucifixus erat; atque adeo etiam animam suam perfectè oderat; nec tamen his contentus, semper perfectiora meditabatur. Itaque communicato cum fratribus consilio; ex illâ Insulâ peregrè constituit proficisci. Interim septem apparavit navigia, atque ea, non multo post, cum omnibus fratribus ingressus, dat se itineri: denique prospero cursu, ille Domini exercitus ad terras delatus est.* Hæc Author.

MONASTICAM VITAM PROFITETUR;

PEREGRE PROFICISCITUR.

V. IN BELGIUM

Quærendum hic esset, in quas terras delatus sit S. Gudwalus. Nam nec Surius, nec Capgravius illas nominant, solùm dicunt in illis terris Mevorum quendam Christianæ religionis cultorem, paternas ibi sedes habuisse. qui indigenarum infestatione compulsus, repetere nativum solum, Corminiam pacis studio se suamque domum transtulerit: verùm cum Jacobus Malbrancq Mevorum hunc Morincosem faciat & Corininiam, nunc Cornon vocet, sesquilapide dissitum Monstrolio; dicamus Gudwalum, è Britanniâ, in Belgium, ad Morinos profectum, ut fasti nostri innuunt; Christianam fidem, addo & sanctioris vitæ perfectionem docuisse. Cui Mevorus agrum concessit, & paternas sedes, ad Monasterii fundationem. nam ita sequitur in ejus vitâ. *Mevorus, ubi patrem Gudvvalum, in ejus fines ingressum audivit, magnas planè Deo gratias egit. Atque ita scilicet confirmatus est regius ille fiscus, Ecclesiæ; quam in sua peregrinatione, hic inclytus Pontifex, præclarus eremita, & cœnobitarum Dux egregius fundavit. Ubi quoque degens magna de se præbuit virtutum exempla præsentibus; sicut & odorem suavissimum sanctæ famæ absentibus.* Hæc ibi. de vitâ ejus.

Malbrancq de Morinis l. 2. c. 17.

MONASTERIUM FUNDAT IN MORINIS,

VI. ET MIRABILITER DOTATUR.

Priusquam Monasterium illud integrè dotatum esset, hoc à Gudwalo mirabiliter factum narratur. Mevorus senio confectus, & conjuge effætâ, sine liberis erat: cum ecce intempesta nocte, matronæ in somnis Gudwalus adstitit, nasciturum filium pollicitus: quem illa Simeonis nomine, parens alter eruditione insigniret. Spondet Mevorus, nasciturum inde filium, cum omni hæreditariâ possessione, Monasterio transcribendum. votis omnium eventus respondit: filius Mevoro nascitur, Simeon appellatur, literis imbuitur, Monachus efficitur: & tum demum prædia & fiscus regius, ad Gudwalum transeunt & in Monasterii bonis numerantur. Fortè pagi illi, in Flandriæ provinciâ, propè Ipras, qui hodie Gheluvelt, & Geluwe dicuntur, ut in Gudwali jus, ita nomen quoque concesserunt: nam nominis ejus, non obscura vestigia sunt: & certè cum Flandria mortuum coluerit, per multa jam sæcula; non est vero absimile, ipsum in Flandria Monasterium extruxisse; vixisse plures annos; atque ibi virtutis ac sanctitatis suæ argumenta reliquisse. An ibi etiam mortuus & sepultus sit, jam quærendum, si priùs quæ mortem præcesserint, paucis ostendero.

VII. DE MORTE ADMONETUR

Quamdiu Gudwalus in Flandriâ vixerit, incertum est: sed ibi mortuum constat ex Authoribus suprà nominatis; qui etiam addunt, eum, è cælo monitum, doctumque non semel, de tempore & horâ mortis: doctum, inquam, ab Angelis, & Angelorum principe Michaele Archangelo: ita enim Capgravius, aliique recitant: *Apparuit ei Angelus Domini jucundo aspectu, de cælo delapsus dicens: Athleta Dei inclyte, gaudium Domini tibi semper accrescat, & pax ejus tecum permaneat. Esto paratus, quia post modicum divina vocatione, hinc transiturus, Regi tuo cum palmâ victoriæ eris occursurus. Diuq; cum eo moratus ille superni Regis nuncius, soli Deo notam suavitatem eructavit mellifluam. Aliâ vice apparuit ei Angelus Domini dicens: Ego sum, inquit, Michaël Archangelus, legatione Domini mei functus, ex ipsius imperio, quæ tibi in proximo sunt ventura, innotesco. Ecce horam transitus tui renuncio. quia ab hinc solari orbitâ decies in se revolutâ, de carnis ergastulo lætus exibis, & mundi hujus carcerem liber evades. Occursurus igitur Regi tuo, inæstimabili lætitiâ procedes; qui te nostro subvectum auxilio, cum gloriâ suscipiet, & civem angelicum sibi in regno suo conscribet.* Hactenus ibi. Moritur itaque sexto Junii, & beatam animam Michaël Archangelus Deo præsentavit. morienti adfuisse scribitur mater, & sorores etiam quæ miraculorum luce adductæ, in humiles preces descendunt; liceat ipsis, corpus ejus ad natale solum, è peregrinis oris asportare. Quid inde factum, non est obvium dicere. Putatur tamen translatum corpus in Insulam Plet, ut habet Haræus, quam Capgravius Plecit vocat; ibique honorificè sepulturæ mandatum.

Capgrav. in Gudvvalo.

MORITUR

VIII. TRANSFERTUR IN FLANDRIAM.

Verùm cum infideles sanctorum sepulchra in Britanniâ demolirentur; Britanni fideles, hujus sancti corpori timentes, illud in Flandriam transtulerunt, ut certò proditur in ejus vitâ, ubi sic legitur. *Obiit vir sanctus octavo Idus Iunii, in Insulâ Plet sacro ejus corpore tumulato; ubi & multo tempore conditum mansit, multis coruscans miraculis donec postea barbaris incursantibus; cum complures Britanni, relictis avitis sedibus, in exteras regiones dispersi sunt: etiam fratres Monasterii supradicti; asportato sacro corpore, mare quod Britanniam à Gallis separat, transfretantes in Franciam pervenere: eamq; perlustrantes, cum sacro pignore. Unde odores mirifice fundebantur: tandem ad monasterioli castrum appulerunt. Ubi quia non eo, quo par erat honore, afficiebatur: Arnulphus inclytus Marchio, multorum*

Haræus 6. Iunii.

saluti divinitus destinatus; Blandinium illud transferendum curavit, unà cum reliquiis, nullo pretio æstimandis, egregii Confessoris Bertulphi. Quæ translatio facta est tertio Nonas Decembris, Clothario apud Francos sceptra regni moderante. Hæc Author, & hujus translationis, non solùm nostrum, sed & Gallicanum etiam Martyrologium meminit, ut dicam pluribus eo anno quo facta est, nempe 956.

IX. GANDAVI QUIESCIT. Gandavi adhuc thesaurus iste quiescit, in Blandiniensi Monasterio: quo sanctus Gerardus Bromiensis Abbas illud advexit. Porrò urbs illa, Flandriæ caput, nostris olim persecutionem fugientibus videtur asylum fuisse. nam ut alios taceam, S. Dunstanus, eo ferè tempore, quo Gudwali reliquiæ eò pervenerunt; (nimirum anno Christi 956.) à Rege Anglorum Edwio vexatus, mare transiit, & ab Arnulpho illo Marchione, cum honore susceptus; in Monasterio eodem mansit, exilii sui tempore. Fortè hujus sancti reliquiis & odore allectus, elegit illam sedem in solatium exilii: quod hodieque faciunt aliqui, qui fidei causa coguntur Angliam relinquere, ut alibi sanctiùs vivant, utriusque sexus homines, donec hyems transeat, & flores, ut olim, appareant in terrâ nostrâ. Solemne est Gandavensi urbi Gudwali corpus, ipso ejus depositionis die, publicè quotannis & religiosâ cæremoniâ circumferre: quo tempore facta esse miracula nimirum anno 1643. & anno 1084. narrat Capgravius. quæ omitto.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1092.

ANNUS CHRISTI 341.

JULII PAPÆ 5.

CONSTANTIS IMP. 2.

ANNUS Christi trecentesimus quadragesimus primus, Marcellino & Probino Coss. Secundus fuit Constantis imperii, super Britannos, & Romani imperii quintus. Britanni porrò, qui Galliarum motus communiter sequebantur, MOTUS IN BRITANNIA. non videntur statim Constantem admisisse. nam hoc anno (ut notat Gordonius) Franci in Gallias irrumpentes, servitutem solverunt, & traxerunt secum vicinam provinciam. quod traxit etiam Constantem Imperatorem in Britanniam, ut mox dicetur. Interim absente Athanasio, & Romæ causam agente, Gregorius eligitur Alexandrinus Episcopus.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1093.

ANNUS CHRISTI 342.

JULII PAPÆ 6.

CONSTANTIS IMP. 3.

I. CONSTANS IMP. IN GALLIIS. AGEBAT in Pannoniis Constans Imperator; & intellecto Gallos novis rebus studere, ad illos premendos descendit, & feliciter rem confecit. nam ita breviter expeditionem hanc refert Paulus Diaconus: *Eodem tempore* (Gordonus nominat annum Christi trecentesimum quadragesimum secundum, & Constantium tertiò & Constantem secundò Coss.) *Rempublicam contigit valdè turbari. Gens namque Francorum, circa Gallias constituta, Romanis erat infesta: quam Constans oppressit, & Romano imperio subjecit.* Paul Diaco. l. 11. c. 18. A Gallis Britanni steterant, & ad eos quoque premendos videtur Constans sub finem hujus anni in Britanniam descendisse, eamque, ut nuper Galliam, sibi subjecisse. CONSTANS IN BRITANNIA. Sic colligunt Authores nostri, ex Julio Firmico, qui hoc ipso tempore librum scripsit de errore profanarum religioonum; & cap. 29. ita Constantem Imperatorem alloquitur. *Post excidia templorum, in majus, Dei estis virtute profecti, vicistis hostes, propagastis imperium: & ut virtutibus vestris gloria major accederet, mutato ac contempto temporum ordine, hyeme, (quod nec factum est aliquando, nec fiet) tumentes ac sævientes undas calcastis Oceani, sub remis vestris. Incognitæ jam nobis penè maris unda contremuit, & insperatam Imperatoris faciem Britannus expavit. Quid amplius vultis? virtutibus vestris victa elementa cesserunt.* Firmicus de error. profan. relig. c. 29.

II. NON VENIT UTERQUE IMPERATOR. Hinc passim Authores nostri, Camdenus, & Spedus, inferunt; utrumque Imperatorem, Constantium, inquam, & Constantem in Britanniam venisse: vel quia, ad utrumque, ab Authore, liber inscribitur: vel quia plurali numero utrumque alloqui videtur. Sed infirmior hæc conjectura est, & mihi ferè certum, unum Constantem, vel certè, qui ejus locum suppleret, cum exercitu trajecisse. Cur enim Constantius, in Oriente occupatus; ubi Persa graviter imperio imminebat; neglectâ ibi republicâ, ad fratris dilatandum imperium, in remotissimum Occidentem descenderet. Nec, inscriptio libri, aut numerus pluralis, sententiæ contrariæ suffragatur: quia numerus ille Majestatem decet, & singulariter etiam Firmicus dicit; *ob insperatam Imperatoris faciem* Britannus expavit: quo planè significat unum tantùm advenisse ducem exercitus. nam si Marcellini locus expendatur, quem infrà refero (ad an. 360. n. 1.) non Constans, sed legatus potius ejus advenit. vide Libanium in Basilico. Firmicus hic alius est, ab eo qui scripsit Astronomica, & dicitur in Bibliothecâ magnâ sanctorum Patrum, ad differentiam alterius, illo paulò senior: quod ideò notandum suprà dixi, pro patriâ Constantini. Si enim hic senior Firmicus ad Constantium & Constantem Augustos, librum scripsit, illique eo scribente imperarunt, ut modo audivisti: non potuit Junior Firmicus (ita ille appellatur in magnâ Bibliothecâ) M. Constantini tempore scripsisse.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1094.

ANNUS CHRISTI 343.

JULII PAPÆ 7.

CONSTANTIS IMP. 4.

HOc anno trecentesimo quadragesimo tertio, Placido Romuloque Coss. Constantius Imperator in Oriente tumultuantes in Christianos Persas vincit ac triumphat, inquit Cedrenus. CONSTANTIUS PERSAS VINCIT. Quod Gordonius ad hunc annum refert: &

quicquid

quicquid sit, Constantius non videtur ab excessu patris Occidentem adhuc nostrum vidisse: ita continuis in Oriente barbarorum moribus vexatus est. quo supradicta firmantur, quod Britanniam non intraverit. Nunc ad Britannorum Fidem & Ecclesiam transeo.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1095.
ANNUS CHRISTI 344.
JULII PAPÆ 8.
CONSTANTIS IMP. 5.

Concilium Antiochenum.

QUANTUMVIS Ariana hæresis, ubique in Oriente, fautore Constantio, vires collegerit, & Athanasius causâ ibi laboraret; alii tamen qui Occidentem incolebant Nicænam fidem integerrimè secuti sunt, Constante Augusto, Athanasium & Nicænam Synodum defendente. Hinc factum, ut Ariani Antiochiæ congregati, novam Fidei professionem formantes, illam Occidenti obtrudere conati sint, anno Domini trecentesimo quadragesimo quarto, Leontio & Salustio Consulibus. Sed noluit Occidens apicem unum, à Nicænâ Fide differentem, admittere. Testatur hoc Socrates, licèt perperàm dicat, ob ignorantiam græcæ linguæ, formulam illorum Fidei non esse admissam. *Triennii spatio interjecto Episcopi versus Orientem Concilium denuò convocant: aliam Fidei formulam componunt: Episcopis Italiæ,* &c. *mittunt:* & recensitâ Fidei formulâ, mox addit: *Ista Episcopi, qui partes versùs Occidentem accolebant, tum quod linguæ græcæ ignari erant; tum quod ea propter eandem causam non intelligebant, neutiquam recepere, sed Fidem in Concilio Nicæno stabilitam satis esse, nihilq; ulteriùs curiosè vestigandum dixere.* Unde pro Britannorum Fide, & Ecclesiâ concludo: puram illam & incorruptam adhuc mansisse. quod benè Baronius de omni Occidente pronuntians; *Ariani,* inquit, *malè audiverunt, apud omnes Catholicorum Ecclesias. Præsert im verò apud Occidentales, penes quas nullum adhuc serpserat virus hæresis Arianæ.*

Socrates l. 2. c. 15.

Britannorum Fides incorrupta. *Baron. hic n. 5.*

ANNUS URBIS CONDITÆ 1096. 1097.
ANNUS CHRISTI 345. & 346.
JULII PAPÆ 9. & 10.
CONSTANTIS IMP. 6. & 7.

Omnis Occidens orthodoxus.

HIs duobus annis, nihil aliud occurrit instituto meo proprium, quàm quòd omnis Occidens ac proinde Britannia, pro Athanasio & Nicæna Fide defendenda laboraverit: nimirum anno 345. Amando & Albino Coss. & sequenti 346. post dictorum Consulatum, & tandem, quo controversia omnis sopiretur, Concilium indixit, apud Sardicam urbem Illyrii. Quò, quia Britanniarum Episcopi ivisse, & pro Athanasio, & Orthodoxâ fide dixisse ibi affirmantur; illuc mihi etiam properandum est, ut Britannorum inde Fidem certo argumento colligam.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1098.
ANNUS CHRISTI 347.
JULII PAPÆ 11.
CONSTANTIS IMP. 8.

I. Cōstans Imp. ... A ...

CONSTANS Imperator, & orbis noster, indignissimè tulit, insignem eruditione & sanctitate virum, spoliari sua sede, injuriis Arianorum; qui nuper in Oriente, quà favore Principis, quà publicis privatisque circulis, factionem auxerant. Scribit ergo Constans ad Constantium fratrem, & orat; in re gravissimâ, ubi Fides & Ecclesiæ periclitantur, innocentiæ veritatique locus sit. *Hortatur etiam* (inquit Theodoretus) *ut hæreditatem pietatis paternæ, integram inviolatamq; servaret. Illum enim imperium pietate stabilivisse; tyrannos, qui Romanos oppresserant, profligasse; & barbaros undique in suam potestatem redegisse. Quibus literis persuasus Constantius, mandatum dedit, ut Episcopi tum Orientis, tum Occidentis, Sardicam, quæ est, in Illyriâ urbs gentis Daciæ primaria, adventarent. Nam aliis multis morbis vexabatur Ecclesia, ad quos curandos, Concilium necessariò requirebatur.* Hæc ibi.

Theodor. l. 2. c. 5.

II. Concilium Sardicense. *Sozom. l. 3. c. 11.*

Itaque, Ruffino & Eusebio Consulibus, anno Christi trecentesimo quadragesimo septimo, celebrata est Sardicensis Synodus: *ad quam convenerunt* (inquit Sozomenus) *ex urbibus, versùs Solis occasum sitis, Episcopi numero circiter trecenti: ex Oriente autem septuaginta sex.* Unde magnum argumentum est, aliquos ex Insulâ nostrâ, quæ maximè ad Occidentem sita est, Sardicam ivisse, qui Athanasium absolverunt. nam ille in Epistolâ ad solitariam vitam agentes testatur, Occidentis Episcopos, Sardicæ congregatos, innocentiam suam exploratam habuisse atque probasse. & infrà, Occidentalium Episcoporum seriem texens, ex Galliâ triginta quatuor adfuisse affirmat. & Galliæ nomine, Britanniæ quoque Episcopos intelligit, ut Baronius ostendit: quod & sæpè fieri suprà dixi: sed hic Athanasius ipse illud confirmabit. nam in Apologiâ dum eos succenturiat, qui Synodo subscripserunt, hæc habet. *Iterum in magno Sardicensi Concilio, ad edictum religiosissimorum Principum Constantis & Constantii; in quo judicio ita ceciderunt adversarii, ut habiti pro calumniatoribus, depositionem exauctorationemq; ordinis sui retulerint: nostram verò innocentiam, plures quàm trecenti Episcopi, suis calculis comprobarunt. Qui ex multis provinciis Ægypti, Lybiæ, Pentapoleos, Palæstinæ,* &c. *Hispaniarum, Galliarum, BRITANNIARUM, sed eò ad Concilium contulerunt.* Ita Athanasius. Quinam hi fuerint è Britanniâ, aut quomodo vocarentur, ipse tacuit, & nemo hactenus ausus est conjicere. Id unum certum est, quicunque demum illi fuerint, in Fide cum cæteris ac decretis omnibus consensere: & probatum est ab omni Insula, quicquid illi probaverunt. Restitutum Londinensem adhuc superstitem, & Synodo adfuisse, ideo constat; quia Athanasius non solùm ait convenisse Episcopos ἐκ Βρεττανίας Ἐπαρχίας: sed Restitutum inter eos nominat; Apol. 2. tom. 1. pag. 720. 756. 767. edit. Paris. 1627. Ita Seld. Com. in orig. Euty. fol. 123.

Athan. ad Solit. agent.

Britanniæ Episcopi.

Baron. hic n. 5.

Athanas. Apol. 2.

III. Acta Synodi.

Quod Acta Synodi spectat, non tantùm absolutus est Athanasius; sed insuper decretum:

licere ſemper, & ubique, ab aliorum Epiſcoporum ſententiâ, ad Romani Pontificis provocare. nam ita loquitur Canon tertius: *Oſius Epiſcopus dixit: illud quoque neceſſariò adjiciendum eſt*, &c. *Si aliquis Epiſcopus judicatus fuerit in aliquâ cauſâ; & putat ſe bonam cauſam habere; ut iterum Concilium renovetur: Si vobis placet, S. Petri memoriam honoremus, ut ſcribatur ab his, qui cauſam examinârunt, Julio Romano Epiſcopo: & ſi judicaverit renovandum eſſe judicium, renovetur, & det judices. Si autem probaverit talem cauſam eſſe, ut non refricentur ea quæ Acta ſunt, quæ decreverit Romanus Epiſcopus, confirmata erunt. Si ergo omnibus placet, ſtatuatur. Reſpondit Synodus: Placet.* Et ſine dubio Britanni Epiſcopi reſponderunt, Placet: & illam Sedem tam devotè agnoverunt, quàm olim Lucius, inde Conſtantinus, & demum omnis Inſula. Antiquiſſimam porrò Eccleſiæ conſuetudinem fuiſſe, ut Preſbyteris & Epiſcopis integrum eſſet, ad Romanam Sedem provocare, Leo Pontifex conſtantiſſimè defendit, & Petro Apoſtolo, ejuſque reverentiæ ac honori id dandum eſſe, ita ſcribit: *Nobiſcum itaque veſtra fraternitas recognoſcat, Apoſtolicam Sedem, pro ſui reverentiâ à veſtra etiam provinciæ Sacerdotibus, innumeris relationibus eſſe conſultam: & pro diverſarum (quemadmodum conſuetudo poſcebat) appellatione cauſarum, aut retractata, aut confirmata fuiſſe judicia.* & infra. *Hunc tramitem ſemper inter majores noſtros, & benè tentum, & ſalubriter conſtitutum, Hilarius Eccleſiarum ſtatum & concordiam Sacerdotum novis præſumptionibus turbaturus acceſſit: ita ſuæ vos cupiens ſubdere poteſtati, ut ſe, Beato Apoſtolo Petro, non patiatur eſſe ſubjectum.* Ita Leo univerſis Epiſcopis per Viennenſem provinciam conſtitutis, in Hilarium Arelatenſem Epiſcopum; qui *poſtea reſipuit*, inquit Bellarminus, *& multis virtutibus clarus, ſanctâ fine quievit.*

Can. 3. Conc. Sardicenſ.

Rom. Sedes in dubiis appellanda.

Leo Epiſt. 89. c. 2.

Bellar. de ſcrip. in Hilario Arelat.

IV. Undique Romam appellant etiam hæretici.

Univerſalem hunc morem appellandi Romanam Sedem probavit ſemper orthodoxus orbis: hæretici etiam, quò honeſtiùs errores ſuos tuerentur. Ita Marcion provocavit ad Pium eo nomine Primum Pontificem: ad Cornelium provocaverunt ex Africâ Fortunatus & Fælix. Ad Stephanum quoque Baſilides, in Hiſpaniâ depoſitus, appellavit. Denique hic, tam Ariani, quàm Athanaſius ipſe, Romani Pontificis ſententiam implorârunt. Licèt factioſi, hoc anno, Sardicam venientes, difficiles primò, inde refractarii, ſententiæ Synodi & Legatorum Romani Pontificis acquieſcere timentes, inde receſſerint; ne lydio illo lapide ſcoria probarentur. Hæc tergiverſatio Sardicenſibus Patribus admodum diſplicuit; & graviter ſanxerunt, ne moto Epiſcopo à Sede ſuâ, ſubſtitueretur alius (quod factum fuerat in cauſâ Athanaſii) ſi depoſitus Romanum Pontificem appellaſſet. quo etiam canone prioris Canonis legem de appellatione, plenam ſanctitatis ſententiam vocant atque confirmant. Ita igitur ad ea, quæ Oſius ſuprà dixit, alter addidit (referunt Magdeburgenſes Canone quinto, alii Canone quarto, Gaudentius Epiſcopus dixit. *Addendum ſi placet, huic ſententiæ, quam plenam ſanctitate protuliſti, ut cùm aliquis Epiſcopus depoſitus fuerit, eorum Epiſcoporum judicio, qui in vicinis locis commorantur: & proclamaverit agendum ſibi negotium in Urbe Româ: alter Epiſcopus, in ejus cathedrâ, poſt appellationem ejus, qui videtur eſſe depoſitus, omnino non ordinetur; niſi cauſa fuerit in judicio Romani Epiſcopi determinata.* Ita ibi.

Sard. Conc. can. 4.

Quantum porrò hæc ſancta & œcumenica Synodus, & cum eâ Britanniarum Epiſcopi, Romanæ Sedi detulerint; patet ex alio Canone, qui ita facit loquentem Oſium: *Oſius Epiſcopus dixit. Placuit autem ut ſi Epiſcopus accuſatus fuerit; & judicaverint congregati Epiſcopi regionis ipſius, & de gradu ſuo eum dejecerint: Si appellaverit, qui dejectus eſt, & confugerit ad Epiſcopum Romanæ Eccleſiæ; & voluerit ſe audiri, ſi juſtum putaverit ut renovetur judicium, vel diſcuſſionis examen; ſcribere his Epiſcopis dignetur, qui in finitimâ & propinquâ provinciâ ſunt; ut ipſi diligenter omnino requirant, & juxta fidem veritatis definiant. Quod ſi is qui rogat, cauſam ſuam iterum audiri; deprecatione ſuâ moverit Epiſcopum Romanum ut è latere ſuo Preſbyterum mittat: erit in poteſtate Epiſcopi, quid velit & quid æſtimet. Et ſi decreverit mittendos eſſe, qui præſentes cum Epiſcopis judicent, habentes ejus authoritatem, à quo deſtinati ſunt, erit in ſuo arbitrio. Si verò crediderit Epiſcopus ſufficere, ut negotio terminum imponant: faciet quod ſapientiſſimo conſilio judicaverit.* Hactenus Canon.

Ibidem Can. 7.

Nec novum hoc Sardicenſis Concilii decretum eſt, Romani Pontificis judicium expectare: nam priùs ad Antiocheni Concilii Patres Julius ſcripſerat Ro. Pontifex: *Eos contra Eccleſiæ Canones egiſſe* (ſunt verba Socratis) *quod illum ad Concilium non vocaſſent: quippe cùm Canon Eccleſiaſticus vetet, ne decreta abſque ſententiâ Epiſcopi Romani Eccleſiis ſanciantur.* Intelligit fortè Nicæni Concilii Canonem, qui in Codice Arabico eſt numero trigeſimus nonus; & ita loquitur. *Patriarcha poteſt diſponere, ut ſibi videtur in provinciis, quæ ſibi ſubſunt. nam is poteſt omnibus Epiſcopis ſua ditionis; ſicut ille qui tenet Sedem Romæ caput eſt, & princeps omnium Patriarcharum: quandoquidem ipſe eſt primus; ſicut Petrus cui data eſt poteſtas in omnes Principes Chriſtianos, & omnes populos eorum; ut qui ſit vicarius Chriſti, ſuper cunctos populos, & cunctam Eccleſiam Chriſtianam: & quicunque contradixerit à Synodo excommunicetur.* Ita Canon. Qui hodiéque in orthodoxâ Eccleſiâ ſervatur: & videtur tantum ſexti Canonis ejuſdem Synodi major explicatio. Sed Sardicam redeo.

V. Id olim etiam decretum.

Socrates l. 2. c. 13.

Ibi Patres, cum ſeriò caverent; ne paſſim Epiſcopi ad *Comitatum* pergerent (intelligunt ea voce Imperatoris curiam) niſi ab eodem vocati; optimè definiverunt, quid illis faciendum eſſet, qui pietatis aut negotiorum causâ Romam venirent. Nimirum ut inconſulto Rom. Pontifice, nullius rei procurationem ſuſciperent. quod quia de nullâ aliâ ſede cautum eſt, id Petro Apoſtolorum Principi, illiúsque Eccleſiæ eminentiæ datum eſt. Ita Canon habet numero decimus: *Si verò Romam venerit* (*ſuggeſſit hoc Gratus Epiſcopus Carthaginenſis*) *ſanctiſſimo fratri, & Coepiſcopo noſtro Romanæ Eccleſiæ, preces quas habent, tradant: ut & ipſe prius examinet, ſi honeſta & juſta ſunt; & præſtet diligentiam, atque ſolicitudinem, ut ad Comitatum perferantur. Univerſi dixerunt, placere ſibi, & honeſtum eſſe.* Hinc facilè eruitur Britannorum Eccleſiæ fides, quam Epiſcopi Inſulæ dictaverunt: quæ non alia fuit, ab ea quæ Lucium genuit Chriſto. Cauſa etiam eruitur, quæ dictum Lucium movit præteritis aliarum provinciarum Epiſcopis, Romanum appellare, ab eoque fidem petere: & fruſtra ſectarii aliud cauſantur & commenti ſunt. Quod quia ſuprà pluribus expoſui, hîc tantum dico; trecentos Eccleſiarum Antiſtites, tam Nicææ, quàm Sardicæ congregatos;

VI. Negotia Romæ, e Ro. Pontificis côſcientia tractanda.

Sard. Conc. can. 10.

egregiè

egregiè Britannicæ Ecclesiæ puritatem & unam constantemque provincialium in cultu Ro. Sedis fidem suo calculo approbare. Cæterùm ut Saxones & Angli fideles, in eodem sensu cultuque convenerint, suo tempore apparebit.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1099.

ANNUS CHRISTI 348.

JULII PAPÆ 12.

CONSTANTIS IMP. 9.

I. Ut Constans se in Synodo gessit?

CONSTANS Imperator, ita se in Sardicensis Synodi decretis gessit, ut olim se gesserat Nicææ Constantinus pater. nam voluit illa integrè ab omnibus observari. Et quoniam in Athanasii causâ, potissima difficultas erat; quam, secessione facta, auxerant aliqui; relictâ Sardicâ, Phillippopoli in Thracia turbas cientes; nec potuit vir sanctus, ut in Synodo sancitum est, ad sedem suam redire: Constans noster ad fratrem Augustum scripsit, anno trecentesimo quadragesimo octavo, Flavio Philippo, & Flavio Salea Coss. minatusque est, si precibus minùs posset, facturum se fortius, ut Athanasius rediret. Ita scribit Socrates: *Ubi Constantius*, inquit, *fratris postulata, de die in diem differebat: Ille (Imperatorem dico Occidentis) optionem fratri dat; vel Paulum, & Athanasium, ad suas ipsorum sedes Ecclesiasq; restituendi: vel si hoc minùs præstaret; ipsum sibi hostem reddendi, nihilq; aliud, quàm bellum expectandi. Literæ autem quas ad fratrem scripsit, ita se habent: Sunt hic apud me, Athanasius, & Paulus, quos auditione accepi, pietatis causâ persecutionem passos esse. Quod si pollicearis, te illis suas ipsorum sedes redditurum; inque eos à quibus sine causâ, injuriá affecti sunt, animadversurum; viros ipsos ad te mittam. Sin autem recuses ista hoc modo perficere; pro certo velim cognoscas, me eò venturum, & te invito, illis suas ipsorum sedes restituturum.* Quid inde secutum sit, ita pergit narrare Socrates.

Socrat. l. 2. c. 18.

Pro Athanasio scribit.

II. Socrat. ubi sup. Athanasius revocatur.

Quæ cum intellexisset Orientis Imperator, non mediocrem animo concepit ægritudinem. Accersitis igitur, non paucis Orientis Episcopis, optionem sibi datam illis exponit. rogat quid faciendum sit. Illi melius esse respondent; ut Athanasio Ecclesiæ suæ concederet administrationem, quàm ut bellum intestinum susciperet. Unde Imperator necessitate adductus, Athanasium ad se accersit. Hæc ideo à me allata sunt; ut videat Lector, quàm Constans fuerit Occidens poster in fide orthodoxa, quàm fortiter pro Athanasio steterit, & quantus Arianæ factionis hostis.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1100.

ANNUS CHRISTI 349.

JULII PAPÆ 13.

CONSTANTIS IMP. 10.

Athanasius sedi restituitur.

ATHANASIUM, Alexandriam ad suam sedem revertentem, munivit suis literis Julius Romanus Pontifex, anno Christi trecentesimo quadragesimo nono, Ulpio Limenio, & Catulio Coss. & ille benignè primùm à Constantio exceptus; permissus tandem est, ad Ecclesiam suam postliminio redire. Ubi tamdiu in pace vixit, quamdiu Constans Occidentis Imperator, in vivis fuit. eo sequenti anno mortuo, iterum Arianorum fraudibus patuit.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1101.

ANNUS CHRISTI 350.

JULII PAPÆ 14.

CONSTANTIS IMP. 11.

I. Constans Imp. moritur. Victor in Epito.

MORITUR anno trecentesimo quinquagesimo, Sergio & Nigridiano Coss. suorum injuriis circumventus, Constans Imperator, cum tredecim à morte patris annos, & undecim in Britanniâ Galliaque imperasset. de morte ejus, ita refert Aurelius Victor: *Constans*, inquit, *venandi cupidine, dum per silvas saltusq; erraret; conspiravere aliquanti militares in ejus necem; authoribus Chrestio & Marcellino, simulq; Magnentio. Qui ubi patrandi negotii dies placuit; Marcellinus natalem filii simulans, plerosque ad cœnam rogat. Itaque in multam noctem convivio celebrato: Magnentius quasi ad ventris secreta secedens, habitum venerabilem capit. Eâ re cognitá, Constans fugere conatus; apud Helenam oppidum, Pyrenæo proximum, à Gaisone cum lectissimis misso, interficitur, anno tertio decimo Augustæ dominationis.* Hæc Victor. Fertur de Constante vaticinium vulgò fuisse, quòd in aviæ gremio mori deberet. atque ita factum; quia in oppido aviæ Helenæ cognomine, revera occisus est.

II. Luget Athanasius.

Hunc virum, Helenæ è Britanno filio nepotem, qui benè pro Athanasio & orthodoxâ fide fecerat, ipse Athanasius mortuum luxit; & unà Christianæ religioni illatam, ejus morte, cladem; vocatque eum licet à Christiano occisum, Christi martyrem; aitque plenas Ecclesias esse liberalitate ejus, atque donariis. Ita enim loquitur ad Constantium Augustum: *Credo, magnam scilicet, & multam illi gratiam debebam; quòd pia memoria fratrem tuum, cujus donariis Ecclesiæ plenæ sunt, ipse Magnentius ejus legatis occiderit: nihil eam necessitudinem, cum ante oculos versaretur, veritus; nihil gratiam beato tuo fratri in baptismate donatam respiciens; veluti dæmon & furia infernalis in eum insiluit, atque ita sanctissimus ille vir martyrium assecutus.* Cæterùm donaria, quorum hic mentio; illis similia fuerunt, quæ dedit olim Ecclesiis Constantinus pater; nimirum calices, patenæ, cruces, candelabra, thuribula, & alia sacrificii instrumenta. unde ejusdem cum patre fidei Constantem vixisse, certissimum est: qui & ideo à patribus laudatur, & Britanniarum Episcopis, qui Arimino, ita ad Constantium scripserunt inter cætera. *Fuit*, inquiunt, *nobis persuasissimum, iniquum esse, cum Imperator Constans, ab obitu suo dignus omni memoriâ, hanc fidem omni curâ & diligentiá conscriptam promulgarit; tum demum, ex quo ille baptizatus, ex hominibus in requiem sibi debitam translatus est, aliquid novi, in eâ fide, moliri velle.*

Athanas. in Apol.

Laudatur Constans.

Athanas. de Synod.

III. Magnentius

Constante in hunc modum occiso, Magnentius tyrannus Augustoduni purpuram sumpsit:

&

Tyrannus. *Victor in Epito.* et Vetrannio Imperator. *Victor in Epito.*

& Vetrannio, qui Illyricis & Britanniæ præerat, à militibus, ipse *militum magister*, inquit Victor, Imperator acclamatur in Pannoniâ, apud Mursiam: quem Constantius post dies paucos imperio exuit, *grandævæ ætati non vitam modò, sed etiam voluptuarium otium concedens*. Majus fuit cum Magnentio negotium; qui mox, ut furatus est Imperium; fratrem suum Decentium, Cæsarem creat. Utrumque patre, & origine Britannum fuisse, recentiores historici nostri, Camdenus & Spedus satis confidenter affirmant: licèt in Galliâ, apud Lætos natos dicant. Sed quia apud antiquos nulla hujus rei memoria; nolo id ambitiosiùs probare: adverto solùm Aurelium Victorem in Cæsaribus dicere Magnentium *gentis barbaræ, diro atrocíq; ingenio hominem fuisse*. & iterum in epitome: *Ortus*, inquit, *fuit parentibus barbaris, qui Galliam inhabitant; legendi studio promptus, sermonis acer, animi tumidi & immodicè timidus*. Cæterùm à Constante honoribus & magistratu auctum, vel inde constat; quia militibus Jovianis & Herculianis legatum fecerat. Cur hic Magnentius, Taporus vocetur eo carmine:

Magnentius cujas? *Victor in Cæsar.* *Idem in Epito.*

Interea Taporo Romam vastante tyranno
Augusti donum jacuit, studiumq; locandi.

Dicant Critici. nam quod Spedus dicit Helenæ oppidum, ubi occisus Constans, apud Taporos, Hispaniæ populum fuisse ad montem Pyrenæum situm: & inde dictum Magnentium; infirmior conjectura est: si enim talis in Pyrenæo monte populus, ibi natum potiùs Magnentium, *diro atrocíq; ingenio hominem*, opinarer. atque inde ad Lætos in Galliam descendisse.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1102.
ANNUS CHRISTI 351.
JULII PAPÆ 15.
CONSTANTII IMP. 1.

I. Constantius in Occidente.

NON debuit diu Britannia sub Magnentio tyranno gemere; quamobrem anno Christi trecentesimo quinquagesimo primo, post Consulatum Sergii & Nigridiani, Constantius in Oriente Imperator, relicto ibi ad Imperium, Gallo Cæsare, in Occidentem contra Magnentium pugnaturus descendit. Fuit Gallus Cæsar, Magni Constantini ex fratre nepos, Juliani cognomento Apostatæ frater, de quo infrà sæpè dicendum: quia Constantio Imperatori successit. & hoc anno Constantio in Occidentem profecto, cæpit defectioni suæ insigniter præludere. Quod quia facit ad Britannorum fidem, & ritus hujus sæculi, exponam Apostasiæ ejus præambula, primamque, quam à præstigiatoribus didicit, è diaboli disciplina lectionem. Tradit illam pluribus Gregorius Nazianzenus, & Theodoretus: nimirum non esse crucis signo muniendam frontem. Hoc quia sectarii nostri apprimè didicerunt; videant illi unde doctrinam hauserint. *Postea verò* (narrat Theodoretus) *quam Constantius venit in Occidentem: quò bellum adversus Magnentium gerendum eum pertraxerat, & Gallum, Cæsarem Orientis renunciavit: qui & vir pius fuit, & ad extremum vitæ diem pietatem excolere non destitit: Iulianus metum, qui ei periculi & necessarius fuerat, ejecit ex animo, & jam armare se audaciâ, & contra quam debuerat, Imperii cupiditate exardescere cæpit. Proinde perlustrare Græciam, conquirere Vates, & Ariolos; sciscitaturus ab illis, votine compos futurus esset. Atque incidit fortè in hominem, qui hoc ei prædicere pollicitus sit. Qui quidem deducto eo in fanum simulacrorum, & intra ejus adyta collocato; fraudulentos dæmones invocat. Quibus specie, quâ solent, apparentibus; metus coegit Iulianum signo crucis frontem suam signare. Dæmones igitur Dominici trophæi conspicati figuram, & suæ ipsorum cladis recordati; confestim evanuerunt. Tum Præstigiator, causâ cur fugerent intellectâ, Iulianum objurgat; qui tum timorem in quo erat declaravit; & se virtutem crucis vehementer admirari dixit. Nam dæmones, quoniam ejus figuram ferre non poterant, aufugisse. Cui Præstigiator* (& idem, ne mutatâ quidem syllaba dicet sectarius) *ne, inquit, amabo te, sic existimes. Siquidem non ob eam causam, quam tu affers formidabant; sed tuum factum detestati, se ab oculis nostris removerunt. Ita miser ab eo in fraudem impulsus; tum impiis initiatur mysteriis; tum pectus ejus scelere impletur; & infelix propter imperii cupiditatem, pietate omnino spoliatur*. nimirum ejuratâ primùm cruce Christi, ne dæmones iterum terrerentur.

Galllus Cæsar.

Juliani Apostatæ exordium.

Theodoret. l. 3. c. 3.

Ariolos consulit.

Dæmones fugat signo Crucis.

II. Regia Fides a Cruce cæpit.

Hæc scripsit Theodoretus, ante annos mille ducentos; & illustri argumento docet, primum apostasiæ gradum esse, crucem negare; nam eâ retentâ, nihil disces à diabolo; eâ abjectâ, habebis omnia, responsa, oracula, & si velis, imperium. Adverte igitur pro Fide Regiâ, & orthodoxâ. Cæpit illa demum illustrissima esse, ubi primùm è cælo crux apparuit: verùm ut suggerente diabolo, crucis figura formari dedocetur, sequuta est orthodoxæ fidei defectio, ut mox dicetur. Interim considerent sectarii, qui crucem formare nolunt; num à M. Constantini, vel potiùs Juliani & magistri ejus partibus stent: & sciant usum cultumque crucis, de sursum esse, ac inde ad nos descendisse; deorsum verò ejus exterminium. Fuit adeò familiare primitivæ Ecclesiæ fidelibus, crucem fronte signare; ut hic, nolenti ferè Juliano, aut aliud certè meditanti, exciderit: fugit tamen hostis: quid facturus, si datâ operâ & studiosè formaretur? Profecit in hac impietatis schola Julianus: nam Augustus factus, Christianis exprobravit usum, cultumque crucis; & tandem crucis figuram, quam Constantinus in labaro fixerat; ipse primus refixit, restituitque deorum simulacra, ut infrà suo loco apparebit.

Et desiit Cruce sublata.

V. an. 362. n. 4.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1103.
ANNUS CHRISTI 352.
JULII PAPÆ 16.
CONSTANTII IMP. 2.

I. Constantius Britannorum Imperator.

IMPERABAT quidem in Britanniâ hoc tempore Magnentius; sed quia tyrannidem potiùs, quàm imperium invasit, nullo jure consignare possum ejus imperii annos, exauctorato Constantio; qui anno Christi trecentesimo quinquagesimo secundo, Constantio Augusto V. & Gallo Cæsare Consulibus, sedecim jam annos in

Oriente imperaverat: & anno superiore, fratre occiso, successerat in Occidentis imperium eum igitur in Constantis locum substituo, facioque hunc annum, ejus in Britannos imperii, secundum. Quo tempore per Magnentii fortè tyrannidem, Clerus è Britanniæ Septentrione fugere, & in Insulas Hy se continere cæpit. Unde factum, ut locus ille, religiosæ vitæ illustrissimum deinceps Seminarium fuerit. & à M. Columba nomen accipiens, Colmbill diceretur, nunc est Jona Insula in Verginio mari. Holinshedus ponit hunc annum 352. quo Monachi locum illum inhabitarunt. Quo etiam anno moritur Julius Papa pridie idus Aprilis; & eo die in Romano Martyrologio ejus memoria sic recolitur. *Romæ via Aurelia, natalis S. Iulii Papæ, qui adversus Arianos, pro fide Catholica, plurimum laboravit; ac multis præclarè gestis, sanctitate celebris, quievit in pace.*

Julius Papa moritur. *Rom. Mart. 12. Apri.*

II. Liberius Papa.

Successit in Romanâ Sede Liberius Papa; qui statim ab Arianis solicitatus, ut Athanasium condemnaret; noluit virum sanctitate & eruditione magnum, à Sardicensi Concilio & prædecessore suo, nuper probatum, rursùs in judicium vocare.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1104.

ANNUS CHRISTI 353.

LIBERII PAPÆ 2.

CONSTANTII IMP. 3.

I. Constantius in Magnentium pugnat.

INTERIM Constantius, Vetranione purpuram exuto, & in ordinem redacto: cum sextum adiisset Consulatum, & Gallus Cæsar secundum, anno Domini trecentesimo quinquagesimo tertio, in Magnentium pugnavit, iis armis, quibus olim pugnaverat, & vicerat Constantinus pater. Nam crucem effigiari in labaro præcepit, præferrique militi. ne autem ullus esset, qui crucem sequi nollet, edixit omnibus, ut militiæ cingulum ponerent, & urbibus excederent quotquot Christianis sacris initiari per baptismum recusarent. Hinc factum ut infideles, qui hac lege latâ non poterant ad bellum proficisci, in pagos distributi; cum militis nomen exuissent, Pagani nomen induerint; dictique sint sequentibus sæculis Pagani. Imperator purgato exercitu, feliciter pugnavit, adegitque Magnentium, ut violentas sibi manus, gladii ictu inferret.

Infideles dicti Pagani.

II. Constantius Arianus superbit. *Iulian. Apost. orat. 3. in Constant. Marcellin. l. 15. c. 1.*

Cæterùm infelicius nihil est felicitate peccantium; nam Victor Constantius, in Arianâ hæresi confirmatus; Italiam nunc primum fædat illâ perfidiâ. Ipse in superbiam elatus, τῆς οἰκυμένης ἁπά σης κύριος, totius orbis Imperator, & Dominus voluit appellari. Quod coeunte in unum majestate, Occidentis Imperio auctior esse. Unde, opinatus se aliquid majus mortali homine, *æternitatem suam* jactabat. Dum autem superbit impius, incenditur pauper Athanasius. Etenim cum Arianorum studia cerneret Constantius, per Liberium Papam frustrata: qui Athanasio absoluto, noluit eos in communionem recipere: jubet rursum communi Episcoporum voce in Arelatensi Concilio ad hunc finem coacto innocentissimum Athanasium condemnari. Nihil viderat Occidens hoc infortunio tristius. Cogi Episcoporum suffragia, cogi Occidentem hunc, & ipsos Apostolicæ Sedis legatos, in pessimam injustissimamque sententiam. Liberius Rom. Pontifex indignissimè tulit tam atrox facinus, suo etiam nomine perpetrari: & nisi expressis syllabis repugnasset merito ejusdem criminis suspicionem incurrisset. Interfuisse huic Synodo Restitutum Londinensem Episcopum, Balæus, Pitsæus, & Magdeburgici affirmant: quod ideo fieri potuit, quia superstitem infrà videbimus, & scribentem ad Hilarium, cum ille in Oriente exulavit. Sed Canon ille de protestatione Diaconi, fabula est, qua obstetrica ministrorum progenies in lucem (si tamen in lucem) prodiit. & nec Restitutus uxoratus Episcopus, nec Hilarius Pictaviensis pariter conjugatus, ut factiosi volunt, illi Canoni patrocinantur, quia neuter à suscepto Sacerdotio matrimonio vacavit.

Arelaten. Concilium secundum.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1105.

ANNUS CHRISTI 354.

LIBERII PAPÆ 3.

CONSTANTII IMP. 4.

I. Liberius pro Athanasio laborat.

AGEBAT Constantius in Gallia; cum ipsum Liberius, iterata legatione, pro Athanasio pulsat; anno Christi trecentesimo quinquagesimo quarto, Constantio VII. & Gallo III. Coss. queriturque vendi Episcoporum suffragia, ad Principis arbitrium; atque ita orthodoxam fidem prostitui. Excitavit etiam vicinos Episcopos, ut pro Athanasio intercederent. Scripsit ad Eusebium Vercellensem. *Et labora* (inquit) *ut bonus miles, qui præmium æternum Imperatoris expectas: & virtutem animi (quâ te scio mundi hujus illecebras contempsisse) adversus eos qui Ecclesiæ quidem luce orbi sunt, præbere contende; habens utpote contemptum vitæ istius; veridicum te Sacerdotem ostende; ut laborantibus vobis pro Ecclesiæ statu, Concilium possit celebrari: ut omnia quæ in præjudicium fidei subtiliter è diverso venientes machinati sunt; possint in melius reformari.* Ita ille. Nec tantum scripsit benè, sed rem etiam gessit fortiter: & labentem ferè Occidentis Ecclesiam, egregiè sustinuit, quod etiam patebit anno sequenti.

Apud Baron. hoc an. 8.

II.

Occiditur hoc anno Flavius Claudius Constantius Gallus Cæsar, Constantii patruelis, qui asperitate nimiâ cuncta fædabat in Istriâ. *Sed & Orientis latera cuncta vexaverat*, inquit Marcellinus (l. 14. c. 20.) & quia eodem authore, adhibitis paucis, clam ferro succinctis, vesperi per tabernas palabatur & compita; dedit Nicephoro Calisto errandi ansam, multaque Constantio Seniori, qui nunquam Orientem vidit, affingendi; quæ reverà in hunc Constantium, qui diu in Oriente fuit, referri debent. nam Constantius Augustus, cum eum Orienti præfecit, suum illi nomen, & unà Cæsaream dignitatem concesserat quâ malè, & in multorum perniciem usus, infami morte, vitâ defungitur. Julianus frater (qui infrà dicetur Apostata) paulò post, nimirum anno sequenti factus Cæsar, Gallum impietate superavit, sicut & bellicâ etiam fortitudine.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1106.

ANNUS CHRISTI 355.

LIBERII PAPÆ 4.

CONSTANTII IMP. 5.

I. Concilium Mediolanense. ANNO Christi trecentesimo quinquagesimo quinto, Arbetione & Lolliano Consulibus, cum multus Episcoporum numerus, Constantii jussu, Mediolanum convenisset, & major pars pro Athanasio staret: coacti tamen sunt pessimo ad omnem ætatem exemplo, verberibus, minis, suppliciis denique, pro Arianis dicere. Liberius, non tantum restitit ipse; sed aliis ut perfidiæ obstarent, quà monitis, quà scriptis, author fuit. Nec Constantius potuit silentium imponere, aut trahere illum, licet summè niteretur, in partes suas. Condemnatur Athanasius. Sciebat enim, tum venturum omnem Occidentem ad Arium, si Roma cogi posset. Advertis illud gentilis homo Ammianus Marcellinus: & vide Lector quid ille de Rom. Pontifice censuerit: qui agens de Mediolanensi hac Synodo, damnatoque ibi Athanasio: *Hunc*, inquit, *per subscriptionem abjicere sede Sacerdotali, paria sentiens cæteris, jubente principe, Liberius monitus perseveranter renitebatur. nec visum hominem, nec auditum damnare, nefas ultimum, sæpe exclamans; apertè scilicet recalcitrans Imperatoris arbitrio. Id enim ille Athanasio semper infestus; licèt sciret impletum; tamen authoritate quoque, qua potiores æternæ urbis Episcopi, firmari desiderio nitebatur ardenti. Quo non impetrato, Liberius, ægrè populi metu, qui ejus amore flagrabat, cum magnâ difficultate noctu medio potuit asportari.* (Marcellin. l. 15. c. 18. — Liberii constantia.)

II. Ro. Pontificis sententia æstimanda. Vides hic Lector, quanti momenti fuerit Ro. Pontificis sententia, ut post habitum totius orbis judicium (ita Mediolanensium Patrum suffragia vocare solitus est Imperator) quiescere tamen non potuerit Constantius, nec omnino putare satis condemnatum esse Athanasium; nisi Liberii quoque consensum suffragiumque extorqueret. Sed quid ille? cessit fortè blanditiis, minis, muneribus? fuit certè petra immobilis, & Petri verus legitimusque successor. noluit Athanasium condemnare; licèt missi spadones officiosissimè supplicassent: nec territus est, quantumvis armatus miles, ad Constantium eum tracturus irruisset. Quàm verò fortiter rem gesserit, perductus ad Imperatorem; quia facit ad Occidentis fidem, & primæ sedis constantiam; libenter audiam referentem illud Athanasium. *Trahitur*, inquit, *Liberius ad Imperatorem. Quò cum pervenisset; magna quoque & ibi libertate dicendi, usus est. Desine*, inquiens, *persequi Christianos. ne tenta per me hæreticam impietatem in Ecclesiam introducere: ad omnia potius sustinenda parati sumus, quàm nos Christiani eò deveniamus, ut Ariani appellemur. Ne cogas nos fieri Christi perduelles. Hoc tibi suademus, ne pugnes contra eum, qui tibi hoc imperium dedit, ne pro gratiâ impietatem illi referas. Ne persequere illos, qui in eum credunt; ne & tu etiam audias: durum est tibi contra stimulum calcitrare. Atque utinam sic audias; ut & tu quoque quemadmodum Paulus credas. Ecce præsto sumus, venimus antequam causam aliquam contra nos fingerent. Ideo enim iter accelerauimus, certi de exilio in quod à te mittendi sumus, ut ante objectum crimen, supplicium patiamur.* Ita ibi, nec pluribus immoror tristissimæ narrationi. (Athan. ad solitarios.)

Delectat tamen, quod à Liberio dictum est, cum mittendus in exilium Augustorum munera recusavit. illud refert Theodoretus ita.

III. Constantii munera Liberius respuit. *Liberio decedenti Imperator misit in sumptum quingentos aureos. Liberius autem, ei qui attulerat, dixit: Abi domum, & istos ipsos aureos redde Imperatori. Siquidem eis opus habet ad militum stipendia. Imperatrix itidem misit ei totidem: quos, eum qui apportaverat, jubet quoque Imperatori tribuere. Sunt enim, inquit, illi ad militarem expeditionem necessarii. Quòd si is eorum non indigeat, dent Auxentio, & Epicteto* (erant hi Arianæ factionis Episcopi, Liberio infensi) *nam illi eisdem indigent. Postea verò quàm istos recusaverat aureos accipere, Eusebius Eunuchus alios ei offert. Ad quem Liberius: Tu, inquit, Ecclesias Orbis terræ expilasti. & jam mihi, ut damnato egentique, affers eleemosynam? abi primùm & Christianus ipse fias. Ac triduo confecto, Liberius nulla acceptâ pecuniâ, in exilium mittitur.* (Theodo. l. 2. c. 16.) Liberius in exilium mittitur. Nimirum Beroeam Thraciæ. Sic demum Romana Ecclesia ingentem passa est eclipsim; tunc amoto vero pastore, Felix quidam religione Catholicus, sed cum Arianis communicans, in ejus locum subrogatur, urbe & orbe gemente. Felix subrogatur. Sed tempus nunc in Britanniam solvendi.

IV. Gratianus Proprætor in Britannia. Dum in Occidente Constantius Rom. Ecclesiam fidemque persequitur; Gratianus cognomento Funarius, Proprætor erat in Britanniâ. Is suâ magis virtute, quam generis nobilitate, illustris; è vili artificio gregarius miles; ex infimâ militiâ, ad maximum magistratum ascenderat. Valentiniani, qui postea imperavit, parens; dictus est Funarius, quod *venalitium funem portanti*, inquit Victor, *quinque milites nequirent extorquere. Eo merito ascitus in militiam, usque ad Præfecturæ Prætorianæ potentiam conscendit. ob cujus apud milites commendationem, Valentiniano imperium, resistenti aggeritur.* (Victor in Epitom. in Valentin.) Hunc Funarium, Constantius de læsâ Majestate suspectum, quòd à Magnentio steterat, officio movit, bonisque exuit. Eo amoto successit in Provinciâ Martinus quidam, vir in Britannos omnes humanissimus, in se unum crudelis. Martinus Gratiani successor. Qui benè & ex justitiæ normâ, Insulæ præfuit Proprætoris officio sedulò fungens: donec factus alter ad Constantii genium, & eò missus; dum in Magnentii crimine plures involuit, fœdavit Britanniam multo & innocenti sanguine. Res latiùs ab Ammiano Marcellino exposita, ita se habet.

V. *Paulus Notarius, ortus in Hispaniâ, Glabro quidem sub vultu latens; odorandi vias periculorum occultas, per quam sagax in Britanniam missus, ut militares quosdam perduceret, ausos conspirasse Magnentio, cum renitì non possent: jussa licentius supergressus, fluminis modo, fortunis complurium sese repentinus infudit, & ferebatur per strages multiplices ac ruinas, vinculis membra ingenuorum affligens, & quosdam obterens manicis; crimina scilicet multa consarcinando, à veritate longè discreta. Unde admissum est facinus impium, quod Constantii temporibus notam inusserat sempiternam. Martinus regens illas provincias Proprafecto, ærumnas innocentium graviter gemens; sæpeque obsecrans, ut ab omni culpâ immunibus parceretur; cum non impetraret, minabatur se discessurum: ut saltem id metuens perquisitor malevolus; tandem desineret quietis coalitos homines in aperta pericula projectare. Per hoc minui studium suum existimans Paulus, ut erat in complicandis negotiis artifex dictus, unde & Catena inditum est cognomentum.* (Marcellin. l. 14. c. 12. — Paulus mittitur in Britanniam. — Ejus crudelitas, inde Catena dictus.)

cognomentum. Vicarium ipsum eos, quibus præerat, adhuc defensantem, ad sortem periculorum communium traxit, & instabat ut eum quoque cum tribunis, & aliis pluribus, ad Comitatum Imperatoris vinctum perduceret; quo percitus ille exitio urgente, abrepto ferro, eundem adoritur Paulum; & quia languente dextra, letaliter ferire non potuit, jam districtum mucronem in proprium latus impegit: hocq; deformi genere mortis excessit è vitâ justissimus, remorâ ausus miserabiles casus levare multorum. Quibus ita sceleste patratis, Paulus cruore perfusus, reversus est ad principis castra, multos coopertos penè catenis, adducens, in squalorem dejectos atque mœstitiam. Quorum adventu intendebantur equulei, uncosq; parabat carnifex, & tormenta. & ex iis proscripti sunt plures, actiq; in exilium alii: nonnullos gladii consumpsere pœnales. Nec enim quisquam facilè meminit sub Constantio; ubi susurro tenus hæc movebantur; quenquam absolutum. Hæc omnia Marcellinus.

VI. Constantius arguitur. *Victor in Cæsar.*

Hanc Constantii sempiternam notam in delectu ministrorum aperit Aurelius Victor, cum in Imperatore cætera commendasset. *Hæc tanta,* inq[illegible] *tamque in lyta tenue, ejus studium probandi provinciarum; ac militia rectoribus, simul ministrorum parte maximâ, absurdi moris, fœdavere; atque uti verum absolvam brevi, ut Imperatore ipso clarius; ita apparitorum plerisque magis atrox, nihil.* Ex[illegible]to in exemplum Paulus Notarius, qui quietam provinciam, & multorum innocentium famam, factiosissimè vexavit. Quod si Britanniam egredior, innumera occurrunt crudelitatis ejus argumenta; quæ non laici modò, sed Ecclesiastici quoque, à ministris Ariani Principis, sensere; unum referam anno sequenti, unde cætera facilè colligentur. Creavit hoc anno Constantius, in locum Galli mortui, Julianum fratrem Cæsarem, deditque illi in uxorem, Helenam, sororem suam.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1107.

ANNUS CHRISTI 356.

LIBERII PAPÆ 5.

CONSTANTII IMP. 6.

I. Alexandrina Ecclesia vexatur. *Apud Athan. post Epist. ad solita.*

Ut Britannia, superiore anno, turbari cœpit impietate ministrorum Constantii; ita hoc anno trecentesimo quinquagesimo sexto, Constantio Augusto VIII. & Juliano Cæsare Coss. Alexandrina Ecclesia, Athanasium hominem orthodoxum, piumque Episcopum venerata; Syriani Ducis scelere; quem eò miserat Constantius, violata est. testatur hoc Alexandrini populi scriptum, quod Constantio ipse porrexit, & ita querimoniam orditur. *Iam pridem protestati sumus, de nocturnâ, quam passi sumus tam nos, quàm templum Dominicum, invasione. tametsi ibi testimonio opus non fuit; quæ universa civitas cognita habet. Occisorum enim corpora reperta, & in publico exposita fuere, arma item & arcus, in templo Dominico, scelera quæ facta sunt, quasi vociferantur,* &c. *Illucescente enim nobis quinto Kalendas Februarias die, hoc est, decimo quarto mensis ejus, qui Mecher dicitur; vigilantibus nobis in Dominico, & precibus vacantibus, eò quod synaxis parasceves die celebranda esset; derepente, per intempestam noctem, clarissimus Dux Syrianus, cum multis legionibus militum, sagittas strictosq; enses, aliaq; id genus tela,* &c. Immanis hæc carnificina fuit, nec enim ipsi Athanasio, qui maximè tumultu illo, & seditione ab Ariani factione petebatur, nec sanctissimis Virginibus (ita ibi vocantur) parcitum.

II. Britannia quieta.

Nihil motum est in Britannorum Ecclesiis; quia, ut suprà, ex Marcellino vidimus, quieta fuit provincia; & nullas habuit Arianæ factionis tenebras; cum Episcopi omnes, populusque orthodoxè consentirent. quod sub Ariano Principe, & in vicina nobis Gallia agente, singulare Dei beneficium fuit. Licèt enim paulò posteriùs, pessima factio; ut virus omne solet, se longè lateque diffundere; Insulam pervaserit, licèt etiam Occidens tentari cœperit; & Episcopi in Galliis inter se contenderint, in Biterrensi Synodo, ejecerintque hoc anno in exilium S. Hilarium, hactenus tamen Britannorum fides, intemerata & incorrupta fuit. Cæterùm quando temerari, corrumpique inceperit, dicam inferiùs suo loco.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1108.

ANNUS CHRISTI 357.

LIBERII PAPÆ 6.

CONSTANTII IMP. 7.

I. Liberius ad Sedem revertitur.

Anno Christi trecentesimo quinquagesimo septimo, Constantio nonum & Juliano II. Coss. urbs & orbis ferè totus, Ariani incendii flammâ flagravit; ipsa Ecclesiæ petra concutitur, & Christum denuò ferè Petrus negavit. Liberius tædio exilii fractus, in Athanasii condemnationem succubuit; & Romam hoc anno reversus, Felice adhuc in vivis; magistratum, quem nunquam exuit, recepit. Mirum dictu, vix ad Sedem postliminio redierat, cum Arianorum commercium (quo partam priùs gloriam, proditâ ferè Nicænâ fide, turpaverat) penitus abjecit; & mutatus in virum alterum, Athanasio conjungitur, ad quem ita scribit: *Est igitur nostra confessio, optatissimè Athanasio. verbum Dei filium secundùm naturam ex Deo, eodemq; Patre suo genitum esse, non creatum, semper in Imperio collegam Deo & Patri, & indesinenter regnum obtinere in infinita sæcula. Amen.*

Apud Athan. post liter. ad Epist.

II. Concilium Sirmiense. *Epiph. hæres 37.* Ætius et Photinus damnantur.

Eodem anno, dum Sirmii ageret Constantius; Episcopos eò convocavit, Arianorum precibus fatigatus. qui cum se jam hæreticos passim dici, & haberi viderent: *Affectantes* (inquit Epiphanius) *Catholicum nomen, bellum adversus eos qui humiliter de Christo sentiebant, susceperunt.* Ii erant Ætius, & Photinus, Sirmienses Episcopi, qui divinam in Filio, cum Patre substantiam, & omnimodam cum eo similitudinem negabant: exiguâ solum ab Arianis differentiâ; sed aperto per Arium ostio, ad controvertendam Christi deitatem, & abjectâ Patrum traditione; facilè ab orthodoxâ fide, ad perfidiæ Barathrum descenditur: & Ariani magis culpandi sunt, qui murum fidei & antemurale primi fregerunt. Frustrà ergo hæresim suam dealbare conati sunt, hac Sirmiensi Synodo Ariani: nec propterea potuerunt Catholici nomen obtinere: nam eorum larvam detexit

Lucifer de non parcen do.

Lucifer Calaritanus, ita scribens ad Constantium. *Interea oro te, respondeas, quid intersit inter te, & Consecotinum tuum; quem verso ordine Smurmenses vocant, Thotmaum? quid intersit, quid distet: rogaris, distinguas.*

III. Hæreses crescunt.

Eodem modo peccare videntur nostri sæculi novatores, qui rupto semel fidei fœdere; & negata Ecclesiæ potestate, in varias opinionum sententias, volentes nolentes abierunt. Lutherus primo ostium aperuit, & veluti rupto aggere. Deus bone! quàm multi! in multa fidei dogmata distracti, Ecclesiam quæ tunc una erat, lacerarunt. Inde Anglia Lutherum secuta, pauca principio in Romanâ Ecclesiâ causata est; tum facto gradu, in plura descendit; & brevi supergressa Lutherum, Calvinum imbibit, ac in dies profundiores fidei tenebras delabitur; ut Photinus Ario turpiùs erravit. Unde Protestantibus Anglis, qui hactenus ferè Calvinistæ esse noluerunt, cum Lucifero Calaritano dicere possumus; oro, respondete quid intersit inter vos & Conscotinum tuum, quem in verso ordine puritanum appellant; sed reverâ Σκότος, tenebræ, & impura sunt dogmata proficientia semper à malo, in pejus.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1109.

ANNUS CHRISTI 358.

LIBERII PAPÆ 7.

CONSTANTII IMP. 8.

Liberius cum Arianis est.

ROMA hactenus virgo, sub duplici capite, hoc anno trecentesimo quinquagesimo octavo, Daciano & Cereali Consulibus, ferè prostituitur, Liberio atque Felice Romanam Sedem occupantibus. Et nisi Deus Ecclesiæ suæ mirabiliter adfuisset, Urbs illa sine capite nutasset. Sed adfuit Deus. Nam Felix substitutus nuper à Constantio; quod communem se Arianis fecerat; ab orthodoxis est admissus. Nunc verò, redeunte Liberio, & eidem se crimini insinuante; Felix à factiosis resilit; & hoc anno, ab illis, qui hactenus Liberio inhæserant; salutatur Pontifex. dixisses Christum exactissimè fidem suam, quâ se Urbi & Petro obligarat, liberasse; ita nunquam in capite fides defecit. Tentatum est postea, varia Synodo, fluctuantes hominum mentes componere; sed sæculari brachio, Ecclesiæ clavum pessimè moderante, non poterant omnia non languere. Nec unquam meliùs docti sumus, non debere Principem laicum de fide agere, tractare, definire: adeo confusa his annis, adeo turbata, luxataque sunt membra.

Felix Papa admittitur.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1110.

ANNUS CHRISTI 359.

LIBERII PAPÆ 8.

CONSTANTII IMP. 9.

I. Concilium

ITUM est tandem in Ariminensem Synodum, Eusebio & Hypatio Coss. Christi anno trecentesimo quinquagesimo nono; ubi restituta nitori suo Ecclesia fuisset; nisi altare in altare Constantius erexisset. Nam ita voluit congregari Patres; ut Orientales Seleuciæ in Isauriâ, Occidentales Arimini, in Æmiliâ, sententiam dicerent. Sed nimis erat aperta factio; nimia membrorum divisio; ut in unam mentem sensumque omnes concederent: nec voluit Deus spiritum suum quem olim promiserat Ecclesiæ, ad Ariani Principis libidinem esse. Cæterum quid actum sit in Occidente, & Ariminensi Concilio, ideo videndum est accuratiùs; quia Britanni ibi frequentes adfuerunt, dixeruntque sententiam. & ego sperabo integra omnia, cum ut modò dicebam Insula hæc, Ariana hactenus peste nunquam infecta sit. De hac Synodo agens Sulpitius Severus, in sacrâ historiâ insinuare videtur Britanniæ Episcopos, in duplici differentiâ Synodo adfuisse; quosdam ditiores, qui è fisco ali noluerunt (quod Constantius obtulerat) ut libera haberent suffragia; alios tenuioris rei, religiosos homines, qui Apostolicè vivere consueti, è fisco petierunt. Audi Severum, de Ariminensi Synodo differentem.

Ariminense.

II. Sever l. 2. sacra Histor.

Constantius apud Ariminum, Italiæ urbem, Synodum congregari jubet: idq; Tauro Præfecto imperat, ut collectos in unum, non ante dimitteret, quàm in unam fidem consentirent: promisso eidem Consulatu; si rem effectui tradidisset. Itaque missis per Illiricum, Italiam, Africam, Hispanias, Galliasq; (Britannias hoc etiam nomine significari, ut ejusdem Præturæ partem mox Author ipse docebit) *magistris officialibus, acciti atque tracti quadringenti, & aliquot amplius Occidentales Episcopi Ariminum convenere. Quibus omnibus annonas & cellaria dari Imperator præceperat. Sed id, nostris, id est, Aquitanis, Gallis, & Britannis, indecens visum; repudiatis fiscalibus, propriis sumptibus vivere maluerant. Tres tantum è Britannia, inopia proprii, publico usi sunt, cum oblatam a cæteris collationem respuissent.* Nota Lector, tres Britanniæ Episcopos, proprio caruisse; unde voto paupertatis obstrictos, regulares instituti viros fuisse, verosimillimum est. Sed cur oblatam ab aliis collationem respuerint, refert & laudat Author his verbis: *Sanctius putantes fiscum gravare, quàm singulos.* Quod benè, & è pietate factum Severus ostendit, cum unus id improbaret. nam ita loquitur.

Britanniarum Episcopi in duplici differentia.

Hoc ego Gavidium Episcopum nostrum, quasi obtrectantem, referre solitum audivi. Sed longe aliter senserim, laudiq; attribuo Episcopis tam pauperes fuisse, ut nihil proprium haberent: neque ab aliis potius, quam à fisco, sumerent; ubi neminem gravabant. ita in utrisque egregium exemplum. Hæc ille. Porrò quòd Britanni cæteri fiscum gravare noluerint, aut Constantii salem lingere; potissima causa fuit, quod Arianæ factionis Imperator se Synodi rebus præter morem immisceret illi autem noluerunt tam vili pretio libertatis suæ suffragium vendere: ut igitur pro fide, in perfidiam, constantius starent; oblatum à Constantio commeatum recusarunt. Non erat autem periculum, ne tres illi religiosi sanctique Episcopi, vocem aut animum prostituerent; qui se jam mundo & rebus omnibus crucifixerant. Quinam illi fuerint, aut quo nomine vocarentur, ne vestigium quidem est in Annalibus nostris. Unde constat plurima pietatis ac fidei monumenta, quæ Ecclesiam spectant, periisse. Cæterùm quid in Synodo cum aliis Episcopis, dixerint fecerintque, quod majoris momenti quæstio est; nunc paulò

III. Utrique probantur.

latiùs

latiùs exponendum est, quia Britannorum fidem & Ecclesiam illustrat.

IV. CŌSTANTIUS LEGEM SYNODO PRÆSCRIBIT.

Congregatis Patribus. lectæ sunt Constantii literæ; in quibus illud pudendum, & Christiano principe indignum erat; præscribere Synodo leges, quid agere, à quibus abstinere deberent Episcopi. *Non enim*, inquit Imperator, *de Orientalibus Episcopis, in Concilio vestro patitur ratio aliquid definire. proinde super his tantùm, quæ ad vos pertinere cognoscit gravitas vestra, tractare debebitis: & completis celeriter universis, consentiente consensu decem mittere ad Comitatum meum.* & infrà. *Quæ cum ita sint, adversus Orientales nihil statuere vos oportet: aut si aliquid volueritis contra eosdem, prædictis absentibus definire; id quod fuerit usurpatum, irrito evanescet effectu. Non enim illa vires habere poterit definitio, cui nostra statuta testantur, jam nunc robur & copiam denegari.* Ita ex Arianæ pestilentiæ Cathedrâ doctor Constantius; qui literas suas ad Episcopos datas hac ornat Epigraphe apud Hilarium in Fragmentis: VICTOR CONSTANTINUS MAXIMUS TRIUMPHATOR SEMPER AUGUSTUS. Unde Lector observet quod aliàs notavi, Constantium hunc Constantinum frequenter appellari. Ariminenses tamen Patres his minis non cesserant, sed fortiter officio suo functi sunt. Et quoniam inter eos fuère Britanni Episcopi Ecce tibi Lector omnia ex Hilario sancto.

Apud Hilarium Frag. l. 2.

V. *Hilarius sup. in Frag.*

DECRETUM CONC. ARIMINENSIS.

Incipit definitio Catholica, habita ab omnibus Catholicis Episcopis, priusquam per terrenam potestatem territi, hæreticorum consortio sociarentur, in Concilio Ariminensi. Si credimus placere omnibus posse Catholicis, à symbolo accepto, recedere non oportere; quod in collatione apud omnes, integrum recognovimus; nec à fide recessuros, quàm per Prophetas, à Deo Patre, per Christum Dominum nostrum, docente Sancto Spiritu, & in Evangeliis, & in Apostolis omnibus suscepimus, ut per TRADITIONEM PATRUM *secundùm successionem Apostolorum, usque ad tractatum apud Nicæam habitum, contra hæresim, quæ tunc temporis exsurrexerat, positum, usque nunc permanet. Quibus omnibus nec addendum aliquid credimus, nec minui posse manifestum est. Placet ergo nihil novum fieri.* SUBSTANTIÆ *quoque nomen & rem à multis sacris Scripturis insinuatam mentibus nostris obtinere debere sui firmitatem. Quam rem, cum suo nomine, Ecclesia Catholica, cum doctrinâ deificâ, semper confiteri & profiteri consuevit. Huic definitioni*, inquit Hilarius, *omnes in unum Catholici conspirantes subscripserunt.* Nec mirum; quia orthodoxæ Ecclesiæ tanta est potestas, & Patrum ac sæculorum Traditio adeò apud fideles omnes eminet: ut nefas sit eidem refragari. unde in hanc rem S. Hieronymus: *Etiamsi Scripturæ authoritas*, inquit, *non subesset, totius orbis in hanc partem consensus, instar præcepti obtineret. nam & multa alia, quæ per Traditionem in Ecclesiis observantur, authoritatem sibi scriptæ legis usurpaverunt.* Dialogo contra Luciferianos.

VI. TRADITIONE ARIANA HÆRESIS IUGULATUR.

Adverte in hoc fidei canone, ad Arianæ hæresis exterminium; non nudas tacentésque Scripturas sanctas, à Patribus admissas esse: nam factiosorum est. cum illis solis ludere; ut inde pro libitu idola mentis; suum, inquam, & vitiatum Scripturæ sensum fingunt: sed literam illam sensumque ejus sæculorum traditione submiserunt orthodoxi; ne ullum, de novo, monstrum in Ecclesiâ nasceretur. Quamobrem Britanni Episcopi, eam fidem, ex Evangeliis & Apostolis susceperunt: Quam TRADITIO PATRUM secundùm successionem Apostolorum, usque ad tractatum Nicænæ Synodi, per trecentos annos transmiserat: indignè ferentes; rejectâ hac *Traditione*, nescio quos sensus, vanissimis erroribus alimenta ministrasse. Clamant ergo ex Ariminensi Synodo: Regulam fidei Scripturam esse: sed quia illud etiam Ariani clamabant: nec Solem sine radiis, nec sensum Scripturæ sine *Traditione*, ad nos descendere posse; Ariminenses censuerunt. Qui ergo verboso strepitu, Scripturas appellitat, ut factum ab Arianis, is à Sole cupit calefieri, nec pati interim mediantes radios. Hæc nudæ Scripturæ acceptio, tam patenter Arianam hæresim genuit, fovit, educavit, denique roboravit. & Nicænæ fidei professio, tam clarè confirmata est *Traditione* sæculorum: ut valdè mirum sit, sectarios, cæco impetu, in eum scopulum incurrere; quem Nicæni, & Ariminenses Patres tantoperè vitaverunt.

VII. IDEM PROBATUR.

Quod ut fiat manifestum; vide quid Ariani in hac Ariminensi Synodo moliti sint. Composuerant illi fidei formulam; quam Constantius Imperator laborabat imprimis, aliis sublatis, confirmari: ubi nomen *Substantiæ*, quod Nicæna Synodus decreverat; antiquatum volebant, eo solùm argumento; quod nulla ejus vocis, in Scripturâ, mentio. Hæc erat eorum professio: *Credimus*, inquiunt, *in unum Deum, & verum Deum Patrem omnipotentem conditorem, opificemq; omnium, & in unigenitum filium Dei, ante omnia sæcula, & initia, & ante omne tempus, quod in intellectum cadere potest, existentem, & ante omnem comprehensibilem substantiam, natum impassibiliter, ex Deo, solum ex solo Patre, Deum de Deo, similem Patri suo, qui ipsum genuit. Cujus secundùm Scripturas generationem nemo novit; nisi solùm, qui eum genuit, Pater. Hunc scimus unigenitum Dei filium, nutu paterno advenisse de cælis, ad demoliendapeccata, genitum ex* MARIA *Virgine*, &c. *Vocabulum porrò Substantia, quia simpliciùs à Patribus positum est, & à populis ignoratur, & scandalum adfert:* EO QVOD IN SCRIPTVRIS NON CONTINEATVR; *placuit ut de medio tolleretur; & nullam post hac, de Dei substantiâ, mentionem esse faciendam:* EO QVOD SACRÆ SCRIPTVRÆ NVNQVAM MEMINERE SVBSTANTIÆ PATRIS ET FILII. *Filium autem Patri per omnia similem dicimus, quemadmodum sacræ literæ dicunt, & docent.*

Apud Athanasium l. de Synod.

ARIANORUM DECRETUM.

VIII. NOVATORES ITA PECCANT.

Ita Ariani, præludentes, si non in materiâ, in formâ tamen argumentandi, sectariis omnibus: qui nihil in ore solennius habent, nihil jactant insolentius, quàm Scripturæ nomen; & eo se tutos arbitrantur. Contra, Ariminenses Patres, & cum eis Britanniarum Episcopi; ita Scripturam sacram suscipiendam dicebant, & sensum ejus; ut *Traditio* docuerat ab Apostolis derivata; ubi *Substantiæ* nomen rarissimum erat; ideóque retinendum. Eodem modo argumentantur hodie orthodoxi, de Transsubstantiatione, Purgatorio, Trinitate, & innumeris aliis, quorum nomina licèt Scriptura non habeat; satis tamen putamus, ibi ea esse, unde, accedente sæculorum consensu, hæc sequuntur necessariò. Ægrè quidem ferunt, nec immeritò, res & dogmata innovari: voces tamen interdum amant, si rem olim creditam elucidant, & explicatiùs lucem à tenebris, fidemque ab errore distinguunt. Factiosorum est, & malignantis naturæ vitium, negare omnia, quæ

tacet Scriptura, quantumvis illa, omnia sæcula loquantur. Nec ibi quiescit factionis genius, sed de ipsâ Scripturâ subinde litigabit: & eos tantùm libros admittet, quibus sua stabilire dogmata putant, excernent alios; denique in iis, quos admittunt, libris, licèt Episcopi nomen, altaris & sacrificii centies ponatur: non solùm Episcopos altaria, sacrificium; sed ipsa etiam nomina persequuntur, ut nuper Deo hominique rebellis Socia.

IX. Arianorum Principes. *Athan. l. de Synod.*

Cùm cernerent Ariani, & eorum Principes, Valens, & Ursacius, non posse imponi Occidentis Episcopis: dicebant enim illi, teste Athanasio: *Nos, non quia fide indigeremus, huc convenimus: habemus enim sanam fidem: sed ut eos, qui veritati contradicunt, & nova moliuntur, confunderemus.* Ita Britanni quoque nostri; (& confirmant ea quæ suprà dixi, Arianam hæresim, provinciam nostram hactenus non pervasisse) cùm, inquam, Ariani cernerent, se causâ casuros; secessionem ab orthodoxis fecêre. & tunc patuit Constantii, & hæreticorum consilium fuisse; ut pestis illa, quæ Orientem infecerat, Occidentem quoque depopularetur. Sed Deus hunc orbem defendit egregiè: nam *totum Concilium consentientibus inter se suffragiis* (loquitur S. Athanasius) *Nicænam Synodum approbavit; & eam ad omnia sufficere judicavit. Ursacium verò, & Valentem, Germinium, Auxentium, Caium, & Demophilum, hæreticos pronuntiavit; & contra eos, submotos ab Ecclesiâ, & non verè Christianos, literas scripserunt,* in hæc verba.

Athan. de Synod. Nicæna Synodus probatur. Ariani condemnantur.

Quamdiu par & possibile erat, fratres charissimi, Catholica synodus, & sancta Ecclesia, suâ patientiâ & tolerantiâ pertulit indignè Ursacium, & Valentem, Caium, Germinium & Auxentium; qui aliàs alia sentientes, omnes Ecclesias perturbarunt; & nunc in præsentiâ, ausi sunt hæreticas sententias orthodoxæ fidei asserere; & Nicænam Synodum hostem Arianæ hæresis demoliri, suamq; sed peregrinam & alienissimam à sanctissimâ Ecclesiâ, fidem conscriptam promulgare; quam nos recipere, nefarium putamus. Qui cùm jam pridem hæretici essent; etiam nunc deprehensi sunt contraria sentire: quos ad communionem nostram accedere prohibuimus, eosq; in præsentiâ, nostris verbis condemnatos, a cœtu fidelium rejicimus. Vos item quod videbitur de istis statuite; ut omnis cujusque cognitio ex suâ subscriptione robur habeat. Unanimiter nos Episcopi dicimus: Prædicti isti inimici detrahantur ab Ecclesiâ; ut Catholica Ecclesia in pace permaneat. Hactenus sententia ab Episcopis omnibus Catholicis subscripta, inquit Athanasius.

X. Anathematismi in Conc. Ariminensi. *Apud Hilarium in Fragm.*

Hæc licèt potuerint sufficere, ad fidei firmitatem; placuit tamen Synodo, anathematismos adjicere; quo certiùs errores ferirent; illos imprimis, qui nescio quâ specie pietatis, ita inhærent Scripturis sanctis; ut *Traditionem* omnem aversentur. Scribit ergo in hunc modum tuba Constantium reverita. *Blasphemia Arii licèt antehac fuerint damnata; latebant tamen occulta; quia eum blasphemasse ignorabatur. Verùm, favente Deo, procuratum est; ut constitutis nobis apud Ariminum, ejus pestifera hæresis reperiretur: & ideo simul cum ejus blasphemiis; omnes quoque hæreses, quæ antehac exsurrexerunt contra Catholicam & Apostolicam* Traditionem; *sicut jam dudum damnata sunt, præteritis Conciliis, & diversis in locis; nos quoque damnamus & anathematizamus eos, qui dicunt, Filium Dei nullis extantibus, & de aliâ substantiâ, & non de Deo Patre natum, Deum verum de Deo vero.*

Et si quis Patrem, & Filium, duos Deos; hoc est, non nata duo principia dixerit, & non Patris & Filii unam deitatem profiteatur. Anathema sit.

Si quis Filium Dei creaturam, vel facturam dixerit. Anathema sit.

Si quis Deum Patrem, ipsum de MARIA natum, eundemq; Patrem & Filium dixerit: Anathema sit.

Si quis Filium Dei, de MARIA initium sumpsisse dixerit; vel fuisse tempus, quando non erat filius: Anathema sit.

Si quis Filium Dei, aut temporalem, aut hominem solum, & non ante omnia sæcula, de Deo Patre natum profiteatur: Anathema sit.

Si quis Patris, & Filii, & Spiritus sancti unam personam, aut tres substantias divisas dixerit; & non perfectæ Trinitatis unam deitatem profiteatur; Anathema sit.

Si quis Filium Dei, esse ante omnia quidem sæcula, & non ante omne omnino tempus dixerit, ut ei tempus assignet: Anathema sit.

Si quis creata omnia non per verbum, sed sine eo, vel ante eum facta dixerit; Anathema sit.

Si qua autem aliæ blasphemiæ Arii, vel cujuslibet repertæ fuerint, similiter anathematizamus.

XI. Literæ Ariminen. Synodi ad Constantium. *Apud Athanasium l. de Synod.*

Ita Britanniarum Episcopi, & Ariminenses orthodoxi, *Traditione* hæreses jugularunt: & id ipsum Constantio per literas significant, quarum hoc est exordium: *Dei jussu, tuoq; piè edicto parentes; quæ olim dogmatibus TRADITA sunt, ita esse, ut TRADITA sunt, nostris suffragiis stabilienda judicavimus. Nam Ariminum, ex omnibus ad Occidentem positis civitatibus, in unum convenimus; ut fides Catholicæ Ecclesiæ cognosceretur; & qui alterius opinionis essent manifesti fierent. Ibique post longam deliberationem; optima visa est ea fides, quæ hactenus a priscis temporibus perduravit. Quam & Prophetæ, & Evangelistæ, & Apostoli, per Dominum nostrum JESUM CHRISTUM prædicarunt: qui est tui imperii custos, & tuæ valetudinis defensor. Statutum est igitur, ut eam retinentes coleremus, & colentes usque ad finem conservaremus. Indecens enim, & nefarium aliquid ex rectè, & justè decretis, & ex Nicææ rebus, publicè cum illustrissimo Principe Constantino, patre tuo, per accuratam deliberationem constitutis, immutare velle: in quibus tanta doctrina est & prudentia; ut ea ubique deprædicata, ad omnium aures animosq; pervenerit; quæ sola hostis & interfectrix Arianæ hæreseos, & per quam, non illa sola; sed & reliquæ hæreses sublatæ sunt: in quâ certè, & addere aliquid, temerarium est; & auferre, periculosum. Quorum si alterutrum fiat, erit hostibus quidlibet agendi libera facultas.*

XII. De damnatione Ursacii et Valentis.

Atque eâdem causâ, Ursacius & Valens jam pridem socii & adstipulatores Ariani dogmatis; à nostrâ communione, sententiâ datâ segregati fuêre: quam ut denuò recuperarent; de peccatis suis, in quibus se conscios agnoscebant; pœnitentiam veniamq; postularunt; ut eorum syngrapha testantur: & ob id, illis venia gratiaq; delictorum facta est. Hæc autem per id temporis facta sunt, cum Mediolani Synodus in consessum ibat, præsentibus ibidem Romanæ Ecclesiæ Presbyteris, fuitq; proinde nobis persuasissimum, iniquum esse, cum Imperator Constans, ab obitu suo dignus omni memoriâ, hanc fidem omni curâ & diligentiâ conscriptam promulgarit; tum demum ex quo ille baptizatus, ex hominibus in requiem sibi debitam translatus est; aliquid novi, in ea fide moliri velle; & tot sanctos Confessores & Martyres, hujus placiti Scriptores, Authoresq; contemnere: qui pro veteri lege, ritusq; Ecclesiæ, in ea sententiâ permansêre: quorum fidem Deus per Dominum nostrum JESUM CHRISTUM in tempora

tui Imperii contulit: per quem ita latè regnas, ut etiam nostro orbi imperes.

XIII. INCONSTANTIA EORUNDEM.

Verùm denuò miseri isti deplorati animi; nefario ausu, impia sententia sese pratones ostendunt; & omnia veritatis decreta convellere nituntur. Eo enim tempore, quo pro tuo edicto Synodus cogebatur, ipsi fraudis suæ consilia denudarunt. Conati enim sunt per vafritiem & tumultum; cum sociis istius factionis, Germinio, Auxentio, Caio, contentiones discordiasq; seminantibus; novas res facere. Quorum doctrina una eadémque, omne genus blasphemiarum superat. Ubi autem viderent non esse ibi homines ejusdem studii; usque qui illorum pravis sententiis adstipularentur; in nostrum Concilium se transtulerunt ut viderentur aliud quippiam scribere: sed ipsi non ita diu postea animum suum ostenderunt. Ne igitur res Ecclesiastica in easdem molestias cadant; néve turbatio, & tumultus denuò omnia involvat & confundat; constanter visum est, olim decreta pro legitimis inconcusse servanda; & istos à nostra communione submovendos esse. Atque ideo legatos nostros, ad tuam æquitatem misimus; qui tibi sententiam Synodi ex epistola ostenderent: idq; legatis nostris, ante omnia mandatum est, ut veritatem priscis & justis rerum allegationibus probarent, & tuæ sanctitati ostenderent; quod non, quemadmodum Ursacius & Valens inquiunt, pax futura sit, si aliqua ex rebus justis subvertantur. nam quomodo pacificè agere possunt, qui pacem tollunt? Sed potiùs inde contentionem turbationemq;, tum reliquis civitatibus, tum Romanæ urbi oborituras esse.

XIV. MAIORUM SENTENTIÆ CŌSTANTER INSISTENDUM,

Priusquam pergo in Ariminensium Patrum supplici libello; unum animadversione dignum Lectori in memoriam revoco, quod gravissimæ hujus quæstionis, quæ toties Orientem & Occidentem inter se commisit, fundamentum est. Nimirum quàm scrupulosè orthodoxi Patres majorum vestigiis insistendo, eorum doctrinam puram putámque, inter tot adversarium potentissimos impetus conservarint. Unde factum, ut de ono, & in speciem non magno apice, contentiosissimè litigatum sit. Nec enim Arianis etiam Augustorum authoritate armatis, hunc apicem cedere voluerunt; licèt ubique magnis vocibus clamatum sit, levioribus rebus & minutis circumstantiis cedendum potiùs, quàm contentiosus funis tamdiu exasperatis plurimorum animis protrahendus. Quo docentur sequentia sæcula, quâ ratione, in errores, schismata, hæresesque pugnandum.

NEC ERRORIBUS ADBLANDIENDUM.

Non enim debet orthodoxa Fides, rejecto, vel dissimulato majorum sensu, novis erroribus adblandiri, spe victoriæ; & ita Ecclesiæ majestatem perduellium voluntati submittere: nec cum illis commercium & amicitiam quærere, sub fuco caritatis: hoc enim esset virginem fidem corruptoribus inclioare. Nec Ecclesiæ unitas tanto veritatis dispendio quærenda: nam sine dubio ita magis illa distrahitur. Quod perspicuum est è mente Ariminensium Patrum; qui optimè suprà scripserunt: *Quod non quemadmodum Ursacius & Valens inquiunt, pax futura sit, si aliqua ex rebus justis subvertantur. Nam quomodo pacificè agere poterunt, qui pacem tollunt? Sed potiùs inde contentionem turbationémque tum reliquis civitatibus, tum Romanæ urbi oborituras esse.* Enimvero Romana Fides patitur, si illa Romanæ fidei hostibus, ullo caritatis pallio, permittitur; *& illi non habent Dei caritatem, qui Ecclesiæ, hoc modo* (quem Ariminenses Patres, & Britanniarum Episcopi præscribunt) *non diligunt unitatem.* ut optimè sanctus Augustinus,

Aug. de Baptismo cont. Donat. l. 3. c. 16.

qui in Donatistas, Pelagianos, alia fidei monstra pugnans, errores detegere, impetere, aversari; nunquam verò patrociuari solebat, aut ullà fideliâ dealbare.

XV.

Quapropter supplicamus tuæ humanitati (ita pergunt Patres ad Constantium scribere) *ut benignis auribus, & sereno vultu, nostros legatos intuearis, neque ad contumeliam mortuorum aliquid novi induci permittas; sed nos sinas, in institutis decretisq; majorum permanere: quos magno ingenio, prudentiâ, & Spiritu sancto, omnia fecisse asseveravimus. Certè res nova, quas isti moliuntur credentibus incredulitatem, incredulis credulitatem inducunt. Iterum de nostris supplicationibus commenimus. Ut jubeas Episcopos peregrè commorantes, quos & gravitas ætatis, & paupertas affligit, quàm facillimè in patriam deduci; ne Ecclesia absentibus Episcopis deserta relinquantur. Id quoque nostris precibus addimus; quo nihil desit rerum priscarum, nihilq; exuberet, sed omnia firma maneant, usque à temporibus beati patris tui, in hodiernum diem observata, ne nos posthac vexari, & a nostris Diœcesibus segregari permittas, sed ut Episcopi, cum suis populis, placem ad preces cultusq; divinos, & otium habeant, orantes pro tuo imperio, salute, & pace: quam tibi in perpetuum divinitas largiatur. Nostri porro legati subscriptiones, salutationesq; Episcoporum afferunt, qui tuam sanctitatem, de hac causâ ex ipsis sacris literis edocebunt.*

MISSIONEM PETUNT EPISCOPI.

Huc usque Synodalis ad Constantium Epistola: in quâ Britanniarum Episcopi *peregrè commorantes quos gravitas ætatis, & tres ex iis quos paupertas affligebat* (de quibus suprà Severus) solvi Synodum magnoperè cupiebant; veriti forsan quod post evenit; Constantium vi conaturum obtinere, id quod, Arianorum suggestione, scinderet potiùs, quàm componeret fidei unitatem. Nec enim hæc Synodus sanctissimè incœpta, & nunc, quantum orthodoxi poterant, finem consecuta, eventum sortita est, qualem Patrum fides & sanctitas promittebant.

XVI. SED A CONSTANTIO DETENTI; VEXANTUR.

Etenim Constantius, qui nihil aliud tot Synodorum indictione laborabat; quam ut Ariana hæresis, utrumque orbem inficeret; cùm Ariminensium Episcoporum sententiam, ex Arianorum legatis, qui orthodoxos prævenerant, audivisset; spe suâ frustratus, exuit pietatis larvam, quam hactenus sumpserat; & in apertam tyrannidem, ingentibus minis prosilit. Multus essem, si dicerem omnia, inclusos Patres; inedia, & terroribus coactos ad indigna, vel cum injuriâ dimissos. Satis sit Lectorem monere, non aliud sperandum in Ecclesiâ; ubi Laici arcana fidei mysteria tractare præsumunt. Vidimus suprà in Magno Constantino felicissimum Christianæ religionis progressum; quamdiu Ecclesiasticis viris fuit integra & libera sententia: nunc pessimus error Romanum orbem occupavit, qui se Arianum esse (loquitur de hoc tempore S. Hieronymus) miratus est; cùm Constantius, pro tribunali sedens, in causâ fidei sententiam dixit: Et verè ille, non tantùm sedit, cum stare debuisset: non tantùm sententiam dixit, cùm tacere oportuisset: sed iniquissimum judicem egit, cogendo suffragia, & sanctissimos Episcopos, qui loqui ad ejus libitum nolebant, opprimendo. Quinam ejus libidini cesserint, non invenio; cessere tamen aliqui. De Britannis nostris verosimile est, servasse illum sensum, quem literis suprà expresserant, & in Nicænâ fide constantes fuisse. Nam illi

Britanni Episcopi laudantur.

Athan. de Synod.

ſine dubio, multo labore, difficili itinere, longo etiam ſtudio, ac inſigni prudentiâ, pro Patrum *Traditionibus* deſudarunt. quos S. Athanaſius ita laudat: *Quis non approbaverit piam prudentiam Epiſcoporum, Arimini congregatorum; qui tantum itineris laborem, tantaq; pericula maris ſuſtinuerunt ut Arianam hæreſim ſapientes ab Eccleſiâ detraherent, & Patrum* TRADITIONES *integras conſervarent, ſancta & canonica decreta facientes.* Ita ille, qui ſi hodie viveret, videretque Patrum *Traditiones*, miſerè traduci; acueret profectò calamum in ſectarios, & Arianis componeret, qui vix alíter peccarunt.

ANNUS URBIS CONDITÆ IIII.

ANNUS CHRISTI 360.

LIBERII PAPÆ 9.

CONSTANTII IMP. 10.

I. Picti et Scoti Britanniam turbant.

An. 56. n. 4. & 210. a. 3.

I. CHristi annus ſexageſimus ſupra trecenteſimum, Conſules habuit Conſtantium Auguſtum decimò, & Julianum Cæſarem tertiò, quando turbatæ Britannorum res, Pictis & Scotis Inſulam infeſtantibus. Et hîc primùm occurrit, in probatis authoribus Scotorum mentio: qui dudum quidem inſederant Septentrionalem partem Britanniæ; ſive fixo ibi domicilio; ſive, quod verius, incertis tantùm vagiſque ſedibus. Illos olim, cum Pictis (quos Britannos origine ſuprà dixi) vario termino, muris, vallo, aggere, Romani à provincialibus ſociiſque diſtinxerant: atque ita diu ceſſatum ab injuriâ: donec feneſcente tunc imperio Romanorum, & Britanno milite evocato, factus eſt & audacior hoſtis, & provincia debilior. Tunc Julianus Cæſar, qui in Galliis agebat rem fortiter, Lupicinum armorum magiſtrum, in Britanniam ablegat: quo Romana Inſula à barbaris tuta, & procul eſſet periculo. Ammianus Marcellinus hunc annum & rem geſtam enucleatiùs explicat ita: *Conſulatu Conſtantii decimo, tertioq; Iuliani in Britanniis cum Scotorum Pictorumq; gentium ferarum excurſu, ruptâ quiete, condita loca limitibus vicina vaſtarentur, & implicaret formido provincias, præteritarum cladium congerie feſſas, hyemem agens apud Pariſios Cæſar, diſtractuſq; in ſolicitudines varias; verebatur ire ſubſidio tranſmarinis* (ut retulimus ante feciſſe Conſtantem) *ne rectore vacuas relinqueret Gallias. Alemannis ad ſævitiam etiamtum incitatis, & bella. Mittere igitur ad hæc loca, ad rationes componendas, Lupicinum placuit, eâ tempeſtate magiſtrum armorum; bellicoſum ſanè & caſtrenſis rei peritum; ſed ſupercilia erigentem ut cornua; & de tragico, ut aiunt, cothurno ſtrepentem. Super quo diu ambigebatur, avarus potiùs eſſet, an crudelis. Moto ergo velitari auxilio, Herulis ſcilicet & Batavis, numeriſq; Mœſiacorum duobus, adultâ hyeme, Dux ante dictus Bononiam venit: quæſitiſq; navigiis, & omni impoſito milite, obſervato flatu ſecundo ventorum, ad Rutupias, ſitas ex adverſo, defertur, petitq; Lundinium* (aliqua exemplaria habent, apud Gruterum hîc in notis, Lundonium) *ut exinde ſuſcepto, pro rei qualitate, conſilio, feſtinaret ocyùs ad procinctum.* Hæc Marcellinus, qui per Rutupias ex adverſo Bononiæ ſitas, intelligis locum illum, quem ſuprà Tacitus vocavit Trutulenſem portum: Saxones autem, teſte Beda, Repta-Ceſter, nunc demum eſt Richborow, ad auſtrale oſtium Wantſumi fluminis in agro Cantiano; quem à Rutupiis, Rutupinum agrum Auſonius Poeta, in parentalibus appellavit, illo verſu:

Lupicinus a Juliano mittitur in Britanniam.

Marcell. l. 20. c. 1.

V. an. 342. n. 2.

Venit Rutupias, et inde Londinum.

Militiam nullo qui turbine ſedulus egit
Præſide lætatus, quo Rutupinus ager.

II. Exauctoratur.

Marcel l. 20. c. 25.

Idem ſup. c. 24.

Gumoharius Lupicino ſubſtituitur.

II. Non diu hæſit Lupicinus in Britanniâ; nec aliquid dignum Annalibus feciſſe videtur. Julianus enim qui factione militum Auguſtus acclamatus eſt; Lupicinum veritus, eum exauctoravit; ſubſtituto in locum ejus Gumohario; ſilenter tamen: ne in motu provinciarum, ipſe quoque novandarum rerum anſam arriperet. *Gumoharium*, inquit Marcellinus, *ſucceſſorem Lupicini, antequam ſciretur hujuſmodi quicquam, magiſtrum provexit armorum.* & paulò poſt, de reverſione Lupicini in Gallias: *Quoniam*, inquit, *cùm hæc ita procederent, timebatur Lupicinus, licèt abſens, agenſq; etiamtum apud Britannos; homo ſuperba mente, & turgidus: eratq; ſuſpicio, quod ſi hæc tranſmare didiciſſet; novarum rerum materias excitaret: Notarius Bononiam mittitur, obſervaturus ſolicitè, ne quiſquam fretum Oceani tranſire permitteretur. Quo verito, reverſus Lupicinus antequam horum quidquam ſciret, nullas ciere turbas potuit.* Hæc ibi. Nunc, quæ ſunt Conſtantii reliqua videamus: nam diu impunis eſſe non poteſt, qui terrarum Orbem miſcuit, novâ & impiiſſimâ factione.

III. Julianus Auguſtus.

III. Mirum dictu! vix cœpta eſt per univerſum Orbem, minui filii Dei divinitas, impietate Conſtantii: cùm pariter ipſi Conſtantio imminuta majeſtas eſt, intruſo in Occidentis regnum Juliano, qui hoc anno imperium præſumpſit: nec potuit alter crimen ulciſci. Sed levis hæc pœna fuit, & major manebat eum, qui iniquiſſimis artibus Eccleſiarum pacem, & divinam læſerat majeſtatem.

Giral. topog. Hib. diſt. 3. c. 16.

Uſſer. fo. 587.

Beda l. 1. c. 1.

IV. In Britanniâ certè, hoc anno, Lupicino nequicquam obnitente, Hiberni, qui & Scoti videntur, novâ coloniâ, ita pedem in Septentrionali Inſulæ parte poſuerunt; ut deinceps, proceſſu temporis, per varia incrementa, tandem ſequenti ſæculo imperium ſibi poſteriſque firmaverint. Huc enim referri debet, quod ſcribit Giraldus Cambrenſis: *Notandum videtur*, inquit, *Nello Hibernia monarchiam obtinente, ſex filios Muredi Regis Vltoniæ, in claſſe non modica Boreales Britanniæ partes occupaſſe. Vnde & gens ab iis propagata, & ſpecificato vocabulo Scotica vocata, uſque in hodiernum, angulum illum inhabitant.* Porrò Nellus ille, Hibernorum monarcha, Conſtantii Junioris tempore, regnavit; ut ab Authore innominato vitæ S. Patricii colligit Uſſerius. Quod ſi verum; Marcellinus ſuprà irruptionem illam ſignificaſſe videtur, annumque deſignaſſe, conſulatu Conſtantis X. & Juliani III. Fortè etiam inter ſex Nelli filios, Renda primus fuerit, & dux cæterorum: & tunc habes Bedam, Marcellinum explicantem ita: *Procedente autem tempore, Britannia poſt Britones & Pictos, tertiam Scottorum nationem in Pictorum parte recepit. Qui Duce Renda, de Hiberniâ egreſſi, vel amicitiâ vel ferro, ſibimet inter eos ſedes, quas hactenus habent, vindicarunt. A quo videlicet Dalrendini vocantur.* Ita Beda. Dalrendini igitur hoc tempore ingreſſi, ita ſedes in Britanniâ per annos ſexaginta tenuerunt inter proſpera & adverſa fortunæ; ut licèt aliquando inde pulſi, tandem tamen in regnum juſtamque Remp.

emerſerint,

An. 422.

Camden. in Scotia.

emerserint, ut suo loco dicetur. Interim accipe quod de hoc Scotorum appulsu habet Camdenus. *Cum Scoti, inquit, ad Pictos in Britanniam accessissent; quantvis præliis & prædationibus continenter lacessrerent: non tamen res Scotica statum adepta est; sed in eo quo appulerunt angulo, diu egerunt: donec uno eodemq; tempore, Pictos ferè ad internecionem delevissent; & Northumbria regnum intestinis malis, Danorumq; incursionibus confectum, corruisset. Tunc enim omnis Septentrionalis Britanniæ plaga in Scotorum nomen concessit.* Hinc constat; quantumvis nunc Scoti Britannos vexaverint; & paulo posterius, nutante Romanorum imperio, sedes magis magisque fixerint, tamen non nisi post aliquot sæcula, suum provinciæ nomen indiderunt.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1112.

ANNUS CHRISTI 361.

LIBERII PAPÆ 10.

CONSTANTII IMP. 11.

I. De Fide Britannorum.

SEQUENTI anno, qui fuit trecentesimus sexagesimus primus, Tauro & Florentio Consulibus, Constantius Imperator, Orientis regno, & vita simul exuitur: indigna Constantini soboles; qui per Arianam hæresim, & luxata semel Ecclesiæ membra, gradum fecit ad eam defectionem, quæ statim sequuta est, imperante apostata: Quod priusquam aggredior, circumspiciam paululum, & quæram; turbatáne fuerit, & quando, Britannorum fides; eum ubique ingemuit orbis se Arianum esse? Valdè enim cupio, à pessimo crimine Britanniam absolvere: nec levia suppetunt argumenta, cum suprà Episcoporum sensum, in Ariminensi Synodo exposuerim: & Hilarius Occidentis ac Gallorum fidem explicans, *Occidentalibus perhibuerit testimonium*, inquit Sulpitius Severus: Verum quia Beda in historia, & Gildas noster, Britanniam accusant; quod peccante universo Orbe, illa quoque in fide claudicaverit: nolo ita pro Britannis pugnare; ut errores, si qui fuerint, aut dissimulem, aut oscitanter percurram. Gildas, cum Diocletiani tempestatem, & secutam inde serenitatem aperuisset, hæc habet: *Mansit hæc Christi capitis, membrorum consonantia suavis; donec Ariana perfidia atrox, ceu anguis, transmarina nobis evomens venena, fratres in unum habitantes exitiabiliter faceret sejungi: ac sic quasi via facta trans Oceanum, omnes omnino bestiæ feræ mortiferum cujuslibet hæreseos virus, horrido ore vibrantes, letalia dentium vulnera, patriæ, novi semper aliquid audire volenti, & nihil certè stabiliter obtinenti, infigebant.* Ita ille: Quæ Beda paulò clariùs ita reddidit: *Mansit hæc in Ecclesiis Christi, quæ erant in Britannia pax, usque ad tempora Arianæ vesaniæ; quæ corrupto orbe toto, hanc etiam insulam, extra orbem longè remotam, veneno sui infecit erroris: & hac quasi via pestilentia, trans Oceanum patefactâ non mora, omnis se lues hæreseos cujusque, insulæ novi semper aliquid audire gestienti, & nihil certi firmiter obtinenti, infudit.* Hactenus è Gildæ mente Beda. Unde dicendum esset; Britanniam, hoc præsertim tempore, cum totus penè orbis Ario studeret, aut faveret; eàdem hæresi infectam esse.

Severus l. 2. sac. Historia.

Gild. in excidio.

Beda l. 1. c. 8.

II. Necdum Ariana hæresis Britanniam infecit.

Verum cum hi Authores, nec tempus, nec annum designent; quo laborare cæpit Insula morbo perfidiæ; & Britanniarum Episcopi, Arimino nuper reversi, pro orthodoxâ Britannorum fide stipulati sint; non est opus accelerare malum, aut Insulam ad id, tam citò condemnare, *quæ extra orbem longè remota*, & Oceano clausa; non nisi, post alias provincias ea labe correpta est. Quod attinet ad præsentem annum, nulla videtur alienæ fidei macula, solem cælumque nostrum obscurasse. nam Hilarius Pictavorum Episcopus, in Gallias redierat, quem Britanniarum Episcopi, & omnes ferè orthodoxi, humanissimis literis, exceperunt, victoriam illi de hostibus gratulati. Missi sunt ad eum provinciales nostri, qui docentem audirent: & ipse officiosè ad Britanniarum Episcopos, quos à fidei puritate commendat, ita scripserat:

DOMINIS ET BEATISSIMIS Fratribus, & Coepiscopis provinciæ Germaniæ, &c. & provinciarum Britanniarum Episcopis, Hilarius servus Christi in Deo, & Domino nostro æternam, Salutem.

III. Hilar. l. de Synodis. Hilarii literæ ad Britanniæ Episcopos.

CONSTITUTUM mecum habebam, fratres charissimi, in tanto silentii vestri tempore; nullas ad vos Ecclesiastici sermonis literas mittere: sed beata fides vestra literis sumptis, quarum lentitudinem ac raritatem, de exilii mei & longitudine, & secreto intelligo constitisse: gratulatus sum in Domino, incontaminatos vos, & illæsos ab omni contagio detestandæ hæreseos perstitisse; vos qui comparticipes exilii mei, in quod me Saturninus, ipsam conscientiam suam veritus, circumvento Imperatore, detruserat; negata ipsi usque ad hoc tempus, toto jam triennio, communione; fide mihi ac spiritu cohærere; & missam proximè vobis, ex Syrmiensi oppido, infidelis fidei impietatem, non modò non suscepisse; sed nunciatam etiam significatamq; damnasse: necessarium mihi ac religiosum intellexi: ut nunc quasi Episcopus, Episcopis mecum in Christo communicantibus, salutaris, ac fidelis sermonis colloquia transmittere. Et qui per metum incertorum, conscientia tantùm antea mea, quod ab his omnibus essem liber, gratulabar: nunc jam communis fidei nostræ integritate gauderem. O gloriosa conscientiæ vestræ inconcussam stabilitatem! ò firmam fidelis Petræ fundamine domum! ò intemeratæ voluntatis illæsam imperturbatamq; constantiam! Mansit namque, atque etiam nunc permanet, post Synodi Biterrensis professionem; in quâ patronos hujus hæreseos, ingerenda quibusdam, vobis testibus, denunciaveram; innocens inviolataq; religio. Expectatis enim sanctâ & indemutabili perseverantiâ gloriosum triumphum, non cedendo Saturnini minis, potestatibus, bellis; & tum omnium inchoandæ blasphemiæ in Deum certamina moverentur; manentes nunc usque mecum in Christo fideles; neque antea ad occasionem prorupturæ hæreseos cessistis; & nunc omnem ejus petulantiam, in proruptionis congressione, fregistis. Vicistis enim fratres, cum ingenti fidei communis congratulatione; & geminam habuit illæsa conscientia vestra honor, gloriam: de integritate scilicet conscientiæ, & de exempli authoritate. nam fidei vestræ imperturbatæ inconcussæq; fama, quosdam Orientalium Episcopos, sero jam ad aliquem pudorem nutrita exinde hæreseos auctaq; commovit.

IV. Hilarii commu

Hæc, & plura in eandem rem, cum scribat Hilarius ad Britanniarum provinciarum Episcopos; manifestum redditur, hactenus eorum Ecclesias

nulla

NICATIO CUM BRITANNIÆ EPISCOPIS.

nulla Arianæ contagionis labe vexatas esse: sed potiùs earum exemplo, constantiaque; Orientales aliquos ad fidei veritatem rediisse. adde literarum commercium, quod Hilarium inter & Britanniarum Episcopos intercessit, quod ex iis colligitur, quæ ibidem scribit Hilarius: *Quanquam in omnibus quæ gessistis & geritis, constantem fidei vestræ libertatem, & securitatem testemus; tamen etiam in eo ferventis spiritus ardorem probastis; quod nonnulli ex vobis, quorum ad me potuerunt scripta deferri; quæ exinde Orientales, fidei professionibus gerant & gesserunt, significari vobis humilitatis meæ literis efflagitastis: etiam hoc mihi omnium imperitissimo omnium, ex affectu caritatis addentes; ut quid ipse super omnibus dictis sentiam, inditem.* Ecce Britanniarum Episcopi, cum Hilario per literas communicant, dum in Oriente exulat, Biterrensis Synodi sententiâ, & Saturnini Arelatensis Episcopi factione: quem etiam in Galliam redeuntem nostri, ut mox dicam consuerunt. Unde pro puritate fidei, & Ecclesiarum nostrarum integritate, non leve deducitur argumentum; & fortius pro illa pugnat quam qui Gildæ aut Bedæ sententia pugnant, quæ posteriùs quidem verificari potest, ut infrà dicam: sed hactenus tamen contra nos non concludit.

An. 385. 7. &c.

V. BRITANNIARUM PROVINCIÆ.

V. an. 112. 2. & 4. 314. 5.

Sed quænam hæ Britanniarum provinciæ, & quinam Episcopi, tantis laudibus ornati; quique pro orthodoxâ fide steterunt, fecerunt, scripseruntque ad Hilarium? opinor imprimis ideo provincias Britanniarum vocari Romana dialecto; quia olim Imperatores, ut dictum est, Insulam in plures provincias distinxerant: & omnes, ut apparet, in quæstione de Christi divinitate, cum Hilario sentiebant. Iterum duplex censebatur hoc tempore Britannia; Romana, quæ Imperatoribus serviebat. Septentrionalior altera, quæ subdi nolebat, & qua posteriùs in Scotiæ nomen appellationemque transivit. hactenus enim Scotiæ nomen in Britannia inauditum; licet, sub hæc tempora, Scoti fixisse ibi quodammodo sedem videantur. Sed quemadmodum Saxones & Angli diu in Insulâ fuerunt, priùs ibi sedes, & regnum nacti, quàm Angliæ nomen innotesceret: sic multò magis de minore Insulæ parte, minusque culta, sentiendum; Britanniæ adhuc nomen, & notionem servavisse. Hilarius itaque ad utriusque provinciæ Episcopos scripsit: & omnes cum illo in fide communicabant: quod Venantius Fortunatus eleganter expressit illo carmine, quo Thulem Britanniarum extremum nominat.

Fortunat. l. 8. carm. 1.

Pictavis residens, quâ sanctus Hilarius ortus,
Natus in urbe fuit, notus in orbe pater.
Eloquii currente rotâ penetravit ad Indos,
Ingeniumque potens ultima Thule colit.
Perfundens cunctos, vice solis, lumine terras,
Cujus dona Saca, Persa, Britannus habet.

VI. RESTITUTUS EPISCOPUS SCRIPSIT AD HILARIUM.

Omnes ergo provinciæ Britanniarum, in difficili quæstione, & quæ totum orbem concusserat, hoc tempore in Hilarii fidem, & sententiam ibant; cupiebantque per literas doceri; quid adversarii, & quibus argumentis, aut starent, aut caderent. Cæterùm quod ad Episcopos attinet, qui literarum commercio, cum eo agebant, difficile est nomina percensere. Unus tantum Restitutus Londinensis Archiepiscopus, passim in Authoribus nominatur, & ille ipse est quem primo Arelatensi Concilio interfuisse diximus, anno Christi 314. nam de scribunt ex Balæo Magdeburgici, quod ad Hilarium Pictaviensem

Cent. 4. fo 1294.

Episcopum, scripserit *Epistolas plures.* Pitsæus quoque inter illustres Britanniæ Scriptores, Restitutum hunc numerat, & ait scripsisse ad Hilarium Pictaviensem *Epistolarum librum unum.* Procul ergo ab hoc Restituto, fuit Restitutus ille, qui cum aliis, ab Ariminensi Synodo, legatus est ad Constantium, & orthodoxam fidem pessimè prodidit. Vocatur is in Hilarii fragmentis *Carthaginensis Episcopus.* quod licet Nicolaus Faber in præfatione ad Hilarii fragmenta non admittat; & benè probet, sub hæc tempora, nullum Carthagine Restitutum sedisse: nos tamen illum non possumus arrogare: tum quia Restitutus noster, cum Hilario, non contra, sensit; & ab eo propterea commendatur: tum quia Legati ab Ariminensi Synodo, ad Constantium missi, *homines erant adolescentes, parum docti, parum cauti,* inquit Severus. Restitutus autem, qui anno Christi 314. Archiepiscopus Arelatum iverat, & [illegible] rum anno 353. quique Nicæno Concilio probab[illegible] liter adfuerat inter *adolescentes* numerari non [illegible] tuit, *parum doctos & cautos.* Nec iterum mirari quis debet, superstitem hoc tempor[illegible] quia Osius Nicæno Concilio senex interfuit; & iterum post annos triginta Syrmiensi Synodo, centenario major. & Britannorum, quam Hispanorum est communiter vita productior: quia calor naturalis, sub frigidiore cælo, conservatur & firmatur magis. Hic tamen Restituto successorem damus Theodwinum solo nomine, & sede Londinensi, memorandum.

In præfat. ad frag. Hilarii.

Sever. [illegible]

VII. KEBIUS CORINNIUS HILARII AUDITOR.

Non leve argumentum incorruptæ Britannorum fidei est Kebius, cognomento Corinius, Britannus homo, Salomonis Cornubiæ Ducis filius; qui S. Hilarium ex Oriente in Gallias reducem, hoc tempore adiisse dicitur, ut orthodoxam fidem ab eo enucleatiùs disceret. Quod fortè in causa fuit, cur aliqui putaverint, Arianam hæresim in Britanniam penetrasse, ipsumque inde exiisse, ne peste illa corriperetur. Ita Pitsæus. *Kebius Corinius,* inquit, *natione Britannus, patria Cornubiensis, & Salomonis Cornubiæ Ducis filius, vir ingenii præclari, insignis doctrinæ, magnæ virtutis, post bene jacta in patria studiorum fundamenta, ut videtur, propter tum pullulantem in Britanniâ Arianam hæresim, adhuc juvenis in Galliam secessit, & S. Hilarii, tum Pictaviensis Episcopi, famâ motus; ad eum se contulit, & omni qua potuit ratione, illius gratiam & benevolentiam conciliavit; ut tanto doctore sacras literas, eaque omnia, quæ statui conveniunt Ecclesiastico, discere posset.* Benè dicit (ut videtur) & dubitanter dicit: nam verius est, Arianam hæresim needum pullulasse, sed tantum insignem eruditi ingenii plantam, in alienum solum translatam esse, ut meliùs coleretur. Fortè etiam Britanniarum Episcopi, & bonarum artium Mecænates, juventuti timebant, & contagionem ubique serpentem prævidebant trans Oceanum in Britannia nascituram; & ideo remedium ab Hilario quæsiverunt.

Pitse. in illust. Brit. Script. in Kebio.

CUR IVIT AD HILARIUM?

VIII. QUAMDIU IN GALLIA MANSIT.

Quamdiu Kebius apud Hilarium manserit, non habeo dicere: puto tamen, lapsum ejus vitæ scriptorem, apud Capgravium, qui tradit illum per quinquaginta annos Hilario adhæsisse, *illuminando cæcos, mundando leprosos, paralyticos, mutos, & dæmoniacos sanando.* Ego potiùs legerem minorem annorum numerum, & quinque pro quinquaginta reponerem. Hilarius enim, qui sub initia Juliani Apostatæ, in patriam reversus est, ut S. Hieronymus in Chronico, & Socrates l. 3. c. 8.

Capgrav. in Kebio.

notaverunt;

notaverunt; non niſi ſex annis poſtea in vivis fuit, ut refert ex Severo Joannes Gillonius, in commentatione de S. Hilario, ejuſdem ſancti operibus præfixâ. Addunt Scriptores noſtri, Lelandus, Capgravius, Pitſæus, & Spelmannus, hunc Kebium Monæ Inſulæ (vulgo Angleſiæ) Epiſcopum fuiſſe, ab Hilario conſecratum: quod ideo ſolum Magdeburgenſibus diſplicet: *Quoniam*, inquiunt, *à populi ſuffragiis Pontificum electio tunc pendebat, non ab externæ gentis Antiſtite.* Sed nodum hoc eſt in ſcirpo quærere: nec enim antiqui æquè ac moderni, contentioſi fuerunt, in arrogandis & diſpenſandis ſedibus: & veroſimillimum eſt; petiiſſe Inſulam, Kebium civem ſuum, ab eruditiſſimo Hilario doctum, ab eodem conſecrari: & ne Ariana hæreſis in Britanniam populoſque ſerperet, Eccleſiæ præfici. Porrò quòd Hilarium his temporibus audiverint Britanni, & ejus authoritate pugnaverint in errores, innuere videtur Venantius Fortunatus hoc carmine.

Cent. 4. fo. 1294.

Consecratus Episcopus.

Venant, l. 6. carm. 7.

Inclytus ille quibus verè amplus Hilarius oris
Et ſatus, & ſitus eſt, ore tonante loquax.
Thrax, Italus, Scytha, Perſa, Indus, Geta, Daca, Britanus,
Hujus in eloquio ſpem bibit, arma capit.

IX. Docet in Britannia.

Kebius ergo Hilarium in Galliis audivit, & eo magiſtro, pro verâ fide pugnare didicit. Enimvero pugnavit ſtrenuè. cum reverſus in Britanniam, Venedotas, & Monadas, gentes Cambriæ, verſus Boream, exemplis, & ſanâ doctrinâ informavit; inquiunt ex Balæo Magdeburgici. Monaſticam quoque vitam tunc egiſſe, ac diſcipulos collegiſſe, author eſt ſcriptor vitæ ejus apud Capgravium: ubi ejus reditus, repudiati honores, & diſcipulorum numerus deſcribuntur in hunc modum. *Gradu Epiſcopali, ab Hilario accepto, admonitus eſt Kebius ab Angelo, in ſuam patriam remeare. Quò cum perveniſſet, rogatus eſt, ut ipſe veniret, regnum Cornubiæ ſuſcepturus. Poteſtatem tamen ſæculi præſentis omnino accipere renuit.* Cum regnum audis, aut regem aliquando in Cornubia, Regulum puta; vel, ut ſupra Ducem, Comitémve. nam paſſim in Sanctorum vitis hæc nomina confunduntur. *Venit autem poſt hæc* (pergit Capgravius) *cum decem diſcipulis ſuis Kebius, & deſcendit in pratum Regis Ethelici, tentorium ſuum tunc tendens. Et miſit Rex videre, qui eſſent, qui in pratum ſuum deſcendere præſumpſerunt. Et reverſus nuntius dixit: Monachi ſunt. Et confeſtim ſurrexit Rex, cum omni familiâ ſuâ, Monachos ejicere de terrâ ſuâ. Et protinus cecidit de equo ſuo in viâ, & mortuus eſt equus ejus, & cæcus factus eſt Rex, & familia ejus tota. Proſtravit autem ſe Rex in faciem ſuam, & dedit corpus, & animam ſuam Deo, & S. Kebio, ſervo ejus, & ſtatim per orationem viri Dei, omnes ſanati ſunt, & equus ejus vitæ redditus eſt. Rex autem dedit viro Dei duas Eccleſias: & benedicto Rege venit Meneviam: & inde transfretans in Hiberniam, in quâdam Inſula conſtructa Eccleſiâ, annis quatuor manſit.* Hæc ibi. Nec otio indulſit in Hiberniâ peregrinus Kebius: nam ita Patricii præcurſor videtur fuiſſe; conatus vel fidei ſemen ſpargere, vel fundum parare, ſuæ vitæ ſanctitate. Refert Uſſerius (& ad Conſtantii Imperatoris tempora refert) in vitâ S. Albei Sacerdotem peregrè in Hiberniam veniſſe, & S. Albeum baptizaſſe: ego ſuſpicor Kebium fuiſſe. Ita enim in Albei vitâ legitur. *Lochanus quibuſdam Britonibus, qui apud eum in Oriente Eliach fuerunt, dedit ſanctum puerum: & ipſi diligenter nutrierunt illum, nomenque ei dederunt Albeus: eò quòd vivus ſub rupe repertus eſt. & gratia Dei erat cum eo; poſt hæc venit quidam Chriſtianus Sacerdos, miſſus à Sede Apoſtolicâ, ad Hiberniam Inſulam, multis annis ante Patricium, ut fidem Chriſti ibi ſeminaret. Hibernienſes autem tunc fuerunt gentiles, & non receperunt eum, nec crediderunt ei, niſi pauci. Tum ergo veniſſet ille ad Mumonienſes, invenit S. puerum Albeum, ſolus orantem, aſpicientem in cælum, rogantemque, aſſiduè, ut oſtenderetur ei vera credulitas, dicens: Oro ut ſciam Creatorem omnium, & credam ei qui fecit cælum & terram, & omnes creaturas. Scio enim quod omnia elementa, non ſine artifice facta ſunt: nec humanus artifex potuit facere illa. Cum ergo hanc orationem ſanctus puer Albeus oraſſet: Sacerdos ille, de propinquo audiens ſalutavit illum: & ſecundùm ſui cordis deſiderium, docuit eum de his omnibus, & baptizavit eum, ponens illi idem nomen Albeus.* Ita referunt Hiberni: & Uſſerius benè conjectat Sacerdotem hunc Romana authoritate miſſum, Palladium non fuiſſe, qui ſequenti tantùm ſæculo innotuit. Kebium ergo manet illa gloria qui è Mevaniis inſulis in Hiberniam ſub hoc tempus conceſſit. nec unius pueri converſio aut baptiſmus Apoſtolatui S. Patricii nocere poteſt. Cæterùm Albeum hunc, Declanum, Ibarum, & Kiaranum Chriſtianos fuiſſe, ornatos inſulis, ſanctitate magnos, diſcipulorum numero illuſtres in Hiberniâ, ante Patricium: ab Hibernis quidem conſtanter dicitur; ſed fidem ab omnibus necdum impetrarunt. nobis ſufficiat, quod illi concedunt; Albeum, Britonibus traditum, Britannorum ope doctum, & à Sacerdote peregrino baptizatum eſſe; quem Kebium fuiſſe temporis locisque circumſtantiæ ſuadent: ſi nobis ſequens ſæculum & Patricium expectare.

Capgrav. in Kebio.

Capgrav. in Kebio.

Uſſer. in prim. 781.

X. Britannorum Fides integra.

Reliqua quæ S. Kebii ſunt, ponemus infrà, cum mortuum locabimus inter Sanctos. Non potui hoc loco iſta prætermittere; quia Britannorum induſtriam, Hilario & orthodoxis viris inhærentium commendant; qui tunc ſibi & vicinis provinciis cavebant; cum ubique periclitabatur fides. unde factum, ut quantumvis alibi peſtis illa Arianæ factionis graſſaretur, & Epiſcoporum diſſidio creſceret; nullum tamen veſtigium ejus, ſaltem in eruditis & principibus viris, hactenus appareat. Cæterùm Ariminenſes Patres, qui ſuam de fide ſententiam, à Conſtantio coacti, mutaverunt; id ſolo metu, nullâ erroris conſcientiâ, fecerunt. Quamobrem ſi velimus (quod tamen nemo aſſerit) Britannos ibi Epiſcopos, ita inconſtantes fuiſſe: Dicam profectò eos, in patriam reverſos, & procul à Conſtantii tyrannide: tradidiſſe ſenſum civibus, quem Patres in Synodo; non quem Conſtantius & factioſi, minis, doloque expreſſerant. Quod ſi Gallorum aliqui in crimine manſerint; illa ratio redditur; quod Conſtantius illis immineret: nec tam citò integrum illis eſſet reſilire. Adde Saturninum Arelatenſem Epiſcopum cum Arianis fuiſſe, virum in provincia magnum. Nihil de Britanniarum Epiſcopis tale legitur. Maneat ergo, ut hactenus, virgo fides in Britanniâ. Sed quoniam brevi, nubes in hoc cælo, tenebræque naſcentur: nam ubique rerum omnium, viciſſitudo eſt: naſcatur interim ſtella, quæ non modo Britannias, ſed vicinas quoque provincias ſplendore ſuo, radiisque illuſtrabit. Patricius, inquam, Hibernorum Apoſtolus, de cujus ortu, quia frequens in poſterum ejus mentio erit; nunc quærendum.

XI. S. Patricii annus natalis.

De natali anno S. Patricii varii variæ opinantor, & ego paucis quæstionem hunc transivissem; nisi plurima & illustrissima viri facta, suis quæque annis consignari mererentur. Nam sedecim (vel tredecim ut alii) annorum juvenis, ab hoste captus, in Hiberniam ducitur; ubi duram servit servitutem: tum in patriam reversus, S. Martino Turonensium Episcopo, avunculo suo; inde S. Germano Altisiodorensi adhæsit: à quibus tum alia didicit, tum in hæreses erroresque pugnare: inde Romam profectus, à Cælestino Papa, Episcopus consecratur, & Hiberniæ Apostolus. Cum Hibernos docuisset fidem plures annos, in Britanniam solvit, Glastoniam perrexit, vitam Cœnobialem primus ibi instituit (antea Eremiticam colebant) factusque illius loci, Monachorum in commune viventium, Abbas primus, & demum ibidem plenum dierum obdormivit in Domino. Quæ omnia cum suis annis reponenda sint, & id fieri non possit ignorato anno nativitatis ejus; operæ pretium est illum accuratè quantum fieri potest inquirere. Scio quidem arduum esse certo stabiliri vitæ ejus principium; tum propter discrepantes Authorum sententias, tum quia passim ejus vitæ annos non uno modo Authores definiunt.

Quamdiu vixerit?

Quidam aiunt Patricium octoginta annos natum, vivere desiisse. ita colligit ex Mariano Scoto Cæsar Baronius, ad an. Christi 491. *Sub hujus*, inquit, *anni consulatu, à Mariano Scoto ejus gentili* (nam Hibernia Scotia dicta reperitur) *obitus recensetur S. Patricii, Hiberniæ primi Episcopi. Ait enim. Sub Olybrio Consule S. Patricius Hiberniæ Archiepiscopus obiit, cum esset annorum * nonaginta duorum. Qui cum esset annorum sexdecim venditus est: sex annis vixit in servitute in Romanis partibus, sexaginta annis in Hibernia prædicavit. Verum ex recensitis annis, deducto numero non nisi octoginta duo ejus reperiuntur ætatis.* Hæc Baronius. Sed quicquid sit de sententia Mariani; cæteri omnes consentiunt. Patricium superasse vitæ annum centesimum. & fallitur Baronius, dum Marianum Scotum, id est, Hibernum, gentilem vocat S. Patricii: quasi Patricius Hibernus esset. Quem in Britanniâ nostrâ natum, paulò infrà, tam Hiberni, quàm alii fatebuntur.

Baron. 491. fine.

* LXXXII.

Ejus patria.

XII. S. Patricii ætas.

Alii igitur centum & undecim, vel duodecim ætatis annos Patritio concedunt: ut infrà dicam, è Gulielmo Malmesberiensi & Antiquitatibus Glastoniæ. Florentius Vigorniensis, Matthæus Westmonasteriensis, Sigebertus, & alii communiter tradunt eum pervenisse ad annos centum viginti duos. Florentius ita loquitur ad an. 491. *S. Patricius Hiberniæ Archiepiscopus annorum centum viginti duorum.* eodem modo ad dictum annum Westmonasteriensis. *S. Patricius Archiepiscopus Hiberniæ, anno ætatis suæ centesimo vigesimo secundo in Domino quievit.* Denique Sigebertus in Chronico eundem Christi annum consignans: *S. Patricius*, inquit, *secundus Hiberniæ Archiepiscopus, anno ætatis suæ CXXII. in Christo quievit.* Probus qui Patricii vitam scripsit, teste Baronio ad an. Christi 491. Quem etiam Bellarminus Bedæ opera recensens, ponit Authorem vitæ ejus, quæ inter Bedæ opera primo tomo collocatur, quod optimè è libri secundi postrema clausula probatur. Probus, inquam, eidem Patricio dat vitæ annos centum triginta duos. In hac varietate calculi, nihil mirum, de vitæ exordio controversum esse. Qui enim dicunt mortuum anno Domini 491. Annorum centum viginti duorum: dicere quoque debent natum esse Patricium sub annum Christi 370. quod ego aliquando opinatus sum; & putavi Florentium Monachum ad veritatem propiùs accessisse, scribentem ita: *Anno trecentesimo septuagesimo secundo nascitur in Britanniâ, ex patre Calphurnio S. Patricius*, (cui etiam consentit Usserius.) Et magis adhuc Joannem Pitsæum definientem annum Christi 370. ut infrà: quem etiam annum Jocelinus tenere debet, qui mortuum ponit an. Christi 493. ætatis 113.

Florent. an. 491.

Bellarm. de script. Eccles. in Beda.

Florent. an. 372.

Usser. fo. 820.

XIII. Verior sententia.

Verùm re pensiculatius inspectâ, computataque rerum gestarum serie; potior mihi visa est authoritas Gulielmi Malmesberiensis, Adami de Domerham, & Joannis Monachi. Qui benè de Glastoniensis Monasterii antiquitate scripserunt; & S. Patricii vitam, cæteris multò accuratiùs distinxerunt. Illi ergo pluribus in locis disertè affirmant, natum Patricium anno Domini trecentesimo sexagesimo primo, & ejus exordia ita describunt. *Anno Dominicæ Incarnationis 361. natus est puer Patricius, patre Calpurnio, matre vero Conches dicta, quæ soror fuit S. Martini Turonensis Archiepiscopi.* & iterum, cum de obitu ejus agunt. *Obiit*, inquiunt, *hic Deo dignus, anno ætatis centesimo undecimo*, (Malmesburiensis M.S. habet anno CXII.) *Incarnationis verò Domini CCCCLXXII. ab anno, quo in Hiberniam missus est, XLVII. Siquidem anno Domini CCCLXI. in lucem venit*, &c. Idem ferè debent illi dicere; qui suprà affirmarunt mortuum anno Christi 491. cum esset annorum centum triginta duorum. ut Probus apud Bedam. Accedit Capgravius, sive Joannes Tinmutensis, qui in vitâ Patricii, Malmesburiensem secutus, posuit eum natum anno Domini CCCLXI. Quod ideo magis probo; quia facta Patricii meliùs distinguit, ut infrà patebit. nunc de patriâ, & parentibus ejus.

Antiqu. Glaston. in Patricio.

XIV. Patricii patria.

Florilegus noster Matthæus Westmonasteriensis, ita de Patricii patriâ, & primâ pueritiâ: *In pueritiâ*, inquit, *cum esset natione Hiberniensis, à patre suo, cum duabus sororibus venditus est, cuidam homini, qui Nulcu dicebatur, & porcarius ejus erat.* Sed ubique fallitur. Non enim à patre venditus; sed ab hoste, vel prædone, captus est; non natus in Hiberniâ, sed eò per vim ductus; non servivit homini qui Nulcu, sed qui Milchu dicebatur. Cæterùm quod ad patriam spectat, non solùm illum omni jure sibi arrogant Britanni, sed externi passim eis illum concedunt, nec Hiberni ipsi refragantur. Sigebertus in Chronico. *Celestinus*, inquit, *Papa, ad Scotos in Christum credentes, Palladium mittit primum Episcopum. post quem ad eosdem ab eodem Celestino missus est S. Patricius, genere Brito, filius Conches, sororis S. Martini Turonensis.* Irrepsit ergo mendum in locum alium ejusdem Chronici, ubi dicitur: *S. Patricius, Scotus, in Hiberniâ, cum suis sororibus venditur*, &c. nam sine dubio legendum: S. Patricius, Scotis in Hiberniâ cum suis sororibus venditur. Quem errorem videntur agnovisse quatuor Magdeburgici, qui ita scripserunt. *Patricius, Brito fuit genere, juxta Sigebertum* nec opus est, plura emendicare foris suffragia, cum doctiores Hiberni, & illi imprimis qui Patricii vitam scripsere; vel disertis verbis Britannum asserunt ut infrà: vel modesto silentio concedunt, nominando agrum, provinciam, locumque nativitatis ejus. Fefellit plures, quod juvenis Patricius in Hiberniâ versatus; vir factus, ibi prædicarit; Apostolatus ibi dignitatem

Westmo. an. 491.

Vide Usser. fo. 819.

Sigeb. an. 432.

Idem an. 394.

Cent. 5 fo. 1427.

adeptus:

adeptus: denique opinio mortis, sepulchrique ejus, in illâ Insulâ. Verùm ut non imus inficias, Patricium plures vitæ annos in Hiberniâ transegisse, & illius provinciæ apostolatu illustrem esse: ita pariter affirmamus sumpsisse vitæ initium in Britanniâ; eandemque vitam in Britanniâ terminasse, ut patebit è dicendis infrà. Interim quæstio esse potest; in quâ Britanniæ parte, ad austrum an ad Septentrionem magnus hic Apostolus nascatur. Enimvero si Septentrionem nominaveris, tam novi Scoti, quàm antiqui pro Patricio litigabunt. Usserius nunc Armachanus Pseudo-episcopus, natum putet inter castrum Dunbritannicum & urbem Glascuensem, ubi nunc est oppidum ab eo dictum Kirk-Patricâ, ibi nimirum, ubi Romanorum vallum, *quod Romanos*, inquit, *à barbaris discludebat*. Inde non malè colligit: *Quia hodie*, inquit, *mutatis priscis regionum terminis, castrum illud Dunbritannicum, non ut olim ad Britonum, sed ad Scotorum ditionem spectat: inde fortasse factum ut aliqui B. Patricium Scotum fuisse dixerint*. Sed ego statim dicam: non in ullâ Septentrionis parte, in Britanniâ tamen natum: cum parentes nominavero,

XV. PATRICII PARENTES.

Florent. an. 392.
Capgra in Patricio
Pitsa in Patricio.
Haraus 17. Martii.
Probus apud Bedam to. 3 Cont. 5. fo. 1427.
An. 353. 5.

Licet Historici passim, in Patricii patris nomine, varii videantur: librariorum potius error est, quam Authorum diversitas. Qui accuratiùs scripserunt, Calphurnium vocaverunt: & eò referri debet Calphurnius apud Florentium, & Calphurinus apud Capgravium, Pitsæum, & Franciscum Haræum. & denique Calepurnus apud Antiquitates suprà, & Calpurnius in Probo. Fuit autem Calphurnius, *nobilissimus generis Britanniæ provinciæ vir*, inquiunt Magdeburgenses. Quod autem aliqui Presbyterum vocant, & alii rectiùs Diaconum; intelligi debet pro more hujus sæculi; nimirum promissâ continentiâ, post susceptos ordines; ut in Restituto nostro, & Hilario Pictaviensi, suprà vidimus. Altera Patricii parens, Conches, vel Conchessa nomine; ex Pannonia, Martini Turonensis, qui hoc sæculo clarebat, soror, vel ut mavult Usserius, sororis filia, fuit; quæ *parentibus secundum sæculi dignitatem non infimis alta*. ut de S. Martini parentibus testatur Sulpitius Severus. Agebat hoc anno Martinus ætatis annum quadragesimum quintum: & inde probabilis conjectura est, hoc potius tempore, quàm post decennium, è Conchessa sorore, nasci Patricium; nisi velimus; quod non est probabile; plurium annorum, inter eos, differentiam statuere. Elucidatis quæ ad patriam, & parentes spectant, videamus quid dicat Richardus Stanhurstius, Hibernus, qui Patricii vitam describens, sic exorditur.

Usser. fo. 822.
Sever. in vit. S. Martini c. 1.

XVI. *Stanhurstius apud Hara. 17. Mar.* NASCITUR PATRICIUS.

Anno humani generis trecentesimo sexagesimo primo, Calphurnius, vel Calphurinus, vir cum primis honestus, & honoratus, ex Conchessâ fœminâ probatissimâ suscepit filium; qui cum salutari aquâ tingeretur, Succhat, vel Socher, post à Germano Magonius: postremo à Cælestino primo Pontifice, Patricius est nominatus. Est autem natus Patricius in maritimo Britanniæ territorio, quod antiquitas Triburniam, vel Eiburniam appellavit. Est locus ille in Dimetis, & Penbrochiæ Comitatu; olim, quam ætate nostra, notior: Ptolomæus Octopitarum promontorium vocavit; & posteri à S. Davide, Menevensium Episcopo, *S. Davidis* nuncuparunt. *Terra*, inquit Giraldus, *saxosa, sterilis, & infecunda: nec silvis vestita, nec fluminibus distincta, nec pratis ornata, ventis solum & procellis exposita. Virorum tamen*

Girald. itin. Camb. l. 2. c. 1.

sanctissimorum, inquit Camdenus, *secessus, & altrix Calphurnius enim Presbyter Britannus, ut est in nostrâ historiâ Ecclesiasticâ, hic in valle Rosinâ, ex Conchâ conjuge, Martini Turonensis sorore, Patricium Hiberniæ Apostolum suscepit: & David Episcopus religiosissimus, Archiepiscopalem sedem, ab Isca Legionum, in remotissimum hujus angulum ad Meneviam transtulit.* Pitsæus adhuc pressiùs vicum exponit in quo natus est Patricius. *In Britanniâ natus*, inquit, *in valle Rosinâ, regionis Tiburniæ, vel Neutriæ, in vico Bannava, Pembrochiensis agri.* quod desumpsit è Probo, apud Bedam, qui primus omnium vitam S. Patricii scripsisse putatur: & à quo ferè, reliqui omnes sumpsére. Ille enim sic habet. *S. Patricius, qui & Sochet vocabatur, Brito fuit natione; in quâ etiam multa adversa in adolescentiâ perpessus, omni genti sua ac patriæ, factus est in salutem. Hic in Britanniis natus est à Patre Calphurnio Diacono, qui fuit filius Potiti Presbyteri; & matre Concessa nomine, de vico Bannava Tyburniæ regionis, non procul à mari Occidentali: quem vicum indubitanter comperimus esse Neutriæ provinciæ in quâ gygantes habitasse dicuntur.* Malè ergo Usserius, natale Patricii solum, inter castrum Dunbrittannicum & civitatem Glascuensem posuit in provinciâ Valentiæ, quam putat ita vocari captam, quarto ferè anno ante natum Patricium. Putat enim eum nasci anno 372. Unde denominatam ita provinciam existimat sub annum 367. & nos infrà ita supputamus.

Camde. in Dimetis.
Pitsa. in Patricio.
Beda to. 3. in vit. Patricii.
Usser c. 17. fo. 819.

XVII. CONFIRMANTUR SUPRADICTA.

Cæterùm cùm Probus & Usserius Hiberni homines, ita sentiant, cùm alii etiam passim, in eam eant sententiam, quod Patricius in Britanniâ natus sit: nescio cur tergiversetur Fr. B. B. Hibernus qui nuperrimè Patricii vitam recensens. Dicit in præfatione operis, patriam ejus in dubium vocari; Britannos, Gallos, Scotos, illum sibi asserere: se rem in medio relinquere: profitetur etiam in describendo vitam, se sequi Jocelinum de Furnesio, qui ante quadringentos annos, ad instantiam S. Malachiæ Conactensis Episcopi, Patricii vitam composuit: denique sic opus suum exorditur & Patricii patriam sic exponit: *In Villâ Taburnia, in Britanniâ, juxtà oppidum Emptor in Australibus Angliæ, vixit quidam Calphurnius*, &c. de communi receptaque sententiâ parentum S. Patricii. Quæ dubium satis expediunt. Dico igitur paulò constantiùs; Patricium Hiberniæ Apostolum, divinitùs eò missum, non ibi, sed in Britanniâ nasci. Quod Apostolis ferè omnibus & Prophetis commune est, plus foris, quàm domi lucere: ut multa sunt quæ in alieno magis solo; quàm in nativo fructificant. Unde si universum terrarum Orbem percurrimus; inveniemus ubique provincias, populos, regna, ab alienigenis potiùs, quàm ab indigenis conversos. Sed satis de Patricii patriâ; qui Sochet primùm in baptismo, in Magonii postea nomen transivit, cùm Germanus ei dedit Confirmationis Sacramentum: qui denique à Romano Pontifice, Cælestino primo, cùm Apostolatum in Hiberniam accepit; quia futurus erat multorum pater; Patricii nomen unà accepit: eo ferè modo, quo Wenefredus noster Anglo-Saxo, cùm factus est Germaniarum Episcopus, Romana quoque sedes Bonifacium appellavit. & postea universus Orbis (quo urbis illius prærogativam agnoscas) supremum oraculum secutus, Patricium & Bonifacium, nec aliud unquam nomen coluit. redeo nunc ad id quod initio hujus anni dicere

B.B in vita S. Patricii.

cæperam, Constantii inquam, Imperatoris mortem.

XVIII. Constantius Imp. moritur. *Ammian. l. 21.*

Cùm quinque & viginti annis in Rom. orbe Constantius imperasset, à morte Constantini patris; & in Britanniâ undecim à morte Constantis, ad Mopsuestiam Ciliciæ, in Tauri montis radicibus sitam, febri extinguitur, tertio nonarum Octobrium, inquit Ammianus. Successit illi in imperium Julianus, & infami apostasiâ fœdavit imperium. Qui enim Christianam fidem diu coluerat: nihil, ne dæmonem quidem intentatum reliquit, quo rerùm summâ potiretur. Quam ut adeptus est, explicuit frontem, quam prius contraxerat; & impietatem palam professus est. Cæterùm quibus gradibus ad perfidiæ abyssum descenderit, exponam in gratiam sectariorum nostrorum, qui se Christianam fidem reformasse jactitant: Juliani scilicet vestigia sectando, ut statim apparebit.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1113.

ANNUS CHRISTI 362.

LIBERII PAPÆ 11.

JULIANI IMP. 2.

I. Julianus Apostata Imperator.

ITERUM orthodoxa fides, nova rerum tempestate concutitur, intruso in Imperium Apostata. Cujus scelera, currente calamo, & quasi aversis oculis, transivissem; nisi animus ubique esset, Romanam fidem commendare, juxtà positione contrarii. Nisi esset etiam operæ pretium advertere qua ratione, & quibus mediis, procedatur à corruptione optimi, ad generationem pessimi. Crucem esse primum fidei elementum, eaque ceu principe charactere, transcribi hominem in scholam Christi, suprà dixi. Dixi insuper, quid Julianus adhuc Cæsar, in ipso Apostasiæ tyrocinio novitius fecerit. nimirum ut Crucem, dictante cacodæmone, impiè projecerit; nec illa se porrò muniverit. Jam verò Augustus, & Imperator factus, impietatem hanc magis explicuit. & odium, inquam, crucis. Etenim quicquid olim fecerat M. Constantinus, ad Christianæ religionis incrementum; id omne Apostata Julianus amoliri conatus est. Crux è cælo Constantinum docuerat in Christum credere: & ille cum laude obsecutus est; expositâ passim in vicis locisque publicis imagine Crucis, in signum obsequii, atque reverentiæ ob redemptionis nostræ Sacramentum. probaverat Deus Constantini factum innumeris victoriis, auctâ Majestate, diuturno ac felicissimo imperio. Nunc versâ rerum serie, non è cælo Julianus oraculum quæsivit; sed consulto Mago, invocavit dæmonem: & iste dixit; quod ille præstitit accuratè.

Crux primum fidei elementum

Abjicitur.

II. Labarum a Juliano mutatur. *Gregor. Nazianz. orat. 1 in Julianum.*

Testatur S. Gregorius Nazianzenus, Julianum Apostatam statim ab imperii ingressu; quod refert Baronius ad annum Christi trecentesimum sexagesimum secundum, Mamertino & Nevitta Consulibus: vexillum illud cruce insignitum, quod Constantinus, & exinde Christiani principes, domi militiæque ad manum habebant, mutavisse. *Quin eò quoque audaciæ prorupit*, inquit Gregorius, *ut adversus magnum illud vexillum præceps ferretur; quod simul cum cruce, magnificè, & insigni pompâ, exercitum ducit, in sublime evectum; quod laborum solvendorum vim habet ab eoque apud Latinos nomen trahit, principatumque, ut ita dicam, in reliqua omnia vexilla tenet; tam quæ Imperatorum imaginibus, atque passu texturis, in variis tinctionibus, literarumque picturis illustrantur, quasique gestiunt: quàm quæ horrendis draconum hiatibus super summas hastas elata, involantia, ac per tractatus contextis squamis distinctos, ventilata. Jucundissimum simul & formidolosum spectaculum oculis præbent.* Ita ille, de Crucis abrogatione. Restituit autem, crucis loco, Julianus deorum effigies; dæmonum, inquam, quorum suasu crux exulaverat. Ita Sozomenus: *Signum*, inquit, *quod Constantinus, divino mandato in insigne Crucis commutaverat; ad veterem effigiem & figuram traducere decrevit* (Julianus:) *nam dedit operam, ut in publicis imaginibus, juxta ipsum, Jupiter depingeretur, velut è cælo apparens; coronam & purpuram, quæ sunt Imperii insignia, ipsi præbens: Mars item & Mercurius, in eum intuentes; & tanquam obtutu oculorum testificantes, quod vir esset tam in dicendi arte, quàm in re militari spectatus.* Vides ut monstra falsorum numinum, tunc tantum in orbem redierunt; cum abrogari crux cœpta. nec enim illa stante Jupiter, Mars, Mercurius regnare potuerunt.

Sozomen. l. 5. c. 16. In Jovis simulacrum.

III. De cultu, quem milites Labaro tribuerunt. *Spelm. ad an. 312.*

Hinc videre est, præcipuum hoc Romanæ militiæ vexillum, à milite adorari consuevisse; cùm in eum finem præcipua deorum numina ponerentur. Quod videre noluit, oculatus cæteroquin vir, Henricus Spelman; dum in crucis cultum pugnans, ait primò; ethnicos, *aquilas, dracones, lupum, minotaurum, & Imperatorum imagines, inter signa militaria habuisse.* tum addit: *Adorabant verò* (licent) *Christiani milites novum hoc labarum, uti ethnici vetus illud, non dicam cultu divino, sed* (ut Tertulliani verbo utar) *Castrensi religione, quod totius Imperii præstantissimum esset signum; ipsumque Imperatorem antecederet: nam hoc idem symbolum, clypeos etiam insignivit, & Cruces galeas; nec tamen has, vel illas adorabant.* Quasi diceret: Christiani colebant (si tamen colebant) vexillum Crucis, eo modo, quo ethnici milites, dracones, aquilas, lupos colebant & minotauros: sed Castrensis illa religio fuit, & militaris tantum cæremonia; non divinus cultus. Respondeo, in Romana militia, vexilla plura fuerunt, ut suprà Gregorius Nazianzenus planè significat; sed unum cæteris præstabat; ut Eusebius, Sozomenus, aliique, & ipse Spelmanus affirmant. Esto igitur dracones & alia animalia, inferiora vexilla ornaverint, & militum animos in pugnam acuerint; quæ ideo in pretio habita fuerint; dico tamen, in principe vexillo, deorum effigies constantissimè fuisse: & illas sine dubio miles adorabat, eo cultu, ea religione, ea reverentia, quâ deos adorabant, esto nunc in exemplum Julianus, qui à cultu crucis ad Jovis cultum transiens, dictus est Apostata. Quod dicitur Crucis figuram in clypeis, & Imperatorum galeâ, collocari solitam; quæ tamen non adorabatur, futile sanè est. Nec quæstio est; an debeat crux, in omni loco, tempore, circumstantiâ adorari: sed tantum an cruci possit, sine alieni cultus suspicione, religiosus cultus tribui; quando locus, tempus, circumstantiæ vel permittunt, vel præcipiunt. Nos enim orthodoxi quandoque centies in die crucem Christi, & sanctorum imagines intuemur; quibus tamen, aliud agentes, cultum nullum tribuimus. Cùm tamen ad preces nos componimus, libenter illud adspicimus, quod mentem è terra ad

cælum trahat. Præferebatur exercitui, M. Constantini tempore, crux Christi, *ut assiduo ejus aspectu & cultu* (sunt verba Sozomeni) *milites à pa trius ritibus desuefaceret.* hoc est, à Jovis, ad Christi cultum traduceret. In Imperatoris galeâ, ut hodie in Regum coronâ, alium usum habet. (Et benè hic dicit Spelman: aliud est *uti*, aliud *adorare.*) ornamentum & munimentum est. nec nos id diffitemur.

Sozom. l. 1. c. 4.

IV. Julianus Crucis cultum Christianis exprobat,

* Suid. v. κίων.

Non tantùm impius fuit Imperator Apostata, in vexillum crucis, quod Labarum dicebatur; sed alia omnia crucis monimenta; quæ frequentia statuerat Constantinus, abolevit. Unde * Suidas affirmat, à Juliano, terra obrutum sanctissimum crucis signum, quod Constantinus felicitatis novæ urbis significandæ causâ, in capite ejusdem urbis simulacri exculpserat. Solebat autem ignominiæ causâ; cùm omnes ubique cruces tollere non posset, Christianis objicere (quod hodie orthodoxis objiciunt sectarii) cultum crucis. Nec id verbis tantùm, quæ levia fuissent peccantis cerebri argumenta; sed scriptis etiam, quæ optimè probânt, Christianam fidem hujus temporis, & illius desertorem Julianum; & impios esse, quotquot eum in hac impietate sequuntur. Refert ergo Cyrillus Alexandrinus, dicere eum solitum: *O miseri homines, cum serventur ea arma, quæ magnus demisit Jupiter* (nimirum ancilia) *hoc est pater Martis, pignore dato, non verbo, sed re; quod civitatem nostram perpetuò protecturus sit; cessatis adorare, & colere: & interim crucis lignum adoratis! imagines ejus, in fronte & ante domos pingentes.* Ita Julianus Ecclesiæ ritum, & fidelium omnium carpit.

Cyril. l. 6. in Julia.

V. Et imagines tollit.

Huic proximum Apostatæ crimen fuit; in imagines debacchari; quas, antiquatis combustisque idolis, Constantinus ubique pientissimè posuerat. Julianus ergo, quò iterum locus idolis esset, & quò sectariis præluderet: deturpari statuas, & auferri imperat. Quid hac in re, ab ipso gestum in Phœniciâ, Syriæ provinciâ, Sozomenus narrat, & simul pessimis ejus conatibus iratum Deum. *Illud porrò,* inquit ille, *dicetur à me, quod etiam regnante Iuliano accidit. Quod quidem, ut Christi potentiam planè indicat; ita iram divinam, adversus Imperatorem accensam, evidenter ostendit. Cùm certior factus esset, Cæsarea Philippi* (est ea quidem urbs Phœniciæ, quam Paneadem vocant) *præclaram esse Christi statuam; quam mulier, quæ sanguinis profluvio laborabat, cùm esset morbo liberata, ibi collocaverat; eam deturbavit; suamq; in ejus loco posuit. Quo facto, ignis violentus, de cælo delapsus, statuam illam circiter pectus perfecuit; caputq; unà cum collo, in terram dejecit, atque in faciem humi ea in parte defixit, quæ fuerat à pectore divulsa. ex quo quidem tempore, ad hodiernum diem, atra tanquam fulminis ictu ambusta manet. Id temporis igitur gentiles statuam Christi, tantâ cum violentiâ trahebant; ut eam confringerent. At Christiani postea ejus fragmenta cum collegissent, in Ecclesiâ posuerunt; ubi etiam adhuc custoditur. Ex Basi supra quam hæc statua locata erat, herba quædam, uti narrat Eusebius, quæ morbis cujusque generis mederi solet, enascebatur: quæ quidem, cujus generis esset, nemo nostrorum medicorum, qui vel scientiâ valebant medendi, vel experientiâ omnino novit.* hæc omnia Sozomenus. Quæ nemo miretur narrari à me fusiùs, qui ad Occidentem Britanniæ gloriam festino; quia novissimè surgent nepotes aliqui, præter omnem historiæ veritatem affirmantes, imaginum sacrarum usum, abusum esse: illas autem ab antiquis cultas, & in honore habitas esse; tam ægrè ferent, quàm tulit Julianus. ubi tamen peccant magis; quia ille agnovit in usu esse, & fregit solum: illi, non modò frangunt, sed volunt olim illas in Ecclesiâ non fuisse. nunc reliqua Juliani videamus, & apostasiæ ejus.

Sozom. l. 5. c. 20.

VI. Julianus in Sanctos pugnat.

Non Christo solùm bellum indixit; sed ejus etiam Sanctis, eorumque reliquiis. Cùm enim garrulum illud Daphnæi Apollinis simulacrum, ex improviso obmutuisset, ob adventum Babylæ Martyris; nec Apostatæ votis respondere vellet. Julianus classicum cecinit in Sanctos omnes. Rem gestam breviter Authorum ferè verbis digeram quo fidem meam de more liberem. *Gallus frater Iuliani, quoniam Christianus erat,* inquit Sozomenus, *eos qui pro religione Catholicâ martyrium obierant, colebat. Constituit delubri locum purgare, tum superstitione gentilium; tum intemperantium hominum contumeliâ. Atque cùm persuasum haberet, se facile hoc perfecturum; si modò Ecclesiam ibi, in delubri loco extrueret; transtulit in Daphnem loculum Babylæ Martyris; qui Ecclesiam Antiochenam præclarè admodum rexisset, martyrioq; occubuisset. Ex quo quidem tempore, dicitur dæmonium, nullum oraculum, uti consueverat edidisse.* Hoc factum à Gallo Cæsare sub annum Christi 351. & tacuit idolum, ad hunc annum 362. Quo tempore Julianus venit Antiochiam: ubi cum multâ & inutili prece idolum fatigasset; nullam inde vocem potuit exprimere: & tandem intellexit obstupuisse idolum ob Babylæ Martyris sacras reliquias. Sed audi Sozomenum: *Cùm Imperator,* inquit, *animo instituisset, de rebus, de quibus ei libitum erat, oraculum, quod in eo loco fuit, tentare: accedens ad delubrum; dæmonium monumenta, & victimis honorat; oratq; ut res, quas molitur, non negligeret. Dæmonium igitur etsi non planè, & apertis verbis ita significabat, se nimirum propter Babylem Martyrem; cujus bustum vicinum erat; oracula dare non potuisse: tamen respondit locum refertum esse cadaveribus mortuorum.* (Ita etiam sectarii sanctorum corpora quos Ecclesia colit solent appellare, docti ab eo, qui hunc Apostatam docuit.) *Idq; obstare, quo minùs oracula ederet. Quo audito Imperator, licet multa essent cadavera in Daphne condita; tamen quoniam conjiciebat, Martyrem solum, esse oraculis impedimento; dat mandatum, ut bustum Martyris, inde, in alium locum transferretur.* Quid factum tunc à Christianis, circa Babylæ reliquias, dicam infrà. Nunc rem à Sozomeno assertam, aliorum suffragiis confirmabo: ne sectarii, qui cum Juliano peccant, in sanctis persequendis, unius authoritati refragentur.

Sozom. l. 5. c. 19.

Babylæ Martyris reliquiæ.

Obmutescere faciunt diabolum.

Sozom. sup.

V. hic n. 8.

VII. Firmantur dicta a S. Chrysostomo.

Prodeat ergo S. Joannes Chrysostomus, vir hujus temporis, & patriâ Antiochenus, & præsens omnium spectator: qui narraturus miranda de silentio dæmonis, & Babylâ Sancto, ita loquitur. *Ex iis qui ea viderunt, supersunt adhuc, & senes, & juvenes, quos omnes obsecro, & obtestor; si quid à me historia adjectum fuerit, in medium prodant, meq; redarguant,* &c. *Verum antequam ad exaltionis modum veniam; quonam modo scilicet expulsus sit dæmon: Illud vos adnotare postulo. Babylam non statim ubi advenit, dæmonem ejecisse, sed manentem eum otiosum, inertem, agenduq; rebus ineptum, reddidisse. Illi enim os ita obstruxit, ut vel lapidibus ipsis magis mutus redderetur. & quidem manentem ibi dæmonem superasse, non minus fuit, quam si eundem è loco ejecisset: cum qui loci illius accolis omnibus*

Chrys. orat. cont. gent. tom. 5.

fucum prius faceret; ne extincti quidem cineres Babylæ contueri sustineret. Ea est enim Sanctorum potestas, ut illorum superstitum, dæmones; ne umbras quidem, aut vestes; vita autem functorum, & loculos quoque reformident. Ita Chrysostomus: quæ pluribus prosequitur, narrans, ut Daphnem Apostata conscenderit, multisque donariis ac sacrificiis, à dæmone oraculum poposcerit: ut nutans, & versipellis dæmon; non articulatè quidem; sed tectè, Babylam amoveri jusserit; ut demum Julianus dæmoni obsecundans; capsulam (ita vocat Chrysostomus) deturbarit. Quæ fortè sectarii cum supercilio legent; sed fortè etiam illud ponent; cum audient ejusdem fidei sententiæque testem alterum.

VIII. Et a Gregorio Nazianzeno.

Chrysost. orat. 2. in Julian.

Gregorius Nazianzenus in Julianum scribens, ita eum redarguit; quòd Apostolorum reliquias, quas Constantius nuper, vel Constantinopoli deposuerat, vel deponendas mandarat, neglexerit, & aspernatus sit. atque ita loquitur: *Non victimas pro Christo cæsas reveritus es: nec magnos pugiles extimuisti, Ioannem illum, Petrum, Paulum, Iacobum, Stephanum, Lucam, Andream, Theclam; ac eos, qui & post illos, & ante illos, capitis sui periculo, veritatem protexerunt,* &c. *quibus honores & festa constituta: à quibus dæmones propelluntur, & morbi curantur; quorum sunt apparitiones, & prædictiones: quorum vel sola corpora idem possunt, quod animæ sanctæ; sive manibus contrectentur, sive honorentur. Quorum vel solum sanguinis guttæ, atque exigua passionis signa, idem possunt quod corpora. Hæc non colis, sed contemnis, & aspernaris.* Ita Nazianzenus.

Contra novatores

Quæ, æquè in sectarios, ac in Julianum, dicuntur: nisi quod illi peccent immaniùs, qui tot sæculorum inolitam præscriptamque religionem, tanta miraculorum majestate confirmatam, in dubium primò vocaverunt, mox omninò exploserunt. Non ita Christiani hujus temporis, qui S. Babylæ Martyris reliquias, Juliani jussu, loco motas, cum honore transtulerunt. Narret id, ad ea quæ suprà dixerat, Sozomenus.

Sozom. l. 5. c. 10.

Christiani efferunt Babylæ reliquias.

Itaque Christiani, inquit, in unum congregati, bustum circiter quadraginta stadia, in urbem trahunt. Ubi cum martyr, in loco, qui ab eo nomen accepit, repositus jacet; ferunt eo tempore, viros & mulieres, juvenes & virgines, senes & pueros, mutua ipsorum cohortatione incitatos, per totum iter psalmos cantasse: qui quamvis simularent se, quo labore itineris levarent, cecinisse; tamen canebant verè ardenti studio, & propensâ erga pietatem voluntate incensi: propterea quod Imperator aliter omninò atque ipsi, de Deo sentiebant. Psalmos autem ordiebantur, hi qui eos canere accuratè norant: multitudo autem simul voces fudit, cum concentu, huncq; versum addidit: Confundantur omnes qui adorant sculptilia, & qui gloriantur in simulacris suis. Tum refert Author iratum Julianum, minas & tormenta in eos congessisse, qui ita cantando, Babylam honorassent: sed divina virtute, & Babylæ meritis factum, ut nullus dolor in tormentis, sed potiùs voluptas esset. Nec plura de hoc martyre: licet plura sint quæ Romanæ Regiæque Fidei servire possint, & sectariorum inscitiam ac apostasiam prodere.

IX. Sævit Julianus in templa Martyrum et altaria.

Ab hoc gradu: ab odio, inquam, crucis, sanctorum, atque reliquiarum; descendit Julianus, paulò adhuc profundiùs: & in omnia Martyrum templa & altaria, hoc anno grassatur. *Cum certior factus esset,* inquit Sozomenus, *Ecclesias quasdam in HONOREM Martyrum esse, prope Apollinis Didymæi fanum, ædificatas; scripsit ad Præsidem Cariæ; ut si tectum jam, & mensam sacram haberent; eas incenderet: sin earum ædificia, ex dimidia parte duntaxat perfecta essent, fundamentis disturbatis, solo æquaret.*

Sozom. l. 5. c. 19.

Tunc demum accidit illud quod Ruffinus deplorat: *Juliani temporibus,* inquit, *velut relaxatis frenis efferbuit in omnem sævitiam feritas paganorum. ex quo accidit, ut apud Sebasten Palæstinæ urbem, sepulchrum Ioannis Baptistæ mente rabidâ, & funestis manibus invaderent, ossa dispergerent, atque ea rursus collecta, igne cremarent: sanctos cineres pulveri immixtos, per agros & rura dispergerent.*

Ruffin. l. 2. c. 28.

Addit Author, quâ constantiâ, ac fortitudine Christianorum, servatæ sint dictæ reliquiæ, ab injuriis impiorum.

Christiani illas colunt.

Unde etiam *factum est, Dei providentiâ,* inquit, *quosdam de Hierosolymis ex Monasterio Philippi hominis Dei, orationis illuc causâ, per idem tempus, venisse. Qui cum tantum nefas, humanis quidem manibus, sed ferinâ mente fieri viderent; mori gratius habentes, quàm hujuscemodi piaculo funestari; inter eos, qui ossa ad exurendum legebant mixti, diligentius, in quantum res patiebatur, ac religiosius congregantes; furtim se, vel stupentibus, vel insanientibus subtraxere: & ad religiosum patrem Philippum VENERANDAS RELIQUIAS pertulére. Ille supra se ducens tantum thesaurum, propriis servare vigiliis; ad Pontificem maximum tunc Athanasium, hostia immaculata reliquias, per Julianum Diaconum suum, post etiam Palæstinæ urbis Episcopum, mittit. Quas ille suscipiens, paucis arbitris, sub cavato sacrarii pariete inclusas, prophetico spiritu profuturas generationi posteræ conservavit.* Ita Deus Ecclesiæ suæ pientissimè consulit: Nam licet impietati liberas interdum habenas permiserit; instituit tamen formavitque magnos pugiles; qui impiorum cursum, aut sisterent, aut tardarent. Providit insuper illustrissimos doctores, qui fideles docerent coli posse, Martyres. Etenim si sævientibus tyrannis nemo esset, qui contra loqui, aut facere niteretur; habuissent sectarii altercandi ansam, de cultu Sanctorum; probassentque aliquando in usu non fuisse. Verùm cum Deo propitio, tunc maximè Sanctorum cultus enituerit, cùm hostis insaniret. & veluti percusso scilice, eruperint latentes pietatis igniculi, qui in flammam fidei evidentem, ac conspicuam creverint; non sunt ulla venia digni, qui lucem obstinatè negant, in hoc Fidei & orthodoxæ religionis meridie.

X. Sanctorum cultus et invocatio.

Chrysost. in SS Martyrum invent.

Cumque Julianus in Martyrum sæviret sepulchra, aperuit os aureum Joannes Chrysostomus, & ita vociferatus est: *Idcirco sæpè Martyres invisamus, tumulos adornemus, magnaq; fide tumulos eorum contingamus, ut inde benedictionem assequamur. Etenim sicut milites, vulnera in præliis sibi inflicta, Regi monstrantes fidenter loquuntur; ita & illi, in manibus abscissa capita gestantes, & in medium afferentes; quæ voluerint, apud Regem cælorum impetrare possunt. Proinde magna fide, promptitudineq; huc veniamus; quo & visis sanctorum monumentis, & consideratis eorum præmiis; inde varios thesauros undequaque colligamus.* Hanc sæculi hujus fidem temeravit Julianus, ideo dictus Apostata: & erunt immunes qui posterioribus sæculis Julianum in hoc genere impietatis secuti sunt? Si ille, quem magnus, dæmon, Daphnæus Apollo, docuerunt in crucem, in Sanctos, & sanctorum sepulchra pugnare; à fide orthodoxâ defecisse dicitur: non dicetur Lutherus defecisse, quem *ater spiritus* docuit iisdem vestigiis insistere? imo vero, *Spiritus manifestè dicit; quia in novissimis temporibus*

1. Timo. 4.

diſcedent quidam à fide, attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum. Quod ergo primis ſæculis Julianus; hoc idem ætate noſtra ſectarii, eodem, ſine dubio, duce, ac præceptore præſtiterunt. Quoniam etiam nuper Calviniſtæ, in templa & altaria garriverunt: videant ipſi, quinam olim ſtructas Martyribus ædes, & ſacram ibi menſam perſecuti ſint; & præter Julianum, & impios invenient neminem: jactent interim ſe Apoſtatæ exemplo Romanam Eccleſiam reformare. Nunc quid domi factum videamus.

XI. Alipius Proprætor in Britannia.

Alipius quidam Antiochenus; amoto Gumohario, proprafectus erat in Britanniâ: ubi quietis rebus, Scoti Pictique, in numerum creſcunt; futuri poſtmodum vicinis graves. Interim Julianus, quæſtione habitâ, reos ſciſcit, quotquot ad Galli fratris mortem conſilium manúmve porrexerant. eos inter *Palladium primum ex magiſtro officiorum* (loquitur Ammianus) *in Britannos exterminavit, ſuſpicione tenùs inſimulatum; quædam in Gallum compoſuiſſe apud Conſtantium; dum ſub eodem Cæſare, officiorum eſſet magiſter.* Addit Author: *Paulum quoque cognomento Catenam, cum multorum gemitu nominandum, virum exuſtum.* Hic eſt ille, qui anno 355. in Britanniam miſſus, rem peſſimè geſſit, & innocentes plurimos leviter perdidit. ut dixi ibi.

Ammian. l. 22. c. 5.

An. 355. n. 5.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1114.

ANNUS CHRISTI 363.

LIBERII PAPÆ 12.

JULIANI IMP. 3.

I. Julianus occiditur.

JULIANUS, hoc anno, defectionis ſuæ, ſummæque impietatis pœnas dedit. Nondum imperii biennium expleverat, cùm vitâ regnoque exuitur, percuſſus à ſancto, qui ſanctis bellum indixerat, anno Chriſti trecenteſimo ſexageſimo tertio, Juliano IV. & Salluſtio Conſulibus. Profecturus enim ad Perſas, Chriſtianis omnibus minatus eſt; ſe eo bello confecto, perditurum omnes, qui Chriſto nomen dederant. quod ethnicis lætum, piis auribus grave fuit. Tunc illo cum Perſis occupato; Libanius ſophiſta; quaſi Chriſti imbecillitatem ſugillans; Chriſtianum fortè obvium interrogat: ecquidnam ageret Fabri filius? Cui ille; loculum, inquit, fabricat Juliano. Eventus oraculo fidem fecit, Julianus in prælio è cælo percuſſus: *Letale certè,* inquit Gregorius Nazianzenus, *ſed univerſo Orbi ſalutare vulnus accepit.* Ego rem ab aliis narratam non repeto; ſed tantùm quæſo Lectorem, ut Conſtantinum, cum Juliano; & Romanam, cum moderna, fidem componat. Conſtantinus Chriſtianus fuit, & Chriſtianorum Auguſtorum primus, qui publico omnium ſæculorum ſuffragio, laudem meruit. Julianus contra, illam fidem ſolenni defectione primus violavit; ideo vocatus Apoſtata; quia Chriſtum & Eccleſiam impiiſſimè deſeruit. Ex his duobus boni malique principibus, poteſt non ignobile argumentum ſumi, pro fide; quæ longè lubentiùs Conſtantinum, quàm Julianum amplexabitur: & illius fide maximè gloriabitur, triumphatâ hujus perfidiâ. Cùm igitur Roma hodie à factioſis laceretur; ob neſcio quam fidei rituumque differentiam: ideo nunc videndum breviter, quid laudi datum illuſtriſſimo Principi Conſtantino; quid item vitio infami Apoſtatæ. nam inde orthodoxa fides, certo conſtantique argumento eruetur. Quod licet è ſuprà dictis eliciatur facilè; tamen illud ipſum, breviter ob oculos ponere: erit ſine magni laboris impendio magnum orthodoxæ fidei compendium: nec Lectori injucundum, aut grave ſcire cupienti Regiam Britannorum, Saxonum, & Anglorum fidem: quam unam eandemque in Romanâ Eccleſiâ permanſiſſe, & ad nos promiſſum eſſe, inſtituti mei ratio poſtulat, ut probetur.

Grego. Nazianz. orat. 2. in Julia.

II. Conſtantinus et Julianus conferuntur.

Conſtantinus itaque, à viſâ primum cruce, Chriſto credidit; in ejus cultu plurimus fuit; & ita denique mortuus, à Græcis, Latiniſque Patribus laudatiſſimus: Julianus à contemptâ cruce Apoſtaſiam inchoavit, in illâ deprimendâ, ac Chriſtianis illam exprobrandâ, peſſimè progreſſus eſt: atque ita demum mortuus, à nemine laudatus. Conſtantinus ſanctos coluit, illis templa, altaria, dieſque feſtos conſecravit: Julianus contra, eorum templa demolitus, altaria profanavit. Conſtantinus Martyrum reliquias religioſè collegit, cum honore ſervavit: illas ſecum habere; cum illis, & inter illas, mori voluit. Julianus illas diſperſit, abjecit, nec earum præſentiam potuit ſuſtinere. Denique Conſtantinus ſanctorum ope ſanctè obiit, & piè creditur cæleſti gloriâ donatus: Julianus à ſanctis percuſſus, mortuus eſt, & opinione fidelium omnium, ſepultus in inferno: & quorum non eadem, ſed diſpar fides, diſpar quoque fuit eorum exitus. Cæterùm quinam illi ſint, qui Conſtantino, qui Juliano accedant; tam clarum eſt, quàm ſine ulla nube meridies. Roma crucem habet, uſurpat, colit; in ritibus & cæremoniis explicat, adhibet frequentiſſimè, frontem, pectus, domos cruce munit. Quod & fecit Conſtantinus. Sectarii contra non habent cruces, non formant illas, nec in ſacris uſurpant: cultum verò prohibent, averſantur, & nobis illum exprobant: & hæc omnia fecit Julianus. Roma ſanctos veneratur, illis templa, altaria, feſtos dies, & multa ſtatuit monumenta pietatis; ut hoc ſæculo fecerat Conſtantinus: ſectarii non colunt ſanctos, eorum templa deſtruxerunt, altaria profanarunt, dies feſtos ſuſtulerunt, & omnia ſanctitatis illorum argumenta eraſerunt. Martyrum reliquias, eorumque Sanctorum, qui certo ſuffragio immortalitatem poſſident, Roma in honore habet, auro tegit & argento, in templis collocat, adornat thecas, & ſepulchra, ut olim Conſtantinus: nihil horum ſectarii, ſed Martyrum cineres, auro, argento, templis exutos, abjiciunt; ſepulchra aperiunt, amovent oſſa, & aliò transferunt: quemadmodum fecit Julianus, Roma ſacras Virgines admiratur, probat, illis privilegia, annonam, & Monaſteria diſpenſat, ut feciſſe diximus Conſtantinum: ſectarii ea Seminaria deſtruunt, cætus prohibent, datum auferunt, darique vetant; quod etiam Julianus, teſte Theodoreto, vetuerat dari.

Theodo. l. 4. c. 4.

III. Conſtantinus Romanæ fidei alumnus.

Certè non video, cur ſuperioribus annis tantopere laboratum ſit pro claſſiariis nominandis, fideique profeſſoribus per ætates ſingulas: cum Romano-Catholici, hoc ſæculo, nominare poſſint Conſtantinum & Helenam, Regiæ Fidei, optimam, notiſſimam, probatiſſimamque epitomen: nec plurimis egeat: ſectarii autem habeant, pro

factione suâ, fideique defectione, & à Romanâ Ecclesiâ secessione, loquacissimum, & instar multorum unum, solâ barbâ philosophum, apostatum Julianum. Quibus utrimque productis in medium, non ultra, opinor, de sociis quærendum. cum satis constet, qui Julianum sequantur, qui Constantinum Principem. Sed quid? Possúntne sectarii in partem suam trahere, alia ante Lutherum & Calvinum sæcula, quod quidam fieri negaverunt? Possunt omnino; ita tamen, si illud Herodoti de Samiorum tyranno sibi dictum accommodent in hunc modum: Vestem hanc Julianus quidem consuit; cæterum Lutherus & Calvinus illam induerunt; cum antecessoris sui facta exceperunt.

JULIANUS CONTRA CUM IIS EST, QUI ROMAM OPPUGNANT.

Apud Nazianzen. orat. 2. in Julia.

IV. JOVIANUS IMPERATOR CHRISTIANUS.

Juliano successit Jovianus Imperator, ab exercitu creatus Augustus: qui licet septem tantùm menses imperii molem sustinuerit: reliquit tamen certissima indicia Constantinianæ se partis fideique esse. Enimverò priusquam injectam à milite purpuram, induere vellet: *Consueta loquendi usus libertate* (habet Theodoretus) *non possum,* inquit, *cum sim Christianus, ejusmodi hominibus imperare; neque regere Iuliani exercitum; qui tam pestifera doctrina præceptis imbutus sit. nam qui sunt ita instituti; hi divinâ destituti providentiâ, tum ab hostibus facile expugnari; tum eisdem materiam ad lætitiam præbere solent. Quibus verbis auditis, milites conclamare uno ore, ac dicere: Ne animus, tibi, ô Imperator, ullâ æstuet dubitatione; neque nostri imperium tanquam improbum devites. nam & Christianis hominibus, & disciplinâ veræ pietatis educatis imperabis. Si quidem qui sunt inter nos ætate provectiore, hi à Constantino eruditi erant, qui autem adolescentiores, illi præceptis Constantii instruebantur. tempus certè imperii Iuliani, qui jam morte occubuerit; ut per exiguum; ita non satis ad erroris perniciem, in animis eorum, qui eadem infecti erant, altius infigendam, fuit.* Similia habent Ruffinus, Socrates atque Sozomenus, qui addit detrectasse Jovianum exercitui assentire, quousque milites, se itidem Christianos esse clamassent. Adeo Juliani impietas novo Imperatori displicebat.

Theodo. l. 4. c. 1.

Ruffin. l. 2. c. 1 Socrat. l. 3. c. 19. Sozome. l. 6. c. 3.

V. OMNIA INNOVAT.

Ut cœpit imperium Jovianus, Christum orbi, fidem aquilis, & novam Ecclesiæ faciem restituit. Putavit enim eo modo expiari posse Juliani crimen, placarique Deum, nuperâ defectione irritatum. Quamobrem, quo Christianos ritus & sacra, impiè abrogata reduceret; statuit contrariis factis Julianum ubique condemnare. Ita passim Authores; & Sozomenus imprimis ab Ecclesiâ inceptum affirmat; quod certè Regium est. *Cum præterea,* inquit, *experientiâ didicisset; imperium propter iram divinam in Iulianum, qui ante ipsum regnaverat, accensam, acerbè afflictatum fuisse; abjectâ omni cunctatione, scripsit ad præsides nostrarum provinciarum; uti ad Ecclesias frequenter convenirent, divinum numen studiosè colerent, docerentq́; suos; solam religionem Christianam, verum Dei cultum in se complecti. Porrò Ecclesiis & clericis, viduis & virginibus, immunitatem reddidit; & si quid aliud, vel ad commodum, vel ad honorem religionis nostræ, à Constantino ac liberis suis; aut donatum, aut lege sancitum fuisset: postea autem à Iuliano illis ablatum.* Hæc Sozomenus: & ecce sub novo Imperatore, novam Ecclesiæ faciem.

Sozomen. l. 6. c. 3.

VI. CONGIARIUM VIRGINIBUS DATUR.

Sed quid illud de virginibus, quod Julianus abstulit, Jovianus restituit? illud nimirum quod Fidem Regiam commendat. *Conscripsit legem Iovianus,* inquit Theodoretus, *quâ jubebat frumenti congiarium, quod Constantinus M. Ecclesiis donaverat, eisdem reddi. nam Iulianus, qui contra Deum & Salvatorem nostrum, bellum suscepit, illud vetuerat dari.* Est hoc congiarium, donativum illud Virginibus sacris datum, de quo nos suprà in Constantino, & idem Author l. 1. c. 11. *Habuit Iovianus Imperator sacras Virgines in honore; legesq́; tulit, non tantum ut commodè vivere; sed honestè etiam possent.* Unde earum raptores ac corruptores, tam severè punivit; ut Luthero, si tunc vixisset, non licuisset esse tutò. nam ita refert Sozomenus. *Misit Iovianus ad secundum Præsidem, generale edictum, quo jubebat; ut qui sacram Virginem, vel ad nuptias contrahendas pellicere conaretur; vel lascivo quodam obtutu aspicere auderet; maximè omnium, si per vim rapere tentaret; capitis supplicio mulctaretur. Illam legem ideo tulit, quod quidam improbi viri, regnante Iuliano; tales Virgines, vel vi, vel persuasione, in hanc corruptelam inductas, sibi connubio junxissent. Quemadmodum fieri solet, cum religionis statu perturbato, turbis libido id genus sceleris consciscendi impunitatem proponit.* Ita Sozomenus. ut videas, non esse novum, aut antea inauditum, quod superiore sæculo fecit Lutherus; cum rebus in Germaniâ turbatis, impunè stupravit Virginem. Sed ecce loquentem, caventemque id sua lege Jovianum.

Theodo. l. 4. c. 4.

An. 320. 4.

VIRGINES TUETUR.

Sozom. l. 6. c. 3.

IMPERATOR JOVIANUS AUGUSTUS
secundo Præfecto Prætorio.

Si quis, non dico rapere, sed attentare tantùm, jungendi causa matrimonii sacratissimas Virgines ausus fuerit, capitali pœnâ feriatur.

L. 6. Co. de Epis. & Cler.

VII. ATHANASIUS JOVIANUM DOCET.

Scripsit & alias leges Imperator, quibus Ecclesiæ Catholicæ imprimis consultum. Permissum etiam Episcopis, qui à suis sedibus exulabant, redire: rogatus denique Athanasius, ut Jovianum instrueret doceretque, quinam è Christianis optimè sentirent; nam superum dissidium Constantii tempore, multos, in opiniones multas, distraxerat. Tum verò Athanasius, Alexandriam reversus, collectâ vicinorum Episcoporum manu; quid respondendum postulationi optimi Imperatoris, communi sententiâ dici, jubet. Confectæ sunt super hac re literæ, quas libenter omisissem; nisi Britannicam nostram nominassent, inter Nicænæ fidei suffragatrices provincias. ponam igitur illas, ceu optimas testes eorum, quæ à me dicta sunt suprà; nimirum mansisse adhuc in hac Insulâ incorruptam fidem: & Gildam, Bedamque de inferiore adhuc tempore intelligendos. Ita igitur Athanasius, & qui cum eo Episcopi ad Imperatorem scripsere.

RELIGIOSISSIMO, ET CLEMENTISSIMO VICTORI AUGUSTO, JOVIANO, ATHANASIUS, & Episcopi, qui nomine omnium Ægypti, Thebaidis & Lybiæ Episcoporum in unum convenerunt, S.

VIII. ATHANASII LITERÆ AD JOVIANUM.

DECORA, & eximia ea res est in Principe, mens discendi avida, & rerum cælestium cupida: Inde enim fit; ut verè cor tuum sit in manu Dei. Cum igitur pietas tua cupiat à nobis cognoscere Ecclesiæ Catholicæ fidem; Deo super eâ re gratiis habitis; nihil nobis consultius visum; quam ut fidem à Patribus Nicææ confessam, tuo religioso animo recitaremus. Hujus enim Fidei aspernatores, & nobis multifariam insidiati sunt; eò quòd non obtemperaremus Arianorum sectæ;

&

& hereses & schismata in Ecclesiam introduxere: cùm tamen vera, & pia in Christum fides, ex sacris literis, & liqueat, & agnoscatur. Hac enim sancti viri initiati, martyrium subierunt; & nunc resoluti à corpore, cum Domino agunt. Mansisset hæc fides illæsa perpetuò; nisi malitia quorundam hæreticorum, eam depravare ausa fuisset. Arius enim, & socii, illam vitiare conati sunt, & ejus loco hæresim introducere; dicentes, filium Dei, ex non entibus, extitisse; & creaturam, facturamq́ue, & mutabilem esse; multosq́ue his verbis deceperunt; adeo ut qui aliquid esse viderentur; eorum blasphemiâ seducti sint. Quapropter Patres, quamprimum Nicææ in Concilium venientes, ejus verba anathemate condemnarunt; & Catholicæ fidei confessionem, scripto tradiderunt; ut ejus ubique promulgatione, incendium hæreseon per sectarios excitatum, restingueretur. Ea igitur sincerè ubique ad omnes Ecclesias, & legebatur, & prædicabatur: cùm quidam Arianorum hæresim renovare cupientes; hanc à Patribus Nicææ assertam fidem capere contemnere; præseferentes ab eâ non dissentire; cùm interim reverà eam inficientur, malè interpretantes consubstantialitatem; & blasphemias dicentes in Spiritum sanctum, quem creaturam, & à Filio conditam, asseverant.

IX. *Nos igitur conspicientes, ex hujusmodi blasphemiis non levibus, populum Dei, calamitatibus perurgeri; necessariò tibi fidem Nicææ Patrum confessionibus confirmatam porrigere studuimus; ut tua pietas, & ea quæ exactissimè scripta, & quantum errent illi, qui aliter sentirent, intelligeret. Cognosce igitur, religiosissime Auguste, hanc esse quæ à condito ævo prædicata fuit; & quam Nicææ Patres congregati agnoverunt; ejusq́ue suffragatrices esse omnes, omnibus in locis Ecclesias, sive in Hispaniâ sint, sive in BRITANNIA, Galliâ, Italiâ universâ, Dalmatiâ, Daciâ, Mysiâ, Macedoniâ, sive universâ Græciâ; totâ Africâ, Sardiniâ, Cypro, Cretâ, Pamphiliâ, Lyciâ, Isauriâ, Ægypto, Libyâ, Ponto, Cappadociâ; itidem quotquot nobis vicinæ sunt, nec non Orientis Ecclesiæ, paucis admodum exceptis, quæ Arianæ opinionis sunt. Omnium enim istorum, & adhuc longinquiorum animos, experimentis cognovimus, & scripta habemus. Nec te lateat, piissime Imperator; quod tametsi sint, qui huic fidei derogent; eos tamen (cum universus Orbis Catholicam fidem sequatur) & ipsi jam pridem Arianâ hæresi infecti fuerint; & nunc acerrimè pietati obsistant; præjudicium facere non posse. Nobis autem, ut tua pietas cognosceret rem alioquin sibi cognitam, visum est fidem Nicænam Episcoporum confessionibus approbatam subnectere. Est igitur fides à Patribus asserta hujusmodi. Credimus in Deum Patrem, &c.*

BRITANNIA IN FIDE INCORRUPTA.

X. *In hac, Auguste, omnes oportet manere; neque quicquam inde transmutare artificiis contentionibusq́ue verborum, quod faciunt Ariani; qui ex non entibus filium Dei extitisse; eundemq́ue, non fuisse, antequam fieret; eum denique creaturam, factum, & mutabilem esse dicunt. Ideo enim, quemadmodum prædiximus, Synodus Nicæna anathematizavit istiusmodi hæresim, & veritatis fidem confessionibus approbavit: neque levi, aut simplici ratione Filium Patri similem esse asseveravit; cumq́ue (ne ex levi re Deo similis; sed verus Deus, ex Deo haberetur) consubstantialem esse scripto tradidit; quod proprium est genuini & veri Filii, veri & Naturalis Patris. Sed nec alienavit Spiritum sanctum à Patre, & Filio: sed eum unà glorificavit, cum Patre & Filio; & in una sancta Trinitatis fide; eo quod una sit in sanctâ Trinitate Deitas.* Habet hic, Lector, insignem magnumq́ue testem, Athanasium, qui Britannorum animos experimento novit, eorumq́ue literas habuit, orthodoxæ fidei indices. Quod si pietas: Quando ergo Ariana perfidia, Insulam infecit; quæ Gilda & Beda testibus, circa hæc tempora infecta est? Respondeo, ut turbato provinciæ statu, Sozomenus suprà dixit, facilè violari sacras Virgines; ita virgo fides in Britannia, corrumpi solum potuit, rebus turbidis. Quò nunc propero.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1115.

ANNUS CHRISTI 364.

LIBERII PAPÆ 13.

VALENTINIANI IMP. 1.

SECUTUS est monentem Athanasium, Jovianus Imperator, & Nicænam fidem paucis quidem mensibus, sed constantissimè tenuit; donec illam cum purpurâ transfudit in Valentinianum, qui eo mortuo, & prunarum, ut creditur fumo suffocato, in imperium successit, anno Christi trecentesimo sexagesimo quarto, Joviano, & Varroniano Coss. Fuit Valentinianus, è Pannoniâ oriundus, Gratiani filius, cognomento Funarii, quem suprà, Proprætorem fuisse in Britanniâ diximus. Ille ob religionem Christianam, tribunatu motus, quem sub Juliano gesserat; purpuram ejus loco nunc obtinuit: & Valentem fratrem in imperii societatem ascitum, Orienti præposuit. Valentinianus Occidentem rexit; ubi motus plurimi, & provinciarum turbatio Romanum imperium distraxerunt. Accessit Britannia huic calamitati. quod modo latiùs explicandum.

I. JOVIANUS MORITUR.

An. 355. 4. VALENTINIANUS IMPERAT.

II. Contigit hoc planè anno, quod Ammianus Marcellinus recitat in hunc modum. *Hoc tempore, veluti per universum Orbem Romanum, bellicum canentibus buccinis, excitæ gentes sævissimæ, limites sibi proximos persultabant. Gallias Rhætiasq́ue simul Alemanni populabantur: Sarmatæ Pannonias, & Quadi. Picti, Saxones, & Scoti, & Attacotti, Britannos ærumnis vexavere continuis.* Ita ipse. Tumultuum in hac Insulâ, non alia videtur causa fuisse; quàm spes nova moliendi, ex mutatâ toties purpurâ: Unde Caledonios cupido incessit proferendi novi imperii; quod aliarum gentium accessu, jam in multum populum creverat; qui è frigido crassoque cælo ad clementius suspirabat. Sed unde hi novi hostes, Saxones & Attacotti? nam Pictos Scotosq́ue suprà novimus. Saxo qui postmodum Insulæ fuit notissimus; nunc primum in provinciam hanc excurrisse, & piraticam exercuisse videtur. nam in ea arte etiamtum evaserat doctissimus: & illum omnino Sidonius Apollinaris intellexit, cum dixit:

Ammia. l. 26. c. 10. TURBÆ IN ROM. IMPERIO.

Cui pelle salum sulcare Britannum
Ludus, & assuto glaucum mare findere lembo.

SAXONES PRIMUM IN BRITANNIAM EXCURRUNT. Sidon. carm. 7.

III. De eo agam infrà frequentissimè; nunc ad insolens illud nomen, Attacotti quid dicendum? certè obsoletam vocem obscurarunt potiùs, quàm illustrarunt varia exemplaria; in quibus nunc Attigotti, & Catacotti, Cattiti, vel etiam, ut apud Baronium, Atacitti, legitur. Sed illud nomen illustrius, quod habet S. Hieronymus, qui Attacottos vocat, in Epistola 83. ad Oceanum: *Scotorum,* inquit, *& Attacottorum ritu, ac de Rep. Platonis, promiscuas uxores, communes liberos habent.*

ATTOCOTTI, QUI?

Hiero. ep. 83.

depravata certè Basileensis editio an. 1497. quæ habet Atticorum: alia exemplaria rectiùs habuerunt Atticotorum, ut Marianus Victorius monuit. Et nescio cur ibi Erasmus Scotos, & alibi, in eodem Hieronymo, Azotos legerit. Æquè controversum est, an advenæ fuerint, an incolæ. Buchananus inter Pictos numerat; eos, inquam, qui inter Hadriani & Severi vallum habitabant: alii communiùs Scotorum gentem putant. Verius opinor, Britannos silvestres montanosquè fuisse, ut infrà, & S. Hieronymo, & Ammiano Marcellino. Quicquid dixeris, erant immanè barbari. nam Hieronymus de illis ait: *Quid loquar de cæteris nationibus; cùm ipse adolescentulus in Gallia viderim Attacottos, gentem Britannicam, humanis vesci carnibus: & cum per silvas porcorum greges, & armentorum pecudumq; reperiant, pastorum nates, & fæminarum papillas, solere abscindere; & has solas, ciborum delicias arbitrari.* Cùm hos igitur Hieronymus Britannos vocet, dicamus Septentrionales incolas fuisse; montanos fortè, aut silvestres homines: quorum operâ, Picti Scotique, in Romanæ provinciæ fines irruentes, usi sunt in perniciem Insulæ. nec novum est in hujusmodi irruptionibus, rudes & aggrestes armare, qui numerum faciant, & sustineant impetum. Sic etiam posteriùs, cùm Saxo, & Anglos, nota nomina, in Britanniam venerunt; venerunt quoque obscurioris notæ homines Jutæ, quorum in historiis nostris infrequens mentio. & passim Tacitus, Romanorum itinera leges, ad Britanniæ Septentrionem, novas gentes, & ignota nomina aperit: quos omnes suprà Britannos asserui; legibus fortè & Republica distinctos. nunc videndum quid factum à Romanis, & Valentiniano Imp. ne Britannorum fines tot efferæ nationes depopulentur.

Hiero l. 2. cont. Iovianum.

Dempsterus pro Attacotos, Gothos legit: cùm alia exempla Scotos habeant.

IV. Cruce iterum Labarum ornatur.

Prima pii Principis cura, in contundentis hostibus, fuit; pugnare iis armis, quibus olim vicerat Constantinus: de eo ita Baronius: *Valentinianus imperium nactus, à tot undique hostibus circumseptum, & laceratum: illud primum init salubre consilium; ut Labarum præcipuum militare vexillum; sub quo acies quoque cælestes militare solerent; & quo prævio Constantinus, ad debellandos tyrannos & barbaros, sibi aperuit semper viam; à Iuliano verò spretum, atque rejectum; majori gloria restitutum redderet exercitui.* Unde nihil ampliùs quærendum, de fide hujus Imperatoris; tùm liceat passim advertere, crucis ortum, orthodoxæ religionis ortum esse: & occasum crucis ejusdem religionis occasum. Crescit ergo & decrescit fides, ad fluxum, & refluxum crucis. Vis hujus rei domesticum argumentum. Hactenus Anglia cruces à majoribus pôsitas, in locis publicis (aliquas saltem) permiserunt; ut aliqualem Ecclesiæ faciem ostenderet. nunc anno 1642. Calvinistæ in cruces illas impunè sævientes; nullæ Ecclesiæ fideique faciem reliquerunt, ut orthodoxi pariter & paradoxi fatentur.

V. Nectaridius Comes et Bulchobaudes Romani Duces superati.

Interea barbari, qui ad Britanniæ Septentrionem unitis viribus in Romanos pugnabant; Insulæ graves; ferro flammaque provinciam incenderunt. nec injuriam prohibere potuit Nectaridius Comes, maritimæ oræ præfectus; aut Bulchobaudes, qui Romanum militem in Britannia ducebat; nam, utrumque hostes invaserant, occiso Comite, Duce submoto. Quid inde factum, dicam anno sequenti.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1116.

ANNUS CHRISTI 365.

LIBERII PAPÆ 14.

VALENTINIANI IMP. 2.

I. Novi Legati in Britanniam.

EXACTA hyeme, Valentinianus Imperator, in Occidentem venit, anno trecentesimo sexagesimo quinto, Valentiniano & Valente Consulibus: cùm Orienti præfecisset Valentem fratrem, imperii collegam. Porrò cùm in Gallias venisset, motus composuit, quos Alemanni fecerant; tunc *profectus ab Ambianis, Treverosq; festinans* (loquitur Ammianus Marcellinus) *nuncio percellitur gravi, qui Britannos indicabat, Barbarica conspiratione, ad ultimam vexatos inopiam: Nectaridumq; Comitem maritimi tractus occisum, & Bulchobaudem Ducem hostilibus insidiis circumventum: quibus magno horrore compertis, Severum etiam tum domesticorum Comitem misit; si fors casum dedisset optatum, correcturum secius gesta; quo paulò postea revocato, Iovinus eadem loca profectus Proventus idem celeri gradu præmisit, adminicula petiturus exercitus validi. Id enim instantes necessitates flagitare firmabant. Postremò ob multa & metuenda, quæ super eàdem Insulâ rumores assidui perferebant; electus Theodosius, illuc properare disponitur, officiis martiis felicissimè cognitus; adscitaq; animosâ legionum, & cohortium pube tendebat præeunte fiduciâ speciosâ.* Hic est ille Theodosius, cujus filius patri cognominis, postea, ab altero Valentiniano: ascitus est imperio: de quo plura inferiùs; qui nunc satis monstratus, imperii tyrocinium in Britannia, ut olim Vespasianus, posuit quod Sozimus l. 4. disertè affirmat; cùm Maximum, qui postea in Britannia imperavit, ejus ibi commilitonem appellat.

Marcellin. l. 27. c. 17.

Severus domesticorum Comes et Jovinus et Theodosius.

II. Pictorum divisio.

Enimverò erat hic locus, campusque ubi Theodosius senior explicare potuit virtutem suam: nam in plures & feras gentes incidit; quæ perimi fortè aliquando, domari tamen nunquam potuerunt. de quibus ita Marcellinus. *Eo tempore, Picti in duas gentes divisi, Dicalidonas, & Vecturiones, itidemq; Attacotti, bellicosa hominum natio, & Scotti per diversa vagantes, multa populabantur.* ita ille & nova hæc nomina quantum fieri potest, in rerum obscuritate, inspicienda sunt. Dicalidones, vel ut mavult Camdenus, Deucalidones, illi fuerunt; qui, inter Pictos, Occidentem Insulæ tenebant, quasi manum dextram; quæ Di, vel Deu, syllabâ notatur: ut levam habebant Vecturiones: atque inde eodem modo appellati. Beda illos aliter distinxit, in Australes & Septentrionales, ut infrà dicemus ad annum Christi 370. Picti ergo, ut ex hoc Marcellini loco colligitur, fixas constantesque sedes occupasse, & vernaculi non externi fuisse aut advenæ videntur: Attacotti, Scotti, vel nullas adhuc fixas, vel iis non contenti, alias sedes quærebant, vicinis provinciis graves. Verùm difficilior hostis imminebat Orienti Insulæ: infesta nimirum Francorum & Saxonum manus; quasi secuturæ post cladis præludium. Nam ipsam Britanniæ urbem principem aggressi, ingentem prædam egerunt.

Marcell. sup. c. 18.

Deucalidones

Vecturiones.

III. Narrat hæc pluribus Ammianus Marcellinus, ita scribens. *Gallicanos vero tractus, Franci & Saxones, iisdem confines; quò quisque erumpere potuit,*

Marcellin. l. 27. c. 18.

Franci et Saxones Britanniam invadunt

terra, vel mari; prædis acerbis incendiisq; & captivorum funeribus hominum, violabant. Ad hæc prohibenda; si copiam dedisset fortuna prosperior, orbis extrema Dux efficacissimus petens (Theodosium intelligit) *cùm venisset ad Bononiæ litus; quod à spatio controverso terrarum angustiis reciproci distinguitur maris, attolli horrendis æstibus adsueti, rursusq; sine ulla navigantium noxâ, in speciem complanari camporum; exinde transmeato lentiùs freto, defertur Rutupias, stationem ex adverso tranquillam. Vnde cùm consecuti Batavi venissent, & Heruli, Ioviiq; & Victores fidentes viribus numeri, egressus tenditq; ad Lundinium, vetus oppidum, quod Augustam posteritas appellavit; divisis plurifariam globis, adortus est vagantes hostium vastatorias manus, graves onere sarcinarum: & properè fusis, qui vinctos homines agebant, & pecora; prædam excussit, quam tributarii perdidere miserrimi. Denique restituta omni, præter partem exiguam impensam militibus fessis: mersam difficultatibus suis antehac civitatem; sed subitò, quæ salus sperare potuit, recreatam; in ovantis speciem lætissimus introiit. Ubi ad audenda majora, prospero successu elatus; tutaq; scrutando consilia; futuri morabatur ambiguus: diffusam variarum gentium plebem, & ferocientem immaniter; non nisi per dolos occultiores, & improvisos excursus superari posse, captivorum confessionibus, & transfugarum indiciis, doctus. Denique edictis propositis, impunitateq; promissâ; desertores ad procinctum vocabat; & multos alios per diversa, libero commeatu, dispersos; quo monitu, ut rediere plerique; incentivo percitus, retentusq; anxiis curis, Civilem nomine recturum Britannias pro præfectis ad se poposcerat mitti: virum acrioris ingenii, sed justi tenacem & recti: itidemq; Dulcitium Ducem, scientiâ rei militaris insignem. Hæc in Britanniis agebantur.* Hactenus Marcellinus. Theodosii reliqua, & plenam de hoste victoriam post alterum annum prosequemur.

A Theodosio tunduntur.

Civilis sub Theodosio præest Insulæ. Dulcitius militi.

IV. Necdum Ariana hæresis pervadit Insulam.

* An. 362. n. 10.

Quod ad Ecclesiam spectat & fidem Britannorum, nunc tempus esset circumspiciendi, quâ viâ Ariana hæresis, & quando Insulam pervaserit. opinatus enim sum aliquando, potuisse id fieri sub hæc tempora; quando turbatis rebus, turbari etiam mortalium animi, & nullo negotio capi consueverunt, ut * suprà notavi. Sane Lampsacum, in Hellesponto, convenientes Episcopi, anno Christi trecentesimo sexagesimo quinto; specie pietatis, & Arium condemnandi, longè lateque hæresim propagarunt, Ario satis blandientem; unde Semi-Arriani dicti. Illi Legatos, è Synodo, in Occidentem miserunt: quos Liberius primò abominatus; inde pœnitentes, & Nicænam fidem professos, in communionem admisit: qui in Gallias profecti, ad Occidentem, ut provinciis omnibus, multisque ibi Episcopis, ita Britanniæ quoque nostræ imponere facilè potuerunt. Et sanè Romano Pontifice circumvento, & Valentiniano, orthodoxo quidem Imperatore, sed Arianam habente conjugem, Justinam Augustam, nihil mirum fuisset Insulam hanc, ab urbe semper pendentem, esse circumventam. Verùm necdum invenio qui asserat, aut Britanniæ Episcopos, aut plebem, Arianâ adhuc labe infectam: & propiùs ad Gildæ & Bedæ mentem in posteriora tempora referenda est eclypsis illa fidei. Lego quidem Arianos provinciam nostram sub hoc Theodosio infestasse. Sed aliud genus hominum sunt; & ad militiam potiùs quàm ad sanctiorem Remp. pertinebant, ut dicam anno sequenti. Mansit ergo inter hos belli strepitus, fides orthodoxa integra, atque incorrupta, Liberio Papa, nobis manum ad id porrigente, ne Lampsaceni Legati nobis imponerent.

V. Liberius Britannos confirmat.

Baron. hic.

Ille haud impigrè laboravit, inquit Baronius, *sed omnes planè Apostolicæ functionis nervos contendit, ad idipsum perficiendum: nam non satis sibi visum, Romæ, eâ de causâ Synodum agere; sed & Legatos, tum ad Illyricos, & inde ad Asianos perducendos; tum in Gallias misit & ad alias Occidentis provincias, ex more, ut de fide Catholicâ Orientalium ad Ecclesiam redeuntium, universam Occidentalem Ecclesiam redderet certiorem.* Unde missos quoque in Britanniam nostram, nullum mihi dubium est: tum quia Galliæ ab omnibus nominantur, tum quia aliæ quoque ad occasum solis provinciæ, quod rectissimè cadit in hanc Insulam. Imò scripsisse etiam Britanniæ Episcopos, unà cum cæteris in Occidente ad Orientalem Ecclesiam de retinendâ Nicænâ fide, inde mihi persuadeo; quod Sozomenus dicat ex Liberii & aliorum Episcoporum Occidentis recitatis literis, Orientales magnam cepisse lætitiam, scripsisseque omnibus Ecclesiis: ut tum decreta Episcoporum Occidentis, tum literas Liberii, & aliorum Episcoporum Italiæ, Africæ, *Galliæ ad occasum spectantis*, & Siciliæ, (horum enim literas quoque Legati ex consilio Lampsaceno ad eos missi, attulerant) diligenter perlegisse. ex quibus saltem apparet, nubem illam, quæ hunc orbem nostrum texisse aliquibus videbatur planè dissipatam esse, lucemque restitutam. quod adhuc in Valentiniano Imperatore manifestius est, qui inter cætera, ita scripsit ad Episcopos Orientis: *Episcopi* (in Occidente) *Trinitatem consubstantialem esse, hoc est, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum certis rationibus ostenderunt. A quâ fide, ne digitum quidem, ut aiunt, deflectentes, debito cultu religionem præpotentis Dei prosequuntur; quam etiam nostra celsitudo passim prædicari mandavit.* Habuit Imperator suæ fidei præmium; cum sequenti anno, victo in Oriente Procopio, domitisque Alemannis, prosequutus est etiam Victoriam in Britanniis; de quo suo loco.

Sozom. l. 6. c. 12.

Apud Theod. l. 4. c. 7.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1117.

ANNUS CHRISTI 366.

LIBERII PAPÆ 15.

VALENTINIANI IMP. 3.

Annus Christi trecentesimus sexagesimus sextus, Gratianum Valentiniani Imp. filium, & Dagalaiphum Coss. habuit: quando Valens in Oriente, Procopium, Juliani affinem, tyrannidem affectantem pressit, opera Lupicini magistri equitum: & eodem tempore, Jovinus equitum magister, qui nuper pugnavit in Britanniâ, Alemannos vicit in Galliâ. Valentiniano Parisiis, victorem, & unà victi Procopii caput excipiente. An ibi natus sit nescio, natus tamen hoc anno est Valentiniano, alter filius Valentinianus quoque dictus, è Justinâ Arianâ fœminâ. Cæterùm infelicitas hujus anni est, quod Valens Imperator, & Augustus, in Arianam perfidiam, ab Eudoxio Constantinopolitano Episcopo baptizatus, declinavit: & inde Orientis Ecclesias & orthodoxos Episcopos impiè turbavit: cum interea

Valentinianus tyrannos domat.

Valentinianus II. nascitur.

Valens Imp. Arianus.

Valentinianus in Occidente; licet ipse fidelis esset; Auxentius tamen Mediolani sedere, Arianum Episcopum, permisit.

ANNUS URBIS CONDITÆ 118.

ANNUS CHRISTI 367.

LIBERII PAPÆ 16.

VALENTINIANI IMP. 4.

I. Liberius Papa moritur. Damasus Papa. Gratianus Augustus. *Gordonius.*

MORITUR Liberius Papa, anno Christi trecentesimo sexagesimo septimo; Lupicino & Jovino Coss. cùm sedisset annos quindecim, menses quatuor. In ejus locum legitimè electus est Damasus: licet factio altera Ursicinum conaretur in Romanam Sedem intrudere. Sed vicit pars melior, & orthodoxus orbis Damasum coluit, ejecto schismatico. Quo tempore Valentinianus Imperator Gratianum filium creat Augustum: & Theodosius in Britanniâ rem strenuè gerens, provinciam, & ouperos motus componit. nam *fugatis aliis, Scotos etiam, ad suas paludes redegit*, inquit Sigonius, hoc anno ista persequens, ut ait Gordonius: unde suspicio est Scotos in Hiberniam pulsos. Verùm rem fusiùs narrat Ammianus Marcellinus, quem juvat audire. Ita ergo ipse.

II. *Marcell. l. 20 c. 17.* Theodosius provinciam componit. Valentinum nova molientem premit. Cætera dissimulat.

Theodosius Dux nominis inclyti, animi vigore collecto, ab Augustâ; quam veteres appellavere Lundinium; cum milite industriâ comparato solerti, versis turbatisq; Britannorum fortunis, opem maximam tulit: opportuna ubique ad insidiandum barbaris præveniens loca; nihilq; gregariis imperans, cujus non ipse primitias alacri capesseret mente. Hocq; genere, cum strenui militis munia, & præclari Ducis curas expleret; fusis variis gentibus & fugatis, quas insolentiâ nutriente, securitatem aggredi Romanas res inflammabat; & in integrum restituit civitates, & castra, multiplicibus quidem damnis afflicta, quiete temporis longi fundata. Evenerat autem, eodem hæc agente, facinus dirum, erupturum in periculum grave; ni inter ipsa conatus principia, fuisset extinctum. Valentinus quidam in Valeria Pannoniâ, superbi spiritus homo, Maximini illius exitialis Vicarii, postea præfecti, conjugis frater; ob grave crimen actus in Britannias exul, quietis impatiens, malefica bestia, ad res perniciosas consurgebat & novas, in Theodosium tumore quodam; quem solum resistere posse nefandis cogitationibus advertebat: multa tamen clam palamq; circumspiciens, crescente flatu cupiditatis immensæ, exules solicitabat & milites; pro temporis captu, ausorum illecebrosas pollicendo mercedes. Iamq; propinquante tentatorum effectus doctus, hæc unde convenerant, Dux clarior ad audendum, & corde celso ad vindictam compertorum erectus; Valentinum quidem cum paucis, arctâ societate junctissimis, lethali pœnâ plectendos Dulcitio dediderat Duci: militari vero scientiâ, quâ superabat præsentes, futura conjiciens; de conjuratis quæstiones agitare prohibuit. Ne formidine sparsa permultos reviviscere, ne provinciarum turbines compositi.

III. *Marcell. l. 20. c. 18.* Valentia provincia. Arfani, qui?

Hinc ad corrigenda plura conversus, & necessaria; periculo penitus dempto; cum apertè constaret nulla ejus cepta, propitiam deseruisse fortunam; instaurabat urbes, & præsidiaria, ut diximus castra, limitesq; vigiliis tuebatur, & prætenturis: recuperatamq; provinciam, quæ in ditionem cesserat hostium, ita reddiderat statui pristino: ut eodem referente, & rectorem haberet legitimum; & VALENTIA deinde vocaretur arbitrio principis. Areanos genus hominum, a veteribus institutum; super quibus aliqua in actibus Constantis retulimus; paulatim prolapsos in vitia, a stationibus suis removit; apertè convictos, acceptorum promissorumq; magnitudine præmiorum allectos; quæ apud nos agebantur, aliquoties barbaris prodidisse. Id enim illis erat officium, ut ultrò citroq; per longa spatia discurrentes, vicinarum gentium strepitus nostris Ducibus intimarent. Hæc Ammianus; quæ pluribus annis gesta, ipse in annos non digessit. Sequitur enim Theodosii reditus ad Comitatum, quem hoc anno contigisse non putamus.

IV. De novo provinciæ nomine.

Cæterùm quod attinet ad novam provinciam; quam Theodosius voluit, ab Imperatoris nomine, Valentiam appellari, sciendum est, Romanos, cùm belli jure regnum expugnassent, illud suo more distinguere, & novis appellationibus insignire solitos. Ita sæpiùs, pro vincentium libidine Insula hæc in portiones plures discreta: modò uno, modò alio nomine in historiis audit. Cæterùm hæc quinta est, & ultima Romanorum provincia in Britanniâ, è Theodosii victoriâ hoc anno enata: nam quatuor antea Romanorum dialecto surrexerant. de quibus egi ad annum Domini centesimum duodecimum nu. 4. sunt tamen qui putent Flaviam Cæsariensem, à Flavio Theodosio, hujus Theodosii filio, & Augusto, posteriùs nominatam esse. quod ideo improbandum non est; quia hactenus à probatis Authoribus, ager ille, à Tamesi ad Humbrum porrectus, *Flavia* nuncupatus non occurrit. Romani igitur, non omnem Insulam, sed illam tantùm, quam submotis hostibus acquisiverant, in quinque omnino portiones distinxerant. Britannia prima dicebatur, omnis regio australis, quæ hinc mare Britannicum, illinc Tamisim & Sabrinianum fretum interjacet Britannia Secunda, Silures, Dimetas & Ordovices continebat, quam posteri Cambriam, vel Walliam vocaverunt. Flavia Cæsariensis, ut modò dicebam, quicquid terrarum à Tamisi ad Humbrum erat. Maxima Cæsariensis, ab Humbro ad Tinam fluvium seu Vallum Severi porrigitur. Jam verò porrò progressus Theodosius, cùm Pictos & Scotos ad ulteriora coëgisset: quicquid à Tinâ ad fossam juxta Edenburgum erat, Romanorum jugo subjiciens, Valentiam voluit appellari. Ad cujus limitem, inter Glottam & Bodotriam, Romani stationem habuerunt, ne hostis in provinciam irrumperet. Ibi Legio sedem fixit de quâ Claudianus poeta, libro de bello Getico.

Venit & extremis Legio prætenta Britannis
Quæ Scoto dat frena truci: ferroq; notatas
*Perlegit * exanimes Picto moriente figuras.* *exangues

Nec ausim tamen affirmare Legionem hanc à Theodosio ibi positam; quia infrà, in Stiliconis laudibus illam ponemus. V. an. 403.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1119.

ANNUS CHRISTI 368.

DAMASI PAPÆ 2.

VALENTINIANI IMP. 5.

URSICINUS EX URBE PELLITUR.

VALENTINIANI LITTERÆ.

Baron. hic.

VALENTINIANUS Imperator utilem Romanæ Ecclesiæ operam præstitit; cum ipso & Valente secundum Consulibus: in mirum anno Christi trecentesimo sexagesimo octavo, Ursicino schismatico, ex urbe pulso, pacem restituit orthodoxis; & ita piè ad Prætextatum rescripsit urbis Præfectum. *Dissensionis authore sublato, omnis causa discordiæ sopienda est: ne aliquâ remanente materiâ; nihil profit è medio sustulisse fomitem jurgiorum. Quamobrem sublimitas tua Defensoris Ecclesiæ, sive Damasi, sacra legis Antistitis petitione perspectâ; quâ, una tantum Ecclesia ex Catholica religionis obsequio, à dissidentibus adhuc dicitur retentari: quoniam pro publicâ securitate muniendum est, ne aliquis hinc iterum tumultus oriatur, (quandoquidem non parva sit separationis effigies, ut tale aliquid putetur occlusum Damaso) eam jubebit aperiri ut singuli, universiq; cognoscant; quo unitas studio colenda sit, quâ omnibus pace vivendum. Cum Ecclesiis restitutis plenissimam postulat congregationem ubique promissa concordia.* Ita pro Ecclesiæ pace & unitate scripsit Imperator, In eo certè laudandus, quod motus omnes in urbe, & simul in orbe nostro, Britanniaque; submotis undique factiosis, piè fortiterque composuit.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1120.

ANNUS CHRISTI 369.

DAMASI PAPÆ 3.

VALENTINIANI IMP. 6.

I. THEODOSIUS E BRITANNIA EVOCATUR.

Marcel. l. 28. c. 18.

THEODOSIUS rebus in Britanniâ ex animi sententiâ succedentibus & provinciâ serenatâ, à Valentiniano evocatur. Id opinor, ad annum Christi trecentesimum sexagesimum nonum, & Valentinianum nobilem puerum atque Aurelium Victorem Consules, referendum esse, quod de eo scribit Ammianus Marcellinus in hunc modum: *Ita spectatissimè antedictis rebus, aliisq; administratis similibus, ad Comitatum accitus Theodosius, tripudiantesq; relinquens provincias; ut Furius Camillus, vel Cursor Papirius, victoriis crebris & salutaribus erat insignis. Et favore omnium adusque fretum deductus, leni vento transgressus venit ad Commilitium Principis, cumq; gaudio susceptus & laudibus, in locum Valentis Iovini successit, qui equorum copias tuebatur.* Hæc ille. Ingentem sanè laudem, & pro filio purpuram, meruit Theodosius, in Britanniâ. Unde non solùm laudibus ornatus est; sed equestri insuper statuâ: de qua ita scribit Symmachus, ad filium ejus Theodosium Augustum. *Familia,* inquit, *vestra & stirpis authorem, Africanum quondam, & Britannicum Ducem, statuis equestribus inter prisca nomina consecravit ordo amplissimus.* Africanum Ducem vocat; quia è Britanniâ in Gallias primo mox in Africam missus, felicissimè ibi pugnavit.

II. Multi etiam fuerunt in hujus victoriæ laudibus poetæ, è quibus Claudianus, ita in parente, laudat filium.

Claudian. in laud. Theodos.

Ille Caledoniis posuit qui castra pruinis,
Qui medio Libyæ sub casside pertulit æstus;
Terribilis Mauro debellatorq; Britanni
Littoris. ac pariter Boreæ vastator & Austri.
Quid rigor æternus? Cœli quid sidera prosunt?
Ignotumq; fretum? maduerunt, Saxone fuso,
Orcades, incaluit Pictorum sanguine Thule,
Scotorum tumulos flevit glacialis Hiberne.

Hæc de duplici victoriâ, tam in Trinobantibus habitâ, devicto ad Austrum Saxone & Franco: quàm de difficili prælio, ad Septentrionem, Claudianus. qui rursum eadem explicans eleganter Theodosium laudat, in hunc modum.

Idem suprà.

——— Quem litus adusta
Horrescit Libya, ratibusq; impervia Thule.
Ille leves Mauros, nec falso nomine Pictos
Edomuit, Scotumq; vago mucrone secutus;
Fregit Hiperboreas remis audacibus undas.
Et geminis fulgens, utroque sub Axe, trophæis,
Tethyos alternas refluas calcavit Arenas.

III. Ex hac victoriâ mansit Insula quietior, hostis remotior, & Picti Scotique (qui in numerum, gentem, nomenque jam creverant) fractiones. nam pedem ubi suprà fixerant, referre coacti sunt. Sic intelligo Pacati Drepani panegyricum Theodosio Aug. dictum, & in Theodosii patris laudibus ponentem. *Redactum ad paludes suas Scotam quæ innuere planè videntur, Hibernos ut dixi in patriam, unde in Britanniam venerant, rediisse.* quod è Claudiano etiam non obscurè colligitur. Cæterùm quod Picti hoc anno, S. Andreæ sacras reliquias, porrigente illas S. Regulo, qui ex Achaïa easdem detulerat, cum summo gaudio exceperint, regnante apud Pictos Hergusto: ut vult Broughtonus, addens tam Scotos, quàm Anglos, in hoc conspirare: quod *anno virginei partus nono supra trecentesimum sexagesimum, Hergistus fuerit observantissimus Christianæ religionis princeps.* non placet: nam Hectore Boetio, & Raphaële Hollinshedo quos ille sequitur, major est Beda. Qui disertè affirmat, Australes Pictos à Niniano Episcopo, Romæ regulariter fidem & mysteria veritatis edocto, ad fidem Christi conversos esse. Debeo igitur primum Ninianum ex Insulâ Romam mittere, ut ibi doctus, post aliquot annos in Britanniam redeat, Pictorum gentem docturus: & tunc demum Regulus, Pictorum Regem, Christianæ religionis observantissimum inveniet.

Pacat. pan. g. Theodosio.

DE S. REGULO.

Brought. an. 4. c. 25. §. 6.

REIICITUR.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1121.

ANNUS CHRISTI 370.

DAMASI PAPÆ 4.

VALENTINIANI IMP. 7.

I. S. NINIANUS È BRITANNIA ROMAM PROFICISCITUR.

I. ANNO Christi trecentesimo septuagesimo, Valentiniano & Valente tertium Coss. Theodosius, jam equitum magister, pro Valentiniano, in Alemannos fortiter pugnavit, eosque captivos in Italiam duxit. Profecuti sunt abeuntem è Britanniæ Theodosium Britannorum aliquot, & armorum, & literarum, & pietatis studio.

Hos

Hos inter Ninianus Regii ſanguinis adoleſcens, pertæſus mundum, paternam domum, aulæ ſtrepitum, & bellorum licentiam, ſolvit ex Inſulâ, proficiſcitur in Gallias, & demum (quod primum in votis erat) Romam contendit. Quod ad tempus ſpectat, nunc incidiſſe profectionem oportet, cùm Damaſus Papa, in Urbe Pontifex ſederet. Quia poſt aliquot annorum ſpatia, redire debet Ninianus in patriam, & S. Martinum Turonenſem Epiſcopum, qui poſt quinquennium ſedere cœpit, de viâ, ſalutare. Lex etiam Valentiniani Imperatoris hoc anno lata, quam ſtatim refero, plures invitavit; eos imprimis qui ſtudiis & pietati vacare cupiebant; ut Romam ſe conferrent. & quia Treviris data eſt, ut mox audies, Britanniæ noſtræ ſtatim innotuit.

Consilium profectionis.

Ratio autem conſiliumque profectionis, non aliud Niniano fuit; quàm ut fidem orthodoxam, è primo puroque fonte acceptam, derivaret in patriam; quæ inde ſemper refecta recreataque eſt. Et quoniam ſervire ac prodeſſe aliis in animo erat, adjunxit ſtudium literarum, quæ fidei ancillarentur.

II. Ro. Ecclesiæ fides illustris.

Quod ad fidem ſpectat; non erat hoc tempore dubium inter orthodoxos, arcem fidei Romam eſſe: cujus ſedis continuatâ ſucceſſione, Optatus Milevitanus, ante duos annos, Donatiſtas convicerat. Volebant illi penes ſe Eccleſiam eſſe, & alios omnes inſanire, ſe ſolos ſapientes eſſe. Sed Optatus optimè concludit, aut nullam Eccleſiam, aut Romanam eſſe.

Optat. l. 2. princ.

Ergo, inquit, *probamus eam eſſe Eccleſiam Catholicam, quæ ſit in toto terrarum Orbe diffuſa*, &c. Et ſtatim. *Igitur negare non potes, ſcire te in urbe Româ, Petro primam Cathedram Epiſcopalem eſſe collatam, in quâ ſederit omnium Apoſtolorum caput Petrus; unde & Cephas appellatus eſt; in quâ unâ Cathedrâ, unitas ab omnibus ſervaretur: ne cæteri Apoſtoli ſingulas ſibi quiſque defenderent. Ut jam ſchiſmaticus & peccator eſſet, qui contra ſingularem cathedram, alteram collocaret. ergo cathedra unica eſt, quæ eſt prior de dotibus: ſedit prior Petrus, cui ſucceſſit Linus, Lino ſucceſſit Clemens*, &c. *Liberio Damaſus hodie, qui noſter eſt ſocius, cum quo nobis totus orbis commercio formatarum, in una communionis ſocietate concordat. Veſtræ Cathedræ vos originem reddite*, &c.

Petrus Romæ.

Quæ omnia eleganter ſectarios Romanæ & orthodoxæ fidei perduelles arguunt. Hinc vides Britanniam hoc tempore, cum Damaſo ſenſiſſe; & utinam nunc aut audiri poſſet Optatus, aut ejus ſententiam ſequi vellent factioſi: qui non minùs quàm Donatiſtæ loquaciter de Eccleſiâ ſuâ garriunt, nec minùs imperitè ſentiunt. Britannia certè Optati vocem ſemper audivit; cum omni ſæculo, ut nunc Ninianum, eò miſit aliquos, fidei ac pietatis causâ.

III. Romæ studia florent.

Fuit & aliud, quod Britannum hunc noſtrum in Urbem traxit: nimirum neceſſaria illa fidei appendix, bonarum literarum, quæ ibi tradebantur florentiſſima diſciplina. Unde factum, ut præteritis annis infinitus juvenum numerus eò promiſcuè, & ſine delectu cucurrerit. Hinc Valentinianus Imperator legem tulit, hoc anno, pro ſcholarium delectu, moribuſque eorum componendis, qui Romam ſtudiorum causâ ventitabant: atque ita ſcripſit ad Olybrium Præfectum.

L. 1. de stud. lib. urb. Rom. Co. Theod.

Valentiniani decreta pro studiis.

Quicunque ad Urbem diſcendi cupiditate veniunt. Primitus ad magiſtrum cenſus, provincialium judicum, à quibus copia eſt veniendi, ejuſmodi literas proferant; ut oppida hominum, & natales, & merita expreſſa teneantur. Deinde ut in primò ſtatim profiteantur introitu, quibus potiſſimùm ſtudiis operam navare propon ant. Tertiò, ut hoſpitia eorum ſollicitè cenſualium norit officium, quò ei rei impertiant curam, quam ſe aſſeruerint expetiſſe. Iidem immineant cenſuales, ut ſinguli eorum tales ſe in conventibus præbeant, quales eſſe debent; qui turpem, inhoneſtamq; famam, & conſociationes, quas proximas putamus eſſe criminibus, æſtiment fugiendas: néve ſpectacula frequentiùs adeant; aut appetant vulgò intempeſtiva convivia. Quinetiam tribuimus poteſtatem, ut ſi quis de his, non ita in urbe ſe geſſerit; quemadmodum liberalium rerum dignitas poſcat: publicè verberibus affectus, ſtatimq; navigio ſuperpoſitus, abjiciatur urbe, domumq; redeat. His ſane qui ſedulo operam profeſſionibus navant; uſque ad vigeſimum ſuæ ætatis annum, Romæ liceat commorari. Poſt id verò tempus, qui neglexerit ſponte remeare; ſollicitudine Præfecturæ, etiam impulſus ad patriam revertatur. Verum ne hæc perfunctoriè forte curentur; præcelſa ſinceritas tua, officium cenſuale commoneat, ut per ſingulos menſes, qui, vel unde veniant; quive ſint, pro ratione temporis, vel ad cæteras provincias mittendi, Brevibus comprehendas; his duntaxat exceptis qui corporatorum ſunt oneribus adjuncti. Similes autem Breves, etiam ad ſcrinia manſuetudinis noſtræ dirigantur; quo meritis ſingulorum, inſtitutionibuſque compertis; utrum quandoque nobis ſint neceſſarii, judicemus. Dat. IIII. Id. Mart. Trev. Valentiniano & Valente III. AA. Coss.

IV. Seminariorum Romæ prototypon.

Hæc lex ſeminariorum omnium, quæ deinde in urbe erant frequentiſſimæ; & imprimis *Anglorum ſcholæ*, de quâ ſequenti libro ſæpiùs; primum fuit & utiliſſimum fundamentum. Quod Saxones & Anglos, è Britanniâ, Romam traxit ſtudiorum, fidei, & pietatis ergo. In quo id notandum: quod redire in patriam, factâ ſponſione, juvenes cogebantur; ut impendant patriæ, quod Romæ didicerunt. Meminit hujus ſcholæ, & diſciplinæ S Auguſtinus, qui ibidem literis operam dedit: cauſam reddens cur ibi potiùs, quàm alibi, literis incubuerit.

August. Confess. l. 5. c. 8.

Augustinus Romæ studuit.

Non ideo Romam pergere volui, inquit, *quod major quæſtus, majorq; mihi dignitas ab amicis, qui hoc ſuadebant, promittebantur, (quanquam & iſta ducebant animum tunc meum) ſed illa erat tunc cauſa maxima, & penè ſola; quòd audiebam quietiùs ibi ſtudere adoleſcentes, & ordinatiore diſciplinæ coërcitione ſedari; ne in ejus ſcholam, quo magiſtro non utuntur, paſſim, & proterve irruant; nec eos admitti omninò; niſi ille permiſerit. Contra apud Carthaginem, fœda eſt & intemperans licentia ſcholaſticorum*, &c. Ita Auguſtini tempore. Cùm verè poſtea, varia per orbem hæreſeon monſtra pullularent; & fidei ac ſacrorum rituum res ageretur: Romanæ ſcholæ, veræ orthodoxæque religionis ſeminarium, ac ſtudiorum prototypon, fuerunt. Illis paſſim undequaque inſerebantur ſurçula, quæ Romanæ Eccleſiæ ſuccum imbibendo, ſalutarem fructum longè lateque proferrent: & membrorum cum capite unionem, ac conjunctionem intimam, foverent. Qui Romanæ ſcholæ uſus hodieque perſeverat.

Ninianus Ro. Seminarii alumnus.

nunc ad Ninianum redeo, qui juvenis quidem Romam ivit, ſed an primus fuerit è Britannis, hujus ſcholæ alumnus, neſcio; cùm ut ſuprà dictum, Inſula ſæpè viros emiſerit Romæ docendos: & ille communi hac lege major manſiſſe in urbe videtur, ultra ætatem, lege præſcriptam: cum non niſi Epiſcopus, à Damaſi ſucceſſore conſecratus, in patriam redierit.

V. Formatur ibi Pictorum Apostolus. *Bed. l. 3. c. 4.*

His jactis, de ejus profectione, præludiis; superest, ut quid antiquæ chartæ, & historici nostri, de ipso scripserint, videamus. Beda cùm agit de Septentrionalibus Pictis, & eorundem Doctore S. Columba, de Australibus ita scribit: *Namque ipsi Australes Picti, qui intra eosdem montes habent sedes, multo ante tempore* (nimirum ante annum Christi 560.) *ut perhibent, relicto errore idololatriæ, fidem veritatis acceperant, prædicante eis verbum Niniano Episcopo reverendissimo, & sanctissimo viro de natione Britonum, qui erat Romæ regulariter fidem & veritatem edoctus.* Hic vide, mirare, & adora divinæ mentis, divinique consilii pietatem. Vix pedem in Pictorum terram miserat Romanus miles, cùm ecce melior Roma sinum aperiens, Ninianum amplectitur jubetque (ut infrà) Pictis Romanam fidem prædicare. Nam Asiaticam nescio quam fidem huc allatam, ut moderni fabulantur, nec Insula, nec ullus Insulæ angulus, novit. Cæterùm qualem Pictis fidem Ninianus prædicaverit dicam suo loco: nunc de ordine profectionis ejus, & vitæ primis incunabulis, hæc accipe è Capgravio.

VI. *Capgra. in Niniano.* Niniani exordia.

In Britanniâ majori, Regali ex Prosapiâ, Beatus Ninianus extitit oriundus; in eâ, ut putatur, Regione, quæ in occiduis ipsius Insulæ partibus, ubi Oceanus quasi brachium porrigens, & ex utraque parte, quasi duos angulos faciens, Scotorum nunc & Anglorum dividit constituta, usque ad novissima Anglorum tempora, proprium habuisse Regem; non solùm historiarum fide, sed & quorumdam quoque memoriâ, comprobatur. Pater ejus Rex fuit, Religione Christianus, & verè felix qui talem prolem habere meruit. Cùm enim Ninianus annos pueriles transegisset; mira illi circa Ecclesiam devotio erat, mira circa socios dilectio. In cibo sobrius, parcus in verbis, in lectione assiduus, moribus gravis, joci abstinens, & spiritui semper carnem subjiciens. Tandem sancti Spiritus instinctu animatus, spretis divitiis, omnibusq; calcatis affectionibus, peregrinationem nobilis adolescens arripuit. Transiens verò mare; & per Gallicanas Alpes, ingressus Italiam, prospero itinere, Romam usque pervenit. Accedens autem ad summum Pontificem; cum ei itineris sui causam exposuisset; amplexatus ejus devotionem Pontifex, loco eum filii, summâ cum devotione suscepit; Doctoribusq; veritatis, fidei disciplinis, ac sanis Scripturæ sensibus tradidit imbuendum. Cùm audis Ninianum Regis filium, puta Legendariorum dialectum esse, qui in eo titulo pluribus attribuendo, admodum liberales sunt. Verùm ea voce intelligunt viros in provinciâ principes, ac regulos: quos sine ullo dubio Britannia omni sæculo frequentes habuit. quanquam Cumbrorum regni mentio (& Australes Picti eò referuntur) in Anglorum Annalibus crebra occurrit mentio, inquit Usserius fo. 664. pergit Capgravius. *Adolescens itaque Ninianus, tota deinde aviditate, sibi aus verbo Dei; instar apis argumentosa, ex diversis Doctorum sententiis, quasi ex mutis generis flosculis, sapientiæ sibi favos composuit; atque in alveolo sui pectoris recondens, ad interioris hominis sui refectionem, aliorumq; multorum consolationem ruminandos perfundendosq; servavit. Interea dum castus corpore, animoq; prudens, in consiliis providus, in omni actu verboq; circumspectus, ab omnibus prædicaretur: accidit ut ad ipsius summi Pontificis gratiam familiaritatemq; conscenderet.* Hæc omnia Damasi temporibus: qui amans literarum, & doctorum hominum, Romanam Ecclesiam sanctissimè administravit. Ut verò postea Ninianus ab ejus successore consecratus sit Episcopus, & remissus in patriam, Pictis Evangelium prædicaverit; dicam infrà suo loco. Nunc qui unum ex Insula Romam misi, volo alterum ad cælum transmittere.

Capgra. supra. Eius adolescentia.

V. an. 394. 1.

VII. S. Kebius moritur. *Pitsæus in Kebio.*

Moritur hoc anno, S. Kebius, Hilarii Pictaviensis Episcopi, olim discipulus; cùm aliquot annos Monæ Insulæ cives fidem docuisset, tam vitæ exemplo, quàm doctrina salutari. *Nec dubito*, inquit Pitsæus, *quin aliquid singularis doctrinæ monumentum scripto posteris reliquerit: quamvis apud probatos Authores nihil ei tributum reperiam, præter Epistolarum ad S. Hilarium lib. unum.* Multa ejus facta, & plenam miraculis vitam habet Capgravius, quæ prætereo. Illud solùm adnoto quod factus, Episcopus in patriam reinearit: *Quò cum pervenisset*, inquit ille, *rogatus est, ut ipse regnum Cornubiæ susciperet, potestatem tamen sæculi præsentis omninò accipere renuit.* & paulò infrà. *Vir tandem Dei in senectute bonâ operibus bonis plenus sexto Id. Novemb. migravit ad Dominum.* Extat nobilis memoria ejus, hodieque in Monâ Insulâ: *ubi sacrum Promontorium est, quod vulgò Holy-head incolæ Kaer-Gubi, à Kebio viro sancto, Hilarii Pictaviensis discipulo vocant*, inquit Camdenus, in ejus loci descriptione, & Gerardus Mercator in Atlante. Sepultus videtur S. Kebius apud Ordovices. nam in historiâ Wenefredæ, quam scripsit Ro. Abbas Salopiensis, legitur virgo illa sepulta juxta S. Chebœum & Senanum, errasse ergo videntur, qui illum à Monâ Insulâ sepeliverunt, ad sacrum promontorium. nam Wenefredam Witheriaci defunctam, in Dengibensi agro, & ibidem sepultam, dicam ad annum Christi 660. nisi fortè Kebium illum Corinium, à Chebæo placet distinguere, cum quo Wenefreda sepelitur.

Capgrav. in Kebio.

Camden in Mona Insula.

Gerardus Mercator in Atlante.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1122.

ANNUS CHRISTI 371.

DAMASI PAPÆ 5.

VALENTINIANI IMP. 8.

AD annum Christi trecentesimum septuagesimum primum, ad Gratianum secundo & Anitium Coss. Theodosius senior, qui nuper in Britanniâ militarat, Arelato in Africam mittitur; ut Firmum, tyrannidem in Mauritaniâ meditantem, opprimeret; & interim Theodosius junior, qui postea imperavit, Mœsiæ Dux constitutus, Sarmatas pellit. Quo pariter anno magnus Basilius, Gregorium Nazianzenum, cognomento Theologum, Sasunorum Episcopum creat. nec aliud occurrit notatu dignum.

Basilius et Nazianzenus Episcopi.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1123.

ANNUS CHRISTI 372.

DAMASI PAPÆ 6.

VALENTINIANI IMP. 9.

I. SEQUITUR Christi annus trecentesimus septuagesimus secundus, Modesto & Arintheo Coss. conversione Saracenorum illustris; &

Britanni hominis, eos in orthodoxâ religione instruentis, fide ac pietate clarissimus: præsertim cum eo tempore Oriens penè omnis, Ariana hæresi laborans, sub Valentis Imperatoris, Ariani Principis, crudelitate ingemisceret. Tunc enim Moyses, qui Ægypti solitudinem, sanctorum Monachorum odore eò tractus, dudum petierat: cùm plurimorum miraculorum famâ, magnam sanctitatis opinionem collegisset: in Saracenorum Regina, in Episcopum postulatus; egregium orthodoxæ fidei argumentum edidit: cùm ab Ariani Episcopo consecrari constantissimè renuit. Rem gestam Annalibus dignam, Baronius in hunc modum refert.

II. *Baron. hic.* *Dum negat* (inquit ipse) *Romanus Imperator, fidem Catholicam: & confitentes istam ignominiis afficit, direq; persequitur: profitetur eam ac prædicat Regina Saracenorum quosque ille spernit, hæc honorat: ille fugat, hæc revocat. pellit ille Episcopos; pulsos ipsa petit. Atque adeo, ubi crudelis & ignominiosa Alexandriæ viguit persecutio: Catholicus ibi Dei nutu habetur Episcopus: atque magno exemplo Fides Catholica prædicatur: & Arianus ipse respuitur Antistes. Sed quonam modo tantum prodigium factum sit, aggredimur enarrare. Iecerat jam ante fundamenta Fidei apud Saracenos sanctus Hilarion Abbas: qui, ut testatur S. Hieronymus; multos Saracenorum, arreptos à dæmone, frequenter liberavit; cultuq; Veneris addicta gentis illius Sacerdotem convertit ad Fidem. Qui nec ipsum Hilarionem abire passi sunt, antequam futuræ Ecclesiæ lineam mitteret. Qui ergo adeo magna ab Hilarione sunt consecuti: eo defuncto, illi parem quæsierunt dari sibi hominem Episcopum orthodoxum.* At quo modo res se habuerit, Ruffinum audiamus Authorem. *Ruffin. l. 2. c. 6.* *Dum* (inquit) *Lucius* (Alexandrinus intrusus Episcopus) *omni arrogantiâ, atque sævitiâ ageret, Mavia Saracenorum gentis Regina vehementi bello, Palæstinis & Arabicis limitis oppida, atque urbes quatere; vicinasq; simul vastare provincias cœpit. Cumq; frequentibus bellis Romanum attrivisset exercitum: & plurimis interemptis reliquos vertisset in fugam: Orata, pacem non aliter se amplexuram promisit: nisi Moyses quidam nomine, Monachus, gentis suæ ordinaretur Episcopus: Qui in eremo, partibus suis propinqua, vitam solitariam ducens, merito, & virtutibus, ac signis, quæ faciebat Deus per illum, magnificè innotuerat.*

III. *Petitio ejus, Principi indicata Romano; sine ullâ dilatione jubetur impleri à Ducibus nostris, qui ibi infeliciter pugnaverant. Captus Moyses ad Sacerdotium suscipiendum, Alexandriam ex more deducitur. Adest Lucius, cui ordinandi ferebatur officium. Quo viso, Moyses, præsentibus Ducibus, qui perurgebat, & populis, ait: Ego quidem me non esse dignum tanto Sacerdotio judico. Veruntamen si aliqua in me licet indigno divina dispensatio putatur explenda: Deum nostrum, cæli ac terræ Dominum testor: quod Lucius, Sanctorum sanguine pollutas, & cruentas super me non injiciet manus. Cumq; Lucius, tam gravi notâ sunstum se videret, in oculis plurimorum: Quare, inquit, ô Moyses. tam facilè condemnas eum, cujus Fidem ignoras? Aut si tibi aliquis de me aliter indicavit: audi Fidem meam; & tibi ipsi magis, quàm aliis crede. Tum ille: Desine, inquit, ô Luci, dolosis tuis, me quoque imaginibus aggredi. Benè nota est mihi Fides tua; quam protestantur servi Dei, per metalla damnati, Episcopi in exilium trusi; Presbyteri & Diaconi extra Christiani nominis habitacula relegati: bestiis alii, alii etiam ignibus traditi. Nunquid potest verior esse Fides, quæ auribus capitur, quam quæ oculis pervidetur? Apud me certum est quod qui Christo rectè credunt, ista non faciunt. Et ita Lucius, majore dedecore deformatus (quoniam perurgebat necessitas Rep. consulendi) compulsus est adquiescere: ut ab Episcopis, quos in exilium truserat, Sacerdotium sumeret. Quo suscepto, & gentis ferocissimæ pacem tenuit: & Fides Catholica custodivit intemerata consortia.* Hucusque è Ruffino Baronius.

IV. Cæterùm quàm impigrè rem Christianam Moyses promoverit: & quantus Arianorum hostis fuerit; Socrates & Theodoretus luculenter ostendunt. *Socrates l. 4. c. 29. Theodo. l. 4. c. 21.* Theodoretus cùm ejus in Lucium invectivam narrasset ita subdit. *Quæ cùm animo valde fidenti dixisset* (*Moyses*) *Lucius ejus verbis attentè auditis; eum interficere magnopere cupiebat ille quidem; sed tamen metuebat, ne bellum extinctum de integro accenderet. Quamobrem ad alios Episcopos; quos ille ipse postulaverat, deduci jussit. Postremò Moses, ubi cum Fide admirabili gratiam Episcopalem acceperat; ad illos, qui eum requirebant, profectus est: & partim doctrina Apostolica, partim miraculis, eos ad veritatem traduxit.* Nec aliud de Moyse referunt Authores: nisi quod Socrates videatur dicere ejus constantiâ, fideique professione factum; ut Lucius Alexandriâ pelleretur: & Petrus, in sedem illam; unde hæreticorum factione exulaverat; Damasi Ro. Pontificis sententiâ, rediret. Sic enim rem paucis complectitur. *Socrat. l. 4. c. 30.* *Per idem tempus, simul atque Valens Imp. Antiochiâ decesserat; omnes qui ubique persecutionis tempestate jactabantur: & Alexandria potissimum, magnopere recreati fuerunt. Propterea, quòd Petrus Roma cum literis Damasi Episcopi Romani, eò reversus erat: quæ quidem, & Moysis fidem confirmabant, & Petri creationem.*

V. An inter Saracenos, an verò in Britanniâ mortuus sit; necdum certo comperi: illud constat à Britannis olim cultum esse; quia in Bedæ Martyrologio ad septimum Februarii hæc leguntur. *Beda in Martyro. 7. Febr.* *In Britanniis, civitate Augusta, natale sancti Auguli Episcopi & Martyris: & sancti Moysetis venerabilis Episcopi: qui primo quidem in eremo solitariam vitam ducens, meritis & virtutibus ac signis, quæ faciebat per illum Deus, magnificè innotuit. Qui postmodum petente Mauvia, Saracenorum Regina, Episcopus gentis illius factus, fidei Catholicæ custodivit intemerata consortia: & gentem cui datus fuerat Episcopus, ex grandi parte ad fidem Christi convertit. sicq; in pace quievit.* Ex hoc Bedæ loco non malè colligit Notgerus, Episcopus Leodicensis, Moysen hunc Britannum esse. & Henricus Fitzimon, Societatis JESU, Hibernus, viso Martyrologio Anglicano, in quo Moysis nomen omissum fuerat, censuit omnino, eidem inserendum, & scripsit ita: *Henr. Fitzimon M. 8.* *Videtur sanctis Britonum & Anglorum nominatis in Martyrologio illo, plurimis & celeberrimis, posse adjungi sequentes. Ad 7. Februarii. In Britanniis S. Moysis, qui ex eremitâ factus Episcopus: quique patriam deserens, ad Saracenos, petente Saracenorum Regina Mavia profectus, plurimos illorum ad Christum convertit.* Solùm dictis objici potest Socrates, qui Mosen vocat *genere Saracenum*: quod & nomen ejus videtur innuere. Sed eo non obstante, nasci potuit, & mori, in Britanniâ; quod Bedæ locus, & constantissima viri fides probè significant. Certè Ægypti Monachismus, è diversis longeque positis provinciis, plures traxerat odore virtutum: adeo ut sequenti sæculo, institutum illud Britanniam pervaserit, duce Patricio. *V. an. 439. §. 7.*

Usser. fo. 169.

Cùm hæc scripsissem, adverti Usserum in primordiis, in Notgeri Martyrologio, nævum invenisse. Cum enim ille scripsisset: *VII. Idus Februarii. In Britanniis sancti Moyses, vel Moysis, venerabilis Episcopi.* Iste, supplendum hunc locum putat è Bedæ, & aliorum Martyrologiis, in hunc modum: *VII. Idus Februarii. In Britanniis, civitate Augustâ, natale S. Auguli, Episcopi & Martyris. In Ægypto, sancti Moyseu, vel Moysis venerabilis Episcopi.* Sed quoniam Bedam citat; & in Beda, nulla est Ægypti mentio. Sed potiùs inde colligitur Moysen Britanniæ deberi; maneat saltêm probabile, eum è Britanniâ in Orientem recessisse: ubi post vitam piè actam, & Ecclesiam benè administratam, sanctè moritur. quod vel inde confirmari potest quia in Cornubiensi agro oppidum visitur. quod vulgò audit S. Moze. nec apparet unde nomen traxerit probabilius, quàm à Mose nostro, Saracenorum Doctore.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1124.

ANNUS CHRISTI 373.

DAMASI PAPÆ 7.

VALENTINIANI IMP. 10.

Damasus Apollinaristas damnat.

TRANSEO in annum sequentem, in quo nihil reperio quod Britannicæ historiæ inserviat; nisi velis Damasi Romani Pontificis industriam commendare; qui coacto Roma consilio Apollinaristarum hæresim, quæ carnem solam, sine mente à Christo assumptam asserebat, cum authore & asseclis condemnavit, anno Christi trecentesimo septuagesimo tertio, Valentiniano & Valente IV. Coss. Quo pariter anno, cùm Theodosius in Africâ, Firmum Mauritaniæ Regulum extinxisset; & ipse ab ingrato Imperatore Valente jubetur occidi.

Theodosius occiditur.

Fortè etiam sub hæc tempora Theodwinus Londinensis Episcopus, locum cessit Theodredo, qui ibidem post eum sedisse scribitur.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1125.

ANNUS CHRISTI 374.

DAMASI PAPÆ 8.

VALENTINIANI IMP. 8.

Fraomarius in Britanniam mittitur.

ANNO Christi trecentesimo septuagesimo quarto, Gratiano & Equitio Coss. Valentinianus Imperator, Fraomarium Regem, in Bucinonantibus transtulit in Britanniam, cum potestate tribuni. Nam anno superiore, Quadis & Sarmatis tumultuantibus; Macrianus, vir princeps inter Bucinonantes, in Romanos surrexerat. Quem ideo Valentinianus exauctoravit, substituitque Fraomarium: quem nunc Britanniæ præesse voluit, de quo sic scribit Ammianus Marcellinus. *Valentinianus, in Macriani locum Bucinonantibus* (quæ contra Moguntiacum gens est Alemannia) *Regem Fraomarium ordinavit: quem paulò post; quoniam recens excursus eundem penitùs vastaverat pagum; in Britanniam translatum, potestate tribuni Alemannorum præfecerat, numero, multitudine, viribusq; ea tempestate florenti.* Ita ille. Ubi noto Fraomarium Regem dici, unius Pagi præfectum: quo Legendarii nostri, qui Reges in Britanniâ & Regum filios sæpè nominant, facilè excusantur.

Marcell. l. 29. c. 21.

Bucinonantes qui?

ANNUS URBIS CONDITÆ 1126.

ANNUS CHRISTI 375.

DAMASI PAPÆ 9.

VALENTINIANI IMP. 12.

I. Valentinianus moritur.

Marcel. l. 30. c. 26.

HOc anno trecentesimo septuagesimo quinto, post Consulatum Gratiani, & Equitii; Valentinianus Imperator subitâ sanguinis eruptione, moritur: isto à Marcellino elogio ornatur: *Britannos*, inquit, *catervas superfusorum hostium non ferentes, spe meliorum adsumptâ, in libertatem & quietem restituit placidam; nullo penè redire permisso grassatorum ad sua.* E quibus constat, falli historicorum nostrorum vulgus, qui hoc eodem tempore, multa de Octavio, Gevissorum Rege comminiscuntur, quasi invito Ro. imperio, Britanniam obtinuerit.

Octavius Gevissorum Rex.

Sed ea est authorum inter se inconstantia, de tempore regni ejus, assertæque potestatis; ea etiam rerum ab eo gestarum incertitudo, ut nusquam in iis firmum assensus pedem figere, aut certum aliquid colligere valeam. Cæterùm licet Ammianus, & Romani, externique Authores, pro Ro. imperio scribant, & loquantur satis benignè: multò tamen defæcatius veritatem elucidant, quàm Galfredus Monumetensis, aliique eum secuti; qui pro patria mentiri, pietatem putaverunt. De Octavio suprà scripsi ad an. Christi 314.

II. Valentinianus inter Sanctorum reliquias sepelitur.

Valentiniani corpus, Constantinopolim missum, in Constantini sepulchrum illatum videtur, sepultumque inter sanctorum reliquias, de quibus suprà. Potest eò referri quod habet Ammianus, qui ita loquitur: * *Post conclamata Imperatoris suprema; corpus curatum ad sepulturam, ut missum Constantinopolim inter Divorum reliquias humaretur.* Per Divos fortè Imperatores intelligit infidelis: sed quia Constantinus, ut ostensum est, inter Sanctorum lipsanothecas sepeliri voluit, Christiano more. eo prorsus modo sepultum esse Valentinianum constat; *ut defunctus, precationum, quæ ibidem essent ad Sanctorum gloriam offerendæ, particeps efficeretur*, inquit de Constantino Eusebius.

* Marcel. suprà c. 91. Euseb. l. 4. c. 60.

Gratianus Imp. et Valentinianus II. Imp.

Valentiniano successit Gratianus filius, qui dudum Augustus fuerat à patre nuncupatus: & sexto post die, Valentinianus junior, Gratiani frater, à milite purpuram indutus, Imperator quoque appellatus est. quod æquum bonumque Gratianus censuit, qui nonum jam annum cum patre imperarat.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1127.

ANNUS CHRISTI 376.

DAMASI PAPÆ 10.

GRATIANI IMP. 10.

I. S. PATRICII CAPTIVITAS.

COMMODUM dixi suprà, de Pictorum, Scotorum, Saxonum, & Attacottorum motibus, qui Britannias *ærumnis vexavêre continuis*: quorum impetum Valentinianus quidem repressit, sed non oppressit. Quia frequentibus deinde incursionibus provinciam infestarunt. unde Calphurnii puer Socher, postea Patricius, prædictorum prædonum præda extitit, anno ætatis suæ sexto decimo, ab iisdem captus, & venundatus est, qui fuit Christi annus trecentesimus septuagesimus sextus, Valente V. & Valentiniano juniore Coss. Fortè Valentiniani obitus, barbaros animosiores fecit. Nam sub Gratiano potiùs, quàm sub Valentiniano seniore, captum Patricium, credimus. Malmesburiensis enim aliique Glastoniensium antiquitatum Scriptores, qui exactiùs cæteris Patricii acta prosequuntur, ita scribunt. *Hibernienses & Picti, in Britannos, omnis expertes militiæ irruentes; non ignobiles prædas crebro abduxerunt. Quocirca inter cæteros captivos, etiam Patricium, jam sedecim annorum adolescentulum Hibernienses rapuerunt.* Ita ibi. Qui ergo natus est anno Domini 361. captus est anno Domini 376. cùm Gratianus & Valentinianus junior imperarent. Hic itaque prosequimur cœptam suprà, de Patricio, narrationem; & dicamus ut in Hiberniam ductus, sanctè ibi & mirabiliter conversatus sit. Lippelous ex antiquioribus Authoribus, ita recitat captivitatem ejus. *Patricius multa variâque, teneră adhuc ætate puer, adversitatibus exagitatus fuit. Nam cùm pusio adhuc prima literarum elementa ludibundus addisceret: Hiberni maritimas Britanniæ oras, flammâ ferroq; vastantes; & multos utriusque sexus homines, in servitutem abripientes; inter alios pueros, & adolescentes sanè ingenuos, Patricium jam tum ephœbum, eandem in captivitatem abduxerunt. Post prædæ partitionem, generosi animi adolescens, Hibernico dynastæ, à piratis divenditur, & porcorum gregi custos præficitur.* Ita ille. Dynastam, cui Patricius in Hiberniâ servivit, Florilegus Nulcu, alii rectiùs Miluch (Pitsæus & Capgravius) vel Milchu (Malmesburiensis & Antiquitates Glastoniæ) vocaverunt qui ab iisdem, modo Regulus, modo Rex, sed optimè dynasta dicitur; durus Patricio herus, & ingens illi pietatis exercitium. *Nam adolescens in hoc adversitatis flexu constitutus*, inquit Hareus; *tulit comperate has molestiarum moles, omnemq; libertatis suæ spem in Christo collocabat.* Nimirum nobile sanctitati tyrocinium posuit: & ad magna opera principium, quod Jocelinus, qui præ cæteris Patricii vitam benè scripsisse putatur, ita refert. *Quoniam teste scriptura aurum probat fornax & justos caminus tribulationis, ut Patricius probatior perciperet coronam vitæ accessit ei hora tentationis. Cum enim ipse puer illustris tria lustra perlustrasset, sextum-decimum attingens annum, cum aliis pluribus compatriotis à piratis fines illos deprædantibus rapitur, captivatur, & in Hiberniam ducitur. Cuidam deinde Regulo paganissimo, Milchoni nomine, in Aquilonari parte ejusdem insulæ principanti, in servitutem venditur. In qua scilicet ætate Ioseph in Ægypto venundatus fuisse memoratur. Ioseph autem venditus post sui humiliationem exaltatus super universam Ægyptum potestatem accepit, & imperium. Patricius post sui venditionem & afflictionem super Hiberniam specialis ac spiritualis principatum promeruit primatum. Ioseph Ægyptios fame laborantes refecit frumento. Patricius pavit processu temporis Hibernicos idololatriâ pereuntes, Christianæ fidei salutari alimento. Vtrique tamen illata afflictio erat ad profectum animæ: quod flagellum grano, fornax auro, lima ferro, torcular uvæ, prælum olivæ. Principis itaque præfati præcepto, Patricius porcorum custodiæ mancipatur.* Hæc Jocelinus.

Antiq. Glaston. in Patricio.

Lippel. ex. Mortis in Patricio.

Hareus in Patricio.

Jocelinus in vita Patricii c. 13.

II. PATRICII SANCTITAS IN CAPTIVITATE.

Integrum sexennium servitutem hanc serviit Patricius, Deo semper conjunctissimus. nam teste Jocelino, *centies in die, & centies in nocte, Deum exorabat.* addebat etiam orationi jejunium: & duabus his alis, volavit ad illud sanctitatis fastigium, quo postea ascendit, probante Deo, laudantibus Angelis, pii juvenis exercitium. Author est Pitsæus, Patricium sæpè cum Angelo sermones habuisse, servitutis tempore, quod Capgravius explicat ita. * *Ecce apparuit ei Angelus Domini nomine Victor, qui frequenter eum visitans, dixit: Benè jejunas, citò exiturus ad patriam tuam.* Noli Lector mirari ad insolens Angeli nomen; qui quoniam Patricio victoriam Dei ope nuntiabat, cujus minister erat, obtinendam, Victor potuit appellari. Benè enim Gregorius noster: *Ideirco*, inquit, *privatis nominibus Angeli censentur; ut signetur per vocabula, etiam in operatione quid valeant.* Patricius ergo, qui duras servitutis molestias victurus erat, qui Hiberniæ idola superaturus, & omnem illam Insulam religiosè triumphaturus; benè à Victore Angelo visitatur, ut nominis præludio armaretur ad luctam. Sed de his infrà. cum de servitute liberatur: nam mira quæ gessit in Hiberniâ captivus quæque à Jocelino, Capgravio, Usserio, aliisque memorantur, omitto.

Capgra. in Patricio. Hic potest Patricii confessionem apud Usser. fo. 830.

*VICTOR ANGELUS.

Grego. hom. 34. in Evang.

V. an. 382.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1128.

ANNUS CHRISTI 377.

DAMASI PAPÆ 11.

GRATIANI IMP. 11.

I. GOTHI IN SUPPETIAS VOCATI, ROMANUM IMPERIUM PERDIDERUNT.

ROMANUM Imperium plura hauserat; quam potuit, cum laude, digerere: Unde hoc tempore, sua magnitudine fatiscens; brevi Britanniam trahet secum in ruinam. Superiore anno, Gothi in Thraciam admissi, à Valente Imperatore, ut imperii fines tuerentur: eò modo Thraciam; quo Scoti à Pictis; & Saxones à Vortigerno acciti, Britanniam defensarunt. nam omnis hic populus, & auxiliares copiæ provinciam hostiliter depopulantes, provincialibus qui eos vocaverant, graves fuerunt. Et quemadmodum Saxo, conjunctis copiis, Anglos & Jutas, in prædæ societatem posteriùs pellexerunt; ita hoc anno trecentesimo septuagesimo septimo, Consulatum gerentibus, Gratiano IV. & Marobaude, Gothi, Hunnos & Alanos, gentes ferocissimas, belli & periculorum socios, in Romanos

armaverunt: qui in Thraciâ nunc pedem sedemque figentes, æternorum mox motuum causa, & tandem Romani imperii excidium fuerunt. Quo posteri discerent, quàm metuendum sit; spe nescio cujus commodi, aut nequiore impetu; vicinum hostem intra viscera admittere, illique provinciam prostituere. Quid nostro sæculo fecerit Suecus in Germaniam vocatus, infelici experimento didicimus. Quid Scotus nunc anno Christi 1641. in Angliam intrusus, facturus sit, ætas postera enarrabit. Romanæ certè miseriæ, & occasuri imperii prologum egit Gothorum, Hunnorum, & Alanorum admissio in provinciam. & tragœdiam illam auspicabitur, anno sequenti, Valens Imperator.

II. PROPHETIA DE GOTHORUM IRRUPTIONE. *Ambros. de fide ad Grat. l. 2. fine.* ** Ezech. 38.*

Non dubitat S. Ambrosius, Gothorum irruptionem, ex Ezechielis vaticinio colligere; cum Gratianum ita animat, armatque in vindictam. *Progredere*, inquit, *scuto fidei septus, & gladium spiritus habens; progredere ad victoriam superioribus promissam temporibus, & divino oraculo prophetatam. namque & futuram nostri depopulationem, & bella Gothorum * Ezechiel illo jam tempore prophetavit. Sic enim habes. Propterea prophetiza fili hominis, & dic: O Gog, hæc dicit Dominus: in die illa, cùm constitueretur habitare populus meus Israel, in pace; surges, & venies de loco tuo, ab extremo Aquilonis; & gentes tecum multæ, sessores equorum omnes, congregatio multa & magna, & virtus copiosa; & descendet ad populum meum Israel; ut nubes operiat terram in novissimis diebus*, &c. *Gog iste* (pergit Ambrosius) *Gothus est, quem jam videmus exisse; de quo promittitur nobis futura victoria, dicente Domino: & deprædabuntur eos, qui deprædati eos fuerant; & despoliabunt eos, qui sibi spolia detraxerunt* (dicit Dominus) *eritque in die illa, dabo Gog, hoc est, Gothis locum nominatum, monumentum in Israël*, &c. Quid deinceps factum à Gratiano dicetur anno sequenti.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1129.

ANNUS CHRISTI 378.

DAMASI PAPÆ 12.

GRATIANI IMP. 12.

I. GRATIANUS CUM CRUCE PUGNAT. *Ambros. sup.*

PROCESSURUS obviam Gothorum conantibus Gratianus Imp. ut Valenti suppetias ferret: Constantini, hoc est, Christianorum Principum more exercitum instruxit; cùm Labarum Cruce munitum extulit, anno Christi trecentesimo septuagesimo octavo, Valente VI. & Valentiniano Juniore Coss. de quo ita S. Ambrosius. *Convertere Domine*, inquit, *fideique tuæ tolle vexilla. Non hic Aquilæ militares, neque volatus avium exercitum ducunt; sed tuum Domine nomen & cultus.* Intelligit Sanctus Doctor Christi Crucem, quam Gratianus Imperator, & junior etiam Valentinianus frater, præcipuum militiæ insigne habuit: cujus expressam hic imaginem vide. ubi Crucis elogia, VIRTUS EXERCITUS, & Restitutor Reipublicæ opportunè leguntur. nam Crux Christianorum omnium, & Principum imprimis gloria, omni coronâ excelsior.



II. GRATIANUS ALEMANNOS VINCIT.

Gratianus certè de Alemannis victoriam Cruce obtinuit; qui eum, in Thraciam euntem ausi sunt remorari. Valenti infeliciùs cecidit; qui Gratiano non expectato, temerè hostem aggressus, Arianæ perfidiæ, vexatæque orthodoxorum Ecclesiæ pœnas luit: de quo hæc habet Ammianus: egressus Valens Constantinopolis Adrianopolim veniens, in suburbiis castra locavit: *Gratianum impatienter operiens, Richomerem Comitem domesticorum suscepit, ab eodem Imperatore præmissum cum literis, ipsum quoque venturum mox indicantibus. Quarum textu oratus ut præstolaretur paulisper periculorum participem; néve abruptis discriminibus temerè semet committeret solùm: adhibitis in consilium potestatibus variis, quid facto opus esset, deliberabat. Et cum Sebastiano authore, quidam protinus eundum ad certamen urgerent; Victor nomine Magister equitum armatus; sed cunctator & cautus, eadem sentientibus multis, imperii socium expectare censebat: ut incrementis exercitus Gallicani adscitis, opprimeretur leviùs tumor barbaricus flammans. Vicit tamen funesta principis destinatio; & adulabilis quorundam sententia regiorum, qui ne penè jam partæ victoriæ* (ut opinabantur) *consors fieret Gratianus; properari cursu celeri suadebant.* ita ille. *Am. Marcell. l. 31. c. 11.*

VALENS VIVUS COMBURITUR.

Falsi sunt omnes, qui spe suâ victoriam soli devoraverant: nam fusus à Gothis Valentis exercitus, Imperator ipse, inter gregarios milites latens, sagittâ percussus, in agreste tugurium delatus est: quod cum barbari, in prædam effusi expugnare nollent; suppositis lignis, stipulaque incenderunt, & unà Valentem Augustum, & præcipuos militiæ duces. Ita potenter potentes tormenta patiuntur: & punit Deus peccata principum, duriore manu.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1130.

ANNUS CHRISTI 379.

DAMASI PAPÆ 13.

GRATIANI IMP. 13.

I. Theodosius Orienti præficitur.

EXTINCTO Valente, Gratianus & Valentinianus in utroque orbe regnaverunt; sed illi Occidenti addictiores, & resistendi ubique motibus impares, quærebant in Oriente ducem; qui Gothos, Romano jam imperio inhiantes, frangeret. Itaque anno Christi trecentesimo septuagesimo nono, Ausonio Callo, & Olybrio Coss. Uterque Imperator in partem curarum, collegam adscicit Theodosium, illius Theodosii filium, qui supra Britanniæ motus, & incursantes ibi barbaros feliciter compescuit. Interea Gratianus iterum in Galliâ, Alemannos expugnat. Quo tempore Britannia parturire cœpit novum facinus; quod post menses aliquot in lucem prodiit, certamque tyrannidem. Incertum, unde, aut quô fomite, flamma processerit; erupit tamen in magnum incendium. Et ideo quid Authores, tam nostri, quàm externi, de totâ re tradiderint, hic exponam. Matthæus noster Westmonasteriensis, ab Octavii morte tragœdiam auspicatur; cujus filiam, factionis causam & originem supponit. *Octavius Britonum Rex*, inquit, *anno gratiæ 375. confectus senio, diem clausit extremum. Qui unicam tantum habens filiam, masculina prole carebat. Mansit itaque in dissidio, aliquamdiu in Britannia; quia diversi diversa sentiebant, cui puellam cum regno maritarent.* Hæc ille. Quid inde secutum sit, ita narrat post annos quatuor.

Turbarum semina in Britannia.

Octavii filia.

Westmo. an. 375.

II. *Westm. hic.*

Maximianus pro Maximo ponitur.

Anno gratiæ trecentesimo septuagesimo nono Magnates Britanniæ, ut firma pace fruerentur miserunt legatos Romam, ut Maximianum Senatorem invitarent ad conjugium filiæ Octavii Regis. Erat enim patre Britannus, à Leolino Constantini avunculo procreatus, matre verò natione Romanus, ex utraque parte Regalem originem ducens. Cumque nuntii, Maximiano adventus sui causam intimassent; illicò adquievit; quia ab Imperatoribus Gratiano & Valentiniano plurimùm infestabatur: Britanniamque petens, Francorum urbes & mœnia subvertens, sibique subjiciens; auri ibidem & argenti copiam acquisivit. Sed cùm tandem in portu Hamonis applicuisset; obviavit ei Conanus, cum tota juventute regni, præliari cupiens; qui omni nisu in regnum anhelabat. Porrò faventibus Britannis, expulso Conano, filiam Regis, Maximiano, lege maritali copularunt. At Conanus ultra modum indignans, Scotiam petivit, & exercitum colligere vacavit. Deinde cum omni multitudine sua gentis, Humbri flumen pertransiens, quasque provincias cœpit depopulari. Porrò Maximianus superveniens, illum bello superavit: sed tandem intervenientibus amicis, concordiam inierunt. Ita Matthæus, de Maximiano, (quem Romani, Græci, & doctiores historici, Maximum appellant) dubia certis, & probabilia miscens conjecturis. Maximi patriam, genusque mox aperiam: Britannorum ad eum in urbem legatio, speciosior est quàm verior: Conani rivalis æmulatio bellum & fuga, incerta sunt: Et illud æquè incertum, quod hac ratione, nimirum è contracto matrimonio, cum Octavii filia, Maximus, viam sibi ad purpuram fecerit, quam brevi in Britannia induet, Gratiano interfecto.

Conanus pellitur.

An. 381. 2.

III. Verior causa defectionis in Britannia. *Sozim. l. 4.*

Aliam causam præsumptæ à Maximo purpura, narrat Sozimus, nimirum Theodosii electionem, invidiæ ac factionis fomitem, fuisse Maximum natione Hispanum, vocat: & alia refert quæ priorem narrationem elidere videntur. Sic enim ille: *Gratianus in obtemperans, qui Principum mores, in aulis corrumpere solent, Alanos quosdam transfugas susceptos, & militum numeris ascriptos, muneribus largis cohonestabat; tantique faciebat, ut eis maximi res momenti crederet, nulla ratione suorum militum habitâ. Pariebat hoc Imperatori apud milites odium: quod paulatim succensum, & auctum, ad rerum novarum libidinem perpulit; cùm alios milites, tum verò maximè Britannicis in Insulis constitutos: ut qui magis contumacia, & iracundia, quam cæteri omnes, indulgerent. Incitabat etiam magis eos Maximus, Hispanus natione: qui Theodosii Principis in Britannia commilito fuerat. Is permolestè ferens, Theodosium quidem habitum fuisse dignum imperio; se verò nullum ad honorificum Magistratum pervenisse; magis etiam milites ad Imperatoris odium irritabat.* Hæc verior, opinor, motuum causa in Britanniâ, qui cœpti fortè hoc anno. Quando Ausonius, insigni oratione ad Gratianum, discipulum suum perorans, gratiasque pro Consulatu agens, eum inter cætera Augustæ Majestatis insignia, *Pontificem Maximum* appellavit. Quem ille titulum; licet à Constantino M. & aliis Christianis Imperatoribus retentum, modestissimè declinavit; ne gentiliciis ritibus accedere ullo modo videretur. Quod cùm ab aliis observatum esset; non defuit, qui è Britanniæ motibus, & exasperatis ibi militum animis, sagaciter colligeret, & constanter satis affirmaret: *Si Gratianus Princeps non vult appellari Pontifex Maximus: brevi, Maximus, Pontifex fiet.* Hæc de tempore, & motuum origine. Westmonasteriensis narratio in eo videtur vacillare, quod Maximum Româ in Insulam ad imperium capessendum vocaverit: cùm potiùs ipse hoc tempore in Britannia militasse, & Romano militi præfuisse videatur.

Sozim. sup.

IV.

Huc enim fortè referri potest, quod Scotici Scriptores, de Maximo hoc Britanniæ Legato, pellentique tota Insula Scotos, referunt. Buchananus quidem anno 377. Hector Boëtius ad annum præsentem. quod ita recitat Jo. Fordonus apud Usserium. *His diebus cecidit in bello, Rex Scotorum Eugenius, cum filio, multisque cum eis principes & Reguli, vulgus etiam innumerabile: sed & reliqui qui bello superérant; relictis prædiis, subesse cum populo, vel hostibus servire nolentes; elegerunt in terram potius alienam, velut advenæ, degentes liberi, quam propriâ, subditi vivere continuâ servitute. Ethach quoque Regis frater, cum suo filio, cui nomen Erth, aliisque pluribus, Hiberniam petiit. Alii verò Norvvegiam. Insulas itaque quidam petiutis, per omne tempus latebant, excidii, præter quas, omne regnum amiserunt.* Ita ille non benè tempus designans, annum Dominicæ Incarnationis 360. cum necdum Maximus rerum potiretur, aut præesset. Scoti ergo, Maximi operâ, omni Insulâ pulsi sunt, & Ethodius (quem Ethech Fordonus vocat) fugere coactus, in Hiberniam, vel ut alii in Norwegiam. Nec Scoti solum puniti, qui in Britanniam venerant: sed Hiberni ipsi, & Hibernorum Rex, pacem à Romano Duce Maximo, petere compulsi sunt: quam tandem impetrarunt, cum hac tamen expostulatione præviâ: *Quòd cum hostibus, contra Romanos, Romanorumque socios, & confederatos; auxiliares copias miserint in Albionem;*

Fordon. apud Usser. fo. 192.

Usser. fo. 592.

præsertim cùm ad eum usque diem Hibernia sola, inter orbis regna, à Romanis armis mansent intacta. ut refert è Scotorum Annalibus Usserius. Itaque Dalreudini Scoti, quoa anno 360. Britanniam ingressoa diximus; unde venerant, revertuntur. anno 379. ut Hector Boëtius: vel anno 377. ut habet Buchananus. Sed verius est Scotos, Hibernos, inquam, sæpè ex Insulâ pulsos; sæpè etiam eodem reversos. nam post sequentem annum Pictis conjuncti, à Legato Maximo repellentur. & fortè prima fuit ejus in Scotos Pictosque victoria, saltem inde laudem nomenque meruit.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1131.

ANNUS CHRISTI 380.

DAMASI PAPÆ 14.

GRATIANI IMP. 14.

I. THEODOSIUS IMP. BAPTIZATUR.

ANNO Christi trecentesimo octogesimo, Theodosio in Oriente Augusto & Imperatore baptizato; cùm ipse primum, Gratianus quintum Consulatum iniissent: prodiit aurea illa sanctio pro fide orthodoxâ; quam ideo non possum omittere; quia Britannorum, Saxonum, & Anglorum fidem plurimùm illustrat: & heterodoxæ fidei maculas detegens, eleganter ostendit; qui ducendi sint Christiani atque Catholici: illos autem dementes ac vesanos, qui traditam à majoribus fidem non sequuntur. Ita enim tres Augusti solenni verborum formula stipulantur.

IMPPP. GRATIANUS, VALENTINIANUS, THEODOSIUS AAA. ad populum urbis Constantinopolitanæ.

L. 2. de fid. Christ. Cod. Theod.

AUREA SANCTIO PRO FIDE ORTHODOXA.

CUNCTOS *populos, quos clementiæ nostræ regit temperamentum; in tali volumus religione versari; quam divinum Petrum Apostolum tradidisse Romanis, religio usque nunc ab ipso insinuata declarat: quamque Pontificem Damasum sequi claret, & Petrum Alexandriæ Episcopum, virum Apostolicæ sanctitatis. Hoc est, ut secundùm Apostolicam disciplinam, Evangelicamq; doctrinam, Patris, & Filii, & Spiritus sancti, unam deitatem, sub parili majestate, & sub piâ Trinitate, credamus. Hanc legem sequentes Christianorum Catholicorum nomen jubemus amplecti: reliquos verò dementes, vesanosq; judicantes, hæretici dogmatis infamiam sustinere: nec conciliabula eorum, Ecclesiarum nomen accipere: divinâ primùm vindictâ, post etiam motus nostri, quem ex cælesti arbitrio sumpserimus, ultione plectendos. Dat. III. KAL. Martias, Thessalonicæ, Gratiano A. quintùm, & Theodosio A. I. Coss.*

II. BRITANNIÆ REGES CHRISTIANI, ET CATHOLICI.

Hic vides Lector compendio, quali jure Britanniæ Reges inter Christianos & Catholicos Principes, hactenus numeraverim. cur Lucium è Christianis, & Catholicis, per Europam Regibus, primùm nominaverim: & inter Augustos M. Constantinum: quia nimirum primi fuerunt in suo genere, religionem illam solenniter secuti, quam Divinum Petrum Apostolum tradidisse Romanis, religio usque nunc ab ipso insinuata declarat. Ideo toties in urbem à Britannis itum; ne ab ea fide, & ab ejus Ecclesiæ more; vel latum unguem, discederent: grari, hæretici dogmatis infamiam sustinere eos, nec Ecclesiæ nomen mereri, qui à traditâ Romæ per Petrum Apostolum doctrinâ ac disciplinâ dementer resilirent.

PETRUS ROMÆ.

Hic etiam videre est, in quam gravi errore versentur, & quam cæco impetu ferantur illi, qui odio in Romanam fidem, audeant affirmare; divinum Petrum Apostolum, nullam Romanis religionem tradidisse, nunquam ibi docuisse, vixisse, sedisse. cum Orientis Imperator Theodosius, non aliam fidem Constantinopolitanæ urbis populum jubeat amplecti; quam Romæ, à Petro, doctam. Jam verò, si apud Orientis Ecclesias, & Principes ibi viros, populosque; Romana religio à Petro tradita, tali encomio, & tantâ reverentiâ commendatur: nihil mirum est, eandem in Occidente, in pretio habitam, à Regibus nostris religiosè cultam, & eò sæpiùs ab Insulâ provocatum. Imo si Theodosianæ sanctionis apicea premere vellem; illam solàm *Fidem Regiam* & orthodoxam appellarem, quam constat Petrum Romæ docuisse. Qua illi certè gloriari non possunt, qui negant Petrum Romæ fuisse. gloriari possunt Britannorum Ecclesiæ, quæ illum & illam devotissimè coluerunt. Ad hunc annum Reguli mortem consignat nostrum Martyrologium; eumque inter Sanctos numerat ad 28. Augusti sed nimium properat: nam prius in Britanniam venire debet, ut infrà ad an. 395.

Mart. Ang. 28. Aug.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1132.

ANNUS CHRISTI 381.

DAMASI PAPÆ 15.

GRATIANI IMP. 15.

I. MAXIMUS PICTOS DOMAT.

TURBAS ad Septentrionem Britanniæ à Scotis & Pictis denuò inchoatas esse circa hæc tempora, Euchario & Evagrio Consulibus, vel inde colligitur, quam Maximus, de quo suprà, illos domando, laudem, nomenque, & demùm imperium meruerit. sic enim Bedam intelligo, in Epitome ita loquentem. *Anno trecentesimo octogesimo primo, Maximus in Britanniâ creatus Imperator, in Galliam transiit & Gratianum interfecit.*

Beda in Epitome.

Licet enim absolutam tyrannidem, & apertas cum Romanis inimicitias paulò posteriùs inceperit: hoc tamen anno & Magistratum in Britanniâ gessisse; & Regis fortè nomen usurpasse videtur. Quâ demum felicitate elatus; quia Imperatores in domandis hostibus, componendoque Romano Imperio admodum distracti erant; & ipse Augusti nomen præsumpsit. Sigebertus in Chronico agnoscit Maximum priùs factum Regem Britanniæ, quàm creatum Augustum: eoque gradu ascendisse ad Imperium. *Maximus,* inquit, *ex Imperatorio genere descenderat, & Magni Constantini consanguineus fuit: unde & partem Imperii sibi competere calumniabatur. Qui cùm Britanniæ factus fuisset Rex capit subire atque tyrannidem contra Romanum Imperium exercere.*

REX BRITANNIÆ.

Sigebert. in Chron. 383.

II. CUIAS FUERIT?

Quod ad genus Maximi spectat, & patriam ejus; licet Zosimus suprà, Hispanum vocaverit. alii tamen, antiqui etiam & Græci Authores, Britannum, & è Britanniâ oriundum disertè affirmarunt. Nam de eo ita Socrates: *Iisdem temporibus, quibus Concilium Constantinopoli habitum fuit,* (habitum fuit hoc anno 381.) *Has res in partibus*

Socrates l. 5. c. 11.

versus Occidentem confectus accepimus. Maximus ex partibus Britanniæ oriundus, arma contra imperium Romanum ferre, & Gratiano, in bello contra Germanos valdè debilitato insidias tendere parat. Ethelwerdus etiam, Maximum *in Britannia natum*, sine ambage ulla affirmat Ethelwerdus l. 1. & in Chronologiâ Saxonicâ ita legitur ad hunc annum: *Maximianus Cæsar imperium capessit: idem in Britannia natus fuit: & inde in Gallias migravit.* Quòd fortè respexit Ausonius Poëta, qui Maximo infestus, quod Imperatorem Gratianum, discipulum suum occidisset, Rhutupinum Latronem vocavit in libro de claris urbibus: ubi hæc habet in laudem Aquileiæ:

Ausoni de claris urbibus

Maximus armigeri quondam sub nomine lixa
Felix qua tanti spectatrix læta triumphi,
Punisti Ausonio Rhutupinum Marte Latronem.

III. Fueritne Maximus, Constantini Magni consanguineus, & Coelli Regis nepos, Leobiui filius, dubitari potest; licet id satis constanter affirment nostrates historici: certè Flavii cognomen quod assumpsit id persuadere videtur: vulgò enim *Flavius Clemens Maximus* appellatus est. Verùm qui imperium & purpuram præsumpsit: potuit, minori periculo, nobilissimi generis nomen furari. Cæterùm undecunque demùm genere, domoqoe fuerit: difficile enim est omnia arbitrari; fuit hoc tempore militia clarus, strenuè provinciam rexit, & Britanniæ hostes, Insulæ imminentes, feliciter fregit. Atqoe ita militum favore, ac licentiâ, Augustum se appellari permisit sub finem, ut opinor anni sequentis.

IV. Cùm hæc de Maximi genere, patriaque scripsissem, occurrit Pacati Drepani panegyricus, ad Theodosium Aug. dictus, in quo ut frequens est mentio Maximi, ita obiter aliquid de natalibus ejus. Dicit imprimis de inauguratione viri: *Quis non ad primum novi sceleris nuncium, hominem risit? nam nec infra dignitatem iracundiæ videbatur; cùm pauci homines, & Insulani, totius incendium continentis adolerent, & Regali habitu exulem suum, illi exules orbis, induerent.* Ex quibus verbis Usserius & Livineius inferunt, Maximum, domo Hispanum potiùs, quàm Britannum esse. præsertim cùm idem Orator paulò inferiùs, eum vocet *Orbis exterrem, patriaq; fugitivum*. Verùm, qui Britannos omnes, *orbis exules*, dici audiverit; facilè opinabitur, *exulem suum*, eodem sensu, eâdem sententiâ, ab eodem oratore, vocari: & tunc, non aliud erit, *pauci homines & Insulani, exulem suum Regio habitu induerunt*; quàm Britanni homines, Maximum, contribulem suum, imperatorem creaverunt. quod Socratis authoritate firmatur, dicentis suprà, Maximum, è Britanniæ partibus oriundum. Sed excipit Usserius, litemque intentat Latino interpreti; quod Μάξιμος ἐκ τῶν περὶ τὰς Βρεταννίας μερῶν ἐπανίστη τῇ Ῥωμαίων ἀρχῇ verterit ut suprà: sed causa cadet, si antiquis standum est. nunquam enim aut Gildas noster, *germen plantationis Britannicæ*, aut Ausonius poeta Rutupinum Latronem, eum vocavisset, si advena nobis, non incola fuisset. Adde recentiores, [a] Onuphrium, [b] Baronium, [c] Octavium de Strada, Joannem Hemelarium; nec non Adolphum Occonem, qui è Constantini stirpe hunc Maximum deducit.

Drepan. Pacat. orat. ad Theod.

Usser. fo. 199. Levin. in notis ad paneg.

An. 381. 2.

a *Onuphr. l. 1. de Ro. Princ.*
b *An. 383. n. 1.*
c *De Impp. vitis & num.*

ANNUS URBIS CONDITÆ 1133.

ANNUS CHRISTI 382.

DAMASI PAPÆ 16.

GRATIANI IMP. 16.

I. Patricius redit in Britanniam.

Sub annum Christi trecentesimum octogesimum secundum, Syagrio iterum & Antonio Coss. Patricius adolescens, qui suprà à Scottis captivus, in Hiberniam ductus est; excusso servitutis jugo, cum sexennio servisset, redit in patriam, ad parentes suos. enimverò probata juvenis virtus, continuæ preces, stata jejunia, laborum patientia, Deum exciverunt; ut, quod olim Israelitis factum, miraculo illum eduxerit: *Demum*, inquit Malmesburiensis, *Angelico oraculo, aurum sub cespite quodam inveniens Patritius, Domino tribuit; ac servitute liberatus, patriam redit, atque parentes expetit.* Probus author vitæ apud Bedam, hoc Angelicum oraculum fusiùs narrat & quâ ratione libertatem à Deo opt. max. promeruerit. *Frequenter*, inquit, *psalmos, & hymnos ruminabat, & ad venias faciendas furabatur horas. unaque die laborabat ad opus Dei; & noctibus similiter proprio non parcens corpori; ita ut in silvis & montibus manens; ante lucem absconsè surgeret ad orationem. Per nivem enim, & gelu, per pluviam & pruinam laborans, nihil mali sentiebat; neque ulla pigritia erat in eo. In tali ergo labore positus, quadam nocte, in somnis, audivit vocem dicentem sibi: benè jejunas, & oras, citò iturus es in patriam tuam.* Hæc ibi.

Antiquit. Glaston. in Patricio.

Probus in vita S. Patricii.

II. Angelicum oraculum.

Addit Author vitæ apud Capgravium Engelum Domini, Victorem nomine, hoc illi oraculum edidisse; & insuper thesauri locum demonstrasse, unde redemptionis suæ pretium Domino numeraret. Quo facto manumissionem impetravit; & libertati redditus, illustravit Britannias, mirabili vitæ sanctitate; ut dicam sequenti sæculo. nec interim narro miracula, quæ in reditu, terrâ marique contigerunt; licet frequentia Probus & Jocelinus referant; quia virtutes ejus, quæ constantissimæ fuerunt, malo legere, & Lectori exponere: quàm quæ naturæ vires, & aliquando etiam fidem, superare videntur. Festino igitur ad sequentem annum, ubi classicum cano, & Britannicam juventutem in Gratianum armo, Duce Maximo, imperium præsumente, & nolente consortem.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1134.

ANNUS CHRISTI 383.

DAMASI PAPÆ 17.

GRATIANI IMP. 17.

I. *Baron. hic.* Maximus in Britannia Imperator.

Ad hujus anni principium, ita scribit Baronius: *Qui sequitur annus Domini trecentesimus octogesimus tertius, inchoatus est Merobaude & Saturnino Coss. quo & Gratiani decimus sextus absolvitur: cum Maximus Dux exercitus in Britanniâ, tyrannidem arripiens, acclamatus à militibus Imperator; transmittens exercitum in Gallias, ab infensis*

Victor in Gratia. Zosimus l. 4.

Gratiano legionibus exceptus, Imperium sibi corroborat. Hæc Victor, & Zosimus. Sunt qui Maximum hæc in re excusent; quod nolenti miles purpuram injecerit, & quasi invitus imperaverit: alii tyrannum vocent, nec alio illum nomine dignantur: ego medius intercedo: & ita tyrannidem ejus accusabo, ut aliorum magis quàm suæ sponte, illam arripuisse dicendus sit, & malè quidem initio; meliùs tamen postea imperasset. nam Paulus Orosius ita de illo: *Maximus*, inquit, *vir strenuus & probus, atque Augusto dignus; nisi contra Sacramenti fidem, per tyrannidem emersisset; in Britanniâ, invitus propemodum ab exercitu Imperator creatus, in Galliam transiit.* Quæ omnia ad verbum exscripsit Beda lib. 1. historiæ cap. 9. Ipse etiam Maximus, sancto Severo referente, idem infrà testabitur. Et esto: tyrannicè imperium inceperit, & magno parricidio: Postea tamen, à Valentiniano ad imperii societatem admissus, Imperatoris & Augusti nomen obtinuit.

Orosius l. 7. c. 34.

Socrat. l. 5. c. 11.

II. BRITANNIA MILITE SPOLIATA.

Gildas in excid.

Cùm in Gallias Maximus, ingenti militum numero transiisset, Britanniam suppliavit omni militum præsidio, & Scotorum Pictorumque incursibus obviam & inermem reliquit. Quod indignè ferens Gildas sapiens, ita conqueritur Maximo iratus, & Britanniæ excidium deplorans. *Tandem tyrannorum virgultis crescentibus, & in immanem silvam jamjamq; erumpentibus, Insula nomen Romanum, nec tamen morem legemq; tenens; quin potiùs abjiciens germen suæ plantationis amarissimæ; ad Gallias, magnâ comitante satellitum catervâ, Maximum Imperatoriis insignibus, quæ nec decenter unquam gessit, non legitimè, sed ritu tyrannico initiatum, mittit. Ille callidâ primùm arte potiùs, quam virtute; finitimos quosque pagos, vel provincias, contra Romanum statum retia perjurii mendaciiq; sui facinoroso regno adnectens; & unam alarum ad Hispaniam, alteram ad Italiam extendens; & thronum iniquissimi Imperii apud Treviros statuens; tantâ insaniâ in dominos debacchatus est; ut duos Imperatores legitimos; unum Româ, alterum religiosissimâ vitâ, pelleret.* Ita ille Britanniam magis, quàm Maximum, accusans.

III. INDE MALORUM OCEANUS.

Gildas in Excidio.

Nunquam sanè graviùs peccavit in seipsam Insula. Nam hinc calamitatum omnium, quæ postea insequutæ sunt, Oceanus: hinc nudata Britannia omni milite; dum Imperium affectat, præda fit vicinis hostibus: à quibus demum capta, nomen, regnum, ac omnem majestatem perdidit. Quod ita paucis Gildas explicat. *Exin Britannia omni armato milite, militaribus copiis, Rectoribus, licet immanibus, ingenti juventute spoliata, quæ comitata vestigia supradicti tyranni domum nusquam ultra rediit: & omnis belli usus penitus ignara, duabus primum gentibus transmarinis vehementer sævis, Scotorum à Circio, Pictorum ab Aquilone, calcabilis multos stupet gemitq; annos.* Hinc ergo nobilissimæ Insulæ prima facta est declinatio: cum, quâ suis, quâ privatis Maximi affectibus serviens; armatam omnem juventutem emisit, & pro paucorum annorum imperio multorum sæculorum servitutem serviit. Sed ad Maximum in Galliis occupatum redeamus. nam cur Pictos vocet Gildas *gentem transmarinam*, dicam inferiùs.

An. 393. 2.

IV. GRATIANUS A MAXIMO INTERFICITUR.

Crescebat ille numero militum, & provinciarum accessione; cùm Gratianus Imperator, qui Alanos nimium extulerat, offenderatque ita militem; viribus impar, Maximum potiùs fugere, quàm cum illo confligere statuit. Maximus offensas Gratiano legiones probè doctus, & præcavens fugam, insigni dolo consilium fugæ antevertit; eumque, hoc anno, Augusto mense, interfecit; eo modo quem narrat Socrates. Nam *in rhedâ*, inquit, *quæ lecticæ speciem præ se ferebat, quæque à mulis gestabatur, Andragathius, Maximi Dux, occultatus; præcepit, uti satellitibus Imperatoris denuntiaretur, Imperatoris Gratiani conjugem, in ea vectam esse; Imperatoriq; fluvium Rhodanum, qui Lugdunum urbem Galliæ præterfluit, trajicienti; obviam procedere. Imperator itaque conjugem esse ratus, insidias haudquaquam evitavit; sed in hostis manus, tanquam cæcus in fossam, imprudens incidit. Nam Andragathius, è rhedâ desiliens, Gratianum interfecit. Moritur igitur Merobaude & Saturnino Coss. cùm annos regnasset quindecim, vixisset autem viginti quatuor.* Hæc Socrates. Unde falsus est Zosimus, qui scribit Gratianum fugâ in Mysiam evasisse, ibique Sigiduni in transitu pontis ab Andragathio occisum. Falsus, inquam, quia Pacatus Drepanius oratione ad Theodosium perspicuè dicit: Galliam *ferre compulsam Victoriam Maximi, interitum Gratiani.* Quare pro Sigiduni ponte, Lugduni lege. nam ibi interfectum esse, præter Socratem, Prosper, Cassiodorus, & Marcellinus Comes tradiderunt. Quod ad Imperii annos spectat, ipsum sedecim annos complesse, benè probat Baronius. Eo sublato crevit animus Maximo. Et qui Britannias hoc modo, Gallias etiam, & Hispanias subdiderat; Italiam imperii arcem petere, & Valentinianum ibi persequi decrevit. Sed id posterius: nam hoc anno, Gallias non exivit.

Socrat. l. 5. c. 11.

V. DE INITIO REGNI ARMORICANI.

Duo sunt, quæ Authores etiam accurati ad hunc annum, & Maximi in Gallias adventum, referunt, quæ egent examine. Primum est, Armorici regni, quod inde Britanniæ minoris nomen obtinuit, exordium: volunt enim, Maximum, subactis Morinis, in Armoricam trajecisse; ibi Legionis oppido expugnato; Rhedones, aliosque finitimos occupasse; & demum Conanum Meriodocum provinciæ præfecisse. Ita Ponticus Virunnius, Sigebertus, Nauclerus, Volaterranus, & plures alii, apud Malbrancque in Morinis. Ex hac opinione, oritur secundum: nimirum Ursulam sanctam, hoc etiam anno, cùm ad Armorici regni propagationem, unà cum undecim millibus mitteretur; martyrio coronatam, ad cælum evolasse: Hunnis mare, Galliasque depopulantibus. Etenim Gratianus, cùm se à Maximo peti, & à suo milite desertum cerneret; Hunnos sibi conciliane, eos in Gallias vocavit, ad eum premendum. Igitur Ursulæ & sociarum Martyrium, non malè ad hoc tempus referri videtur. Ita putavit Annalium conditor M. Baronius, aliique quos statim recensebo. nam excuti primum debet prior opinio, ut firmato, vel everso fundamento; superinductum ædificium firmetur, vel corruat.

Malbrancq in mori. l. 2. c. 21.

DE URSULA SANCTA.

VI. GALLICANI REGNI EXORDIUM.

Quod spectat ad primum Armoricani regni initium: quoniam inauditum est filiam nasci, ante parentem; dicendum quoque erit, nullum hoc anno regnum in Galliis ortum esse: cùm adhuc ipsa Gallia provincia esset, & Romanis omninò subdita. Gallicani regni primordia passim ponuntur, sequentis sæculi anno vigesimo, sub Faramundo, Marcomiri filio, *ut post Adonem Scriptores rerum Gallicarum affirmant*, inquit Gordonius. Et paulò posteriùs apud Armoricos regnum emersit ut suo loco videbimus. Necdum ergo provinciæ illæ præfectus est

Gordon. an. 420.

Conanus,

Conanus, nec illò quæsitura regium sponsum venire potuit virgo Ursula. Et sanè properanti Maximo, ad Italiæ, & totius Occidentis Imperium; graviores erant curæ; quàm ut tantum à se dimitteret otiosum & proletarium militem: qui depositâ militiâ, conquirendis uxoribus vacare posset. Enimverò si ante Augusti mensem, rerum summa, Galliæque imperium, penes Maximum necdum fuit; quomodo credi potest paucorum mensium spatio, ita omnia in Gallus componi, & ad regni conditionem, tam festinatò tendere potuisse: ut miles ibi quiescere; eidem agri, domusque describi; in Britanniam mitti, virgines inde peti; undecim millia ibi parari (quarum singulæ dum comuntur & poliuntur annus est) illæ navibus imponi Hunnis occurrere, ab illis denique mactari, ad vigesimum primum Octobris hujus anni: & ita cælum conscendere voluerint. Ad secundum igitur, de Ursulæ Martyrio, Baronius quidem hæc habet. *Inter hæc, cùm Maximus transiens in Gallias, cum Britannis. Armoricos è sedibus ejecisset; atque uberem, sed habitatoribus vacuam regionem iisdem Britannis militibus tribuisset: quo novam coloniam in posteros propagaret; Conani Britannis Reguli, quem Britannorum Ducem habebat in exercitu, consilio; è Britannia novis colonis singulas virgines, singulis militibus conjugio fœderandas, missa legatione, ad Cornubia in Britannia Regem, expetiit*, &c. quæ ex antiquis monumentis rerum Britanniæ authore Gaufrido Episcopo Assaphensi refert ad hunc annum Baronius, & præter eum Ponticus Virumnius, Polidorus Virgilius, Joannes Trithemius, Martyrologium Anglicanum, aliique plurimi qui ad hunc ipsum annum 383. ad hunc etiam Maximi descensum in Armoricos, martyrium Ursulæ retulerunt.

Baron. hic

De tempore martyrii Ursulæ.

VII. Verùm, pace horum authorum, oriri debet Cynosura hæc, sequenti sæculo, cùm major est Britannici regni occasus. nam electa est ceu Luminare minus ut præesset Britannorum nocti. Fefellit hos authores Maximi nomen, & Valentiniani Imperatoris: Infrà enim dicendum est sub Maximo quodam, Romano Duce, missoque in minorem Britanniam, cum legione militum, & Valentiniano Imperatore ejus nominis tertio, Ursulam triumphasse: Cùm Insula à Romanis Ducibus deserta, Scotis, Pictis, Saxoni, Anglo, præda fuit. Tunc enim imbellem sexum ad tutiora fugisse ostendam suo loco. Interim dico Hunnos, quantumvis in Gallias, à Gratiano vocati sint, in auxilium: necdum tamen Oceanum ingressos excitasse tragœdias illas, quas longè posteriùs, tam mari, quàm terra exhibuerunt. Imò S. Ambrosius, Hunnos nunc ab Imperatore accitos dicit, non tam ut Maximum, quàm ut Juthungos Rhætias populantes frangerent. Porrò cùm Hunnorum hoc tempore ineptio memoriaque certa sit, & Maximi nomen illustre, longè probabilius illi loquuntur, qui Ursulam ad hoc sæculum referunt, quam qui ad superius illud retulerunt, de quo infrà pluribus.

Hunni a Gratiano cur vocat? *Ambros. ep. 27.*

V. an. 453. totum.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1135.

ANNUS CHRISTI 384.

DAMASI PAPÆ 18.

MAXIMI IMP. 2.

I. Cum Maximus, alterum in imperio annum ageret, anno Christi trecentesimo octogesimo quarto, Ricemere & Clearcho Coss. Damasus Ro. Pontifex ex hac vitâ migravit. Voco alterum imperii annum, & Maximum Occidentis nostri Imperatorem facio: quia antiqui nummi ita loquuntur. Unum refert Camdenus Treviris signatum, & alterum filii ejus, Victoris nomine, Mediolani signatum; cùm filium Augustum creasset. utrumque hic habes expressum.

Moritur Damasus Papa.

Camd. num. 24. 25.



II. In Morinis utriusque memoria parentis inquam & filii, cum Augusti titulo mansisse videtur æterna: nam ibi apud Bononienses ita legitur:

DD. NN. MAG. C. MAXIMO ET FL. VICTORI. PIIS. FELICIBUS SEMPER AUGUSTIS * B. R. NATIS.

Hoc igitur in causa est, cur Maximum Annalibus præfigo, & locum illi inter Imperatores facio, excluso Valentiniano: qui licet Occidentis Imperator, tamen non nisi mortuo Maximo, Britanniæ Imperium habuit. Et quoniam Maximus, è Britanniæ partibus oriundus, & M. Constantino consanguineus, creditur; potest jure suo, inter Insulæ Principes, locum principem vendicare, & filius ejus cum Flavii cognomine scribi. Adde, quod Gratiano mortuo, misit Maximus in Orientem, ad Theodosium Augustum, augustalium cubiculorum Præpositum, qui fœdus amicitiamque, & adversus quemvis Romanorum hostem, belli societatem sanciret. Admisit autem Theodosius, *ut Maximus Imperator esset, simulq; dignum duxit, qui secum statuarum, & imperatoris nominis esset particeps*, inquit Zosimus. quod hoc anno factum putamus, quando Augustinus Mediolanum veniens docendi causa; ab Ambrosio tandem doctus est meliorem, & orthodoxam fidem.

* Bono Reip.

Cur Maximus in nostris Annalibus locum habet inter Impp.

Zosim. l. 4.

Augustinus Mediolanum venit.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1136.

ANNUS CHRISTI 385.

SIRICII PAPÆ I.

MAXIMI IMP. 3.

I. SIRICIUS PAPA.

SUB anni trecentesimi octogesimi quinti, exordium, in locum Damasi, Romani Pontificis; subrogatus est Siricius Romanus; non sine tumultu Ursicini schismatici qui adhuc fœdâ factione Ecclesiam vexavit: cum Arcadius Augustus & Bauto creati sunt Consules. Enimverò ante superiorem annum Theodosius Imperator Arcadium filium Augustum dixerat.

II. MAXIMI IMPERATORIS FIDES.

Agebat hoc anno Maximus in Galliis, cùm novæ turbæ sanctiorem ibi Remp. distraxerunt: tunc patuit Maximi Imp. fides, quam nunc suspicio; num eadem illa sit, cum Regia hactenus Britannorum fide. Redibo etiam in Insulam, & provincialium fidem explorabo; quia vereor venisse jam tempus; quo civium animi, novis erroribus adhærentes, vitiaverint acceptam, à Lucio, & majoribus, fidem. Priscillianus, è Gnosticorum fæce surrexerat novus hæresiarcha, Hispanias infecerat, perverso dogmate: & Romæ, à Damaso, Mediolani ab Ambrosio rejectus, in Gallias descenderat, cum sociis, Instantio, aliisque. Odorati Galliarum Episcopi perfidiæ venenum; Maximum monent, ut medendo malo, & Ecclesiæ paci procurandæ, manum operamque commodaret. Fecit ille fortiter magis, quàm suaviter; jubetque Ecclesiarum Antistites, Burdigalam convenire, & de controverso dogmate ferre sententiam. Et ita factum Priscillianus auditus est, damnatus est, & morte punitus. Si Maximus peccavit ardore fidei, & Regiæ potestatis terminos egressus: magis peccarunt illi, qui Maximum ita docuerant. Rem gestam ita narrat S. Severus in sacrâ historiâ.

PRISCILLIANUS HÆRETICUS.

III. Severus l. 2. fine.

CONDEMNATUR

Iam rumor incesserat, clementem Maximum intra Britannias sumpsisse imperium, ac brevi in Gallias erupturum. Ita tum Ithacius statuit, licet rebus dubiis, novi Imperatoris adventum expectare: Interim sibi nihil agitandum. Igitur ubi Maximus, oppidum Treverorum victor ingressus est: ingerit preces plenas in Priscillianum, ac socios ejus, invidiæ atque criminum. Quibus permotus Imperator, datis ad præfectum Galliarum, atque ad vicarium Hispaniarum literis; omnes omninò, quos labes illa involverat, deduci ad Synodum Burdigalensem jubet. Ita deducti Instantius & Priscillianus: quorum Instantius, prior jussus causam dicere; postquam se parum expurgabat; indignus esse Episcopatu pronuntiatus est. Priscillianus verò, ne ab Episcopis audiretur, ad principem provocavit: permissumque id nostrorum inconstantiâ: quia aut sententiam in refragantem ferre debuerant: aut, si hi ipsi suspecti habebantur; aliis Episcopis audientiam reservare: non causam Imperatori, de tam manifestis criminibus permittere. Ita omnes, quos causa involverat, ad Regem deducti. Secuti etiam accusatores, Idacius, & Ithacius Episcopi; quorum studium in expugnandis hæreticis non reprehenderem; si non studio vincendi plusquam oportuit, certassent. ita ibi. Tum pluribus narrat, quid S. Martinus in hoc negotio, piè præstiterit; ut accusatores Episcopos avertere conatus sit, ne Priscilliani crimina in sæculare judicium, cum ingenti Ecclesiæ præjudicio, prodirent. *Tum Martinus*, inquit, *apud Treveros constitutus, non desinebat increpare Ithacium; ut ab accusatione desisteret: Maximum orare, ut sanguine infelicium abstineret: satis superque sufficere, ut Episcopali sententiâ, hæretici judicati, Ecclesiis pellerentur. Novum esse, & inauditum nefas, ut causam Ecclesiæ judex sæculi judicaret. Denique quoad usque Martinus Treviris fuit, dilata cognitio est: & mox discessurus, egregiâ authoritate, à Maximo elicuit sponsionem, nihil cruentum in reos constituendum.*

APPELLAT AO MAXIMUM.

Severus supra.

NEFAS INAUDITUM LAICUM OE ECCLESIA IUDICARE.

IV.

Sed postea Imperator, per Magnum & Rufum Episcopos depravatus, & à mitioribus consiliis deflexus; causam Præfecto Evodio permisit, viro acri & severo. Qui Priscillianum gemino judicio auditum, convictumque maleficii; nec diffitentem, obscenis se studuisse doctrinis; nocturnos etiam turpium fœminarum egisse conventus, nudumque orare solitum, nocentem pronuntiavit, redegitque in custodiam, donec ad Principem referret. Gesta ad palatium delata, censuit Imperator, Priscillianum, sociosque ejus, capitis damnari oportere. Cæterùm Ithacius, videns quam invidiosum sibi apud Episcopos foret; si accusator, etiam postremus rerum capitalium judiciis astitisset (etenim iterari judicium necesse erat) subtrahit se cognitioni frustra, callido jam scelere perfecto. At tum, per Maximum, accusator apponitur Patricius quidam, fisci patronus. Ita eo insistente, Priscillianus capitis damnatus est; unaque cum eo Felicissimus, & Armenius, qui nuper à Catholicis, clerici Priscillianum secuti, desciverant. Latronianus quoque & Euchrocia, gladio perempti. Instantius, quem superius ab Episcopis damnatum diximus, in Sylinam Insulam, quæ ultra Britanniam sita est, deportatus. Itum deinque in reliquos sequentibus judiciis; damnatique, Asarinus, & Aurelius Diaconus, gladio. Tiberianus, ademptis bonis, in Sylinam Insulam datus. Hæc omnia Severus: & inde in Britanniam transeo: quò me Sylina Insula, & Priscillianistæ exules vocant.

PRISCILLIANUS CONDEMNATUR ITERUM.

INSTANTIUS EXULAT IN SYLINAM INSULAM. ITEM TIBERIANUS.

V. SYLINA INSULA.

Est Sylina Insula, multarum Insularum congeries; quam, quia ad Britanniæ Occidentem jacent, Dionysius Alexandrinus, Hesperidas appellavit: quia verò magna vis stanni inde eruitur, & olim eruta est; antiqui Græci à stanno Cassiteriadas vocaverunt. Angli hodie Silly, nautæ Belgici Sorlinges nuncupant. de quibus Strabo: *Artabris*, (inquit, & Gallitiæ populum intelligit) *quibus Britanniæ Occidentales partes è regione adjacent, ad Aquilonem opponuntur Insulæ, quas Cassiterides appellant, quodammodo in Britannico climate constitutæ.* Huc ergo, Maximi jussu, missi sunt in exilium Instantius Episcopus, & Tiberianus, ob hæreticam pravitatem condemnati. nec primi fuerunt ad hanc Insulam relegati: nam moris fuisse Romanorum Imperatorum, reos eò amandare probat Camdenus exemplo Marci Imperatoris; qui Cassium, nescio quæ vaticinantem, Romano cælo interdictum, non in Syriam Insulam, ut aliqui volunt, sed in Syliam, nimirum Sylinam Insulam, proscriptum fuisse probabiliter affirmat.

Strabo apud Camden. in Insulas

VI. HIC PRIMUM LÆSA BRITANNORUM FIDES.

Non est sopitum novæ hæreseos malum, morte Priscilliani, aut exilio aliorum; sed potiùs exinde vires, roburque cepit: & fortè in Britanniam hactenus, ab omni alieni dogmatis crimine liberam, descendit: atque ita vitiata est nobilissima Insula, quæ à Lucio Rege constantissimè fidem per annos ducentos incorruptam, illibatamque servaverat. & quoniam suprà promisi, me nullo modo dissimulaturum nævos in Ecclesia,

aut maculas in sole nostro; ideo rationem hic reddo cur nunc primum Britannorum fidem læsam corruptamque, in aliquibus, existimem. Inprimis S. Severus cùm Instantium & Tiberianum in Britanniæ Insulam amandasset; ita de Priscillianistarum hæresi, non extinctâ, sed propagatâ potiùs loquitur. *Cæterùm Priscilliano occiso, inquit, non solùm non repressa est hæresis, quæ illo authore proruperat; sed confirmata latius propagata est. Namque sectatores ejus, qui eum prius, ut sanctum honoraverant; postea ut Martyrem colere cœperunt.* Intellecto igitur, Instantium Episcopum, & Tiberianum, viros in Galliâ, Hispaniaque nominatos, ob fidei dogmata proscriptos esse: curiosè, ut fit, de dogmate inquisitum: & quia sordes facilè plebem inficiunt, plebi sordes adhæserunt.

Sever. l. 2. fine.

VII. Gildæ sententia exponitur. *Gildas in excidio.*

Confirmantur hæc è Gilda nostro, qui primam fidei declinationem in Britanniâ, primus aperuit, ita scribens. *Mansit namque hæc Christi capitis membrorum consonantia suavis, donec Ariana perfidia atrox, ceu anguis, transmarina nobis evomens venena, fratres in unum habitantes exitiabiliter faceret sejungi, ac quasi viâ factâ trans Oceanum, omnes omninò bestiæ mortiferum cujuslibet hæreseos virus, horrido ore vibrantes, lethalia dentium vulnera, patriæ, novi semper aliquid audire volenti, & nihil certè stabiliter obtinenti, infigebant.* Quæ verba hunc omninò sensum reddere videntur. Mansit Britannorum fides pura & incorrupta, donec Ariana hæresis orbem infecit. Tunc hæresum monstra Oceanum ingressa Britanniam corruperunt. Non ergo pressè dicit, Arianâ hæresi infectam Insulam; sed tum à majorum fide deviâsse aliquos, cùm plura errorum vitia; quæ bestias vocat; mortiferum cujuslibet hæreseos virus, horrido ore vibrarunt; & tum demum lethalia vulnera, Britanniæ, novi semper aliquid audire volenti, infixa. Cæterum Priscillianistarum errores, plurium errorum farraginem fuisse, statim ostendam. Hic prius Lectori satisfaciam, cur huc declinantis Ecclesiæ nostræ statum; & non ad priora, aut Arianam hæresim, refero.

VIII. Ratio temporis eruitur. *Gildas suprà.*

Cùm Gildas supradicta verba absolvisset; mox ipsum tempus, quo facta est fidei declinatio, & quo varii errores patriam infecerunt; videtur indicasse, cùm ait. *Itemq́; tandem tyrannorum virgultis crescentibus, & in immanem silvam jamjamq́; erumpentibus; Insula nomen Romanum, nec tamen morem legemq́; tenens; quin potiùs abjiciens; germen suæ plantationis amarissimæ, ad Gallias, magnâ comitante satellitum catervâ, Maximum Imperatoris insignibus, quæ nec decenter unquam gessit, non legitimè, sed ritu tyrannico initiatum mittit.* Quasi diceret: tum demum variæ, hæreses Britanniam pervaserunt, cùm Maximus invasit imperium. Tunc patria in fide nutavit, cùm à Romanorum Imperatorum fide defecit. Itaque ad Maximi Imperium, Britannorum fidei eclypsis prima referenda est. Cùm ut ille purgaret Gallias, & Hispanias sibi subditas, Britannias infecit hæresum contagio; quæ à Priscilliano potiùs quàm ab Ario manarunt. Porrò quales illæ fuerint, & quàm rectè à Gilda describantur, hunc ostendo.

IX. *Augustin de hæresib. c. 70.* Priscillianistarum hæresis, quæ?

Augustinus, quem suprà ab Ambrosio Mediolanensi doctum dixi, agens de errore Priscillianistarum hæc habet. *Priscillianistæ, quos in Hispania Priscillianus instituit, maximè Gnosticorum & Manichæorum dogmata permixta sectantur: quamvis & ex aliis hæresibus, in eas sordes, tanquam in sentinam quandam, horribili confusione confluxerunt.* Et noli putare hos novæ fidei partus, præter omnem sacræ Scripturæ authoritatem emersisse; nam inde etiam sua dogmata confirmarunt: & quicquid contra è Scriptura, diceres; Scripturarum adulterio perverterunt. de quibus ita Augustinus: *Nihil Scripturarum canonicarum repudiant: simul cum apocryphis legentes omnia, & in authoritatem sumentes; sed in suos sensus allegorizando vertentes; quicquid in sanctis libris est, quod eorum evertat errorem.* hæc ille. Et verò, indulge factiosis, è solis Scripturis disputandi licentiam: & iterum, indulge illis solis, de earum sensu, judicium; quis non videt, æqualem fore stultorum, & Priscillianistarum, numerum. unde benè Gildas, *omnes omninò bestiæ, & mortiferum cujuslibet hæreseos virus*, appellavit eum morbum, quo Britannia laboravit; cùm Maximus factus est Imperator. & tunc demum Insula, à vera fide exerravit. Quemadmodum ad inferiora sæcula descendendo, ita ratiocinari possumus. A M. Gregorii tempore, Saxonum, & Anglorum fides in Britanniâ, ab omnis hæresis contagio immunis mansit; donec Lutherus in Germaniâ, & Calvinus in Galliâ, transmarinæ perfidiæ venena evomentes, Europam perverterunt. Tunc nescio qui Instantii, è Germania Galliaque proscripti, vel profugi, Scripturas canonicas, ad novi morbi sensum, traductas, reliquo orbe stupente, Britanniæ obtruserunt. Tunc enimverò, quicquid olim à primis sæculis Patribusque damnatum est; undique corrasum, in unum corpus, vel centonem potiùs, consarcinatum est: unde Helvetica, Augustana, Belgica, Gallica, Scotica, & demum Anglica confessio, vestem sibi quælibet uniformiter difformiter consueverunt. Quam Gilda, si viveret, *cujuslibet hæreseos virus*, appellaret. & Augustinus diceret; rursus alias hæreses, in eam vestem, tanquam in sentinam quandam, horribili confusione confluxisse.

August. suprà.

X. Quinam infecti.

Sed quantumvis putem, perversas aliquorum provincialium mentes fuisse; & corruptum, è Sylina Insula, aërem, Britanniam excepisse: puto tamen plebem potiùs populumque; quàm Ecclesiæ Prælatos, aut principes viros, eo malo sideratos esse. Nullus enim Britanniarum Episcopus, in nostris, aut externis Authoribus nominatur, aut Arianâ, aut Priscillianistarum labe infectus. De Maximo Imperatore (cujus maximè haberi debet ratio, quia Regiam Britannorum fidem tracto) nulla debet esse quæstio; cùm suprà videris; quàm severè in Priscillianum sociosque animadverterit. infrà etiam leges, quàm piè fortiterque pro Ambrosio, in Valentinianum & Justinam, Arianam ejus matrem, steterit, scripseritque: atque ita nulla eum vel levis, aut Arii dogmatis, aut Priscilliani criminis suspicione laborasse, pro comperto est. Quare inconstans solum vulgus, Gildas intelligit; quod ad omnem auram mobile, infecto semel aere, citò tangitur. corripitur, & tabescit: & ideo non sine causa dixit: *Patriæ novi semper aliquid audire volenti, & nihil certè stabiliter obtinenti, letale vulnus inflictum.* quo non omnem Britanniam, sed deteriorem ejus partem, significat. Concludo: imperium Maximi, Priscillianistarum exilium, eorundem errores varii, & Gildæ verba sensusque, facilè persuadent, in hæc tempora referendum id, quod apud omnes in confesso est, Britanniam aliquando in fide claudicasse. Cæterùm, cùm nemo, quod sciam, distinctiùs loquatur de tempore, modoque, quo

aliena fides prostituit Insulam. Da Lector veniam si conjecturâ cogor eruere, quod necessariò in Annales, animumque aliquem referendum est:

ANNUS URBIS CONDITÆ 1137.

ANNUS CHRISTI 386.

SIRICII PAPÆ 2.

MAXIMI IMP. 4.

I. Ambrosius ab Auxentio provocatur.

MAXIMI Imperatoris virtus, fidesque, illustrissimè tunc enituit, cum Ambrosius sanctus, à Justina Augusta, Ariana fæmina concutitur. Anno Christi trecentesimo octogesimo sexto, Honorio & Evodio Consulibus, Allophylus nescio quis, Auxentius junior Episcopus, genere Scytha, professione Arianus, ausus est Ambrosium ad publicam disputationem provocare, & Valentinianum Imp. catechumenum adhuc certaminis arbitrum postulare. *Exhorruit Dei Sacerdos*, inquit Baronius, *fidei causam, post tot concilia, arbitrio credere sæcularium. sprevit petulantiam hominis, ne Ecclesiæ prosterneret dignitatem.* Justina pro Auxentio est, & Valentinianus matri famulatur. mittitur ad Ambrosium Dalmatius Tribunus; qui diem legesque disputationi diceret: Ambrosius contra, Valentiniano Augusto libellum porrigit in hunc modum supplicem.

Baron. hic.

CLEMENTISSIMO IMPERATORI & beatissimo Augusto Valentiniano. Ambrosius Episcopus.

II. Apud Ambros. ep. 32. Ambrosii literæ.

Laïci non debent esse judices in rebus Ecclesiasticis.

DALMATIUS me Tribunus & Notarius, mandato, ut allegavit clementiæ convenit tuæ, postulans ut & ipse judices legerem, sicut elegisset Auxentius: nec tamen expressit eorum nomina, qui fuerant postulati. Sed id addidit, quod in Consistorio esset futura certatio, arbitro pietatis judicio tuæ. cui ita respondeo, ut arbitror, competenter. Nec quisquam contumacem judicare me debet; cum hoc asseram quod augustæ memoriæ pater tuus, non solum sermone respondit, sed etiam legibus suis sanxit, in causa fidei, vel Ecclesiastici alicujus ordinis, eum judicare debere; qui nec munere impar sit, nec jure dissimilis. Hæc enim verba rescripti sunt: hoc est. Sacerdotes de Sacerdotibus voluit judicare. Quinetiam, si alias quoque argueretur Episcopus; & morum esset examinanda causa; etiam hanc voluit ad Episcopale judicium pertinere. Quis igitur contumaciter respondit clementiæ tuæ? Ille qui te Patri similem esse desiderat; an qui vult esse dissimilem? Nisi forte vilis quibusdam tanti Imperatoris existimatur sententia; cujus & fides, confessionis constantia comprobata est, & sapientia meliorata Reip. profectibus prædicatur. Quando audisti, clementissime Imperator, in causâ fidei, laicos de Episcopo judicasse? Ita ergo quâdam adulatione curvamur, ut sacerdotalis juris simus immemores? & quod Deus donavit mihi hoc ipse aliis putem esse credendum? Si docendus est Episcopus à Laico, quid sequetur? Laicus ergo disputet, & Episcopus audiat; Episcopus discat a Laico. At certè si vel Scripturarum seriem divinarum, vel vetera tempora retractemus: quis est qui abnuat, in causa fidei; in causa inquam fidei, Episcopos solere de Imperatoribus Christianis, non Imperatores de Episcopis judicare.

Peccaverat quidem aliquorum opinione Maximus Imperator; cum nuper damnatos ab Episcopis Episcopos punivit: sed major tunc fuit Episcoporum culpa, qui Maximo illud persuaserunt. Nunc verò quia fidei res agebatur, & Valentinianus Arianæ factionis studio in Ambrosium ferebatur: Maximus pro Ambrosio constantissimè stetit, & orthodoxum Episcopum orthodoxus ipse propugnavit, ut dicam anno sequenti. Cæterùm quà reverentiâ Episcopalem, omnemque ordinem Ecclesiasticum prosecutus sit Maximus, exemplum est Turonensis Episcopus S. Martinus; cujus amicitiam familiaritatemque ambitiosè satis aucupatus est. de quo ita Severus in sacrâ historiâ. *Martinus sæpè, à Maximo rogatus, convivio abstinuit; dicens, se mensæ ejus participem esse non posse; qui duos Imperatores, unum regno, alterum vitâ expulisset. Postremò, cum Maximus, se non sponte sumpsisse imperium affirmaret; sed impositum sibi à militibus, divino nutu, regni necessitatem armis defendisse; & non alienam ab eo Dei voluntatem videri; penes quem, tam incredibili eventu victoria fuisset: nullumq; ex adversariis, nisi in acie occubuisse. Tandem victus, vel ratione, vel precibus, ad convivium venit, mirum in modum gaudente Rege, quod idem impetrasset.* Quid in convivio acciderit, quia ad Ecclesiastici ordinis, qui hodie premitur à factiosis, dignitatem facit; & ad Maximi Imperatoris pietatem, ex eodem Authore sic accipe.

III. Maximus Imp. pro Ambrosio est.

Martinum Turonensem colit.

Sever. l. 2.

IV. Sever. sup. Eum convivio excipit.

Convivio aderant veluti ad diem festum evocati, summi atque illustres viri. Idemq; Consul Evodius, vir quo nihil unquam justius fuit; Comites duo, summa potestate præditi; frater Regis, & patruus. Medius inter hos Martini Presbyter accubuerat. Ipse autem, sellulâ juxta Regem positâ, consederat. Ad medium ferè convivium (ut moris est) pateram Regi minister obtulit. Ille sancto admodum Episcopo potius dari jubet, expectans atque ambiens. ut ab illius dexterâ, poculum sumeret. Sed Martinus ubi ebibit, pateram Presbytero suo tradidit; nullum scilicet existimans digniorem, qui post se biberet: nec integrum sibi fore; si aut Regem ipsum, aut eos qui a Rege erant proximi, Presbytero prætulisset. Quod factum Imperator, omnesq; qui tunc aderant, ita admirati sunt; ut hoc ipsum eis, in quo contempti fuerant, placeret; celeberrimumq; per omne palatium fuit, fecisse Martinum, in Regis prandio, quod, in infimorum judicum conviviis, Episcoporum nemo fecisset. Eidemq; Maximo longe ante prædixit, futurum; ut si ad Italiam pergeret, quò ire cupiebat; bellum Valentiniano Imperatori inferens: sciret, se, primo quidem impetu, futurum esse victorem sed parvo post tempore, esse periturum. Hæc omnia Severus. & egregius vates fuit S. Martinus. nam Maximus, sequenti anno, Italiam ingressus, brevi post vivere & imperare desiit. Conjugem habuit, augustam & religiosissimam fœminam. de quâ nunc paucis agendum.

V. Maximi conjux,

Suprà dixit Matthæus Westmonasteriensis, Maximum, Octavii filiam Britannam fœminam, conjugem accepisse. Quod si id verum est: nec enim id penitùs affirmo: habent Ecclesiastici Annales nostri, quod; illâ glorientur. Et sanè si Helenæ pietatis argumenta contemplor; talis fuit uxor Maximi, quæ jure ad Helenæ posteros spectare posse videatur: nam Martinum Sanctum officiosissimè coluit; & ea exercuit pietatis obsequia, quæ suprà diximus Helenam exercuisse. De illa ita scribit S. Severus 2. libro dialogorum c. 7.

Sever. l. 2. dialo. c. 7.

Interim diebus ac noctibus de ore Martini Regina pendebat, evangelico illo non inferior exemplo, pedes sancti fletu rigabat, crine tergebat. Martinus, quem nulla unquam femina contigisset; illius assiduitatem, imo potius servitutem non poterat evadere. Non illa opes regni, non imperii dignitatem, non diadema, non purpuram cogitabat: divelli a Martini pedibus solo strata non poterat. Postremò à viro suo poposcit; deinde Martinum utérque compellunt; ut ei, remotis omnibus ministris, praberet sola convivium. Nec potuit vir beatus obstinatius reluctari. componitur castus Regina manibus apparatus: sellulam ipsa consternit, mensam admovet, aquam manibus subministrat; cibum quem ipsa coxerat, apponit: ipsa, illo sedente, eminus secundum famulantium disciplinam, solo fixa consistit immobilis, per omnia ministrantis modestiam, & humilitatem exhibens servientis miscuit ipsa bibituro, & ipsa porrexit. Finitâ cœnula, fragmenta panis assumpti, micasq; collegit, fatis fideliter, illas reliquias imperialibus epulis anteponens. Beata mulier tanta pietatis affectu illi merito comparanda, qua venit a finibus terra audire Salomonem.

Eius pietas.

Hæc ille. quæ ultima verba peregrinam arguunt hanc Augustam fuisse, & à finibus terræ, Britanniâ scilicet, ad Martinum venisse, cum venit in Gallias Maximus Imperator. Sed ab optima & pientissimâ fœminâ, ad impiam transeamus. nec enim sexus ille constanter laudandus est.

Theodo. l. 5 c. 14.

lentinianum admisso, certior factus est, scribit ad Valentinianum literas, hortaturq;, ut, tum à bello contra pietatem faciendo desistat; tum ne paternam pietatem prodere molitatur; postremò minatur bellum, si non obtemperet, se contra eum suscepturum. atque quod literis significaverat, factis certe praestitit. de quo anno sequenti. Literarum ad Valentinianum à Maximo scriptarum meminit Baronius, & illas recitat: ubi inter cætera: *Audivi*, inquit, *(nam fama non patitur occultari, praesertim quod agatur in populos) novis clementia tua edictis, Ecclesiis Catholicis vim illatam fuisse, obsideri in Basilicis Sacerdotes, multam esse propositam, pœnam capitis adjectam, & legem sanctissimam, sub nomine nescio cujus legis, everti. Hoc quam grave sit, poteris intueri, si Dei magnitudinem volueris cogitare.* Hæc & plura pro fide orthodoxâ, Maximus, & inter cætera: *Italia omnis*, inquit, *atque Africa, hoc Sacramento credunt. hac fide gloriantur Gallia, Aquitania, omnis Hispania, Roma ipsa venerabilis; cujus etiam in hac parte principatus est, quod Deum sicut sequi voluit, agnovit*, &c. *Hac amabiliter a nobis dicta esse opto, ut intelligas; spero quod credes. Vnde aquum admodum est, ne sancto numini dicata convellas; Italiam omnem, & venerabilem Romam, suis Sacerdotibus reddas, cateraq; provinciis suis Ecclesiis, neque te medium interferas; cum fas sit justius tot qui à Catholicà Ecclesiâ, Arianorum * interpretatione discesserunt; errorem suum vera religione mutare; quam rectè sentientibus suam immittere pravitatem.* Ita Maximus pro orthodoxa Ecclesia: pro Romanâ fide, pro Ambrosio denique scripsit.

Apud Baron. hic.

*intervenitione.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1138.

ANNUS CHRISTI 387.

SIRICII PAPÆ 3.

MAXIMI IMP. 5.

I. Justina Augusta Ambrosium vexat.

Iustina Augustâ, Valentiniani Imperatoris mater, Arianorum patrocinium suscipiens; anno Christi trecentesimo octogesimo septimo, Valentiniano Augusto III. & Eutropio Coss. Ambrosii constantiam, & Maximi Imperatoris nostri pietatem exercuit. Volebat illa Arianis Mediolani Ecclesiam patere; quod nullo modo, nec precum, nec munerum sollicitatione passus est Sanctus Episcopus. Tunc illa ad fraudem insidiasque conversa, cum minimè succederent, in apertum odium, fœmininâ prorsùs rabie surrexit; vim Episcopo paravit: & tandem, misso satellite, jussit Ecclesiæ vasa sacra tradi, & Antistitem pelli ab Ecclesiâ. Sed ille, Dei ope & piorum hominum favore, Justinâ fortior, non cessit, nec vasa Ecclesiæ tradidit. *Cum esset propositum*, inquit ipse, *ut Ecclesia vasa jam traderemus, hoc responsi reddidi. me, si de meis aliquid posceretur, aut fundus, aut domus, aut aurum, aut argentum; id quod mei juris esset, libenter offerre: Templo Dei nihil posse decerpere; nec tradere illud, quod custodiendum, non tradendum acceperim. Deinde consulere me etiam Imperatoris saluti: quia nec mihi expedit tradere, nec illi accipere.* Ita sanctus Antistes.

Ambros. in Auxen. post ep. 32.

II. Maximus Ambrosio adstipulatur.

Maximus intereà turbarum Mediolanensium conscius, & injuriæ in Ambrosium: suscepto ejus patrocinio, Valentinianum orat, ut mitiùs agat, aut bellum expectet. Testatur hoc Theodoretus: *Vbi*, inquit, *Maximus, de facinore contra praclarissimum veritatis praconem Ambrosium, per Va-*

III. Sancti etiam.

Interim dum sanctus Antistes, Deum sanctosque solicitat, pro pace Mediolanensis Ecclesiæ; Deus illi sanctique mirabiliter adfuerunt. *Tunc memorato Antistiti tuo* (loquitur Deo Magnus Augustinus) *per visum aperuisti; quo loco laterent Martyrum corpora, Protasii & Gervasii; qua per tot annos incorrupta, in thesauro secreti tui recondideras. unde opportune promeres, ad coercendam rabiem famineam, sed Regiam. Cum enim propalata & effossa* DIGNO CVM HONORE *transferrentur, ad Ambrosianam Basilicam: non solum quos immundi vexabant spiritus, confessis iisdem damonibus, sanabantur. Verum etiam quidam plures annos cacus civis, civitatiq; notissimus; cum populi tumultuantis latitia causam quasisset, atque audisset, exilivit; eoq; se, ut duceret, suum ducem rogavit, quò perductus, impetravit admitti, ut sudario tangeret feretrum pretiosa, in conspectu Domini, mortis sanctorum tuorum. Quod ubi fecit, atque admovit oculis, confestim aperti sunt. Inde fama discurrens, inde laudes tua ferventes, lucentes, inde illius inimica* (Justinæ) *animus, etsi ad credendi sanitatem non applicitus; a persequendi tamen furore compressus est. Gratias tibi Deus meus.* Ita Augustinus; qui eadem repetit in [a] libris de civitate Dei, & [b] sermonum de diversis, ubi se oculatum testem miraculorum asserit. *Tanta*, inquia, *gloria, Martyrum etiam ego testis sui; ubi Mediolani eram, facta miracula novi*, &c.

Aug. confes. l. 9. c. 7.

Gervasii et Protasii corpora revelantur.

a L. 22. c. 8.
b Serm. 39

IV. Cur Novatores hoc tacent miraculum.

Magdeburgici, licet passim miracula in centuriis suis narrent; nullam tamen, hoc loco, de Gervasii & Protasii corpore, nullam de illuminato cæco, de immundis spiritibus, qui tunc vexabantur, faciunt mentionem: quia nolunt fortè, tristi narratione, conturbare spiritum illum, qui cultum sanctorum, reliquiasque antiquavit. Ego verò, quoniam puto hoc dæmonium mutum fuisse cum loqui non auderet, contra apertam veritatem; ejiciam illud, productis in

medium aliis testibus; qui quod factiosi obstinatissimè tacent, vocalissimè loquentur. Paulinus hac ætate vir doctissimus, cum Ambrosii vitam recenset, meminit hujus translationis sanctorum corporum, curationis ægrorum; & cæci illuminati: sed certior sine dubio testis est Ambrosius ipse, qui in Epistola ad Marcellinam sororem in hunc modum rem gestam narrat.

V. *Ambros. ep. 85.*

Domina soror, vita atque oculis præferenda frater. Quia nihil sanctitatem tuam soleo eorum præterire quæ hic te gerantur absente. Scias etiam sanctos Martyres à nobis esse repertos. Nam cum Basilicam dedicassem: multi, tanquam uno ore interpellare cœperunt, dicentes. Sic in Romanâ Basilicâ dedices. Respondi: faciam si Martyrum reliquias invenero: statimq; subiit velut cujusdam ardor præsagii. Quid multa? Dominus gratiam dedit. Formidantibus etiam Clericis, jussi eruderari terram, eò loci qui est ante cancellos Sanctorum Felicis atque Naboris. Inveni signa convenientia: adhibitis etiam quibus per nos manus imponenda foret: sic sancti Martyres eminere cœperunt; ut adhuc nobis silentibus, arriperetur urna, sterneretur prona ad locum sancti sepulchri. Invenimus miræ magnitudinis viros duos, ut prisca ætas ferebat, ossa omnia integra, sanguinis plurimum. Ingens concursus populi, per totum illud biduum. Quid multa? Condidimus integra ac ordine, transtulimus; vespere jam incumbente, ad Basilicam Faustæ; ibi vigiliæ tota nocte, manus impositio. Sequenti die transtulimus ea in Basilicam, quam appellant Ambrosianam. Dum transferimus, cæcus sanatus est. Talis mihi ad populum fuit sermo. Cum tam effusam, &c.

ECCLESIARUM DEDICATIO CUM SS. RELIQUIIS.

VI. SACRARUM RELIQUIARUM CULTUS. *Ambros. Epist. 85.*

Prosequitur Ambrosius in sermone antiquos Catholicæ Ecclesiæ ritus, de sanctorum Martyrum reliquiis in Ecclesiarum dedicatione, de quibus supra dixi & inter cætera hæc habet, de miraculis quæ cultum Sanctorum probant. *Cognovistis, imo vidistis ipsi, multos a dæmoniis purgatos, plurimos etiam ubi vestem Sanctorum manibus contigerunt; his quibus laborabant debilitatibus, absolutos reparata vetusti temporis miracula: quò se per adventum Domini IESV gratia terris major infuderat; umbra quadam Sanctorum corporum plerosque sanatos cernitis. Quanta oraria jactitantur! Quanta indumenta super reliquias sacratissimas, ut tactu ipso medicabilia reposcantur. Gaudent omnes extremâ lineâ contingere: & qui contigerit salvus erit.* Hæc ibi. Unde confirmantur ea omnia, quæ supra de Albani sancti reliquiis, de caracalla ejus, & miraculis posui. ut videas omni sæculo, tam sanctos à fidelibus cultos, quam Deum ipsum, cultum hunc mirabiliter defendentem. & quemadmodum nuper dixi, Albani sacros cineres, in Gallias, Germanias, Italiam ob cultum reverentiamque delatos: sic idem videre est in Gervasio & Protasio sanctis. Ut enim Roma inventos Mediolani Martyres audivit, eorum reliquias postulavit, impetravit, accepit, ædem sanctis sacram construxit, atque ibi reliquias deposuit. Vestinâ nobili fœminâ sumptus ministrante. Paulinus sanctus de iisdem quoque sacris pignoribus impetravit aliquid, & in Basilica Fundanâ, quam nuper erexerat, collocavit. Sanctus Gaudentius Brixianus Episcopus, acceptam etiam ab Ambrosio partem condidit in Basilicâ dictâ *Concilium Sanctorum*. Egressa Italiam fama Martyrum, penetravit Gallias. nam & missas reliquias, templaque in eorum honorem structa, testatur Gregorius Turonensis, & Martyrologium Gallicanum ad 19. Junii. In Germanias ad No-

SACRA PIGNORA DISTRAHUNTUR.

Grego. Turon. de gloria Marty. c. 47 & histo. l. 10 c. 31.

ricos pervenisse sacros eorum cineres habent Acta S. Severini apud Eugipium. Sed & perlatos in Africam, & in Victoriana villa, triginta milliaribus ab Hippone, ubi ipsorum nomine erecta est Ecclesia, collocatos, narrat S. Augustinus, l. 22. de Civitate Dei c. 8. nec pluribus vacat certissimæ rei, & ubique gentium testatæ immorari.

August. l. 22. Civit. c. 8.

VII. OBIECTIO.

At dices; negaverunt aliqui, hoc ipso tempore, inventa esse Martyrum corpora, & facta miracula. ergo impertinens hic, de eorum cultu disputatio. Respondeo. Ariani aliqui, qui in S. Ambrosium, & omnem veritatem cervicem obstinaverant, qui maximè his miraculis petebantur, de nominibus Martyrum cavillati sunt. nam ita de illis Ambrosius: *Ariani dicunt. Non sunt isti Martyres, nec torquere diabolum possunt, nec aliquem liberare. Cum tormenta dæmonum ipsorum voce probentur & beneficia Martyrum remedio cæcorum & absolutorum judicio declarentur. Negant cæcum illuminatum sed ille, non negat se sanatum. Ille dicit Video, qui non videbam: ille dicit cæcus esse desini, & probat facto. Isti beneficium negant qui factum negare non possunt. Notus homo est, publicis, cum valeret, mancipatus obsequiis; Severus nomine, lanius ministerio, deposuerat officium, postquam inciderat impedimentum. Vocat ad testimonium homines, quorum ante sustentabatur obsequiis: eos judices suæ visionis accersit, quos habebat testes, & arbitros cæcitatis. Clamat, quia ut contigit fimbriam, de veste Martyrum, quâ sacra reliquia vestiuntur, redditum sibi lumen sit, &c.* Ariani ergo, hoc est, factiosi homines, qui veritati, ut Ambrosio, obstrepebant, causabantur nescio quid de reliquiarum & miraculorum veritate: Sed nemo, eò vesaniæ aut impudentiæ erupit, ut aut cultas ab Ambrosio, & Mediolanensibus sanctorum reliquias, aut colendas e[illegible] rit: in quo controversiæ summa consistit. nam aliud est quærere, num hæc Sanctorum Gervasii & Protasii corpora? aliud num sanctorum Martyrum corpora colenda sint? primum est facti, ubi plura fortè in utramque partem dici possunt; aliud est juris, sancitique ab Ecclesiâ ritus; quem ne Ariani quidem controvertunt. nunc historiæ filum resumamus.

Ambros. serm. 91.

SOLVITUR.

VIII. MAXIMUS ITALIAM TERRET.

Iterum Ambrosii causam Deus agit, punitque Justinam, & Valentinianum Augustos; qui fidem orthodoxam, & Ecclesiarum pacem turbabant. Maximus è Galliis superatis Alpibus, Italiæ subitò imminens, bellum excidiumque minatur. *Cujus adventu cognito* (loquitur Theodoretus) *Valentinianus fugit in Illyricum: jam edoctus experientiâ, quid commodi sibi maternum attulisset consilium.* & reverà male cessit Valentiniano, totique Italiæ, Maximi ingressus; nam vastatæ provinciæ, urbes dirutæ, agri deserti, incredibilem civibus calamitatem attulerunt. Quod Siricius Romanus Pontifex animadvertens, & de Italorum fide solicitus; ne externo milite & militari licentia læderetur; ad Maximum scripsit literas, quæsivitque ut Ecclesiæ principem decebat, quam fidem amplecteretur, & ille literas reverentiæ plenas, & fidei suæ orthodoxæ testes rescripsit in hunc modum.

Theodo. l. 5. c. 14.

VICTOR MAXIMUS perpetuus triumphator Augustus, Domino verè sancto Apostolico viro SIRICIO Episcopo, Salutem.

Maximi literæ ad Siricium Papam.

ACCEPIMUS literas sanctitatis tuæ, quæ nobis fuêre gratissimæ; quæque planè, & nomini Sacerdotis, & dignitati Urbis splendidissimæ convenirent. Fidei verò Catholicæ, de quâ clementiam nostram consulere voluisti; quo majus circa me, & speciale judicium divinitatis experior: hoc me confiteor curam habere majorem qui videlicet ad imperium ab ipso etiam salutari fonte conscenderim. & cui in omnibus semper conatibus, atque successibus, Deus fautor affuerit. Cujusque hodie, & ut spero perpetuò, protector & custos esse dignetur, Pater charissime. Cæterùm de Agricio quem indebitè ad Presbyterii gradum conscendisse commemoras, quid religionis nostra Catholica possum præstare reverentius; quàm ut de hoc ipso cujuscemodi esse videatur, Catholici judicent Sacerdotes: quorum conventum ex opportunitate omnium; vel qui intra Gallias, vel qui intra quinque provincias commorantur; in quâ elegerint Urbe constituam. Ut eisdem residentibus & cognoscentibus; quid habeat consuetudo, quid legis sit, judicetur. Hæc enim quæ libris sunt afferenda, & majorum nostrorum religiosissimis constitutis, ipsi possunt melius astruere qui norunt.

IX. Ejus studium pro Fide Catholica.

Cæterùm id nobis animi, & voluntatis esse profitemur; ut fides Catholica, procul omni dissensione summota; concordantibus universis Sacerdotibus, & unanimiter Deo servientibus; illæsa, & inviolabilis perseveret. nam nostri adventus ita inquinata aliqua & sceleratorum labe polluta deprehendit & reperit; ut nisi nostra provisio, atque medicina, quæ ex Dei summi timore veniebant, his opem celeriter attulisset: ingens profectò divulsio, atque perditio fuisset exorta: & vix sananda quoque vitia concrevissent. Cæterùm quid adhuc proximè proditum sit, Manichæos sceleris admittere; non argumentis, neque suspicionibus dubiis, vel incertis; sed ipsorum confessione inter judicia prolatus malo quod ex gestis ipsis tua sanctitas, quam ex nostro ore cognoscat: quia hujuscemodi non modo factu turpia, verùm etiam fœda dictu proloqui, sine rubore non possumus. Manu Imperatoris. Divinitas te servet, per multos annos.

X. Maximus in Britannia baptizatus.

Ita scripsit ad Siricium Maximus, fidem orthodoxam religiosissimè professus. Quam ipsum in Britannia doctum esse, quicquid sit de patria ejus ex his literis colligo. Enimverò qui in Britanniâ factus est Imperator, ut apud omnes in confesso est: quique paulò ante imperium baptizatus est: immò qui disertè scribit se statim ab ipso salutari fonte ad imperium conscendisse; satis insinuant se in Insulâ nostrâ fidei Sacramenta percepisse; atque ita habes Lucii, Constantini, atque aliorum Christianorum Britannorum Regum, quod fidem spectat, hæredem & successorem Maximum.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1139.

ANNUS CHRISTI 388.

SIRICII PAPÆ 4.

MAXIMI IMP. ULT.

I. Theodosius in Occidentem venit contra Maximum. Galla Theodosii uxor.

VERÙM innocens Gratiani sanguis erat expiandus: nec id sine sanguine fieri poterat. Theodosius in Oriente ægre ferebat per tyrannidem occupari imperium Occidentis: & quia Gallam Justinæ filiam, & Valentiniani sororem nuper in uxorem acceperat, anno trecentesimo octogesimo octavo, Theodosio II. & Cynegio Coss. surrexit in vindictam; non quidem temerè, aut inconsultò: Nam Joannem quemdam, professione Monachum, vitæ innocentiâ laudatissimum; quid in summâ re faciendum, consuluit: & ille refert in hostem Maximum eundum esse, & redeundum cum victoriâ. *Ad Joannem in Ægypti Eremo constitutum*, inquit S. Augustinus, *quem Dei servum, prophetandi spiritu præditum, famâ crebrescente didicerat; misit Theodosius, atque ab eo nuntium victoriæ certissimum accepit.* Igitur parato milite, & ad certamen instructo, descendit in Occidentem Theodosius: ubi Maximus erat nichiori ad pugnam apparatu, quam causâ.

August. [illegible]

II. Itaque brevi victus, fugatusque Maximus, tandem captus ad Theodosium Imp[illegible]to [illegible] ctus trahitur: quem cum ille, c[illegible]io dej[illegible]um, purpuraque exutum, misericordi oculo [illegible] platus esset; indignati milites eum a conspectu Theodosii, amoventes necaverunt. *Rapitur ergo*, (ita Pacati panegyricus) *ab oculis; & ne quid legere posset clementiæ, inter innumeros mortes, fertur ad mortem.* Meminit ejus cædis Gildas noster & de loco mortis ita loquitur. *Apud Aquileiam urbem, capite nefando caditur, qui decorata totius orbis capita, regno quodammodo dejecerat.* Inde conqueritur, quod suprà posui, Britanniam omni juventute, & armato milite spoliatam esse; cum ingens manus Maximum in Gallias secuta; nunquam in Insulam pedem retulerit. Unde factum, ut hostium injuriis undique patuerit, cesseritque tandem in prædam Insula. Nec morte Maximi finita tragœdia est. Victor quoque ejus filius, quem Zosimus Cæsarem, Paulus Diaconus Imperatorem factum scribit; Theodosii jussu & Arbogastis opera extinguitur. An hoc anno vel sequenti incertum. Porrò Maximi mors incidit in sextum Kal. Septembris, anni trecentesimi octogesimi octavi. Ninius, cui Gildæ nomen aliquando impositum, ex uno Maximo, duos fecit: & quo differrent, Gratiani interfectorem Maximianum vocat. ut etiam Galfridus Monumetensis, & Chronologia Saxonica.

Pacat. paneg.

[illegible] ex-

Zosi. l. 4. Paul. l. 13. c.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1140.

ANNUS CHRISTI 389.

SIRICII PAPÆ 5.

VALENTINIANI IMP. 1.

I. Valentinianus Britanniæ imperat.

SEQUENTI anno trecentesimo octogesimo nono, Timasio & Promoto Coss. Theodosius Romæ, ob devictum Maximum, & Italiam recuperatam triumphavit, cum Valentiniano, quem in Occidentis imperium restituit: & non Italiam modo quam ante possederat, sed Gallias, & Britanniam quoque, ejus ditioni subdidit. Hic ergo annus, qui imperii ejus fuit decimus quartus, primus fuit imperii in Britannos; nisi velis puerum ipsum, cum Gratiano fratre, juris habuisse ditionem aliquam. Sed qui natus est anno Christi 366. admodum puer adscitus est

imperio:

imperio: ideo eo misso; fratrem potiùs ejus, augustam in Britanniam dominationem obtinuisse dixi.

II. Ejus Fides nunc orthodoxa.

Sed quid? ergo in locum Maximi, orthodoxi principis, & de fide Catholicâ benè meriti, successit Arianus homo, Valentinianus Imperator? Noluit Deus. nam priùs quam ad imperium postliminio rediit; Justina mater, quæ ipsum seduxerat, in vivis esse desierat: & Theodosius illum, ab Arianâ perfidiâ, multo argumento, ad Catholicæ Ecclesiæ gremium reduxerat. testatur hoc Suidas ita de Valentiniano scribens. *Cum autem venisset ad Theodosium, in rectâ fide est institutus. Dicebat enim ei Theodosius, Imperatoriam aciem stare, non armis, sed justis causis. &, novi, inquit, Valentiniane, religiosissimos principes, quiescente exercitu victoriam obtinuisse: & hostes subactos, tributarios esse factos, periculo antegresso. Sic & Constantinus Magnus erectus, Licinium tyrannum naufragio trucidavit. Sic etiam Valentinianus, pater tuus, felicius imperium, & ab hostibus illæsum, gubernavit: Deo eum defendente, innumerabilibus prælus victor; multis & diversis barbaris sublatis. Valens verò patruus tuus, Deum divellens, inquinavit Ecclesiam homio presanus, cæde Sanctorum, & Sacerdotum relegatione. ...maq; providentiâ, a Gottlus oppugnatus, consi... ravit. Rectè Christum colit is, qui non immerito te ejecit: incredulitas tua Maximo facultatem dedit. Si Christum non videmus, quomodo invocabimus pugnaturi? hæc & plura etiam his admonens a Theodosio Valentinianus ad fidem rectam adductus est.* Hæc Suidas de Valentiniano.

Suidas V. Valentin. junior.

III. Factum igitur, magno Dei beneficio, ut junior hic Imperator Valentinianus, orthodoxus esset, priusquam Britanniæ imperaret. Cæterum in eâdem quoque religione & perseverasse in posterum, & tandem mortuum esse, S. Ambrosius testari videtur.

IV. S. Monica petit post mortem suffragia.

Hoc eodem anno, Augustinus, nuper baptizatus, dum in Africam trajicere parat, Monicæ matris morientis oculos clausit, ad Ostia Tiberina: cujus postrema verba fuerunt: *Rogo vos*, inquit, *ut ad altare Domini memineritis mei, ubi fueritis.* Intellexit Augustinus pientissimæ parentis mentem, pro se mortua, preces & suffragia postulantis. Nam alibi hæc habet. *Imminente die resolutionis suæ; non cogitavit suum corpus sumptuosè contegi, &c. sed tantummodò memoriam sui ad altare tuum fieri desideravit; cui nullius diei prætermissione servierat: unde sciret dispensari victimam sanctam; quâ deletum est chirographum, quod erat contrarium nobis, quâ triumphatus est hostis, &c.* incruentum Missæ Sacrificium intelligit: quod postulabat mater, credebat Augustinus, & usurpabat Ecclesia: quo mortuorum animæ in refrigerio essent: & est hodie orthodoxæ fidei nobilis tessera.

August. confess. l. 9. c. 10. Aug. suprà c. 13.

Missæ Sacrificium.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1141.

ANNUS CHRISTI 390.

SIRICII PAPÆ 6.

VALENTINIANI IMP. 2.

I. Jovinianus hæreticus.

Anno Christi trecentesimo nonagesimo, Valentiniano quartum & Neoterio Coss. Jovinianus, olim Monachus, doctusque in Christo pauperiem pati; docuit Lutherum cucullum ponere, carnem sequi, nec illam ampliùs odio habere. Quoniam verò Siricius Papa illum hoc anno hæreticum dixit; videndum, quid peccaverit. De eo ita S. Hieronymus. *Proponam breviter adversarii sententias; & de tenebrosis libris ejus, quasi de foveis, serpentes protraham; neque sinam venenosum caput spiris maculosi corporis protegi. Pateat quod noxium est; ut possit conteri, cum patuerit. Dicit virgines, viduas, & maritatas, quæ semel in Christo lotæ sunt; si non discrepent cæteris operibus; ejusdem esse meriti: nititur approbare eos, qui plenâ fide, in baptismate, renati sunt; à diabolo non posse subverti. Tertium proponit, inter abstinentiam ciborum, & cum gratiarum actione perceptionem eorum, nullam esse distantiam. Hæc sunt sibila serpentis antiqui, his consiliis draco de paradiso hominem expulit.* Hæc Hieronymus, & nónne Calvinistam egregiè agit Jovinianus: vel potiùs ad unguem secutus est Jovinianum Calvinus? *Completum est in eis*, inquit Hieronymus, *verissimum illud proverbium. Canis reversus est ad vomitum suum; & sus lota in volutabro luti.* denique manifestiùs eos denotat Petrus Apostolus, dicens. *Venient in novissimis diebus illusores seducentes, juxta propria desideria ambulantes, &c.* Augustinus etiam, cùm hanc Joviniani hæresim recitasset, ait: *Huic monstro sancta Ecclesia fidelissimè & fortissimè restitit.*

Hieron. cont. Iovin. l. 2.

Errores eius.

Hieron. l. 1. cont. Iovin.

2. Petri 3.

Aug. 2. l. Retract. c. 22.

II. Cur hæreses permittit Deus?

Sed quid? ergo primæ quoque ætates monstra fidei habuerunt, modernis similia? Ita est: oportet hæreses esse: & in agro Dominico lolia quandoque sinuntur crescere; sive ad vitii cautionem, sive ad virtutis exercitium. Sed boni cultoris est noxia distinguere, ne innoxia vitientur: & ita fecit totius agri præfectus, Siricius Papa, qui hoc anno summi pastoris officium præstans, & solicitudinem omnium Ecclesiarum; ita scripsit ad Mediolanensem Ecclesiam.

III. Litteræ Siricii Papæ contra Jovinianum.

Optarem semper, fratres charissimi, dilectionis & pacis vestræ sinceritatis gaudia nuntiare: ita ut vicissim discurrentibus literis sospitatis vestræ juvaremur judicio. Nunquam patitur nos quietos ab incursione suâ vacare hostis antiquus; ab initio mendax, inimicus veritatis, æmulus hominis; quem ut deciperet, se ante decepit. Pudicitiæ adversarius, luxuriæ magister, crudelitatibus pascitur, abstinentiâ punitur; odit jejunia, ministris suis prædicantibus eadem dicit esse superflua, &c. & infrà. *Isti non habentes vestem nuptialem, sauciantes Catholicos, novi ac veteris testamenti continentiam pervertentes, illecebroso atque ficto sermone, aliquot Christianos ceperant jam vastare; atque suæ dementiæ sociare, intra se continentes nequitiæ suæ virus; præferentes se tanquam electi: blasphemias tamen suas, conscriptione temerariâ, publicarunt; & desperatæ mentis furore concitati, passim, in favorem gentilium, se prodiderunt. Verùm à fidelibus Christianis, viris genere optimis, religione præclaris; ad meam humilitatem subitò scripturâ horrificâ videntur esse delati; ut Sacerdotali judicio detecti, divinæ legi docere contraria, spiritali sententiâ deleantur.*

IV. Nuptiæ et virginitas, cuius meriti.

Nos sanè nuptiarum vota non aspernanter accipimus; quibus velamine interfuimus; sed virginum nuptias devotas majore honorificentiâ honoramus. Facto igitur Presbyterio, constitit doctrinæ nostræ, id est, Christianæ legi esse contraria: unde Apostoli secuti præceptum, quia aliter, quam quod accepimus, annunciabant; omnium nostrum tam Presbyterorum & Diaconorum, quam totius etiam Cleri, una lata fuit sententia: ut Jovinianus, Auxentius, Genialis,

Ad Galat. 1.

* Frontinus.

*Germinator, Felix, * Pontinus Martianus, Iannarius, & Ingeniosus, qui incentores novæ hæresis, & blasphemiæ invenit: sunt; divinâ sententiâ, & nostro judicio in perpetuum damnati, extra Ecclesiam remanerent: quod custodituram sanctitatem vestram non ambigens, hæc scripta direxi, per fratres & Presbyteros meos Crescentem, Leopardum, & Alexandrum; qui religiosum officium fidei, spiritu possint adimplere ferventes.* ita ad Ambrosium Siricius.

V. Ambrosius Jovinianum etiam condemnat. *Ambros. ep. 51.*

Porro Ambrosius non solùm ipse, Romani Pontificis sententiam integerimè amplexatus est; sed coacta statim Synodo, eandem ab universis Patribus fecit confirmari: atque ita demum, ad Siricium rescripsit. *Domino dilectissimo, fratri Siricio Papæ Ambrosius Episcopus, Bassianus Episcopus, & cæteri. Recognovimus literis sanctitatis tuæ, boni pastoris excubias; qui fideliter commissam tibi januam serves; & piâ solicitudine Christi ovile custodias. Dignus, quem oves Domini audiant & sequantur*, &c. Ubi scitè Romanum Pontificem, magnus doctor appellat vigilem, dignumque excubitorem; cui janua Ecclesiæ ovilis Christi commissa sit; quia nimirum ei commissæ sunt claves regni cælorum, & admittere potest & emittere; *qui autem non intrat per ostium hoc, sed ascendit aliunde; hic fur est & latro.* Quod advertere debent illi, qui janitoris hujus & clavigeri imperium negant. Sed pergit Ambrosius. *Et ideo quia nosti oviculas Christi, lupos facilè deprehendes: & occurres quasi providus pastor; ne isti morsibus perfidiæ suæ, feralique ululatu Dominicum ovile dispergant. Laudamus hoc, Domine frater, nobis dilectissime, & toto concelebramus affectu. Nec miramur si luporum rabiem grex Domini perhorruerit, in quibus Christi vocem non recognovit. Agrestis enim ululatus est, nullam virginitatis gratiam, nullum castitatis ordinem servare, promiscuè omnia velle confundere, diversorum gradus abrogare meritorum, & paupertatem quandam cælestium remunerationum inducere*, &c. plura habet in eandem sententiam, quæ tam sectarios nostros ventri & abdomini servientes, qui nullum castitati præmium agnoscunt; quam Jovinianum pungunt, & asseclas ejus.

Ioan. 10.

Meritorum differentia.

VI. Jovinianus ubique condemnatur.

Sed quid plura? apud Magistrum atque Doctorem (pergit Mediolanensis Synodus) *cum jam dignum præmium retulerint illi perfidiæ suæ: qui ideo huc venerunt, ne superesset locus, in quo non damnarentur. Omnes qui illos viderunt; quasi quædam contagia refugerunt. Sicut testes sunt fratres, & Compresbyteri nostri, Crescens, Leopardus, Alexander, sancto ferventes spiritu; qui eos omnium execratione damnatos, Mediolanensi ex urbe, quasi profugos repulerunt. Itaque Iovinianum, Auxentium, Germinatorem, Felicem, Frontinum, Genialem, Martianum, Ianuarium, & Ingeniosum. quos sanctitas tua damnavit; scias apud nos quoque, secundum judicium tuum, esse damnatos. Incolumem te, & florentissimum, Deus noster tueatur omnipotens, Domine dilectissime frater.* Sequuntur Episcoporum subscriptiones, & ipsius imprimis Ambrosii; qui Joviniani dogmata; quæ nuper sectarii ab inferis revocarunt; gravissimâ sententiâ, condemnaverunt. Cæterùm quod ad Insulam nostram spectat, adeo virginitas in pretio fuit, & culta à Britannis: tot etiam fuerunt castitatis seminaria, tanta jejuniorum frequentia, toties fundata monasteria; ut Joviniani perfidia, provinciam nunquam pervasisse videatur; donec ultima hæc ætas à majorum fide deviavit, nimiùm immersa carni.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1142.

ANNUS CHRISTI 391.

SIRICII PAPÆ 7.

VALENTINIANI IMP. 3.

Armoricam Britannus inhabitat. *Gildas in Excid.*

Britannus miles, qui olim secutus est, Imperatorem Maximum: & Gilda teste, *comitatus vestigia supradicti tyranni domum nusquam ultra redut*: sub hoc tempore, & annum Domini 391. Tatiano & Symmacho Coss. Armoricam occupasse provinciam, ibique sedem fixisse dicitur. errasse certè videntur illi, qui ad primum Maximi imperantis annum, novum ibi regnum emersisse præproperè nimis crediderunt: cum longè probabilius sit, Britannum militem, ante Imperatoris mortem feriari, imperio necdum stabilito, minimè potuisse. Unde, qui Conanum ibi Reges, & Grallonem ejus successorem, ante hæc tempora consignarunt: vel minorum gentium Reges intelligere debent, vel impingunt. Valentinianus enim, Theodosii operâ, in omne Galliarum imperium successerat. Hoc tamen non obstante, potuêre Britanni, rebus in Gallia compositis, in Armorica quiescere; & paulatim ibi in gentem, nomen surgere, ut infrà. Interim Theodredus Londinensis Episcopus, vita officioque functus, Hilario sedem officiumque reliquisse putatur.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1143.

ANNUS CHRISTI 392.

SIRICII PAPÆ 8.

VALENTINIANI IMP. 4.

Valentinianus moritur.

Anno Christi trecentesimo nonagesimo secundo; Valentinianus Imperator agebat in Galliis, Arcadio Augusto secundùm, & Ruffino Coss. quando profecturus cum exercitu adversus barbaros, in Italiam irrumpentes; subitò extinctus est, proditorum appetitus insidiis. Baptismum ante petiverat à S. Ambrosio sibi ministrari; sed ipso adhuc in itinere constituto, moritur Imperator, fraude Arbogastis Comitis, de quo S. Hieronymus; *adolescens Valentinianus, & penè puer, post fugam, post exilia, post recuperatum multo sanguine Imperium, haud procul ab urbe, fraternæ mortis conscia, necatus est: & cadaver exanime suspendio infamatum.* Vide quæ suprà dixi de eo, quæ hic non repeto. Elato eo, tyrannidem assumpsit Eugenius quidam, ignobilis; Christianus in specie, reverà gentilitiæ superstitionis sectator, quem, post annum sequentem, Theodosius, justâ acie victum, è medio sustulit.

Hieron. ep. 3.

An. 384. n. 25.

Eugenius tyrannus.

ANNUS

ANNUS URBIS CONDITÆ 1144.

ANNUS CHRISTI 393.

SIRICII PAPÆ 9.

THEODOSII IMP. 1.

I. SCOTI BRITANNIAM VEXANT.

ANNUS Christi trecentesimus nonagesimus tertius, Consules habuit Theodosium tertio, & Abundantium: quando turbatis rebus in Galliâ, Britannia quoque calamitati accessit. Ibi Eugenius firmare sibi imperium; hic Septentrionalis populus pomerium suum dilatare nitebatur, Florentius Wigorniensis, cùm Theodosio adjunxisset Abundantium Consulem, mox addit: *Scoti à Circio, & Picti ab Aquilone, vastant Insulam Britanniam.* nimirum consignat tempus annumque miseriæ illius, quam Gildas ita explicat, mortuo Maximo. *Exinde Britannia, omnis belli usu penitus ignara; duabus primùm gentibus transmarinis vehementer sævis, Scotorum à Circio, Pictorum ab Aquilone calcabilis, multos stupet, gemitque annos.* Distractis itaque Romani imperii viribus, occasione usi Caledonii, in Britannorum fines irrumpunt; & Romanam provinciam, novis incursibus, & latrocinius vexant. Sed cur Caledonios voco, quos Gildas suprà duas gentes transmarinas appellavit? Qua voce non videntur intelligi, quos hactenus descripsi Pictos, & Caledonios; nam utrumque populum, non advenam, aut adscititium, sed vernaculum feci. Hic autem tam Picti, quàm Scoti transmarini vocantur. unde corruere videtur omne illud, quod suprà posui de Pictorum origine.

Floren. ad an. 391.

Gild. in Excid.

OBJECTIO DE PICTIS.

II. SOLVITUR.

Sed adhuc nihil consto; aioque, Gildam, per *gentes transmarinas*, eum populum intelligere, qui intra eandem Insulam, ad Septentrionem, & Occidentalem ibi Oceanum, trans duos maris sinus porrigebatur; & ita Gildam intellexit Beda, qui cùm supradictum locum exscripsisset ita loquitur. *Transmarinas autem dicimus has gentes, non quod extra Britanniam essent positæ, sed quia à parte Britonum erant remotæ, duobus Sinibus maris interjacentibus quorum unus ab Orientali mari, alter ab Occidentali, Britanniæ terras longè lateque irrumpit: quamvis ad se invicem pertingere non possit.* E quibus verbis Scotorum & Pictorum sedes apertè colligitur. Picti enim ad Septentrionem erant. Scoti ad Occidentem, & Virgivium mare; quibus duo maris Sinus Glotta & Bodotria, à Britannis distinguebant. Per Circium Gildas, ut Beda explicat, Occidentalem plagam, potiùs quàm austrinam, intellexit. & ita sentire videtur Ethelwerdus Saxo, & antiquus Author, sic hanc rem scribens. *Habitante plebe Britannicâ, incuriosè, causa infirmitatis, intra fossam, quæ à Severo Cæsare, condita erat: insurrexerunt gentes duæ, Picti scilicet ab Aquilonali plagâ, & Scoti ab Occidentali, contra eos, cum exercitu, vastantes eorum possessiones: & sic per multa annorum spatia, innumerabili eos miseriâ afflixerunt.* Hinc collige; necdum Scotos, fuisse sedem ad Septentrionem Britanniæ, quem postea insederunt. Iterum collige Dalreudinam factionem, quæ anno 360. in Britanniam venerat; & quæ anno 379. Maximo pugnante, redire coacta est; iterum hoc anno Insulam infestasse. utrumque Gildas innuit, dicens: *Sub hæc tempora Scotos à Circio transmarinam gentem Britannias vastasse.* Fortè tamen intelligit Scotorum ex Hibernia reditum. cùm Insula illa ad Britanniæ Occidentem, sita, australior est. Hoc Claudiani versus, mox ponendi significant: cùm Hiberniam nominat, & infesto spumantem remige Tethin.

Bed. l. 1. c. 12.

Ethelwerdus l. 1.

III. STILICO PICTOS PREMIT.

Qui horum inimicum impetum sustinerent; Romani tandem, vel statim acciti, vel dudum ibi collocati, accesserunt, duce Stilicone: qui Romanæ rei in Britanniâ hoc tempore præfuisse putatur. Ille Pictos Scotosque incursantes submovit, munivit Insulam & provinciales ab hostili impetu tutos reddidit. hanc laudem meritus, vel à Claudiano Poeta, vel ejus sensu, ab hac Insula:

Claudian paneg. … laud. … co.

Me quoque vicinis pereuntem gentibus, inquit,
Munivit Stilico. totam cum Scotus Iherniem
Movit; & infesto spumavit remige Tethys
Illius effectum curis, ne bella timerent
Scotica, nec Pictum tremerem; ne littore toto
Prospicerem dubiis venientem Saxona ventis.

Cæterùm Stilico, hac expeditione, plures occidisse videtur. teste eodem Claudiano, qui ait:

Scotorum tumulos flevit Glacialis Hiberne.

Saltem tutior, & ab inimico impetu securior facta est Insula. unde idem Poëta l. 2. in Eutropium, ita dixit:

Domito quod Saxone Tethys
Mitior, aut fracto secura Britannia Picto.

Munivit etiam Stilico Insulam, Romanâ legione ad limitem constitutâ, quæ Scotos Pictosque propulsaret. cujus Claudianus meminit in epithalamio Palladii & Celerinæ; de Celerinæ patre, qui sub Stilicone rempublicam procurasse videtur, ita scribens:

Sparsas imperii vires constringit in unum
Depositum: quæ Sarmaticis custodia ripis,
Quæ sævis objecta Getis, quæ Saxona frenat,
Vel Scotum Legio: quanta cinxere cohortes
Oceanum!

IV.

Quod ad tempus spectat liberatæ, munitæque Insulæ; ideo ad hunc annum referendum est; quia Theodosii Augusti auspiciis pugnatum. unde etiam colligo, Eugenio tyranno, qui hoc anno Gallias obtinebat, Britanniam nunquam serviisse. & Pomponius Lætus, in vita Theodosii, Britanniam ab eo Romæ restitutam scribit. *Hic*, inquit, *prius auspiciis, atque armis paternis assertâ Lybiâ & attrita bellicosa gente Germanorum, suaque virtute, toti Orienti pace datâ; postremo subactis ardentissimis Gallis, non omissâ Britannia, parenti gentium urbi Romæ Italiæque, victrices Aquilas reportavit.*

BRITANNIA ROMÆ RESTITUTA. Pompo Lætus in Theodosio.

V. THEODOSIUS IN EUGENIUM ARMATUR. Gordon. hic. Ruffin. l. 2. c. 32. PIETATE.

Non diu mansit in Insulâ Stilico: nam hoc eodem anno Theodosius Imperator, bellum apparans contra Eugenium, illum belli ducem delegit; ut habet Gordonius. Quam piè se ad bellum præparaverit Theodosius jam Britanniæ Imperator, Ruffinus ita declarat. *Igitur præparatur ad bellum, non tam armorum, telorumque, quam jejuniorum orationumque subsidiis · nec tam excubiarum vigiliis, quam obsecrationum pernoctatione munitus, circuibat cum Sacerdotibus, ut populo, omnia orationum loca; ante Martyrum & Apostolorum thecas jacebat, cilicio prostratus, & auxilium sibi fidâ Sanctorum intercessione poscebat.* Ita ille. quæ cum Constantinopoli facta sint, cogita Theodosium ante duodecim Constantini cappas supplicem.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1145.

ANNUS CHRISTI 394.

SIRICII PAPÆ 10.

THEODOSII IMP. 2.

I. Eugenius superatur.

Cum Theodosius Imperator, superiori anno, Honorium filium Augustum declarasset; hoc anno trecentesimo nonagesimo quarto, Arcadio Augusto II. & Ruffino Coss. in Eugenium pugnavit, felicissimo eventu. nam cruce, ut Constantinus olim, munitus, tyrannum insigni victoriâ sustulit: Quo etiam tempore, Ninianus noster, de quo suprà, à Siricio Papa, consecratus Episcopus, jubetur in Insulam redire, & Pictos, Romanæ Ecclesiæ fideique subjugare. De eo ita legitur in vita ejus.

An. 370. 1. Ninianus consecratur Episcopus.

Audiens igitur Pontifex Romanus, quosdam in occiduis Britanniæ partibus, necdum fidem Christi suscepisse; ad Episcopatus gradum Ninianum consecravit: & præmissa genti, datâ benedictione, Apostolum destinavit. Occiduæ Britanniæ partes hîc dicuntur, respectu aliorum Pictorum, qui ad Septentrionem sedebant, & ad quos Ninianus missionem non accepit. nam ut * suprà monui è Beda, Pictorum aliqui Australes erant, alii Boreales. Ad Australes ergo (qui Britannorum juris erant, ut probat Usserius) Ninianus mittitur, à Romanâ Sede Apostolus: & quem olim Damasus in Urbem venientem excepit, nunc Damasi successor Siricius, Episcopum consecravit. Superest ut quid, Româ rediens, Ninianus fecerit, videamus: nam Sanctorum vestigia, cùm possint, legenda sunt, & sequenda, eorum præsertim qui nobis primi, vel inter primos fidem porrexerunt. ita pergit Capgravius, è Joanne Tinmutensi.

II. Capgrav. in Niniano. Ad Pictos mittitur. * An. 370. 5. Usser. folio 661.

III. Divertit ad S. Martinum.

Rediens vir Dei ab urbe, actus desiderio videndi S. Martinum Episcopum, ad civitatem Turonensem, iter divertit; quem S. Martinus honorificè suscipiens, eum à Deo sanctificatum, & multorum saluti profuturum, Deo revelante, cognovit. Sunt qui Martinum Turonensem Niniani hujus avunculum faciunt: ita Hector Boetius, Broughtonus, & alii; sed hoc satis incertum. *Licentiatus demum ab eo, Ninianus* (pergit Author vitæ) *cum ad locum legationis venisset magnus populorum fit concursus; ingens cunctis lætitia, mira, devotio, laus quoque ubique resonat Christi; quoniam sicut prophetam eum habebant. Cœpit mox male plantata evellere, male collecta dispergere, malè ædificata destruere. Purgatis ab omni errore fidelium mentibus; omnia quæ fidelibus agenda, verbo docuit, operibus & exemplo monstravit, & multis miraculis confirmavit. Elegit autem sibi sedem in loco, qui nunc VViterna dicitur in litore maris ipso pelago clauditur, à parte tantum aquilonari, via, ingredi volentibus, aperitur.* Est hic locus in Novantibus, quem hodie Gallovidiam vocant: & fortè ille ipse, quem Ptolomæus leucopibiam appellavit. nam posteriùs Saxones ab albedine, Witernam, Latini, cum Beda, Candidam Casam reddiderunt: ubi teste Camdeno, Theodosii junioris tempore, Episcopalem sedem Ninianus erexit. Unde ad hæc potius tempora, non ad priora, ut quidam faciunt, referimus; & Pictorum australium conversionem, & novæ sedis institutionem. licet autem hic Theodosius non junior, sed respectu alterius Augusti, senior censeatur Beda tamen l. 1. c. 10. Theodosium hunc juniorem vocat, & ita intelligi debet Camdenus. nunc ergo, ut scripsit Beda: *Australes Picti, relicto errore idololatriæ; fidem veritatis acceperunt, prædicante eis verbum Ninia Episcopo reverendissimo, & sanctissimo viro, de natione Britonum, qui erat Romæ regulariter fidem & mysteria veritatis edoctus.* Hunc Niniam, Ninianum modo vocamus.

Hector Boet. l. 7. Brought. ætat. 4. c. 22.

Episcopi Sedes Candida Casa.

Camden. in Novantib.

Broughton. æta. 4. c. 23 n. 7.

Beda l. 1. c. 4.

IV. Pictorum Australium conversio. Capgrav. in Ninia.

Quis fuerit prædicationis effectus; quis inquam fructus, à Niniano collectus; totius provinciæ ad Christum conversio, multorum ibi templorum erectio, & Cleri in parochias distinctio, significant: quod ita breviter in Actis exprimitur. *Sanctus Ninianus Australes Pictos, quibus adhuc error gentilis inhærens, idola venerari ac colere compellebat, aggrediens, Evangelii veritatem sequentibus signis prædicabat. Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur surdi audiunt, mortui resurgunt, oppressi à dæmonibus liberantur, sicq; fides suscipitur, error abdicatur, destructis templis, Ecclesiæ eriguntur; currunt ad salutis lavacrum divites, & pauperes; gratias agunt in Insulis quæ procul sunt habitantes. ordinavit Presbyteros, Episcopos consecravit, & totam terram per certas parochias divisit, confirmatis in fide omnibus.* Plùres annos in evangelicâ messe laborasse sanctum Ninianum, colligitur ex morte ejus, quam in trigesimum secundum sequentis sæculi annum incidisse putamus. ut ibi dicam. De Candidâ Casâ plura ulterius, ubi locum intra Romani imperii limitem fuisse, atque ita Britannorum non Scotorum juris ostendam.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1146.

ANNUS CHRISTI 395.

SIRICII PAPÆ 11.

THEODOSII IMP. 3.

I. S. Regulus venit in Britanniam. Isdo hic Usser. fo. 645. &c.

Si quærat curiosus Lector, quam fidem australes Picti, à Niniano didicerint; non aliud responderi potest, quàm eandem ipsum, quam Roma acceperat, porrexisse. Et hanc, sequenti anno, nimirum Christi trecentesimo nonagesimo quinto, Theodosio tertium, & Abundantio Coss. S. Regulus confirmavit; qui ex Achaiâ in Britanniam veniens, sacras Andreæ Apostoli reliquias, secum asportavit, in Ecclesiis nuper erectis, deponendas. Præerat provinciæ Pictorum Hergustus quidam, (Hungum alii vocant) quem Ninianus superiori anno baptizaverat. Ille ad novum nuntium lætus, benignè Regulum; & religiosè Andreæ sancti cineres veneratus est. Quod ad tempus spectat, accidisse adventum S. Reguli, uno alteróve anno post Valentiniani mortem affirmat Holinshedus: quod cum Pictorum conversione optimè convenit. Cæterùm non casu, sed divino monitu, Regulum in Britanniam cum reliquiis appulisse tradunt Authores; quorum unus ita loquitur de S. Regulo.

Hergustus Rex Pictorum.

Holinsh. in Scotia fo. 87.

II. Hector Boet. l. 6. Sacras Andreæ reliquias pie veneratur.

Cum sacras ad scriniolum ageret vigilias; supernè monitus est; ut accepto sacrati brachii osse, tribus digitis, totidemq; alterius pedis articulis, ac in vasculum decenter repositis, Albionem Insulam in extremo orbis recessu sitam, peteret: futurum enim, ut illic aliquando populus, piâ veneratione, in Divum Andream ductus, Dei benevolentia, & terrena, & cælestia, ejus suffragio assequeretur charismata. Ita ibi, &

gratissimum

graciſſimum fuiſſe novi hoſpitis adventum, ... que ista ſignificant: *Cujus rei fama per Pictorum regiones delata, multorum animos, ad videndas venerandasq; ſacras Apostoli reliquias, accendit. Confluxerunt ergo illuc undique donaria Christi Apostolo perſolvere parantes. Affuit & Hergustus Rex eorum quæ fama ad eum detulerat, viſendi cupidus. Venientem ad ſe Regulus cum ſociis, pro apparatu, cum Sacerdotum, ac Monachorum religioſâ deductione, in hymnis & canticis excepit. Rex humi procumbens ſacras reliquias, multâ veneratione, oſculatus. ubi ſacra, Christiano more cujus ipſe Hergustus erat obſervantiſſimus, erant peracta; Regium palatium, amplis structuris ornatum, Divo Andreæ, Regulo ac Sacerdotibus ibidem deinceps Deo optimo maximo famulaturis, liberè erogavit: struxit & haud procul à palatio ſacram ædem Divo Apostolo dicatam.*

Palatium donat S. Andreæ.

III. Sancti Andreæ oppidum. Ungus Pictorum Rex.

Hic eſt locus ille, ubi ſequentibus ſæculis, Scotiæ Archiepiſcopi, & primates ſedem habuerunt: quem antiqui, teſte Camdeno, Reg... vocaverunt, quaſi Reguli montem. ubi Ungus Pictorum Rex principem Eccleſiam ſui regni erexit. Certè hodie in argumentum antiquæ fidei & prædictæ historiæ, metropolis illa à S. Andrea nomen retinens, Andreopolis, ceu fanum Reguli appellatur, quam ita deſcripſit Poeta.

Apud Camdenum in Scotia.

Immunet Oceano, partibus deſcripta viarum
Limitibus, pinguis quam bene ſepta ſolo?
Magnificis opibus ſtaret dum gloria priſca
Pontificum; hic fulſit Pontificalis apex.
Muſarum oſtentat ſurrecta palatia cœlo
Delicias hominum, deliciasq; Deûm.
Hic nemus umbriferum Phœbi, Nymphæq; ſorores,
Candida quas inter præſidet Urania.
Quæ me longinquis redeuntem Teutonis oris
Suſcipit, excelſo collocat inq; gradu.
Urbs nimium felix, Muſarum ſi bona noſſet
Munera, ... atheres regna beata Dei.
Pelle malas peſtes urbe, & quæ noxia Muſis
Alme Deus cecant Pax. Pist.u.q; final.

IV. Utinam Pax, Pietas, & fides illa, coirent; qua primum fundata hæc ædes, quâ crevit in tectum, & denique qua in Reguli, vel Andreæ nomen conceſſit. Sed gloriatur hæc ætas antiquis nominibus; & ſi fidem ſpectes aut ritus, nova placent omnia. Hæc Pictorum regio, ſive Nitianum audiat, ſive Regulum ſequatur, ſtupere poterit, ad hujuſce ſæculi inconſtantiam, quæ obſtinatè nimis in omnem Sanctorum cultum, & omne Epiſcopi nomen pugnat, impetu à primis ſanctiſque ſæculis, differente. Non ſum neſcius hanc de Regulo historiam, quæ diverſè à diverſis narratur, in dubium vocari ab aliquibus, ſed quia Sanctos & Sanctorum reliquias averſantur; nihil mirum ſi patienter ... non poſſint eorundem mentionem. n... Bonifacium eo nomine VIII. ad Regem Angliæ Edwardum I. ita ſcripſiſſe: *Noſcere poteſt Regia celſitudo, qualiter regnum ipſum Scotiæ per B. Andreæ Apostoli venerandas reliquias, non ſine ſuperni Numinis, grandi dono acquiſitum & converſum extitit, ad fidei Catholicæ unitatem.* Ita refert Weſtmonaſterienſis ad annum Christi 13..1.

Uſſeri. c. 15. fo. 648.

Apud Weſtmo. an. 1301.

V. Quicquid hactenus de Pictorum converſione dixi, è S. Hieronymo videtur confirmari, qui de horum temporum fide ita ſcribit. *Ab India*, inquit, *uſque ad Britanniam, à rigidâ Septentrionis plagâ, uſque ad fervores Athlantici Oceani; jam innumerabiles populi, & tantarum gentium multitudines, quam variæ linguæ habitu, tam veſtibus & armis, piſcium ritu ac locuſtarum, & velut muſcæ, & culices, conterebantur (abſque notitiâ enim ſui Creatoris, omnis homo pecus eſt) nunc verò paſſionem Christi, & reſurrectionem ejus, cunctarum gentium, & voces, & literæ ſonant. Beſſorum feritas, & pellitorum turba populorum; qui mortuorum quondam ... in homines immolabant; ſtridorem ſuum, in dulce crucis fregerunt melos. & totius mundi una vox, Christus eſt.* Et Christus, ſine dubio ſacrificio celebatur, apud Pictos, eo modo, quem ſuprà in Conſtantino deſcripſimus. nam de Hergusto Principe legimus, quod ſacrificii apparatum omnem, pro Regulo inſtruxerit. cùm enim ſupradictam Andreæ ædem abſolviſſet: *Ornavit illam donariis ampliſſimis*, inquit Author ſuprà, *pateris, ſcyphis, calicibus, pelvibus, lavacris, ex argento, auroq;, ac aliâ pretioſâ ſupellectili, in ſacrorum uſum quæſita, Sacerdotibus, ad divina perpetuo exequenda, ibidem conſtitutis.*

Hieron. ep. 9.

Pictorum converſio-nis meminit S. Hieronymus.

Sacrificium apud Pictos.

Hector Boet. l. 6.

VI. Sacerdotes Culdei.

Sacerdotes ibi ad divina exequenda conſtituti, illi fuerunt, qui ſe totos Deo mancipantes, omnes mundi illecebras penitùs abſciderunt. Quos Picti Culdeos, quaſi Dei cultores, antonomaſticè vocaverunt. Horum aliqui; cum Regulo, in Britanniam venerant: nam ipſe in Achaia, *multorum vera pietati addictorum pater fuit, & præceptor* alii è Pictis, Britannisque accesſerant, *vitamq; ſolitariam tantâ ſanctitatis opinione apud omnes vixerunt*, inquit Buchananus; *ut vitâ functorum cellæ, in templa commutarentur: ex eoq; conſuetudo manſit apud poſteros; ut priſci Scoti templa cellas vocent. Hoc genus Monachorum Culdeos appellabant. manſitq; nomen & inſtitutum, donec Monachorum genus recentius eos expulit.* Ita ille, in hoc factioſius, quod Monachos inter ſe committat, putetque recentiùs natos, cum antiquis non conſiſtere. Sed cùm ipſe fateatur, antiquos hos Culdeos, Reguli ſocios, Deum ſacrificio, & Sanctos, eorum reliquias, pio cultu veneratos eſſe, nullam certè in fide differentiam, inter primos & ultimos Monaſtici inſtituti profeſſores, ſtatuere poteſt. Culdeos itaque non recentes Monachi, ſed ſoli apoſtatæ expulerunt, qui in ſacrificium, in Sanctos, & omne Monachorum genus, apertiſſimè bellum indixerunt. Verùm ſi de Culdeorum primâ origine loqui volumus, ac eorum progreſſu ſuprà diximus; illos in Diocletiani perſecutione, cùm Albanus in vincula conjectus eſt, è Britannia ſeceſſiſſe in loca tutiora: eo ferè modo; quo Joſephus ab Arimathia, Ro... pulſus, latere voluit in Britanniâ. & quia ſoli Deo vacare ſtatuerant, non malè Colidei, & inde vitio temporis, Culdei dicebantur. & quoniam primis ſæculis, quotquot ſe Deo conſecrabant, à S. Dionyſio & Græcis historicis θεραπευταὶ, ab aliis μοναχοὶ vocabantur; hinc non malè à ſolitudine, Monachi appellari poſſunt; ut olim etiam in primitivâ Eccleſiâ, Clerici omnes religioſi, & regulares cenſebantur; qui tractu temporis vitæ rationem laxaverunt. Ita factum in Culdeis nam qui à Giraldo Cambrenſi in itinerario Cambriæ, religioſiſſimi Monachi appellantur, cælibes & Colidei; iidem nuperiùs, non in novi inſtituti Monachos, ut Buchananus ſomniat; ſed in Presbyteros ſæculares deſiiſſe videntur præſertim in Hibernia, à ſæculo decimo-quinto. Tunc enim Nicolaus quintus reſcripſit ita *Quod prioratus Collegii ſæcularium Presbyterorum Colideorum, vulgariter nuncupatorum, Armachanenſium*,

Buchana. rerum Scot l. 4. in Fincomano.

An. 286. 43.

Dionyſ. de Eccle. Hierar. c. 6.

Girald. l. 2 c. 6 Itin. Cam.

Apud ... in prim. Br. Eccl. fo. 6.

simplex officium & sine cura ex stat. Datum Romæ an. 1447. Hæc dicta sunto occasione S. Reguli, quem piè mortuum Anglicani fasti inter Sanctos numerant ad 28. Augusti. ubi mortis annus non benè ponitur ad Christi annum 380.

VII. Moritur Theodosius Imperator. * *S. Ambr. de obit. Theod.*

Moritur hoc anno Mediolani Theodosius Imperator, & pro ejus anima oratum a S. Ambrosio, * *assistente sacris altaribus Honorio Principe*, inquit ipse Ambrosius, qui defunctum laudavit. Habuit Theodosius duos filios, Arcadium & Honorium, quos ita reliquit imperii hæredes; ut Arcadius Orienti, Honorius junior (decennis erat) Occidenti præesset, sub tutelâ Stiliconis, qui olim in Britanniâ militarat. Cæterùm mortuo Theodosio pio, orthodoxo, & religiosissimo principe, Occidentis imperium immani factione, & intestinis dissidiis concussum, nutare cœpit; & Britanniam secum in miseriarum cumulum trahere. Ruffinus, prælatum sibi Stiliconem, in imperii administratione, ægrè ferens; & Arcadium Eudoxiæ matrimonio conjunctum, quem filiæ suæ destinaverat conjugem, Hunnos in Asiam, Gothos in Europam, ceu imperii confœderatos, immittit. Unde Romani imperii vires, distrahi primùm, mox languere, demùm penitùs fatiscere cœperunt. Periit quidem Stiliconis industria Ruffinus; sed Eutropius, Eunuchorum magister, illi succedens in Oriente, factionem, semel cœptam, nutrivit, atque roboravit, & Stiliconis conatibus se opponens, Occidentis imperium graviter concussit.

Honorius Imp. Occidentis, Arcadius Orientis. Occidentis imperium nutare incipit.

VIII. Stilico imperium affectat. *Orosius l. 7. c. 38.*

Fuerunt & aliæ fatiscentis imperii causæ. Ipse Stilico, per tutelæ speciem, principatum affectans, fracto fugatoque Rhadagosio, Gothorum Rege, potentiam auxit; & Vandalos, unde ipse erat, aliosque barbaros, in Gallias irrumpere permisit; ut turbatâ Rep. filio suo Eucherio imperium acquireret. Ab Alarico etiam Gothorum Rege, calamitatis aliquod incrementum: nam illum Stilico, *occulto fœdere fovens publicè autem, & belli & pacis copiâ negatâ, ad terendam terrendamq; Remp. reservavit*, inquit Orosius. Ita Occidentis imperio, & externo hoste, & intestinis odiis prostituto; Britannia foris servire debuit, & domi omnia perdere: quod quomodo, crescente paulatim miseriarum cumulo factum sit, suo loco dicetur.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1147.

ANNUS CHRISTI 396.

SIRICII PAPÆ 12.

HONORII IMP. 2.

Marcus Romanus in Britannia Stiliconi successit.

CUm Honorius tertiùm, & Arcadius quartùm, Consules essent, anno Christi trecentesimo nonagesimo sexto, Britannia Romæ fidelis, & Siricium Papam, & Honorium principem, de more coluit: & nihil adhuc turbarum extitisse, vel inde probari potest; quòd Marcus quidam Romanus, pro Romanis, hoc tempore, Insulæ præfuerit. Ille forte Stiliconi successerat, murumque contra Caledonios tuebatur; nam infrà erit de eo mentio. Interim Picti, nuper ad fidem conversi, ab omni injuriâ abstinentes, Ecclesiarum potius [illegible] iam regni sui incremento studuerunt, [illegible]hil hostile in Britannos moliti.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1148.

ANNUS CHRISTI 397.

SIRICII PAPÆ 13.

HONORII IMP. 3.

HOc anno trecentesimo nonagesimo septimo, Cæsario & Atico Coss. S. Ambrosius Mediolanensis Episcopus; cum fortiter stetisset, scripsissetque pro domo Dei, moritur ætatis suæ anno sexagesimo quarto. Quo pariter anno; Gothi, qui ad austrum (Ostrogothi dicti) surgunt in Romanum imperium, ob negata stipendia. Quod Eutropius in rem suam permisisse putatur, & odio Stiliconis.

S. Ambrosius moritur.

Gothi in Romanos surgunt.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1149.

ANNUS CHRISTI 398.

ANASTASII PAPÆ 1.

HONORII IMP. 4.

SIricius Papa, cum sedisset annos tredecim, mensem unum, & dies quatuordecim, ex hac vitâ migravit, anno 398 Honorio IV. & Eutychiano Coss. & Romanam pro eo sedem intravit Anastasius, illamque optimè contra hæreses tenuit. nam de eo ita S. Hieronymus. *Dum sancta & beatæ memoriæ Anastasius Episcopus, Romanam regeret Ecclesiam, de Orientis partibus hæreticorum sæva tempestas, simplicitatem fidei, quæ Apostoli voce laudata est, polluere & labefactare conata est. Sed vir ditissimæ paupertatis, & Apostolicæ sollicitudinis, statim noxium percussit caput, & sibilantia hydræ ora compescuit.* Intelligit errores Origenis, quos hoc anno trecentesimo nonagesimo octavo, Ruffinus cum Melaniâ, in urbem invehere ac defendere nitebatur. Sed ut nuper Siricius Papa, in Jovinianum; ita nunc, in Origenem pugnavit Anastasius. & mox cùm è Britannico Oceano monstrum emerget, Pelagius nomine & orbem in scebit ingenti procellâ, ad illam etiam petram elidetur. nam paulatim Britanniæ imperium, cum Romano, in occasum tendit; & priùs, ut fit, tepebit virgo fides, & Ecclesiæ splendor ecclipsim patietur: sed statim Apostolica manu amovebitur nubes: Et licet Aquila non poterit impedire Germanos vultures, & ab Insula prohibere, Insula tamen pugnabit doctiùs.

Siricius Papa moritur.

Hierony. Ep. 8.

Anastasius Papa Ecclesiam ostendit.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1150.

ANNUS CHRISTI 399.

ANASTASII PAPÆ 2.

HONORII IMP. 5.

ANnus Christi trecentesimus nonagesimus nonus, Eutropii, Eunuchorum magistri, Consulatu, infamis fuit. de quo Claudianus: I.

Claudia. in Eutro. l. 2.

Omnia cesserunt, Eunucho Consule, monstra.
Heu terra caliq; pudor! trabeata per urbes
Ostentatur anus, titulumq; effœminat anni.

Fuit & hic annus eidem Eutropio fatalis. nam qui pro arbitrio habenas moderabatur Orientalis imperii, à Gaine duce exercitus, ad necem postulatus, ab Arcadio illi traditus; cum ad Christianorum Ecclesiam, cujus ipse infidelis homo privilegia priùs temeraverat, confugisset; inde spe vitæ concessâ, quam Chrysostomus impetraverat, extractus, paulo post capite minutus, gloriæ periturae miserum argumentum fuit.

II. Eutropii nomen in vetustioribus monumentis erasum, & solius Theodori, collegæ retentum est, ut in edictis hoc anno ab Honorio Imp. latis cernitur. quorum unum ad Britanniæ Vicarium datum esse, censuit Jacobus Gothofredus, & est ejusmodi. *Sicut sacrificia prohibemus; ita volumus publicorum operum ornamenta servari: ac ne sibi aliquâ authoritate blandiantur, qui ea conantur evertere, si quod scriptum, si qua lex fortè prætenditur, eruta hujusmodi charta, ex eorum manibus, ad nostram scientiam deferantur. Datum III. Kal. Febru. Rav. Theodoro I. C. Consule.* Ita ad Macrobium P. P. Hispaniarum, & ad Proclianum Vicarium quinque provinciarum. Honorius nomine Quinque provinciarum, Britanniam intelligi est satis probabile, quia suprà illam ita distinxi, ut quatuor provinciis, quinta nuper accesserit. Unde dicendum Proclianum hoc anno pro Romanis, Britanniæ præfuisse.

L. 15. de Paganis Cod. Theo.

An. 367. 4.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1151.

ANNUS CHRISTI 400

ANASTASII PAPÆ 3.

HONORII IMP. 6.

I. QUARTUM sæculum, Stiliconis & Aureliani Consulatus claudit. quando Occidentis imperium, compressis undique hostibus, respirare cœpit aliquantulum. Britannia certè eodem tempore quievisse videtur, & nullum à Septentrionali populo hostilem impetum sensisse. Quod expressit Claudianus poeta, Stiliconem Consulem ita alloquens:

Claudian.

— Nullus Boreæ metus; omnis & austri
Ora silet: cecidit Maurus, Germania cessit
Et Ianum pax alta ligas, te Consule.

Alludit ad id, quod anno 393. à Stilicone gestum in Britanniâ; quando Scoto, Pictoque domitis, serenata provincia est: & mansisse adhuc serenitatem significat, quietis ad Boream & Septentrionem nostrum rebus. hoc ipsum alibi idem poeta intellexit cum dixit:

Claudian.

Domito quod Saxone, Tethys
Mitior, aut fracto secura Britannia Picto.

nec Authores nostri contradicunt. Addit unus, venisse hoc anno quadringentesimo, ex Armoricâ in Britanniam, Constantinum quendam, qui assumptâ postmodum, ut dicetur, purpurâ, tertius eo nomine Imperator appellatus est. Militavit ergo ille pro Romanis in hac Insulâ; & ibi ex infimâ militiâ post annos aliquot spe nominis, electus est Imperator. Hic sisto calamum, & colligo paulisper vela; ut jactâ anchorâ, retroque versâ mentis acie, sæculi hujus fidem inspiciam, metiarque.

R. Vitus in notis ad l. 7. not. 3.

CONSTANTINUS III.

CONTEMPLATIO QUARTI SÆCULI, ET REGIÆ FIDEI BRITANNORUM.

II. PRiùs ergo, quàm in arenam descendo, aut adversarium è latebris educo; dicam quàm illustris fuerit Ecclesiæ facies, hoc quarto sæculo, modernis ipsis & adversariis testibus. Quatuor Magdeburgici, severi cæteroquin omnium sæculorum judices, cum quarti sæculi explicationem ordiuntur, ita censent: *Fuit in hoc sæculo, Ecclesiæ Christi facies, & forma omnino illustris & præclara. Etsi enim initio atrocissima in ea vastatio facta est per Diocletianum: tamen repentina non multo post, per Constantinum secuta restitutio; superioris status felicitatem non reparavit modo, sed & egregiè auxit.* Iterum iidem in dedicatoria epistola hujus centuriæ, in qua Elizabetham Reginam Angliæ alloquuntur; optimam reddunt rationem; cur historiam ejus sæculi illi consecrarint. *Deberi*, inquiunt, *majestati tuæ videtur ille labor; quia eam ætatem describit, qua Constantinus ille Magnus, habenis imperii Ro. potitus, de universâ Ecclesiâ Christi optime meritus est, æternumq; nomen accepit. Cum enim ille, ut tradunt historiæ, in Britanniâ, & ex Britannicâ stirpe natus sit, idq; regnum eximia pietate & virtute gubernaris: redit hic Constantinus jam ad te, adserens statum ejus Ecclesiæ, quæ suo tempore, totum orbem suo splendore illustravit. Ferrum & æs triplex circa pectus eum habere necesse est, quem non majorum suorum res piè, feliciter, & cum eximiâ laude gestæ afficiunt.* Ita illi. Quasi dicerent: Constantinus Britannus homo, de orthodoxa Ecclesia optimè meritus, Christianæ fidei meridiem fecit. & quotquot eo cive & Principe gloriantur, debent Fidem ejus & facta æmulari.

Quam illustris nunc Ecclesia. Et unde? Cent. 4. c. 1.

Cent. suprà in epist. dedicat.

III. Si quæras porrò, quid præter Constantini majestatem, Ecclesiam illustrarit, lucemque fecerit per universum Orbem solito majorem? Respondent optimè Authores suprà: *Habuit hæc ætas, si qua unquam alia, plurimos, præstantes & illustres Doctores, ut Arnobium, Lactantium, Athanasium, Hilarium, Eusebium, Victorinum, Basilium Cæsariensem Magnum, Nazianzenum, Prudentium, Epiphanium, Theophilum Alexandrinum, Hieronymum, Faustinum, Didymum, Ephrem, Optatum Milevitanum, & alios: ex quibus potissimum, quæ doctrinæ forma hoc sæculo usitata, breviter indicabimus.* Hæc omnia Magdeburgici. Unde colligo contemplationem hujus sæculi, facilem, jucundam, & utilem fore. Facilem, quia facem præferunt illustrissimi Doctores, Ecclesiæ proceres: jucundum, quia Constantini & Helenæ Fidem, & in ea Britannorum omnium, in publicum orbis theatrum educit. Erit demum utilis, quia Fides à perfidia distinguetur, non conjecturâ aliqua, aut levi indicio: sed certa ac constante factorum majestate.

Patres Fidem illustrarunt. Cent. 4. c. 4. princip.

IV. Enimvero si unquam astitit Regina, à dextris Dei, in vestitu deaurato circumdata varietate; astitit profectò cum Constantinus & Helena regnaverunt. Tunc siquidem post densissimas nubes, & immanem tyrannorum tempestatem, quæ cælum terramque concusserat; è nubilo sol emersit splendidissime. Christi, inquam, Ecclesia, ac vera Fides, emicuit adeò, ut facile modo sit, à tenebris lucem, ab hæresi distinguere sensum orthodoxum. Nec enim, ut olim, clam fiebant

Post tempestatem magna serenitas.

sacra, fundebantur preces, explicabantur Scripturæ, dictabantur oracula: sed publicè, & in luce omnium, hæc omnia gerebantur, non in uno alteróve loco, oppido, provincia, sed quaqua patebat Christianus orbis. Volupe ergo est, hanc lætam Ecclesiæ faciem contemplari, ubi Reges nutritii erant, & Reginæ nutrices ejus. Et quis ultra dubitabit de veritate aliquâ, quam Doctores plurimi, quam præstantes & illustres viri, quos Deus Ecclesiæ providit, ad consummationem sanctorum, credendam esse dictaverunt. Denique quis non reverebitur majestatem illam, quæ in meridiano sole ponens tabernaculum suum, ab omnibus conspici, credi, colique voluit. Huc ades igitur quisquis veritatem amas, & vel lege in templis, scholisque, doctrinam hujus sæculi; vel interroga Principes & majores tuos; vel demum evolve scripta Patrum, decreta Conciliorum. *Et quodcumque inveneris secundùm hanc vel illam partem, pronuntiatum rectè, & commendatum; non dissimuletur, non incrustetur, non pervertatur.* O utinam id facerent, qui ita fieri, in speciem cupiunt! pateret enimverò vera Ecclesia; illa inquam, quam Christus in Petra fundavit, quam in cruce consummavit, quam in Pentecoste dedicavit, quam per Apostolos dilatavit, quam sequenti sæculo auxit, & multo sanguine irrigavit, solidavitque sub tyrannis, quam ornavit demum auro & argento, ac perfectissimè explicavit, Constantini sæculo.

Montacut. in præfatione ad apparatum.

V. Ecclesia in Lucio Regum primo, velut aurora consurgens: nunc, vel in Helenâ, pulchra ut luna, plena, perfectaque; vel electa, ut sol, ditante Ecclesiam, & Fidem propagante Constantino; Christianæ religionis mysteria, quæ priùs compendio tantùm & summariè tradebantur; nunc distinctiùs concepta enucleantur, & articulatiùs explicata sunt. Crux, quæ olim idolorum sordibus tecta succubuit; nunc eruta conspicitur, fulget in cælo, triumphat adversarios, & ubique victoriam pollicetur. Testis Maxentius, & tyrannorum occasus, opima crucis spolia. Testis Palæstina, testis Roma, hoc est, Oriens & Occidens, ubi Crucis gloria emicuit, Principum cultu, honoribus plurimis denique templis. Omen enimverò optimum, dilatandam Christi Ecclesiam, quæ in Cruce, eleganti Fidei compendio, olim, ut dixi, consummata est. Elato igitur victoriæ vexillo, Crucis inquam, signo, contemplabor paulo morosiùs controversarum rerum dogmata aliqua: & quæ lydio lapidi admota, splendorem hujus sæculi & meridiem ferunt, orthodoxa; quæ vero lucis ac diei impatientia, cognata tenebris monstra, idola cerebri, denique paradoxa, sunto. Ordior à capite.

VI. ECCLESIÆ PRIMATUS STABILITUR.

Petrum Romæ sedisse, Apostolorum omnium, & Ecclesiæ Principem, ac eidem Urbi successorem reliquisse prærogativæ suæ, Patres hujus sæculi, Ecclesiæ proceres, decreta Conciliorum, augustissimi viri, & innumera facta, testantur; quæ facilè è dictis suprà colligi possunt: & ex iis validum pro Rom. fide argumentum. Si enim unius antiqui, illustris, & eruditi Doctoris, in re aliquâ controversâ, magna est & non contemnenda authoritas: quanta putanda est omnium Patrum, Conciliorum, provinciarum, Principum, populorum hujus sæculi, in quo orthodoxa Fides illustrissima est, & nullis nebulis infesta? Jam vero, si adversarii volunt, jubent, edicunt, formam fidei & doctrinam ex illis erui posse ac debere: quis non videt factiosum esse, qui lucem magnis vocibus jactat, sed vocatus in lucem, prodire è suis tenebris non audet? Quod sectariis omnibus solenne est. Illustres ergo, & præstantes Doctores, à Magdeburgicis nominati, sunt in Occidente nostro, Ambrosius Mediolani, Hieronymus in Illyrico, Hilarius in Gallia, Athanasius, Optatus & Augustinus in Africa, qui omnes pro Pétro Principe, & Ecclesiæ fundamento, ferunt suffragium.

VII. PROBATUR E PATRIBUS. AMBROSIO.

Ambrosius ita loquitur: *Hic est Petrus, qui respondit præ cæteris Apostolis, immò præ cæteris; & ideo FUNDAMENTUM DICITUR.* & alibi: *Petrus Petra dicitur, eò quòd primus in nationibus fidei fundamenta posuerit, & tanquam saxum immobile totius operis Christiani compagem, molemq; contineat.* Denique in hymno diei Dominicæ Ambrosius Petrum vocat Petram Ecclesiæ, eo versu:

Hoc nauta vires colligit
Pontiq; mitescunt freta;
Hoc, ipsâ Petra Ecclesiæ
Canente, culpam diluit.

Ambros. de Incarn. c. Idem ser. 2 de fide Petri 47. Idem in hym. diei Dominicæ.

Cæterùm noli putare, id solius Petri, non etiam successorum ejus, privilegium esse; cum de Romanâ Ecclesiâ ita scribat. *Non ignoramus quod Ecclesia Romana hanc consuetudinem non habeat, cujus typum in omnibus sequimur, & formam.* & rursum. *In omnibus*, inquit, *cupio sequi Romanam Ecclesiam.* Si rationem quæris; dicet tibi se Catholicum esse non posse, si cum sede illa non consentiat: hoc innuunt verba illa. *Advocavit ad se Episcopum, percontatusq; ex eo est, utrumnam cum Episcopis Catholicis, hoc est, cum Ecclesia Romanâ conveniret.* Hic habes causam, cur Lucius, & Britannia, Romam appellarint, Christi fidem petentes; quia nimirum Christiani, & Catholici esse cupiebant. Intelligis etiam eo sæculo benè ab Irenæo dictum: *Ad Romanam Ecclesiam, propter majorem Principalitatem, necesse est omnem Ecclesiam convenire, hoc est, eos qui sunt undique fideles.* Ambrosius ergo Mediolanensis cum Irenæo Lugdunensi est, & ambo Romanam Ecclesiam præ suâ, venerantur.

Idem l. 3. de Sacram. c. 1.

In orat. de obitu Satyri post med.

Iren. l. 3. c. 3.

VIII. HIERONYMO.

Hieronymus in eandem sententiam it, manibus pedibusque; Petrum Ecclesiæ fundamentum, Principem, reliquisse etiam successoribus eam prærogativam affirmat illâ sententiâ, quâ Damasum ita alloquitur. *Beatitudini tuæ, id est, Petri Cathedræ, communione consocior: super illam Petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicumque extra domum hanc, agnum comederit, prophanus est. Si quis in arcâ Noe non fuerit, peribit regnante diluvio.* & alibi. *Sicut ille (Aristoteles) princeps Philosophorum, ita hic (Petrus) Apostolorum fuit: super quem Ecclesia Domini stabili mole fundata est; quæ nec impetu fluminis, nec ullâ tempestate concutitur.* Quasi diceret: variarum opinionum, & diversarum hæresum inundante diluvio, aliæ per orbem sparsæ Ecclesiæ, periclitari possunt, vacillare possunt, & perire. Romana verò, in Petro fundata, Petræ privilegio tuta; ceu arca Noë, ad humani generis seminarium reservata; certam à naufragio spem, securum salutis portum præbet: & ideo Petri cathedræ communione consocior: ideo Catholicè sentit, qui cum illâ sentit; ideo necesse est, qui sunt undique fideles, ad Ecclesiam illam convenire: & ideo, altiùs ascendendo, prima, in Catholico orbe, Catholica provincia, Rege supplicante, Romam appellavit. Et habes compendio sæculorum, provinciarum,

Hiero. ep. 57.

Idem cont. Pelag.

Doctorumque

Doctorumque in Europâ sensum atque consensum, pro Româ, Ecclesiarum principe. Nolo plura suffragia colligere in Occidente nostro; qua post Nicænam Synodum, factiosus quisque fatetur, sedem illam totius Occidentis Metropolitanam fuisse. ut suprà dixi. nunc transeo in Africam, visurus ibi, quid sentiant orthodoxi. Multùm enim refert ad decorem, firmitatem, & elegantiam Ecclesiæ; primarium ejus lapidem, solenni cæremoniâ, benè constitutum esse; nec poni perfunctoriè.

An. 325. 36.

IX. A TERTULLIANO. *Tertul. de præscript. c. 32.*

Africani Patres, nihil aliud constantiùs inculcasse videntur, quàm pro verâ Ecclesiâ indagandâ, quærendum esse fundamentum Ecclesiæ: & illo distinguendas hæreses. Ita superiore sæculo Tertullianus sectarios vexavit. *Edant origines Ecclesiarum suarum, evolvant ordinem Episcoporum suorum; ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus, aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris habuerit authorem, vel antecessorem.* & paulo infrà. Africanam Ecclesiam à Romanâ derivat. Eodem modo, sed paulò clariùs, loquuti sunt hoc sæculo, Optatus Milevitanus, Athanasius, Augustinus, & alii. Optatus Parmeniano & factiosis omnibus, ita silentium imponit: *Soli conticescite ergo; quia probamus eam solam esse Ecclesiam Catholicam, quæ sit in toto terrarum Orbe diffusa.* & paulò infrà. *Si ignoras, inquit, disce: Ignorantia tibi ascribi non potest sciens in urbe Româ, Petro primo cathedram Episcopalem esse collatam; in quâ sederit omnium Apostolorum caput Petrus: unde Cephas appellatus est, in quo uno, cathedra unitas ab omnibus servaretur. Nec cateri Apostoli singulas sibi quisque defenderent. Ut jam schismaticus & peccator esset, qui contra singularem cathedram, aliam collocaret. Ergo cathedrâ unicâ, quæ est prima de dotibus, sedit prior Petrus, cui successit Linus, &c. Julio Liberius, Liberio Damasus, Damaso Siricius hodie, qui noster est socius: cum quo nobis totus orbis commercio formatarum, in unâ communionis societate, concordat. Vestra cathedra vos originem reddite, qui vobis vultis sanctam Ecclesiam vendicare.* Quasi dicat extra Romanam Ecclesiam, & cathedram illam, in qua primùm sedit Petrus; nullam Ecclesiam, nullam cathedram esse, & omnes illi abeunt *in consilio impiorum, & in cathedra pestilentiæ sedent*, qui aliter sedent.

AB OPTATO MILEVITANO. *Optat. l. 2. contra Parmen. non longè ab initio.*

Psal. 1.

X.

Et quoniam in Optato, & Donatistarum factione versor; juvat illam paulò excutere; & in ea omnis, etiam hodiernæ, factionis genium contemplari. nam prima sæcula, cum ultimo conferendo; inveniemus fortè, non tam novo morbo laborare Calvinistas, quàm è vetere scabie novum pus erupisse; & eo pure infectas hominum mentes, sectamque inde enatam. Ut enim hodie primus factionis gradus, est à capite deficere, excutereque imperium ejus, cujus censura timetur: sic olim factum à Donatistis. Hinc pro Ecclesiæ Principe pugnans Optatus (ut hodie, pro eodem, pugnant orthodoxi) demonstrat primò, unam tantummodo Ecclesiam esse: inde unitatem ejus à capite metiendam, à quo qui recedit, schismaticus, & exlex est. Eodem argumento usus est in Africâ superiore sæculo Cyprianus, cum scripsit librum de Unitate Ecclesiæ, & ait: *Primatus Petro datur ut cathedra una monstretur.* & iterum Epist. 3. ad Cornelium Papam. *Navigare audent ad Petri cathedram, & Ecclesiam Principalem, unde unitas Sacerdotalis exorta est.* Nec obiter hoc aut casu dictum à Cypriano: nam fideles docuit & hortatus est Romanam Ecclesiam ita venerari. *Scimus*, inquit, *nos hortatos esse, ut Ecclesiæ Catholicæ matricem & radicem agnoscerent & tenerent.* & in Epist. ad Jubaianum. *Nos autem qui Ecclesiæ unius CAPUT, & radicem tenemus.* Optatus ergo cum Cypriano est, & quartum sæculum, tertio respondet.

A CYPRIANO. *Cyprian. de unit. Eccles. Idem Epist. 3. sive de hæreticis, ad Cornelium*

Id Epist ad Cornelium de Polycarpo Epist. ad Iubaia. prin.

XI. EX ATHANASIO.

Sed fortè Milevitana sedes, & Carthaginensis, ex inferiori subsellio, Romano Pontifici adblandiuntur; non ita Alexandrina, princeps in Africâ & Metropolitana sedes. Prodeat ergo Athanasius, & pro Ecclesiâ sua, ac omni provinciâ loquatur, in epistolâ, quam Marco ita inscribit: *Domino sancto, & Apostolici culminis venerando Marco sanctæ Romanæ & Apostolicæ sedis, atque universalis Ecclesiæ Papæ, Athanasius & universi Ægyptiorum Episcopi.* & paulò infrà. *Optamus, ut à vestra sancta sedis Ecclesiæ authoritate: quæ est Mater, & Caput omnium Ecclesiarum, ea ad correctionem & recreationem fidelium orthodoxorum percipere per præsentes legatos mereamur, &c. quatenus vestra fulti authoritate. &c.*

Athan. Epist. ad Marcum R. Pontif.

AB AUGUSTINO. *August. in psal. contra partes Donati.*

Secutus est Athanasium Augustinus, & æquè prædicat Romanæ Ecclesiæ dignitatem, & eodem argumento in Donatistas, pro illa disputat. *Numerate*, inquit, *Sacerdotes, vel ab ipsa sede Petri, & in ordine illo Patrum, quis cui successit, videte. Ipsa est Petra, quam non vincunt superbæ inferorum portæ.* Hic ordo Romanorum Pontificum à Petro derivatus, Augustinum tenuit in Ecclesiâ, qui inde elegantissimè probat hæreticos esse, *Qui ordinem, ab Apostolo Petro cæptum, & usque ad hoc tempus, per traducem succedentium Episcoporum servatum, perturbant, ordinem sine origine vindicantes, corpus sine Capite.*

Idem in quæst. veteris & novi Testa. c. 10.

XII.

Alexandrinæ Sedi, & totius Africæ suffragiis, accedat Hierosolymitana, quæ quantumvis à Jacobo Apostolo, post Christum fundata, doctaque; Romanam tamen Ecclesiam, & in ea sedentem Petrum, Principem appellabit. Quod si fecerit; vel indocti vel degeneres nepotes erunt, qui sedem illam exauctorare contendunt. Cyrillus ibi sedit hoc sæculo, dictus Hierosolymitanus Episcopus, & in Catechesi secundâ illuminatorum Petrum vocat *Principem Apostolorum excellentissimum.* Iterum Catechesi undecima, *Principem Apostolorum*, & *supremum Ecclesiæ præconem.* Idem repetit Catechesi 17 *Principem Apostolorum*, & *regni cælorum clavigerum.* Igitur quod Oriens, & Occidens dixit; quod Asia, Africa, Europa credidit; quod primæ ubique sedes tenuerunt, quod Ecclesiæ proceres crediderunt, his primis purisque sæculis, non debet à nuperis hominibus controverti. Et quotquot in hunc Meridianum veritatis solem pugnant, ipsa luce, & rerum omnium majestate opprimuntur, & factiosos esse ipsi se produnt. Ita Calvinus cæcutivit, si non insanivit potiùs, cum libro 4. suarum Institutionum agens de nomine Capitis, & primatus Ecclesiæ: *Certè*, inquit, *quamdiu duravit Ecclesiæ vera & pura facies; ista omnia superbiæ nomina, quibus postea insolescere cæpit Romana Sedes, prorsus erant inaudita.* Agnoscit hic homo Hieronymi & Augustini tempore veram puramque Ecclesiæ faciem fuisse. & tamen audire non potest Augustinum clamantem, hæreticos esse, qui ordinem sine origine, & corpus habent sine *Capite.* Sed surdaster est Calvinus, & non vult hoc dici de Romanâ Ecclesiâ. Vide ergo Lector quid suprà Cyprianus, Hieronymus, Ambrosius, Athanasius, aliique dixerint: lege in illis *Principalem Ecclesiam,*

A CYRILLO HIEROSOLYMITANO. *Cyrill. Hieros. Catech. 2. fine. Idem Catech. 11. Idem Catech. 17.*

Calvin. l. 4. Instit. c. 7. §. 1.

ma... radicem, & *Caput* appellari, ubi Petrus Apostolorum Princeps excellentissimus sedit. & fato Calvinistarum genuum esse, omnium Rerumpublicarum Capita, & Principes odisse, & putidis hujusmodi argumentis in illos pugnare. Hieronymus certè expressam Capitis mentionem facit, ita contra Jovinianum scribens: *Inter duodecim unus eligitur, ut* CAPITE *constituto schismatis tolleretur occasio.* & Ambrosius, *Primatum non accepit Andreas, sed Petrus.* Caput ergo, & primatus Ecclesiæ agnoscitur, creditur, auditur hoc quarto sæculo.

Hiero. in Jo-viniа. l. 1.
Ambro. Epist. 2. in Corinth. c. 12.

XIII. DEFECTIO A CAPITE, ORIGO SCHISMATUM.

Circumi, Lector, terrarum Orbem; vide, ubi schismata, & discrepantes in fide sententiæ, hominum mentes imprimis distrahant: & expende, num Hieronymus, cæterique Patres, non benè dixerint: *Inter duodecim unus eligitur, ut Capite constituto schismatis tollatur occasio.* Ego sanè qui Hispanias, & Italiam, plures annos vidi, inspexi, lustravi; nunquam vidi duos in fide differentes: at cùm in Angliam redii, & excutere cæpi Protestantium paradoxa, non inveni duos in fide concordes. Tunc mihi admodum placebat consilium Christi, cum inter Apostolos ordinem constituit. & super unum Petrum fundavit Ecclesiam, ut eo capite constituto schismatis tolleretur occasio. Unde Matthæus Evangelista, non sine mysterio dixit: *Duodecim autem Apostolorum nomina sunt hæc. Primus Simon, qui dicitur Petrus, & Andreas frater ejus.* Quorsum enim Petrum prænominat, nec vocatione, nec ætate Andrea priorem? nisi quia amoto visibili Ecclesiæ Capite, Christo, ille substituendus erat, cum bis patentibus: *Pasce oves meas.* Non ferunt hanc Scripturæ lucem tenebriones aliqui: unde è Gebennensi lacu scripsit Theodorus Beza in illum Matthæi locum: *Quid si hoc vocabulum, primus, ab aliquo additum est, qui Petri primatum stabilire vellet?* Ita post explosas Patrum sententias, cum ipsa sacrâ paginâ ludunt factiosi.

Matt. 10. 2.
Beza in Matth.

XIV. CONSTANTINUS PROMOVIT ECCLESIÆ PRIMATUM. IDEM FACTUM A NICÆNIS PATRIBUS.

Nec æquius fortè ferendi sunt Magdeburgici, qui cum dixissent potestatem Romani Pontificis primis sæculis amplissimam fuisse, & hoc quarto sæculo auctiorem; postea vocant potestatem illam, *mysterium iniquitatis*, causanturque M. Constantinum, & Nicænos Patres illud promovisse. *Ut in sæculis superioribus*, inquiunt, *Episcopi Romani cæperunt, data occasione, paulatim sibi præparare aditum ad primatum: Ita nec hoc* (quarto) *sæculo, in eis mysterium iniquitatis fuit otiosum; sed paulatim magis magisq; promovit; arreptis undecumque occasionibus, etiam levissimis. Id quomodo factum sit exponemus. Hactenus Romanus Episcopus authoritatem præ aliis conciliaverat amplitudo civitatis Romanæ, quod ea Domina & caput orbis esset: & multitudo & sinceritas, & constantia Doctorum, & beneficentia in alias Ecclesias, & propagatio Evangelii ad urbes vicinas. Jam verò accessit authoritas Imperatoris Constantini M. ad fidem conversi, in eá inhabitantis, qui causas Episcoporum, etiam in aliis locis contendentium, nonnunquam Romano, & aliis vicinis Episcopis cognoscendas, & dijudicandas commisit. Deinde Synodus Nicæna ejus jamdudum affectatam supra Ecclesias ejus provinciæ eminentiam, & inspectionem confirmavit, quam antea consuetudine sibi acquisierat, ut patet ex 6. Canone Concilii Nicæni.* Hæc omnia Magdeburgici. Quos cum lego, videre videor ad lumen lucernæ volitantes muscas, quæ modò accedunt, modò recedunt, nunquam quiescunt, donec ambustis alis misera animalcula decidunt.

Cent. 4. fo. 549.

XV. MAGDEBURGENSES ARGUUNTUR.

Quid vobis, ô quatuor viri, cum Primatu Romanæ Sedis, quem dudum impiè negavistis? putatis fortè extinguere solem illum lucentem in hoc meridio? pergite porrò in illum pugnare, & virus porrò promere. Cum propè acceditis ad lucem illam, nonne miserè causa caditis? si primo, altero, tertiòve sæculo, sub immani persecutorum tyrannide, explicuerunt tamen Rom. Pontifices potestatem suam? Cæterùm si eam auxit, & illustriorem fecit Constantini conversio, & Nicæna Synodus eam confirmavit hoc quarto sæculo: quid restat, nisi vos factiosos esse, qui ad solem, lunam, & omnium sæculorum lucem cæcutitis. Accipimus ergo quod dictis, quatuor primis sæculis, Ecclesiæ splendorem, & principis ejus, tractu temporis cepisse incrementa. quod verum esse suprà ostendi in primo sæculo. Elevatus est enim sol, & luna stetit in ordine suo. Minoides fuit Ecclesia, cum trepidarunt Apostoli, & continuerunt se propter metum Judæorum: explicuit se postea, & confirmatæ sunt columnæ ejus, per adventum Spiritus sancti. Egressa est infantiam, cum loqui cæpit, & confundere Judæos: crevit exinde, Apostolorum & Martyrum sanguine purpurata. Denique Constantino Principe κατεστήμος fuit; cum ipsa Trinitatis arcana mysteria per Nicænum Senatum enucleatiùs patuerunt. Nihil ergo mirum, si cum gloriâ mystici corporis, crevit quoque majestas capitis. nam unum sine alio intelligi nequaquam, potest. Magis certè mirum est, non posse perduelles aliis telis Romanæ Sedis primatum petere; quàm quibus ipsimet miserè confodiuntur: cum illud adferunt, quod instar multorum argumentorum est, pro illa majestate; M. Constantinum, & magnam Synodum, & prima sæcula, eam confirmasse.

An. 100. n. 2.

XVI. IIDEM MALE RATIOCINANTUR.

Sed quàm imperitè dicitur, Romano Episcopo gloriam splendoremque accessisse, ob habitantem in urbe Constantinum! cum purpura illa, & augusta dignitas, ita vulgus hominum feriat, rapiatque; ut ad aliam lucem, splendoremque minus attendat. Et sanè, Constantinus ibi nunquam diu habitavit, aut fixit domicilium: sed in Oriente potiùs, ut suprà visum. Auxit ergo Romanæ Sedis gloriam, cum suam illi cessit, & recessit; eo modo, quo posterioribus sæculis, Dorohernensem sedem in Britanniâ Principem fecit Ethelbertus Rex, cum urbem Regiamque, Augustino concessit, subtraxitque inde Sedem regni sui. Quod factum, monente Gregorio, proponenteque Constantinum, in exemplum. Utrobique vides Lector sensum Insulæ, spiritualia temporalibus, regno Ecclesiam præferentis. Noli ergo de Britannorum Fide, in hac quæstione, dubitare: cum quicquid Nicææ ab universis proceribus sancitum est, Constantinus & Helena firmaverunt. Ea inter sextus Canon à Magdeburgensibus citatus, non tam definit, quam definitum supponit. Britanniam Romæ paruisse: & illi immaniter factiosi esse convincuntur, qui negant Occidentis Ecclesias, & cum illis Britanniam, coluisse, hoc sæculo, Romanum Patriarcham: cum Nicæni proceres contrarium dixerint, id *per omnia manifestum* esse. & passim Patres, qui doctrinam hujus sæculi, faciemque Ecclesiæ indicare dicuntur à Magdeburgensibus, id expressè, diserteque affirment. Ita S. Hieronymus: *Nec altera*, inquit, *Romanæ urbis Ecclesia, altera totius orbis existimanda est. Et Gallia, & Britannia, &*

V. an. 602. 1. &c.
Conc. Nica. 1. c. 6.
Hiero. ad Evagrium.

Africa, & Persis, & Oriens, & Indiæ, & omnes barbaræ nationes, unum Christum adorant, unam observant regulam veritatis.

XVII. UNITAS FIDEI EX UNITATE CAPITIS.

Cypria. de unita. Ecclesiæ.

Si quæris: unde unitas hæc cum tanto numero credentium populorum atque provinciarum? Ecce tibi Cyprianum, qui unius Ecclesiæ definitionem explicat, ab unitate Capitis, ceu fontis & originis ejus. *Ecclesia*, inquit, *una est, quæ in multitudinem latiùs incremento fœcunditatis extenditur. Quomodo solis multi radii, sed lumen unum; & rami arboris multi, sed arbor una tenaci radice fundata: Et cum de fonte uno plurimi rivi defluunt, numerositas licet diffusa videatur, exundantis copiæ largitate, unitas tamen servatur in origine. Avelle radium solis à corpore, divisionem lucis unitas non capit: Ab arbore frange ramum, fractus germinare non poterit: A fonte præcide rivum, præcisus arescet. Sic & Ecclesia, Domini luce perfusa, per orbem totum radios suos porrigit; unum tamen lumen est, quod ubique diffunditur, nec unitas corporis separatur: ramos suos in universam terram copia ubertatis extendit: profluentes largiter rivos latius expandit; unum tamen Caput est, & origo una, & una mater fœcunditatis successibus copiosa.* Hæc omnia Cyprianus. Quasi diceret: Idcirco Britanniarum Fides, & Romana, adeoque totius orbis una eademque est fuitque hoc quarto sæculo: quia licet plures ibi Ecclesiæ, in uno tamen Capite convenerunt, inde habentes Fidei participium, ac influxum, eo planè modo, quo à sole radii, à fonte, rivi, rami, ab arbore pendent & radice. Tolle ex hoc cælo solem, & tenebræ erunt. Imo tenebræ sunt, & errorum, hæresumque Oceanus, ubicunque Ecclesiæ Capiti non paretur. testes provinciæ omnes: & præ omnibus hæc Insula, quæ paucos jam intra annos in plura abiit divortia sententiarum, plus vidit in rebus fidei contentionis & dissidii, quàm antiqua viderit Ecclesia Britannorum, per sex prima sæcula. Et nascentur adhuc & nascuntur in dies nova sectarum examina.

XVIII. FACTA HUIUS SÆCULI FIRMANT FIDEM.

De jure constat, ut unum mundo solem, unum in cælo Deum; ita unum in Ecclesia Caput creditum hoc quarto sæculo: nunc facta videamus, magna juris argumenta. Quod Italia, Gallia, Britannia, vicinæ Romæ provinciæ, Romanam Sedem veneratæ sunt; eoque ut quondam Lucius appellârint, benè arguit urbem illam Occidentalium Ecclesiarum caput fuisse: sed pro Oriente, & primis ibi Sedibus, non concludit. nam potuerunt fortè Episcopi ibi, dignitate præcipui, numero plures, eruditione præstantes; dissidia componere, & mederi malis; quæ sive naturæ vitio, & conditione nostra, sive Dei permissu, in magno Ecclesiæ corpore nasci consueverunt, sine ullo spirituum ad Caput fluxu, vel refluxu. Fuerunt sanè, hoc omni sæculo, in Oriente viri, & numéro multi, & doctrina magni, & imperio præ aliis excellentes, qui communibus morbis occurrere, & illis ex arte & authoritate mederi poterant. Quoties tamen majoris momenti quæstio, aut fideles inter se, aut Ecclesias committebat: toties multi illi magnique viri, & cæteris majores, ad ipsum sacrorum Regem, supremumque in terris Ecclesiæ Caput recurrebant imperium ejus agnoscentes, jurisque dictionem. Non ero multus in exemplis. Orientis Ecclesiæ maximè celebres fuerunt Alexandrina, Antiochena, Hierosolymitana, & à conversione Constantini & deinceps, urbs Romæ æmula, Constantinopolis: Et hæ omnes Romanâ inferiores cen-

IN ORIENTE PRINCIPES ECCLESIÆ ROMAM AGNOSCUNT PRINCIPEM.

sebantur. quod non modo definitum est in Romana Synodo, sub Damaso Papa, anno 382. sed definitioni illi Oriens acquievit. Fatigarem hic Lectorem, si singula dicerem, quæ dici possunt in rem hanc. Athanasii causa, & sæpè in eum mentitæ calumniæ; ut orbem totum concussere, locuples argumentum est, Alexandrinam Ecclesiam, Romanâ minorem. Enimvero Julius Papa, tam reum, quàm actores vocavit ad tribunal suum. ad quod orthodoxi omnes promptissimè advolarunt. *Iulius*, inquit Athanasius, *Presbyteros suos Elpidium & Philoxenum, cum literis ad Eusebianos misit, certum diem definiens; ut aut præsentes se sisterent; aut cognoscerent se omnibus modis suspectos haberi.* ubi non arbitrii alicujus; sed constantis judicii formam habes.

ALEXANDRINA.

Athanas. in Epist. ad solitar.

XIX.

Interim Athanasius in urbem festinat; & ut imperatum erat, se Rom. Pontifici, ipse omnium Orientalium Episcoporum, & Metropolitanorum primus, sistit. Blattæ aliæ, lucem, virgam, & authoritatem veritæ; tergiversatæ sunt, ut patet è Julii literis qui ita scribit ad Eusebianos. *Annum totum, & integros sex menses, Athanasius apud nos hæsit, vestram præsentiam expectans, aut quotquot comparere auderent, suaque præsentia pudefecit omnes. Non enim IVDICIO stitisset, nisi fiduciam habuisset, neque sponte, sed literis nostris ad IVDICIVM vocatus comparuisset: quemadmodum vos per literas citavimus.* Hæc Julius. Ariani Romam quidem citati non venerunt: quid enim ab illa sede speraret factio? Romanæ tamen Ecclesiæ imperium agnoverunt. Causantur ergo, nescio quæ; & Julio persuadent, longè commodiùs Synodum in Oriente convocari posse, & ibi Athanasii crimina probari. Cedit Julius, & ut videas ubique authoritatem ejus: *Iussit* (inquit Athanasius) *fieri Synodum, ubicunque vellemus: ut tutò, & crimina objicerent, & invicem sibi objecta refutarent.* Non est animus, nec mihi summariè tantum contemplanti integrum, ostendere pluribus Arianos fraudulenter quidem, sed paulò quàm factiosi nostri, fidelius, modestiusque, Romani Pontificis judicium declinasse. Non enim in omni illâ tragœdiâ, quæ plures annos tenuit, imperium ejus negaverunt: imo cum primis illud appellaverant; sed rati, fraudes tegi posse, & latiùs diffundi virus perfidiæ, si Constantium Augustum, & sæculare brachium invocarent; effecerunt tandem (nec enim aliter factum fuisset) ut Christianus orbis Arianum se esse gemeret. In quo hæreseos theatro, spectare est, quicquid suprà dictum, de schismatum fonte, de necessitate Capitis, & Monarchici regiminis excellentiâ. Sed & idem cernitur his ultimis sæculis; cum, Luthero Calvinoque Coss. Cæsares appellare placuit, & in puero fœminaque sceptri ac Sacerdotii jura confundere: nunc enim tam (imo multo magis) scatet Occidens monstris fidei; quàm olim Oriens, sub Constantio Principe.

Apud Athanas. Apol 2.

Athanas. Epist. ad solitarios.

XX. ORIENTIS EPISCOPI ROMAM APPELLANT.

Athanasii causa, ut plures Synodos, & multa orbis tribunalia exercuit: ita Romanæ Pontificiæque potestatis elegans argumentum est. nam *Non solum Athanasius, & Marcellus Episcopi* (loquitur Julius Papa) *cum querimoniis de illatis injuriis: sed & plurimi alii Episcopi ex Thraciâ, Calesyriâ, Phœniciâ, Palestinâ, huc* (Romam) *convenere. Presbyteri item non pauci, partim ex Alexandriâ, partim aliunde, huc ad Concilium occurrerunt: & coram omnibus Episcopis ibi congregatis, inter reliqua dicta sua, conquesti sunt; vim & injurias Ecclesiis*

Apud Athanasium Apol. 2.

illatu esse, suasq; Ecclesias, eadem qua Alexandrina, passus esse: & alia in aliis Ecclesiis designata. Si quæris causam, cur tot Orientis Episcopi, difficili tempore, magno itinere, Romam convenerint. cum alias Ecclesiis suis adesse, & periclitantibus opem ferre divino jure tenerentur. Dico: Periclitante naviculâ in medio mari, accesserunt ad vicarium Christi discipuli ejus, & suscitaverunt eum dicentes; Domine salva nos perimus. Vel si mavis audi Socratem (qui Romanæ Ecclesiæ adulari nescit) in aliâ Athanasii causâ ita scribentem. *Eodem tempore* (nimirum cum Romæ Athanasius esset) *Paulus Episcopus Constantinopolis, Asclepas Gazæ, Marcellus Ancyræ, urbis minoris Galatiæ, & Lucius Adrianopolis; alius ob aliam causam accusati, & Ecclesiis suis ejecti, Romæ omnium civitatum facile principis versantes, Iulium Episcopum Romanum de suo ipsorum statu certiorem faciunt. Ille verò QVONIAM ECCLESIA ROMANA PRIVILEGIVM PRÆTER CÆTERAS OBTINEBAT, literis suis ad Episcopos Orientis liberius perscriptis; illorum partes tueri studet: in Orientem literas mittit; quò & suus cuique locus restitueretur; & eos qui illos temerè abdicaverant, graviter reprehenderet.* Hæc ille, & expressa est in omnes Orientis Episcopos, privilegii mentio.

Matth. 8.

Socrates l. 2. c. 11.

ROMANÆ ECCLESIÆ PRIVILEGIUM.

XXI. SOLI FACTIOSI AD IMPERIUM RECALCITRANT.

Quod si dixeris factionem alteram, Julio ejusque literis, ac mandato non cessisse; atque ideo innocentes esse, qui Romæ obstrepunt. Respondeo, vel inde satis constare moderniè factiosos, in orthodoxam fidem gravissimè peccare. Percurrant enim, per me licet, Orientem & Occidentem omnem, evolvant sæcula, & facta provinciarum; invenient certè aliquando, ut in cælo nubes, ut luna maculas, in corpore ulcera, in Angelis pravitatem: ita quidni aliquos in Ecclesia capiti rebelles. Sed nunquam invenire poterunt Athanasios, Chrysostomos, & orthodoxos Episcopos, qui Romam non summè coluerint. Si igitur hodie factiosi aversam ab Athanasio factionem tueri volunt, & sequi in urbis contemptum: debent Eusebianos, Arianos, Novatianos, Priscillianos, & illa sæculi monstra venerari: non debent Athanasium scribere orthodoxum, nec cum illis esse, qui Christi divinitatem constantissimè defenderunt. Nos qui Athanasium sequimur, & Fidem ejus, in dubiis rebus Romam appellamus: inde, si Ecclesiarum negotia tractanda sunt, judicium quærimus: eò denique fugimus ad petram, ad portum, ad oraculum; quoties in Fide pulsamur. Et quia idem à Lucio, Donaldo, Constantino, aliisque Principibus nostris factum scimus; ideo fidem hanc, *Regiam Britannorum Fidem* appellamus.

XXII.

Socrat. l. 4. c. 10.

Socrat. l. 4. c. 3.

MARCUS PETRI DISCIPULUS SUCCESSORES DOCUIT PETRUM REVERERI.

Nec unus Athanasius, Alexandrinæ sedis Episcopus, Romanum Pontificem judicem agnovit. nam qui illi in Sede successit, Petrus, *vir pius & eximius*, inquit Socrates: à Valente Imperator expulsus, à Damaso Papa restitutus est, scriptis literis: quibus *populus confisus, expellit Lucium, Petrum autem in ejus locum introducit*, ut idem Socrates. Nolo id pluribus exemplis firmare, quia Marcus Evangelista ejus Sedis fundator, Petri discipulus; jussit sine dubio successores suos Magistri cathedram revereri, quod pulchrè insinuat S. Leo: *Cum Beatissimus Petrus Apostolus*, inquit, *à Domino acceperit principatum, & Rom. Ecclesia in ejus remaneat institutis: nefas est credere, quod sanctus Episcopus, discipulus illius Marcus, qui Alexandrinam primus gubernavit Ecclesiam, aliis regulis & traditionibus sua decreta firmaverit: cum sine dubio, de eodem fonte gratiæ, unus spiritus discipuli fuerit, & magistri: nec aliud ordinatus tradere potuit, quam quod ab ordinatore suscepit.* Ita Leo. Non ergo mirum si Antiochena, Hierosolymitana, & Constantinopolitana Ecclesia, Romam hoc sæculo integerrimè audivit; cum prima Orientis sedes dedisset exemplum. Nec enim toti Orienti præscribi poterat Canon aliquis, aut regula Ecclesiastica, Rom. Pontifice inconsulto: τοῦ ἐκκλησιαστικοῦ κανόνος κελεύοντος (ita loquitur Socrates) μὴ δεῖν παρὰ γνώμην τοῦ ἐπισκόπου Ῥώμης, κανονίζειν τὰς ἐκκλησίας: cum Canon Ecclesiasticus vetet, ne decreta absque sententia Episcopi Rom. Ecclesiis sanciantur. Si Canones jubent Orientis Ecclesias Romanæ subesse: quis unquam de Occidente dubitabit, aut de provinciâ, quæ Romam semper religiosissimè coluit.

Leo Ep. ad Dioscorum habetur c. 24. q. 1. c. cum beatissimus.

NIHIL TOTI ORIENTI PRÆSCRIBITUR INCONSULTO ROMANO PONTIFICE.

Socrat. l. 2. c. 17. in græco. c. 13. lat.

XXIII. BRITANNORUM TEMPLA QUALIA?

Cent. 4. fo. 409.

Ambros. l. 5. de sacram. c. 1.

Asserto Ecclesiæ Capite, Britannorum templa ingredior, contemplaturus ibi, quid agatur, quæ sacra, quæ altaria, quæ sacrificia, quæ vota populorum? Et, ut in meridie clara sunt omnia, nam *Aras in templis fuisse, id quoque hujus quarti sæculi historia testantur*, inquiunt ingenuè Magdeburgenses. Si quæras, quorsum? Respondet Ambrosius. *Diximus quod in altari constituatur calix, & panis. In calice mittitur vinum. & quid aliud? Aqua. Sed tu mihi dicis: Quomodo ergo Melchisedech panem & vinum obtulit? Quid sibi vult admistio aquæ.* Orthodoxi hinc benè inferunt Sacrificium ad altaria à Sacerdotibus offerri solitum. & corpus Christi sacro ore confici (ut loquitur Hieronymus.) itaque Deum coli, summo religionis actu, in supremæ dominationis argumentum. Qui ritus, a Christo doctus, ab Apostolis usurpatus, & jam quatuor sæculorum sanctitate firmatus est. Supra illum primo, altero, tertioque sæculo in conventibus liturgiis synaxibus, hæteriis; obscurius quidem, certa tamen & constante rerum veritate, vidimus: nunc, luce crescente mysteriorum omnium, & sub ipso fidei zenith, per universum terrarum Orbem, illustrissimus fuit; patuitque, Dominicum, oblationem, sacrificium, denique Missam esse. non solùm quia sub initium hujus sæculi Diocletianus & Maximianus, illa persecuti sunt: sed quia augustissimæ ædes, ubique erectæ; altaria ornata, vasa sacra, vocalissimè illa loquebantur: quæ è Constantinopolitana Sede conspicatus in hac Insulâ Joannes Chrysostomus; inde Britannorum Fidem collegit, ita scribens: *Britannicæ Insulæ, virtutem verbi senserunt: sunt enim ibi fundatæ Ecclesiæ, & erecta altaria.* & in oratione de utilitate Lectionis Scripturæ. Sive ad Oceanum te conferas, inquit, sive ad Britannicas illas Insulas, sive ad Euxinum pontum naviges, sive ad australes partes abeas; omnes ubique audies de iis quæ in Scriptura sunt philosophantes, alia quidem voce, sed non alia fide: ac lingua quidem diversâ, sed mente consonâ. καὶ βαρβαρίζουσι μὲν τῇ γλώττῃ, φιλοσοφοῦσι δὲ τῇ γνώμῃ. καὶ σολοικίζουσι μὲν τῷ φθόγγῳ, εὐσεβοῦσι δὲ τῷ τρόπῳ, lingua quidem barbarè loquuntur, sed animi sensu philosophantur, solœcismos faciunt sono, sed pietatem moribus colunt. Hæc Britannorum altaria Gildas definiens, *Sacrificii sedem* appellavit. Unde illi, qui altaria destruunt; aut qui ab altari sacrificium separant: vel in verbo ludere, vel verborum notiones negligere videntur. Quis enim aut θυσιαστήριον, sine θυσίᾳ, aut מִזְבֵּחַ sive זֶבַח non

Hieron. Epist. ad Heliodorum de laude vitæ solit.

ALTARIA, ET SACRIFICIUM.

Chrysosto. hom. com. gent. c. 5.

dico

dico intelligere; sed ne proferre quidem valet? Vidit hoc certè Calvinus, & ideo tam altaribus, quàm sacrificio bellum indixit: in eo solum egregiè mentitus; quòd hæc purissima sæcula in partem suam trahere conetur.

XXIV. Enimvero quocumque oculos converto, aut in quemcumque Christiani orbis angulum: ubique, ut in Britanniâ, video *fundatas Ecclesias*, & erecta altaria; non in alium quàm sacrificii usum. Ideoque calices, & patenæ, thuribula, acerræ, candelabra, lampades, & infinita ex auro argentoque supellex, quam suprà in Constantino vidimus, nec volo hic repetere. Solum quæro Calvini socios; nam vel nulli fuerunt, vel detegi possunt in hoc meridie; præsertim à præstantibus illis viris, quos sectarii fatentur indicare posse sæculi fidem. Horum unus dum Donatistarum facinora enumerat; inter alia eos arguit, quòd altaria inmani, & pari ferè cum sectariis impietate, demoliti sunt; & simul eleganter altarium usum ostendit, dum abusum, explicat, Optatus Milevitanus, ita Donatistas alloquens. *Jam illa ostendenda sunt, quæ crudeliter & stultè vos fecisse negare minimè poteritis. Quid enim tam sacrilegum* (nota quisquis antiquorum fidem amas, & non amas) *quàm altaria Dei; in quibus vos aliquando obtulistis; frangere, radere, removere? In quibus vota populi, & membra Christi portata sunt: Quò Deus omnipotens invocatus sit, quò postulatus descendit Spiritus sanctus. Unde à multis, pignus salutis æternæ, & tutela fidei, & spes Resurrectionis accepta est? Altaria, inquam, in quibus fraternitatis munera non jussis Salvator poni; nisi quæ essent de pace condita. Depone, inquit, munus tuum ante altare: & priùs concorda cum fratre tuo; ut possit pro te Sacerdos offerre. Quid est enim altare, nisi sedes & corporis & sanguinis Christi. Hæc omnia furor vester, aut rasit, aut fregit, aut removit. Quid vos offenderat Christus, cujus illic, per certa momenta corpus & sanguis habitabat? Quid vos ostendistis etiam vos ipsi; ut illa altaria frangeretis, in quibus ante nos, per longa temporum spatia, sanctè, ut arbitramini; obtulistis? Dum impiè persequimini manus nostras illic, ubi corpus Christi habitabat, fecistis & vestras.* Hæc ille.

An. 324. n. 36.

CALVINISTARUM SOCII HOC QUARTO SÆCULO.

Optat. l. 6. contra Parmen.

XXV. Quæ omnia, si cogo in epitomén; hunc sensum reddunt. Donatistæ fuerunt immaniter impii, quia altaria fregerunt, in quibus offerebatur Sacrificium à Sacerdote; nec aliud quàm corporis & sanguinis Christi, cujus sedes erant altaria, ubi membra & Christi sanguis portabantur. Orthodoxi ergo sunt, qui altaria habent in honore, & Sacerdotes ad illa sacrificantes corpus Christi, & sanguinem: heterodoxi qui hæc omnia dehonestant. Sed quid ultra factum à Donatistis? *Hoc immane facinus* (inquit Optatus) *geminatum est, dum fregistis etiam calices, Christi sanguinis portatores: quorum species revocastis in massas, mercem nefariis nundinis procurantes.* Prosequitur pluribus accusare facinorosos, quod præter calices, pallas quoque & vela, & sacros codices, aliaque altarium instrumenta extorserint, atque profanaverint: & indubiè fuerunt illa, quæ orthodoxus orbis etiamnum servat. Cæterùm hîc quæri posset, quinam leviùs peccaverint, Donatistæ, qui non omnia altaria, non ubique calices, aliaque sacra: sed tantùm in quorundam invidiam, aliqua profanarunt: An verò sectarii, qui omnia eradunt, ubique dehonestant, sacrificium negant, Christi corporis & Sacramentorum veritatem adulterant, & denique fidem & sensum sæculorum omnium? Verùm mihi satis impræsentiarum sit, Constantini & Britannorum fidem indicasse; de qua certè nemo dubitare potest, qui sacrarum ædium augustissima ornamenta, & auream argenteamque supellectilem contempletur. nam vel inde, si alia deessent ornamenta, sacrificii substantiam, & majestatem, liceret colligere. Porrò Britanniarum, & Occidentis religio, eadem cum Oriente fuit. nam ubique sacrificatum esse per Orbem universum colligo ex illa Ambrosii sententiâ. *Constat pecudum victimas periisse, quæ fuerunt in ordine Aaron; sed manere Melchisedech institutum, quod TOTO ORBE TERRARUM in Sacramentorum erogatione celebratur.* In eum sensum Gregorius Nissenus de Ecclesiis Orientis ita loquitur: *Quot in iis sunt Altaria, per quæ nomen Domini celebratur? Nec sanè quis totius fortè orbis enumeret altaria.* In illis ornandis quantum Constantinus laborarit, dicat Eusebius. *Ecclesias Dei,* inquit, *incredibile est, & supra omnem opinionem, quot ornamentis locupletarit Imperator.*

DONATISTARUM IMPIETAS ARGUITUR.

Idem suprà.

SACRIFICIUM UBIQUE CELEBRATUR.

Ambros in c. 5. ad Hebr.

Grego. Nyssen orat. de eis qui adeunt Hierosoly.

Euseb. in vit. c. l. 4. c. 28

XXVI. In hac luce Ecclesiarum, altarium, sacrificiorum, non digladiabor amplius: licet enim tenebriones sint, quos terire possem; qui tamen infra iram sunt, transeo. Jucundum nihilominùs est, altari diutiùs assistere; & Romanos hodie ritus cum antiquis componere. Nos hodie sacrificantes, adorandum Christi corpus in sacro linteo deponimus. Idem factum hoc quarto sæculo. Dum enim Constantinus esset in Nicænâ Synodo; Romani Patres in Synodo dictaverunt hunc Canonem: *Ut sacrificium altaris* (referunt Magdeburgici) *non in serico panno, aut tincto, quisquam celebrare præsumeret; sed in puro lineo ab Episcopo consecrato: terreno scilicet lino, procreato atque contexto: sicut Corpus Domini nostri IESV CHRISTI in sindone mundâ sepultum fuit.* Quid ultra? Candelas hodie, cereos, lampadesque accendimus, tempore sacrificii. Accenderunt etiam olim orthodoxi. *Cereas candelas* (inquiunt iidem sæculorum Critici) *& lampadas in locis Conventuum, à Constantino ipso accensas interdum fuisse Eusebius retulit lib. 4. de vita Constantini.* Et noli putare, id noctu solùm factum, & in Occidente nostro: nam Hieronymus in Vigilantium, ita scribit: *Per totas Orientales Ecclesias; quando legendum est Evangelium; accenduntur luminaria, jam sole rutilante: non utique ad fugandas tenebras, sed ad signum lætitiæ demonstrandum.* Si minutiora hæc, & in speciem non magni momenti, constantissimè retenta sunt in Romana Ecclesia; quid putandum de rebus aliis, de substantiâ, maximisque circumstantiis sacrificii?

SACRIFICII RITUS.

Cent. 4. fo. 691.

Cent. 4. fo. 410.

Hiero. in Vigilantium.

XXVII. Sed objiciunt sectarii: Quamvis frequens olim Sacrificii mentio: nullæ tamen, aut Sanctorum memoriæ fuerunt, aut pro defunctis suffragia. Frustrà ergo Romano-Catholici, antiquorum Sacrificio, suum probant. Iterum: Esto fuerit aliquando Sacrificii nomen, apud veteres, ritusque repræsentandi mysterium passionis Christi: Missæ tamen appellatio Constantini sæculo, Hieronymo, Ambrosio, aliisque Patribus inaudita. Ita ferè causantur Magdeburgici. Et cum dixisset aliquando Edmundus Campianus: *Nostra Monica, quæ moriens orari, & sacrificari pro se mortuâ, ad altare Christi religiosissimè flagitavit.* Respondit Whitakerus: *Monica minimè flagitavit, ut Missæ Sacrificium pro ipsâ fieret, quo peccata delerentur, atque expiarentur. Neque hoc modo, vel oravit*

SANCTORUM IN SACRIFICIO INVOCATIO: ET SUFFRAGIA PRO DEFUNCTIS.

Cent. 4. fo. 249. & fo. 410.

Ed Campian. Rat. 10

Whitaker. ad Rat. 10. Campiani.

MONICA PRO SE ORARI PETIT.

pro Monicâ, vel facrificavit Auguſtinus. Durum telum neceſſitas. Scriptura, Patres, & facta fæculorum, incruſtantur, pervertuntur, ut ad modernæ factionis genium, convertantur. & eo modo (quis non videt?) omnia Chriſtianæ religionis dogmata evertuntur. Quid enim à filio flagitavit Monica, ſi noluit pro ſe mortua orari? Reſpondet Whitakerus.

Idem ſuprà.

WHITAKERUS MALUS INTERPRES.

Id tantum petiit Monica, ut inter Eucharistiam celebrandam, aſſidua quadam commemoratio, ſuiq́ mentio fieret: quia ſe unam eſſe, ex illâ cæleſti, ac divinâ ſanctorum ſocietate non dubitavit. Ecce Monicam, factam Calviniſtam, hoc novo interprete. Sed imperitè. nam uter Monicæ mentem meliùs intellexit; Auguſtinus filius, an Whitakerus? Auguſtinus pro ea oravit, ut peccata admiſſa dimitterentur; juſſitque in eum finem ſacrificium offerri. Quis hoc dicit? Ipſe Auguſtinus, qui ita de matre recens mortuâ.

Auguſt. l. 9 Confeſ. c. 12.

Cum ecce corpus elatum eſt, imus & redimus, ſine lacrymis. Nam neque in iis precibus, quas tibi fudimus, cùm tibi offerretur PRO EA ſacrificium pretii noſtri, juxta ſepulchrum poſito cadavere, priuſquam deponeretur, ſicut illic fieri ſolet. nec in iis precibus ego flevi. & alibi ſuas ipſe preces pro matre recitat.

Idem ſuprà c. 13.

Nunc pro peccatis matris meæ deprecor te. Exaudi me, per medicinam vulnerum noſtrorum, quæ pependit in ligno, & ſedens ad dextram tuam te interpellat pro nobis. Scio miſericorditer operatam, & ex corde dimiſiſſe debita debitoribus ſuis. Dimitte illi, & tu debita ſua. Si qua etiam contraxit per tot annos, poſt aquam ſalutis; dimitte Domine, dimitte obſecro. ne intres cum ea in judicium. Hæc Auguſtinus, qui ſine dubio ut juſſus eſt, pro matre ad altare oravit.

XXVIII. ORTHODOXÆ FIDEI CONSTANTIA UBIQUE.

Unde collige, Lector orthodoxæ fidei conſtantiam. Superiori fæculo vidimus, è M. Dionyſio, in Oriente Eccleſiaſtici moris fuiſſe, demortui corpus ad Eccleſiam deferri, poni ante altare, fundi preces, cani pſalmos, & demùm pro mortuo, ſacra myſteria perfici. nunc Auguſtinus idem in Occidente, *fieri ſolere*, disertè affirmat. Iterum collige, Britannorum, cum reliquo orbe Chriſtiano in fide concordiam atque ſocietatem. Superiori fæculo, eo modo Donaldum ſuprà ſepelivimus: hocce Conſtantinum noſtrum; pro quo mortuo preces & ſacrificia oblata eſſe, non ſolùm orthodoxi, ſed Euſebius & heterodoxi, fatentur. & eos ſuo loco oſtendimus. Et verò, hunc morem referunt, probant, opereque confirmant, proceres Eccleſiæ: illi, inquam, præſtantes & illuſtres Doctores, qui *doctrina formam judicare* poſſunt; ut volunt ſectarii. Hinc jure quæri poſſe: an qui ſine ullo precum, & ſacrificii ſuffragio, efferuntur; & quorum corpora in Eccleſiâ ante altare non ponuntur: ubi nulla crux, nulla lux, nulla memoria *medicinæ vulnerum quæ pependit in ligno*, de quâ Auguſtinus: An illi, inquam, Chriſtiano more, ſepeliri dicantur, aut dici poſſint. Ego certè nihil definio: aio solùm, qui Miſſæ ſacrificium animabus defunctorum ſuffragari negant; procul heu procul, ab Auguſtini, Conſtantini, & Britannorum noſtrorum Fide eſſe: & iniquiſſimâ cauſâ videri laborare, qui tuendæ factionis ſtudio, ad hæc ſæcula provocant. Auguſtinus certè ſermone 34. de verbis Apoſtoli pro veritate hac ita ſtipulatur. *Orationibus S. Eccleſiæ, & ſacrificio ſalutari, & eleemoſynis, quæ pro eorum ſpiritibus erogantur, non eſt dubitandum mortuos adjuvari.* Non ergo dubitandum eſt, purgari quorundam animas, igneque expiari;

An. 216. n. 6.

An. 337. 16. &c.

Auguſti. ſerm. 14. alias 32 de verb. Apoſtoli.

priuſquam eò aſcendant, quò nihil coinquinatum ingreditur. Concedunt ferè Magdeburgici hanc Auguſtini mentem eſſe, & inquiunt: *Purgatorium Auguſtinus in Enchiridio ad Laurentium c. 69. concedere videtur.* Sed nimis frigidè; Auguſtinus enim, non uno, ſed pluribus locis, id conſtanter aſſerit, docet, & cum pro matre oravit, dedit exemplum, ſcripſit denique ritum illum ab Apoſtolis deſcendere: ut ſuprà ad an. 100. 17. omitto quòd explicans pſalmum 37. Purgatorium vocet, *Emendatorium ignem.* & l. 20. c. 16. de Civitate Dei, *purgatorias pœnas.* item l. 2. de Geneſi contra Manichæos, *Ignem purgationis*: quia verba ſunt: vide quid docuit credendum: * *Oblationes, inquit, pro ſpiritibus dormientium verè aliquid adjuvare CREDENDUM EST.*

Cent. 4. fo. 121.

Auguſt in Pſal. 37. Idem de Civit. Dei l. 20. c. 16. & de Geneſi c. 20.

** Idem ep. 64. ad Aurel.*

XXIX.

Sed Auguſtinus fortè, Africana, & Britannica Eccleſia, hunc morem offerendi pro defunctis tantummodò uſurparunt, minimè gentium: quod Auguſtinus & Britanni fecêre; creditum eſt & obſervatum ab univerſo Orbe. Sic enim Auguſtinus: *Hoc à Patribus traditum VNIVERSA OBSERVAT ECCLESIA, ut pro iis, qui in corporis & ſanguinis Chriſti communione defuncti ſunt; cum ad ipſum ſacrificium loco ſuo commemorantur, oretur, ac pro illis quoque id offerri commemoretur. Cùm verò eorum commendandorum cauſâ, opera miſericordiæ celebrantur, quis eis dubitet ſuffragari, pro quibus orationes Deo non inaniter allegantur? Non omnino ambigendum eſt, iſta prodeſſe defunctis; ſed talibus, qui ita vixerint ante mortem, ut poſſint eis hæc utilia eſſe poſt mortem.* Hæc ideo à me allata ſunt pluribus, quia Magdeburgici, inter nævos Auguſtini ponunt, quod *defunctos precibus piorum ſublevari autumat.* Hunc autem nævum, cum UNIVERSA habuerit ECCLESIA, vel ille non benè deſcripſit Eccleſiam Chriſti, *glorioſam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid hujuſmodi*: vel quatuor illi mentiuntur ſplendidè, quod omnino dicendum. Morem hunc quem Auguſtinus vocat à Patribus, & ab *univerſa Eccleſia* obſervatum, retinent etiamnum orthodoxi qui in Miſſæ ſacrificio quotidie recitant: *Memento etiam Domine famulorum famularumq́ tuarum qui nos præceſſerunt cum ſigno fidei, & dormiunt in ſomno pacis.* Nec tacent hujus fæculi Patres tranſſubſtantiationis myſterium in venerabili Sacramento. nam Gregorius Niſſenus. *Rectè* (inquit) *Dei verbo ſanctificatum panem in Dei verbi corpus, credo tranſmutari.* in oratione catechetica, ubi etiam tranſmutationem illam conſecrationi attribuit, & ait: *Hæc autem dat virtutem benedictioni; in illud tranſelementata eorum quæ apparent natura.* ubi græcam μεταστοιχειώσας. tranſelemento planè tranſſubſtantiationem exprimit. non tacent etiam Miſſæ nomen. nam Hieronymus in c. 11. Proverbio. Miſſam pro defunctis celebrari ſolitam affirmat illa ſententia. *Etſi impiis poſt mortem ſpes veniæ non eſt: ſunt tamen qui de levioribus peccatis cum quibus obligati defuncti ſunt, poſt mortem poſſunt abſolvi; vel pœnis ſcilicet caſtigati, vel ſuorum precibus & eleemoſynis Miſſarumq́ celebrationibus.*

Auguſt de verbis Apoſtoli ſuprà.

Cent. 4. fo. 1135.

Ad Epheſ. 5. 27.

In Canone Miſſæ.

XXX.

Aliud in Sacrificio notatu dignum; quod hoc fæculo, quotidie illud frequentatum video. nam ita Chryſoſtomus: *Menſam iſtam præparavit Deus ſervis & ancillis, in conſpectu eorum; ut QVOTIDIE in ſimilitudinem corporis & ſanguinis Chriſti; panem & vinum ſecundum ordinem Melchiſedech, nobis oſtenderet, in Sacramento.* & Gaudentius Brixienſis

Chryſoſto. in Pſal. 22.

Episcopus addit indesinenter id fieri solitum, à cunctis Ecclesiis, ex præcepto & institutione Christi, ita scribens: *Voluit Christus beneficia sua permanere apud nos: voluit animas pretioso suo sanguine semper sanctificari per imaginem propria passionis. & ideo discipulis fidelibus mandat; quos primos, & Ecclesiæ suæ constituit Sacerdotes; ut INDESINENTER ista vitæ æternæ mysteria exercerent: quæ necesse est, à cunctis Sacerdotibus, per singulas totius orbis Ecclesias celebrari; usquequò Christus iterum de cælis adveniat: quo & ipsi Sacerdotes, & omnes pariter fidelium populi exemplar passionis Christi ante oculos habentes, QVOTIDIE & gerentes in manibus, ore etiam sumentes, & pectore, redemptionis nostræ indelebili memoriâ teneamus: & contra venena diaboli, dulcem medicinam sempiternis tutamentum, consequamur.* Ita fuit Ecclesiæ primitivæ facies pulcherrima; cujus genas sanguis Christi ornaret quotidie. Quam etiam pietatem colligo eminuisse in Britanniâ, ex eo loco Gildæ, ubi sequentis sæculi nævos recensens, ait: *Britannia habet Sacerdotes, &c. rarò sacrificantes, & rarò puro corde inter altaria stantes.* Tunc enim invalescente Saxone, & in imperii occasu, tepuerat religionis ardor, qui in Fidei meridie præcesserat: tunc rarò factum, quod priùs fiebat quotidie. Idem tamen Sacrificium, eadem altaria, eadem Sacramenta manserant. & eadem Fides.

Gaudent. tract. 2. in Exod.

QUOTIDIE CELEBRATUM.

Gildas in Clerum correpst. praest.

XXXI. Longior fui in Sacrificii ritu, & ad altaria Britannorum: quia nepotes, nescio qui, in summo religionis actu, à majorum sensu exerrantes, in Sacrificium & altaria, magno sacrilegio peccaverunt. In aliis non morabor, quæ hodie usurpamus, Sanctorum cultum, crucis, & imaginum, Sacrificii supellectilem, templorum ornatum, splendoremque; quia fatentur omnia Magdeburgici: & tacentibus ipsis Scriptura clamabit; *Domum tuam decet sanctitudo, Domine.* unde *testimonia tua credibilia facta sunt nimis.* Confessionis Sacramentum frequentarunt; qui altaris Sacramentum acceperunt. & peccata sua Sacerdoti propalare soliti sunt. Unde M. Basilius: *Necessariò iis peccata aperiri debent: quibus credita est dispensatio mysteriorum Dei.* in regulis Brevio. & Grego. Nissenus, orat. in mulierem peccatricem. *Afflictionis participem sume Sacerdotem; audacter ostende illi quæ sunt abscondita.* Ambrosius de clavium potestate, disputans in Novatianos (l. 1. de pœniten.) *Ius hoc* (inquit) *solis Sacerdotibus permissum est: Rectè igitur Ecclesia vindicat, quæ veros Sacerdotes habet: hæresis vindicare non potest: quæ Sacerdotes Dei non habet.* In eundem planè sensum Lactantius orthodoxæ Ecclesiæ notam characteristicam ponit confessionis hujuscemodi Sacramentum. nam ait: *Sed tamen, quia singuli quique cætus hæreticorum se potissimùm Christianos & suam esse Catholicam Ecclesiam putant: sciendum est, illam esse veram in qua confessio & pœnitentia, quæ peccata, & vulnera, quibus subjecta est imbecillitas carnis, salubriter curat.* l. 4. divin. institut. ubi confessionis Sacramentum, in circumcisionum locum successisse eleganter notat. Et præter Acesium, & tenebras illas, nullæ inferorum portæ in Confessionis Sacramentum sese armavere. Egressus è templo; si mentes hominum ingredior, aut quæro fidei dogmata controversa; quid de arbitrii libertate, de merito operum, de Sacramentorum efficaciâ senserint: vix ulla erit difficultas: quia sonora sunt omnia: nec adversarii contradicunt, sed & ipsa Monasteriorum rudera, non nudè argumentum est. De duobus tantummodo litigant: vel potiùs, ne Romæ cogantur subesse, vi argumentorum omnium; dicunt primò Pascha à Britannis alio, quam Romano more celebratam: iterum Britannorum Sacerdotes conjugatos fuisse. Orienti ergo & Græciæ; non Romæ aut Occidenti debemus omnia. Hoc sophismate, quinque sæculorum fidem obliterant, & novam Babelem ædificant tam imperitè; ut ad illam labefactandam vix ullo opus sit ariete. Qui enim controversiam de Paschate, vel lippientibus oculis aspexerit, & Authores græcos, latinósve, qui illam tractaverunt, evolverit; duo facile colliget: primò, nullam in Occidente provinciam hoc sæculo. Græcorum Pascha secutam. & iterum Britanniam, postea quidem in ritu peccantem; immanè à Græcorum more absuisse. Cæterùm quòd Constantini sæculo, cum Româ fuerit, testatus est ipse Constantinus gravissimis literis, quas suprà recitavi. & ideo nullus est dubio locus. Immò inde optimè probatur, omnem Insulam Romæ paruisse: quia factiosi, quibus argumentis servitutem exuere conantur, iisdem ipsi capiuntur. Videamus aliud caput sophismatis.

Psal. 92.

An. 325. 30.

XXXII. Quia Restitutus Londinensis Episcopus, à quibusdam exoratus aliquando fuisse dicitur: Inde, nescio qui uxorii homines, duo concludunt: & Britanniæ Sacerdotes matrimonia contraxisse promiscuè: & Insulam sine dubio ab Oriente doctam atque institutam. Fundamentum hujus paradoxi sunt Bedæ verba, ita de Aldelmo scribentis: *Scripsit librum egregium adversus errorem Britonum; qui vel Pascha non suo tempore celebrant, vel alia perplura Ecclesiastica castitati & paci contraria gerunt:* Evertam suo loco hoc levissimum fundamentum: ostendam Bedæ locum vitiosum esse: legendumque ut insinuavi ad an. 325. n. 41. non castitati sed charitati manifestè probabo ad an. 692. hic tantum dicam, quæ huic sæculo propria sunt. nam *perplura* illa, non ad hunc fidei meridiem, sed ad occasum potius referenda, & ad infidelitatis noctem. Videndum itaque an macula hæc quarti sæculi sinceratiorem Remp. infecerit. Quoniam verò propolæ nostri in Orientem solvunt, petuntque inde Britannorum incontinentiæ argumentum: necessariè Oriens lustrandus est, & Ecclesiarum ibi status. Enimvero si illic castitas in pretio fuit, si fœminæ commercium Sacerdotibus prohibitum, si Synodorum authoritate præcepta continentia: debent novi institores laxius sæculum & blandiorem ætatem expectare, priusquam hanc incontinentiæ mercem inde nanciscantur.

Bed. l. 5. c. 19.

SACERDOTUM CÆLIBATUS.

XXXIII. Nicæni Patres can. 3. gravissimis verbis caverunt; ne Sacerdotibus & fœminis contubernium unum esset, ut suprà: ubi sectariorum commenta, & Paphnutii intercessionem recensui. Addo nunc Hieronymi testimonium, viri in Oriente & Nicænis Patribus versatissimi. *Quid facient*, inquit, *Orientis Ecclesiæ? quid Ægypti, & Sedis Apostolicæ; quæ aut virgines clericos accipiunt, aut continentes; aut si uxores habuerint, mariti esse desistunt.* Nihil ergo Britanniæ nostræ expectandum ab Oriente: nec potest clerus inde uxores petere. nam legi aliquando, hoc ipso sæculo, Britannos peregrè castitatis amore profectos, & forte in Orientem: nunquam legi incontinentiæ suffragium inde quæsivisse: donec Lutherus barbarè locutus, cum solœcismum latinum defendere

An. 325. 38.

Hiero. con. Vigilant. c. 1.

non posset, cœpit græcizare; & eo pallio tegere turpitudinem suam. Cæterùm Britanni quanti hoc sæculo fecerint continentiæ virtutem, non solùm augustissimi testes sunt Constantinus & Helena: sed S. Hieronymus scribens ad Marcellam ita stipulatur: *Certè flos quidam, & pretiosissimus lapis inter Ecclesiastica ornamenta, Monachorum & virginum chorus est. Quicumque in Gallia fuerit primus, huc properat. Divisus ab orbe nostro Britannus, si in religione processerit, occiduo sole dimisso quærit locum, fama sibi tantum, & Scripturarum relatione cognitum. Quid referemus Armenios, quid Persas, quid Indiæ, quid Æthiopum populos, ipsamq; juxtà Ægyptum, fertilem Monachorum.*

Hiero. Epist. 17 ad Marcellam.

XXXIV. CONCLUSIO PRO BRITANNORUM FIDE.

Concludo pro Britannorum Ecclesiis, pro Fide Regiâ ritibusque hujus Insulæ, nihil exoticum, nihil Asiaticum; nullas Græciæ sordes Remp. infecisse. Constantinus enim Nicææ pro civibus locutus; non solum Synodi decretis subscripsit ipse: sed ubique illa servari præcepit. nos itaque sine ullo dubio dictatam Paschatis diem, & sancitam continentiæ legem; cum cæteris omnibus (de quibus nemo dubitat) excepimus. unde constat, quærenti penitiùs, quid Britanni hoc sæculo crediderint, Nicænos canones eorum fidei compendium esse. & quod contemplari jucundissimum est, Britannorum fidem, & universi Orbis, unam, eandem, & individuam fuisse: ut expressè scripsit ad Jovianum Imperatorem M. Athanasius, dum orthodoxam fidem exponit ita: *Cognosce igitur, religiosissime Auguste, hanc esse, quæ à condito ævo prædicata fuit; & quam Nicææ Patres congregati agnoverunt; ejusq; suffragatrices esse omnes, omnibus in locis, Ecclesias: sive in Hispaniâ sint, sive in BRITANNIA, Galliâ, Italiâ universâ, Dalmatiâ, Daciâ, Mysiâ, Macedoniâ, sive universâ Græciâ, totâ Asiâ, Sardiniâ, Cypro, Cretâ, Pamphiliâ, Lyciâ, Isauriâ, Ægypto, Libyâ, Ponto, Cappadociâ; itidem quotquot nobis vicina sunt, necnon & Orientis Ecclesias; paucis admodum exceptis, quæ Arianæ opinionis sunt. Omnium enim illorum, & adhuc longinquiorum animos experimentis cognovimus, & scripta habemus.* Hæc ille. Britannorum ergo animos Athanasius exploravit, eorum scripta habuit, invenitque illos cum omni orthodoxo orbe concordes; cum illis solum differentes, qui dictatum à Patribus ritum Paschatis, & consubstantialem Filium factiosissimè negaverunt. Hinc potuit Joannes Chrysostomus verè dicere: *In quamcumque Ecclesiam ingressus fueris, sive apud Mauros, sive apud Persas, sive apud ipsas Britannicas Insulas, clamantem Ioannem audis; non licet tibi uxorem Philippi fratris tui.* ita ille hom. 28. in 2. ad Corint. 12. & iterum: *Quocumque ieris, ad Indos, ad Mauros, ad Britannos, usque ad ultimum finem terrarum, invenies, In principio erat Verbum, & vitam religione plenam.* ita vel Chrysostomus, vel æqualis illi, in sermone de Pentecoste coram Arcadio Augusto. & habetur to. 5. operum Chrysosto. pag. 979. edit. Savil. Decumana ergo calumnia est, & modernæ tantum frontis fictio, dicere; Britannos, Constantini sæculo, cum peccante Asia potiùs, quàm cum orthodoxo orbe fuisse. De nube, quæ cælum aliquando obscuravit, è Priscilliani potius quàm Arii cerebro, formata; suprà dixi, illam nec solem, nec lunam, nec sidera aliqua: sed viliora tantum elementa corrupisse, salvâ Britannorum Fide Regiâ.

Athanas. de fide ad Iovia.

An. 385. 10.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1152.

ANNUS CHRISTI 401.

ANASTASII PAPÆ 4.

HONORII IMP. 7.

I. CAUSA DUPLEX EXCIDII BRITANNORUM.

QUINTUM sæculum ingressurus, & Britannici regni occasum; circumspicere debeo, & legere declinantis imperii causas; sive illas, quæ Insulam externo hosti servire fecerunt, sive, quæ ex Regiæ Fidei deliquio, læserunt Remp. sanctiorem. Etenim tam pulchrè symbolizant, & tam insigni fœdere coeunt, Ecclesiæ Regumque jura, ac majestas; ut unà crescant, & decrescant: oriantur simul, & occidant. Suprà id notare licuit in M. Constantino; qui Ecclesiæ & insulis cedens plurima, auctior & ipse factus est regnorum amplitudine, & victoriis. Et rursum filii & nepotes, qui Ecclesiam fidemque læserunt; amiserunt etiam partam à majoribus gloriam, traxeruntque Ecclesiam in miseriarum partem. Ita Insula nostra, quæ quondam sub Lucio, Helenâ, Constantino, piissimis Principibus, eleganter steterat: iis discedentibus, & tyrannis undique emergentibus, qui fidei negotium in postremis habuerunt, languere cœpit, in utraque Rep. declinare paulatim, & tandem occidere. Æternam hanc rerum omnium legem, ac vicissitudinem non excutio: nec illos Gildæ sapientis questus; ubi Britannici regni excidium deplorans, articulatè causatur, Reges, Principes, Sacerdotes, denique populum; Deum criminibus suis iratum, ad flagella provocasse. Generale illud est, & omni cladi prævium: & pro concione eruditè dicitur: sufficiat historiæ illud innuisse, quæ magis calamitatum species, quam causarum genera explicant. Duo itaque fuerunt, quæ post Regiæ Fidei insignem auroram, ortum, & meridiem; vesperum aliquem, & veluti utriusque Reip. occasum, induxere. Absentia militum, qui vicinorum hostium impetus frangerent: & nova hæresis, sive primò in hac Insula concepta; quod non opinor; sive demùm vulgi inconstantiâ, fota. Pelagium intelligo, hujus sæculi monstrum. De utroque dicendum, servato quoad licet, rerum hic gestarum ordine.

MILITUM ABSENTIA. FIDES CORRUPTA.

II. ROMANI IMPERII INFIRMITAS, CAUSA LANGUENTIS INSULÆ.

Principio, Romani plura avidiùs hauserant; quàm poterant cum laude digerere. Hinc nata intemperies; quæ membra primùm, mox vitalia corripuit: & demum hinc elanguit corpus universum. Quemadmodum igitur, affecto, læsoque corde, contrahitur eò sanguis, extrema deserens: ita Romanæ provinciæ, quæ procul erant, sub ægro, & non sibi sufficiente capite, exhaustæ viribus, & exangues mansêre. Britannia, Romani imperii, & orbis extremum, superiori sæculo, multum sanguinem miserat, ad illius Reip. arcem tuendam: quid ergo mirum, si exhausta, inermis, & hostium injuriis obnoxia, tandem periit? Dudum juventus omnis, armis assueta, foris militare coacta est, non tantùm in Gallis, & Hispaniis, quæ propè sunt; sed in Illyrio, in Ægypto, & remotiore etiam Armenia. Ut autem curiosus Lector, uno quasi intuitu videat; quàm nuda à militari manu, & exanguis Britannia fuerit, sub hæc tempora, colligam, si non numerum militum, qui educti hinc, foris

meruerunt,

meruerunt, in castris Romanorum; quod profectò non est obvium, at saltem eorundem epitomem aliquam. Atque ita omnino mirum videbitur; si Scotis & Pictis Septentrionem Insulæ prementibus; vocato propterea, admissoque intra ipsa viscera Saxone, Romana hæc provincia; tandem victa succubuerit.

III. BRITANNI MILITES EDUCTI.

Igitur præter eum militem, quem nuper Maximus, & olim M. Constantinus eduxerunt è Britanniâ; hæ alæ, hæ cohortes, hæc auxilia scripta sunt, & in Romanas provincias distributa, ut ex libro notitiæ provinciarum, è saxis, & marmoribus eruderavit accuratus author Guilielmus Camdenus, qui ita illa recitat:

Camd. Romani in Britan.

Ala Britannica milliaria.
Ala IIII. Britonum in Ægypto.
Cohors Prima Ælia Britonum.
Cohors III. Britonum.
Cohors VII. Britonum.
Cohors XXVI. Britonum, in Armenia.
Britanniciani, sub magistro peditum.
Invicti juniores Britanniciani. } Inter auxilia
Exculcatores jun. Britan. } Palatina.
Britones cum magistro equitum Gallarum.
Invicti juniores Britones, intra Hispanias.
Britones seniores, in Illyrico.

Addi his debet Legio illa quam Romani eduxerunt; cum post aliquot annos, ut dicetur, Alaricus Romam obsideret, de qua Claudianus.

Claudian.

Venit ab extremis Legio prætenta Britannis:
Quæ Scoto dat frena truci, ferroq; notatas
Perlegit exanimes, Picto moriente, figuras.

IV. RESIDUI DESIDES, ET TIMIDI.

Si omnes hæ copiæ, extra Britanniam militabant; meritò conquestus est Gildas, spoliatam esse Insulam omni juventute: atque ita factam hostibus prædam. Hanc excidii causam Malmesberiensis ita explicat: *Cum tyranni in agris, nullum præter semibarbaros; nullum in urbibus, præter ventri deditos, reliquissent: Britannia omni patrocinio juvenilis vigoris viduata, omni exercitio artium exinanita, conterminarum gentium inhiationi diu obnoxia fuit. Siquidem è vestigio, Scotorum & Pictorum incursione, multi mortales cæsi, villæ incensæ, urbes subrutæ, prorsus omnia ferro incendioq; vastata. Turbati Insulani, qui omnia tutiora putarent, quàm prælio decernere, partim pedibus salutem quærentes, fugâ in montana contendunt; partim sepultis thesauris, quorum plerique in hac ætate defodiuntur, Romam ad petenda suppetias ire intendunt.* Hæc ille. qui porrò pergit narrare; Romanos, qui Insulam exhauserant, eidem labenti non potuisse manum porrigere; cum ipsa quoque, sub tot provinciarum pondere, laberetur. Quod ipsum paucis explicuit Prosper Aquitanus, cum ait: *Hac tempestate, præ invaletudine Romanorum, vires funditus attenuata Britannia.*

Malmesb. de gest. Reg. l. 1. c. 1.

Prosper.

V. BRITANNORUM PECCATA.

Altera causa, excidii fuere Britannorum peccata; & illud imprimis monstrum, quo nullum tetrius ex inferis emersit; hæresis, inquam. Nescio enim quo pacto, dissimulare solet Deus alia crimina, & illa serò ulcisci; hanc verò fidei deformitatem impatientissimè ferre propter hanc delere urbes, evertere provincias, dissolvere imperia.

HÆRESIS PUNITUR.

Olim Judæi frequentibus peccatis provocaverant iram Dei; sed nunquam magis castigati, quàm cum relicto Deo vivo & vero, adhæserunt diis alienis. Tunc enim penitùs distracti, tunc inimicis traditi, frequentem & modò æternam servitutem serviunt. Pelagius in Dei gratiam illiberaliter peccaverat, & orbem ferè totum novo paradoxo corruperat. Britanni notum hominem complexi aliquando, prioribus ignorantiæ tenebris, ejus insaniam comminiscentes; Insulæ fidem magis & magis infecerunt. vulgus enim novitatis avidum, & inconstans; ut suprà Gildas, quodlibet perfidiæ virus, & errores quoslibet hauriebat: atque ita provincialium animi, Spiritus sancti gratiam, quam ille presserat; mereri minimè potuerunt. Has duas causas Britannicæ calamitatis in sequentibus explicabo: nisi fortè placet utramque conjungere, & unam compendio ita facere. Romani, cum Insulam subjugarunt; servitutis quidem jugum provincialibus imposuere; sed eos interim liberalium artium culturâ mitigant. Unde non tantùm politi mores; sed scientia rerum major, doctiores scholæ, & illustrior inde Christiana fides. Iisdem verò hoc sæculo recedentibus, & fremente undiquè armorum strepitu, ut mores à primâ pulchritudine paulatim abiverunt; ita inculta ingenia, intermissa studia, indocta juventus, facilem errori locum fecerunt. Pertinacia errori juncta, monstrum parit: & partus ille, à patria virtute & sanctitate degener, prostituit fidem, Ecclesiam, regnum, omnia. Quomodo hæc acciderint, servata annorum serie, conabor exponere; sumpto initio, unde nostrarum miseriarum initium cæpit.

VI. An. 395. 8. ALARICUS DESCENDIT IN ITALIAM.

Alaricus, quem suprà Gothorum Regem dixi, & calamitatis instrumentum; hoc anno quadringentesimo primo, Vincentio, & Fravitta Consulibus, è Pannoniis, per Noricas Alpes, in Tridentinum saltum descendit; pulsoque inde Honorii præsidio; progressus porro fuisset; nisi Stilico, in Rhetias profectus, exercitum apparasset. Pelli tamen ex Italiâ Alaricus non potuit, hoc saltem anno: quid factum sequenti, mox videndum. Nascitur enim priùs ex Arcadio & Eudoxia, Theodosius Junior; moritur autem Martinus, Turonensis Episcopus, vir vita & morte mirabilis.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1153.

ANNUS CHRISTI, 402.

ANASTASII PAPÆ 5.

HONORII IMP. 8.

I. STILICO IN ALARICUM FORTITER SED FRAUDULENTER PUGNAT.

ANNO Christi quadringentesimo secundo, Arcadio & Honorio V. Coss. cum Stilico Comes, in Rhetiis, exercitum instruxisset; rebus ibi compositis; magnis itineribus, in Italiam redit, & Alaricum Hetruriæ incubantem, arcique Romani Imperii minitantem sistit; initoque certamine, fregit, vicit, fugavitque. Sed quâ erat regnandi ambitione, delere penitùs hostem noluit: ut turbatis rebus consilia pessima tegerentur, quo quieta Rep. vel faciè cerni, vel è vestigio evanescere possent. Alaricus tamen cedere, & non Etruriam modò, sed omnem etiam Italiam excedere cogitur, & redire in Pannoniam.

II. ANASTASIUS PAPA MORITUR.

Eodem anno, Anastasios Papa moritur, qui insigni constantiâ, orthodoxam fidem, contra varios errores sartam tectamque servavit. de quo sanctus Hieronymus. *Succedit in Pontificatum,* inquit, *vir insignis Anastasius, quem diu Roma habere*

Hiero. ep. 10

non

non meruit, ne urbs caput, sub tali Episcopo, truncaretur. Immo idcirco raptus atque translatus est, ne semel latam sententiam precibus suis flectere conaretur: dicente Domino ad Hieremiam: Ne oraveris pro populo isto, neque depreceris in bonum: quia si jejunaverint, non exaudiam preces eorum. etsi holocausta & victimas obtulerint, non suscipiam eas; in gladio enim, & fame, & pestilentia consumam eos. Ecce debet Roma castigari, imperium ejus declinare, & secum trahere plures provincias. unaque cum illis Britanniam.

Hieron. 14.

III. Innocentius Papa,

Anastasio successit Innocentius, patria Albanus (non Scotus ut vult Dempsterus l. 6. Historiæ Ecclesiasticæ) de cujus fidei integritate, ita ad Demetriadem virginem S. Hieronymus: *Quia vereor, imo rumore cognovi, in quibusdam adhuc vivere & pullulare venenata plantaria: illud te pio charitatis affectu præmonendam puto, ut S. Innocentii, qui Apostolicæ cathedræ, & Anastasii successor & filius est, teneas fidem; nec peregrinam (quamvis tibi prudens, callidaque videaris) doctrinam recipias.* Ecce cavet vir doctissimus, virgini in Africa cum Augustino M. degenti; ut in rebus fidei, non aliam Ecclesiam, nec alios Doctores audiat, quàm Petri successores. quod, ut suprà ostendi, Regiæ Britannorum Fidei solemne fuit. Hieronymus ergo censuit, quod olim censuit Irenæus, ad Romanam Ecclesiam fideles omnes convenire debere, propter majorem principalitatem ejus. Unde quod dixit aliquando Hieronymus (& refert illud ad hunc annum Baronius. *Nec altera Romanæ urbis Ecclesia, altera totius orbis existimanda est. Et Galliæ, & Britanniæ, & Africa, & Persis, & Oriens, & India, & omnes barbaræ nationes unum Christum adorant, unam observant regulam veritatis. Si authoritas quæritur, orbis major est urbe. Ubicunque fuerit Episcopus, sive Romæ, sive Eugubii, sive Constantinopoli, sive Rhegii, sive Alexandriæ, sive Tanis; ejusdem meriti, ejusdem est & Sacerdotii. Potentia divitiarum, & paupertatis humilitas, vel sublimiorem, vel inferiorem Episcopum non facit: cæterùm omnes Apostolorum successores sunt.* Hæc, inquam Hieronymi sententia, in qua factiosi anarchiam ædificant, & paritatem Ecclesiarum; facilè è superiori solvitur; ut fidei, & jurisdictionis Sacramentum, ab ordinis Sacramento distinguas. In primo, Romana Sedes ita eminet, ut omnis Africa, & quicquid Christiano orbe continetur; eò convenire, illam præ cæteris audire & revereri, ipso Hieronymo gravissime attestante, teneatur. verùm in ordinis Sacramento puritas, nec jurisdictioni officit, nec eminentiæ.

Hieron. ep. 8

Fius fidei integritas.

Hieron. ep. 85.

Aliud ordo, aliud jurisdictio. In uno pares omnes Episcopi, non in alio.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1154.

ANNUS CHRISTI 403.

INNOCENTII PAPÆ 2.

HONORII IMP. 9.

Alarici et Stiliconis mala conventio.

Alaricus hoc anno quadringentesimo tertio, Theodosio Augusto & Rumorodio Coss. cum Stilicone convenit, aperto quidem fœdere, ut ipse Pannonias Arcadio cederet, seque in Epiro contineret. verùm si pacta, ex eventu, metimur: Alaricus cessit, & recessit; ut collectis viribus animosior rediret. Quod hoc eodem anno in Italiam redierit, & à Stilicone superatus sit, apud Pollentiam habet Baronius. Addit Usserius eductam è Britanniâ legionem, quam Stilico ibi adversus Scotos & Pictos collocaverat. & in Italiam revocatam in hoc Pollentino prælio conflixisse an. Christi 403. de quo Claudianus l. de Bello Getico:

V. fol. 595.

Venit & extremis Legio prætenta Britannis
Quæ Scoto dat fræna truci, ferroque notatas
Perlegit exanimes Picto moriente figuras.

Roma interim adversus ferocissimum hostem, novis mœnibus munitur. quod eleganter Claudianus expressit his versibus:

Roma mænibus munitur.

Claudian. de sexto Honorii consulatu.

Addebant pulchrum nova mœnia vultum,
Audito perfecta recens rumore Getarum:
Perfecitque, opifex decoris timor: & vice mira,
Quam pax intulerat, bello discussa senectus,
Erexit subitas turres; cunctosque coëgit
Septem continuo montes juvenescere muro.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1155. 1156.

ANNUS CHRISTI 404. & 405.

INNOCENTII PAPÆ 3. 4.

HONORII IMP. 10. 11.

I. Pelagii initia,

Hic alteram aggredior Britannici excidii causam, quæ iram Dei provocavit in filios diffidentiæ. Hæresim, inquam, quæ Insulam corripuit, infecitque adeo, ut supremi pastoris ope. opus fuerit, & manu medicâ. quæ semel iterumque porrecta, vix tandem malo suffecit. Pelagius pessimi erroris author, orbem corrupit, fæcemque quam foris collegerat, in patriam invexit. Quod attinet ad ejus exordia, & quo tempore venenum sparserit, controversum est: quia tamen omnes consentiunt, initium hujus sæculi, eo morbo, corruptum esse, de eo nunc agendum. Sigebertus in Chronico, cum annum Domini quadringetesimum quartum consignasset, (ubi Consules Honorius VI. & Aristenetus notantur) mox infert. *In Britanniâ Pelagius execrabili doctrinâ, Ecclesiam Christi maculare nititur; docens hominem sine gratiâ salvari posse suis meritis: unumquemque ad justitiam, propriâ voluntate regi, infantes sine peccato originali nasci, & tam insontes esse, quàm fuit Adam ante prævaricationem: nec ideo baptizandos ut à peccato solvantur: sed ut per adoptionem in regnum Dei admittantur: Qui etsi non baptizentur, esse tamen eis, extra regnum Dei, æternam & beatam vitam.* Ita ille. & quod ad tempus spectat, author vitæ S. Albani apud Capgravium, idem ferè censet. nam ait: *Circa annum Domini quadringentesimum quartum, Pelagius Brito, Abbas illius famosi Monasterii de Bangor extitit; ubi duo millia Monachorum, & centum laboribus manuum vitam suam ducentium, sub uno Abbate militabant.* eadem habet Joan. Tinmutensis. Felix adhuc Insula, ubi tantus Monachorum, & Deo religiosè servientium numerus: Infelix tamen, quòd quæ hactenus, in omnem terram emiserit viros fidei & sanctitate eximios, nunc vitiosissimum partum, obstetricante dæmone, mundoque gemente, ediderit Pelagium.

Sigeb. an. 404.

Errores ejus.

Capgra. in Albano, & Ioan. Tinmutensis.

Sed

II. PATRIA

Sed ecce dum excutio tempus, quo Pelagius mundo innotuit; occurrit aliud dignum quæstione: cujas, inquam, ille & unde patria? Gordonius noster ad an. Domini quadringentesimum quintum (ubi Consules ponuntur Stilico iterum, & Anthemius.) *Pelagius senex*, inquit, *& vagus Monachus* (cujas fuerit incertum) *hæresiarcha innotescit*. Alii tamen quicquid ille incertum vocat, certò affirmarunt Britannum esse: quod licet non videatur operæ pretium fusiùs explorare, quia tamen ad Ecclesiasticam historiam facit, liberabo meam fidem antiquis testibus. Prosper Aquitanus, de Pelagio & Juliano ejus comite agens, ita scripsit:

Gordon an. 405.

BRITANNUS.

Contra Augustinum narratur serpere quidam
Scriptor, quem dudum Livor adurit edax.
Qui caput obscuris contectum utcunque cavernis
Tollere humo miserum pertulit anguiculum.
*Aut hunc fruge sua, * æquorei pavere Britanni;*
Aut huic Campano gramine corda tument.

Prosp. in carmi. cont obtrectator. Augustini.

** Alludit ad nomen Pelagii: quod ab æquore, & pelago dicitur unde vulgo Morgan appellatus nam mor. mare Britannis erat*

Ad quæ verba, benè & è mente Prosperi, notatur in margine: Pelagius Brito, Julianus Campanus. nam idem author initio libri, de ingratis, qui est contra Pelagianos; apertè satis Pelagium Britannum vocat, eo carmine:

** Dogma quod antiqui satiatum felle draconis*
Pestifero vomuit coluber sermone Britannus.

** Idem l. de ingratis c. 1.*

ubi Pelagianum dogma fusiùs explicat, & persequitur; ac demum concludit, authorem illius Britannum fuisse, ita impietatem ejus execratus.

I procul insana impietas, artesq; malignas
Aufer, & authorem comitare exclusa Britannum.

Idem sup. c. 34.

III.

A discipulo non dissentit magister Augustinus, qui Pelagium vocat cognomento Britonem, ita scribens in Epistolis. *Pelagium, quem credimus* (ut ab illo distingueretur, qui Pelagius Tarensi dicitur) *Britonem fuisse cognominatum; quod ut servum Dei dilexerit novimus: nunc autem quemadmodum diligas ignoramus. nam & nos non solùm dileximus, verum etiam diligimus eum: sed aliter nunc diligimus; aliter aliquando dileximus. Tunc enim quia nobis recta fides videbatur: nunc autem, ut ab ea, qua inimica, & adversa gratia Dei sentire dicitur, illum misericordia liberetur.* Hæc Augustinus. Alii etiam communiùs, Britannum, vel Britonem, sine ullâ hæsitatione appellant; ita [a] Beda, [b] Genebrardus, [c] Polydorus Virgilius, [d] Baronius, [e] Bellarminus, [f] Albertus Stadiensis, [g] Alstedius, & plures alii. Cæterùm dubitari adhuc potest; ex quâ Britanniæ parte, hic novus hæresiarcha prodierit: ex illane, quam Romani tenebant, ac passim dicebatur Romana provincia; an verò, ex incultiore alterâ, quam necdum aut Picti aut Scoti polluerant.

Augustin. epist. 106.

a *L. 1. c. 10.*
b *L. 3 bre*
c *L. 3. histor.*
d *An 420.*
e *In Chronolog.*
f *An. 405.*
g *Cap. 31.*

IV. NUM BRITANNO-SCOTUS.

Et quoniam suprà, facta est mentio Banchorensis Monasterii; videri potest in Romanâ provinciâ natus; quæ proprissimè Britannia dicebatur; & ubi dictum Monasterium stabat florebatque. Verùm quia S. Hieronymus videtur affirmare Scotum fuisse; eliminant aliqui illum, è Romanâ provinciâ, & amandant ad montes; unde nostro etiam sæculo tenebræ iterum, erroresque prodierunt. uam de illo ita Hieronymus. *Nuper*, inquit, *erupit indoctus calumniator, qui commentarios meos in Epistolam Pauli ad Ephesios, reprehendendos putat*. & iterum de eodem. *Nec recordatur stolidissimus Scotorum pultibus prægravatus*, &c. *Quibus planè signis*, inquit Baronius, *videas descriptum esse Pelagium, natione Britannum, voluptuosum tunc Monachum*. Posset quidem eodem modo ex Hieronymo confici non leve argumentum, Pelagium Scotum, hoc est, Hibernum fuisse. nam alibi de Cælestio hæretico, & Pelagio loquens, ita ait. *Ipse mutus latrat per Alpinum canem grandem, & corpulentum; & qui calcibus magis possit sævire, quàm dentibus; habet enim progeniem Scoticæ gentis, de Britannorum viciniâ.* qua Periphrasi videtur potiùs Hibernus describi, quàm Britanno-Scotus. Sed facilè trahitur Hieronymus in sensum Augustini, Prosperi, Bedæ & aliorum; si dixeris eum, Britanniæ nomine, intellexisse solum Romanam provinciam; quæ revera in Scotorum viciniâ erat: ac proinde, Pelagius, si non Romano-Britannus; dici tamen poterit Britanno-Scotus. Hanc esse Hieronymi mentem, patet ex eo, quod idem ad Ctesiphontem scribens, Pelagio patriam exprobrat, vocatque *Britanniam tyrannorum fertilem*: ubi Scoticæ quoque gentis mentionem facit. Sed quid si in Hieronymo legendum est, non Alpinum, sed Albinum canem? tunc sine dubio Britanniam nostram, non Hiberniam intelligit. Scimus certè Britanno-Scotos: Albienses Scotos appellari: qui etiam Albanenses, & Albini vocantur. ut habet Buchananus: de Alpinis canibus nullibi mentio: de Britannicis ubique. Videat ergo Lector quid de Hieronymi loco censendum. Hæc de ejus patriâ. nunc dicendum de tempore, quo innotuit: quod alii priùs, posteriùs alii consignant, ob causam mox assignandam.

Hieronym. Præfa. in lib. 1. Hieremi.

Baron. an. 420.

Hierony præfat. in l. 3 Hieremia.

V. PELAGIUS QUANDO INNOTUIT,

Pelagius, ut erat vagus Monachus, & nulli sedi, locóve affixus; ita vagè ab authoribus ponitur principium ejus, & hæreseos exordium. Et quoniam modò hic, modò illic innotuit: nunc Orientem, nunc Occidentem inficiendo, impio dogmate, quoniam etiam variis in locis, vario tempore, variisque in Synodis, non uno percussus est anathemate; ideo authores, de errorum initio, variè loquuti sunt. Nec hi tamen ab his differunt; si omnia composueris. Adde quòd inconstans homo, non uno tempore evomuit virus omne: sed, quà crescente audaciâ, quà hæresis genio, vires accepit eundo: & posito semel impio fundamento, auxit subinde molem, & perfidiæ acervum. Denique vidit aliquando, & confessus est fœditatem suam: admissus est cum orthodoxis, visusque est errores posuisse. Aliquando iterum ad vomitum rediit, & errori addidit pertinaciam. Sic versipellis homo, non uno sed diverso tempore cæpit sordescere; nam nunquam dici potuit claruisse: qui meridianæ luci, ratæ ac tot sæculis probatæ doctrinæ, de divinæ gratiæ virtute, & efficacia, certissimas tenebras induxit. Vidit hoc Beda, & noluit annum designare, aut definitum tempus apostasiæ ejus. Sed de Arcadii & Honorii imperio loquens, ait, eos anno Domini trecentesimo nonagesimo quarto regnum suscepisse, & tenuisse tredecim. *Quorum*, inquit, *temporibus, Pelagius Brito, contra auxilium gratiæ supernæ, venena suæ perfidiæ, longè lateq; dispersit*. Unde satis colligitur, eum sub initium hujus sæculi, infamem fuisse. Ideo parum, aut nihil à scopo erraverunt, Sigebertus, Capgravius, Joannes Tinmutensis, & Florilegus, qui dicunt exortam hæresim anno 404. aut Gordonius, Albertus Stadiensis, & alii, qui annum sequentem notant. Porro Baronius, & alii, ideo post quinque, aut sex annos, de Pelagio agunt; quia non nisi posterius, infecto orbe, Ecclesiasticis censuris percussus innotuit.

Bed. l. 1. c. 10.

QUANDO EXCOMMUNICATUS.

Dico

Dico itaque Pelagium, sub hæc tempora, peregrinari cœpisse, & sinxisse foris venenum; quo ipse postmodum, aliique crepuerunt. Vagus enim homo, & claustro non contentus; ut patriæ, ita fidei quoque, quam in patria didicit, fastidium habuit. Unde nihil mirum, si fæcem alicubi, & insinceram aliquando mercem inveniens, eam ipse suam fecit. Pelagius itaque patriâ egressus, modò in Italiâ, modò in Africâ, modò etiam in remotissimo Oriente, aliud nihil præter mentis inconstantiam didicit. Isidorus Pelusiota, qui hoc sæculo vivebat, Monachus doctissimus, & Monachorum Pelusiaci montis in Ægypto Abbas, S. Joannis Chrysostomi discipulus, ad discolum hunc Monachum, vagum, & instabilem, ac ubique ventri servientem, Epistolam scripsit, cum hoc titulo.

PELAGIO MONACHO.

VI. Isidori Epistola ad Pelagium. N. 314.

Cani effusi sunt in Ephraim; & ipse ignoravit. vitiosis nimirum affectionibus juvenescens. Eodem modo, tibi quoque ingens annorum turba canitiem invexit: & tamen rigidum atque inflexum animum habes; ex alio Monasterio ad aliud subinde migrans, atque omnium mensas perscrutans, & explorans. Quamobrem si tibi carnium nidor, atque obsoniorum condimentum, cura est; eos qui magistratum gerunt potius blandire, atque urbium caminos vestiga. Neque enim homines eremita facultates eas habent; ut te, quemadmodum tibi gratum est, excipere queant. Ita in Pelagium jam senem, Isidorus. Et hinc videre est, quo spiritu agantur, quem genium habeant, novorum errorum primi conditores. Sed vagantem hunc Monachum paululum relinquamus, donec adulta hæresis ad eum nos rursum revocaverit. Nec hic omittendum, quod sanctè aliquando vixerit: unde scripsit S. Chrysostomus ita: *De Pelagio Monacho, magno dolore affectus sum. Cogita igitur quot quantiq; coronis digni sint, qui forti animo in acie steterunt: cum viros qui tam pie, ac sanctè, tantaq; cum tolerantia vixerunt, abripi, atque in fraudem compelli videamus.* Hæc Chrysostomus.

VII. Sub idem tempus, quo Pelagius adhuc orthodoxus erat, sanctus Augustinus, se Romæ constitutum, Pelagii nomen eum magnâ ejus laude cognovisse fatetur. Unde literarum inter eos commercium extitit: & ecce unas ab Augustino illi datas cum hac epigraphe.

DOMINO DILECTISSIMO, & desideratissimo fratri, Pelagio Augustinus in Domino salutem.

Augusti. de gest. Palast. in causa Pelag.

Gratias ago plurimum, quod me literis tuis exhilarare dignatus es; & certum facere de salute vestra. Retribuat tibi Dominus bona; quibus semper sis bonus; & cum illo æterno vivas in in æternum Domine dilectissime & desideratissime frater. Ego autem etsi in me non agnosco præconia de me tua, quæ tuæ benignitatis epistola continet: benevolo tamen animo erga exiguitatem meam ingratus esse non possum. Simul admonens, ut potius ores pro me, quo talis à Domino fiam, qualem jam me esse arbitraris. Memor nostri, incolumis Domino placeas, Domine dilectissime, & desideratissime frater. Hæc Augustinus. Cæterùm quando Pelagii hæresis innotescere cœpit, dicam interiùs.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1157.

ANNUS CHRISTI 406.

INNOCENTII PAPÆ 5.

HONORII IMP. 12.

Sequitur annus Christi quadringentesimus sextus, Arcadio Augusto sextùm, & Anicio Probo Consulibus: quo Vandali, Suevi, Alani, aliæque gentes, *copiis viribusq; intolerabiles*, inquit Paulus Diaconus, *Rheno transito, in Gallias irrumpunt.* usus hac occasione Scotus & Pictus, qui prædæ & occasioni inhiabant; moliri res novas, limites suos egredi, & vicinam calamitatem vertere cœperunt in rem suam. Erat tunc in Britannia, qui pro Romanis & Insula olim militarat, Marcus quidam, de quo suprà, ad an. 396. Hunc subitò exercitus Imperatorem appellat: & ejus auspiciis repellere hostem conatus est. Sed ille tot turbis impar, ab inconstante milite amotus statim, & exauctoratus est, substituto in locum ejus Gratiano municipe: qui quatuor mensium facto tyrocinio, cum ineptus videretur, purpuram exuens, quam leviter induerat, occisus est, ut dicam anno sequenti. I. Turbæ in Britannia. Paul. Diac. l. 13. c. 29. Marcus purpura induitur. Mox exuitur. Gratianus municeps Imp.

II. Zosimus, omissâ Scotorum & Pictorum mentione, ita de tempore, & causâ creationis horum tyrannorum scribit. *Arcadio VI. & Probo Coss. Vandali, Suevi & Alani permisti, superatis Alpibus nationes transalpinas vastarunt: editaq; ingenti cæde, Britannicarum etiam exercitibus formidabiles extiterunt. Quos quidem eò perpulerunt: ut veriti ne progrederentur ulterius, ad tyrannos eligendos sese converterent. Marcum, inquam, & Gratianum, & secundum hos Constantinum*, &c. Ita iste: benè tempus definiens motûs horum barbarorum. nam quod ad creationem tyrannorum spectat, non hoc sed sequenti anno facta videtur. nam idem Zosimus paulò suprà dixerat: *Honorio VII. & Theodosio iterum Coss.* (est annus Christi 407.) *milites Britannici, seditione concitatâ, Marcum in regio solio collocant. eiq; tanquam rerum ibi ius locu potienti se subjiciunt. Eo deinde necato, veluti moribus eorum non respondente, Gratianum in medium producunt, & purpurâ coronaq; ornatum, ceu Principem solito satellitio comitantur. Verum & hunc improbato, post menses quatuor, imperium abrogant, & vitam eripiunt.* Hæc Zosimus. Quæ hoc anno, occasione motuum cœpta, in sequentem annum referenda sunt, ut ex ejus anni Consulibus colligitur. *Zos. l. 6.* *Idem suprà.*

III. Interim ut Pelagius Britanniam, ita Galliam Vigilantius hoc anno 406. fœdè hæresi corrupit. De quo S. Hieronymus. *Sola*, inquit, *Gallia, monstrum non habuit. exortus est subitò Vigilantius; seu verius Dormitantius, qui immundo spiritu pugnet contra Christi spiritum, & Martyrum neget sepulchra veneranda*, &c. *quæ Catholicus orbis detestatur.* Vigilantii hæresis. *Hieron. adv. Vigilantium.*

ANNUS URBIS CONDITÆ 1158.

ANNUS CHRISTI 407.

INNOCENTII PAPÆ 6.

HONORII IMP. 13.

I. Beda l. 1. c. 9. GRATIANUS IMP. OCCIDITUR

AD hunc annum ita scribit Beda: *Anno ab Incarnatione Domini quadringentesimo septimo, tenente imperium Honorio Augusto, filio Theodosii junioris, loco ab Augusto quadragesimo quarto, ante biennium Romanæ eruptionis, quæ per Alaricum Regem Gothorum facta est: cum gentes Alanorum, Suevorum, Vandalorum, multæq; cum his aliæ protritis Francis, transito Rheno, totas per Gallias sævirent; apud Britannias Gratianus municeps. tyrannus creatur, & occiditur.* ita ille. Occiso Gratiano; ob immanem tyrannidem, rursum Scoti incumbunt Insulæ; & quia Ro. miles sine principe & Duce erat, agros ubique depopulantur. de quo Galfredus noster Monumetensis, ita scripsit. *Gratianus municeps tantam tyrannidem in populum exercuit; ita ut, caterva facta, irruerent in eum plebani, & interficerent. Quod cum per cætera regna divulgatum fuisset; reversi sunt prædicti hostes, ex Hiberniâ, & secum Scotos, Norvegienses, & Dacos conducentes, regnum à mari usque ad mare ferro & flamma affecerunt.*

OB TYRANNIDEM. Galfredus.

II. CONSTANTINUS EX INFIMA MILITIA IMPERATOR. * Beda l. 1. c. 11.

Misera tunc rerum facies occupabat Insulam, quæ undique hostili manu septa, nec domi militem habebat, quem opponeret; nec Romanorum suppetias impetrare poterat foris. Quid igitur? Gratiani loco, *Constantinus, ex infima militia, propter solam spem nominis, sine merito virtutis eligitur,* * inquit Beda. addunt Nennius & Gervasius Dorobernensis, volenti, nolenti injectam purpuram in civitate Cair Segont in agro Hamtoniensi. Quod ad hunc annum 407. consignant Hermannus Contractus, Gordonius & Usserius, Camdenus; &c. Verùm priusquam novum Imperatorem purpurâ induo: quæro, unde hic Constantinus? aut quo jure Imperium capessit? Galfredus enim, qui multus est in Britannorum laudibus, narrat; quomodo extincto Gratiano, cum Scotus & alii, inimico impetu, premerent Insulam, Guano scilicet & Melga Ducibus; ut Guitelinus, Londinensis Archiepiscopus, in Armoricam iverit, ad Regem ibi, Adroënum peroraverit; ei Britanniæ imperium obtulerit, avorum, & proavorum jure 3 debitum: ac denique impetraverit fratrem ejus, Constantinum, qui postea genuit Constantem, Aurelium Ambrosium, atque Uterpendragonem. Hunc Authorem sequitur Florilegus, qui ita rem gestam narrat. *Anno gratiæ 435. Vvichelinus* (Guithelinus communiter vocatur) *Londoniensis Episcopus, scientiâ & virtutibus insignis habetur. Hic cum calamitatem Britanniæ abjectionemq; Romanorum miserationis intellexisset, transfretavit in minorem Britanniam, quæ olim Armorica dicebatur, ut auxilium à suis confratribus postularet. Regnabat tunc in illa Aldroenus Rex, à Conano quartus, cui Maximianus* (Maximum intelligit de quo suprà) *tyrannus regnum illud dederat. Qui viso tantæ reverentiæ viro, illum cum honore suscepit. At Episcopus adventus sui causam exponens in fletum prorupit, & dixit. Satis nobilitati tuæ patet, Rex, qualiter Maximianus, qui hoc regnum vobis contulit, & Insulam nostram suis militibus spoliaverit, qualiterq; à viris & feminis nobilioribus vacuam reliquerit; & quam miseriam nos nostriq; concives passi fuerimus, qui modo omnibus nationibus præda sumus, & rapinæ. Non solùm ab hoste deprimimur, sed fame morimur: maximè cum ab omni genere pabuli, excepto artis venatoriæ solatio careamus. Ab omni igitur alia spe repulsi, gratiam vestram adivimus, serenissime Rex, implorantes, ut præsidium adhibeas personaliter accedens, & regnum tibi debitum, expulsis barbaris, ad libitum disponas; populum regas; & patriam, quæ olim regna remota sibi subjecerat, ad pristinum statum reducas.*

Ussrius in primor. Brita. Ecclesiarum fo. 599. Camden. in Hamshire

GUITELINUS EPISCOPUS LONDINEN.

Floril. an 481.

EXPEDITIO EIUS IN ARMORICAM.

AD ALDROENUM REGEM ORATIO.

III. ALDROENI RESPONSIO.

Cumq; hæc & alia Episcopus diu allegasset: Rex in hunc modum respondit. Olim tempus erat, quo non negarem Insulam Britanniæ, recipere: sed quoniam infortunia accesserunt; vilior mihi facta est, & meis Principibus odiosa. Veruntamen eò quod avi, & atavi mei, illam Insulam tenuerunt; trado vobis Constantinum fratrem meum, & duo millia militum cum eo. Si Deus permiserit, patriam ab hostibus liberabit; atque diademate ibidem insignitus, cum gloria & honore regnum possidebit. Vix finem loquendi fecit Rex, cum Episcopus; vocato Constantino, viro in militiâ approbato, ei in hæc verba arrisit. Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat. Adsit igitur gratia Christi, Regi Britanniæ, qui est defensio nostra; ut Insulam miserrimam, ad pristinam reducat libertatem. Quid plura? paratis in litore navibus, eligitur, ex diversis regni partibus, supradictus militum numerus. Qui mare ingressi, in Totonensi portu prosperè applicuerunt. Nec mora confluxerunt undique Britones dispersi de latibulis & speluncis; & cum hostibus congressi, victoriam, per industriam novi Regis, & Beati VVichelini meritum, sunt adepti. Deinde factâ in Cicestria concione, erexerunt Constantinum in Regem, eiq; conjugem dederunt, ex nobili Romanorum prosapiâ ortam: quæ industria Beati VVichelini Londoniensis Archiepiscopi, fuerat educata. Ex quâ tres filios inclytos, Constantem, & Aurelium Ambrosium, atque Vterpendragon, processu temporis, generavit. Constantem primogenitum suum Deo sacrificavit, tradens eum in Ecclesia S. Amphibali, infra VVintoniam; ubi Monachalem ordinem suscepit. Aurelium Ambrosium, atque Vterpendragon Archiepiscopo Londoniensi commisit educandos. Hæc omnia Florilegus, quem Richardus Vitus, Joannes Pitsæus, & alii secuti sunt.

IV. GALFREDUS INTERDUM FABULATUR.

Verùm, in prædictâ narratione, ut etiam in universo Galfredi opere, quem supranominati Authores profusè nimis sequuntur, veris miscentur aliquando falsa, quæ quantum licet, ad limam revocanda, & aliorum scriptorum authoritate metienda, & corrigenda sunt. Certum imprimis est, extincto Gratiano, Constantinum accepisse Britanniæ Imperium, ut [a] Beda, [b] Ado Viennensis, [c] Paulus Diacoous, [d] Sigebertus, [e] Polydorus Virgilius, & ante omnes [f] Paulus Orosius, qui hoc Constantini sæculo vivebat, M. Augustini discipulus, & [g] Zosimus etiam, & [h] Zozomenus affirmant. Et ferè æquè certum est, eundem Constantinum, non è supremo aliquo ordine, aut magistratu; sed ex infimâ militiâ electum esse; ut antiquiores, Paulus Orosius, Beda, Paulus Diaconus, aliique post eos, disertè docent. Quomodo ergo Aldroeni, Armoricæ Regis frater esse potuit? aut quomodo dixerunt supradicti Authores, *propter solam spem nominis, sine merito virtutis electum*; si non suffragio populi, sed Aldroeni sententiâ, cui regnum, scilicet, debebatur, purpurâ induitur? Adde, quod Zosimus habet; misisse Constantinum Eunuchos

a L. 1. c. 11. b an. 0. c l. 15. c. 30. d an. 414. e l. 3 & l. 7. f zosim. l. 6. g sozom. l. 9. c. 11.

REFELLITUR SUPRADICTA NARRATIO.

Zosim. l. 5.

ad Honorium, & veniam popoſciſſe, quod imperium delatum accepiſſet. *Non enim* (inquit) *id ſe ſponte ſuâ rapuiſſe, ſed à militibus, adhibitâ vi, ſuiſſe coactum.* Quæ omnem ſupradictam narrationem ferè enervant. Iterum quomodo potuit in vivis eſſe Conſtantinus, anno Domini 435. ut vult Florilegus; quem Honorius Imperator occidi juſſit, anno Domini 410. ut Ado Viennenſis, vel ſequenti ut Gordonius? Putavi aliquando, Conſtantinum Gratiani ſucceſſorem, alium eſſe à Conſtantino Aldroeni Regis fratre, ac proinde ſubſiſtere poſſe prædictam hiſtoriam. Sed cum alii Authores omnes, unius tantum Conſtantini meminerint, ejuſque primogeniti filii Conſtantis; quem Oroſius, Beda, aliique poſteriores aſſerunt, ex Monacho creatum Cæſarem; patet unum tantum eumdemque eſſe. Faceſſat ergo Guithelini Londinenſis legatio in Armoricam, & peroratio ad Aldroenum Regem; & dicamus quod eſt ſincerius; Conſtantinum in Britanniâ, ex infimâ militiâ creatum eſſe, hoc tempore, Imperatorem; nullo natalium jure, ſed ſolo nominis præſagio. Quemadmodum enim ante annos centum, miles in Britanniâ Conſtantinum voluit Imperatorem eſſe: quod Fauſtum, Fælix, Fortunatumque fuit, univerſo Orbi: ita nunc languente Inſulâ, ſolus Conſtantinus aliquis (nec enim alia ſpes ſupererat) rem reſtituere poſſe videbatur.

V. QUO TEMPORE SEDERIT GUITHELINUS EPISCOPUS?

Non eſt otium cætera, quæ Florilegus recitat, ad limam & incudem vocare: tranſeo igitur, quæ de Guano & Melga Ducibus habet, qui poſterius fuerunt quæ de Uthero, & Aurelio filiis, de quibus infrà, ſicut & de Armoricæ regni initio. Quia verò Guithelini facta eſt mentio, & ſedis Londinenſis, non erit importunum quærere: ſederitne ille, eo anno, quo factus eſt Conſtantinus Imperator; an alius quiſpiam; quia inde dictorum veritas magis eluceſcet. Pitſæus affirmat Guithelinum Archiepiſcopum Londinenſem floruiſſe in Britanniâ regnante Conſtantino Aldroëno: verùm cum idem Author putet dictum Conſtantinum regnaſſe anno Domini 444. ſuprà ſatis convincitur erraviſſe. & addi poteſt Oroſii authoritas, qui Conſtantinum, Gratiani ſucceſſorem, ponit ad annum Urbis conditæ milleſimum centeſimum ſexageſimum, qui eſt Chriſti annus quadringenteſimus nonus, & ſequenti anno mortuum: de quo infrà. Et verò Oroſius hiſtoriam abſolverat, ante annum Domini 420. ut Gordonius, & ipſe etiam Oroſius affirmant: & deſierat in vivis eſſe, ante annum 444. ut planè ex Magdeburgenſibus colligitur. Quamobrem ſi Guithelinus Londinenſis, Conſtantino componitur; debet trahi ad hæc tempora. Vel quod probabilius eſt, ſine ulla Conſtantini, & cum ſola mentione filiorum ejus, in poſteriora rejici.

Oroſ. l. 7. c. 40.

Gordon. an. 414.

Magd. ſæcul. 5. c. 10. fo. 1424.

VI. FASTIDIUS PRISCUS EPISCOPUS LONDINEN.

Cæterùm cum Conſtantinus rerum potiretur, ſedit Londini Archiepiſcopus Faſtidius Priſcus, *qui natus in Britanniâ, & in doctrinâ pietatis probè inſtitutus, per univerſam Britanniam Evangelium prædicavit*, inquiunt Magdeburgici. de eo quoque mentionem faciunt Gennadius in Catalogo, & Trithemius de viris illuſtribus, qui affirmat eum floruiſſe circa annum Domini 420. Eo mortuo, Voadinus illam ſedem intravit; ac deinum poſt eum Guithelinus, ut dicemus * infrà. Sufficiat hic notaſſe, licèt Romanorum vires, in Inſulâ, languerent; licèt Pelagius, & Vigilantius inſanire inciperent; licet infidelis hoſtis nocere pergeret; Britannia tamen Epiſcopos habuit, & præcones Evangelii; imo viros in rerum divinarum ſcientia eminentes. Qualem fuiſſe Faſtidium Priſcum multi affirmant. nam de eo ita Pitſæus. *Chriſtianis moribus & literis, ab ætate tenerâ imbutus fuit. Poſtquam juvenis humaniorum literarum curſum abſolviſſet, ſacræ Scripturæ lectioni, & meditationi ſe totum dedidit: in quo ſtudio, poſtquam magnos feciſſet progreſſus, & ad eminentem rerum divinarum ſcientiam perveniſſet; talentum ſibi à Deo traditum abſcondere indecorum judicavit. Itaque ad prædicandum populo verbum Dei, ſe accinxit, & quod maxima induſtria didicerat, pari ſudore, nec minore fructu docuit, exemplum piæ vitæ, cum eximia doctrina, ſemper conjungens.* Inſignem hic Antiſtes operam præſtitit, cum Britannia cæpit inſici Pelagianâ hæreſi, ut ſuo loco explicabitur.

Cent. 5. c. 10 fo 1426.

VOADINUS SUCCESSOR.

* An. 456. 5.

Pitſæ. in Faſtidio.

FASTIDII LAUS.

V. an. 420. 1.

VII. MONACHI PER BRITANNIAM.

Præter Epiſcopos, eruditione eximios, fuere quoque in Inſulâ, altioris philoſophiæ viri, qui labentem Remp. precibus ſuſtinerent: Monachi, inquam, quorum, ut ſuperioribus ſæculis, ampliſſima erat copia, cum Britannia erat in Fidei ac majeſtatis meridie; ita declinante nunc cælo, & in occaſum tendente, reliquiæ, non obſcurè cernuntur. Conſtantinus enim modò factus Imperator, filium olim genuerat, Conſtantem nomine. qui ſecretam Monachorum vitam, præ militari ſtrepitu elegerat; ut Oroſius aliique teſtantur. Fuit ille Wintonienſis Eccleſiæ alumnus. nam locus ille jam inde à Lucii Regis tempore, religioſæ ſanctitatis ſeminarium fuit; & ſi unius Diocletiani tempeſtatem excipis, Monachos habuit, continuâ ſerie ſibi ſuccedentes. Conſtantis Monachi mentionem quoque facit Marcellinus Comes, ita ſcribens in Chronico: *Conſtantinus apud Gallias invaſit imperium, filiumque ſuum ex Monacho, Cæſarem fecit.*

CONSTANS MONACHUS CONSTANTINI F.

Marcellin. in Chronico.

VIII. CONSTANTINUS IN GALLIIS.

Eodem anno novus Imperator, è Britanniâ ſolvens, in Gallias navigavit: cum primum, teſte Zoſimo, Juſtinianum & Nevigaſtem, Celticis militibus præfeciſſet. Sozomenus de hac expeditione ita ſcribit: *Conſtantinus, ubi ex Britanniâ trajeciſſet, in Galliæ civitatem Burboniam, ad mare ſitam, conduxit ex Gallia & Aquitania milites, qui ibi erant; & eas provincias ſibi ſubjiciebat, uſque ad montes eos, qui Galliam ſeparant ab Italiâ, & à Romanis, Cottiæ Alpes, nominantur. Conſtantem verò filium ſuum, natu majorem, quem poſtea Imperatorio ornatu inſignivit, tunc Cæſarem appellavit, & in Hiſpaniam miſit.* hæc ille. Verùm quod attinet ad primum Conſtantini appulſum in Gallias; Sozomenus non videtur rectè urbem nominaſſe ad mare ſitam. meliùs ergo Zoſimus: *Britannia relicta*, inquit, *Conſtantinus tranſivit. cumque Bononiam veniſſet* (ea prima mari adjacet, inferioris Germaniæ civitas) *& in ea, dies aliquot fuiſſet commoratus, omnesque ſibi exercitus ad Alpes uſque, Galliam & Italiam diſterminantes, conciliaſſet, imperium tutò jam poſſidere videbatur.* Bononiam ergo non Burboniam appulit Conſtantinus. Eò cum veniſſet; Vandalos, Suevos, & Alanos, qui à Rheno ad ſequanam omnia vaſtabant, terruit, fregit, coëgitque recedere.

Sozom. l. 9. c. 11.

Zoſim. l. 6.

IX. HONORIUS ARCADIO FRATRI IRASCITUR.

Honorius interim, qui Arcadio fratri iratus; quod Joannem Chryſoſtomum Conſtantinopolitanâ ſede expuliſſet; exercitum paraverat, Stilicone Duce; in Occidentis nunc curam intentus, incendium domi potiùs extinguere, quàm novum foris excitare, prudentius eſſe putavit. *Ad Ravennam igitur, Stilicone jam parato* (loquitur Zoſimus)

Zoſimus l. 5.

ad

ad Illyricas urbes cum exercitu adeundas, & Alarici auxilio, ab Arcadio quidem avertendas, Honorii verò regno adjiciendas, impedimenta duo contigit intervenire, famam scilicet hinc inde, de Alarici morte; & literas Honorii Principis, adlatas Romæ, quibus in literis perscriptum erat; Constantinum perduellem, jam ex Insula Britannia transvectum ad transalpinas gentes accessisse; ac se pro Imperatore in civitatibus gerere. Omissa igitur in Arcadium expeditio est. & Joannes Chrysostomus non potuit restitui sedi suæ, quia ex hac ærumnosâ vitâ ad beatiorem transierat, hoc ipso tempore; exilii & itineris calamitatibus enectus. Quod ægerrimè, ut par erat, tulerunt Occidentis Principes. Innocentius inquam; & qui alteram Remp. procurabat, Honorius Imperator. & Innocentius quidem ita inter cætera, ad Arcadium scripsit. *Vox sanguinis fratris mei Ioannis, clamat ad Deum contra te, ò Imperator; sicut quondam Abel justi, contra parricidium Cain; & in modis omnibus vindicabitur, &c. Itaque ego minimus & peccator, cui thronus magni Apostoli Petri creditus est, segrego; & rejicio te, & Eudoxiam à perceptione immaculatorum mysteriorum Christi Dei nostri. Episcopum etiam omnem, aut clericum ordinis, sanctæ Dei Ecclesiæ, qui administrare, aut exhibere ea vobis ausus fuerit; ab ea hora, quâ præsentes vinculi mei legeritis literas, dignitate suâ excidisse decerno, &c.*

Chrysostomus moritur.

Apud Baronium hic.

Innocentii literæ ad Arcadium.

X.
Rom. Sedis eminentia.

Vides Lector Innocentium Romanum Pontificem, in Oriente etiam, Ecclesiarum Principem esse, qui jura Constantinopolitanæ sedis tueatur; & arceat ab ovili lupos, quocunque demum nomine, & dignitate emineant. Audi nunc quid Arcadius ipse, de Romanæ Sedis fulmine sentiat: si illud, ut factiosi nunc solent, risit, aut contempsit. *Norunt omnes homines, mentis compotes* (rescripsit ille ad Innocentium ita) *commissa per ignorationem, nec divinitus, nec per leges puniri: neque adeo quenquam alterius nomine supplicium luere. Quod quidem propterea scripsi, ut mansuetudinem tuam certam redderem, nos nihil eorum cognitum habuisse; quæ nostris Antistitibus & clericis acciderunt. cujus rei testem benignum illum Deum imploramus. Nimirum purus & innocens sum, quod ad ipsorum condemnationem attinet. Quippe, cum eorum communione sim usus; causa nihil erat, quamobrem eos affligeremus. Quod autem attinet ad filiam tuam Eudoxiam: scito me illi patam moderatè, pro ratione delicti, mercedem retulisse. Quo sanè factum est, ut ex mœrore, & angustiâ difficili gravissimaq; correpta ægritudine decumbat. Igitur quod superest enixe te obsecro, ut nos a segregatione liberes, nec multipliciter punias: non enim ipse Dominus idem ob delictum, bis hominem percutit.* Ita ille agnoscens, & timens ferientem aciem, sed ictum deprecans. Cui Innocentius paternè annuit, & ita respondit. *Studium diligentiamq; vestram, Dei præscripto, & voluntati consentaneam; quam propter ipsius nomen declarastis; accepimus, & probavimus. Quapropter sacris à vinculis soluti, ad signa Dominica confirmatis animis accedite.* Hæc omnia refert Glycas. Quæ ideo allata sunt, ut imposterum nemo miretur, Lucium, & Britanniam omnem sedi illi in Occidente obsequentes fuisse, quam Orientis principes, & Augusti viri adeo honorarunt, ac reveriti sunt. Sed & Deus firmavit Innocentii sententiam, miserrimo Eudoxiæ interitu; qui post quatuor à morte Chrysostomi menses contigit: nec diu superstite Arcadio. Solet enim Deus ipse, Regum peccata punire; quæ

Arcadii responsio.

Arcadius et Eudoxia divinitus puniti?

aut remissè, ut in Arcadio; aut malignè & crudeli impetu, ut in Eudoxiâ, fiunt. nunquam concessit plebi imperium in Principem & Magistratum suum.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1159.

ANNUS CHRISTI 408.

INNOCENTII PAPÆ 7.

HONORII IMP. 14.

I.
Arcadius Imp. moritur. Theodosius puer imperat.

Orientis Imperator Arcadius, anno Christi quadringentesimo octavo, Basso & Philippo Consulibus, naturæ concessit, vivendique finem fecit, relicto imperii hærede, octenni puero, Theodosio, cujus imperii exordium aliqui hic collocant: alii, ut Beda, non nisi post mortem Honorii. Constantinus interim Gallias percurrens, in Arelatensi urbe, imperii sui sedem figit. Aliam Galliæ urbem, nomine Valentiam, contra Honorii Augusti copias strenuè propugnat. Rhenum flumen, jampridem neglectui habitum, novo præsidio munit. Ad Cottias Alpes, Pœoinas, etiam & Maritimas, quâ patebat in Italiam iter, munimenta construxit. Britannias, Galliasque, Hispania ferè semper sequebatur. Eò missus, Constantini filius primogenitus Constans, pugnabat feliciter; ac universam provinciam facili negotio subjugasset, ni fratres duo, nobiles, & bellicosi juvenes, Didymus & Verenianus, collectâ domesticorum ac vernaculorum manu, Pyrenei claustra occupassent. Verùm illis, Constantis virtute, vel occisis vel amotis, cùm cura claustrorum, non Hispanis, sed externo militi commissa esset, hoc illi injuriam interpretantes, contemni se negligique arbitrati, receptis in societatem Vandalis, Albanis, & Gothis, in Constantis militem surrexerunt.

Constantini opera in Galliis.

Constans in Hispania, Cæsar.

II.
Mox Augustus. Roma trepidat. Alarici et Stiliconis fides dubia.

Interim Constans Cæsar, Constantini voluntate, renuntiatur Augustus; qui, rerum summâ permissâ Gerontio, ad patrem, in Gallias redit. Ingens tunc Romæ trepidatio fuit. nam foris Constantinus & Constans Britannias, Gallias, Hispaniasque invaserant: domi Alaricus & Stilico (cujus jam incerta fides, certis argumentis, nutabat) eò magis timebantur, quò propinqui magis, & ipsa imperii viscera ferire poterant. è vicino. Alaricus, Constantino favere magis, quàm Honorio videbatur. Quam ob causam, Honorio suspectus, solicitavit clam Italorum animos, & mox in apertam simultatem erupit.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1160.

ANNUS CHRISTI 409.

INNOCENTII PAPÆ 8.

HONORII IMP. 15.

I.
Alaricus Romam obsidet.

Alaricus, ut dicere cœperam, in apertam cum Romanis simultatem erumpens, anno quadringentesimo nono. Honorio Augusto octavùm, & Theodosio tertiùm Consulibus; urbem,

Britanni in Romanos surgunt. — Gordon. hic — Beda in epit.

imperii arcem obsidione cingit. Quo tempore, in Britanniâ quoque tumultuatum; & exturbati Romani, qui rerum potiebantur. Ita Gordonium intelligo, qui ex Zosimo sic scribit ad hunc annum. *Qui in majori Britanniâ subjecti erant Romanis; se in libertatem vendicarunt pulsis Romanorum Ducibus.* Nec aliter intelligendus Beda, licet dicat in Epitome. *Anno 409. Roma à Gothis fracta est: ex quo tempore, Romani in Britanniâ regnare cessarunt.* Non enim omnino regnare desierunt: qui, ut mox dicetur, receperunt denuò Insulam; & præfectos miserunt, Victorinum primò, inde Gallionem. Quo abeunte, sub Valentiniano ejus nominis tertio Imperatore; tunc demum Romani valedixerunt Insulæ. Hoc ergo annô, cum Britanni cernerent vicinas quasque provincias, paulatim à Romanis deficere; earum exemplo solverunt & ipsi servitutem. quod ideo fuit factu facile, quia nuper Constantinus multo milite educto, vacua ferè præsidia reliquerat.

II. — Zosim. l. 6.

Hanc Britanniæ secessionem ita Zosimus exponit, causamque ejus. *Constans rursus à patre in Hispanias mittitur: ac Iustum Ducem secum adducit. Quâ re offensus Gerontius; conciliatis sibi eorum locorum militibus, barbaros, in regione Celtarum adversus Constantinum, ad defectionem impellit. Quibus cum Constantinus non restitisset; quod major copiarum ipsius pars esset in Hispaniâ; cuncta pro libitu invadentes transrhenani barbari, eo tum incolas Insulæ Britanniæ, tum quasdam Celticas nationes redegerunt; ut ab imperio Romano deficerent, & Romanorum legibus non amplius obedientes, arbitratu suo viverent. Itaque Britanni sumptis armis, & quovis adito pro salute suâ discrimine, civitates suas, à barbaris imminentibus, liberarunt. Itidem totus ille tractus Armoricus, cæteræque Gallorum provinciæ, Britannos imitatæ; consimili se modo liberarunt, ejectis Magistratibus Romanis, & suâ quadam Rep. pro arbitrio constitutâ.* hæc omnia Zosimus. qui tamen paulo inferiùs satis insinuat, Honorium ipsum, Britannos à servitutis jugo solvisse. nam ait: *Honorius literis ad civitates Britannicas scriptis; quibus eos hortabatur, ut rebus suis consulerent: itidemque militibus, congiario præmii loco distributo, in omni degebat otio*, &c.

III. — Oros. l. 7. c. 40.

Juvit Britannorum defectionem, Vandalorum irruptio in Hispanias, qui primùm hoc anno, turbatis ibi rebus, (Gerontius enim à Constante defecerat) sedem figere conati sunt: imo sedem fixere, si Prosperi & Cassiodori Chronicon sequimur: ubi Hispaniæ dicuntur à Vandalis occupatæ, Honorio VIII. & Theodosio III. Coss. Orosius tamen, Sozomenus, & alii passim, affirmant Vandalos, & Alanos, junctis viribus, in Hispaniam ingressos, eo anno, quo Duce Alarico, Roma capta direptaque est: & tunc demum Alanos Lusitaniam occupasse: Vandalos Bæticam; eamque à se, Vandalosiam, nuncupasse, quæ, abjectâ priore literâ, etiamnum audit, vulgo Andaluzia. quod referri tamen debet in annum sequentem.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1161.

ANNUS CHRISTI 410.

INNOCENTII PAPÆ 9.

HONORII IMP. 16.

I. Roma ab Alarico diripitur. — Attalus imperat. — An. 324. 58.

ANnus Christi quadringentesimus decimus, Varane Consule unico, universo mundo luctuosus fuit, Romanæ urbis clade; cum non solùm immensæ opes, tot annis cumulatæ; sed Ecclesiarum quoque majestas, in prædam hosti cessere. Tunc Alaricus imperii arcem, ac mundi dominam, barbaro militi servire fecit: tunc Attalus, nescio quis, in Imperatorem Romæ, à factiosis, eligitur. Tunc magni Constantini vasa, quæ suprà descripsi, ipsis etiam barbaris, stupori & honori fuerunt. Sed omissa calamitate illâ, viciniora spectemus.

II. Constantius Constantino opponitur.

Honorius imperator, cum cerneret Occidentale Imperium, à tot tyrannis premi, vastarique; Constantium quendam in militari disciplina exercitatum virum, belli Ducem creat, jubetque in Constantinum pugnare. Venerat porrò jam Constantini felicitatis periodus; & inconstantissimæ fortunæ rota, quæ eum paulò ante evexerat, declinare cœpit. Narratur hoc pluribus ab Orosio & Sozomeno: sed referenda sunt in annum sequentem.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1162.

ANNUS CHRISTI 411.

INNOCENTII PAPÆ 10.

HONORII IMP. 17.

I. Gerontius in Constantinum pergit. — Sozom. l. 9. c. 13.

GERONTIUS, relicto in Hispaniis Maximo, quem imperii purpurâ induerat, in Constantini exercitum movit, anno Christi quadringentesimo undecimo, Theodosio IV. Consule, eo fine, ut in transitu, Constantem ejus filium, Viennæ commorantem, conficeret. Quid inde factum ita narrat Sozomenus. *Constantinus igitur, cum intellexisset id, quod de Maximo actum erat: Ebodichum Ducem suum, ad ulteriores Rheni partes, misit; ut Francos, & Alamannos in auxilium vocaret. Constanti autem filio suo, Viennæ ac cæterarum ibi civitatum custodiam commisit. Ac Gerontius cum Arelatum castra movisset, civitatem oppugnavit.* (Arelatum oppugnat.) *Non multo autem post; exercitu Honorii, adversus tyrannum, adventante, cui præerat Constantius, Imperatoris Valentiniani pater, statim fugit, cum paucis quibusdam militibus; nam eorum plurimi se Constantio conjunxerant.* (Fugatur a Constantio.) *Milites igitur in Hispaniâ, Gerontium, ob fugam factam, contemptu dignum rati, interficere statuerunt; & concursu facto domum ejus circumvallant. Ille verò, cum Alano uno necessario suo, paucisque servis, dejaculatis desuper sagittis, ultra trecentos milites interfecit. Sagittis tandem deficientibus, servi aufugiunt; & clam sese de domo illâ demittentes, evadunt. Ac Gerontius quidem, quamvis & ipse, eodem modo salvari potuerit; tamen Nonnichiæ uxoris amore detentus, noluit. Itaque cum milites ignem domo manè immisissent; nullam habens*

deinceps

deinceps spem salutis; Alano familiari suo volenti caput amputat; deinde propria uxori quoque lamentanti, & seipsam cum lacrymis in gladium ingerenti; ac potiùs quàm in alterius potestatem perveniat, unà cum marito perire cupienti, & munus hoc ultimum ab eo impetrare flagitanti: Gerontius porrò, cum se tertiò percussisset; nec tamen vulnus lethale accepisse sensisset, evaginato gladiolo, quem femori alligatum habebat, sibi ipsi cor transfixit. Hæc omnia Sozomenus.

OCCIDITUR.

II. DE TEMPORE MORTIS CONSTANTINI.

Eodem ferè tempore, quo periit Gerontius, Constantinus quoque vitam amisit. quod priusquam explico, firmanda primum est temporis ratio. Orosius quidem multa sub unius anni periodo complectens, Constantini mortem narrat sub annum Urbis conditæ millesimum centesimum sexagesimum quintum; qui est Christi Domini 414. Alii tamen, qui distinctiùs annorum seriem digerunt, & res gestas articulatiùs reponunt locis suis, Constantini mortem assignant Theodosio Augusto IV. Cos. nimirum anno salutis 411. Ita Baronius, Gordonius, & alii. Cæterùm quod ad mortem Constantini spectat, hæc accipe.

III. CONSTANTINUS NOVUM MILITEM CONSCRIBIT.

Agebat ille Arelati, cum turbatis in Hispaniâ rebus, Gerontius in Constantem surrexit. Quod ubi pater accepit, & Hispanias omnes defecisse. Videns ubique fortunam, frontem contrahere, pejora veritus, Francorum & Alemannorum auxilia, misso trans Rhenum Ebodicho Duce, collegit. Sed ecce tibi, dum foris miles scribitur, Honorii exercitus Arelatum obsidet, venientem in suppetias Ebodichum intercipit, ac cives ingenti trepidatione commotos, ad deditionem sollicitat. Quid in hoc animorum motu Constantinus fecerit; & quomodo purpuram Sacerdotio incassum mutaverit. ita refert Sozomenus.

Sozom. l. 9. c. 15.

PURPURAM EXUIT.

Constantinus certior factus Ebodicum esse sublatum; ipse sibi purpuram, & imperii insignia detrahit, & ad Ecclesiam confugiens ordinatur Presbyter. Tum accepto prius jurejurando, qui intra mœnia erant, portas aperiunt, ac veniam consequuntur omnes. Constantinus autem, una cum Iuliano filio, in Italiam transmissus, antequam eò perveniret, in itinere occiditur. Ita ibi. Orosius tamen, & alii ex illo, Constantinum in Arelatensi civitate, à Constantio clausum, captum, & occisum volunt. Sed quicquid sit, purpura nequiter præsumpta, non fuit diuturna, nec cum honore deposita. Julianus hic, Constantini filius, non alius à Constante est, (ut dicam infrà ad annum 464.) quem Viennæ à Gerontio interfectum tradit Orosius. De alia Constantini prole dicam inferius.

OCCIDITUR. Orosius l. 7. c. 42.

Orosius sup.

IV. DE SANCTO MELIORO MARTY. Mart. Angl. 3. Ianu. Capgra. in Meloro.

Meliore morte defungitur in Britannia, S. Meliorus; qui in nostro Martyrologio scribitur donatus coronâ martyrii, hoc eodem anno 411. Ejus mentionem faciunt, antiqua monumenta provinciæ Cornubiæ; quæ videtur collegisse Joannes Capgravius: qui ejus vitam ita orditur. *Dum in exordio Christiana fides, Apostolica doctrina, per Orbem terrarum in omnibus gentibus diffunderetur; conversa est Britanniæ gentilitas ad fidem: & multi Domino credentes, & Apostolica præcepta sequentes, variis virtutum miraculis fulserunt. De quorum numero, Beatum Melorum,* (ita eum vocat, qui in nostro Martyrologio Meliorus dicitur) *fidenter credimus extitisse. Fuit autem B. Melorus, de nobili Britannorum genere; cujus pater Melianus Ducatum Cornubiæ tenuit. Instigante tandem maligno spiritu, septimo anno Ducatus sui, dum*

EIUS GENUS ET PARENTES.

Concilium primatum ad utilitatem patriæ providendam fuisset congregatum: in ipso Concilio Rinoldus veniens, Melianum fratrem suum occidit, & pro illo regnare capit. Habebat autem Melianus parvulum quendam filium, annorum septem, nomine Melorum, quem post patris necem, patruus ejus occidere quærebat, timens ne si puer superstes esset, & ad virilem ætatem perveniret, ei Ducatum auferret. Rinoldus igitur, quid faceret, deliberans, puerum in Cornubiam secum adduxit; ubi Concilium Episcoporum, & aliorum multorum fuerat congregatum. Et cum puerum occidere vellet; omnium prece factum est, ut non occideretur. Sed tantum manus dextra, cum sinistro pede truncaretur. Et factum est ita. Facta est autem B. Meloro manus argentea, & pes aneus. Et pius, & innocens, de die in diem virtutibus crescens, nutritus est in quodam Monasterio Cornubiæ, & divinas Scripturas usque ad quartum decimum annum legebat. Hæc ibi.

MELIANUS PATER OCCIDITUR A FRATRE.

S. MELIORUS MUTILATUR.

V. EXCUTITUR.

Quod de pueri mutilatione dicitur, non est supra fidem, aut mores hujus sæculi. nam Attalus de quo suprà dicebam, Imperatori Honorio minatus est. Non relicturum se illi corpus integrum. *Sed in Insulam relegaturum*, inquit Zosimus, *& præterea partem aliquam corporis mutilaturum.* Pergamus igitur ad Meliori martyrium, quod ita refertur à Capgravio. *Cum autem patruus ejus, nutritori suo Cerialtano munera multa, & possessiones, si alumnum suum occideret, promisisset, facto iniquitatis commercio, ut Cerealtanus caput innocentis abscinderet, & abscissum Rainoldo deferret, & mercedem promissam reciperet. Decollato itaque puero, filius Cerealtani, assentiente patre, caput martyris deferens, per murum castri, justo judice Deo annuente, de muro cecidit, & fractis cervicibus expiravit. Venit autem nutrix martyris, ad domum, in quâ corpus jacebat, & Angelos Dei & lucernas divino splendore lucentes vidit.* Sequitur in Authore res mirabilis, de loquente capite, dum à Cerialtano portatur, de nova fontis scaturigine, denique de morte interfectoris, quæ ibi videri possunt. Nec dubitandum quin pueri innocentia divinitus probata sit, unde Martyrologium affirmat plura miracula, in argumentum sanctitatis ejus edita fuisse. Cæterùm quod ibidem dicitur corpus S. Meliori in Dannoniis, & Cornubiensi agro sepultum esse, ibique asservatas ejus reliquias, magno cum honore, ad moderna usque tempora, non admodum differt à narratione Capgravii quæ est hujusmodi.

Zosimus l. 6.

Capgrav. sup. à.

S. MELIORUS DECOLLATUR.

HOMICIDA PUNITUR.

S. MELIORUS CORUSCAT MIRACULIS: UBI SEPULTUS?

VI. NON POTEST TERRÆ MANDARI.

Sepulto corpore sancto, in loco martyrii sui, die sequente, supra terræ faciem inventum est. Cumque sepulto in locis tribus variis corpore, idem casus accidisset: inito consilio, super plaustrum, sub quo duo tauri indomiti positi sunt, corpus sanctum imponunt: & ubi virtus divina dirigere vellet, absque ductore, demiserunt. Et ecce tauri mansueti subitò effecti, usque ad quendam locum corpus trahentes substiterunt. Et cum turba displiceret, ut ibi quiesceret; manus, brachia, & humeros, rotis, ut eas volverent, supponentes; ita fixum divinitùs, & immobile plaustrum viderunt; ut nulla arte, nullo ingenio, nulla hominum virtute, moveri posset. Cumque sæpius attentantes, nihil proficerent; gratias agentes Deo, corpus sanctum, cum honore, in eodem loco sepelierunt: ubi opem ejus cum fide implorantes, optatum remedium gaudentes consequi solebant. Delato, in præsentiâ Rainoldi, capite martyris, tyrannus caput sacrum tetigit, & tertiâ die infelici morte occubuit. Sepulto itaque ab Episcopis & Clericis capite, cum sacro

corpore; poſt multorum annorum curricula, prædicatores alienigenæ ſcrinium cum reliquiis S. Melori, circumquaque deferentes, peragratis terrarum tractibus, injunctum ſibi officium exercentes, Ambrisburiam tandem devenerunt; & ſuper altare, reliquias ſanctas poſuerunt. Hactenus Author.

VII. Monasterium Ambrisburiæ. *Camden in Ambrisbury.*

Eſt Ambriſburia, locus in Belgis, & Wintonienſi provinciâ, dictus ab Ambroſio illo Conſtantini filio, de quo, inferiùs ad annum 464. Addit Camdenus, ex antiquo libro, quod Eulogium dicitur; Cœnobium ibi fuiſſe trecentorum Monachorum: *quod neſcio quis*, inquit, *barbarus Gurmundus diripuit.* Ita eſt: Chriſtiani Principes Cœnobia ponunt, quæ ſoli barbari diripiunt. Hæc, inquam, omnia, quæ recitat Capgravius, de ſepulturâ corporis S. Meliori, non multum differunt, ab eo, quod habet Martyrologium: quia corpus Martyris in Cornubiâ manere poterat ad moderna uſque tempora; licet ejuſdem reliquiæ, ut uſus hodieque eſt fidelium, aliò delatæ ſint. Porrò Ambriſburiæ cultum eſſe S. Meliorum, ejuſque reliquias affirmat Uſſerius, ita ſcribens de hoc loco. *Ambrii, vel Ambroſii memoriam, reliquiarum S. Melori celebritas apud Ambresburienſes obſcuravit.* Cæterùm quod in faſtis ponatur nomen S. Meliori & natalis ejus, ad tertium Januarii, ideo difficultatem habet; quia Capgravius affirmat, illum penetraſſe Regna cæleſtia, cum coronâ martyrii, Calendis Octobris. Sed facile ſolvitur; quia Sanctorum ſolemnia, varias ob cauſas alio quam natali die, ſæpè celebrantur. & hæc de Sancto, non exiguâ gloriâ Occidentis Inſulæ. De eo mentionem faciunt Philippus Ferrarius in Catalogo, & Uſſerius in Chronologia ad hunc annum. Pelagium hoc anno Carthagine fuiſſe, cum Catholicos inter & Donatiſtas, habita eſt collatio, non malè ex Auguſtino colligitur. l. de geſt. Palæſt. c. 22.

Barbari diripiunt.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1163.
ANNUS CHRISTI 412.
INNOCENTII PAPÆ 11.
HONORII IMP. 18.

Varii tyranni extinguuntur.

VIx Romanam ſervitutem exuerat Britannia; cum Maximus, Jovinus, & Sebaſtianus, tyrannidem occupant in Galliis, Conſtantino ſuccedere conantes. Sed brevi omnes extincti ſunt, virtute Conſtantii, ſub annum Domini quadringenteſimum duodecimum, Honorio V. Conſule, ut numerat Gordonius. Cùm priùs, nimirum anno ſuperiori, Alarico mortuo, ſucceſſiſſet Ataulphus Gothorum Rex, qui Gallam Placidiam, Honorii ſororem, Romæ captam, duxit uxorem; & illâ ſequeſtrâ, Honorius pacem obtinuit.

Alaricus moritur. Succedit Ataulphus.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1164.
ANNUS CHRISTI 413.
INNOCENTII PAPÆ 12.
HONORII IMP. 19.

I. Pelagii error innoteſcit.

PElagius interim, immani factione, Romanam fidem turbat, & ſolicitat alios ad defectionem. Quod ad tempus ſpectat, Proſper optimè illud deſignaſſe videtur: cum * *Luciano* & Heracliano Conſulibus (eſt annus Domini quadringenteſimus decimus tertius) ita ſcribit. *Hac tempeſtate, Pelagius Brito, dogma nominis ſui, contra gratiam Chriſti, Cæleſtino & Iuliano adjutoribus exeruit, multoſq; in ſuum trahit errorem, prædicans unumquemque ad juſtitiam, voluntate propria, regi; tantumq; accipere gratiæ, quantum meruit: quia Adæ peccatum ipſum læſerit, nec poſteros ejus obſtrinxerit. Unde & volentibus poſſibile ſit, omni carere peccato; omneſq; parvulos, tam inſontes naſci, quàm primus homo ante prævaricationem fuit: & ideo baptizandos, non ut peccato exuantur; ſed Sacramento adoptionis honorentur.* Hæc Proſper. Nunquam ita credidit Pelagius, quàm diu in Bangorenſi Monaſterio ſolitudinem coluit, vitamque religioſam; ſed poſteaquam Britanniâ egreſſus vagari cæpit, in Africâ, & Oriente; tum demùm collegit fæces; & doctrinam à majoribus traditam deſeruit. Si alii Authores exortam Pelagii hæreſim, in aliud tempus rejiciunt; hoc ideo eſt; quia marinum hoc monſtrum, pluribus in locis, diverſo tempore, ſub aliâ, & aliâ larvâ, apparuit. Videtur tamen hoc primùm anno, venenum, quà ſcriptis literis, quà verborum lenociniis, per orbem ſparſiſſe. nam teſte Hieronymo, paradoxa iſta clam tantùm, & in circulis dictabantur: ita enim eorundem Authores alloquitur. *Aut bona ſunt, quæ docetis, aut mala; ſi bona, defendite liberè. Si mala; quid occultè miſeros jugulatis errore, rectaq; fide ad decipiendos ſimplices quoſque jactatis expoſitionem? Quæ ſi vera eſt, cur abſconditur? ſi falſa, cur ſcribitur.* Ita ibi. Nacta tamen peſtis hæc, temporis tractu, vires, in publicum prodiit, & tandem, exporrectâ fronte, duas peſtilentiæ cathedras erexit: *Alteram in Siciliâ*, inquit Hieronymus, *ad decipiendos Occidentales: in Rhodo Inſula alteram, ad corruptionem Orientalium.*

* *Lucio. Proſper in Chron.*

Qoid docuerit.

Hieronym. præfat. in l. 4. Hierem.

II. Erroris fundamentum; et appendices.

Non vacat Catalogum texere errorum Pelagii: nec eſt operæ pretium; quia multi id præſtitere. Sufficiat quod dixi ſuprà ex Proſpero docuiſſe ipſum, libero hominis arbitrio deberi omnia, gratiæ nihil. hoc enim primum fuit, & princeps paradoxum: reliqua erant appendices: gratiam Dei pendere ex meritis: victoriam noſtram, non ex Dei adjutorio eſſe, ſed ex electione hominis: non eſſe vocandum liberum arbitrium, ſi ad benè operandum divino eget auxilio: denique petentibus veniam, non dari illam ſecundùm gratiam & miſericordiam Dei; ſed ſecundùm merita, & laborem eorum, qui per pœnitentiam digni fuerint miſericordiâ. His addebat Pelagius alia corollaria: moriturum Adamum, licet non peccaviſſet: ejuſque peccatum illi ſoli, non omni humano generi nocuiſſe: & proinde infantes, licet non baptizentur, vitam æternam conſequi poſſe. unde originalis peccati maculam in Adæ poſteris

Pelagii corollaria.

CALVINISTÆ CUM PELAGIO SENTIUNT IN NECESSITATE BAPTISMI.

* V. an. 324. 25.

PECCANT MAGIS QUAM ANTIQUI HÆRETICI.

non agnovit. Quod postremum, adeo placet Calvinistis nostris; ut pergant porro affirmare; adultos etiam, sine baptismo, gratiam consequi, ut * suprà dixit, Constantini, scilicet, defensor, Cracanthorpius, ex antiquo monstro, nova soboles. Et verò nuperæ factionis vitium est; & damnatos olim errores resorbere; & in illis impudentiùs, quàm olim, insanire. Nuper Novatus, quibusdam criminibus, veniam, per Ecclesiæ claves dari posse negaverat: Sectarii id avidè excipiunt; & in peccata omnia tollunt eam potestatem. Jovinianus nuper, non est ausus Sanctorum cultum, aut reliquiarum tollere; negavit tantùm, inventos ab Ambrosio Martyres; aut Martyres, aut Sanctos esse; ideoque non colendos. Novi homines porrò pergunt, & sancitos olim, constantesque Martyres, nullo cultu, aut honore dignantur. Ita quoque Pelagius, docere nunc incipit Baptismi gratiâ non mandari infantes; & dato, voluntatem nostram non posse in bonum moveri, sine motrice gratiâ, arbitrium hominis non esse liberum. Factiosi hic magis peccant: ubique negant Sacramentorum efficaciam, &, sine hypothesi, omnem tollunt arbitrii libertatem. Adeo exorbitantis naturæ impetu, viooque; si nullâ lege, aut imperio, illam frenaveris, magis, ac magis in præceps abriperis. Has Scyllas & Charybdes, Romana fides non potest formidare; quia omnem impetum frenat, ac moderatur, imperio sensuque non errantis Ecclesiæ. quod licet videas omni sæculo; tamen in novâ hac tragœdiâ illustrissimum est, & illud contemplabor, Cum Britanniam nostram ad Honorii imperium reduxero.

III. An. 416.

Aug. l. 2. Retract. c. 55.

Pugnavit in has Pelagii Cælestiique hæreses doctissimè Augustinus non solum collectis Synodis, rogatisque plurimorum sententiis, ut infrà; sed scriptis insuper libris: de quibus ita loquitur ipse: *Venit necessitas quæ me cogeret adversus novam Pelagianam hæresim scribere. contra quam priùs, cum opus erat, non scriptis, sed sermonibus & collocutionibus agebamus; ut quisque nostrum poterat aut debebat. Missis ergo mihi à Carthagine quæstionibus eorum, quas rescribendo dissolverem: scripsi primùm libros tres: quorum titulus est,* De peccatorum meritis & remissione: *ubi maximè de Baptismate disputatur parvulorum, propter originale peccatum: & de gratia Dei, quâ justificamur, hoc est, justi efficimur. Quamvis in hac vitâ nemo ita servet mandata justitiæ, ut non sit ei necessarium pro peccatis dicere: Dimitte nobis debita nostra. Contra quæ omnia sentientes illi novam hæresim condiderunt. In his autem libris tacenda adhuc arbitratus sum nomina eorum; sic eos faciliùs posse corrigi sperans. Imo Pelagii ipsius nomen non sine laude aliqua posui; quia vita ejus à multis prædicabatur.* Ita modestissimè Augustinus.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1165.
ANNUS CHRISTI 414.
INNOCENTII PAPÆ 13.
HONORII IMP. 20.

I. BRITANNIA ITERUM ROMÆ SERVIT.

ANNO Domini quadringentesimo decimo quarto, Constantio & Constante filio Consulibus, ejusdem Constantii opera, majorem Britanniam rediisse ad jura imp. Romani; scribit è Beda Gordonius. Nimirum pacatâ Galliâ, & extinctis tyrannis, qui emerserant, non erat difficile Insulam premere, carentem omni milite; & magis sibi, à Picto & Scoto, quàm à Romanis Ducibus timentem; fortè etiam, ut infrà dicetur, ab eisdem auxilia postulantem. Constantius itaque Britanniarum præfectum creat Victorinum quendam; cujus virtute, Borealis populus, factus est mansuetior. Eò enim missus, provincialibus gratus fuit, & Scoto ac Picto formidandus: quemadmodum Rutilius Claudius eundem Victorinum laudans, his versibus innuit.

VICTORINUS BRITANNIÆ PRÆFECTUS.

Conscius Oceanus virtutum, conscia Thule,
Et quæcunque ferox arva Britannus arat.
Quæ Præfectorum vicibus frenata potestas,
Perpetuum magni fœnus amoris habet.
Extremum pars illa quidem discessit in orbem
Sed tanquam medio Rector in Orbe fuit.
Plus palmæ est illos inter voluisse placere,
Inter quos minor est displicuisse pudor.

II. DISCEDIT EX INSULA.

Sunt qui scribant, evocatum hinc Victorinum, ab Honorio Imperatore, cum Alaricus Italiam, & urbem premeret: sed non assentior. Tunc enim Constantinus agebat in Galliis, & Britanni jugum excusserant. Meliùs ergo dicetur, tunc evocatum ab Honorio, cum composuisset Insulam, devictis, vel submotis hostibus. Quo tamen anno discesserit incompertum est. Hoc solum liquet: recedente milite, inermem provinciam patuisse iterum antiquis prædonibus, ac dura perpessam, ut dicam infrà, in Valentiniano Imperatore, ejus nominis tertio, qui Constantii, de quo superius filius fuit. Ad hæc tempora respexit Paulus Diaconus, cum scripsit: *Hac tempestate, Britanni, Scotorum, Pictorumque infestationem non ferentes. Romam mittunt, ac sui subjectione promissâ, contra hostes, auxilia flagitant; quibus statim, ab Honorio, missa Legio, magnam Barbarorum multitudinem stravit; cæterosque Britanniæ finibus expulit. Sed mox, ut discessere Romani; advecti iterum navibus hostes, obvia quæque sibi conculcant, ac devorant.* Sed satis de hac Rep. transeamus ad alteram, Pelagii nostri tyrannide, & factione laceram.

Paul. Diac. Miscel. l. 14. c. 4.

LEGIO MISSA IN BRITANNIAM AB HONORIO.

III. PELAGIUM ORTHODOXI OPPUGNANT.

Vix audiri cœpta est Pelagii vox paradoxa, cum orthodoxus orbis illam horruit. Augustinus, Africa, Asia, Occidens etiam, & Britannia, movere se; & quà scriptis libris, quà coactis Synodis, quà consultatione variâ, ne virus serperet, laboratum est. Sed apparuit imprimis Romani Pontificis authoritas, qui non in una urbe, sed in universo Orbe, profligavit hanc hæresim, summo imperio. Quod quomodo factum sit paucis dabo. Hoc ipso anno 414. scripsit Augustinus librum de Naturâ & gratiâ, ubi Pelagianam hæresim doctissimè confutavit: inscribit opus ad Timasium & Jacobum, quos ex Pelagii discipulis fecerat orthodoxos. Sed quoniam fidei dogmata, non ex Africâ, sed ex Urbe, firmitatem erant habitura; misit Augustinus librum, ad Romanum Innocentium, priusquam vulgaretur. Testatur hoc ipse Augustinus, ita scribens Innocentio. *Misimus Reverentiæ tuæ librum, quem dederunt quidam honesti ac religiosi adolescentes, servi Dei; quorum etiam nomina non tacemus: nam Timasius & Iacobus vocantur: qui (sicut audivimus, & jam nosse dignaris) ipsius Pelagii adhortatione, spem quam habebant in sæculo, reliquerunt. & nunc continenter Deo serviunt. Qui cum eodem errore tandem aliquando; per qualemcumque operam nostram,*

ET AUGUSTINUS.

August. Ep. 95.

Domino inspirante caruissent, protulerunt eundem librum, Pelagii esse dicentes: Et ut eis responderetur, impendio rogaverunt. Factum est. Ad eosdem rescripta est ipsa responsio. Agentes gratias rescripserunt. Utrumque misimus: & cui responsum est, & quod responsum est. Ita Augustinus. Quid tum Innocentiius Papa? Lecto Augustini libello, scriptoque Pelagii; damnavit perversum hominem, vigilavit pro Ecclesiâ: & ne, ut fit, plebs novitatis avida, in factionem traheretur; jussit caveri hæreticum virum. Pelagius iratum Pontificem sentiens, probè doctus, quasi ethnicum, & publicanum haberi, qui illum in rebus fidei non audirent, in publico Patrum conventu, qui Diospolim, in Palæstinâ, convenerant, ejurat, aut potiùs ejurare se fingit, impium dogma. Ita à Patribus absolutus, orthodoxus renuntiatus est, anno sequenti.

Innocentius Pelagium condemnat.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1166.

ANNUS CHRISTI 415.

INNOCENTII PAPÆ 14.

HONORII IMP. 21.

Athaulphus Rex occiditur.

Wallia regnat.

Placidia nubit Constantio.

Pulcheria Augusta et consors Imperii.

Sozom. l. 9. c. 1.

CUm Honorius ageret in imperio annum vigesimum primum, anno Domini quadringentesimo decimo quinto, Honorio X. & Theodosio VI. Coss. Athaulphus Visigothorum Rex, qui Alarico successerat, à suis occiditur. surrexitque in locum ejus Wallia. Placidiâ Athaulphi relictâ, datâ postmodum Constantio in uxorem: Unde Valentiniani III. jus & imperium. Nec omittendum illud, quod inaudito hactenus exemplo fecit in Oriente Theodosius Imperator; cum Pulcheriam, sororem suam, Augustam creavit & consortem Imperii. *Quæ nondum decimum quintum agens annum* (loquitur Sozomenus) *supra ætatem, sapientissimum ac divinum spiritum accepit. Ac primùm Deo virginitatem suam devovit: deinde & sorores suas ad idem vitæ institutum educavit*, &c. Hæc est illa, sexu major fæmina, quæ Orientale imperium, cum fratre prudentissimè rexit, ædificavit templa, ditavit altaria, Sacerdotes impensè coluit, fundavit Monasteria. & ubique fuit Regiæ & orthodoxæ fidei illustrissimum argumentum.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1167.

ANNUS CHRISTI 416.

INNOCENTII PAPÆ 15.

HONORII IMP. 21.

I. Innocentii industria in premendo Pelagio.

ANno Christi quadringentesimo decimo sexto, Theodosio VII. & Palladio Coss. jussu Innocentii Papæ, duo coacta sunt concilia, in causa Pelagii. Unum Carthagine, ubi Cælestius Pelagii discipulus perfidiæ venenum spargebat. Aliud Milevi in Numidiâ: ubi sederunt judices Episcopi, unus & sexaginta; quibus doctissimus Augustinus præfuit. Utrobique Romani Pontificia authoritas industriaque imprimis enituit. Notavit hoc Prosper, scriptor hujus sæculi; itaque rem versu expressit.

Concilium Carthaginense, et Milevitanum.

Prosper de ingratis c. 2.

Talia cum demens latè diffunderet error:
Commentusq; rudes traheret lethalibus aures:
Adfuit, exhortante Deo, provisa per orbem
Sanctorum pia cura patrum; non dispare motu
Conficiens diros jaculis cælestibus hostes.
Isdem namque simul decretis spiritus unus
Intonuit. Pestem subeuntem PRIMA recidit
Sedes Roma Petri: quæ pastoralis honoris
Facta caput mundo, quicquid non possidet armis
Religione tenet.

Et post aliqua, idem Prosper de duobus hisce Africanis Conciliis à Ro. Pontifice approbatis, ista subjungit:

Tu causam fidei flagrantiùs Africa nostra
Exequeris: tecumq; suum jungente vigorem
Iuris Apostolici solio, fera viscera belli
Conficis: & lato prosternis limite victos
Convenere tui de cunctis Urbibus almi
Pontifices; geminoq; senum celeberrima cætu
Decernis quod Roma probet, quod regna sequantur.

II. Romam Pelagius non potuit fallere.

Hic duo consideranda sunt priusquam pergo in rerum narratione. Primum illud est: falli potuisse privata concilia: imo falsa esse, cum Palæstini Patres Pelagium dixerunt orthodoxum: Tamen nón falsum esse Romanum Pontificem, qui prudentissimo consilio solicitavit Episcopos, ut gregi caverent. advertit hoc S. Augustinus, cum ita scripsit: *Fefellit judicium Palæstinum ipse Pelagius; propterea ibi videtur esse purgatus: Romanam verò Ecclesiam, ubi eum esse notissimum scitis, fallere usquequaque non potuit; quamvis & hoc fuerit utrumque conatus: sed, ut dixi, minimè valuit.* Quod dicat Augustinus Pelagium Romæ notissimum. Vel inde est, quod hæresis ejus, ibi potissimùm ventilata sit: vel quod Author diu Romæ vixerit, prout affirmat idem Augustinus, l. 2. de dono perseverantiæ. Inde pulsus, majestate urbis, *in Siciliam profectus est*, inquit Baronius; quod si verum est, ineptè satis scripsere Magdeburgenses: *Pelagius Româ, in Angliam profectus est. Insulam illam totam infecit errore.* Ineptè inquam: Quia Anglia eo tantum modo erat in rerum naturâ, Pelagii tempore; quo Lutheranorum, & Calvinistarum Ecclesia; quæ alio similiter nomine audivit. Nec omnis Insula infecta est: sed Episcopos habuit, & viros sanctissimos; qui, ut aliæ provinciæ, collectis Synodis, & solicitato Rom. Pontifice; quà suis viribus, quà externâ ope, pro fide acerrimè pugnaverunt, ut mox dicam. & quod ad Belgii reditum in patriam, non malè dicit Usserius: *Post diuturnam illam peregrinationem, domum aliquando rediisse, absque omni veterum authoritate affirmatur.*

Augustin. de pec. orig. l. 2. c. 8. 9.

Baron. an. 412.

Cent. 5. c. 11. fo. 1411.

Pelagius Roma, in Siciliam, non in Britanniam ivit.

Usser. fo. 215.

III. Concilia a Ro. Pont. firmitatem petunt.

Aliud notatione dignum, cum Carthaginensea & Milevitani Episcopi, jussu Innocentii, Pelagianam perfidiam detexissent, damnassentque: quasi minus roboris haberet illa sententia, nisi ab altiore subsellio firmaretur; scripserunt literas, ad eundem Innocentium, enixè rogantes; ut censuræ à Synodis latæ, Apostolicæ Sedis authoritas accederet. Quod licèt Prosper suprà insinuaverit; meliùs tamen ex Episcoporum literis, totius Africæ, de Romano Pontifice, sensum erues: ita enim scripserunt inter cætera ad Innocentium. *Error ipse, & impietas, quæ tam multos assertores habet per diversa dispersos, etiam*

Literæ Conc. Carth. ad Innocent.

Apostolica

Apostolica Sedis, authoritate anathematizanda est. Consideret enim sanctitas tua, & PASTORALIBVS NOBIS COMPATIATVR VISCERIBVS, quàm sit pestiferum & exitiale ovibus Christi, quod istorum sacrilegas disputationes necessariò sequitur; ut nec orare debeamus ne intremus in tentationem; quod Dominus discipulos monuit, & posuit in oratione quam docuit: aut ne deficiat fides nostra, quod pro Apostolo Petro se rogasse testatus est. Ità ibi. & paulò superiùs, majus aliquid in Innocentio agnoscunt, quàm in concilio suo. nam ita inquiunt: *Veremur, ne apud te ista commemorando, quæ majore gratiâ, de Sede Apostolica, prædicas, inconvenienter facere videamur. Sed ideo facimus; quia, eò quòd infirmiores sumus, quaqnaversum quisque nostrum, verbo Dei prædicando putâtur attentior, crebrius eos patitur, & audacius insurgentes.* Alibi etiam in eisdem literis, Episcopi ita loquuntur. *Hoc itaque gestum, Domine frater sancte, charitate tua intimandum duximus: ut statutis nostræ mediocritatis, etiam Apostolicæ Sedis adhibeatur authoritas, pro tuenda salute multorum, & quorundam perversitate etiam corrigenda.*

IV. LITERÆ INNOCENTII PAPÆ.

His Concilii Carthaginensis literis respondit in hunc modum Rom. Pontifex Innocentius: *Aurelio, & omnibus sanctis Episcopis, vel cæteris qui in Concilio Carthaginensi affuerunt Ecclesiæ, dilectissimis fratribus, in Domino salutem. In requirendis de his rebus, quas omni cum solicitudine decet à Sacerdotibus, maximè à vero, justoq́ & Catholico tractari Concilio, antiquæ Traditionis exempla servantes,*

Conc. 4. fo. 225.

& Ecclesiasticæ memores disciplinæ; vestræ religionis vigorem non minùs nunc in consulendo, quam antea cum pronunciaretis, vera ratione firmastis, qui ad nostrum referendum approbastis esse judicium. Scientes quid Apostolicæ Sedi, cum omnes hoc loco positi, ipsum sequi desideremus Apostolum, debeatur. A quo ipse Episcopatus, & tota authoritas nominis hujus emersit.

PRIMATUS RO. ECCLESIÆ.

Quem sequentes, tam mala jam damnare novimus; quam probare laudanda. Vel id verò, quòd patrum instituta Sacerdotali custodientes officio; non censetis esse calcanda. vel quòd illi, non humanâ, sed divinâ decrevere sententiâ; ut quicquid de disjunctis remotisq́ provinciis ageretur; non prius ducerent finiendum, nisi ad hujus Sedis notitiam perveniret: ubi tota hujus authoritate, justa quæ fuerit pronuntiatio, firmaretur; indeq́ sumerent cætera Ecclesiæ, velut de NATALI SVO FONTE aquæ cuncta procederent; & per diversas totius mundi regiones, puri capitis incorrupta manarent; quid præcipere, quos abluere, quos velut in cœno inemundabili sordidatos, mundis digna corporibus unda vitaret. & post aliqua contra Pelagium, sic pronuntiat. *Præcidendum id ergo est, quod velut puro sanoq́, nimium corpori, vulnus obrepsit; ne cum tardiùs abstergitur, in ipsis penè visceribus, hujus mali non exhaurienda post sentina consîdat.* Ita jussit Innocentius Pelagium anathemate feriri.

V. MILEVITANI PATRES AD INNOCENTIUM.

Scripsere, & Milevitani Patres, è sua Synodo, ad eundem Innocentium, eodem argumento literas; in quarum exordio ita loquuntur: *Quia te Dominus gratiæ suæ præcipuo munere, in Sede Apostolica collocavit; talemq́ nostris temporibus præstitit, ut nobis potiùs ad culpam negligentiæ valeat, si apud tuam venerationem, quæ pro Ecclesia suggerenda sunt tacuerimus, quàm ea tu possis, vel fastidiosè, vel negligenter accipere; magnis periculis infirmorum membrorum Christi pastoralem diligentiam quæsumus adhibere digneris,* &c. Innocentius hisce etiam literis respondet, agnoscitque se omnium Ecclesiarum pastoralem curam habere: & ita loquitur inter alia: *Diligenter, & congruè Apostolico consulitis honori: honori, inquam illius, quem præter illa, quæ sunt extrinsecus, solicitudo manet omnium Ecclesiarum, super anxiis rebus quæ sit tenenda sententia.*

RESPONDET INNOCENTIUS. ANTIQUA REGULA TOTO SEMPER ORBE SERVATA ROMAM CONSULERE.

Antiquæ scilicet regulæ formam secuti; quam toto semper ab orbe, mecum nostis esse servatam. Verùm hæc missa facio. Neque enim hoc vestram credo latere prudentiam. Quid id etiam actione firmastis; nisi scientes; quod per omnes provincias, de Apostolico fonte petentibus responsa semper emanent? præsertim quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres, & Coepiscopos, nonnisi ad Petrum, id est, sui nominis & honoris authorem, referre debere; velut nunc retulit vestra dilectio: quod per totum mundum possit omnibus Ecclesiis in commune prodesse. Ita ad Milevitanos Patres Innocentius; quæ omnia referunt Magdeburgici. Et quis non videt, totius Africæ sensum fuisse, Rom. Pontificem Ecclesiarum omnium principem esse? aut cur miramur, causasque inquirimus; cur Lucius Rex, & Britannorum Ecclesiæ, ab illa sede, in fidei rebus pependerint; quam, suffragio omnium sæculorum, constat Christianæ religionis fontem esse & parentem?

ANNUS URBIS CONDITÆ 1168.

ANNUS CHRISTI 417.

INNOCENTII PAPÆ 16.

HONORII IMP. 23.

I. PELAGII LIBELLUS AD INNOCENTIUM.

HOc ipsum etiam in Pelagio ostenditur: qui cum, Episcoporum industriâ, ubique vapularet: nec posset se Synodis sistere, quas Ro. Sedis authoritas roborabat: anno quadringentesimo decimo septimo, Honorio Augusto undecimum, & Constantio II. Coss. ab omnium Episcoporum sententiis, quibus hæreticus audiebat, appellavit ad Innocentium; scripsit se Catholicum esse, ac missâ fidei suæ formulâ, Apostolicæ cathedræ tribunal judiciumque imploravit. Necdum enim homines adeo insaniverant, ut summum illud imperium detrectarent. Pelagii libellus erat hujusmodi: *Credimus in Deum, &c. Ioviniani quoque damnamus hæresim, qui dicit nullam in futuro meritorum esse distantiam; nosq́ eas ibi habituros esse virtutes, quas hìc habere neglexîmus. Liberum sic esse confitemur arbitrium, ut dicamus nos semper Dei indigere auxilio; & tam illos errare, qui cum Manichæis dicunt; hominem, peccatum vitare non posse, quàm illos, qui cum Ioviniano asserunt, hominem non posse peccare. Vterque enim tollit libertatem arbitrii. Nos verò dicimus hominem & peccare, & non peccare posse: ut semper nos liberi confiteamur esse arbitrii. Hæc est fides, Papa beatissime, quam in Ecclesiâ Catholicâ didicimus, quamque semper tenuimus & tenemus. In quâ si minùs peritè, aut parùm cautè, aliquid fortè positum est, emendari cupimus à te, qui Petri, & fidem, & sedem tenes. Si autem hæc nostra confessio, Apostolatus tui judicio, comprobatur; quicumque me maculare voluerit, se imperitum, se malevolum, vel etiam non Catholicum, non me hæreticum, comprobabit.* Ita Pelagius, Innocentio fidem obtrusit, quam in Britannia, & Bangorensi Monasterio, didicerat; & quam

puram defæcatamque sciebat: nec enim aliter mentiri se poterat orthodoxum. Sed, ut olim Arius, Ecclesiæ authoritatem veritus, fucatâ oratione Episcopos fallere conatus est; &, ut nuper Martinus Lutherus, ad Leonem decimum scripsit. *Beatissime Pater, prostratum me pedibus tuæ beatitudinis offero, cum omnibus quæ sum, & habeo. Vivifica, occide, voca, revoca, approba, reproba, ut placuerit. Vocem tuam, vocem Christi in te præsidentis, & loquentis agnoscam, si mortem merui, mori non recusabo.* Quæ statim omnia rescidit. Hos inquam, & hunc hæreticorum, & apostatarum genium, secutus Pelagius, mentiri quidem, ut illi: sed Ro. Sedem fallere, non potuit, ut nec illi.

II. Moritur Innocentius. Zosimus Papa.

Baron. an 418.

Moritur Innocentius Papa, priusquam Pelagii literæ, fideique ficta professio, Romam pervenirent. Succedit Zosimus natione Græcus, & eâdem constantiâ, pro fide orthodoxâ, ut nuper Innocentius, in Pelagianam hæresim pugnavit. Cælestius (quem è Britanniâ Scoticæ gentis hominem fuisse, colligit è S. Hieronymo Cardinalis Baronius, & Usserius Hibernum dicit) Pelagii antesignanus, & illius factionis primipilus, Romam etiam, ut Pelagius, appellaverat. Verùm Innocentium Papam reveritus, Zosimi tempora expectavit; sperans inde majus factioni subsidium. sed falsus est: Zosimus enim Cælestii errores detestatus, palinodiam canere, eum coegit. quod & factum. Tunc autem ad Africanos Patres, à quibus ipse provocaverat, scripsit, Honorio Augusto XI. & Constantio II. Coss. scripsit inquam Zosimus Aurelio Augustino, & universis, per Africam constitutis Episcopis, in hunc modum:

III. Zosimi literæ ad Episcopos Africæ.

Magnum pondus examinis magna desiderat; ut non sit rebus ipsis, quæ geruntur, inferior libra judicis. His accedit Apostolicæ Sedis authoritas, cui in honorem beatissimi Petri, Patrum decreta peculiarem quandam sanxere reverentiam. Orandum igitur, & incessanter orandum, ne continuâ gratiâ, perennique adjutorio, Dei pax, ex hoc fonte in totum orbem, fidei & Catholicæ societatis, nullis nubibus interfuscata mittatur. Caritas enim quæ, sicut scriptum est, Deus est, perfectâ plenitudinis abundantiâ gratulatur: tum si quid, vel suspicionis habuerit fidei intentionis solicitâ, vel in longum perductâ contentione, aut emendatione, corrigitur. Cælestius Presbyter nostro se ingessit examini; expetens ea, quæ de se, Apostolicæ Sedi aliter quàm oportuit essent inculcata, purgari. Pergit pluribus ostendere Cælestii causam, qui resipuisse videbatur, exactissimè discutiendam esse; & tunc demum ferendam, pro meritis, sententiam. Unde illi meritò culpandi sunt qui Zosimum volunt Pelagii erroribus favisse. Quis enim Lutherum ad Leonis pedes abjectum, Catholica omnia protestantem & jurantem, crederet mentiri potuisse? Quod si, ut reverà, mentitus est; cur judici vitio vertitur, secundùm allegata & probata sententiam ferenti.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1169.

ANNUS CHRISTI 418.

ZOSIMI PAPÆ 2.

HONORII IMP. 24.

I. Anno Christi quadringentesimo decimo octavo, Honorio XII. & Theodosio VIII. Coss. Pelagianam hæresim condemnavit Zosimus Papa, teste S. Augustino: *Recolunt*, inquit, *Beatissimus Papa Zosimus, quid imitandus præcessor ejus, de ipsis senserit gestis. Attendit etiam quid de illo sentiret prædicanda, in Domino, Romanorum fides; quorum adversus ejus errorem, pro veritate Catholicâ, studia consonantia concorditer flagrare cernebat.* Et alibi addit, eundem Zosimum literis suis, quas ad universas Ecclesias dedit, Pelagii blasphemias, quas vitarent fideles omnes attexuisse: Denique factum est, ut hoc anno, Pelagiana hæresis, toto orbe ejus operâ, proscriberetur. Ita enim Prosper, ad annum, quo Honorius duodecimùm, & Theodosius octavùm Consules fuerunt: *Concilio apud Carthaginem habito, ducentorum & septemdecim Episcoporum; ad Pontificem Zosimum. Synodalia decreta perlata: quibus probatis, per totum mundum, hæresis Pelagiana damnata est.* Vides, opinor, Lector, quàm accurate Romanus Pontifex, & orthodoxi Præsules in emergentem hæresim laboraverint, & quâ arte, quibus adminiculis usi, ut malo occurrerent. Cur enim cernerent (quod hodie quoque sectariis omnibus commune est) nudâ Scripturæ authoritate, controversia componi non posse; *spiritum veritatis* appellarunt, quem Ecclesiæ suæ promisit Christus, mansurum cum ea in æternum, & docturum omnem veritatem. Sic suprà Ariana pestis, sic hoc sæculo Pelagiana hæresis detecta, damnataque est: sic etiam detegi curarique potest omne cacoëthes. Unde Vincentii Lirinensis, qui hoc quinto sæculo scripsit, sententia, aureo digna charactere, sic habet: *Sæpè magno studio, & summâ attentione perquirens à quamplurimis sanctitate & doctrinâ præstantibus viris: quonam modo possim, certâ quadam & quasi generali, ac regulari viâ, Catholicæ fidei veritatem, ab hæreticæ pravitatis falsitate discernere: hujusmodi semper responsum ab omnibus ferè retuli. Quod sive ego, sive quis alius vellet exurgentium hæreticorum fraudes deprehendere, laqueosque vitare; & in fide sanâ, sanus atque integer permanere: duplici modo munire fidem suam, Domino adjuvante deberet. Primò scilicet divinæ legis authoritate: tum deinde Ecclesiæ Catholicæ Traditione. Hic forsitan requirat aliquis cum sit perfectus Scripturarum Canon, sibique ad omnia satis superque sufficiat: quid opus est, ut ei Ecclesiasticæ intelligentiæ jungatur authoritas? Quia, videlicet, Scripturam sacram, pro ipsâ suâ altitudine, non uno eodemque sensu universi accipimus: sed ejusdem eloquia, aliter, atque aliter, alius atque alius, interpretatur. ut penè quot homines sunt, tot illinc sententiæ erui posse videantur. Aliter namque illam Novatianus, aliter Photinus, aliter Sabellius, aliter Donatus exponit. Aliter Arius, Eunomius, Macedonius. aliter Apollinaris, Priscillianus: aliter Iovinianus, Pelagius, Cælestius: aliter postremò Nestorius. Atque idcirco multum necesse est, propter tantos tam varii erroris anfractus; ut Propheticæ & Apostolicæ interpretationis linea, secundum Ecclesiastici & Catholici sensus normam dirigatur. In ipsâ item Catholicâ Ecclesiâ magnopere curandum est, ut id teneamus, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est. hoc est enim verè proprieque Catholicum: quod ipsa vis nominis ratioque declarat, quæ omnia verè universaliter comprehendit. Sed hoc ita demum fit, si sequamur universitatem, antiquitatem, consensionem: sequemur autem universitatem hoc modo; si hanc unam Fidem veram esse fateamur, quam tota per Orbem terrarum Ecclesia confitetur. Antiquitatem verò ita, si ab his*

Pelagiana hæresis condemnatur a Zosimo.

August. de peccat. origin. c. 8. Idem sup. c. 22.

Prosper in Chron.

Vincent. c. 1. & 3.

nullatenus sensibus recedamus, quos Sanctos majores, ac Patres nostros celebrasse manifestum est. Consensionem quoque itidem, si in ipsâ vetustate, omnium, vel certè pene omnium Sacerdotum pariter ac magistrorum definitiones sententiasq; sectemur. Hæc & plura Vincentius: quæ tam appositè in Lutherum, Calvinum, & hujus sæculi impostores, dicuntur; ut nihil elegantius dictari, nulla præsentior medicina pesti præscribi posse videatur. & eadem Doctorum omnium mens. oam Augustinus: *In his rebus*, inquit, *de quibus nihil certi statuit Scriptura divina, mos populi Dei, vel instituta majorum pro lege tenenda sunt.*

August. Epistola 86.

II. ZOSIMUS MORITUR. BONIFACIUS PAPA.

Moritur, eodem anno, Zosimus Papa: & Apostolicæ Sedis successor eligitur Bonifacius; qui Eulalii, intrusi hominis, factionem feliciter eluctatus est: cum paulò antea Honorius Imperator, Constantinum nostrum imitatus, Regiæ suæ Fidei argumentum dedisset, proscripto damnatoque Pelagio. Quod patuit ex literis, quas in hunc modum dedit, contra Cælestium atque Pelagium.

IMPP. HONORIUS ET THEODOSIUS AUGG. PALLADIO Præfecto Prætorio.

III. HONORII IMP. LITERÆ CONTRA PELAGIUM.

AD conturbandam Catholicæ simplicitatis lucem, puro semper splendore radiantem, dolosa artis ingenio, novam subito emicuisse versutiam, pervulgatâ opinione cognovimus: quæ fallacis scientiæ obumbrata mendaciis, & furioso tantum debacchata instamine, stabilem quietem cælestis conatur attrectare fidei: dum novi acuminis commendata vento, insignem notam plebeia æstimat vilitatis, sentire cum cunctis, ac prudentiæ singularis palmam fore, communiter approbata destruere. cujus impia commentationis authores, Pelagium Cælestiumq; percrebuit, extitisse. Hi parenti cunctarum rerum, Deo, præcipuæq; semper majestati, & ter omnipotenti, ultra omne principium transeunti, tam trucem inclementiam sævæ voluntatis assignant, &c. *Ob quam rem illustris tua authoritas, victurâ in omne ævum lege, nos statuisse cognoscat; ut pulsis ex urbe primitùs capitibus dogmatis execrandi, Cælestio atque Pelagio: si qui hujus de cætero sacrilegii sectatores, quibuscunque locis potuerint reperiri; aut de pravitate damnatâ aliquem rursus proferre sermonem; à quocunque correpti, ad competentem judicem pertrahantur: quos, sive clericus, sive laicus fuerit, deferendi habeat potestatem; & sine præscriptione aliqua perurgendi, quos relictâ communis sententiæ luce, novas disputationis tenebras introferre deprehenderit, contra Apostolicam scilicet disciplinam, Evangelicamq; claram, & sine errore, sententiam, vafra rudis sectæ calliditate pugnantes,* &c.

IV. PELAGIANI OMNES CORRIGENDI.

Hos ergo repertos, ubicumque de hoc tam nefando scelere conferentes; à quibuscunque jubemus corripi; deductosq; ad audientiam publicam, promiscuè ab omnibus accusari; ita ut probationem convicti criminis, stilus publicus insequatur; ipsis inexorati exilii deportatione damnatis. Decet enim originem vitii, à conventu publico sequestrari: nec in communi eos celebritate consistere, qui non solùm facto nefario detestandi; verùm etiam exemplo venenati spiritus sunt cavendi. Iuvat autem per omne imperium nostrum, quà mundus extenditur, hujusmodi promulgata diffundi: ne scientia fortasse dissimulatio passum præstet erroris: atque impunè se quisque putet audire; quod condemnatum vigore publico, sese finxerit ignorare. Data pridie Kalendas Maias Ravennæ. DD. NN. Honorio XII. & Theodosio VIII. AA. Coss. Ita pro Romanâ & orthodoxâ fide scripsit Honorius Imperator Occidentis.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1170.

ANNUS CHRISTI 419.

BONIFACII PAPÆ 2.

HONORII IMP. 25.

I. BONIFACIUS IMPLORAT BRACHIUM SÆCULARE CONTRA PELAGIUM.

LABORAVIT Bonifacius anno Christi quadringentesimo decimo nono, Monaxio & Plinta Coss. ut decreta contra Pelagium sententia, cunctis Ecclesiis innotesceret: & quia necessitas apparebat, alterum quoque gladium, quem Reges possunt, & cum rogantur, debent, in impios stringere, imploravit. Ita docet Prosper adversus collatorem: *Sancta*, inquit, *memoria Bonifacius, pijssimorum Imperatorum Catholicâ devotione gaudebat: & contra inimicos gratiæ Dei: non solum Apostolicis, sed etiam Regiis utebatur edictis.* Hinc videre est unanimem consensum Romanorum Pontificum, in persequendis erroribus, & suffocandâ hæresi: cum Innocentius, Zosimus, atque Bonifacius, paucis annis, non paucas excitarint provincias, ad perversi hominis odium. ubi etiam cernere est, Romanum Pontificem, veluti ex editiore speculâ, consulentem Ecclesiæ, mooentemque vigiles, ut quisque stationem teneat, caveatque ab insidiis. Ridenda igitur est Magdeburgensium impietas, qui odio io Romanam Ecclesiam ita scripserunt: *Porrò, quia Pelagius diu Romæ vixerat, & multos ibi tum suæ opinionis asseclas, tum ejus defensores & patronos, quod non sic sentiret, habebat: ideo ut Carthaginensis, ita Milevitana Synodus, ad Innocentium scripsit, eumq; hortata est, ut pro Ecclesiâ vigilaret.* ita illi, quasi Româ, Pelagiano errore laborante, Innocentius dormivisset. Ridenda, inquam impietas; quia Prosper, qui tum vivebat pugnabatque in Pelagiũm, disertè affirmat Romanam Ecclesiam ante omnes vigilasse, eo carmine.

Prosper adver. colla.

Cent. 5. c. 9 fo. 841.

Pestem subeuntem prima recidit
Sedes Roma Petri: quæ pastoralis honoris
Facta caput mundo, quicquid non possidet armis
Religione tenet.

Prosper de Ingratis.

RO. PONTIFEX CAPUT PASTORUM.

II. BRITANNI ALIQUOT PELAGIANISMO INFECTI.

Sed quid Interim actum in Britanniâ? nam periclitante orbe, admodum difficile erat Insulani Pelagii parentem, non infici labe vernaculâ. Et profectò fatendum est, infectam esse. Nam ipse erroris magister Pelagius provinciales aliquot, traxit in impiissimam factionem; turbavitque fidem, quæ tot sæcula manserat incorrupta. Quinam illi fuerint, qui primi fæcem hauserint, non possum certò affirmare. nam licet apostata Balæus, & ex eo quatuor Magdeburgici, Leporium quendam, Agricolam nominent, Britanniæ corruptorem; qui scilicet Banchorensis Monasterii Monachus, Pelagium sequutus sit: tamen primúsne ille fuerit, incertum est. Addo, vitiosum sine dubio esse, quod ex Prospero recitant Magdeburgici, in hunc modum: *Prosper in Chronicis sub annum Domini 432. nominat quendam Agricolam Pelagianum Severiani Pelagiani filium, qui Ecclesias Bastoniæ apud Britannos corruperit suo dogmate: & propterea a Papa Cælestino eò missum*

Balæus cent. 10.

LEPORIUS AGRICOLA.

Cent. 5. c. 10. fo. 1440.

PROSPERI LOCUS VITIOSUS.

Germanum Altisiodorensem Episcopum, qui profligatis hareticis Britannos in viam reduceret. Hic, inquam Prosperi locus vitiosus est; nam nusquam invenire est Ecclesias Basterniæ apud Britannos. Sed nec solidè emendari potest sententia ex ipso Prosperi codice; ubi in magnâ Patrum Bibliothecâ ita legitur. *Florentio & Dionysio Coss. Felice ad Patriciam dignitatem provecto, Aetius magister militum factus est ex Agricola. Pelagianus Severianus Pelagiani Episcopi filius, Ecclesias Hiberniæ dogmatis sui insimulatione corrupit: sed actione Palladii Diaconi Papa Cælestinus Germanum Altisiodorensem, vice sua, mittit; ut deturbatis hæreticis, Britannos ad Catholicam fidem dirigat.* Corrupta enimvero lectio; nam præterquam quod legi debeat: *Ætius factus est magister militum. Agricola Pelagianus,* &c. Quid ad rem faciebat: Germanum mitti ad Britannos, dirigendos, quia Hiberniæ Ecclesiæ deliquerant? Meliùs ergo Florentium Wigorniensis & Baronius ita legunt: *Agricola Pelagianus, Severiani Pelagiani Episcopi filius, Ecclesias Britanniæ dogmatis sui insimulatione corrupit.* Optimè ergo & in rem meam Beda, Prosperi mentem sic expressit: *Hæresis Pelagiana per Agricolam illata, Severiani Pelagiani Episcopi filium, fidem Britannorum fœda peste commaculaverat.* Ita ille. Cum hæc scripsissem, incidi in Prosperi Chronicon ex M. S. Augustano, M. Patrum Bibliothecæ insertum: ubi legitur, ut refert suprà Florentius Wigornień. unde constat M. S. Augustanum correctius esse.

An. Christi 429. — Restituitur. — *Baron an 429.* — *Beda l. 1. c. 17.*

III. Agricola cujas?

Hinc aliqui colligunt (nam unde aliàs colligant non invenio) Agricolam hunc Severi Sulpitii filium, in Britanniâ, è Britannâ matre genitum: ut Balæus, Pitsæus, & alii; quod solùm ideo est probabile, quia Prosper, Beda, cæterique, passim, defectionem Insulæ, à majorum fide, Agricolæ imprimis adscribunt: quem tamen eundem esse cum Leporio antiquorum nemo affirmat: quod tamen Balæus fortè inde collegit: quia Cassianus, Prospero paulò antiquior, nomine Galliarum, Britanniam significans, ut ferè vetustiores, numerat Leporium inter primos fidei corruptores, vel certè inter maximos. nam l. 1. de Incarnatione ita loquitur. *Leporius tunc Monachus, modo Presbyter, qui ex Pelagii institutione, vel potiùs pravitate descendens, apud Gallias assertor prædictæ hæreseos, aut inter primos, aut inter maximos,* &c. Ipse ergo Britanniam cum primis corrupit, quà blando sermone; quâ scriptis: ita tamen corrupit; ut pauci tantum infecti, & modico solùm tempore, erraverint. Quod Beda innuit illis verbis. *Britanni cum neque suscipere dogma perversum, gratiam Christi blasphemando ullatenus vellent; neque versutiam nefariæ persuasionis refutare verbis certando sufficerent; inveniunt salubre consilium,* &c. Unde liquet plures ex Insulâ, quantumvis Pelagii, & Agricolæ argutiis, non potuerint respondere; horruisse tamen dogma paradoxum. Et sanè ipse Leporius, ut statim patebit, vix unum alterúmve annum desipuit: nam profectus in Africam, manus dedit Augustino, scripsitque inde literas in Britanniam: quam dedocuit id, quod ante docuerat. Cæterùm alii contra Balæum probabilius affirmant Leporium hunc ab Agricola distinctum esse. nam ille Gallias, iste Britannias infecit, uterque in Galliarum provinciis natus. nec enim Leporius audit Agricola: nec Agricola Leporius.

Cassian. l. 1. de Incar. c. 4. — *Bed. l. 1. c. 17.*

ANNUS URBIS CONDITÆ 1171.

ANNUS CHRISTI 420.

BONIFACII PAPÆ 3.

HONORII IMP. 26.

I. Fastidius Priscus Londinen. Episcopus. — *Balæus cent. 1.*

ANNO Christi quadringentesimo vigesimo, Theodosio X. & Constantio III. Coss. fuerunt in Britanniâ plures, qui Pelagio & erroribus ejus bellum indixerunt; Trithemius refert floruisse hoc anno, Fastidium Priscum, Britannorum Episcopum, sub Honorio & Theodosio Augustis. *Hic ingenii benignitate, memoriæ excellentiâ, morum ac vitæ incorruptâ integritate, cæteros omnes suæ gentis verbi præcones, longè superavit,* inquit Balæus. Qui addit, & ipsum scripsisse librum *Admonitionum piarum.* Quo fortè antidota propinavit contra emergentem hæresim. Fastidii meminit Gennadius & Trithemius, qui vocat eum *virum in Scripturis sanctis eruditum, verbi Dei prædicatorem egregium, vita & conversatione illustrem, sermone & ingenio clarum.* Unde non est verosimile, eo vivo, Pelagianum errorem multos pervasisse. Quia laboravit ipse, quà vitæ exemplo, quà consilio & adhortatione, civibus persuadere; ne à traditâ à majoribus disciplinâ recederent. Illi mortuo, incertum quando, successit Voadinus. Et tunc, cum Scotorum incursibus vastarentur provinciæ, nec Britanni possent amoliri hostem; nullumque esset otium pugnandi in hæresim; serpere cæpit Pelagianum dogma, & Britannorum vulgus inficere. Cæterùm quantâ curâ pastores vigilaverint, ne multum noceret; quomodo ipsi Synodos coëgerint; & de more Ecclesiarum, Romanam arcem, in mali remedium pulsaverint; patebit è sequentibus. nam priùs amovendus est hostis, qui alteram Rempublicam premit.

Voadinus Londinensis Episcopus.

II. Britanni a Scotis lacessiti, Romæ supplices. — *Floril. an. 420.* — *Gildas in excid.*

Dum foris Pelagius Ecclesiam turbat, justo Deo permittente; iterum Scoti Pictique Britannos lacessunt. Quod ad tempus spectat, Fasti ex Malmesburiensi aliisque collecti, benè designant præsentem annum. nam Florilegus ita scribit. *Anno gratiæ quadringentesimo vigesimo, Scotorum, Pictorum, Norvegensium, infestationem Britanni non ferentes, Romam mittunt auxilium flagitantes.* Optimè legationem hanc, Britannorum lacrymas, & Romanorum pietatem explicat Gildas, in excidio; ubi de Pictis & Scotis (Norvegensium nec ipse nec Beda meminit) ita scribit: *Ob quorum infestationem, ac dirissimam depressionem: legatos Romam, cum Epistolis, mittit Britannia, militarem manum, ad se vindicandam, lacrymosis postulationibus poscens; & subjectionem sui Romano Imperio continuè, tota animi virtute, si hostis longiùs arceretur, vovens.* Quid inde factum à Romanis, dicam anno sequenti.

III. Constantius creatur Augustus.

Interim hoc anno Constantius, Cæsar, ab Honorio creatur Augustus: cum superiore anno, è Placidiâ, Honorii sorore, Valentinianum filium suscepisset.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1172.

ANNUS CHRISTI 421.

BONIFACII PAPÆ 4.

HONORII IMP. 27.

I. Romani Scotos pellunt, premuntque.

Gildas in excidio.

ANNO Christi quadringentesimo vigesimo primo, Agricola & Eustathio Consulibus, Honorius Imperator Britannorum lacrymis commotus, auxilia submisit; quibus Scotorum Pictorumque incursus arcerentur, de quibus ita Gildas. *Destinatur*, inquit, *Legio præteriti mali immemor, armis sufficienter instructa, quæ ratibus trans Oceanum in patriam advecta, & comminùs cum gravibus hostibus congressa, magnamque ex iis multitudinem sternens; & omnes è finibus depulit, & subjectos cives, tam atroci dilaceratione, ex imminenti captivitate liberavit.* Fortè hanc Honorii de Scotis victoriam expressit nummus ille apud Camdenum, qui sic inscribitur; quique ad hunc annum referri debet.

Nov. 27.



Quis Britanniæ pro Romanis præfuerit in hac expeditione, non potest certò affirmari: conjectura est Chrysanthum fuisse, Marciani filium, qui postea Constantinopolitanæ Ecclesiæ factus est Episcopus. nam de eo Socrates ita scribit l. 7. c. 12. *Fuit Theodosio Magno regnante, præfectus Italiæ designatus: postea Vicarius Imperatoris in Insulis Britannicis constitutus: in illarum administratione permagnam laudem consecutus est.*

II. Cur nummus huc referendus.

Dixi nummum huc referendum, quia hæ literæ AUGGG. arguunt victoriam in trium Augustorum laudibus ponendam, Honorii, Theodosii, atque Constantii. Cum enim Constantius, superiore tantum anno, creatus sit Augustus; & hoc anno 421. vivere desierit; vix aliò potest referri. Addo, Honorium eo Augusto, non aliâ victoriâ clariorem fuisse. Moritur ergo post cusum, hoc anno, nummum, Constantius, Valentiniano filio, è Placidia, relicto; quo postmodum imperante, Romani in Britanniâ regnare desierunt. Qui etiam, hoc anno, cum provinciales docuissent murum exstruere, imperfecto adhuc opere recesserunt.

Constantius Aug. moritur.

III. Murus a Britannis extruitur.

Gildas de Excidio

E cespite, a Bodotria ad Glottam.

Quod ad murum attinet; ita de eo Gildas. *Romana Legio jussit construere inter duo maria, trans Insulam, murum, ut esset arcendis hostibus à turbâ instructus, terrori, civibusque, tutamini: Qui à vulgo irrationabili, absque Rectore, factus, non tam lapidibus, quam cespitibus, non profuit.* Fuit ergo cespititius hic murus, à freto illo ductus, quod olim Tacitus Bodotriam vocavit, adusque Cluidam fluvium, qui eidem Tacito Glotta dicebatur; conjungebatque Laudoniam, & omnem Pictorum Regionem Britannorum provinciis: quæ diu postmodum Saxonum imperio mansit annexa, donec anno 975. ut habet Florilegus, Edgarus Rex, sub certâ lege, Kenetto Scotorum Regi, illam concessit. Beda satis præter morem articulatè novum hunc murum describit; aitque suo tempore vestigia illius superfuisse. *Fecerunt*, inquit, *murum inter duo freta, vel sinus maris, per millia passuum plurima. Vt ubi aquarum munitio deerat; ibi, præsidio valli, fines suos, ab hostium irruptione, defenderent: cujus operis ibidem facti, id est valli latissimi, & altissimi, usque hodie certissima vestigia cernere licet. Incipit autem, duorum fermè millium spatio, à Monasterio Æbercurnig, ad Occidentem; in loco, qui sermone Pictorum Penvabel; linguâ autem Anglorum, Penveltum appellatur: & tendens contra Occidentem, terminatur juxta urbem Alcluith.* Hæc Beda de muro à Britannis posito, nimirùm eò loci, ubi olim Julius Agricola, Romanam provinciam, à barbarâ distinxerat. Porrò ex voce illâ Picticâ, *Penvabel*; ut hoc etiam obiter notetur; non malè colligit Camdenus, Pictos, non advenas, sed reverà ipsam Britanniæ gentem fuisse. Britanni enim caput valli, Pengual appellabant.

Floril. an. 975.

Edgarus dat Scotis Laudoniam.

Beda l. 1. c. 12.

Camd. in Pict.

Picti, Britanni erant.

IV. Nova Scotorum irruptio.

Recesserat è Britanniâ Romanus miles, cum murus construitur: qui, quà artificum imperitiâ, quà Britannorum inertiâ, non profuit admodum ad submovendos hostes. Etenim vix operi suprema manus imponitur; cum denuò Scotus & Pictus irrumpunt; & quasi vires quiescendo cepissent, majori quàm antea audaciâ, Romanam provinciam depopulantur. Quod Gildas ita narrat. *Legione autem domum, cum triumpho magno & gaudio, repedante: illi priores inimici, ac si Ambrones lupi, profundâ fame rabidi, siccis faucibus ovile circumsilientes, non comparente pastore; alis remorum, remigumque brachiis, ac velis ventorum plenis vecti: terminos rumpunt, caduntque omnia, & quæque obvia, maturam ceu segetem metunt, calcant, transeunt.* Sunt, qui ex hoc Gildæ loco contendunt, præter Pictos & Scotos, aliam quoque gentem, Ambrones dictam, Britanniam, hac vice, invasisse. Juvat eorum conjecturam, quod in Festo legitur: Ambrones gentem Gallicam, cum Cymbris, effudisse se in Italiam: sed errant, non advertentes, Ambronem, apud Isidorum devoratorem significare; sicque a Gilda accipi & Galfrido Monumetensi, qui Saxones etiam Ambrones vocat. Dicamus ergo Authoris sensum esse: Scotos & Pictos, veluti famelicos lupos, & ad omnia devoranda promptissimos, Romano recedente, iterum adfuisse. Fatendum tamen populum aliquando fuisse, Ambrones dictum; de quo Festus: *Ambrones fuerunt gens quædam Gallica qui subitâ inundatione maris, cum amisissent sedes suas, rapinis & prædationibus, se suosque, alere cœperunt. Hos & Cimbros Teutonesque, C. Marius delevit. ex quo factum est, ut turpis vitæ homines, Ambrones dicerentur.* Ita Festus. Cæterùm Isidorus l. 10. orig. c. 2. Hunc populum Umbros vocat; & ab Ambrone distinguit. *De Vmbris*, inquit, *historiæ perhibent, quod tempore aquosæ cladis, imbribus superfuerint, & ob hoc ὄμβριους nominatos.* & alibi in glossario: *Ambro*, inquit, *est devorator, consumptor patrimonii, decoctor, luxuriosus.* Eum sensum sine dubio Gildæ verba magis præferunt: qui novum hospitem premere, & luporum voracitati comparare voluit: & unà calamitatem Insulæ.

Gild. de excidio.

Ioan. Caius hist. Cant. fo. 30. & Rec. Vitm.

Ambrones qui?

V. *Gildas in excidio.*

Quid tum Britanni? *Iterum*, inquit Gildas, *mittuntur queruli Legati, scissis, ut dicitur, vestibus, opertisque sablone capitibus, impetrantes à Romanis*

Roma Britanniæ mater.

auxilia; ac veluti timidi pulli, matrum fidissimis alis succumbentes; ut penitùs misera patria deleretur; nomenq́, Romanum, quod verbis tantum apud eos auribus resulcabat, vel exterarum gentium opprobrio, probrosum vilesceret. Non possum hoc loco non advertere Romam appellari, Britanniæ matrem ac parentem: ac cives fidissimis Gallinæ alis succumbentes pullos. Quod ut hac vice de Romanis aquilis intelligendum est; ita multò constantiùs, omni sæculo, de Romanâ Insulâ dictum puta: quæ longè sæpiùs à fidelibus appellata, pulsata, rogata, nunquam omisit suppetias mittere: quod alii Romani Principes neglexerunt, ut mox dicetur.

VI. Legatio Britannorum ad Aetium.

Annales aliqui videntur supponere, hanc alteram Britannorum legationem, ad Valentinianum Imp. eo nomine tertium, directam esse, ipsumque Augustum auxilia remisisse: sed constat illos satis impropriè & importunè loqui. Nam si temporis ratio ineatur; cum Fasti, & Matthæus Florilegus, utramque Legationem constituant, ad an. 420. & 421. & hoc posteriore anno, dicant submissa auxilia: nulla debet fieri mentio Valentiniani Imperatoris, cum hoc anno Constantius pater vixerit, relicto Valentiniano infante, ac vix bienni puero. Dic ergo melius; Britanniam, Galliarum præfecto olim, M. Constantini jussu, subditam; eò preces ac oratores misisse; atque inde adjutam esse: quod videtur observasse Polydorus Virgilius: *Imbellis*, inquit, *atque inermis multitudo legatos misit, qui auxilium peterent, ab Aetio, quem jam antea Honorius, Constantii loco, virum Patricii generis, ex Dorostanâ Mœsia oriundum, copiarum imperio præfecerat.* Britanni itaque Aetio supplices, oratione & habitu miseri, pietatem in Romano pectore excitarunt. *Romani enim, quantum humanæ naturæ possibile est* (pergit Gildas) *commoti tanta historiâ tragœdia; volatus ceu aquilarum, equitum in terrâ, nautarum in mari, cursus accelerantes; inopinatos primùm, tandem terribiles inimicorum cervicibus infigunt mucronum ungues; casibusq́, foliorum tempore certo assimulandam eisdem peragunt stragem. Ac ut montanus torrens, crebris tempestatum rivulis auctus, sonoroq́, meatu alveos exundans; uno objectas sibi eruncit gurgite moles: Ita æmulatorum agmina auxiliatores egregii, si qua tamen evadere potuerant, præproperè trans maria fugaverunt: quia anniversarias avide prædas, nullo obsistente trans maria exaggerabant.* Ita ille.

Nascitur Valentinianus an. 419. mense Iulio. Marcellin. Comes.

Polyd. Virgil. l. 3.

Gild. in Excid.

Hostis pellitur.

VII. A Gallione.

Misit hac vice Aetius Galliarum Præfectus, qui manum Britanno ad fugandum hostem porrigeret, Gallionem quendam Ravennatem; qui re fortiter gestâ, Romani Imperatoris mandatum exponeret: Debere Britanniam suis imposterum viribus stare, nec ultra alienis fidere: Romam portò distare, distrahi in partes varias: nec tam longè positæ provinciæ pro rerum opportunitate adesse posse: discant ergo Britanni tractare arma, tueri urbes, arcere hostem, ac propugnacula facere. Sed audi Gildam hæc latiùs explicantem.

VIII. *Gildas de Excidio.* Romani Insulæ valedicunt.

Igitur Romani patriæ denuntiantes, nequaquam se tam laboriosis expeditionibus posse frequentius vexari; & ob imbelles, erraticosq́, latrunculos, Romana signa, tantum talemq́, exercitum, terrâ ac mari fatigari: sed ut potius sola consuescendo armis, ac viriliter dimicando, terram, substantiolam, conjuges, liberos, & quod his majus est, libertatem, vitamq́, totis viribus vindicaret: & gentibus nequaquam se fortioribus, nisi segnitia & torpore dissolveretur, inermes, vinclis vinciendas nullo modo, sed instructas peltis, ensibus, hastis, & ad cædem promptas protenderet manus, suadentes: & quia hoc putabant aliquid derelinquendo populo commodi adcrescere: murum, non ut alterum, sumptu publico, privatoq́, adjunctis secum miserabilibus indigenis, solito structuræ more; tramite à mari usque ad mare, inter urbes, quæ ibidem fortè, ob metum hostium, collocatæ fuerant, directo, ædificant. fortia formidoloso populo monita tradunt, exemplaria instituendorum armorum relinquunt. In littore quoque Oceani ad meridianam plagam, quo naves eorum habebantur; quia & inde barbarica fera timebantur, turres per intervalla, ad prospectum maris collocant, valedicunt, tanquam ultra non reversuri. Hactenus Author, de muri instauratione, & ultimâ Romanorum expeditione, in Britanniâ.

Murus instaurari mandatur.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1173.

ANNUS CHRISTI 422.

BONIFACII PAPÆ 5.

HONORII IMP. 28.

I. Gallio in Galliam revertitur.

ANNO Domini quadringentesimo vigesimo secundo, Honorio XIII. & Theodosio X. Coss. murus è lapide, priore firmior, construitur à Britannis; Gallione Legato, in Gallias reverso. Qui enim priore anno trajecerat, tempore autumni, ut *Beda expressit; factâ navigandi potestate, hoc anno, adulto vere rediit. causa reditus fuit, recens in Galliis tumultus; ad quem reprimendum, jussit Aetius (qui in Hispaniâ contra Vandalos pugnabat) Gallionem redire. Puto tamen Romanorum aliquos, ad muri constructionem in Insulâ substitisse; quia Gildam ita Beda explicat. *Quem murum*, inquit, *hactenus famosum, atque conspicuum* (Romani) *sumptu publico privatoq́, adjuncta secum Britannorum manu construebant, octo pedes latum, & duodecim altum, rectâ ab Oriente, in occasum, lineâ; ut usque hodie intuentibus clarum est.* Polydorus Virgilius, de muro hoc etiam loquens, ait, illum ab Aetianis Ducibus confectum esse.

**L. 1. c. 12.*

Murus construitur è lapide. *Beda l. 1. c. 12.*

II. *Polyd. Virgilius l. 3.* Quonam in loco lapideus murus extruitur.

Quod autem addit idem Polydorus: *Non ab Hadriano, neque à Severo Imperatore; sicut nonnulli falso memoriæ prodiderunt.* aërem verberat. Si enim velit, non esse constructum ibi murum, à Severo Imperatore, fallitur, & Bedæ contradicit; qui Gildæ verba recitans, ubi mentio est de loco muri, hoc tempore extructi, interponit istam parenthesim (*ubi & Severus quondam vallum fecerat.*) Qui igitur dixerunt, à Severo ædificatum murum, inter Tinæ ostium, & Itunæ æstuarium, nihil falsè memoriæ prodiderunt. De Hadriano etiam, non est, opinor, invenire Authorem, qui neget, ab eo, inter dicta freta extructum esse murum. Itaque non absonè murum ibi positum, modò ad Hadrianum, modò ad Severum, modò etiam ad Gallionem authores referunt. adverte tamen, non uno & eodem loco, extructum murum hunc, & illum superioris anni, è cespite. Cespititius enim, inter Bodotriam & Glottam; ubi olim Julius Agricola, angustum terrarum spatium, præsidiis firmaret, constitutus est: iste autem citerior, ab Itunæ æstuario, ad

Severi vallum non ibi v. Usser. fo. 605.

Tinæ ostium producitur: ubi Severus, per transversam Insulam, murum ante duxerat; & hic est ille, qui hodie Picticus appellatur, de quo suprà sæpiùs, & mox etiam aliqua dicemus. Nam sæpè ad murum, & pro muro pugnatum.

III. Scotorum Regum certa initia.

Ad hunc annum vigesimum secundum supra quadringentesimum, Scotorum Regum certa atque indubitata initia refert Jacobus Gordonus Scoto-Britannus, in re historicâ vir accuratus: ita enim scribit, & certa ab incertis distinguit. *Coss. Honorio XIII. & Theodosio X. Scotorum historici repetunt regni illius initia, à Græcis & Ægyptiis inchoati, ut illi scribant annis 330. ante Christi adventum. Sanè initium hoc, & narrationem totam plerique Scriptores alii τὸ σκότωμα esse pronuntiant. Ut ut se res habet, de tam antiquâ origine; illud saltem receptum est; Scotos in majore Britanniâ, diu ante Honorii Imperatoris tempora regnasse: ac patriâ, ante annos circiter quadraginta quatuor pulsos, à Maximo Imperatore, seu tyranno; tandem, hoc anno, recepisse instauratum a se regnum, Duce ac Rege Fergusio secundo jam regnante; & à quo Regum series omnium Scriptorum consensu deduci potest.* Ita ille.

Fergusius Scotorum Rex.

Contra tamen Scoti veteres; quos modò Hibernos appellamus; non solum antiquam illam Scotorum Regum originem in Britanniâ, vocant τὸ σκότωμα; sed etiam inficiantur id quod Gordonus vult, omnium Scriptorum consensu, receptum esse: nimirum; Scotos regnasse in hac Insulâ, diu ante Honorii imperium. Immo magnis conatibus probant, ante annum Christi quadrigentesimum quadragesimum sextum, è Scotis neminem in Britanniâ habitasse. Quod si verum est; Fergusius II. non potuit hoc anno Scotorum regnum instaurasse.

IV. *Can Eblan contrav. de nomi. Scot. c. 2.*

Io. Major de gest. Scot. l. 2. c. 2.

Hibernorum objectio.

Ad hanc objectionem motius respondebo.

Candidus Eblanius, pro Hiberniâ suâ pugnans, conatur hoc evincere è Joanne Majore, qui lib. 2. de gestis Scotorum, ita loquitur: *Secundum regnum in Britanniâ, post Britones, Picti obtinuerunt, & secundum veriorem historiam, ante Scotos.* *Sequitur ergo,* inquit Candidus, *falsam historiam esse, in Britanniis habitasse ullos Scotos, ante annum salutis 446. In eo enim anno, Picti regnum ibidem prius obtinnerunt; qui Britanniam, non nisi irruptionibus antea exercuerunt.* Idque Gildas, Beda, Marianus, Pomponius Lætus, Paulus Diaconus, Baronius, &c. disertè & prætisè, his verbis, de anno 446. agentes, astruunt. *Tunc primum* (quæ duo verba ponderare oportet, cum in illis magnam Scriptores vim collocent) *& deinceps,* (non autem priùs) *subactam Insulam Britannia extremam partem sibi Picti fecerunt habitationem.* Ubi ergo fuit Joannis Majoris acumen; qui, præter veram historiam, Scotos quingentis annis seniores in Britanniâ, hoc carmine efficere studuit:

Majo. suprà l. 2. c. 9.

Fergusius Primus dans jura & sceptra Britannu;
Sub Christum centum ter, terq; decem fuit annis.

Quis hic exclamare Buchananum prohibeat in suum popularem?

Cum scateat nugis solo cognomine Major,
Nec sit in immenso pagina sana libro:
Non mirum titulu quod se veracibus ornet
Nec semper mendax fingere Creta solet.

Hactenus Hibernus Author, de Scotorum origine disputans; & valdè cupiens, Scotos omnes, qui in Britanniâ fuisse dicuntur, ante annum Christi quadringentesimum quadragesimum sextum, pro Hibernis censendos, ac inter eos numerandos esse. Quod sanè probabiliter admodum asseritur.

V.

Cæterùm quod ad principem quæstionem spectat, de constitutione, vel instauratione regni Scotici, in Britanniâ: licet nolim aliarum rerum arbiter esse; cogor tamen hic intercedere; quia dictorum & dicendorum ordo, & historiæ argumentum, postulare videtur, ut aliquid super hac controversiâ meo sensu, definiam. In utrisque laudanda est pietas in patriam: quæ eò illustrior erit, si habitâ ratione temporis, & rerum gestarum serie; regnorum initia vel afferant vel premant; nullo alio quàm tuendæ veritatis studio, aut impetu. Si enim aliter ad probandum, vel improbandum aliquid ferimur; facilè rapimur ultra æqui boniq́ue terminos.

Solvitur.

Itaque certum est, Scotiæ regnum, è Britannici regni ruinâ, ruderibusq́ue surrexisse: & æquè certum est, sub hæc tempora, Romanam provinciam, milite destitutam, desertamq́ue à Romanis, ruinam minitari. Nullum ergo inconveniens est, gentem illam, quæ ad septentrionem pugnabat, muro, vallo, aggeribusq́ue discretam, à Britannis; tandem aliquando, in regnum aut justam Remp. quocunque demum nomine vocare placet, coaluisse. Quod si Hiberni obstinatè contendunt; non Scotorum regnum, sed Pictorum vocandum esse, de nomine lis & quæstio erit: si nolint Scotos cum Pictis in Britannos pugnasse, Gildæ & Bedæ antiquissimis authoribus adversantur; qui, ut suprà, dixerunt: *Britannia omni armato milite spoliata, duabus gentibus transmarinis vehementer sævis, Scotorum à Circio, Pictorum ab Aquilone, calcabilis, multos stupet gemitq; annos.* & ne putares (quod putavit Candidus) Scotos, solis irruptionibus, non autem fixo interdum in Insulâ domicilio, Britannos exercuisse; Beda eum locum ita interpretatus est. *Transmarinas dicimus has gentes; non quod extra Britanniam essent posita; sed quia, à parte Britonum erant remota, duobus finibus maris interjacentibus,* &c. *ob harum ergo infestationem gentium; Britones legatos Romam cum Epistolis mittentes lacrymosis precibus auxilia flagitabant.* Hæc Beda: quæ cum suprà accidisse dixerim; Candidus errasse convincitur, negans Scotos, in Britanniis habitasse, ante annum salutis 446. Nam esto, ad eum annum scripserint Gildas, Beda, Marianus, Pomponius Lætus, Baronius, & alii, disertè & præcisis verbis: *Tunc primum subactam Insula Britannia extremam partem sibi Picti fecerunt habitationem:* debet tamen hoc intelligi, eo sensu, qui consistere possit, cum Gilda, Beda, Mariano, & aliis infinitis, asserentibus, ob continuam Pictorum Scotorumq́ue infestationem, Britannos sæpè sæpiùs Romanis supplices; demum Saxones in suppetias advocare coactos. Testatur hoc omne quod suprà dictum est, de Romanis in Britanniâ pugnantibus: testatur id etiam Britannici regni occasus, quem prosequimur; quique non aliunde, quàm è Scotorum & Pictorum fixis sedibus, obstinatoq́ue ad regnandum animo, invaluit.

An. 343. 1.

Gild. de excidio.

Bed. l. 1.

Scoti olim sedem in Britannia fixerunt.

VI. Confirmatur.

Quod novæ gentes olim, in Britannia, domicilia figere cœperint, connivente Mario; dixi suprà, ad annum Christi septuagesimum quintum. quod eodem, Scotis mixtæ, junctæq́ue fuerint, commercio, fœdere, matrimonio; adeoq́ue in gentem creverint; æternisq́ue tumultibus, bellis, cladibus, Britannos afflixerint: & suprà satis insinuavi, & testis est plurium Imp. adventus, expeditioq́ue in Insulam. Etenim si nullus fuit hostis ad Septentrionem habitans: quæro ab

Eblanio, quorſum toties, tam operosè, tantis itineribus, tam difficili tempore, Hadriani, Severi, Conſtantii, deſcenderunt in Britanniam. Quorſum in Brigantibus ſedem fixere? cur murum toties ab Orientali mari ad Occidentale duxerunt? Quia ſcilicet in viciniâ Scotus erat (reſpondere debet Eblanius) & ſolvens quotannis ex Hiberniâ, (ut putat Aſſerius) crebris irruptionibus Britannos laceſſivit. Sed quid opus erat; inquam ego; apparatu bellico terreſtri, ad propulſandum hoſtem maritimum? Erátne militaris artis, aut ſcientiæ deſerere ingentem vaſtamque provinciam; ac hoſti quoties vellet nudam permittere: & interim muro, vallo, aggeribusque ſe includere? nónne longè facilius erat, & minore manu poterant prohibere hoſtem excenſione; quàm poſt ingreſſum pellere?

Aſſerius fo. 391.

VII. Et Scoti, et Picti in Britannos pugnarunt.

Si dixeris, Pictorum provinciam fuiſſe, quæ tanto tempore Britannos exercuit, nec Scotos illis immixtos: multis id argumentis convelli poteſt. etenim paſſim Authores, ut ſuprà, inter Britannorum hoſtes, tam Scotos, quàm Pictos, numerarunt. Ita Claudianus cum dixiſſet in laudibus Theodoſii:

** Ille Caledoniis poſuit qui caſtra pruinis.*

** Claudia. in laud. Theodoſii.*

mox Caledonium populum (qui ſine dubio Septentrionalis Britanniæ incola erat) ab eo profligatum recenſuit; eo verſu, quo Scotos illi adjungit:

Incaluit Pictorum ſanguine Thule,
Scotorum tumulos flevit Glacialis Hiberne.

In Hiberniam porrò Theodoſium pugnaſſe, nulla eſt memoria. Pugnavit ergo in Caledonios, quibus etiam Scotus militabat, excivitque Hiberniæ lacrymas, quæ revera antiqua Scotorum patria, ut meritò & lubentes fatemur. Cæterùm Scotos, ex Hiberniâ Inſulâ navigaſſe in Britanniam, quoties cum Britannis pugnandum eſſet, quis credet? Præſertim cum occupare potuerint omnem eam provinciam, quæ trans murum in Septentrionem longè lateque porrigitur: & inde multò opportuniùs, quàm è mari in hoſtem pugnare. Quod certum eſt eos feciſſe, cum vix ulla navalis belli apparatus mentio habeatur; quo Scoti ad itos deſcendere vetarentur; quod tamen fuiſſet optimum victoriæ compendium. Inauditum certè eſt, è terra in mare pugnaturis, muro & vallo tueri mediterranea, nudumque litus hoſti porrigere.

VIII. Probatur.

Cum nuper, è Gilda, Romanus miles Britannum doceret in Scotum (nam Gildas, Beda, Marianus, Paulus Diaconus, & cæteri Scriptores Scotum nominat) arma uſurpare: inſtruxit manus peltis, enſibus, haſtis, nec ullam juſſit parare claſſem; ſed potiùs muro valloque ſe defendere. Fuiſſet tamen longè præſtantius, & majus pretium operæ, defenſare litora, quàm mediam Inſulam aggere munire. Etenim qui vellet Italiam, ſartam tectamque ab injuriis Africæ, ac Maurorum incurſibus ſervare; opinor, luderet operam; ſi, neglecto littore; quo ſemel occupato difficilior eſt repulſa, à Caietano portu, per Campanos, Samnitosque, murum duceret, ad mare uſque Adriaticum. Et tamen ita ferè deſpuiſſe Romanos, dicendum erit: Si nullus Scotus in Britanniâ habitavit, ante annum ſalutis 446. Pelagius antea emerſerat, Britannus homo, adeoque Britannus, ut inde cognomen acceperit, Britoque appellatus ſit: cum tamen (ut aliqui putant) S. Hieronymus, qui hoc anno 422. moritur,

Moritur

S. Hieronymus.

dixit habere progeniem *Scoticæ gentis, de Britannorum viciniâ.* quæ verba licet Candidus Eblanius trahat in patriam ſuam, ac velit Pelagium Hibernum eſſe: Egoque valde optaverim, amico gratulari, ac monſtrum illud, quàm longiſſimè ab hac Inſula proſcribere: non poſſum tamen ab Auguſtino, Proſpero, & Authoribus aliis recedere; qui falſi eſſent, ſi extra Britanniam natum Pelagium diceremus. Poteſt autem Hieronymus ſuaviſſimè trahi in communem ſententiam; ſi aſſerimus Scotos habitaſſe ultra murum, & unà cum Pictis, Britannos afflixiſſe: verè enim tunc dicitur progenies Scotica, de viciniâ Britannorum eſſe. hoc eſt, uno tantum muro aut duobus maris finibus diſtincta. unde non placet Eblanii commentarius; qui cum dictam Hieronymi ſententiam ægrè retuliſſet, mox addit: *Hæc autem Ablania Scotia, eſt pars Britanniæ unita, non et vicina.* Non; inquam, placet; quia ſi dixiſſet Hieronymus, de Britanniæ viciniâ, Eblanius fortè aliquid concluſiſſet: verùm cum dixerit in concreto, de Britannorum viciniâ; multo rectius intelligitur Scotus, muro tantùm diſſitus, appellatione viciniæ, quàm alter Scotus, longè poſitus, & toto Oceano diſtinctus. Quod ſi non Pelagius à Hieronymo; ſed, ut ſuprà monui Cæleſtius intelligitur, eodem ferè modo procedet argumentum.

An. 405. 4.

IX. Concluſio e dictis.

Dicamus ergo multò probabiliùs; Pictos Scotis mixtos, diu ante annum 446. habitaſſe in Inſulâ: ac Britannos ferro, furto, rapinisque infeſtaſſe: eorum causâ Romanos Imperatores interdum in Britanniam deſcendiſſe: iis demum fortiter conſtanterque pugnantibus, ac Britannorum bona terrasque rapientibus; creviſſe Pictorum & Scotorum populum; ditatos eorum Principes; ac denique enatum prius Pictorum inde Scotorum (quidni?) regnum: idque ſub hæc tempora; quando, quo tenuior erat Britanna res; eò potuit magis eminere hoſtium Reſpublica. Accedo itaque Gordono, qui *inſtaurationem* (inſtitutionem fortè dixiſſet melius) regni Scotici aſſignat huic anno 422. Quando Romanorum legato Gallione, in Gallias reverſo, & Britannis murum conſtruentibus; Inſulæ pars Septentrionalis, hoſti permiſſa eſt. Cæterùm quod ad illos ſpectat, qui altius petunt Scotici regni initium: opinor id ambitioſiùs, quàm veriùs dici. Licet enim à primo eorum ingreſſu, de quo vide annum 82. illuſtriores aliqui fuerint, quos alii reverebantur; quosque Antiquitas Reges appellavit: tamen, quia illi principio venerunt, vel precariò, vel ceu ſtipendiarius miles: non niſi per incrementa rerum, & fortunæ, tractuque temporis, ſumpſerunt animos & majeſtatem Regiam, ut ſtatim explicabitur. nam ſi me non fallit Hibernorum ingenium, amorque in patriam; nullam ab eis impetraturus ſum fidem, niſi disjecero arietem illum, quem Candidus admovet è Gildâ, Bedâ, Mariano, Læto, Baronioque petitum: in quibus legitur: Anno 446. Pictos *tunc primum, & Deinceps*, ſubactam Inſulæ Britanniæ partem extremam, feciſſe ſibi habitationem. Quæ refert Eblanius, jubetque ponderari duo illa, *Tunc primum, & Deinceps.* unde primâ facie ſequi videtur, Scotos non hoc anno, ſed longè poſterius, regni aut ſaltem Reip. ſuæ primordia poſuiſſe: & tunc corruere neceſſum eſt, quicquid de regni inſtauratione, hoc anno, dicitur; quicquid ſuprà de Niniano, & converſis ab eo Pictis; de

Donaldo denique Scotorum Rege: immo quicquid ferè de posito toties restitutoque muro, affirmavimus suprà. Quid ergo ad nubem illam testium?

X. Gildæ locus et verba expenduntur.

Magna est Gildæ, Bedæ, Baronii, aliorumque authoritas, in omni præsertim historicâ controversiâ: sed omnes, hac in re, ab unius ore & sermone pendent; ac proinde juxta ejus mentem exponi debent. Gildas is est, antiquitate temporis præcipuus, cujus sententiam cæteri exceperunt. Dixerat ille: Cum scirent Scoti Pictique, Romanos non ultra reversuros in auxilium Britannorum magis; quàm antea turmatim, avideque magis, prædati sunt provinciam. Inde factum, ut missus ad Aetium legatus, Britannorum gemitus exposuerit, nec ullam opem receperit: hoc nos, ut par est, referemus ad annum Domini 446. Deinde addit Gildas: *Revertuntur ergo impudentes grassatores Hiberni domum, non longo post tempore reversuri: Picti in extrema parte Insulæ, tunc primùm & deinceps requieverunt prædas & contentiones nonnunquam facientes.* Ita ille.

Non duo, sed tria.

Ubi non solùm duo, sed tria, si placet, verba ponderabimus. Ita enim attendendum est ad *tunc primum*, & *deinceps*, ut attendamus simul, imo maximè, ad principale verbum, *requieverunt*. Quod quamvis aliqui fortè verterint *habitationem fecerunt*: Candidus tamen, in hac controversiâ, quæ Pictorum, Scotorumque habitationem probat, vel improbat: candidiùs fecisset, si Gildæ vocem, quam cæteri sequuti sunt, reddidisset. Sed vidit vir ingeniosus, meliùs è re sua firmari argumentum, si suppressâ dictione illâ, usurparet aliam: & ne fraus adverteretur, jubet duo tantum verba ponderari. Sed ego Lectorem quæso, ut Gildæ mentem, quam Beda retulit, magis quàm Pauli Diaconi verba ponderet: & sensus erit; Picti qui hactenus in Britanniâ fuerunt, continuis Britannorum & Romanorum infestationibus obnoxii; ab illis sæpè velitationibus lacessiti, bello petiti; nonnunquam etiam loco & provinciâ pulsi; quique hactenus nunquàm quietè in suis sedibus vixere, quam diu Romani pro Britannis pugnaverunt: nunc primùm Romanis palam opera denegantibus, & Britannis non ultra sese opponentibus, *requieverunt*, inquit Gildas: *quieverunt*, inquit Beda. vel si obstinatè vis Paulum Diaconum, & Baronium legere: *Extremam Insulæ partem habitationem sibi fecere; nec ultra exinde hactenus valuerunt expelli.*

Paul Diac. miscel. l. 14. c. 18.

Quam postremam clausulam, Candidus, non candidè, omisit. Si enim penitiùs inspiciatur, sequetur, Pictos antea, & unà Scotos eandem Insulæ partem habitasse. Nam qui ita domicilium fixere, anno 446. ut ultra pelli non potuerint; videntur prius domicilium ibi habuisse: atque inde aliquando pulsos: quod ex omnium historiarum fide, de Pictis certissimè affirmari potest, probabiliter de Scotis.

XI. Quoties murus extructus.

Quod ut Lector planiùs perspiciat, repetat memoriâ, quæ superius dicta sunt, de bellis, in Septentrione gestis, de sæpè pulsis barbaris, de aggere, muro, vallo, nunc uno in loco, nunc alio restitutis; Julius Agricola, inter Bodotriam & Glottam, angustum terrarum spatium, præsidiis firmavit, anno Christi 83. Hadrianus Imperator *Primus*, inquit Spartianus, *murum per octoginta millia passuum duxit; ut barbaros à Romanis divideret.* Non inter Glottæ & Bodotriæ angustias, sed citeriùs, inter Itunæ & Tinæ ostia.

Spartian in Hadrian. c. 11.

Hostis enim animos & numerum auxerat, paulatimque irrepserat. Sed Lollii urbici (quem Pius Antoninus legavit in Britanniam) virtute, iterum repressus est, & coactus in Septentrionem fugere. Tunc Romanus cespititium murum duxit; ubi olim præsidia collocarat. Postea Severus Imp. posthabitâ ingenti illa regione, reduxit murum, ad Itunæ æstuarium; & *receptam partem Insulæ* (loquitur Paulus Orosius) *à cæteris indomitis gentibus, vallo distinguendam putavit. Itaque magnam fossam, firmissimumque vallum crebris turribus communitum per* * *LXXXII. millia passuum, à mari, ad mare duxit.* Carausius sub Diocletiano iterum fugavit barbaros, occupavitque regionem, quam Severus neglexerat, & Bodotriam munivit. Postea Theodosius, Constantinus, eo nomine tertius, & Stilico Borealem populum triumpharunt.

Orosius l. 7. c. 17.

*CXXXII.

XII. Quid hoc sæculo factum.

Denique cum fatiscente Romano Imperio, provinciæ passim succumberent; iterum Jebusæus noster agros depopulatus, protulit fines suos, perrupit Edenburgi fretum (Bodotriam dixit Tacitus) ingressus est interiora Insulæ, minatus est Britanniæ excidium; sed missa Romana legio, ut modò dictum, fortiter impetum sustinuit, hostemque rursum ad ulteriora propulit, distinxitque muro cespititio: quem statim barbari perrumpentes, à Gallione victi fugatique sunt; novo demum muro, munitâ provinciâ. Gallione recedente, barbari munimenta omnia disjiciunt, provinciam invadunt, nullum qui se opponat inveniunt; sentiunt Romanos, nec velle, nec posse porrò opitulari: & tunc demum in extremâ Insulæ parte, quam subegerant, quiescunt: ita ut ultra exinde pelli nunquam potuerint. Sic habes per annos trecentos bella frequentia, tumultus plurimos, quietem nullam; Picto & Scoto, sæpè sedes mutante; Scoto etiam quandoque è Britanniâ in vicinas Insulas, & in Hiberniam secedente: donec Valentinianus Imperator, eo nomine tertius, deficientibus imperii viribus; ut permisit Vandalos, & eorum Regem Gensericum, in Africâ, provincias, quas Romani ante tenuerant, invadere: ita permisit Britanniæ hostem, in eâ, quam toties prædati sunt, Insulæ extremâ parte quiescere. Quæ quies supponit motum præfuisse: & diuturnus ille motus, sine aliquo domicilio, Republica, vel imperio vix potest intelligi.

XIII. Quisnam Britanniæ hostis?

Sed quisnam ille hostis, qui Romanos frequentibus bellis exercuit, quique tamdiu Britanniam imprimis turbavit? Pictúsne, an Scotus, an verò alius aliquis? Hic quoque nodus est, qui tamen facilè solvitur, si pauca adjunxero suprà dictis. Certum imprimis est, à Julii Cæsaris, aliorum Imperatorum ingressu, non omnem statim Insulam Romæ paruisse: secesserunt aliqui servitutis impatientes; quos Tacitus, aliique, modo Britannos, modo Caledonios vocant. His postmodum accesserunt aliqui; an è Scythiâ, an verò ex Hiberniâ, non laboro; qui partim in Septentrionali Britanniæ parte, partim etiam in vicinis insulis consederunt: à Tacito, modo *novæ*, modo *incognitæ gentes*, appellati. Illi in Caledoniorum societatem admissi, eorum pingendi corpus morem imitati, promiscuè Pictorum quoque nomen videntur consecuti. Interim Hibernia, frequentes eò colonias, in Pictorum subsidium submittens; reliquit ibi militem; qui quamdiu prædandi licentiâ, ex Romanorum

absentiâ, suppetebat; mansit in Britanniâ, aliquando tamen fugere, & in patriam reverti, vi armisque compulsus; ut è Gildâ colligitur. Denique Caledoniis, Pictisque, vel bello, vel morte deficientibus, nec multam prolem promittentibus, Hiberni numerosiores fuerunt; tractuque temporis, ut provinciam illam; ita & Pictorum nomen, appellationemque devorarunt, & ipsi post Pictos in regnum emerserunt. Nec opus est, hoc loco, ad quæstionem illam descendere: quando primùm Septentrionalis illa provincia, Scotia nuncupari cœperit. Nam esto: nupera tantum sit appellatio: parum hoc tollit, aut mollit difficultatem, de Scotorum regni exordio, ut statim exemplo declarabitur. Sufficiat ergo tandem aliquando abolitum esse aliorum nomen, & provinciam ad Scotos, seu Hibernos transiisse. poterat enimvero hoc fieri, sine mutatione nominis provinciæ. Sic Regio illa, quæ jam olim Hispania dicta est; etiam post Vandalorum, Gothorum, aliorumque advenarum ingressum, Hispaniæ nihilominus nomen retinuit. Nec inde sequitur, Vandalos, aut Gothos, nunquam in Hispaniâ regnavisse. Quamobrem, licet extrema illa para Britanniæ, nunquam fuisset appellata Scotia; potuerunt tamen Scoti, in ea regnare. Quemadmodum Dani in hac Insulâ imperarunt, cui nunquam tamen Daniæ nomen indiderunt. Unde infero, Scotos non solùm in Britannia fuisse, sed in Britannia quoque ante Scotiæ nomen regnare potuisse.

Candidus Eblanens putat Scotiam dici captam post annum Christi 900.

Provinciæ nomen non mutatur semper cum Victore.

XIV. Scotorum et Pictorum Reges.

Cæterùm ante Scotos; Pictos, ceu sequiores, Britannos, Reges habuisse, qui in turbato rerum statu, Remp. administrarint, in confesso est. Etenim præter Venutium & Cartismanduam Reges, in Brigantibus, de quibus *suprà; alii fuerunt, qui ultra murum pugnantes, præcipuo loco inter suos censebantur. Sic; ut certiora tantum prosequar; inter plures duces, virtute ac genere præstabat Galgacus; sine dubio Britannus homo, quicquid sibi Scoti, seu veteres, seu novi, blandiantur. Nam ipse de se (& testis est Tacitus) ita olim locutus est: *Nobilissimi totius Britanniæ, eoq; in ipsis penetralibus siti, nec servientium littora aspicientes, oculos quoque à contactu dominationis inviolatos habebamus.* Quamdiu igitur bellum cum Romanis gessere; tamdiu gens illa duces habuit, ac principes viros; quos magis sequentia, quàm priora sæcula, Reges vocaverunt. Ita vides Pictorum regnum, Scotorum regno præextitisse. & Scotos olim in belli societatem allectos. postea quietem nactos, sub hoc tempus regnare potuisse; nec c[illegible]ndos ad annum 446. Quia licèt tunc primùm quieverint, in extrema parte Insulæ; priùs tamen inquietum statum, & cum Romano-Britannis bella, ac simultates, adeoque bellorum duces imperatoresque habuere. Et quoniam omni tempore submisit Hibernia militem atque subsidia: cur non potuerunt Picti, succrescentibus Hibernis, & quiescentibus Romanis, alterius regni fundamentum, vel lubentes, vel inviti, permittere? quemadmodum in alterâ Britanniæ parte factum, hoc sæculo? Quod quoniam facit ad dictorum firmitatem, dicam hic compendio, ut acciderit: & simul illustrabitur Gildæ sententia: *Picti tunc primum in Britanniâ quieverunt:* componeturque cum illa: *Picti tamen prius, & Scoti, in Britanniâ Reges habuerunt.*

*An. 56. 1.

Tacitus in Agric.

XV.

Cum Britanni, Pictorum impetus non possent diutiùs sustinere: Nec Roma procul positæ provinciæ adesse: vocaverunt è Germania stipendiarium militem; qui hostiles incursus frangeret, murumque defensaret. Venit Saxo, Juta, Anglus: & primo pro Britannis fortiter facientes, pepulere hostem, & Insulam strenuè muniverunt. Inde loci dulcedine, agrorum felicitate, aliisque cupiditatum lenociniis allecti; cum ipsi in numerum crevissent, crevere quoque animis: & sensim in Duces, Principes, & demum Reges surrexerunt. Cum Regno tamen nulla pax, nulla quies; sed æterni tumultus, ingentes motus, immortale odium, per aliquot sæcula, legentur inferiùs: donec Britannis ad montana coactis, & fossâ valloque disterminatis; paululùm ab injuriâ utrimque cessatum. Paululùm, inquam; quia etiam tunc inimicitiæ graves, excursiones variæ, & justa quandoque prælia, quietem turbavere. Quis dicet Saxonem hoc omni tempore quievisse; qui licet sæpiùs victor, interdum tamen victus, fractusque à Britannis est? Imo Saxo ipse & Anglus; per plura sæcula, non tantùm externo hoste, sed civili sæpenumerò discordiâ, ac bello intestino distractus; (ut tomo altero dicemus) tum demum primùm quievisse dici potest, cum pluribus sceptris in unum coëuntibus, accepit Anglus monarchiam, sub annum Domini octingentesimum, ut tomo tertio explicabitur. Interea tamen uterque populus Reges habuit, continua serie sibi invicem succedentes. Qui igitur, Gildam imitatus, diceret: Fugatis Britannorum Regulis, Aurelio Ambrosio, Uterpendracone, Arturo, aliisque, devictis etiam plenè domitisque Britannis, sub annum Domini septingentesimum: tunc primùm Saxonem, in subacta Insulæ parte ita quievisse, ut inde nunquam expulsus sit; immeritò culpandus esset: licet ante annos ducentos constet Saxonem Reges habuisse, justamque Remp. Iterum, qui dixerit Insulam hanc, non nisi sub Egberto Rege & Monarcha, tum rursum post annum Domini 800. appellatam esse Angliam; ut nos Deo dante dicemus: non ideo cogetur dicere, Anglos antea in Insula non fuisse: cum innumera sint, & constantissima argumenta, non tantùm Anglos præextitisse; sed Reges quoque ducentorum annorum spatio creavisse; qui Orientalium & Australium Anglorum Reges dicebantur. Beda etiam, quem omnes meritò veneramur, quique floruit sub annum Domini 700. Historiam sui temporis inscripsit: *Historia Gentis Anglorum*: licet tunc major pars subactæ Insulæ, à Saxone denominata sit, Saxonia Transmarina, ut eam vocat S. Bonifacius: & non nisi post centum annos à Bedæ morte in Angliæ nomen concesserit.

Illustrantur supradicta, exemplo Saxonum.

XVI. Solutio quæstionis de Scotorum Regum initio.

Hoc domestico & familiari argumento, reconciliare possumus dissidentes Scotos; & quæstionem solvere, quæ multos torquet, circa Scoto-Britannorum regni exordium. Si enim inspecta Saxonum historia, legimus populum, principio pedibus & equo Britannis merentem: inde gradu facto & aucto sociorum numero, minorum gentium Regem esse; denique latiùs dominari. Quidni putabimus, eodem modo, Hiberniæ militem, per incrementa surrexisse: Hoc est, primò Britannia, Pictisque contra Romanos opem tulisse: deinde inter se minorum gentium Reges creavisse; quales fuerunt Donaldi & Crathlinti, de quibus suprà: & demum majorem

quietem nactum, ansamque imperii proferendi: cum etiam plura novus incola cepisset: Scotum tunc demum, justam Reip. formam; & integra Regum jura instituisse: quod Scotici regni exordium, non injuria appellaveris. Quamvis autem, non nisi post aliquot sæcula, Scotiæ nomen in Authoribus reperiatur; nullum tamen inde præjudicium est; quia agnomen provinciæ, non statim, & necessariò notat possessorem: sed aliquando, multo post tempore, obliterata ferè priorum rerum memoria, & veluti nova consuetudine, quæ nonnisi temporis tractu firmatur; possessor rem denominat. Hæc omnia cùm clarè cernantur in imperio Saxonum, & apud omnes in confesso sint; planè mihi persuadeo, idem transmurano populo evenisse: qui per plura sæcula, Romanorum impetus, vel sustinuit, vel fuga declinavit; & tandem constantissimè stationem tenuit: nimirum sub hæc tempora, cum Romani administrandis tot provinciis impares essent. & quemadmodum Saxo, à Britannis in Insulam invitatus, Britanniæ regnum. ita Scotus à Pictis invocatus Pictorum regnum extinxit.

XVII. UBI PICTI, UBI SCOTI HABUERINT?

Jam verò, si quæratur, quas Picti terras, quas Scoti etiam, definitè tenuerint; non est obvium illas circumscribere. Illud certum, utrumque extrema Britanniæ, versus Septentrionem; principio junctim; deindè divisim, occupasse. Probabile Scotos remotiùs, Pictos ad murum propiùs accessisse. Unde non sunt audiendi, qui scribunt, Pictos in Grampii montis angustiis hæsisse, usque ad annum Domini octingentesimum octogesimum tertium: & tunc demum Landonia, & multo post, Edinburgo potitos: cum murus, qui hodieque Picticus appellatur, loquentissimum argumentum sit, Pictorum causa constitutum illum. & restitutum esse. Deinde quæso illos, ut dicant: ubi Romani ultimò murum extruxerint, Gallione Duce? Si ab Itunæ æstuario, ad Tinæ ostium, ut suprà ostendimus: quis ultra murum nisi Pictus habitavit? Unde sequitur necessariò Laudoniam & Edenburgum, quæ ultra murum sunt, Pictos insedisse, ante annum Domini 883. licet revera de agris illis frequens contentio fuerit. Quamobrem sic statuo, & quæstionem finio. Ab hoc anno 422. Picti Laudoniam amplissimam regionem tenuerunt: Scoti primò Occidentalem Insulæ partem, inde dilatato imperio, reliquum Septentrionem, & adjacentes Insulas, quæ plurimæ sunt, cum ampliore Regis titulo, occuparunt. Quamdiu Picti Laudoniam possederint, patebit infrà. nam constat, Saxone imperante, illam Northumbriæ regni partem fuisse.

XVIII. EXCUSATUR DIGRESSIO.

Hæc habui quæ de amplissimâ controversiâ dicerem, quam varii variè tractaverunt; ego non potui omninò pertransire, quia ad illustrandam Britannicam rem imprimis facit. Et profectò ingens lis erit in sequentibus, qui sancti, & ad quam Insulam, & Insulæ partem, spectant; & satis piè Britanni, Scoti, & Hiberni, pro illis digladiantur, non inanibus conjecturis. Nam si in hac Insulâ nati probantur, præsertim longo ante tempore; quando quietis rebus, vix alia, quàm Britannorum appellatio erat: cur sunt Britanni impii, aut culpandi; si illos sibi, Insulæque arrogant? Iterum, si in Septentrionali Britanniâ leguntur; habent Scoti ansam pro illis advocandi. Denique quia Hiberni miserunt colonias, in extremam Insulæ partem; ipsi quoque officiosi sunt in ornandâ patriâ; nec rapinam putant, Insulam, quam olim prædati sunt, iterum pietatis studio deprædari. atque ita quicunque in remotiori Insulæ parte nati, quicunque etiam in vicinis Insulis, quæ plures sunt, & juris quoque Britannorum: si Authores aliquandò Scotorum nomine eos appellant; quia nimirum Scoti posterius ibi fuerunt; Scoti illos mordicùs arripiunt, pertinaciter tenent, & interdum plus quàm Academicè vociferantur, si aliquis intercedat. Sit verbo exemplum; si Britannus, vel Scoto-Britannus aliquis, S. Aidanum, inter suos numeret; quia Northumbrorum fuit Episcopus, & Britanniam docuit; Scotusque interdum appellatur: Intercedit illico civis melior quàm Historicus, Eblanius; & *mangones* vocat omnes qui nolunt illum Hiberniæ cedere; eo solùm argumento, quia Scotus dicitur. licet è Beda certissimum sit, Insulam illam, è quâ Aidanus prodiit; non solum Britanniæ proximam esse, sed juris quoque Britannorum. est igitur pretium operæ ista prælusisse sequentibus dubiis: quæ infrà sæpè movebuntur: cùm de Sanctis erit controversia. Interim noverint Hiberni, hoc ipso tempore, cum Sanctus Hieronymus & Prudentius florerent, Scotum cepisse non solum in Britanniâ innotescere; sed Britannicam gentem æstimari; barbaram quidem, & nulla adhuc sanctitate politam, ut patet è Hieronymo l. 2. cont. Jovinianum, ubi Scotum vocat *gentem Britannicam*, & barbariem explicat: Idem eodem sæculo advertit Prudentius eo carmine:

Candid. Eblan in ... 12 Beda ... c. 3.

Semifer & Scotus sentit cane milite pejor. *In Apotheosi.*

ANNUS URBIS CONDITÆ 1174.

ANNUS CHRISTI 423.

BONIFACII PAPÆ ULTIMUS.

HONORII IMP. 29.

I.

SEQUITUR Christi annus vigesimus tertius supra quadringentesimum, Mariniano & Asclepiodoto Consulibus: duorum Romanorum Principum morte funestus. Honorius Imperator, qui hactenus egregiè utramque Remp. defensavit, locum in Occidente fecit. Valentiniano, ejus nominis tertio: & in Oriente, Theodosio Juniori, cujus imperii initium ad hunc annum Beda consignat, licet à morte Arcadii parentis alii illum numerent. sub his Romanus orbis concutitur, & Britannia prorsùs elanguit Eodem anno, moritur Bonifacius Pontifex, successit illi Cælestinus. Hic est ille, qui Britanniam omnem, Romanam, inquam, & barbaram provinciam; sed & Hiberniam quoque; vel Christianam reddidit, vel in recepta Christiana fide solidavit: missus hinc inde doctissimis & sanctissimis viris, qui errores evellerent, destruerent, disperderent, atque dissiparent: & Evangelicam doctrinam ædificarent atque plantarent. In quo videre est Romanæ Ecclesiæ viscera, filiis suis ubera postulantibus, nunquam defuisse: quantumvis Romani Imperatores defuerint aliquando postulanti, & lacrymanti etiam provinciæ. Etenim cum nutare videretur utraque Britannorum Resp. cum externus hostis

HONORIUS IMP. MORITUR. VALENTINIANUS III. OCCIDENTIS IMP. THEODOSIUS JUNIOR ORIENTIS. BONIFACIUS PAPA MORITUR. CÆLESTINUS PAPA.

depopularetur agros; cum domesticus longè periculosiùs fidem oppugnaret; Valentinianus Imp. noluir manum porrigere; porrexit verò suam Ro. Pontifex Cælestinus.

II. Ut Cælestinus Britanniæ profuerit.

Cæterùm ita porrexit Cælestinus manum, ut non unam provinciam, sed plura regna; duas maximas, & amplissimas Insulas, in fide, vel sine fide laborantes, pissimè adjuverit. Quod quando, & quomodo factum sit, nunc ostendam. Quia suprà dixi, Pelagianam hæresim, Catholicam Insulam, vel Pelagii inscitiâ; vel nimiâ Leporii Agricolæ credulitate, infecisse. videndum ergo, quo monitore, quo Apostolo, resipuerit. Et quia uterque Scotus, Romana etiam ope indigebat; antiquus ille; infidelitatis adhuc morbo æger; & novus, novo contagio infectus provincialis fui: dicam, ut curatus ille, restitutus iste. Nec enim Hiberniæ conversio aliena est ab hac historiâ: quia, ut Ro. Pontifex in eam rem manum porrexit; ita Britannia nostra porrexit instrumentum. Accommodavit enim S. Patricium, civem suum: quem meritò omnis orbis Hiberniæ Apostolum nominavit.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1175. 1176.

ANNUS CHRISTI 424. & 425.

CÆLESTINI PAPÆ 1. & 2.

VALENTINIANI IMP. 1.

I. Joannes tyrannus occiditur.

MORTUO Honorio, Joannes nescio quis, Occidentis imperium invasit, tenuitque anno quadringentesimo vigesimo quarto, Castino & Victore Coss. sed anno altero præsumptæ tyrannidis, apud Ravennam oppressus est. & tunc Theodosius in Oriente, Valentinianum, Constantii è Placidia filium, Augustum pronuntiavit, anno hujus sæculi vigesimo quinto, Theodosio XI. & Valentiniano Coss.

II. De tempore Apostolatus S. Patricii. *Antiq. Glast.*

Ad eundem annum referunt aliqui Hiberniæ conversionem; per Sanctum Patricium. Ita Authores Antiquitatum Glastoniensium, ut saltem in M. S. codice legitur. Scribunt enim: *A Cælestino Papa, Patricius Hiberniam in opus Evangelii missus, anno Domini quadringentesimo vigesimo quinto, datus est illis gentibus Doctor & Apostolus.* Chartam etiam, quam S. Patricius suæ legationis testem reliquit, de quâ inferiùs, eodem anno datam consignant. Hos Authores secutus est Richardus Stanihurstius in vitâ S. Patricii. Verùm aliud est, intermissâ annorum serie, sanctos laudare: aliud Ecclesiasticam historiam per annos digerere. Illi satis est sanctorum virtutes, & facta recensere; & ferè susque deque haber, quo tempore, illa evenerint. alii debent ad amussim excutere, examinare, distinguere tempora: ut quæque suis locis reponantur. Quia igitur priùs vocandi sunt Germanus & Lupus Galliarum Episcopi, ad sanandam, in Britanniâ, Pelagianam pestem; quàm S. Patricius, aut in Urbem, aut in Hiberniam vadat: debent Hiberni expectare annos pauculos, & patienter ferre, si Patricius Germanum audiat, eo monitore Romam pergat: & tum demum, Cælestini authoritate, missionem accipiat & Apostolatum in Hiberniam. Cæterùm Germanus ad nos primùm descendit, an. Christi 429. ut statim probabimus. Unde certum est, hallucinari Antiquitates, cum dicunt Patricium natum an. 361. (quod nos suprà secuti sumus) duodeviginti annis Germanum, in Britanniâ, audivisse, ac demum quadragenariam ætatem egressum, valefecisse magistro, Romamque profectum. Quæ si vera sint, Patricius noster Cælestinum adivit, anno primo vel altero hujus sæculi; & Germanus è Galliâ solvit pugnaturus in Pelagium, sub annum Domini 383. nimirum triginta annis priusquam Pelagius innotesceret; aut ipse Germanus Episcopus esset. In hæc ἀοϐστα, & innumera his similia, incidere necessum est eos, qui non inspectâ temporum & rerum gestarum serie, annos enuntiant.

III.

Præmittamus ergo Germani adventum, Patricii Apostolatui: & dicamus hoc anno 425. Patricium in Insula hæsisse, sanctoque exemplo præluxisse civibus. Author vitæ apud Capgravium plura narrat mirabiliter ab eo facta priusquam se in Germani disciplinam tradidisset; quæ fortè ad hæc tempora referenda sunt. Unum hoc loco recitabo, quo vir sanctus ad Hiberniæ Apostolatum mirabiliter vocatus sit. *Quadam die vidit Patricius, in somnis, virum ad se venientem, quasi de Hiberniâ Insulâ, cum Epistolis multis, & dedit ei unam ex illis: & legit. Erat autem principium Epistolæ tale.* HÆC EST VOX HIBERNIENSIUM. *& cum hoc principium legeret; audivit simul, in eodem momento, vocem infantium ex uteris matrum diversarum Hiberniæ regionum: & clamaverunt quasi uno ore: Rogamus te sancte Pater; ut venias, & ambules inter nos: statimq; Patricius audiens hoc, compunctus est corde; & non potuit ultra Epistolam legere. Et expergefactus gratias egit Deo, certissimè sciens, quod Dominus vocasset eum, ad salvandos illos, qui ipsum invocabant.* Hactenus ibi. Addit ad hæc Jocelinus: *Consuluit Patricius super hoc negotio magni consilii Angelum: & ut patriam parentesq; deserens, Gallias peteret ob fidei Christianæ doctrinam disciplinamq; discendam per Angelum victorem divinum suscepit oraculum.* Ita ibi c. 21.

Præludia Apostolatus. *Apud Capgravium in Patricio.*

IV.

Egregium sanè & illustrissimum præludium rei postmodum gestæ: quo solet interdum Deus uti, cum sanctorum virorum animis illabitur, & vocat ad magna. Sic nuper, superiore sæculo, excitavit eximium & sanctissimum virum, Franciscum Xaverium; & nescio quos peregrinos vultus dormienti objecit, cum Orientis Apostolum illum designavit. Patricius divino hoc oraculo motus, totum se dedere incipit Hibernorum conversioni. In eum finem legendis sacris Scripturis totus incubuit. Quas quis, sine magistro, legere, periculum erat; ne alius quàm à Spiritu sancto dictatus sensus irreperet, ducem vix Doctoremque quæsivit; & invenit tandem S. Germanum Altisiodorensem Episcopum. ad quem in Britannia excipiendum festino.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1177. 1178.

ANNUS CHRISTI 426. 427.

CÆLESTINI PAPÆ 3. 4.

VALENTINIANI IMP. 2. 3.

Semipelagiani.

HIs annis 426. iisdem suprà Coss. & 427. Hierio & Ardaburio Coss. turbatæ Galliæ, Pelagii factione; cum Cassianus, aliique, Augustini scripta pervertentes; nescio quam Epicœnam fidem statuere contenderunt: dictique sunt Semipelagiani; quos Prosper Aquitanicus, & Hilarius Arelatensis hoc tempore confutarunt, utpote à majorum sensu, & Ecclesiæ Traditione, hoc est, à rectæ fidei norma exerrantes. Enimvero Augustini mentem non sunt assecuti; qui privata sensa sequentes, ab Ecclesiæ sensu recedunt, quem Augustinus & optimus quisque summè veneratur. nam *Evangelio non crederem* (inquit ipse) *nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoveret authoritas.* cont. epist. fund. Manich. c. 5.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1179.

ANNUS CHRISTI 428.

CÆLESTINI PAPÆ 5.

VALENTINIANI IMP. 4.

I. Timotheus in Britannia, vel Bithynia. *Sigebertus an. 420.*

TImotheus, nescio quis, anno quadringentesimo vigesimo octavo, Tauro & Felice Coss. sub fuco pietatis, errores seminat in hac Insula, si Sigeberto credimus ad hunc annum. *In Britannia,* inquit, *Timotheus quidam, continentiæ & religionis imagine, multis illudens; eos in errorem suæ hæresis induxit; dicens Christum, verum quidem Deum, & verum hominem, de virgine MARIA natum fuisse; sed mentiens, dicendo quod divina natura conversa sit in humanam naturam.* Ita refert vulgatum Sigeberti Chronicon. Quod Aubertus Miræus benè correxit; in Britanniæ loco, Bithyniam restituit. Enimvero cum novus dogmatista discipulos colligeret, jussus est apud Bizam Bithyniæ urbem exulare: habuit sequaces qui ab eo Timotheani dicti; de quibus Gennadius in Indiculo hæreticorum ita loquitur. *Timotheani dicunt filium Dei verum quidem hominem ex virgine MARIA natum: sed non ita unam reddidisse personam, ut non in unam redacta sit naturam, conflatorium quoddam fuisse volentes interiora virginis: per quos duæ naturæ, id est Deus & homo, in unam resoluta & compacta massam, unam Dei & hominis exhibuerint formam; immutata videlicet naturarum proprietate efficientium, cottionem. Et ad confirmandam hujusmodi impietatem, quæ Deum asserit à suâ versum naturâ, cogunt Evangelistæ testimonium dicentis. Et verbum caro factum est. Quod ita interpretantur: Divina natura in humanam versa est. O abolitionem, illi inviolabili impingentem substantiæ! hujus impietatis initiator Timotheus, apud Bizam Bithyniæ modo exulans civitatem, continentiæ & religiosæ vitæ imagine multis illudit.*

II. Britannia igitur à Timotheanâ hæresi immunis fuit: & tamen Pelagianâ peste laboravit: quæ quia unius ferè Agricolæ operâ provinciam invaserat: eo resipiscente statim convaluit, licet sæpè in eam relapsa. Quod unus Agricola Insulam infecerit, testatur Usserius, ita scribens de hoc tempore. *Sed non ut à Timotheanâ, ita etiam à Pelagianâ hæresi Britanniam immunem præstare possumus. Nam totam ferè Britanniam Pelagianam pestem occupasse in S. Lupi vita legimus. Quam tamen neque ab ipso Pelagio, quantumvis ibi nato; neque à vicino Cælestio: sed ab Agricola quodam Pelagiano eò advectam fuisse accepimus. narrat quidem Claudius Menardus Agricolæ Britanno-Scoto totam Insulam turbanti Cælestium Italiæ finibus extrusum, adjutorem accessisse. Sed tam de Cælestii in Britanniam adventu, quam de Agricolæ patria, sine teste loquitur.* ita ille. & nos suprà Agricolam non Britanno-Scotum, sed Gallum ostendimus, Severi Aquitani filium. Usser. p. 319.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1180.

ANNUS CHRISTI 429.

CÆLESTINI PAPÆ 6.

VALENTINIANI IMP. 5.

I. De adventu S. Germani Altisiodorensis.

VIx Britannia in fide peccaverat; cum Britanniæ præsules, Christiano gregi caventes, de efficaci remedio cogitarunt. Nec aliud visum sanctius, quàm de more Ecclesiarum, collectis in unum Episcopis, & animarum curatoribus, singulorum sententias exquirere; & tunc demum, quid facto opus, communi suffragio, decernere. Et quoniam res erat plena periculi, si vernaculi tantum judices essent; alios foris, & doctiores quæsiverunt. Quinam illi fuerint, & quâ authoritate in Britanniam venerint, tunc dicendum; ubi annum adventus eorum consignavero. Hic enim Beda, ut in impressis exemplaribus legitur, disputandi ansam præbet: qui cum dixisset l. 1. c. 15. Saxones in Britanniam advectos; tempore Martiani Imp. *Qui cum Valentiniano regnum adeptus, anno ab Incarnatione Domini quadringentesimo nono, illud tenuit septem annis:* deinde addit c. 17. *Ante paucos sanè adventus eorum annos, hæresis Pelagiana, per Agricolam illata, fidem Britannorum commaculaverat.* denique mox infert, Britannos in mali remedium, Germanum & Lupum, Episcopos excepisse, conciliumque super eo celebrasse. *Ex quo sequitur* (inquit Henricus Spelman, è sensu Bedæ) *hoc concilium celebrari, circa annum Domini 409.* Sed manifestus est error in impressis Bedæ exemplaribus; qui non solum, ex ejus epitome, corrigi potest; sed è meo Codice Manuscripto: ubi disertè scribitur. *Anno ab Incarnatione Domini quadringentesimo quadragesimo nono, Martianus cum Valentiniano,* &c. Unde ex eo loco nihil solidè concludi potest, vel de tempore Concilii, vel de Germani adventu in Britanniam. *Spelman in Conc. an. 446.* *Beda l. 1. c. 21.*

II. Tempus stabilitur.

Inde tamen Matthæus Westmonasteriensis, & eum secutus Henricus Spelman, putant supradicta omnia referenda ad annum Domini quadringentesimum quadragesimum sextum. ubi & concilium, & Germani adventum collocant. Huntindonius adhuc posteriùs, nimirum post adventum Saxonum. Sed non placet: nam cum

Cælestinus

Cælestinus Papa, pissimo operi manum admoverit, & S. Germanum in Britanniam miserit, ut infrà ostendam; eo sedente, hæc fieri debent; nec aliter Germanus, Apostoli nomen, quod dudum meritus est, assequetur. Meliùs itaque Cardinalis Baronius ita pronuntiat: *Quadringentesimus undetrigesimus annus, ascriptus est fastis Consulatus Florentii & Dionysii: quo Cælestinus, Romanus Pontifex, Britanniam Pelagiana hæresi infectam, legatione Palladii Diaconi liberavit.* tum agit quoque de Germani adventu. Eosdem Consules nominat Prosper in Chronico, quem Beda communiter sequi solet. licet in præsenti controversia, ab eo paululum dissideat; asserens Palladium, à Cælestino missum ad Scottos, Theodosii Junioris anno octavo: hoc est, juxta ipsum, anno Christi 430. nam ille, ut dixi, Junioris Theodosii imperium auspicatur, anno Christi 423.

Baron. hic.

PALLADII LEGATIO IN BRITANNIAM. *Beda l. 1. c. 13.*

III. *Prosper in Chronico hic.* GERMANI MISSIO IN BRITANNIAM. *Beda l. 1. c. 17.*

III. Itaque quod ad præsentem annum spectat, hæc breviter narrat Prosper in Chronico. *Agricola Pelagianus, Severiani Pelagiani Episcopi filius, Ecclesias Britanniæ dogmatis sui insinuatione corrupit: sed actione Palladii Diaconi, Cælestinus Germanum, Antisiodorensem Episcopum, vice sua mittit; ut deturbatis hæreticis, Britannos ad Catholicam fidem dirigat.* Hæc ille. Sed multa hæc Germani missionem præcesserunt, de quibus ita Beda: *Britanni cum neque suscipere dogma perversum, Gratiam Christi blasphemando ullatenus vellent; neque versutiam nefariæ persuasionis refutare, verbis certando sufficerent: inveniunt salubre consilium, ut à Gallicanis Antistitibus auxilium belli spiritualis inquirant. Quam ob causam, collectâ magnâ Synodo; quærebatur in commune, qui illuc, ad succurrendum fidei, mitti deberent. Atque omnium judicio, electi sunt Apostolici Sacerdotes, Germanus Altisiodorensis, & Lupus Trecassenæ civitatis Episcopi: qui ad confirmandam fidem gratiæ cælestis, Britannias venirent.* hæc Beda. Guilielmus Camdenus Regius Historicus, hanc magnam Synodum Verolamii collectam, decretamque inde legationem in Gallias, affirmat. Cum enim Albani martyrium paucis narrasset, ita scribit de loco passionis ejus. *Tanta religionis opinio Verulamio acrevit; ut hic, Synodus, anno mundi redempti 429. haberetur, cum Pelagiana hæresis, per Agricolam, in hac Insula repullulasset, Britannicasq; Ecclesias ita maculasset; ut ad veritatem asserendam, Germanum Altisiodorensem, & Lupum Trecassinum, è Galliâ evocarent.* Spelmannus etiam, è Matthæo Westmonasteriensi, & Beda, colligit, Verolamii coactam esse Synodum. Verùm Constantius, antiquus author; unde Beda, aliique, hæc de Germano scripserunt; potiùs innuit hanc magnam Synodum in Galliâ, quàm in Britanniâ collectam. Sed & verba Bedæ idem significant; ut ea hic ponderat Baronius; qui ideo hanc Gallicanam Synodum appellavit. Quamvis negandum non sit, Britannos quoque unanimi consensu, Doctores aliquos expetiisse; missaque legatione sollicitasse; ut eruditi viri in suppetias mitterentur. Verum Germanum & Lupum eligere, spectabat magis ad Gallicanam, quàm ad Britannorum Ecclesiam. Verolamii porrò coactam esse Synodum, à Germano, dicemus statim inferiùs. Quod opinor Authores illos fefellit.

SYNODUS IN CAUSA GERMANI.

NUM VEROLAMII?

Camden. in Cattieuchlanis, & S. Alban.

IV. GERMANUS A ROMANO PONTIFICE MISSUS.

IV. Cæterùm noli, Lector, putare, hæc omnia, Romano Pontifice inconsulto, peracta esse. nec enim moris erat Episcopos sede moveri, & aliis prædicare, nisi à primâ sede delegatos: ut omnium sæculorum exempla testantur. Et quia domestica suppetunt, non immoror externis. Mansuetus Gallos; Beatus Helvetios; Marcellus Germanos, Britanni homines, docuerunt, cum Roma prius Sacerdotium & Apostolatum dedisset. ut suprà ostensum est. Recepit Britannia Fugatium & Damianum, aliosque, tam priùs, quàm posteriùs; sed ab Apostolicâ sede missos. Quamobrem inspectis Germani literis patentibus; si non invenero illum, Romani Pontificis Imperio legatum, Britannos docuisse fidem; accusabo infelicitatem horum temporum, quod Insula, non de fonte, ut hactenus solebat; sed aliunde fidei aquas cogatur emendicare. Adverte imprimis prædictos Authores, Constantium, Bedam, aliosque, asserentes Germanum & Lupum, è Galliâ in Britannias missos, non negare eos, consultò Romano Pontifice, missionem accepisse. Immo cum *Apostolici Sacerdotes*, ab iisdem nominentur; satis innuunt ab Apostolicâ sede legatos esse. Quod si Authores alii præsertim antiquiores, disertè affirmant, Romani Pontificis authoritatem accessisse; constabit enimvero illos, servato Ecclesiæ more, à prima sede in Britanniam descendisse.

UT ALII PROVINCIARUM APOSTOLI.

V. PROBATUR. *Harpsf. 6. sæc. c. 20.*

V. Quare si Harpesfeldo credimus, contestata lis est. Ait enim: *Cælestino Britannia nostra singularem quandam gratiam debet; ad quam pacificandam ipsa Sacerdotii Gallici lumina, Germanum Antisiodorensem, & Lupum Trecassinum, Episcopos, honoratissima legatione delegavit.* Sed qui volet altercari, hoc nuperum suffragium controvertet: accedat ergo, illo, Beda, Constantioque, testis antiquior, Prosper, Gallus homo, qui hoc ipso tempore, in Galliis vivebat, eruditione clarissimus. Ille ergo suprà dixit: *Papa Cælestinus Germanum Antisiodorensem, vice sua, mittit, ut deturbatis hæreticis, Britannos ad Catholicam fidem dirigat.* & iterum, adversus Collatorem agens, dum Cælestini laudes prædicat, hæc habet inter alia. *Venerabilis memoriæ Pontifex Cælestinus; cui ad Ecclesiæ Catholicæ præsidium, multa Dominus gratiæ suæ dona largitus est; sciens damnatis, non examen judicii; sed solum pœnitentiæ remedium esse præstandum; Cælestium, quasi non discusso negotio audientiam postulantem; totius Italiæ finibus jussit extendi. Ab eo, & prædecessorum suorum statuta, & decreta Synodalia, inviolabiliter servanda censebat; ut quod semel meruerat abscindi, nequaquam admitteret retractari. Nec verò segniore cura, ab hoc eodem morbo, Britannias liberavit: quando quosdam inimicos gratiæ, solum suæ originis occupantes, etiam ab illo secreto exclusit Oceani: & ordinato Scotis Episcopo, dum Romanam Insulam studet servare Catholicam; fecit etiam barbaram Christianam.* Hæc Prosper, Scotorum insinuans factam hoc tempore conversionem.

Prosp. in Chronico.

Idem adv. Collat. in fine.

VI. QUÆNAM INSULA BARBARA? *Ad. 431. §.*

VI. Postrema Prosperi sententia, difficultatem habet, hoc loco non dissimulandam, & tractandam * infrà latiùs: quid nomine *Romana Insula*; quid etiam nomine *barbara*, intelligatur. Laudanda certè hic, tam veterum, quàm novorum Scotorum modestia; qui valdè laborant, hac vice, pro barbaris haberi: sive barbaram Insulam suam esse. Author Florilegii Insulæ sanctorum multis laborat ostendere Prosperum, in barbara Insulâ Hiberniam innuisse. & doctè sanè è variis Authoribus probat; ad illos à Cælestino missum esse Palladium; ad quos paulo post mittitur Patricius: & reverà ita dicunt Sigebertus, Marianus Scotus,

&

NIS ORDO.

& Breviarium quod citat. Unde si ad illa tantum Authorum verba respicias, contestata lis est, & Prosper sine dubio Hiberniam intellexit: sed pauca verba non sunt ita premenda, ut antecedentia, & consequentia negligantur, si in Authoris mentem bene descendimus. Cum igitur Authores illi disertè scribant, eo loco, Palladium missum *ad Scotos in Christum credentes.* & infrà legemus Hiberniam ubique infidelem; Florilegii author illa etiam verba perpendere & expendere debuisset; & nodum illum priùs solvere quàm pro Hibernia conclusisset. Adde ordinatum Scotis Episcopum: satis innuere Scotos illos fideles fuisse. ad quos solos, hoc tempore, mittebantur Episcopi. Ut Magnus Gregorius priùs misit in Britanniam, Augustinum Monachum, quàm Episcopus mitteretur. nec ille priùs missus, quàm Saxonum Principes in Christum credidissent. Hoc idem in Palladio cernemus: qui primò Diaconus, inde alterâ missione Episcopus ordinatur. Manet ergo adhuc difficultas, quæ inclùs tunc exponetur, cum à Cælestino in Britannias mittitur, nimirum post annos duos. Quod si interim Richardum Vitum arbitrum habere volunt; ille controversiam ita decidit: *Certè*; inquit, *cùm Prosper numero plurativo, Britannias dixit; utique Romanam Insulam vocavit Britanniam: & alteram, quam dixit barbaram, intellexit Hiberniam; quò Romana armorum potestas nunquam pervenisse creditur.* Verùm hunc plurativum numerum quis intelliget? nam si cum Britanniæ nominantur, intelligi debet aliquid extra Britanniam; pari modo quærendæ sunt novæ provinciæ extra Galliam & Hispaniam; cum Hispaniæ & Galliæ, plurativo numero, nominantur. Pluralivus ergo numerus facere potest, ut plures fuerint Romanorum provinciæ, in Britanniâ (& ego suprà quinque recensui) vix potest facere, ut Britanniarum nomine veniat, ad Britannos nullo modo spectans Hibernia. Opinor igitur, de unâ, & eadem Insulâ, sermonem esse: & hoc anno, Cælestinus, misso ad nos Germano Episcopo; studuisse hanc Insulæ partem, Romæ parentem, Pelagianâ hæresi infectam, servare Catholicam: cum paulò priùs, Palladium Diaconum, ad alteram Insulæ partem, Romæ rebellem, adeoque barbaram, præmisisset; quam & Christianam facere cupiebat. Nam licet Picti Ninianum dudum audivissent, Christianæ fidei præconem: Scoti tamen, sive Hiberni, qui paulò remotiùs habentes, nuper in numerum & Remp. creverant; omnino erant infideles. Ita Prosperum Baronius intellexisse videtur, cum dixit suprà. *Cælestinus Rom. Pontifex Britanniam Pelagianâ heresi infectam, legatione Palladii Diaconi, liberavit.* nullâ factâ Hiberniæ aut numeri plurativi mentione. Cæterùm, quid auctus majore Sacerdotio Palladius fecerit; & quò etiam iverit, dicam in sequentibus suo loco. Hic tantum dico, Romanorum Authorum ordinariâ dialecto, *Romanam Insulam*, olim appellari solitam, eam Britanniæ partem, quæ Romæ suberat; diversam ab alterâ, quæ in Romano pugnabat; & eodem modo Prosperum intelligi. Sic etiam eum intellexit Jacobus Gordonus, ita scribens: *Hoc anno 429. Contra Pelagianos, in Britanniam majorem, Cælestinus Papa misit Palladium, S. R. E. Diaconum.*

R. Vit. l. 2. histo. an. not. 6.

V. an. 367. 4.

PALLADIUS AD SCOTO BRITANNOS MITTITUR.

Gordon. hic.

VII. MISSIO-

Hinc satis constat, quod suprà probandum suscepi, Germani missionem in Britanniam, à Cælestino Papa, & Apostolicâ Sede fuisse. Misit ergo Romanus Pontifex primo Palladium Diaconum; ut Pelagii errores, in Septentrionali Britannia suffocaret; ne vicinam, & cultiorem provinciam inficerent. Sed intellecto postmodum, Romanam etiam provinciam, eo morbo laborare; Germanum eò, Lupumque delegavit: quod non est opus pluribus probare, cum quatuor Centuriatores, Romanæ exteroquin Ecclesiæ hostes, idipsum fateantur, & Balæus noster ab orthodoxâ fide & religione apostata, ita scribat de Britanniâ, Pelagii erroribus infectâ. *Quod audiens, per Palladium, Cælestinus Pontifex Romanus, Germanum & Lupum, Gallicanos Episcopos illuc misit; ut Britannos in fide gratiæ cælestis solidaret.* Nec Constantius, Beda, aliique, qui asserunt Galliam misisse, aut elegisse Britanniæ Doctores, ab hac sententiâ dissident: quia Britannorum preces Cælestino innotuerunt, interprete Palladio: & Cælestinus Gallis mandat, utpote vicinis; congregare Synodum; & designare personas, quibus ipse legationis munus imponeret; quod Prosper vocavit, *vicem suam*: & optimè Constantius & Beda expresserunt, vocando dictos Episcopos, *Apostolicos Sacerdotes*, hoc est, Apostolicæ Sedis nomine Legatos.

Cent. 5. c. 10. fo. 1418.

Bala cent. 1. in Lepor.

Asserto nobis Germano, Britanniarum Apostolo, & Romanæ Sedis authoritate fungente; videamus alia, quæ hoc anno contigerunt; & quoniam facta est Palladii mentio, ad Scotos eodem modo missi, ejus quoque iter legamus. Palladius iste, sub initium hujus anni, in ulteriorem Britanniam, à Cælestino legatus, eundem per literas monuit; quo statu citerioris Britanniæ res Ecclesiastica esset. Si extaret Palladii Epistolarum liber ad Cælestinum, qui inter ejus scripta numeratur, multa colligi possent, digna posterorum memoriâ. *Cuncta enim*, inquit Baronius, *quæ in hac legatione ab eo gesta essent, fuisse accuratè scriptis mandata, illis Epistolis opinari possumus: cum nos illis carentes, de rebus magni ponderis, memoria perpetua dignis, nihil præterea, quàm quæ dicta sunt, ex Prospero, habeamus expressum. Scotos quidem ipsos, ab eo, ad Christi fidem conversos fuisse, & ex munere Apostolico consecutum fuisse nomen, ut Apostolus Scotorum fuerit nuncupatus, una omnium cum Prospero est sententia. Navigasse quoque ad Hibernos, & illic Evangelium prædicasse, mandato ejusdem Cælestini Romani Pontificis, Probus testatur in rebus gestis S. Patricii à se conscriptis.* Hæc omnia Baronius: qui paulò superiùs benè distinxit duplicem Palladii missionem: unam nimirum hoc anno, cum Diaconus missus est in Britanniam, occasione hæresis Pelagianæ: alteram, cum post sequentem annum, ex Diacono creatus Episcopus, potuit rectè Scotorum Apostolus nominari. Scio quidem hic admodum digladiari Britanno-Scotos, & Hibernos: in quam Insulam legatus sit Palladius; nam utrique officiosissimè eum vocant Apostolum: sed quoniam Germani certior legatio me avocat aliò. ventilabo quæstionem illam paulo inferiùs; quando nimirum post sequentem annum ad Scotos mittitur. Nunc inceptam narrationem de Germani Lupique electione, & eorum profectione in Britanniam prosequamur, duce Constantio: qui hoc eodem tempore floruit, & scripsit *acta sancti Germani, traditáq; posteris, omni fide consignata*, loquit Baronius. ita ergo loquitur.

VIII. PALLADII EXPEDITIO.

Baronius hic.

DUPLEX PALLADII LEGATIO.

Baron. hic

Eodem tempore, ex Britanniis directa legatio

IX.

Constant. l. 1 c. 19.

Germanus et Lupus a Gallicana Synodo designantur.

Gallicanus Episcopis nunciavit; Pelagianam perversitatem, in locis suis, populos latè occupasse; & quamprimum fidei Catholicæ debere succurri. Ob quam causam Synodus numerosa collecta est: omniumque judicio, duo præclara religionis lumina, universorum precibus ambiuntur, Germanus & Lupus, Apostolici Sacerdotes, terram corporibus, cælum mentibus possidentes: & quantò necessitas laboriosior apparebat; tantò eam promptius, heroes devotissimi susceperunt; celeritatem negotii, fidei stimulis maturantes. Subdit posthæc Author, ut in itinere, apud Parisios, sanctam virginem Genovefam, S. Germanus, præscius futurorum, Deo despondit; nummumque, casu repertum, cruce impressum, eidem in memoriam gestandum dedit. Quæ licet orthodoxæ fidei argumenta sint. Prætereo tamen; quia Episcoporum navigationem profectionemque in Britanniam differunt. Pergit ergo ad rem nostram Constantius.

Eorum profectio.

*Hi itaque Oceanum mare, Christo duce, & authore, conscendunt; qui famulos suos, inter discrimina, & tutos reddidit, & probatos. Ac primum de sinu Gallico, flabris levibus, navis in altum provecta ducitur; donec ad æquor medium perveniret, ubi porrectis in longum visibus, nihil aliud videretur, quam cælum & maria. Nec multo post occurrit in Pelago, legionis inimica vis dæmonum, qui tantos ac tales viros pervadere, ad recipiendam populorum salutem, lividis iniquitatibus inviderent. Opponunt pericula, procellas concitant, cælum diemque, nubium nocte subducunt; & tenebrarum caliginem maris atque aëris horrore congeminant. Ventorum furorem vela non sustinent, & Oceani moles fragilis cymba vix tolerat. cedunt ministeria victa nautarum. Ferebatur navigium oratione, non viribus. & casu Dux ipse, vel Pontifex fractus corporis lassitudine, sopore resolutus est. Tum verò, quasi repugnatore cessante, tempestas excitata convaluit; & jam navigium *perfusis fluctibus mergebatur. Tunc B. Lupus, omnesque turbati, excitant seniorem, elementis furentibus opponendum. Qui periculi immanitate constantior, Christum invocat, Oceanum increpat, & procellis sævientibus causam religionis opponit. Statimque, assumpto oleo, in nomine Trinitatis, levi aspergine, fluctus sævientes oppressit. Collegam commonet, hortatur universos, oratio uno ore, & clamore profunditur. Adest divinitas, fugantur inimici, tranquillitas serena subsequitur. venti contrarii ad itineris ministeria vertuntur navigium famulatrix unda subsequitur, decursisque, immensis spatiis, brevi optati litoris quiete potiuntur.* Hæc Constantius.

* superfusis.

X. Germanus excutitur, quis et qualis.

Siste Lector, priusquam Germanus è navi descendat, & optati litoris quiete potiatur. Excute illum, quis ille, & unde? & quia fidei causam acturus est; quære imprimis quas merces deferat, quos ritus, & cæremonias? Hactenus enim Romani Pontifices instituerunt provinciam, sanctis omnino & primæ notæ dogmatibus: unde auroram Christianæ fidei, in Lucio, vidimus pulcherrimam; in Helenâ quoque & M. Constantino ejusdem fidei illustrissimum meridiem. Valde ergo cavendum, ne hoc sæculo, inclinante Britannorum regno, occidat quoque aut saltem degeneret Fides Regia. Quod tunc demum fiet, quando authoritate Romani Pontificis, quâ indubiè munitus est Germanus, prædicabitur peregrinum aliquid, & à primorum sæculorum fide alienum. Enimverò sectarii nostri, cum volunt probare, quod nemo unquam negavit; Britanniam ante Augustini, & Monachorum adventum, Christianam fuisse: excipiunt avidè appulsum Germanum, feruntúrque valdè in ejus amplexus. Unde immanis suspicio erit; nisi factionis genium benè nosti; Doctores hos, non Romanam, & probatam hactenus fidem, adferre; sed nescio quæ modernorum paradoxa. Te igitur, quicunque hæc lecturus es, quæso & obtestor: ut quamdiu Germanus, & Lupus, in Britanniâ prædicaturi sunt, eorum motus, verba, actiones, doctrinam, quàm accuratissimè explores. Et verò sub finem sequentis sæculi, venturus huc quoque est Augustinus Monachus, & docturus Saxonem, novum incolam. Post multa verò sæcula, ingens lis erit; utrùm Germanus & Augustinus, in una eademque fide convenerint: an verò contraria dixerint, fecerint, docuerint? Nec habent sectarii magis obvium argumentum, pro tuendâ factione: quàm Britannos, à Germano doctos, & sine dubio orthodoxos; Augustino restitisse, misso à Gregorio: ejus ac Romanum imperium, imo doctos ab eo ritus, noluisse: cur ergo impii erunt nepotes, si audire nolunt Ro. Pontificem: cum olim majores, iique orthodoxi, exemplo præcesserint? Quamobrem cum hactenus ii omnes, qui fidem in Britanniâ prædicarunt, docuerint Romano capiti parendum esse; ut suprà ostensum est, omni sæculo: ideo Germani verba factaque contemplari debemus, & excutere; si fortè diversa loquatur, aut faciat.

XI. An Germanus alia ab Augustino docuerit.

Iterum, arguitur sæpè à sectariis Augustinus; quod Sanctorum, ac reliquiarum cultum, aquam benedictam, & alia similia, primus in hanc Insulam intulerit: & ego dudum in me recepi, non esse fidem Regiam, atque orthodoxam, quicquid à primorum sæculorum puritate recesserit, aut diversum sit, aut prius non doctum. Quod si videro Germanum, sanctis supplicem, coluisse eorum reliquias, aquam & oleum benedixisse, & Romani Pontificis supremum imperium, verbo, facto, æquè, si non magis, docuisse: nónne merito culpandi sunt sectarii; qui Augustinum & Romam incusantes, Germanum & antiquos Britannos in factionis suæ subsidium vocant? Videamus ergo qualis ille: quis, inquam, Britanniæ hic Apostolus Germanus? quod ita narratur in compendio ejus vitæ. *Germanus Antisiodorensis oppidi, in Galliâ, indigena, splendidis cum primis natus parentibus; ab ipsis infantiæ rudimentis, studiis liberalibus adhibitus, magna ingenii ubertate, brevi summum eruditionis gradum conscendit. prorsus ut & natura, & industria multiplicibus adornatus gratiis, magno suis honori esset. Atque ut omnibus literarum numeris absolutus, nihil in eo desiderari posset; post Gallicana auditoria, Romam profectus, præclarâ juris scientiâ pectus egregiè implevit.* Hæc ibi: & Deo laus; quod Apostolus iste, ut cæteri hactenus; Romæ doctus sit. Nam inde præsagit animus, ipsum cum Augustino, quidquid sectarii obloquantur, consensurum. Crescit præsagium, quia Germanus quoque Monachus fuit; quem S. Amator prædecessor ejus in Antisiodorensi Sede, religioso habitu induit. Sic enim è Constantio referunt Authores vitæ ejus.

Apud Lippelonum 31. Iulii.

Fuit Romæ doctus, et Monachus.

XII. Constantius in vita, vel potius Lippelone.

Amator, cum in Ecclesia ad Sacerdotale officium ritè obeundum se accingeret; cerneretque, inter alios, præfectum urbis Germanum, corpore & animo ad omnem modestiam, ac pietatem, compositum, sacra limina intrantem; jussit illo ingresso mox Ecclesiæ fores claustris arctari. Tum verò, glomeratâ secum clericorum atque nobilium turbâ, Germanum apprehendit;

&

& invocato nomine Domini, Cæsariem capiti ejus detrahens, habitu religionis, rejectis ornamentis sæcularibus, cum honore induit, dicens: satagere te oportet, frater charissime, ut commissum tibi honorem immaculatum conserves; quia me decedente, omnipotens tibi pastorale officium commisit. Mortuo Amatore, cum Germanus successisset (sub annum Domini 418. ut colligit Usserius, vel certè 421. ut alii) austerum vitæ genus assumpsit, & plenum pœnitentiâ: nam ita sequitur. *A primo suscepti muneris die, ad usque terminum vitæ; non vinum, non acetum, non oleum, non legumen, nunquam vel salem ad usum condiendi saporis accepit. In refectionibus, primum cinerem prælibavit, deinde panem hordeaceum sumpsit: & hic cibatus adeo tenuis, & palato ingratus, nunquam ante vesperam sumebatur. Interdum etiam hebdomada media, non raro etiam septimo die, latranti stomacho dabatur. Lectus ex dolatis asseribus constratus, ac cinere conspersus, nullo etiam cervicali subjecto, profundum capere somnum vetabat. Quid dico somnum? Cum totas noctes nil nisi gemitus duceret, stratumq; asperum assiduis penè fletibus rigaret. Summus hospitalitatis cultor, pauperibus & peregrinis adventantibus, convivium jejunus pastor exhibebat; propriis manibus pedes lavabat, osculabatur, & profuso lacrymarum imbre interdum rigabat. Inter hæc autem aliaq; quotidiana, quæ in magna populorum frequentia obire necesse erat; ut contractum ex hominum familiaritate pulverem, cælesti rore iterum abstergeret, Monasterium construxit: in quo frequenter degebat, animumq; mira cælestium rerum dulcedine pascebat.*

Usser. fo. 837. — CREATUR EPISCOPUS. — EIUS INEDIA.

XIII. Talis erat Germanus, priusquam veniret ad Britannos, pœnitentiæ operibus deditus, jejuniorum rigidus observator, peregrinorum fautor, religiosi instituti cultor, Monasterii ædificator, monialium patronus, & Genovefæ virginis consecrator. Quæ omnia pro Augustino faciunt: nil prosunt illis, qui solâ fide contenti, stata jejunia contempserunt, & Monasteria omnia nuper, mundo stupente, everterunt. Superest ut simili scrutinio, quis Lupus, ejus collega fuerit, videamus.

XIV. *Ortus est S. Lupus. Leucorum oppido, nobili imprimis familiâ, patre Epirochio* (inquit è Surio Franciscus Haræus.) *Quo ex hac luce subtracto, scholis adhibitus, Rhetorum est imbutus studiis. Iuncta est ei matrimonio * Pimeniola, S. Hilarii Arelatensis soror, illustris memoriæ, quæ in ipsa juventute, sensus maturitate pollens, semper pudicitiæ amore flagrabat. Vnde & cum jam septimus conjugii annus volveretur, instigante Domino, se ad conversionem mutuis adhortationibus consulerunt. Et quidem ipse superni spiritus vigore incitatus Lupus, eximiæ claritudinis & virtutis virum, Beatum Honoratum, alacri animo, statuit invisere. Erat is Abbas primæ habitationis Lirinensis Monasterii: ad quem ubi pervenit, ejus institutioni cervicem ultrò subdens, Dominicæ servitutis jugum mansuetissimis humeris accepit, omnigenis vigiliis, & jejuniis sese afficiens. Sed cum annum illic egisset, magno fidei calore, regressus est, ad urbem Matisconensem; ut ea quæ ipsi remanserant, pauperibus elargiretur. Et ecce de improviso ad urbes Trecensis Episcopatum rapitur.* Hactenus è vitâ ejus. Dignus enimvero Germani socius; qui æquè deditus jejuniis & pœnitentiæ operibus, æquè coluit monasticam disciplinam; æquali suffragio eligitur à Gallicanâ Synodo; denique æqualibus ab Apostolicâ Sede privilegiis honoratur. Quis dicet hos duos Monachos & Episcopos, Romanâ authoritate missos in Britanniam, docturos aliud ab Augustino sociisque, qui ex eadem scholâ, fideique palæstrâ, descenderunt. Verùm de more instituti nostri, Germani & Lupi facta videamus: nam inde meliùs eliciemus fidem: idque priusquam è navi descendant, aut excipiantur à Britannis:

LUPI ORTUS ET PARENTES. — Hara. in Lupo 29. Iulii. — * Pimeniola. — FIT EPISCOPUS.

XV. Audivisti suprà, cum periclitaretur navis, jam jam sorbenda fluctibus; quomodo Germanus furentibus elementis *causam religionis opposuit; assumptoq; oleo in nomine Trinitatis, leni aspergine fluctus sævientes oppressit.* Deum immortalem! Quæ hæc religio: oleo in nomine Trinitatis benedicto: vel, si mavis, è Beda; aquæ aspergine in nomine S. Trinitatis assumpto, tumultuantem Oceanum compescere? Indignantur sectarii, quoties aquam & oleum benedicimus: quòd si miracula fiant, illis benedictis; cacvos id omne, errores & superstitionem appellant. Ita Magdeburgici, aquam aspersionis, inter ineptas & pueriles cæremonias rejiciunt; quas sola Romana Ecclesia, posterioribus, ut ipsi putant, sæculis, usurpavit. quod suprà satis refutavimus. Hic dicam aliquid, de oleo, solito à fidelibus benedici.[a] Et quidem si à sacris Authoribus auspicemur; S. Jacobus Apostolus ægrotos jubet ungi oleo, in nomine Domini: & cur non potuit Germanus oleo in nomine Trinitatis assumpto uti, in mortis periculo? Cæterùm præter oleum illud unctionis, quod pro salute graviter infirmantium solenniter ab Episcopo solebat benedici, Sacramenti vim gratiamque conferens: *Aliud erat, quod passim à fidelibus* (loquitur Baronius) *ad sanandos quoscunque ægrotos, supra vim naturalem, divina adjuvante gratia, adhiberi solebat: cujus tamen nulla sit virtus Sacramenti; sed continebat virtutem, quam fideles vel merita dantis, vel suscipientis, prævia benedictione impetrabant. Horum alterum in Iacobo; in Marco alterum testatum habetur.*

Beda l. 1. c. 17. — OLEUM BENEDICTUM. — AQUÆ ASPERSIO. — [a] Cent. 2. fo. 321. — An. 132. 1. 153. 20. — Baron. an. 63.

XVI. Fuit, opinor, posterioris generis oleum, quo S. Germanus maris fluctus compescuit. Solebat enim Deus, oleo benedicto, & sanctorum virorum invocatione ad misericordiam, cujus oleum symbolum est, sæpenumerò flecti, & dona mirabiliter elargiri. Ita narrat Sozomenus superiori sæculo: *Fertur quendam, cujus membrorum articuli, diuturno morbo ita debilitati erant; ut pedibus consistere non valeret; ad ipsos apportatum fuisse* (S. Antonii Monachos intelligit.) *Quem ubi oleo unxerant, jubebant in nomine Christi, surgere, atque domum abire. Itaque homo ille derepente sanatus, palam prædicavit doctrinæ istorum assentiendum, penes quos etiam Deus ipse veritatem esse, suo testimonio confirmaverat.* Iterum de Benjamin Monacho, ætate admodum provecto, scribit idem Author; quòd in monastica vitæ disciplina, tempus ætatis, summo cum splendore triverit. Cui, inquit, *Deus largitus fuerat; ut solâ tactione manus, aut oleo, supra quod orabat, absque medicamentis, ægrotos omni morborum genere liberaret.* Nec unius Sozomeni hæc narratio est: Ruffinus eo antiquior, testatur se præsentem vidisse, quæ Sozomenus facta narrat, de Monachis oleo ægrotos curantibus. Itaque quod hi sancti, virtute olei, & benedictionis ejus, operati sunt mirabiliter: idem S. Germanus, cum in mari periclitaretur, imitari conatus, oleum benedixit, eoque leviter marinos fluctus aspersit, atque ita sedavit tempestatem.

QUALE OLEUM? — Sozom. l. 1. c. 20. — INDE INFIRMORUM CURATIO. — Idem l. 6. c. 29.

XVII. Parkeri querela. *Antiquit. fo. 42.*

Non video, cur Matthæus Parkerus, Cantuarienfis Ecclefiæ καιτονίοχοπος primus, tantopere indolcat; quod Anglorum converfio in Gregorii & Auguftini tempora inciderit: *In quibus*, inquit, *collapfa Ecclefia difciplina, multum ab antiqua, veterig, puritate, ad fuperftitionum errores degeneravit.* Peto enim ut edicat, quorfum, & in quibus degenerarit? Quia nimirum Gregorius Mellito præcepit, ut deletis idolis, fana ipfa confervarentur, & per *aquæ benedictæ afperfionem*, altarium conftructionem, & reliquiarum collocationem, venerationemque, expiarentur. *Quarum omnium fuperftitionum*, inquit Parkerus, *caput & origo fuit Gregorius Ro. Pontifex.*

Reiicitur.

Falli porrò ipfum teftantur Apoftolici Sacerdotes, Germanus & Lupus, Ecclefiæ, fideique Gallicanæ lumina, qui Gregorium & Auguftinum, centum & quinquaginta annis præcedentes; Britannos docuerunt, oleum & aquam benedicere, & fanctorum reliquias venerari, ut infrà demonftrabitur. Pergo interim in hiftoriâ, ad provincialium applaufus, in adventu Legatorum, cum è navi defcenderunt. Quod in hunc modum refert Conftantius.

XVIII. *Conftant. l. 1. c. 19.* Germanus et Lupus a Britannis excepti.

Itaque conveniens ex diverfis partibus multitudo, excepit Sacerdotes, quos venturos etiam vaticinatio adverfa prædixerat. Nuntiabant enim finiftri fpiritus, quod timebant. Qui imperio Sacerdotum, dum ab obfeffis corporibus detruduntur, & tempeftatis ordinem, & pericula quæ intulerant fatebantur; victosq́, fe eorum meritis, & imperio, non negabant. Interea Britanniarum Infulam; quæ inter omnes eft, vel prima, vel maxima; Sacerdotes Apoftolici raptim, opinione, prædicatione, virtutibus impleverunt. Et cum quotidie irruente frequentia ftiparentur; divinus fermo non folum in Ecclefiis, verum etiam per trivia, per devia, fundebatur. ut paffim, & fide Catholici firmarentur; & depravati viam correctionis agnofcerent. Erat in illis, Apoftolorum inftar gloria, & authoritas per confcientiam, doctrina per literas, virtutes ex meritis. Accedebat præterea tantis authoribus affertio veritatis. Itaque regionis univerfitas, in eorum fententiam prompta transierat. Latebant abditi finiftræ perfuafionis authores; & more maligni fpiritus gemebant perire fibi populos evadentes; ad extremum, diuturnâ meditatione conceptâ, præfumunt inire conflictum. Hæc omnia Conftantius.

XIX. Conventus edicitur.

Igitur, quò Pelagii doctrina certiùs everteretur, ac emergentium errorum fibræ radicitùs tollerentur; Germanus, confentientibus Britannis, conventum indixit: ratus omninò, quod evenit, fidei fequioris fucum, fi in lucem hominum proftaret; facilè appariturum. Jubet itaque adverfæ partis fautores, ac Pelagiani dogmatis patronos, fecum in arenam defcendere: ut palam omnes cernerent, quinam in fide potiores effent. Aptiffimus difputationi locus vifus eft, non Londinum (ut putat Hector Boëtius) fed Verolamium oppidum: ubi Albani martyris corpus religiofiffimè fervabatur; & eò itum ab omnibus.

H. Boëtius Scotorum hifto. l. 6. Verolamii.

Quid ibi ex utraque parte dictum factumque, Conftantii verbis, qui accuratè omnia digeffit, accipe. Solum, te quæfo Lector, ut non ofcitanter difpicias; quâ ratione, quo modo, quóve argumento, Pelagianâ hærefi eversâ, fides orthodoxâ confirmetur. Cum ergo Conftantius dixiffet Pelagianos, cum S. Germano præfumpfiffe inire conflictum, ita eum profequitur.

XX.

Procedunt confpicui divitiis, vefte fulgenti, circundati affentatione multorum; contentionisq́, fubire aleam maluerunt, quam in populo, quem fubverterant, puderem taciturnitatis incurrere: ne viderentur fe ipfi filentio damnaviffe. Illic planè multitudinis numerofitas, etiam cum conjugibus ac liberis excitata convenerat. Aderat populus fpectator futurus, & judex. Adftabant partes, difpari conditione diffimiles. Hinc divina authoritas; inde humana præfumptio: hinc fides, inde perfidia: hinc Chriftus, inde, Pelagius author.

Conftantius l. c. 13. Pelagianorum apparatus.

Disputatur.

Primo in loco, beatiffimi Sacerdotes præbuerunt adverfariis copiam difputandi; quæ fola verborum nuditate, diu inaniter & aures occupavit & tempora. Deinde Antiftites venerandi torrentes eloquii fui, cum Apoftolicis & Evangelicis tonitruis profuderunt. Mifcebatur fermo proprius cum divino, & affertiones frequentiffimas lectionum teftimonia fequebantur.

Vincit veritas.

Convincitur vanitas, & perfidia confutatur: ita ut ad fingulas verborum objectiones, reos fe, dum refpondere nequiverunt, faterentur, populus arbiter vix manus continet, judicium cum clamore teftatur. Cum fubitò vir Tribunitiæ poteftatis, cum conjuge procedit in medium, decem annorum filiam cæcam finibus ingerens Sacerdotum: quam illi offerri adverfariis præceperunt. Sed illi confcientiâ puniente deterriti, jungunt cum parentibus preces; & curationem parvulæ a Sacerdotibus precantur. Qui expectationem populi, & inclinatos adverfarios intuentes, orationem breviter fundunt. Ac deinde Germanus, plenus Spiritu fancto, fanctam invocat Trinitatem. & protinus inhærentem lateri fuo capfulam, cum Sanctorum reliquiis, collo avulfam, manibus comprehendit; eamque in confpectu omnium puellæ oculis applicavit. Quos ftatim evacuatis tenebris, lumine veritatis implevit. Exultant parentes, miraculo, populus contremifcit. Poft quem diem ita ex animis hominum perfuafio iniqua deleta eft; ut Sacerdotum doctrinam, fitientibus defideriis, fectarentur. Ita de Synodo hac Conftantius, & poft eum Beda, aliique.

Germanus curat infirmam tactu reliquiarum.

XXI. *Spelman. an. 446.* Sectarii tacent miraculum.

Solum Spelmannus, qui nuper accuratè, Britannorum Synodos collegit. Cum Verolamienfem hanc Synodum recenfet, & Germani, de Pelagianis, victoriam; fanatæ filiæ miraculum premit filentio; & capfulam, cum fanctorum reliquiis, Apoftolici Sacerdotis lateri inhærentem. Parkerus etiam, in fuis Antiquitatibus, eo capite, ubi probat Britannos Chrifti fidem amplexos, nunquam poftea defciviffe, ad veteres gentium errores; Germani meminit & Lupi Trecenfis: vocat eos, *viros fide, ac virtute divinâ pollentes.*

Antiq. Britan. fo. 7.

Refert quoque hanc Synodum, & omnia ferè fupradicta è Conftantio; non folum eadem fententia, fed iifdem etiam verbis: addit è fuo, *Tanta tum Britannis inerat Chriftianæ fidei retinendæ cupiditas.* Quafi diceret, valde tunc timebant Britanni alienum aliquid à Chriftianâ fide fufcipere. Ita eft, fcrupulofiffima hæc ætas erat, ne fuperftitio irreperet. Sed cur tacet Parkerus omnem miraculi & de fanctorum reliquiis mentionem; cum non poterat non nefcire, in quæftione illâ, cum Pelagianis, miraculum prò orthodoxâ fide confirmandâ, meruiffe principem locum? Profectò factiofus homo accufaturus erat poftea Auguftinum Monachum, illique litem intentaturus; quod fanctorum reliquias in templo collocarit: putavit fatius Lectorem fallere, tacere miraculum, & premere fanctorum reliquias, quas in odium Auguftini, *triviales nugas* poftmodum appellavit. Verùm fi Auguftinus impius, *fuperftitiofus*, & *cæremoniarum potius, quam fidei doctor eft,*

Idem fo. 44.

ut

ut ille loquitur; quia idolorum sordes, sanctorum reliquiis expiavit; ut jussum à Gregorio: cur Germanus & Lupus à sectariis laudantur, & Apostolorum nomen meriti sunt; qui sanctorum etiam reliquias religiosè habuerunt, collo suspensas, laterique inhærentes, ac earum virtute cæcitatem depulerunt? Vident certè hæc constare non posse, si simul componantur: & ideo ut Augustinus, & M. Gregorius vapulent; Germanus debet cum Pelagianis disputare, eos confundere, Britannorum fidem confirmare, cætera premi silentio.

XXII. CURIOSUS LECTOR NARRATIONIS SUPERFICIE NON CONTENTUS.

Verùm curiosus Lector, fidei, veriq́ue amans; visâ narrationis superficie, penitiùs in ipsam descendet, quæretq́ue, quo demum argumento, Germanus vicerit; & quo potissimum telo confusus error, ut eò medio, & remedio, iterum, si opus est, firmetur fides. Si editum miraculum audivisset; ilicò ejus ordinem, ac circumstantias, divina, inquam, testimonia, scrutaretur. Quamobrem, si Germanum legit suspensam collo lipsanothecam gestasse, illaque Pelagianos confudisse; statim ingeniosa apis, è miraculo, pro reliquiarum usu, colliget elegantes flores; amabit sanctos, eorum memoriam colet, & eorundem exuviis, se tutum inter pericula opinabitur: atque ita purum putum fidei mel conficiet. Quod si adhuc scrupulosiùs volet, ad antiquioris sæculi limam, Germani factum revocare: quæret è vestigio, primæ, virginisq́ue fidei prototypa: ascendet superiùs, quid sancti docuerint, quid principes viri, populusq́ue fecerint, contemplabitur: & tum demùm è factorum, & sæculorum sanctitate, constantem præbebit assensum. & viso, quid Maria Magdalena, quid Josephus Arimathæus [a] primo sæculo fecerint: quid altero, Christiani de Clementis Martyris [b] corpore, quid de S. Polycarpi [c] reliquiis, de [d] Cypriani, atque Laurentii: denique, ut Britanni Albanum [e] mortuum coluerint: conferet hæc facta, cum fide doctorum, * *quos Christus dedit ad consummationem Sanctorum, in opus ministerii*: interrogabit Nazianzenos, Basilios, Chrysostomos, Ambrosios, Augustinos, Cyprianos: Orientem, inquam, & Occidentem orbem. Quod si [f] Serenas, Helenas, Augustas fœminas viderit argenteas quoque thecas Martyrum condendis reliquiis paravisse: si Constantinum Magnum duodecim cappas iisdem apparantem: & Theodosium Augustum illis [g] supplicem dicet profectò, cum Davide *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis*: & mirabitur exauctorari Augustinum, ab Apostolatus dignitate, quia Sanctorum reliquias in Britanniam detulit; eique Germanum longè præferri: non mirabitur sectarios, silentio prementes, quæ paradoxam eorum fidem enervant, atque subvertunt. nunc pergo ad sequentia, iterum duce Constantio.

INTERROGABIT PRIORA SÆCULA.

[a] An. 82. 5. [b] an. 102. [c] 169. 3. [d] 261. 5. [e] 287. 9. & 12.

* *Ad Ephes.* 4. 12.

[f] An. 296. 1. 287. 11.

[g] An. 193. 5. *Psal.* 92.

ITA COLLIGET FIDEM.

XXIII. *Constantius suprà.*

Compressâ itaque perversitate damnabili, ejusq́; authoribus confutatis, animisq́; omnium fidei puritate compositis; Sacerdotes ad Beatum Albanum Martyrem, authori Deo, per ipsum, gratias acturi properabant. ubi Germanus omnium Apostolorum, diversorumq́; Martyrum reliquias secum habens, factâ oratione, jussit revelli sepulchrum, pretiosa ibidem munera conditurus. Arbitrans opportunum, ut membra Sanctorum ex diversis regionibus collecta, quos pares meritis receperat cælum; sepulchri quoque unius teneret hospitium. Quibus depositis, honorificeq́; sociatis, de loco ipso, ubi B. Martyris effusus fuerat sanguis; massam pulveris secum portaturus abstulit: in quâ apparebat, cruore servato, rubere Martyrum cædem, persecutore pallente. quibus ita gestis, innumera hominum, eodem die, ad Dominum conversa est turba. Hæc Author: eadem habet Beda, & Baronius ad hunc annum: qui ita locum, & Germani factum commentatur. *Vide hic*, inquit, *& considera opportunè, Lector; quænam sit putanda Catholica fides, & in Sanctorum cultu pia traditio. num ea, quam sanctissimi Episcopi, sequentibus signis, Dei testificatione, docebant: an quam in demolitione Martyrum sepulchrorum, in eâdem Insulâ (proh dolor!) fex hæreticorum, hodie vi armorum & carnificina Sanctorum extorquet?* Si dura hæc increpatio est, ferenda sanè patienter eminentissimi Scriptoris ferula: quia videt ætas nostra homines, qui non solum in sanctos pugnant, eorum imagines & sepulchra temerant, reliquias dehonestant: sed tuentur se, & probant factum suum authoritate primorum Britannorum: & Germani scilicet & Lupi, qui ita Insulam docuerunt. Quo nescio quid dici possit à veritate alienius. Et tamen hoc affirmare debent, quotquot à Gregorio & Augustino, ad prima Britannorum sæcula provocant; & non veritatis eruendæ, sed protrahendæ factionis studio, Germanum, præ Augustino, vocant Apostolum.

GERMANUS PULVEREM COLLIGIT EX LOCO MARTYRII S. ALBANI.

Beda l. 1. c. 18. Baron. hic.

XXIV. GERMANI CAPSULA IMPERATRICI DATUR GALLÆ PLACIDIÆ.

Germani capsulam, novis Albani Martyris reliquiis refertam, eo mortuo, Gallæ Placidiæ Augustæ, Valentiniani Imp. matri cessisse, ita refert Constantius. *Hæreditas deinceps Germani relicta dividitur. partem præsumit imperium, partem vendicant Sacerdotes; & quod fieri de opibus solet, nascitur de exiguitate contentio, dum deest quod cupiunt. Solius benedictionis hæres CAPSVLAM CVM RELIQVIIS SANCTIS REGINA SVSCEPIT.* illam nimirum quam hoc anno Germanus, massâ sacri pulveris implevit. Hanc sectarii nostri destruxissent. Sed servavit ut vides, & coluit Fides Regia. nam à Gallâ Placidiâ, in Theophaniam Augustam, inde Coloniam transisse creditur. de quo suprà anno 287. n. 14. Vide quæ * suprà diximus, de Germani pietate in S. Albanum, studioq́ue proferendi cultum ejus. Et verò mansit hic cultus, promissusq́ue est ad plura deinceps sæcula. nam post annum Christi 1090. de Richardo Abbate Albanensi hæc legunt: *Iste Abbas fecit thecam unam, quam feretrum appellamus, aureis imaginibus redimitam: in qua reconditæ duodecim Apostolorum reliquias, & Martyrum plurimorum, quas S. Germanus Altisiodorensis Præsul in sepulchro S. Albani reverenter collocavit.* Mat. Parisien. in Abbate XV. nunc ad eum, è Verolamiensi Synodo loquentem docentemq́ue redeo.

* An. 287. n. 13.

XXV. QUINAM FUERINT IN SYNODO PELAGIANI?

Quinam illi fuerint, qui teste Constantio, Pelagianum errorem in Synodo primò defensarint, mox divinis & humanis argumentis victi manus veritati dederint, pretium operæ est explorare. Qui * suprà dixerunt Agricolam hæresi infectum conatum quoque esse provinciales inficere, ac eundem esse eum Leporio: hic debent asserere, illum errorem in Synodo posuisse. Nam constat Leporium postea, tam sermone, quàm scriptis literis egregiè errorem ejurasse: Gennadius, aliique Authores, ipsum à Gallicanis Doctoribus emendatum disertè affirmant. Quod si verum est, debuit è Britanniâ postmodum in Africam solvere: & ibi pleniùs palinodiam canere. Ita enim Gennadius scribit. *Leporius ipse adhuc Monachus, postea Presbyter, præsumens de puritate*

* An. 419. 5.

LEPORIUS AGRICOLA.

Gennadius in Lepor.

vita, quam arbitrio tantum & conatu proprio, non Dei se adjutorio obtinuisse credebat; Pelagianum dogma caperat sequi: sed à Gallicanis Doctoribus, & in Africâ per Augustinum emendatus, scripsit emendationis sua libellum: in quo & satisfacit de errore, & gratias agit de emendatione. Quinam fuerint Gallicani Doctores Gennadius non explicat. Unde suspicio est Cassianum potiùs intelligi, qui scribit se Leporium monuisse, ipsum in Africâ conversum, inde ac provinciales suos dedisse literas, unde etiam suspicio falli eos qui Leporium cum Agricola confundunt: tamen in eorum gratiam, accipe Lector, quæ de Leporio scribit Cassianus.

XXVI. *Cassia. l. 1. de Incarn. c. 4.*

Leporius tunc Monachus, modo Presbyter; qui ex Pelagii institutione, vel potiùs pravitate descendens, apud Gallias assertor prædicta hæreseos, aut inter primos, ant inter maximos, à nobis admonitus, à Deo emendatus, ita malè conceptam persuasionem magnificè condemnavit; ut non minùs penè admiranda sit correctio illius, quàm illæsa multorum fides. Quia primum est errorem penitùs non incurrere: secundùm benè repudiare. Is ergo in se reversus, non solùm in Africâ, ubi tunc erat, atque nunc est. sed etiam ad omnes admodum Gallia civitates flebiles confessionis ac planctus sui literas dedit. Scilicet, ut ibi deviatio ejus priùs cognita erat; illic etiam emendatio nosceretur: & qui testes erroris antea fuerant; iidem postea correctionis essent. Ex cujus confessione, vel potiùs deploratione, nonnulla inserenda existimavimus, duplici ex causa. Vt correctio eorum, & nobis testimonio, & his qui nutant exemplo esset: quorumq; errorem sequi non erubuissent, eorum emendationem sequi non erubescerent. Ac sicut simili ægritudine infirmarentur; ita simili remedio sanarentur. Is ergo agnitâ opinionis suæ perversitate, & inspectâ fidei luce, scribens ad Episcopos Gallicanos, ita exorsus est.

XXVII. Leporii literæ.

Quid in me primùm, ô Domini mei venerandi, ac beatissimi Sacerdotes, accusem, nescio & quid in me primùm excusem non invenio. Sic imperitia & superbia, sic stulta simplicitas, cum persuasione noxiâ. sic fervor cum intemperantiâ: sic, ut veriùs dicam, cum sui diminutione debilis fides, simul in me omnia recepta viguerunt; ut tot & tantis simul & obedisse confusio; & hæc eadem ab animo potuisse cedere, mihi stupenda gratulatio. Et post pauca subjungit: *si ergo minimè percipientes hanc potentiam Dei, sensu nostro, & propriâ ratione sapientes * quasi in inferiora se Deus agere videatur. Ita hominem cum Deo natum dicamus, ut seorsum quæ Dei sunt, soli Deo demus: & seorsum quæ sunt hominis, soli homini reputemus; quartam manifestissimè introducimus in Trinitate personam; & de uno filio Dei, non unum, sed facere incipimus duos Christos; quod à nobis jam ipse Dominus, & Deus Christus avertat. Ergo confitemur Dominum, ac Deum nostrum IESVM CHRISTVM, unicum filium Dei, qui sibi ante sæcula, natus ex Patre est; nobis à tempore, de Spiritu sancto, & Mariâ semper virgine, factum hominem, Deum natum & confitentes utramque substantiam carnis & Verbi, unum eundemq; Deum, atque hominem inseparabilem semper, pia fidei credulitate suscipimus. Et ex tempore suscepta carnis, sic omnia dicimus, quæ erant Dei, transisse in hominem; ut omnia quæ erant hominis, in Deum venirent. Et hac intelligentia, Verbum factum sit caro; non ut conversione, aut mutabilitate aliquâ cœperit esse, quod non erat: sed ut potentiâ divinæ dispensationis, verbum Patris, nunquam à Patre discedens, homo propriè fieri dignaretur; incarnatusq; sit unigenitus, secreto illo mysterio, quo ipse novit. nostrum namq; est credere, illius nosse. Ac sic ipse Deus, verbum totum suscipiens quod est hominis, homo sit; & adsumptus homo, totum accipiendo quod Dei est, aliud quam Deus esse non possit. Non tamen quia incarnatus dicitur, & immixtus; diminutio ejus est accipienda substantia: Novit enim Deus, sine sui corruptione misceri, & tamen in veritate misceri. novit in se ita suscipere, ut nihil ei crescat augmenti; sicut seipsum totum novit infundere, ut nihil accidat detrimenti. Non ergo ad intelligentiam imbecillitatis nostræ, secundùm experimentorum visibilia documenta, facientes conjecturam, de æqualibus se invicem ingredientibus creaturis, putemus Deum hominemq; commixtum; & tali confusione carnis & verbi, quasi aliquod corpus effectum. Absit ita credere, ut conflatili quodammodo genere, duas naturas in unam redactas arbitremur esse substantiam. Hujusmodi enim commixtio, partis utriusque corruptio est. Deus enim qui * capabilis non capax est; penetrans non penetrabilis; implens non implebilis; qui ubique simul totus est, & ubique diffusus, per infusionem potentia suæ, misericorditer natura est mixtus humana.* Hæc apud Cassianum.

*quasi inferiora.

Eius fidei confessio.

* capax non capabilis.

XXVIII. Nestoriani dogmatis surculus.

Sed quorsum hæc duarum naturarum in Christo impermixta confessio? nimirùm è Pelagiani erroris radice creverat surculus, qui tractu temporis in Nestorianum dogma maturuit: & anno superiore Timotheus, ut suprà vidimus, docere cœperat, Christum quidem verè Deum hominemque esse; sed uniouc hypostaticâ perperam intellectâ; duas naturas in unum confuderat. Hunc errorem doctissimè convellit Leporius; & eleganter etiam Dominicæ incarnationis Sacramentum explicat in sequentibus. *Nascitur ergo,* inquit, *nobis propriè de Spiritu sancto, & Mariâ semper virgine, Deus homo, IESVS CHRISTVS filius Dei. At sic in alterutrum unum fit verbum & caro: ut manente in suâ perfectione naturaliter utrâque substantiâ; sine sui præjudicio, & humanitati divina communicent, & divinitati humana participent, nec alter Deus, alter homo, sed idem ipse Deus qui & homo, & vicissim homo, qui & Deus, IESVS CHRISTVS, unus Dei filius nuncupetur, & verè sit. Et ideo id agendum nobis semper est, & credendum; ut Dominum nostrum IESVM CHRISTVM, filium Dei, Deum verum, quem cum Patre semper & æqualem Patri, ante sæcula confitemur; eundem à tempore suscepta carnis, factum Deum-hominem non negemus. Nec quasi per gradus & tempora proficientem, alterius status fuisse resurrectionem credamus, alterius post resurrectionem, sed ejusdem semper plenitudinis, atque virtutis.* Et paulò post. *Sed quia,* inquit, *verbum Deus in hominem, dignanter hominem suscipiendo descendit; & per susceptionem Dei, homo ascendit in verbum; totus Deus verbum factus est totus homo. Non enim Deus Pater homo factus est, nec Spiritus sanctus; sed unigenitus Patris, ideoq; una persona accipienda est carnis & verbi. Vt fideliter, sine ulla dubitatione credamus; unum eundemq; Dei filium inseparabilem semper geminæ substantia, etiam gigantem nominatum in diebus carnis suæ; & verè semper omnia gessisse, quæ sunt hominis; & verè semper possedisse quæ Dei sunt. Quoniam & si crucifixus est ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei.* Hactenus Leporii confessio.

Lepor. apud Cass. sup.

XXIX. Cur parva gratiæ mentio, in Leporii confessione.

Tacuit Cassianus ea omnia, quæ de divinâ gratiâ faciebant; quia ipsemet scrupulosè de illâ sentiebat. Verùm certum omnino est Leporium plenissimè fidem professum esse: nam omnis Occidens, & illi qui maximè pugnaverunt in Pelagium, Leporii liteeas & confessionem probaverunt.

Quod

Cassianus de incar. l. 2. c. 6.

Quod & testatur Cassianus. *Hanc ergo*, inquit, *ejus confessionem; id est Catholicorum omnium fidem; & omnes Africani Episcopi. Vnde scribebat; & omnes Gallicani ad quos scribebat, comprobaverunt. neque ullus adhuc omnino extitit, cui fides hæc, sine infidelitatis crimine displiceret: quia professio impietatis est, probatam negare pietatem.* Hæc ille. quæ nolui omittere occasione Verolamiensis Synodi: ubi Germano & Lupo docentibus, Britanni qui erraverant, ad Ecclesiæ gremium reducti sunt; & evómuerunt ea omnia, quæ sive de arbitrii libertate, sive de mysterio Christi-hominis, incautè hauserant. Quod ægrè ferens humani generis hostis, magno conatu in Germanum surrexit, varioque caso nisus est elevare opinionem sanctitatis ejus. Audi Constantium narrantem, quid illi acciderit postquam Verolamio discesserat: sed necdum è Britanniâ.

XXX. *Constantius in vita S. Germani.*

DÆMONIS INSIDIÆ IN S. GERMANUM.

Inde dum redeunt; insidiator inimicus casualibus laqueis præparatis, Germani pedem lapsu occasione contrivit: ignorans, illius merita, sicut Iob beatissimi, afflictione corporis propagandâ. Et dum aliquamdiu, uno in loco infirmitatis necessitate constringitur; in viciniâ, quâ manebat, casuale exarsit incendium, quod consumptis domibus, quæ illic palustri arundine tegebantur, ad habitaculum in quo idem jacebat, flabris stimulantibus ferebatur. Concursus omnium ad Antistitem convolavit; ut elevatus manibus periculum, quod imminebat, evaderet. Qui omnibus increpatis, moveri se fidei præsumptione, non passus est. Multitudo omnis desperatione perterrita, obviam occurrit incendio: sed ut potentia manifestior appareret, quicquid custodire tentaverat turba, consumitur: quod verò jacens & infirmus defenderat, reservatur. Hospitium sancti viri expavescens flamma transilivit, ultra citraque desæviens; & inter globos flammantis incendii, incolume tabernaculum, quod habitator inclusus servabat, emicuit. Exultat turba miraculo, & victam se divinis virtutibus gratulatur. Excubabat diebus ac noctibus ante tugurium pauperis, turba sine numero; hi animas curare cupientes, hi corpora, referri nequeunt, quæ Christus operabatur in famulo, qui virtutes faciebat infirmus: & cum debilitati sua, remedii nihil afferri pateretur; quadam nocte candentem niveis vestibus vidit sibi adesse personam, quæ manu extensâ, jacentem videretur attollere, eumq; consistere firmis vestigiis imperabat. Post quam horam, ita fugatis doloribus recepit pristinam sanitatem; ut die reddito, itineris laborem subiret intrepidus.

MIRABILITER CURATUR.

XXXI. PATRICIUS GERMANI DISCIPULUS. *Capgra. in Patric.*

Inter eos, qui ad Germanum ventitabant, & excubabant ante tugurium ejus, unus instar multorum nominatur, S. Patricius, qui magno perfectioris vitæ studio æstuans, cælesti dudum oraculo, ad Hiberniæ conversionem invitatus est. Cogitavérat ille *terram exire* (inquit Author vitæ apud Capgravium) *ut Scripturas disceret sanctas.* Sciebat enim vir animi perspicacis, Scripturæ sensum, non proprio ingenio; sed altiore mente, sensuque, & data per manus Traditione, eruendum; nisi velis in certas errorum syrtes incidere. Sed viso cognitoque S. Germano, quem varia miracula illustrem fecerant, & Gallicana Synodus, summique Pontificis authoritas, Doctorem & Apostolum consecrarant, illi adhæsit. Quid ab illo Patricius didicerit; quid etiam, illo monitore, fecerit, infrà dicendum. Nam ut è Probo, apud Bedam, colligitur; diu apud Germanum, & in Galliâ etiam, mansit Patricius. Nunc quia barbari canunt in Britanniâ classicum, & coalescentem fidei pacem bello morantur, eò eundum. Picti, qui ultra murum erant, invocato Saxone, Britannos aggrediuntur: sed turpiter victi, & Germani voce prostrati; luculenter ostenderunt, diabolo fortiores esse sanctorum preces. Quod ad tempus spectat, quia Constantius, Beda, & Baronius, illud superioribus adnectunt, puto ad primum id Germani adventum referendum. nam iterum ad nos Germanum rediisse dicam inferiùs. Quare opinor bellum hoc evenisse, hoc eodem anno, statim à Doctorum ingressu. Ingressi sunt autem hyemali tempore, ut innuit Constantius: & sub veris initium Picti tumultuantur. Cæterùm quod Authores plurimi hanc Saxonum irruptionem, & Germani de illis mirabilem triumphum, ponant ad annum Christi 458. eo anno probabitur esse figmentum. nunc me Picti vocant, quos non armis, sed divina virtute fugavit Germanus, ut patet è sequentibus.

PICTORUM INCURSUS ET SAXONUM.

XXXII. *Constantius in vita.*

A GERMANO OPPRIMITUR.

Interea Saxones, Pictiq; bellum adversus Britones, junctis viribus susceperunt, quos eadem necessitas in castra constrinxerat. Et cum trepidi partes suas penè impares judicarent, sanctorum Antistitum auxilium petierunt. Qui promissum maturantes adventum, tantum securitatis, & fiduciæ contulerunt; ut accessisse maximus crederetur exercitus. Itaque Apostolicis ducibus Christus militabat in castris. Aderant etiam quadragesimæ venerabiles dies, quos religiosiores reddebat præsentia Sacerdotum; in tantum, ut quotidianis prædicationibus instituti, certatim ad gratiam baptismatis convolarent. Nam maxima exercitus multitudo undam lavacri salutaris expetiit. Ecclesia ad diem Resurrectionis Dominicæ componitur, & in expeditione campestri, instar civitatis aptatur. Madidus baptismate procedit exercitus, fides fervet in populo, & contempto armorum præsidio, divinitatis expectatur auxilium. Interea hæc institutio, vel forma castrorum hostibus nuntiatur; qui victoriam quasi de inermi exercitu præsumentes, assumptâ alacritate, festinant; quorum tamen adventus exploratione cognoscitur. Cumq; emensâ solemnitate Paschali, recens de lavacro major pars exercitus, arma capere, & bellum parare tentaret; Germanus se belli ducem profitetur. Eligit expeditos, circumjecta percurrit: & è regione, quâ hostium sperabatur adventus, vallem circundatam editis montibus intuetur. Quo in loco, novum componit exercitum, ipse dux agminis. Et jam aderat ferox hostium multitudo; quam appropinquare intuebantur in insidiis constituti. Cum subitò Germanus signifer, universos admonet, & prædicit, ut voci suæ uno clamore respondeant: securisq; hostibus, qui se insperatos adesse confiderent, ALLELVIA, tertiò repetitum Sacerdotes inclamant. Sequitur una vox, & elevatum clamorem repercusso aëre, montium inclusa multiplicant. Hostile agmen terrore prosternitur: & ruisse super se non solum rupes circundatas, verùm etiam ipsam cæli machinam contremiscunt: trepidationiq; injectæ vix sufficere pedum pernicitas credebatur. Passim fugiunt, arma projiciunt, gaudentes vel nuda corpora eripuisse discrimini. Plures etiam timore præcipites; flumen quod sensim venientes transierant devoravit. Vltionem suam innocens intuetur exercitus, & victoriæ præstitæ otiosus spectator efficitur. Spolia colliguntur exposita, & prædam cælestis victoriæ miles religiosus adipiscitur. Triumphant Pontifices, hostibus fusis sine sanguine: triumphant victoria, fide obtenta, non viribus: Compositâ itaque opulentissimâ Insulâ securitate multiplici, superatisq; hostibus, vel spiritualibus, vel carne conspicuis; quippe qui vicissent Pelagianistas & Saxones: cum totius mœrore regionis reditum moliuntur. Sunt

qui putent hæc omnia contigisse in agro Hintensi, ad oppidum Mold, ubi campus à S. Germano nomen retinens, Maes Garmon dicitur. Ibi Alenus fluvius, quem hostis transierat, eundem redeuntem potuit haurire. Quod ideo probabiliter affirmatur; quia non procul est Vergivium mare. unde Saxo Pictusque potuit descendere. Cæterùm ad victoriam hanc mirabilem allusisse postmodum videtur M. Gregorius, illa Jobi verba exponens: *Cardines quoque maris operiet*: nam ita scribit: *Omnipotens Dominus coruscantibus nubibus cardines maris operuit: quia emicantibus prædicatorum miraculis, ad fidem etiam terminos mundi perduxit. Ecce enim penè cunctarum jam gentium corda penetravit. Ecce in una fide, Orientis limitem, Occidentisq; conjunxit. Ecce lingua Britanniæ, quæ nihil aliud noverat, quàm barbarum frendere, jamdudum in divinis laudibus hebræum cœpit Alleluia resonare. Ecce quondam tumidus, jam substratus sanctorum pedibus servit Oceanus; ejusq; barbaros motus, quos terreni principes edomare ferro nequiverant, hos pro divinâ formidine Sacerdotum ora simplicibus verbis ligant. & qui catervas pugnantium infidelis nequaquam metuerat; jam nunc fidelis humilium linguas timet. Quia enim perceptis cælestibus verbis, clarescentibus quoque miraculis virtus ei divinæ cognitionis infunditur, ejusdem divinitatis terrore refrenatur; ut pravè agere metuat, ac totis desideriis ad æternitatis gratiam pervenire concupiscat.* Hæc ille. Quæ Beda quidem ad Augustini tempora, & Saxonum conversionem refert. Sed quia liber moralium priùs à Gregorio scriptus est, quàm Augustinus ab eo missus in Britanniam; melius in Germanum, & in hujus anni factum cadunt. nunc ad Constantium redeo. nam temporis ratio, & rerum hoc anno gestarum infrà firmabitur. an 458. n. 2.

Iob. 36.
Grego. l. 27 Moral. c. 6.

XXXIII. Quamdiu Germanus in Insula mansit?

Ex postrema ejus clausula colligere est Germanum & socios; qui sub principium hujus anni in Britanniam venerant; eodem exeunte, discessisse. Quod ideo advertendum est; ut Authores corrigantur, qui nullâ temporis habitâ ratione, aiunt Patricium nostrum, apud Germanum hæsisse annos plurimos. Ita erràvit Scriptor vitæ ejus apud Capgravium, dum inquit. *Patricius cogitavit terram exire, ut Scripturas disceret sanctas. & pervenit ad S. Germanum Antisiodorensem Episcopum, & apud illum quadraginta annis, legens & implens Scripturas divinas, & virgo corpore permansit & spiritu: & postea ad B. Martinum veniens quadraginta diebus cum illo mansit.* Hæc omnia procul historicâ veritate sunt. Nec enim S. Patricius manere potuit annos quadraginta apud Germanum Episcopum; qui tantum triginta annos Episcopus fuit. Nec etiam potuit Martinum sanctum viventem invisere, post annum hunc, qui ante annos viginti sex probatur mortuus. Minùs ergo erraverunt; erraverunt tamen, Authores Glastoniensium Antiquitatum qui scribunt. *Patritium S. Germanus ad familiare ascivit contubernium; cujus discipulatus, duobusdeviginti annis, non segniter insudans Patricius, Scripturarum divinarum lectione quicquid deerat, plenitudini adjecit scientiæ.* Jocelinus etiam octodecim annos numerat convictus cum Germano: sed verius, S. Patricium vix unius anni spatio, sive in Britanniâ sive in Galliâ, Germanum magistrum audivisse: quia sequenti anno Romam perget; tum à Cælestino Papa Episcopus consecrabitur & Hiberniæ Apostolus. Quod priusquam aggrediar, sanctissimos hospites Germanum & Lupum in Gallias reducam: monito obiter Lectore, tutelares Britanniæ Sanctos, & nominatim Albanum Protomartyrem, præstitæ Britannis humanitatis officium, fælicissimâ navigatione compensasse. Quo scirent posteri à Deo probari Sanctorum cultum, eorumque patrocinia viventibus prodesse. Ita enim loquitur Constantius. *Tranquillam navigationem merita propria & intercessio Albani Martyris paraverunt; quietosq; Antistites suorum desideriis felix carina restituit.*

Apud Capgrav. in Patricio.
Antiq. Glaston.
Ioceli. c. 22.

Sanctorum patrocinio redeunt Germanus et Lupus.
Constant. sup.

XXXIV. Quid a Germano didicerit Patricius?

Germanum in Gallias revertentem comitatus est S. Patricius; qui sine dubio multa didicit ab eo tam doctrinæ capita, quàm virtutum exempla. Vix aliud tamen memoriæ proditur, quàm quòd didicerit Hiberniæ Apostolatum non aliunde, quàm à Romanâ Sede, petendum esse. Sacerdotium illi Germanus, Martinus Turonensis avunculus olim Monachi vestem contulerat, teste Jocelino. Sed missionem ad Hibernos dare Roma debuit. Nam omnem Ecclesiarum curam ac solicitudinem penes illam Ecclesiam esse testatur hoc anno ipse Cælestinus, dum ad Episcopos Apuliæ & Calabriæ Epistolam dictans, illos officii monuit, legem dixit, & Apostolicæ Sedis censuram comminatus est. Nuper enim in regionibus illis assumpti fuerant aliqui, è laicorum ordine, ad majus Sacerdotium: Et cum Roma hujuscemodi morem non probasset, responderat Clerus; secutum se populi suffragia, qui tales postulasset. Ideo scripsit Cælestinus ita: *Docendus est populus non sequendus: Nosq; (si nesciunt) eos quid liceat, quidve non liceat commonere, non his consensum præbere debemus. Quisquis verò conatus fuerit tentare prohibita, sentiet censuram Apostolicæ Sedis minimè defuturam. Quæ enim sola admonitionis authoritate non corrigimus; necesse est, per severitatem congruentem, regulis vindicemus.* Hæc ille.

Omnium Ecclesiarum cura penes Ro. Ecclesiam.
Apud Baron. hic.

XXXV. Pontificiæ potestatis argumentum. Nestorius hæresim auspicatur.
Acta Conc. Ephes. to. 1. c. 2.

Sed majus argumentum Apostolicæ pietatis, & imperii, illud est, quod hoc ipso anno, in Oriente gestum legimus à Cælestino; qui ibi in primas Sedes, Alexandrinam, inquam. & Constantinopolitanam, jurisdictionem exercuit. Cum enim Nestorius perfidiæ suæ venena clam spargeret, Cælestinus certior factus, jubet Cyrillum Alexandrinum, in nescio quæ scripta, quæ Nestorii putabantur, diligenter inquirere. Testatur id ipse Cyrillus ad Nestorium ita scribens, inter cætera. *Et quid nunc obsecro consilii capiam; tuam namque hic pietatem appellare compellor; quandoquidem Cælestino religiosissimo Ro. Ecclesiæ Episcopo jubente, cæterisq; piissimis Episcopis, qui ipsi adfuere, ita postulantibus, investigare cogor; chartulæne illæ & exegeses, quæ illuc ad se, nescio quomodo, perlata sunt, à tua pietate; an verò ab alio quopiam profecta sint?* Cælestinus ergo non solum in Occidente, & in Italia suâ; sed in Oriente etiam primatum & principatum exercet. Nihil ergo mirandum, si Patricius è Britannia, Romam vadat, priusquam solvat in Hiberniam. Licet enim è cælo, ut audisti, ad provinciam illam vocatus sit, ut olim gentium Doctor Paulus; debet tamen aliunde missionem accipere. Ite ergo, viri Apostolici; ite, inquam, Romam bonis avibus, Palladi & Patrici: redite in hanc Insulam aucti Sacerdotio; testamini civibus Romanæ Sedis, in omnes Sedes, imperium; & demum domestico argumento, probate antiquam Britannorum fidem, veram, Romanam, & orthodoxam esse: & unà tundite modernam factionem.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1181.

ANNUS CHRISTI 430.

CÆLESTINI PAPÆ 7.

VALENTINIANI IMP. 6.

I. BRITANNIA ET HIBERNIA ROMANÆ SEDI DEBENT FIDEM. V. an 421. 7.

INGREDIOR annum Christi quadringentesimum trigesimum, Theodosio XIII. & Valentiniano III. Coss. in quo, si Gordonium sequimur, Britanni vexati incursionibus Pictorum atque Scotorum misso ab Aetio Gallieno Duce, securitatem nanciscuntur. Verùm tumultus isti, opinor, priores fuere: & non Gallienus aliquis, sed Gallio quidam eos composuit, ut suprà adnotatum est. Sequitur ergo ut dicamus quomodo sanctioribus armis, Roma, & Britanni, in Pictos & Scotos, Palladio Patricioque Ducibus, ac viris Apostolicis, felicissimè pugnaverint. In quo videre est quantum Insula hæc, & vicina nobis Hibernia Romanæ Sedi debeat, pro fidei beneficio. Enimvero si una per eam sanata est; altera ab idolis, ad Christum, surrexit: nónne tibi videbuntur ingrati nepotes; si vel beneficium negent, vel nolint debitum solvere.

II. DE TEMPORE APOSTOLATUS S. PATRICII.

Quod ad tempus Patricii Apostolatus attinet. ut certum est illi præmittendum esse Palladium: ita satis incertum, quo anno utervis ex urbe huc descenderit factus Episcopus. difficultatem parit Scriptorum nostrorum differentia, qui toti in Patricii miraculis enumerandis, vix alia spectasse videntur. Probus apud Bedam, qui fusissimè de Patricio scripsit, tenebras quæstioni huic potiùs, quàm lucem adfert. Dicit imprimis Patricium in Hiberniâ prædicasse, priusquam Româ illuc mitteretur. *Prædicautem, inquit, illum diebus ac noctibus, cum spernerent Insulani, S. Patricius fudit ad Dominum hujusmodi preces. Domine IESV CHRISTE, qui iter meum per Gallias, atque per Italiam, ad has Insulas direxisti; perduc me obsecro ad Sedem S. Romanæ Ecclesiæ; ut accepta inde authoritate prædicandi, cum fiduciâ, verbum tuum; fiant Christiani per me populi Hibernorum. Nec multò post progressus ab Hiberniâ vir Domini Patricius, venit ad caput, ut postularet, omnium Ecclesiarum Romam: ibique benedictione Apostolicâ petitâ, & acceptâ, reversus est itùere, quo venerat illuc!* Hæc ille. De tempore nihil definiens; immò omnem temporis rationem prorsùs evertens atque confundens. dicit enim in sequentibus eum posthæc ad Germanum Antisiodorensis Ecclesiæ Episcopum accessisse: apud ipsum, *non parvo tempore demoratum, in omni subjectione, cum patientiâ, obedientiâ, charitate, castimoniâ, & omni tam spiritu, quam anima munditiâ, virginem mansisse in timore Domini, ac ambulasse in bonitate, & simplicitate cordis omnibus diebus vitæ suæ.* Cæterùm supponit Probus, hoc omni tempore, needum auctum majori Sacerdotio. quod non à Cælestino Papa, sed ab Amatore Episcopo (vel Amathæo, aut Amoto, ut alii) postea suscepit. Hinc ergo nil solidè colligi potest pro anno Apostolatus ejus.

Probus in vita Patricii l. 1.

Apud Usser. fo. 839.

III. QUID DE EO ANTIQUITATES GLASTON.?

Guilielmus Malmesberiensis, & eum secuti Authores Antiquitatum Glastoniensium, Patricii vitam, per annos quidem distinguunt, cæteris accuratius: Hic tamen hallucinari videntur. Scribunt enim. *Patricius jam quadragenariam ætatem egressus; Germano valefaciens, suam præsentiam Romanæ intulit curiæ. Invenitq; gratiam in conspectu Domini Papæ: is erat Cælestinus, à B. Petro 45. Anno Dominicæ Incarnationis 424. Papatum ingressus. Ab eo Patricius Hiberniam, in opus Evangelii missus anno Domini 425. datus est illis Gentibus Doctor & Apostolus.* Hæc inquam annorum ratio constare non potest; quia priùs mitti debet ab Urbe Palladius Episcopus, quàm Patricius Apostolus. Quod non malè Probus observat dicens: *Necdum vir Domini Patricius, ad Pontificalem gradum fuerat promotus: quod ideo nimirum distulerat; quia sciebat quod Palladius Archidiaconus Cælestini Papæ; qui quadragesimus quintus à S. Petro Apostolica Sedi præerat; ordinatus ab eodem Papa directus fuerat ad hanc Insulam sub Brumali rigore positam, convertendam.* Debet ergo Palladius priùs, quàm Patricius, ordinari. Addit Jocelinus quid Patricium ad Romanam profectionem moverit, & cujus illam consilio susceperit. *Sedit animo Patricii,* inquit, *sedem sancti Petri petere in Petra fundatam, & sancta Romana Ecclesia Canonicis institutis uberius imbui, cupiens authoritate Apostolica iter & actus suos roborari. Cum autem quod corde conceperat, enodasset Beato Germano, approbavit sanctum ejus propositum S. Germanus, adjungens ei Christi servum Segetium Presbyterum, itineris socium, laboris solatium, sanctæ conversationis testem idoneum.* Hæc ille ἀχρόνως. benè tamen Apostolicæ vocationis genium reserans. nam Romam adire, Canonicis ibi institutis imbui, inde prædicandi authoritatem petere, Apostolis omni sæculo familiare. Cæterùm quod ad rationem temporis & Apostolatus spectat,

Probus in Patricio.

Iocel. c. 24.

IV. QUID PATRICII SCRIPTUM. Tomo 1 p 3. fo. 793.

Propiùs ad historicam veritatem accedit, ipsius Patricii scriptum, quod & apud Capgravium, & in magnâ Patrum bibliothecâ legitur, sub annum Domini quadringentesimum trigesimum: cum hac epigraphe. *S. PATRICII LEGATIO, à Cælestino primo Papa ad conversionem Hiberniæ directi. sive Epistola S. Patricii, Apostoli Hiberniæ, ex bibliothecâ Monasterii Glastoniæ, in quo ipse Abbas fuit, antequam esset Episcopus Hiberniæ. Fuit autem Romæ, anno Domini CCCCXXX.* Epistolæ exordium est hujusmodi: *IN NOMINE DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI, Ego Patricius humilis servunculus Dei, anno Incarnationis ejusdem 430. in Hiberniam, à sanctissimo Papa Cælestino Legatus, Dei gratiâ Hibernicos ad Fidem Christi converti, &c.* Coegit me aliquando hæc Epistola opinari, S. Patricium hoc anno 430. Romam ivisse, & parem meritis, votoque suo, accepisse Apostolici muneris dignitatem. Poterat enim Germanum in Gallias comitari; ibi avunculi sui Martini sancti tumulum invisere; quod pietatis causâ omnis Gallia factitabat; & deñique cum Germani Apostolici legati literis, Romam ad Cælestinum ire: eodemque anno Hiberniæ Apostolatum accipere. Accedebant huic opinioni notæ Gerardi Vossii, quæ in M. Bibliotheca ponuntur ad calcem Epistolæ S. Patricii in hunc modum: *Hanc Legationis S. Patricii Epistolam ante aliquot annos, inter collectanea Manuscripta Mariani Victorii Episcopi Reatini, piæ memoriæ, reperimus: qui illam dum Reginaldo Polo Cardinali Legato in Angliâ adesset, ex vetustissimo M S. exemplari Bibliothecæ Monasterii Glastoniæ fideliter transcriptam accepit.* Unde vix erat mihi reliquus dubio locus, quin M. S. illud fidem mereretur.

In Biblioth. suprà.

V. PATRICIUS HOC

Verùm re penitiùs inspecta, opinor quidem S. Patricium Romam ivisse hoc anno quadrin-

Anno Romam, sequenti in Hiberniam ivit.

genteſimo trigeſimo, ut præ ſe fert epigraphe, & rerum geſtarum ſeries ſuadet: Sed non eodem anno, ſequenti potius, in Hiberniam diſceſſiſſe, Epiſcopali & Apoſtolicâ dignitate auctum. Nec me movet illa Glaſtonienſis M. S. authoritas, poſteaquam amicorum operâ, nactus ſum ex Cottonianâ Bibliothecâ illuſtriſſimâ M. S. Antiquitatum Glaſtonienſium, itemque Gulielmi Malmeſberienſis, de eâdem re: in quorum utroque reperi, Patricii legationem incidiſſe in annum Chriſti 425. Quod ſi de Apoſtolicâ legatione intelligatur, & Cæleſtini miſſione, certum eſt cum temporis ratione ſtare non poſſe. Adde quòd in magnâ Bibliothecâ pars tantum ponitur, non integra Epiſtola S. Patricii: & quiſquis epigraphen inſcripſit videtur de ſuo addidiſſe, S. Patritium Glaſtonienſem Abbatem fuiſſe, priuſquam eſſet Epiſcopus. Nam infrà conſtabit, ex Malmeſberienſi, & Antiquitatibus Glaſtonienſibus, ſed & ex ipſa Epiſtola S. Patricii, contrarium dicendum eſſe: nimirum ex Hibernia Glaſtoniam profectum, præfectumque Monachis. Cæterùm quod ſpectat ad Patricii Apoſtolatum, neceſſario referendus eſt in annum ſequentem: vel cum Uſſerio quod propè accedit ad an. 432.

Uſſer. fo. 840.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1182.

ANNUS CHRISTI 431.

CÆLESTINI PAPÆ 8.

VALENTINIANI IMP. 7.

I. Synodus Ephesina. Palladii Episcopi missio, et ad quos.

Annus Chriſti quadringenteſimus trigeſimus primus, Epheſinâ Synodo illuſtris, Baſſum & Antiochum Conſules habuit. Tunc Palladius, qui nuper in Britanniam venerat Diaconus, Cæleſtinum oravit ut laborantem Inſulam Pelagianâ hæreſi, avitæ fidei, Doctorum operâ, reſtitueret: ipſe ab eodem Cæleſtino conſecratur Epiſcopus, legaturque ad Scotos alterâ legatione. Et hæc quidem abſque controverſiâ à Proſpero affirmantur, probanturque à Baronio. Quæ quia Patricii legationem præceſſere, ideo Apoſtolatum ejus cogor differre, quicquid Malmeſberienſis aliique affirment. Hic porrò digladiantur Scoti veteres & novi, avidiſſimè arrogantes Palladium Apoſtolum. Hi poſſeſſione nominis, illi prærogativâ temporis. Nec me hic arbitrum interponerem, niſi argumenti ratio urgeret: & niſi peccare viderem aliquos ſuperſtitioſâ in patriam, nimiaque pietate. Scoto-Britanni, pro Palladio pugnant è Proſpero; & ſatis ſtipulatum putant illâ ſententia: *Baſſo & Antiocho Coss. ad Scotos, in Chriſtum credentes, ordinatur à Papa Cæleſtino Palladius, & primus Epiſcopus mittitur.*

Proſper in Chro.

II. Hibernorum argumenta pro Palladio.

Hiberni contra; & Proſpero acquieſcunt, & ſe reverà Scotos eſſe, imo Scotorum parentes, è Beda probant multis in locis, quod nemo certè negare debet. Adde Sigebertum pro illis videri ferre ſententiam, ubi dicit. *Cæleſtinus Papa, ad Scotos in Chriſtum credentes, Palladium mittit primum Epiſcopum: poſt quem ad eoſdem, ab eodem Cæleſtino miſſus eſt S. Patricius genere Brito, filius Conches ſororis S. Martini Turonenſis: qui in baptiſmo quidem dictus eſt Suchat, à S. Germano Magonius, à Cæleſtino verò Patricius: à quo Archiepiſcopus Scotorum ordinatus, per ſexaginta annos ſignis, ſanctitate, doctrina excellens, totam Inſulam Hiberniam convertit ad Chriſtum.* Itaque ſi eodem miſſi ſunt Palladius atque Patricius: conſtet autem Patricium miſſum in Hiberniam; debet pariter conſtare, eodem legatum eſſe Palladium. Candidus Eblanius citat in hanc rem Manuſcriptum codicem Duacenſem, ubi ita legitur in vita S. Patricii. *Palladius ergo in terram Scotorum intrans, Lagenenſium ad fines pervenit. Laginia autem Hibernia pars eſt, non Scoto-Britannia.* Ita illi pro Palladio diſputant, non ſanè improbabiliter: niſi quod dum plura in rem ſuam coacervant argumenta, peccant interdum non laudabili impetu; aſſerentes nullos hoc tempore Scotos in Britanniâ fuiſſe.

Sigebert. in Chro. an. 432.

Apud Eblan. in contr. c. 4.

III. Palladius ad Scoto-Britannos et Hibernos mittitur.

Ego, quod ad Palladium ſpectat, ſic arbitror. Miſſus eſt ille, à Cæleſtino Papa, in Inſulam Britanniæ, ad Septentrionalem ejus partem; ubi Scoti jam ſedem fixerant: ita tamen, ut omnium Scotorum, etiam qui extra Britanniam erant, ſe intellexerit Apoſtolum. Multa me ducunt in opinionem hanc; ſed nihil magis quàm authoritas Proſperi, qui res ſui temporis, & quas præ oculis manibusque habebat, poſteritati tradidit. Ille ergo cum dicat Palladium miſſum eſſe ad Scotos, in Chriſtum credentes: quis eſt, qui contendit miſſum tantummodo eſſe ad Scotos non credentes? aut quis affirmabit Hibernos Chriſto credidiſſe; qui legit ubique Patricium vocari Hiberniæ Apoſtolum *qui primus ibi Chriſtum prædicavit?* Immo veniente Patricio, tam infidelis erat Inſula, ut in eum ſurrexerint multi, conatique ſint eum ejicere, ut dicetur. Cæterùm de Britanno-Scotis, hoc dici non poteſt, cum ſuprà Donaldi Principis, & Crathlinti Pictorumque converſionem, qui jam Scotis mixti erant, probaverim; & vivat adhuc Ninianus, qui dudum Romà venerat, miſſus ad Pictos, Candidæ Caſæ Epiſcopus: cujus fortè procuratione, quia inde cæleſtii opera, Pelagiana hæreſis ceperat, motus fuit Ro. Pontifex, ante duos annos, Palladium Diaconum mittere: qui jam majore auctus Sacerdotio, ad eoſdem remittitur; ampliatâ veroſimiliter provinciâ, ut non ſolum credentes in fide confirmaret; ſed etiam non credentes ad fidem per ſe aliosque alliceret. Sic Proſperi ſententia meliùs intelligitur, Cæleſtini induſtriam laudantis, quod non ſolum Romanam cultamque provinciam, ſed aliam quoque incultam & barbaram hac legatione compoſuerit, ita inquiens: *Nec verò ſegniore cura Cæleſtinus, à Pelagii morbo, Britannias liberavit: quando quoſdam inimicos gratiæ, ſolum ſuæ originis occupantes,* (Scotos intelligit, unde teſte Hieronymo, Cæleſtius) *etiam ab illo ſecreto excluſit Oceani* (alludit ad illud: *toto diviſos orbe Britannos*) *& ordinato Scotis Epiſcopo; dum Romanam Inſulam ſtudet ſervare Catholicam, fecit etiam barbaram Chriſtianam.* Quibus verbis probat non minùs Britannias, quàm Italiam, Cæleſtino pro fidei beneficio obnoxias: cur ergo Hiberniæ faceret mentionem? aut illi Inſulæ Palladium Epiſcopum ordinaret, quæ necdum in Chriſtum credidit: & Palladium Diaconum noluit admittere; ſi Probus infrà probè ſcripſit.

Proſper adv. Collat. fine.

IV. Quo ivit Palladius.

Itaque hæc ultima Palladii expeditio ejuſmodi fuit. Deſcendit primùm, juſſu Cæleſtini, in Britanniam: inde per Pictorum provinciam ad

ulteriores

ulteriores Scotos proficiscitur: demum, intellecto ibi Scotorum nobilissimos, in vicinâ Insulâ, quæ adhuc idolis serviebat, sedem habere: eò trajiciendi, fidemque Christianam ibi seminandi consilium habuit; gnarus se ad omnes Scotos legatum. Unde stare potest, quod à quibusdam dicitur, missum eum à Cælestino Papa in Hiberniam. Sed morte præventum, nihil ibidem præstitisse. Ita Nennius. Sunt etiam alii qui asserunt eum in Hiberniam trajecisse. Sic Probus in vita Patricii. *Palladius*, inquit, *ordinatus à Cælestino Papâ, directus est in hanc Insulam, sub brumali rigore positam, convertendam. Sed prohibuit eum Deus convertere gentem illam: quia nemo potest accipere quicquam in terrâ, nisi datum fuerit ei de cælo. Immites enim, & feri homines recipere nolebant doctrinam ejus: neque ipse longum voluit transigere tempus in terrâ non suâ: sed reverti disposuit ad eum qui misit illum. Cumque aggressus Palladius mare transmeasset, & ad fines Pictorum pervenisset, ibidem vita decessit.* Jocelinus etiam Hibernos *obstinatissimè* palladio restitisse affirmat: Sed alii communiùs, Palladium putant Hiberniam Insulam nunquam vidisse. quod Patricii Apostolatus ferè significat. Nec multum moveor Duacensi M. S. ubi Candidus Eblanius legit. *Palladius in terram Scotorum intrans, Laginensium ad fines pervenit.* ad quæ verba sic scribit Candidus: *In Lageniâ certè me editum glorior: cum tamen Albiensis Scotus non habeat.* Enimvero suspicari me facit hæc gloriatio, amorque in Laginiam; vel titubasse oculum, in Codicis lectione; vel dubiam literam traxisse in partem, & patriam suam. Legerem ergo sic: *Palladius in terram Scotorum intrans, Landenensium ad fines pervenit.* Sunt autem Ladeni, quos inversa literâ, Ptolomæus Gadenos vocavit, Northumbriæ vicinus populus, in illis regionibus habitans, quæ hodie Lauden, Merchia, & Teysi-vallis dicuntur; ubi Picti hoc tempore morabantur. Nam Lauden Pictis abundasse certum est, ex antiquâ provinciæ illis appellatione, quâ Pictlandia vulgò dicebatur; & illac transire Palladium necessum erat, ut ad Scotos perveniret.

Probus in vita S. Patricii l. 1.

Num in Hiberniam.

M. S. Duacen. in vita Patricii.

Candid. in controv. M. S. c. 4.

V. Firmantur supra dicta. Servanus atque Tervanus Britanni Doctores.

Cent. 5. c. 10. fo. 1490.

Servanus Orcadum Apostolus.

Tervanus Pictorum.

Leslæus l. 4. de reb. gestis Scotorum.

Quod prior, potiorque cura Palladio fuerit, Scoto-Britannorum, quam Hibernorum instructio, non leve argumentum est, Palladii discipuli Servanus atque Tervanus, inter Britanniæ Doctores numerari: quorum ille, ad Orcades; iste, ad Pictos missus est. Ita de Servano scribunt Magdeburgenses: *Palladio in Scotiam misso, Servanus sese conjunxit; ejusq́ vestigiis firmiter adhæsit, ac causam Evangelii & propagandæ doctrinæ, cum eodem promovit. A quo, cum ejus ipsi doctrina & sanctimonia innotuisset; tandem ad Orcades missus est Apostolus; ut Insulanos illos Christianæ religionis cultum doceret; id quod studiosè fecit; & nomen sibi inde etiam comparavit, ut Orcadum primus dicatur Apostolus.* Hæc illi; quæ ad hunc annum referenda sunt; sicut & illa quæ iidem Authores subdunt de Tervano: nimirum quod Servani socius, Palladii discipulus, & demum ab eo ad Pictos missus fuerit Apostolus: *Ut pius*, inquiunt, *Ninianus Domini vineæ plantationes rigaret. Inde Ninianus fuisse successor videri potest.* Ita illi: & optimè hæc cadunt in calculum nostrum; qui sequenti anno, Ninianum, Candidæ Casæ Episcopum, cælo donabimus. De utroque Palladii discipulo hæc habet Leslæus: *Palladium Servanum Episcopatus authoritate cumulatum, ad Orchades Insulas, ut gentem ibi rudem & barbaram fide Christianâ imbueret, allegavit: & Tervanum quoque Pictorum Archiepiscopum creavit. In quibus locis, ii duo tanto religionis pietatisq́ proferendæ studio, officii sui partes cumulatè expleverunt; partim hæresim Pelagianam & Insulanorum animis evellendo; partim religionis puritatem illorum jam purgatis animis instillando: ut meritò hic Pictorum, ille Orchadum Apostolus postea censeretur.* Ita ille. Addit Thomas Dempsterus, Tervanum Abernethiæ, quæ Pictorum erat Regia, obiisse; reliquias ejus ibi conditas; & templum Cathedrale ei dicatum. Servanum, Orcadum quidem Ecclesiam & Episcopalem sedem fundasse: alium tamen, eo priorem, fidei rudimenta porrexisse: qui Serfus dicebatur: *Qui ex Culdæorum grege*, inquit, *Episcopus electus; aliquid magni animo agitans; Orchades nondum fidei luce illustratos adierit; & verbum vitæ rudibus illis gentibus nuntiaverit: ut hic primus Orchadum Apostolus, S. Servanus secundus dici possit.* Sed certis incerta miscenda non sunt, præsertim cum agitur de Apostoli dignitate. Opinor igitur unum eundemque esse Serfum & Servanum. ut suprà etiam Niniam, & Ninianum diximus. præsertim cum v consonans litera, ejusdem ferè cum f potestatis sit, ut ante me observavit Usserius in primordiis Britan. Ecclesiarum c. 15.

Dempster l. 10. histo. Eccles.

Usser. fo. 673.

VI. Palladius moritur, et quando?

Usser. in prim. c. 17. fo. 840.

Martyr. Anglic. ad 27. Januarii.

Beda l. 1. c. 13.

Baron. an. 429.

Bedæ locus a Baronio correctus illustratur.

An. 408. 1 & 423. 1.

Cum Palladius è Romani Pontificis imperio missus, plures ad fidem convertisset in Septentrionali Britannia; cum alios in suscepta dudum fide solidasset; cum Ecclesias composuisset, ordinassetque Episcopos; hoc eodem anno mercedem laboris recepturus, migravit è vita (XVIII. Kal. Januarii desinentis anni, ut vult Usserius) meruitque locum in nostro Martyrologio. Quod ad annum spectat, dicendum est, eo anno mortuum esse, quo factus est Episcopus: & annum illum satis apertè indicat Beda noster, dum ait: *Anno Dominicæ Incarnationis 423. Theodosius Junior post Honorium, quadragesimus quintus ab Augusto, regnum suscipiens, viginti & septem annis tenuit, cujus anno imperii octavo, Palladius ad Scotos in Christum credentes, à Pontifice Romanæ Ecclesiæ Cælestino, primus mittitur Episcopus.* Hæc temporis supputatio, nescio quorsum Baronio displicuerit: scribit enim: *Quod ad Palladium Diaconum spectat, ex Prospero corrigendus est Beda, dum ait: Anno octavò imperii Theodosii Junioris, missum esse Palladium, à Cælestino Romano Pontifice. Nam Pontificatus ipsius Cælestini ab eo tempore, post annos octo contigit, nempe decimo sexto ejusdem Imperatoris.* Verùm, non dicit Beda absolutè & simpliciter, anno octavo imperii Theodosiani, missum esse Palladium: sed præmittit Theodosium, anno Domini 423. post Honorium, regnum suscepisse; ac octavo post anno missum esse Palladium. quod verum est, & Baronius ipse fatetur. Cæterùm auspicatur Beda Theodosii imperium, non à morte parentis Arcadii; nimirùm ab anno 408. Quia tunc octennis tantum puer, Theodosius; & sub curatore erat, Persarum Rege Isdegerde. Numerat ergo exordium Imperii à morte Honorii patrui: nimirum ab anno Domini 423. ut ipse se explicat, & suprà monui: cui anno si addideris octo, habes hunc annum 431. Quem, è Prospero, Beda fideliter collegit, nec indiget correctione. Nunc alteram Cælestini legationem explicemus. nam infrà dicam, utrum Palladius, græcus homo, Britanniam docuerit Asiaticos ritus, & modum Heteroclitum celebrandi

Paschatis.

Paſchatis. Cùm hæc de Palladio ſcripſiſſem, incidi in Uſſerium Armachanum, qui idem argumentum tractans, diverſimodè philoſophatur: negat imprimis * duas Palladii miſſiones fuiſſe, ſed unam tantummodò; nimirum cum hoc anno ordinatur Epiſcopus. Iterum multis contendit, eum non in Britanniam, ſeu ad Scoto-Britannos, ſed in Hiberniam miſſum eſſe. Denique conatur Lectori perſuadere, Palladium non fuiſſe primum Scotorum Epiſcopum, cum alii præceſſerint, etiam à Ro. Pontifice conſecrati miſſique. Sed quia ſtatui à communi receptaque ſententiâ non diſcedere, quæ dudum dictavit Patricium Hiberniæ primum Apoſtolum, & ſecundum ad Scotos miſſum Româ Epiſcopum: nolo hic Uſſerium ſequi. nam ut ab ultimo incipiam: quis facilè credet, ſanctos Piranum, Declanum, & Albeum ſive Ælbeum, Romæ multos annos ſtuduiſſe, ibi Romanum Eccleſiæ morem didiciſſe, & à Ro. Epiſcopo, Epiſcopos ordinatos, miſſoſque inde in Hiberniam, priuſquam aut Palladius ad Scotos, aut Patricius ad Hibernos mitteretur? Iterum quis credet tres illos, & Ibarum quoque ſanctum Epiſcopum, qui innumeros converterat, Patricio poſtea miſſo, in Apoſtolico munere reſtitiſſe primùm, quia nimirum nolebat Patronum Hiberniæ, de alia gente habere; Patricius enim de gente Britonum natus erat, ut habet Author vitæ Declani apud Uſſer. ſo. 801. & inde faſces eidem ſubmiſiſſe? nemo certè qui Patricii vitam ab antiquiſſimo Probo, Jocelino, aliiſque emendatioribus ſcriptam legerit. Cur ergo à Proſpero, Bedaque diſcedam, qui disertè affirmant, Palladium ad Scotos miſſum, PRIMUM EPISCOPUM: præſertim ſi Palladius in Hiberniam (ut ille contendit) & non in Britanniam mittitur. Porrò cùm conſtet hoc tempore Hiberniæ Inſulam infidelem adhuc eſſe: cum conſtet etiam Ro. Martyrologium, quotannis canere memoriam Patricii, *Qui primum in Hibernia Christum Evangelizavit*: Iterum cum Proſper & Beda doceant Palladium, ante Patricium ad *Scotos in Christum credentes* miſſum eſſe: & mihi, & aliis (opinor) magis obvium erit exiſtimare, Palladium ad Britanno-Scotos, potiùs quàm in Hiberniam miſſum. Quamvis enim Uſſerius benè probet, inter Inſulas Britannicas, Polybii, & aliorum Græcorum ſcriptis celebratas, Hiberniam annumerari poſſe: nunquam tamen invenitet, Britanniarum nomine, aliud quàm unam Inſulam deſignari. Proſper Britannos nominat, ubi *Scoti* erant *in Christum* credentes. quos lubens meritoque concedo Hibernos fuiſſe. Unde benè etiam dicitur, ad eoſdem mitti Patricium, qui porro in Inſulam porrexit, veram Scotorum patriam. Hic nullæ ſalebræ, ſed aperta ſunt omnia. Proſperi ſenſus integer, & certus Patricii Apoſtolatus ad infideles miſſi, quæ cum certâ authoritate conſtent, ſenſuque populorum; cur ſequimur incerta, cum certorum præjudicio? Fateor, non aliunde colligo Palladium bis miſſum, quàm è Proſperi Chronico ad an. 429. ubi ejus actione mittitur Germanus in Romanam Inſulam: ſed quæſo tantum, edicat Uſſerius: quomodo aut innoteſceret Palladio Britanniæ ſtatus, aut Inſulæ procuratio ad eum ſpectaret; niſi manum aratro priùs admoviſſet? Cæterùm ire, & in urbem redire, Apoſtolis omnibus familiare eſt: id ſuprà Fugatius & Damianus, & infrà Patricius teſtabuntur. nunc redeo ad hiſtoriam.

Uſſer. fo. 52.

Vide Marianum Scotum ad an. 432.

Ro. Martyro. 17. Martii.

VII. HIBERNIA DOCERI DEBUIT, UT, OMNIS OCCIDENS.

Itaque hoc eodem anno 431. Patricius Romæ à Cæleſtino Papa conſecratur Epiſcopus, & unà Hiberniæ accipit Apoſtolatum. Sic enimvero fieri oportuit; quia hactenus vidimus converſum Omnem Occidentem noſtrum, imo omnem angulum noſtri Occidentis imperio nutuque Ro. Pontificis, & à deſcendentibus inde Apoſtolis. Ita Lucii, & Donaldi Crathliuti fidem acceperunt: ſic nuper orthodoxam fidem docente Germano Britanni receperunt: & nunc demum Hibernia cum vicinis Inſulis, huic felicitati ſuccedit, ac eodem modo exordia Chriſtianæ fidei, Romanæ Sedi accepta refert. Ut meritò dixerit Cæſar Baronius cum ſcribit de Patricio miſſo hoc anno ad Hibernos. *Videt*, inquit, *omnibus fuiſſe perſpicuum, ab Apoſtolica Sede accipiendum eſſe Evangelium, ad converſionem gentium: cum ex orbis extrema parte; imo* (ut cum Poeta dicam) *ex diviſis toto orbe Britannis, Patricius Romam ſe contulerit.* Ego certè id video eſſe perſpicuum, & ſimul ingratos nepotes, qui beneficii immemores, Romam invidioſè lacerant, illius Eccleſiæ ritus criminantur, & neſcio cui Aſiæ, Græciæque, acceptam ferunt Chriſtianam fidem: cum tamen inauditum ſit, aliunde ad nos, quàm ex Urbe veniſſe Apoſtolos. Sunt qui Patricium ab [a] Amatore, qui etiam à neſcio quo [b] Matthæo Archiepiſcopo, conſecratum affirmant: illi tamen ipſi, miſſionis authoritatem, è Romanâ Sede manaſſe teſtantur. Unde Balæus etiam & Magdeburgici, Patricium à Cæleſtino legatum ſcribunt. Hoc ergo tranſito, videamus Britannum hominem ad Cæleſtini pedes ſupplicem. Cum Pontifex Magonium, pro Hibernorum ſalute ſupplicantem audiſſet: *Pergratam habens* (ita refert Stanihurſtius) *ejus petitionem; eum non multo poſt, Patricium vocatum, tanquam futurum multorum Patrem; Pontificiâ dignitate ornat, ac ſic ad Hiberniam dirigit.* Vim nominis Patricii alter explicuit, Glaſtonienſis Monachus, eo verſu:

Sonat Patricius jam Pater civium
Multorum civium, & Pater plebium
Hibernienſium, & Glaſtonienſium
Sortitus merito tale vocabulum.

Baron. hic ſub finem.

a Probus in Patricio l. 1.
b Floril. an. 491.

Cent. 5. fo. 1428.

Stanihurſt. in vita Patricii.

VIII. PATRICII SOCII IN APOSTOLICA MISSIONE.

Habuit hic Apoſtolus legationis ſuæ ſocios, Segetium, quendam Preſbyterum, ut referunt è Balæo Magdeburgici. Cui Vincentius tres alios annumerat, Germanum, Axilium, & Servinum: ſed duo poſteriores, paulo aliter ab aliis vocantur: Auxilius nimirum & Iſſerninus (qui tunc inferiori gradu ordinati ſunt, inquit Vincentius) qui Synodo poſtmodum à Patricio habitæ in Hibernia adfuiſſe ſcribuntur, de qua infrà. Alii etiam nonnulli ad inferiores ordines, ut ſub Patricio Domino miniſtrarent, aſciti. ſic refert Uſſerius. Patricio præ cæteris, utpote ornato inſulâ, privilegia conceſſa ſunt à Cæleſtino; qualia concedi ſolent, ſumma legatione, & Apoſtolatu fungentibus. Unum extat ipſius Patricii teſtimonio ratum; indultum illi, à Cæleſtino quod ipſe vocat, *Duodecim annos indulgentiæ. Inveni in ſcriptis recentioribus*, inquit ille, *quod S. Phaganus & Diruvianus ab Eleutherio Papa; qui eos miſerat, decem annos indulgentiæ impetrarunt. Et ego frater Patricius, à pia memoria Cæleſtino Papa, duodecim annos acquiſivi.* Ita ſcribit in Epiſtola quam inferiùs integram recitabo. Intellexit hoc Florilegus cum dixit. *Deinde ad Hiberniam ſuccinctum Patricium ad Evangelium, cum theſauris ſpiritualibus tranſcendens baptizavit eos, multos Deo*

Vincen. ſpecu. hiſto. l. 20. c. 23. An. 450. 4.

Uſſer. fo. 842.

MUNITUR PRIVILEGIIS.

PATRICII EPISTOLA.

V. an. 439.
Floril. an. 491.

lucrifaciens.

Iocelinus c. 26.

lucrifacient. Jocelinus expeditionem hanc ita recenſet. *Verſus Hiberniam cum viginti viris, vitâ ac ſapientiâ præclaris, ab ipſo ſummo Pontifice ſibi deputatis in adjutorium, regreſſum maturavit. divertit autem ad B. Germanum, nutritorem & eruditorem ſuum. ex cujus munere accepit calices, & veſtimenta Sacerdotalia, & copiam codicum, & alia quæ pertinent ad cultum, & miniſterium Eccleſiaſticum.* Ita refert Uſſerius, qui ſcribit ſe Armachanæ Eccleſiæ Epiſcopum, hoc eſt Patricii in eâ ſede ſucceſſorem, cum tamen calices, & veſtimenta Sacerdotalia, & alia, quæ Patricio Germanus porrexit, averſetur. Vis ſcire quo impetu? Vide ſequentia.

IX. DÆMON PATRICII MISSIONEM IMPEDIRE CONATUR.

Capgravius in Patricio.

Dudum malus genius, Patricii adventu præviſo, cives efferaverat, ne venientem exciperent. & aliqui ſatis appoſitè dixerant; quod celebraturus eſſet in altari ſacroſancta myſteria; quæ tam ægrè ferebant cacodæmones, quàm feruot hodie Calvini myſtæ. Ita legitur apud Capgravium: *Per multa tempora Magi & prophetæ adventum Patricii prædixerunt, dicentes: adveniet homo cum ſuo ligno, cujus menſa erit in Oriente domus ſuæ; & populus ejus retrorſum, & ex ſuâ menſâ cantabit; & familia reſpondebit ei, Amen. Hic cum advenerit Deos noſtros deſtruet, templa ſubvertet, reges ſibi reſiſtentes occidet, & doctrina ejus regnabit in ſæculum ſæculi.* Nec à vero quicquam hac vice fatidici erraverunt: nam præterquam quod ingreſſus Inſulam Patricius, idola ac phana ſubvertit; uſus calice, & Sacerdotalibus veſtimentis, quæ Germanus dederat. Celebravit Miſſam, & Magos illam impedientes perdidit. Ita enim habetur ibidem. *Alio die, cum Patricius Miſſam celebraret; quidam Magus effudit calicem ſuum, & ſtatim terra aperiens os ſuum, devoravit eum.*

MISSAM CELEBRAT PATRICIUS, ET DIABOLUS ILLUM TURBAT.

X. VATICINIUM EXPONITUR?

Capgrav. in Patr.

Sed quid eſt quod dixerunt Magi: adveniet homo cum ſuo ligno; opinor ſignificant Patricii baculum, qui ob viri reverentiam, poſt multa ſæcula religiosè ſervatus eſt. De quo ita præfatus Author. *Patricius Romam proficiſcens, venit in itinere ad quendam Eremitam in loco deſerto habitantem, à quo baculum accepit; qui in manu IESV CHRISTI Domini noſtri erat; ut ejus auxilio ſuffultus, iter proſperum haberet. vocatur autem BACVLVS IESV, & in civitate S. Patricii uſque hodie manet.* Meminit etiam ejus baculi Vincentius. Porro Magdeburgici, licet fateantur Patricium virum fuiſſe doctrinâ & miraculis excellentem; & illis duobus potiſſimum inſtrumentis, orationis etiam & precum potentiâ, totam Inſulam ad ſinceriorem Chriſti religionem convertiſſe: ægrè tamen ferunt Patriciani baculi mentionem, & ita inquiunt. *Vincentius nugatur, quòd in cujuſdam montis cacumine, Patricius quadraginta diebus & noctibus, ut alter Elias, jejunarit: & Evangelii textum, & baculum, in quadam viſione à Chriſto acceperit, profana Deorum templa deſtruxerit, ſigna pietatis erexerit,* &c. Verùm ſi baculus Patricii, ejuſdem jejunium quadraginta dierum, templorum demolitio & erectio Eccleſiarum, pari modo nugæ ſunt; quid aliud à nugivendulis quàm nugas expectamus? Nec is ego ſum, qui omnia quæ à variis de Patricio ſcribuntur, probem: nam multa ibi mirabilia, aliqua ſupra fidem, alia familiaria ſanctis Apoſtolis: nec reſpuenda, aut miſcenda nugis. Ego miſſis plurimis, quod de baculo Patricii Jocelinus recitat, ita referam, ut ubique fidem meam non interponam. Ita ergo ille, de Romano Patricii itinere.

BACULUS JESU.

Cent. 5. fo. 1428.

Iocelin. in vita S. Patricii c. 24.

Profectus, inquit, *divino inſtinctu, ſeu revelatione Angelica, ad quendam in quadam Inſula Tyrrheni maris degentem ſeceſſit ſolitarium, ſacra vita, opinionis optimæ, magni meriti virum, nomine ac opere juſtum. Cumque poſt ſanctam ſalutationem, ſalutaria mutuò verba conferrent; dedit idem vir Dei Patricio baculum, quem ſe ſuſcepiſſe aſſeruit de manu Domini IESV ſibi apparentis ipſi conferendum.* Ita ibi, de dato baculo: quod ſatis probabile videretur, niſi majore miraculo idem confirmaretur: nam ſequitur. *Erant in eadem Inſulâ quidam alii viri ab habitaculo illius ſolitarii, ſemoti: quorum quidam juvenes videbantur, alii ſenes decrepiti. Cum quibus cum contulisset Patricius colloquium, didicit ab iis, ſeniſſimos eſſe filios illorum juvenum. Cumque admirans S. Patricius inquiſiſſet eventum tam grandis miraculi: reſpondentes dixerunt ei: nos à pueritiâ, Domino miſerante, miſericordiæ operibus fuimus jugiter intenti: oſtiumq; noſtrum patuit omni viatori pro Chriſti nomine victualia ſive hoſpitium petenti. Quadam nocte, quendam peregrinum, in manu baculum habentem hoſpitio collegimus: & ſecundum poſſe noſtrum omnem ei humanitatem exhibuimus. Mane igitur facto nos benedixit, & ait: Ego ſum IESVS CHRISTVS, cujus hactenus membris miniſtraſtis: quem hac nocte in propria ſuſcepiſtis perſonâ. Deinde baculum, quem manu geſtabat, dedit viro Dei, ſpirituali patri, Patri noſtro, præcipiens ei, ut illum ſervaret: & cuidam peregrino nomine Patricio, poſt multos dies ad ſe venturo tribueret. Hæc dicens aſcendit in cælum: nosq; permanſimus in eodem ſtatu juvenilis decoris & vigoris quo tunc fuimus uſque in diem hodiernum. Filii verò noſtri qui tunc erant parvuli: jam ut cernis facti ſunt decrepiti.* Hæc Jocelinus de Patricio prius quàm Romam perveniſſet. Hoc eſt prius quam Patricius à Cæleſtino vocaretur. quod auget miraculum, ſi verum eſt id nomen non prius datum, quam Romam perrexiſſet. Sed vereor; ne ambitio miracula componentium, Sanctorum vitas obſcuret magis quàm illuſtret. Cæterùm negari nec poteſt, nec debet baculum illum, quem à JESU nominant, quoque uſus Patricius, in ſumma apud Hibernos veneratione, per plura ſæcula habitum. nam de eo ita ſcribit S. Bernardus in vita S. Malachiæ. *Nigellus videns ſibi imminere fugam, tulit ſecum inſignia quædam Sedis Armachanæ, textum ſcilicet Evangeliorum qui fuit B. Patricii, baculumq; auro tectum, & gemmis pretioſiſſimis adornatum, quem nominant baculum IESV, eò quòd ipſe Dominus (ut fert opinio) eum ſuis manibus tenuerit atque formaverit. Et hæc ſumma dignitatis & venerationis in gente illâ. nempe notiſſima ſunt celeberrimaq; in populis: atque in eâ reverentiâ apud omnes, ut qui illa habere viſus fuerit, ipſum habeat Epiſcopum populus ſtultus & inſipiens.* Giraldus noſter Cambrenſis in topographiâ Hiberniæ, ſcribit: *Vulgari opinione ſanctus Patricius venenoſos ab Inſula vermes hoc baculo ejecit. cujus ſiquidem tam incertus eſt ortus, quàm certiſſima virtus.*

Bernar in vita S. Malach.

Girald. in topogra. c. 34.

XI.

An. 286. 30.

Probus in Patricio.

Inde fortè, Probus per baculum, crucem intellexit, quæ revera individuus Evangelii comes erat, ut ſuprà dixi in Albano. Ita enim ſcribit de Magis, qui Regi & optimatibus prophetabant: *Quendam prophetam externum adventurum, cum ignotâ, & novâ quadam doctrinâ, moleſta ac dura, de longinquis regionibus, trans maria advectum. his & aliis verbis Magi illi concitaverunt, tam Regem, quam omnem populum, in odium S. Patricii Epiſcopi, & prophetando præcinebant; quaſi in modum cantici,*

lyrico modo compositi; ante adventum sancti viri, duobus aut tribus annis, decantantes de eo. Hæc sunt autem verba cantici, secundùm linguæ illius idioma, in latinum translata, non tamen manifesta: Adveniet artu caput, cum suo ligno præcurvicapite. ex eo omnis domus erit capite perforata: incantabit nefas ex suâ mensâ, ex anteriore parte domus suæ, respondebit ei sua familia tota, Fiat Fiat. quod nostris verbis potest manifestiùs exprimi: adveniet totus artu magister, cum signo suæ crucis, & quo omne cor hominum compungitur; & de altari Sacramentorum, convertet animas ad Christum, & omnis populus Christianorum respondebit Amen. Quando erunt hæc omnia, tunc regnum nostrum gentile non stabit. Quod sic totum postea completum est. Hæc omnia Probus. Qui probè dicit completa omnia; quia cruce & altari stantibus, nulla potuit superstitio stare: quid illis jam in Hiberniâ, Britanniaque eversis fiet; non est arduum conjicere: nam utrobique cernimus, crucis & altarium loco; opinionum monstra, cerebrique idola plurima, succedere. Sed ad laborantem Apostolum veniamus.

Baculus, Crux exponitur.

XII. *Stanihurst. in vit. S. Patricii.*

Patricius ab Hibernis excipitur. Eius dotes.

De Patricii adventu, cum ad incolas allatum esset (scribit de eo Stanihurstius) *magnus ex omni parte ad illum concursus fiebat. Et si enim reperti sunt nonnulli, qui Præsulem ab Hibernicis finibus arcere sunt conati: tamen major plebecula pars, ad eum alacritate læta, tanquam ad domesticum, confluxit. Inerant enim in Patricio permulta invitamenta, quibus Hibernorum benevolentiam facillimè colligebat. Egregia fuit oris dignitas, verborum comitas mirâ, summa absque morositate gravitas. Ad hæc Hibernicè loquendo, cuivis Hiberno par erat, incolarum item ingenia, jam inde ab adolescentiâ optimè tenebat. Et quod primum fuit, summa conciliandæ benevolentiæ causa fuit Deus; cujus singulari beneficio, prædicationi Patricii, Christianæq; doctrinæ, brevi ingens hominum multitudo adsensum præbuit. Itaque Patricius, gregi suo, tanquam bonus pastor acri inspectione invigilat; frequenti & assiduâ admonitione, Christianos novitios ad omnem pietatem informat; infidelium errores convincit; reclamantes Magos percellit.* hæc ille. Unius Hiberni conversio imprimis memoratur. Is Dicon dictus; per cujus agrum, transiens Patricius, ipsum mirabiliter Christo lucrifecit, ex lupo agnum faciendo. de quo Probus ita: *Dicon statim veniens cum armis suis, volebat Patricium & socios ejus occidere. Videns verò faciem S. Patricii, compunctus est corde. Convertit enim subito Dominus Deus cogitationes ejus, & induxit eum in domum suam. Tunc sanctus Patricius cœpit prædicare illi fidem Christi: & requievit apud ipsum, non multis diebus. Credidit ergo homo ille primus omnium Insulanorum, cum omni domo, & familiâ suâ.*

Diconem convertit.

Prob. in vita.

XIII. *Usser. c. 17. fo. 846.*

Alius tamen Patricianæ vitæ antiquus Scriptor apud Usserium, Sinelli cujusdam conversionem primo loco recitat ita: *Patricius a Papâ Cælestino in Hiberniam transmissus, pervenit ad Ostium fluminis Dea; & iniquus Comes, id est Natbi, qui S. Palladio antea resistebat, Beato Patricio & ejus doctrinæ contradicebat. Sinel verò filius Finchado per prædicationem S. Patricii omnipotenti Deo credidit, & à S. Patricio primus ex gente Scotorum baptizatus fuit. & sibi & semini ejus Patricius benedixit.* In Laginiam ergo primo descendit, atque inde in Ultoniam perrexit; ubi, Dichone converso, agrum obtinuit, duobus passuum millibus à Dunensi urbe remotum, qui Sabhul dicitur, de quo infrà dicendum. Hic Hiberni Scriptores Patricii itinera, res è pietate gestas, plurimorum ad fidem conversionem, Ecclesias per Insulam fundatas, parochias ab eo distinctas, aliaque narrant, Domino ubique cooperante & omnia probante, sequentibus signis: quæ quia Hiberniæ propria sunt, Hibernis relinquo. Illud magis ad Annales nostros spectat, quod de Carantaco legitur, in vitâ ejus; *qui triginta annis ante nativitatem S. Davidis Episcopi, in Hibernia conversari cœpit*, inquit Joannes Tinmuthensis apud Capgravium. Quod ad præsentem annum referri debet, ut supputat Usserius: & ideo de Carantoci exordiis vitaque hic agendum, cum alium illi locum, nec Annales nostri, nec Martyrologia consignarint.

XIV.

Fuit ille, genere & patriâ, Britannus, Keredici Regis, Ceretica regionis filius, ut Hiberni ingenuè confitentur; qui cum Patricio in Hiberniæ conversione laboravit, uno eodemque tempore. ejus vitam à Joanne Tinmuthensi scriptam habes apud Capgravium: unde ejus ferè verbis, hoc accipe compendium. *Rex quidam nomine Keredicus multos habuit liberos. quorum unus Carantocus nomine, puer bonæ indolis, quæ Deo placita erant implere cœpit. Scotis Britanniam vexantibus, & patre laboribus impare, Carantoco provincia commendatur: sed ille, plus regem cælestem terreno regno diligens, fugam iniit, & emptis à paupere, perâ & baculo, iter arripuit, Deoq; duce ad quendam locum amœnum pervenit; ubi constructâ Ecclesiâ, manere cœpit, & devotas Deo laudes persolvere. Ab annis enim pueritiæ, puritatem & innocentiam amplectens, perrexit tandem ad Hiberniam, amore S. Patricii allectus. Quò cum pervenisset, inito consilio, dixerunt, ut separarentur, unus ad sinistram, & alter ad dextram: quia multi clerici cum illis ambulabant; & ut convenirent una vice in anno condixerunt. Triginta autem annis ante nativitatem S. David Episcopi Carantocus in Hibernia conversari cœpit. Et quocumque ibat Angelus Domini in similitudine columbæ comitabatur eum, & mutavit nomen ejus in linguâ eorum Cernach. Quocumque ibat virtutes & prodigia faciebat, multa hominum millia variis morbis afflicta sanavit.*

XV.

Beati Cernachi, qui & Carantoci, opera miranda nimis & commendanda leguntur in Hiberniâ: & gratia, quæ Apostolis data est, in illo etiam impleta fuit. mirabilis enim miles Christi extitit, & spiritalis Abbas, longanimis præceptor: justa omnibus nuntians. Per multos annos vivens incredibilia peccatorum crimina dimisit; preces per singulos dies, & noctes innumeras fudit. Et postquam multos in Hibernia populos ad fidem convertisset; & multa miracula pro ipso Deus ostendisset; venit ad regionem suam Ceretitcam ad suam speluncam cum clericis multis. Hæc ibi. Est autem Ceretica regio, provincia illa in agro Dimetarum, quam Cardigan appellamus; fortè à Carataco dicta, qui *ibi rerum potitus est*, inquit Camdenus: & quidni putandum Carantocum sanctum, patremque ejus Keredicum: ab illo Cunobelini filio & Claudiæ parente, de quo suprà; ut in regnum, ita nomen, familiamque descendisse? nisi velis à Cereto S. Davidis avo, regioni nomen inditum, ut Usser. c. 13. fo. 442. Carantocus tam in Hiberniâ, quàm in Britanniâ plures vixisse annos creditur, & Arthuri Regis tempora vidisse. rediit enim ut modo dictum, & *ædificatâ Ecclesiâ* (in Ceretica regione) *ibi vivere cœpit.* (pergit Author.) *Nec multo post venit iterum vox illi de cælo; ut relictâ terrâ nativitatis suæ, in Hiberniam peregrinus pergeret. ubi in senectute bonâ,*

Camd. in Cardigan. An. 52. 3. V. an. 53. 4.

plenus

plenus sanctis operibus quievit in pace. XVII. Kal. Iunii, & sepultus est in civitate sua, quæ à nomine suo vocata est Chernach. Hactenus ille.

XVI. Patricium in Hiberniam euntem comitatus est etiam Lumanus quidam filius Golliti Britanni & sancto Patricio, è Tigridia sorore nepos. Ille paulo post Trimmensem ibi fundavit Ecclesiam; converso prius ad fidem Fidelmedo provinciæ regulo. quod ita à Jocelino & Tirechano narratur. *Venit Lumanus ad vadum Truim, in ostio arcis Fiedilmedi, filii Loiguore, Domino gubernante. Mane autem facto Foirtchern, filius Fiedilmedi, invenit Evangelium recitantem; & admiratus Evangelium, & doctrinam ejus, confestim credidit: & aperto fonte in illo loco, à Lumano in Christo baptizatus est. Et mansit cum illo donec mater ejus quærere eum pervenit. & læta facta est in conspectu ejus; quia Britonissa erat. At illa similiter credidit, & iterum reversa est in domum suam, & nuntiavit marito suo omnia, quæ acciderant illi & filio suo. At verò Fidelmidius lætificabatur in adventu Clerici: quia de Britonibus matrem habuit, filiam Regis Britonum, id est, Schot-noesa. Salutavit autem Fedelmidius Lomanum linguâ Britannicâ; interrogans eum secundùm ordinem de Fide & genere. & respondit ei. Ego sum Lomanus Brito, Christianus, alumnus Patricii Episcopi; qui missus est à Domino baptizare populos Hibernensium, & convertere ad fidem Christi: qui me misit huc secundum voluntatem Dei. statimq́ credidit Fedelmidius, cum omni familiâ suâ, & obtulit illi, & S. Patricio, regionem suam, cum possessione suâ. Has omnia obtulit Patricio, & Lomano, cum Foirtcherno filio suo, usque in diem judicii. Migravit autem Fedelmid trans amnem Boindeo, & mansit Loman, cum Foirtcherno in vado Truim, usque dum pervenit Patricius ad eos, & ædificavit Ecclesiam cum illis XXII. anno antequam fundata est Ecclesia Alti-macha.* Hæc omnia Tirechanus, ubi quod ad tempus spectat Usserius putat legendum XII. anno, non XXII. annó ante fundatam Armachanam Ecclesiam, erectam esse Trimmensem: Annales enim Ultonienses referunt Armachanæ Ecclesiæ exordium ad annum Christi 444.

Apud Usserium c. 17. fo. 859.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1183.

ANNUS CHRISTI 432.

CÆLESTINI PAPÆ 9.

VALENTINIANI IMP. 8.

I. Moritur Cælestinus Papa.

CÆLESTINUS Papa, cum seduli pastoris officium, pro utroque orbe præstitisset: cum Occidentem nostrum, vicinamque Hiberniam, vel deviantem revocasset, vel omnino exerrantem docuisset: cum Orientis Ecclesiam, Nestorii impietate laceram, Ephesina Synodo, magnaque industriâ reparasset; anno Christi quadringentesimo trigesimo secundo, Aetio & Valerio Coss. laboris præmium recepturus, migravit in cælum. Succeffit illi, in Apostolica Sede, Sixtus, patria Romanus; qui quondam Presbyter, Pelagii errores scripto confutaverat; & nunc Pontifex, Nestorii impietatem pari zelo insectatur.

Sixtus Papa.

II. Interim Patricius in Hiberniâ, Dominicæ vineæ egregius cultor, discipulos colligit, & celeberrimum inter eos sanctum Benignum, in Episcopatu simul & Apostolatu successorem. de quo ita legitur in Malmesberiensi, & Antiquitatibus Glastoniæ. *Venerabilis Pontifex S. Patricius, dum prædicando circuiret regiones Hibernicas, pervenit in campum, qui dicitur Brey, spatio famosum & speciosum. cujus pulchritudo animum Pontificis illexerat, ut ibi percelebraret Pascha, quod tunc instabat (hoc primum fuisse Pascha a Patricio in Hiberniâ celebratum; adeoq́ hoc anno consignandum, infra patebit) prima illi in ea provincia hospitalitatis necessitudo, cum quodam viro fuit; qui continuo divinæ prædicationi credulam aurem apponens, Baptismi Sacramento alteratus est in novum hominem. Cujus filius Beonna nomine, ætatis admodum delicatæ, alludens Episcopo, blando amplexu, pedem ejus suo astringebat pectori, nonnunquam osculabundus: euntem quoque ad corporis pausam, lacrymis prosecutus, non nisi cum eo se velle dormire clamitabat. Quapropter Patricius perspicaci prophetiæ intendens oculo; quanta virtutum indoles, per Dei gratiam puero esset accessura; eum dignatus est lecto, & insignivit Benigni vocabulo. Postero die cum profectionem adornaretur Antistes, mæstis vagitibus puer concrepare cœpit, ne se desereret, poposcit: sine illo se vivere nolle dixit. Iussit ergo baptizatum in currum suum levari, pronuntians eum futurum hæredem regiminis, & Pontificii sui. Quod & factum est.* Hactenus ibi. Hic est ille sanctus Benignus, qui non tantùm Patricio successit in Armachano Episcopatu; sed etiam post eundem Glastoniensis Abbas fuit, ut suo loco dicetur.

S. Benignus Patricii discipulus.

Antiq. Glaston. in Patricio.

III. Ivit cum Benigno Patricius in campum Brey; quem Probus Breg vocat: *Fixoq́ ibi tentorio* (sunt Probi verba) *debita Paschæ vota in sacrificium laudis, cum omni devotione, cum suis omnibus, altissimo Deo, secundùm prophetæ vocem, reddidit.* De eodem Paschate dixerat Author paulo superius. *Appropinquavit autem Pascha, quod primum in hac Insula, non sicut quondam in terra Gessen, celebratum est; sed sicut Dei filius, in cœna sua, cum discipulis, corpus & sanguinem suum in redemptionem nostram consecravit.* Hinc collige sacrificium Missæ à Patricio celebratum hoc Paschate; quod ab ejus adventu in Hiberniam primum fuit. Pridie Paschatis, de Romanæ Ecclesiæ more ignem benedixit; quod Probus non tacuit, dicens: *Sanctus verò Patricius, divinum Pascha celebrans, accendit sacrum ignem, antequam in domo Regis (accenderetur) valde lucidum & benedictum: qui in nocte refulgens, à cunctis penè per planitiem campi habitantibus, visus est.* Plura addit Author de hoc igne sacro, quem Logarius Rex (alii Leogarium vocant) cum indignatione simul & admiratione vidit, (nam cautum erat ne uspiam in loco illo accenderetur ignis, priusquam in domo Regis ignis arderet.) Unde stomachatus Rex dixit: *Pereat ille de populo suo, qui hæc ausus est facere in regno meo. Cui Magi responderunt: Rex in sempiternum vive, hic ignis quem videmus, qui in hac nocte succensus est, antequam succenderetur ignis in domo tua; nisi extinctus fuerit, hac nocte; non extinguetur in æternum. Insuper & omnes ignes nostræ consuetudinis superexcellet, & ille qui incendit eum, regnum tuum dissipabit.* Habes hic Ecclesiastici ritus antiquum argumentum, pro ignis benedictione, in solennitate Paschali; qui etiamnum hodie usurpatur, ubi Patricii fides in honore est.

Patricius Pascha celebrat more Romano.

Prob in Patricio.

Idem habet Iocelinus c. 40.

Benedictio ignis Sabbato sancto.

IV. Miracula plurima fecit Patricius.

Non est otium omnia sigillatim prosequi, quæ S. Patricius in Hibernia mirabiliter operatus est: quia tamen etiam sectarii, miraculorum hostes, fateotur hunc sanctum, miraculis insignem, ac memioere sexaginta, qui, eo jubente, à mortuis suscitati sunt, nefas est omnia præterire, quæ ille supra naturæ vires fecit. Pauca igitur è multis delibabo, nec ab aliorum sanctorum gestis, nec ab Annalium Ecclesiasticorum fide aliena. *Venit Patricim in campum Conactia* (ita refert Author vitæ apud Capgravium, & Probus apud Bedam, & Jocelinus c. 67.) *& invenit ibi signaculum crucis Christi: & duo sepulchra nova: & ait: Quis est hic sepultus? & vox de sepulchro respondit: Ego sum homo gentilis. Cui sanctus. Cur juxta te crux sancta infixa est? & ille: Qui sepultus est juxta latus meum, credidit Deo cali: & venit vir fatuus, & posuit crucem juxta me. Tunc Patricius super sepulchrum baptizati crucem poni jussit.* En habes Lector Christiani hominis cõstans symbolum, sanctam crucem: quâ olim veluti notâ characteristicâ, infidelium sepulchra à fidelium distingui solebant. Sed iterum venit *vir fatuus*, omnia Christiani hominis signa confundens; crucem è suo loco tollit, & gentilis superstitiosique monumenti vult notam esse; tergitque os suum, & dicit, sic esse reformandam Ecclesiam. Timet enim scrupulosum animal, oe cruci cultus aliquis & revereotia tribuatur. Sed vide quid fecerit Patricius. *Mos erat S. Patricio* (ita Capgravius) *quod ubicumque videret in viâ signum sancta crucis; declinavit ad illud, de curru suo descendens, ut manu crucem tangeret.* nimirùm honotis reverentiæque causâ: quod alio plerumque signo, non alia mente, faciunt etiamnum orthodoxi. & certè crucem cultu dignam hæc ætas docuit. Unde S. Chrysostomus: *Non sic Regiâ coronâ ornatur caput, ut cruce, quæ omni cultu dignior.* In demonst. cont. Gentiles, & alibi dicit, eos *qui crucem sincero corde & labris castis venerantur, sanctos effici.* to. 1. oper. serm. de vener. crucis. Cæterùm cruces in via prostare solitas hoc sæculo, luculenter docet idem Chrysostomus ita disputans contra Gentiles: *Crucem ubique celebrari videre licet: in domibus, in foro, in solitudine, in VIIS, in montibus, in collibus, in vallibus, in mari, &c. Crux ubique fulget, & sparsa est in parietibus domorum, in culminibus, in libris, in civitatibus, in vicis, in locis qua habitantur, & qua non habitantur.* nusquam ergo satan, ousquam occursus malus: quia Christi crux inferorum portas ubique clausit.

Capgra. in Patricio.

Crux sepulchro affigi solita.

Capgravi. suprà.

V. Dum Patricius in Hiberniâ utiliter laborat, quà vitæ sanctitate, quà miraculorum gratiâ, multos Christo lucrifaciens; longè lateque manavit opinio virtutum ejus. Britanni imprimis amabant civem suum; dolebantque, inclinante statu rerum omnium, abesse sidus tam illustre. Winwalocus, ingentis spei juvenis, flagrabat, præ cæteris, desiderio tanti viri præsentiâ perfruendi. Quod, licet longè positus, impetrare meruit. Rem gestam, quia à Surio, Lippeloo, Haræo, Jocelino, c. 182. aliisque oarratur: & quia, teste Baronio, in notis ad Martyrologium, Patricius, & Winwalocus æquales tempore fuerunt, hic opportunè subjiciam: & dicam quis ille, & unde domo? Itaque Winwalocus, Fracani cujusdam illustrissimi viri, & Cotonii Regis Britannici consobrini filius fuit; ut præfati omnes Authores, & Gallicanum etiam Martyrologium, affirmant. Cæterùm licèt postea in Tauracensi Monasterio minoris Britanniæ, Monachus & Abbas fuerit: natum tamen in majore Britanniâ necesse est fateri; quia necdum Armorica io minoris Britanniæ nomen transierat, ut infrà ostendetur. Adde quod diserte ponatur à quibusdam è majore Britanniâ, in minorem transisse. Ita Jacobus Malbranc, qui monumenta Monstroliensium M. S. citans, ait matrem ejus Albam vocatam, cognomento Trimavis. Benè igitur Capgravius scribit Fracanum ex hac Insula in Armoricam migrasse, Cõnducto secum Winwaloco filio. Hæc de patriâ & parentibus ejus, nunc ejus vitæ sanctitatem legamus.

Winwalocus juvenis et sanctus.

Baron in notis ad 3. Martii.

Eius patria et parentes.

Malbranc de Morinis l. 2. c. 32. Idem l. 2. c. 20.

VI. *VVinvvalocus in ipsis primæ ætatis initiis* (ita loquitur Gallicanum Martyrologium) *cæpit ardere desiderio rerum cælestium, mundi respuere illecebras, & soli Deo velle vivere. Ideoq; enixius parentes orabat; ut literarum sacrarum, pietatisq; maxime documentis imbuendus, cuidam viro religioso traderetur. Id ubi assecutus est; sub hujusmodi disciplina miros adeo progressus fecit; ut anno ætatis septimo, jam in vivum totius probitatis & pietatis simulacrum evaderet. Processu temporis, susceptâ monastica professionis tesserâ; majora virtutis ornamenta præ se tulit. dotatus etiam prophetico spiritu enituit. Miraculis etiam fulsit maximis; quæ signo potissimum crucis, sacrato oleo, fide subnixus, patrabat. In quibus extitit illud magis stupendum, quo mortuum etiam adolescentem ad vitam revocavit.* Hæc ibi. Quod sequitur de sancto Patricio, facitque ad historiam nostram, ita narrat è Surio, Franciscus Haræus:

Mart Gallicanum 3. Martii.

Pueritia.

Signo Crucis facit miracula.

Mortuum suscitat.

VII. *Per id tempus, clarvit sanctissimus Patricius, Ecclesia Christi eximium decus, totius Hibernia splendidum sidus. Cujus eximia virtutis opinio adeo S. VVinvvalocum affecerat; ut modis omnibus ad eum proficisci peroptaret; ut vivendi normam ex ejus sanctissimâ institutione capesseret. Sed cum in ea versaretur cogitatione, per visum ei S. Patricius sese exhibuit, vultu Angelico, & caput aureo diademate coronatus. Atque ad eum: En ego sum Patricius, quem tantopere cupis adire. Sed ne mea causa tam longum iter, terra mariq; suscipere; misit me Dominus, ut voti tui compos, & adspectu, & colloquio meo perfruaris. Prædixit etiam illi futurum eum aliis militia spiritualis ducem, salubriq; eum consilio instruxit. Sed & hortabatur eum, ut à magistro suo socios expeteret. & cum eis, ad alium se locum transferret. Quæ visio ubi disparuit; VVinvvalocus quàm primùm cellam petiit; in qua Monasterii pater divinæ meditationi & contemplationi vacabat. Cui cum visionem exposuisset: ille hilariter perfusus: Divina, inquit, visitatione & revelatione clarificatus es fili. Nec quicquam moratus, ac si cælitus mandatum accepisset; undecim ei attribuit discipulos, in divini operis exercitio promptissimos, &c.* oarrat deinde, ot mare cum sociis transierit, factusque sit Monachorum pater. quæ hoc loco referre placuit occasione S. Patricii. Quæ si vera sunt, monumenta M. S. Monstroliensis Monasterii, quæ citat Malbrancque in Morinis, l. 2. c. 22. vacillant in fide, cum dicunt rogatum esse S. Martinum ut Winwalocum consecraret Abbatem. nam Martinus obierat ante annos triginta. Cætera quæ de Winwaloco dicenda supersunt, in annum Christi 480. quo floruisse creditur, differuntur. Nunc ad Patricium redeo, dicturus, ubi Episcopalem sedem, primamque Hibernorum Ecclesiam, & qua ratione, fixerit.

S. Patricium videre desiderat.

Fit Abbas.

Giraldus

VIII.

Girald. in topog. Hiber. c. 16. dist. 3.

Giraldus Cambrensis, qui floruit circa annum Christi 1180. & satis curiosè Hiberniam lustravit, descripsitque; ita de Patricio loquitur, & prima ejus Episcopali sede. *Patricius, natione Britannus, vir vitâ & sanctitate conspicuus, regnante Laegirio Nells magni filio, Insulam intravit; & gentem inveniens idololatram, variisq; errore delusam, primus in ea divinâ opitulante gratiâ, fidem Christianam & prædicavit & plantavit. baptizatis itaque catervatim populis, & tota jam Insula ad fidem Christi conversa, apud Ardmatham sibi sedem elegit, quam etiam quasi Metropolim constituit, & proprium totius Hiberniæ primatiæ locum: Episcopos quoque congruis in locis collocavit; ut in partem vocati sollicitudinis; quod ipse plantaverat, & ipsi rigarent; Deus autem incrementum daret.* Hæc ille: quæ ad posteriora referenda sunt. nam crevit ab eo tempore, ob Patricii sanctitatem, Armachana sedes, & præter Episcopi dignitatem, quam post annos duodecim dicitur accepisse; aucta postmodum est Archiepiscopi titulo, pallioque. Id tamen non nisi post annos quingentos, nimirum sub annum Domini 1152. Ut significare videtur idem Giraldus, dum ait: *Archiepiscopi in Hiberniâ nulli fuerunt: sed tantum se Episcopi invicem consecrabant: donec Ioannes Papyro, Romanæ Sedis legatus, non multis retrò annis advenit. Hic quatuor pallia in Hiberniam portavit, quorum unum apud Armachanam posuit, alterum apud Dubliniam, Episcopo tum Gregorio. Tertium apud Cassiliam: Quartum in Conactia in Toeniam.* ita ille. refertur idem à Baronio in Annalibus ad annum 1151. Qui legatum vocat Joannem Paparonem, legantem verò Eugenium tertium Ro. Pontificem. Quæ nimia si vera sunt, falsus est Jocelinus de Furnesio, dicens: Patricium, constitutâ Armachanâ sede Romam rediisse, & ab Apostolica Sede Pallii honorem impetrasse; fecisseque confirmari omnia, quæ ipse in Hiberniâ ordinaverat. nam quod de Pallio dicitur admodum nutat. Licet non negem, plures Patricio vivente, Episcopos in Hiberniâ fuisse, quorum ipse primas & princeps fuerit. de Romano itinere dicam infrà.

ARMACHANA SEDES.

Girald. sup.

NON HABUIT PALLIUM HOC SÆCULO.

Jocelinus in vita S. Patricii c. 106.

An. 439. n. 2.

IX. VENENATORUM FUGA PATRICII BENEFICIUM.

Æternum Patricii beneficium in Hibernos, venenatorum animalium fuga nominatur: quod etiamnum hodie Insula loquitur. Patricio jubente & baculo suo abigente serpentes omnes, & noxia quæque. A quo tempore, quasi latâ rataque lege; proscripta sunt ex Hiberniâ quæcunque venenum habent. Giraldus miraculum illud in Patricii baculum refert. *Inter universos,* inquit, *Hiberniæ baculos, ligneaq; natura sanctas reliquias, virtuosus ille & famosus (quem baculum IESV vocant,) non immeritò primus & præcipuus esse videtur. Per quem vulgari opinione S. Patricius venenosos ab Insula vermes ejecit: cujus siquidem tam incertus est ortus, quam certissima virtus. Nostris autem temporibus, & nostrorum opera, nobilis hic thesaurus ab Armachiâ Dubliniam est translatus.* Diu igitur in honore habitus est baculus ille, multorum mirabilium patrator. Nec in Hiberniâ modò, & Britanniâ nostrâ: verùm in remotioribus etiam locis in pretio fuit. Unde è Monasterio Claravallensi partem ejus in urbem misit ante annos quingentos. Nicolaus ille, S. Bernardi Amanuensis; & unà literas dedit ad Rualenum Abbatem S. Anastasii: in quibus inter cætera: *Mitto tibi,* inquit, *cultellum eburneum, opere argentario & manubriolum illud Hiberniticum, quod non minus pretiosum est gratiâ, quàm naturâ. Extra enim naturaliter habet propulsare venenum. & lignum de quo abscissum est plantavit quidem sanctus manibus suis: & arbor illa sicut accepimus pro summis reliquiis custoditur. Difficillimè extorsi illud de manibus illius quem tu non ignoras.* Hæc ibi. Ad vocem illam *Hiberniticum manubriolum* ita commentatur Joannes Picardus, legiturque in magnâ Bibliothecâ. *Forsan,* inquit, *Hibernicum; immo fit necessario legendum, & ni fallor intelligenda consequentia de baculo cujus virtutem recenset Giraldus Cambrensis in topographiâ* Infinita sunt hujus generis, quæ Patricii sanctitatem commendant: quæ nolo diffundere; quia virtus ejus sanctitasque est constantissimæ famæ: & satis est, uno verbo dicere, Patricium esse Hiberniæ Apostolum. nam inde sequitur quod fidem prædicaverit sequentibus signis.

Girald. topog. Hib. cap. 34.

PER BACULUM JESU.

Nicolaus Notar. epist. 43. habetur in mag. Biblioth. to. 42. p. 1. fo. 007.

X. DE PURGATORIO S. PATRICII.

Nolo tamen silentio præterire celeberrimum Patricii purgatorium, de quo loquuntur, quotquot hujus sancti gesta describunt. Cæpit initium ab Hibernorum incredulitate, quod ita apud Harxum refert Rich. Stanihurstius. *Quem vitæ cursum dum Patricius tenet, adhuc sunt, qui illius doctrinæ (nimirum de purgatorio à morte pænis) effrenata & præcipiti mente obnituntur. Alii etiam quasi in bivio vacillantes; in quam se viam dent, animis solicitis, & anxiis, inquirunt. Quorum miseriis, ut pius pater quoquomodo occurreret; cum illi instanter cælestium præmiorum, tormentorumq; infernalium, quæ Patricius prædicabat sensibus objectum, documentum aliquod peterent: ille ad tempus ab eis discedens, atque ad Deum totus conversus: humiliter eum rogabat, uti eorum desiderio, pro suâ divinâ providentia satisfaceret. Porrò Præsulis precibus non defuit Deus: cujus instinctu, ad aquilonarem Hiberniæ plagam progressus; caveam in quodam recessu offendit: in quam qui intrabant, terribilia spectra, solatiis quandoque interpuncta, videbantur sibi videre.* Hic sectarii, qui omnem purgatorium locum horrent, Patriciano quoque purgatorio irascuntur. nam Balæus apostata, & ex eo Magdeburgici, ita scribunt. *Patricio tribuunt Vincentius & Petrus, & similis farinæ Scriptores, etiam ementiti purgatorii mentionem: quod Christum ei monstrasse scribunt. Verùm hoc, ut cum veritate discrepans refellit Balæus, & ad quendam alium Patricium multo juniorem transfert.* Ita illi. Verùm si ementitum est purgatorium illud; quomodo potuit Balæus illud ab uno in alium transferre? & quorsum Vincentius, & Petrus, & similis farinæ, id est, orthodoxæ fidei Scriptores; Balæo & modernæ farinæ Apostolis, non sunt præferendi? Quod si recentiores quoque illi sunt:

Stanihurst. in Patricio.

Cent. 5. c. 10. in Patricio.

XI. *Girald. in topog. dist. 2. c. 5.*

PROBATUR.

Prodeat in medium, qui ante quinque fere sæcula, de loco illo scripsit in hunc modum, Giraldus Cambrensis. *Est,* inquit, *locus, in partibus Ultoniæ, continens Insulam bipartitam: cujus pars altera probatæ religionis Ecclesiam habens, spectabilis valde est, & amæna; Angelorum visitatione, sanctorumq; loci illius visibili frequentiâ incomparabiliter illustrata. Pars altera, hispida nimis, & horribilis, soli dæmonibus dicitur assignata: quasi visibilibus cacodæmonum turbis, & pompis ferè semper manet exposita. Pars ista novem in se foveas habet: in quarum aliqua, si quis fortè pernoctare præsumpserit (quod à temerariis hominibus nonnunquam constat esse probatum) à malignis spiritibus statim arripitur; & nocte totâ, quasi gravibus pœnis cruciatur: tot tantisq; & tam ineffabilibus ignis & aqua, variisq; generis*

tormentis incessanter affligitur: ut mane facto, vix vel minima spiritus superstitis reliquia miserò in corpore reperiantur. Hæc ut asserunt tormenta, si quis semel ex injunctâ pœnitentia sustinuerit, infernales amplius pœnas (nisi graviora commiserit) non subibit. Hic autem locus, purgatorium Patricii, ab incolis vocatur. De infernalis namque reproborum pœnis, de verâ post mortem perpetuaq; electorum vitâ, vir sanctus, cum gente incredulâ, dum disputasset: ut tanta, tam insitata, tam inopinabilis rerum novitas, rudibus infidelium animis, occulta fide, certius imprimeretur; efficaci orationum instantiâ, magnam & admirabilem utriusque rei notitiam, duræq; cervicis populo perutilem meruit in terris obtinere. Hæc omnia Giraldus. quæ sectariis ideo displicent; quia orthodoxæ fidei purgatorium adstruere videntur. nos tamen, non inde, sed è Scripturæ mente, è praxi sæculorum longè firmius pro purgatorio stipulamur. nam quod ad præsens sæculum spectet, cum Chrysostomus & Augustinus centies affirment, oblationes, sacrificia, eleemosynas, aliaque pia opera mortuis prodesse ad pœnarum remissionem, non erit opus ex Hibernia quærere argumenta. pauca è Chrysostomo & Augustino

V. an. 500. 12.

infrà contemplabor. Sed tempus nunc solvendi in Britanniam, ut illustrissima stella occidit, meliori mox ortu beanda.

XII.
* An. 394.
S. Ninianus moritur.
Capgra. in Niniano.

Ninianus, quem * suprà dixi Pictorum Apostolum, hoc anno 432. multorum laborum præmia cônsequitur, vel ut in vitâ ejus legitur. *Multis miraculis B. Ninianus mirabiliter fulgens, ac summis virtutibus pollens, ad diem vocationis suæ felici cursu pervenit. Sicq; vitâ perfectus, ætate maturus, sexto decimo Kalendas Octobris, cælestia feliciter conscendit: sepultusq; est in Ecclesia S. Martini, quam ipse à fundamentis construxit.* Hæc ibi. Unde nutant ea omnia, quæ Author vitæ Niniani apud Hibernos scribit, de ejus transitu in Hiberniam, & morte ibi obita. quæ refert Usserius fo. 1059. nam supradictis addunt Magdeburgici, quod observatione dignum:

Cent. 5. fo. 1429.

Ninianus Venedota magister & pædonomus non vulgaris, concreditum à Deo talentum, per Britannorum, Scotorum, Australiumq; Pictorum terras, ad senium usque latissimè profudit. Vir erat in sacrarum Scripturarum lectione assiduus; in orphanos, viduas & pauperes pius; miraculis & sanctitate clarissimus. Ejus pia industria, Picti primùm, relicto idololatriæ cultu, veram Christi fidem perceperunt; apud quos tandem Gallovidia in Candidâ Casâ Pontifex primus obiit, anno salutis 432. Hactenus ipsi, quæ ideo refero, ut videat Lector virum in sacrarum Scripturarum lectione assiduum, qui veram Christi doctrinam Pictis tradidit, miraculis & sanctitate clarissimus; sanctos coluisse, structisque templis honorasse.

S. Martinum coluit.

Obierat S. Martinus anno secundo hujus sæculi, & statim Ninianus eidem sancto Ecclesiam posuit. nobis verò Magdeburgici aliique sectarii indignantur, se virum cælo donatum, cujus constantissima virtus sanctitasque multo sæculorum cursu, multâ miraculorum gloriâ, certissimo etiam orbis suffragio, consecrata est, similiter colimus. Sed lippiunt isti ad antiqua: si enim perspicaci oculo rem dispicerent; viderent facilè non promptiores nos, sed longè antiquis tardiores esse, ad cultum Sanctorum. Niniani exemplum secuta est cultior Britannia: & fortè eodem tempore templa erexit in honorem S. Martini. Sanè sequenti sæculo cum Augustinus Româ in Insulam venisset; reperit in Dorovernensi urbe *Ecclesiam in honorem S. Martini antiquitus factam, dum adhuc Romani Britanniam incolerent*, * inquit Beda.

Ecclesia S. Matini apud Britannos.
* Beda l. 1. c. 26.

Unde constat sub hæc tempora ædificatam esse. Nam post annos pauculos, Romani prorsus Insulam deserent: & verosimilius est, hoc etiam tempore, ab eis penè desertam. S. Ninianus priusquam moreretur Pictorum provinciam per parochias divisit; ordinavit Presbyteros, & Episcopos consecravit, ut habet Capgravius; quæ omnia, Romani Pontificis authoritate, à quo ipsum missum esse suprà diximus, facta sunt.

XIII.
Miracola S. Niniani in confesso sunt.

Sed quæ sunt illa miracula quibus Ninianum clarissimum fuisse affirmaverunt suprà Magdeburgici? Ego sanè qui dudum apud me constitui, in rebus mirabilibus recensendis scrupulosus esse; quia modernum cælum illis non favet: tamen ubi ipsi sectarii miracula fatentur, impius sum, si illa transeo, quæ in confesso sunt. Unum ergo ita narratur in vitâ ejus.

Capgrav. in Niniano.

Fuit in Pictorum regione Rex quidam, Tuduvallus nomine, dives & elatus, monita viri Dei contemnens, & doctrina ejus & moribus derogans, in facie resistebat. Quodam autem die, cum plus solito molestus esset viro Dei; non ultra passus judex cælestis servi sui injuriam inultam, intolerabili morbo superbum percussit in capite: & elatos illos oculos cæcitas repentina invasit. Et qui lucem impugnavit veritatis; lucem meritò amisit carnis. saniore tandem ductus consilio, ad virum Dei sanctissimum misit, obsecrans, ut imitator Dominicæ benignitatis retribueret ei bona pro malis, & dilectionem pro odio. Vir autem Dei, primò increpando Regem corripit: deinde ipsum tangens, oculis signum crucis impressit. Nec mora, fugit dolor, cæcitas fugatur, & Rex virum sanctum deinceps honorans, quicquid ab eo postea petiit, sine morâ implere curavit. Hæc ibi. Nec pluribus immoror quæ videri possunt in Capgravio. Transeo ad Niniani fidem in quâ mortuus est, & pro quâ creditur sanctus: quam breviter colligo.

Crucis signo cæcus illuminatur.

XV.
Britannorum fides integra.

Communis Authorum omnium sententia, contra Thomam Dempsterum, & alios paucos, est, Insulam hanc, ante Augustini adventum, Christo orthodoxè credidisse: quod è Balæo supra Magdeburgici expresserunt, *veram Christi fidem percepisse*. Et Joannes Fox non malè scribit: *Hoc sæculo* (nimirum à redditâ pace Ecclesiæ per M. Constantinum) *secuti sunt, in Britanniâ, Fastidius, Ninianus, Patricius, & plures alii, qui multo tempore Ecclesiam Britannorum gubernarunt, Christianâ, & salutari doctrinâ: & hoc omni tempore, spatio scilicet quadringentorum annorum, & a Lucio Rege, religio fuit incorrupta, & verbum Christi verè annuntiatum est, usque ad Augustini & sociorum adventum.* Ita ipse.

Fox in actis & monumentis.

Sed mox accusat Augustinum, vocatque fidei corruptorem: quia Romani Pontificis authoritate munitus, sanctorum cultum in Britanniâ propagavit. Quasi verò Fastidius, Ninianus, Patricius, & plures alii, non docuerint eadem: aut quasi Gregorius Augustinum legans, plus suæ sedi arrogaverit, quàm Eleutherius, Siricius, atque Cælestinus: qui Fugatium, Ninianum & Patricium legaverunt. Aut demùm: quasi peccarit Augustinus, fidemque corruperit, docendo Petrum aliosque Apostolos & eorum reliquias colendas esse, qui ante plura sæcula mortem obiverunt. Non peccarit verò Ninianus, qui Martinum recens mortuum, nullius gentis Apostolum, nullaque martyrii palmâ illustrem, coluit. Pudet hoc argumentum prosequi, in quod sectarii toties, & tam

turpiter

turpiter impingunt. Rogandi porrò imposterum sunt, ut vel sanctorum nomina jactare, & in illis gloriari desinant; vel certè eorum fidem & facta æmulentur. Roma Ninianum coluit, hodieque legit in Martyrologio, ad decimum sextum Septembris, ita: *In Scotiâ S. Niniani Episcopi, & Confessoris.* ad quæ verba Baronius notat mentionem de eo esse apud Bedam & Molanum. Eum in Episcopatu excepit Tervanus, de quo suprà.

V. an. 431 5. XV. Sed quod ad Niniani laudem nomenque imprimis facit; est Alcuini nostri Epistola ad fratres Candidæ Casæ, in quâ Niniani virtutes & sanctitas commendantur in hunc modum.

VENERANDÆ DILECTIONIS fratribus in loco Deo servientibus, qui dicitur Candida Casa, Alcuinus Diaconus, Salutem.

Apud Usser. in primord. fo. 669. D*Eprecor vestræ pietatis unanimitatem, ut nostri nominis habeatis memoriam, & intercedere pro meâ parvitate dignemini in Ecclesia sanctissimi Patris nostri Niniani Episcopi, qui multis claruit virtutibus sicut mihi nuper delatum est per carmina Metrica artis: quæ nobis per fideles nostros discipulos Eboracensis Ecclesiæ scholasticos directa sunt. In quibus & facientis agnovi eruditionem, & ejus perficientis miracula sanctitatem, per ea quæ ibi legebam.* Hanc Alcuini Epistolam; quæ inter ejus editas Epistolas non reperitur, exhibuit nobis Usserius qui addit se Niniani vitam ab Kelredo Rievallensi Abbate conscriptam in Bibliothecis Angliæ invenisse: *Extat etiam apud Hibernos nostros*, inquit ipse, *ejusdem Niniani vita, in quâ ob importunam tum à matre, tum a consanguineis frequentatam visitationem, desertâ Candida Casâ; ut sibi & suæ quieti cum discipulis vacaret; Hiberniam petiisse; atque ibi impetrato à Rege loco apto & amœno Cœnobium magnum constituisse, ibidemq; post multos in Hiberniâ transactos annos obiisse, traditur.* Ita ille. Sed nota est Hibernorum ambitiosa pietas Britanniæ sanctos. si jure non possunt, injuriâ ad se trahentium. major testis est Malmesburiensis, qui de Niniani sepulchro hæc habet, lib. 3. de gestis Pontificum. *Candida Casa* (inquit) *vocatur locus in extremis Angliæ, juxta Scotiam finibus: ubi Beatus Confessor Ninia requiescit, natione Brito, qui primus ibidem Christi prædicationem evangelizavit. nomen loco ex opere inditum: quod Ecclesiam ibi ex lapide polito Britonibus miraculum fecerit. Sanctum hunc Niniam præclarum virtutibus experta est Antiquitas.* Intelligit, opinor, hic author Alcuini sæculum, quando miraculis cæpit inclarescere. Tunc enim Niniani, vel Niniæ, vel Nini nomen celebre. & tunc Paschasius Ratbertus miraculum scripsit quod Sacerdoti ad ejus corpus celebranti contigit. *Quidam Presbyter fuit religiosus* (inquit ille) *Plegils nomine, frequenter Missarum solennia celebrans ad corpus sancti Nini Episcopi & Confessoris: qui cum digno moderamine sanctam duceret vitam: cæpit omnipotentem Deum piis pulsare precibus, ut sibi monstraret naturam corporis Christi, atque sanguinis. non ex infidelitate, ut assolet, sed ex pietate mentis ista petivit.* Tum pluribus narrat, Christum in formâ pueri Sacerdoti apparuisse: qui fortè non alius fuit à Niniani fratre, quem passim authores Plebeiam vocant, Capgravius & Tinmutensis sanctum. Probabile etiam Alcuinum in Galliis, hoc miraculo doctum ad Fratres de Candida Casa scripsisse quæ suprà; & preces postulasse.

Idem fo. 1058.

Malmesb. de Pont. l. 3.

Ratbert. de corpore & sanguine c. 14.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1184.

ANNUS CHRISTI 433.

SIXTI PAPÆ 2.

VALENTINIANI IMP. 9.

QUAMDIU Patricius in Hiberniâ laborarit, admodum incertum est: & quia, in re difficili, conjecturis solum agere possumus: illæque ob opinionum varietatem, valde mentem distrahunt: debeo fateri, quicquid imposterum à me dicetur, circa temporis & annorum œconomiam, in Apostolatu ejus, debili solum dubioque niti fundamento. Seligam tamen inter has tenebras, id, ubi major apparet rima veritatis. Guilielmus Malmesburiensis, vel certè qui eum defloratunt Jo. Monachus, & Adamus Domerham in suis Antiquitatibus scribunt, S. Patricium, anno Christi quadringentesimo trigesimo tertio (Consules tunc erant Theodosius XIV. & Anicius Maximus) ex Hiberniâ in Britanniam rediisse: aiunt enim: *Patricius Glastoniam veniens anno quadringentesimo trigesimo tertio, quarto intrante, duodecim fratres anachoreticè viventes, reperiens congregavit.*. [a] Sigebertus tamen & [b] Magdeburgici putant Patricium per annos sexaginta Hibernos docuisse; [c] Vincentius addit id factum, per annos octoginta. In hoc difficultatis Oceano, Haræus, Lippelous, Probus, aliique vitæ ejus Scriptores, ne in scopulos impingerent, nullam, super hac re, quæstionem moverunt, rati tutius esse, evitare cum possis, quàm intrare, cum non cogeris, labyrinthum. Sed ego, qui per annos singula digero; cogor aliquid statuere, non definiendo quicquam, sed conjiciendo tantummodo. I. PATRICII MORA IN HIBERNIA.

Antiquit. in Patricio.

a Sigebert. in Chronico an. 432.
b Cent. 5. fo. 1429.
c Apud Cent sup.

Illi videntur morosiùs agere, qui ita Patricium Hiberniæ affixerunt, per annos sexaginta, vel octoginta, ut inde nunquam discesserit: cum admodùm familiare sit Apostolicis viris, nubium instar, cælum circuire; nunc unam, nunc alteram mundi plagam irrigando: aut certè planetarum more, lucis evangelicæ radios, virtutumque splendorem, provinciis pluribus dispensando. Illi è contra nimium festinare videntur, qui putant hoc anno 433. Patricium docendi onus posuisse; & quæsisse in Glastoniensi Monasterio quietem: nisi velis illos in Apostolatus ejus exordio consignando lapsos, non ad biennium missionem ejus contraxisse, qui anno 425. Hiberniam intravit, ut ipsi suprà putaverunt: sed potiùs octo omnino annos provinciam illam sustinuisse, & demùm octavo, vel nono, post ingressum anno, laborem mutavisse: quod infrà ostendam probabiliter dici. Interim puto, hoc anno Patricium in Hiberniâ laborasse, vineamque, quam colendam susceperat, egregiè propagasse. & paucis annis messem uberem collegisse. quod Lippelous significat, dicens: *Hisce felicissimis Patricii initiis, brevi tempore, Christianismus abundè est propagatus; multiq; à satana fallacia ad veritatis lucem traducti.*. Eum itaque piè in Hibernia aliquos adhuc annos laborantem relinquamus. II. STATUITUR QUOD VEROSIMILIUS.

Lippelo in Patric.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1185.

ANNUS CHRISTI 434.

SIXTI PAPÆ 3.

VALENTINIANI IMP. 10.

WEST-MONASTERIENSIS ERROR IN ANNORUM CALCULO.

AD annum Christi quadringentesimum trigesimum quartum (ad Asparis & Areobirdæ Consulatum) scribit Matthæus Westmonasteriensis, Scotos, Pictosque, cum Norwegiensibus & Dacis, tumultuatos esse, & Britannos fugasse. Sed quia constat ea omnia, Aëtio tertiùm Consule, evenisse, non hoc anno sed posteriùs collocanda sunt. Fefellit eum, pluresque alios, Bedæ locus, l. 1. c. 13. & l. de sex ætatibus; ubi Britannorum gemitus & Epistola ad Aëtium ponuntur, vigesimo tertio Theodosii principis anno. Sed non advertunt, Bedam non nisi ab Honorii morte, Theodosii annos imperii numerasse: hoc est, ab anno Christi 423. à quo undecim tantùm, non tres & viginti anni fluxerunt. Cæterùm post annos duodecim, inveniemus Aëtium tertiò Consulem, & Theodosium è Bedæ mente 26. annos regnantem in Oriente; tunc enimvero Britanni, Valentiniano in Occidente, supplices erunt, contra Scotorum insultus. Hæc ideo notanda sunt, quia bis Baronius Bedam corrigit; quasi in Theodosiani imperii annis lapsum: cum Beda, utrobique vacet à culpâ, si hæc exordii differentia advertatur. Illi potiùs corrigendi; qui Britannorum legationem ad Aëtium ter Consulem, huic anno assignant; cum nonnisi duodecimo post anno dictus Aëtius, tertium aditurus sit Consulatum.

Baron. an. 429. & an. 446. initio.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1186.

ANNUS CHRISTI 435.

SIXTI PAPÆ 4.

VALENTINIANI IMP. 11.

I. PELAGIANA HÆRESIS RENASCITUR.

SEQUITUR annus Christi trigesimus quintus, supra quadringentesimum, Theodosio XV. & Valentiniano IV. Coss. in quo inimicus homo, in medio tritici, floreotique Britannorum Ecclesiæ agro, superseminavit zizania. Enimvero Pelagiana hæresis, quæ evulsa penitùs, & extirpata credebatur; denuò enata, satis ostendit fibras latentis mali reliquas fuisse. Et quoniam Antisiodorensi Germano felicissimè olim successerat, in hujus morbi curatione: ad eum iterum profligandum illum placuit invocare. Ut ille cum Severo Trevirensi Episcopo venerit; ut cum honore ab Insulâ exceptus, ut benè constanterque rem fecerit. dicat Constantius, *scriptor horum temporum*, teste Baronio, *in omnibus integerrimus.*

Baron. loc.

II. Constantius in vita Germani l. 2. c. 1.

Interea nunciatur ex Britanniis, Pelagianam perversitatem iteratò, paucis auctoribus, dilatari; rursumq́; ad beatissimum Germanum preces omnium deferuntur: ut causam Dei, quam prius obtinuerat, tueretur. Quorum petitioni festinus occurrit; dum & laboribus delectatur, & Christo se gratanter impendit. Cessit tandem inimici invidia, victa virtutibus: nec tentare ausus est, quem Dei amicum jam senserat. Adjuncto itaque Severo Episcopo totius sanctitatis viro, qui tunc Treviris ordinatus Episcopus, gentibus primæ Germaniæ verbum Dei prædicabat: Parisios iterum dum expetit, totius plebis plausu, ut tantum virum decebat, excipitur. Interea sinistri spiritus pervolantes per totam Insulam, Germanum venire invitis vaticinationibus nuntiabant. In tantum, ut Elaphius quidam illius regionis primus, in occursum Sanctorum, sine ullâ manifesti nuntii relatione, properaverit, exhibens secum filium, quem in ipso flore adolescentiæ debilitas dolenda damnaverat. Erat enim arescentibus membris, contracto poplite, cui per siccitatem cruris, usus negabatur vestigii. Hunc Elaphium provincia tota subsequitur. Veniunt Sacerdotes, occurrit inscia multitudo. Confestim BENEDICTIO, *& sermonis divina doctrina profunditur. recognoscit populum in ea quam reliquerant credulitate durantem: intelligunt culpam esse paucorum: inquirunt authores, inventosq́; condemnant. Cum subitò Elaphius manibus advolvitur Sacerdotum; offerens filium suum; cujus necessitatem, ætas & debilitas etiam sine precibus, allegabant. Fit communis omnium dolor, præcipuè Sacerdotum, qui conceptam misericordiam ad divinam clementiam contulerunt. Statimq́; adolescentem B. Germanus sedere compulit, attrectat poplitem debilitate curvatum, & per tota infirmitatis spatia medicabili dextera percurrit. Salubrem tactum sanitas festina subsequitur: ariditas succum, nervi officia receperunt: & in conspectu omnium filio incolumitas, patri filius reformatur. Implentur populi stupore miraculi, & in pectoribus omnium fides Catholica firmabatur. Prædicatio deinde ad plebem, de prævaricationis emendatione convertitur: omniumq́; sententiâ, pravitatis authores expulsi ab Insula, Sacerdotibus adducuntur. Quod in tantum salubriter factum est; ut in illis locis etiam nunc fides intemerata perduret. Itaque compositis omnibus beatissimi Sacerdotes, eâ qua venerant prosperitate, reversi sunt.*

GERMANUS ITERUM CUM SEVERO TREVIRENSI IN BRITANNIAM VENIUNT.

ELAPHIUS OCCURRIT, CUM FILIO.

RES EIUS GESTÆ.

MIRACULO CURATUR ELAPHII F.

III. TEMPUS SECUNDI ADVENTUS EXCUTITUR.

Quod ad tempus spectat secundi hujus Germani adventus; Authores aliqui confusè satis loquuntur; nec primam expeditionem ejus ab alterâ distinguunt. Unde fit etiam, ut tacito Severo, Trevirensi Episcopo, Lupum denuò Germani socium nominent. Ita peccat Sigebertus in Chronico ad annum 436. in hunc modum scribens. *Tempore hoc, Germanus Antisiodorensis & Lupus Trecassinus, petentibus Britannis, in Britanniam diriguntur, ut hæresim Pelagianam, quæ ibi ante annos aliquot pullulârat, confutarent: & rectam fidem Apostolicâ authoritate solidarent, atque ut Christianitatem, quæ ibi per societatem Paganorum corrupta fuerat, restaurarent.* Quòd porrò nominet annum 436. referri quidem potest ad moram quam Germanus hac vice fecit in Insulâ. Nam probabile est, eum non eodem quo venit anno, è provinciâ solvisse. Cæterùm quod hoc anno 435. ad nos redierit Baronius, Gordonius, aliique affirmant. & Beda secundùm hunc adventum referens. *Nec multò post*, inquit, *interposito tempore nunciatur ex eadem Insulâ, Pelagianam perversitatem, iteratò paucis authoribus dilatari.* Non ergo prima Germani expeditio, procul ab alterâ ponenda est. nec debet Germanus, tam cito à nobis discedere; quem constat, profligata hæresi, rem Ecclesiasticam hoc tempore Apostolico more, procurasse. nam superiorum temporum experientiâ doctus, timere jure poterat inconstantem

Sigeb. an. 436.

Beda l. 1. c. 21.

plebem;

plebem; nisi penitùs malum aboleretur, mentesque in fide firmarentur, ad ingenium reversuram. lustravit ergo Insulam, Ecclesias ordinavit, consecravit Episcopos, gymnasia invisit, tulitque leges; & olim latas, ratas habuit. Quæ omnia enucleatiùs exponenda sunt.

IV. REIP. STATUS.

Quoniam verò difficile est: hæc omnia suis locis reponere: aut certò definire, quis alter Reip. status fuerit; qui Reges, & quo jure administrarint, ob Authorum hac in re tenebras, vel silentium: ideo in sequentem ea annum rejicio; monito Lectore, ideo impeditam esse, hoc tempore, rerum gestarum seriem; quia Britanni antiquiores; dum sua, è Bardis vatibusque efferre conati sunt; figmentis pleraque fabulisque miscuerunt. Hos alii incautiùs sequuti, Constantinum nescio quem creaverunt Britanniæ Regem, Scotis Pictisque, qui nuper tumultuari credebantur, opponendum. Ita enim Gordonius scribit ad hunc annum. *Britanni, desperato Romanorum auxilio, & vexati: tandem Regem sibi creant Constantinum: quem subsequentur ordine Vortigerius, Vortimersus, Vtherius, Arturus, & alii.* Sed quicquid ipse, ali que de hoc Constantino asserunt; in illum planè referendum est, quem suprà anno septimo hujus sæculi, creatum dixi in Britanniâ Imperatorem. nec duo tam leviter fingendi sunt Constantini hoc sæculo, qui Constantem Monachum filium habuerunt; quorum uterque, nullo intermedio, Vortigernum præcessit. Est itaque verius; & Britannos, & Pictos, per regulos, pluresque viros principes, sua omnia procurasse: & tandem desperatis rebus omnibus, Regem unum creavisse, belli ducem: cum ingruentem hostem, nullâ vi aliâ, poterant propulsare. nunc Germanum revisamus, & annum sequentem.

Gordon. hic.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1187.

ANNUS CHRISTI 436.

SIXTI PAPÆ 5.

VALENTINIANI IMP. 12.

I.

IN tenebris, & sine duce versor, dum annos consigno, tempusque quo in hac Insulâ mansit S. Germanus: nec juvat me Baronius, qui aliàs solet præferre facem: quia cum postremam Germani legationem optimè retulisset ad annum Christi 435. eâ absolutâ, & paucis interpositis, Germani mortem describit. quæ tamen nullo modo intelligenda est, eodem anno contigisse (ut Baronium perperam intelligit * Usserius, eumque ideo, *non optimum Chronologum* vocant.) nam qui solvens ex Insula Armoricanæ regionis tumultus composuit; indeque in Italiam profectus est; plura sine dubio præstitit, quàm quæ unius anni termino circumscribi potuerunt. Adde, qui triginta annis Episcopalem sedem tenuit, ut constantiùs fatetur: quique ingressus est illam anno Christi 418. diu adhuc superstes est. & meliùs differtur ejus obitus ad annum hujus sæculi vel quadragesimum octavum ut Sigonius, vel quinquagesimum, ut disertè Sigebertus in Chronico, Vincentius in speculo, & alii adnotant. Cætera ergo quæ Germanus in Britanniâ gessit, refero ad annum Christi quadringentesimum trigesimum sextum, & ad Isidorum, & Senatorem Consules. Sunt autem quæ sequuntur.

* Usser. in primordiis c.12 fo 382.

GERMANUS QUAMDIU VIXERIT.

Sigonius de Occiden. Imper. l. 13.

II. EPISCOPI A GERMANO CONSECRANTUR.

Vidit Germanus Britannorum Ecclesias pastoribus viduatas esse: ac ita gregem faciliùs fluctuare: existimavit itaque confirmando populo optimum compendium esse; si plures per Insulam, & selecti Antistites, Ecclesiis præficerentur. Ita legimus in Landavensi Historiâ, Dubricium & alios à Germano, socioque consecratos esse Episcopos. *Postquam* (inquit) *prædicti seniores, Pelagianam hæresim extirpaverant, Episcopos pluribus in locis Britanniæ consecraverunt. Super omnes autem Britannos, dextralis partis Britanniæ, Beatum Dubricium, summum Doctorem, à Rege, & ab omni parochiâ electum Archiepiscopum consecraverunt: hac dignitate ei à Germano & Lupo* (sed lege Severo) *datâ, constituerunt ei Episcopalem sedem, concessu Mourici Regis, principum cleri & populi apud podium Lantavi, in honore S. Petri Apostoli fundatam, & cum finibus istis,* &c. Hæc ibi. Et paulo infrà, addit hæc contigisse circa annum Domini 430. Sed irrepsere aliqua huic narrationi, quæ egent limâ. Imprimis Dubricius, qui consecratus dicitur Landavensis Antistes, needum vocari debet Archiepiscopus: immo sedes illa nunquam eò Ecclesiastici honoris & præeminentiæ surrexit. posteriùs quidem, aliò sedes illa translata est; nimirum in urbem Legionum (quæ sub hæc tempora, frequens & populosa civitas) & ita demum facta est Archiepiscopi sedes. Quod ad Mouricum vel ut alii Mouricum Regem spectat; inter Australis Cambriæ (hoc enim Dextralis Cambria, Britannorum dialecto significat) principes, id est, minorum gentium Reges numeratur: fuitque filius Theodorici Morganniæ Dynastæ: qui, ut refert modernus Godwinus Landavensis; resignato principatu, monasticam vitam, seu eremiticam amplexus est: & postea cum Saxo provinciam invaderet; è cella eductus, & strenuè in hostem irruens, lethaliter ictus, meruit locum inter Martyres. uterque sanè Regiæ Fidei vir, sive parentem spectes, sive filium: nam ille Apostolorum Principem Petrum coluit extructo templo in honorem ejus: iste coluit religiosam vitam. Utrumque ab hujus Insulæ Regibus sæpè postea factitatum. Verùm, si rationem temporis spectes; Mouricus hic Landavensis Ecclesiæ dotator, non potest referri ad annum Domini 430. si verum est quod in eodem Landavensi Codice legitur, & refert Godwinus in Catalogo; & ex utroque Usserius, de Oudoceo sancto, qui tertius fuit Landavensis Episcopus; nimirum, quod *Rex Mouricus cum duobus filiis suis* (ita habet Regestum suprà) *& uxore suâ, & tribus Abbatibus trium cœnobitarum, & cum omnibus principibus regni sui, & totâ familiâ sanctorum Dubricii & Teliavi, Ecclesia Landavensis, susceperit S. Oudoceum, cum gaudio: dans & confirmans idem privilegium datum antea S. Dubricio, sanctoque Teliavo, & suis succedentibus, cum omni dignitate sua & libertate, id est, sine Consule, sine Proconsule, sine conventu, intus nec extra, sine expeditione, sine vigilandâ regione infrà, nec extrâ, & cum totâ curiâ suâ plenariâ, & liberâ, & integrâ, ut Regiâ: & cum suo refugio, non ad tempus, sed sine termino, quamdiu voluerit profugus maneat tutus sine protegente clypeo humano, sub ejus asylo.* Hæc ibi. Et habes Ecclesiasticæ immunitatis & libertatis modum, formamque, quam Lucius & Constantinus longè priùs, ob sacrificii reverentiam Ecclesiis indulsit:

Historia Landaven.

DUBRICIUS LANDAVENSIS EPISCOPUS.

Godwin. in Catal. in Landaff.

THEODORICUS MARTYR.

Usser fo. 88.

mansitque omni Saxonum sæculo, cum templorum & altarium splendore auctior, quamdiu mansit orthodoxa fides. nunc deficiente sacrificio, & submotis altaribus Ecclesiarum privilegia, cum antiquâ fide, antiquata sunt. Cæterùm quàm pius fuerit in Landavensem sedem Mouricus, testatur id quod in Oudocei vitâ legitur ita. *Sicut Ro. Ecclesia excedit dignitatem omnium Ecclesiarum Catholica fidei; ita Ecclesia illa Landavia excedit omnes Ecclesias totius dextralis Britannia in dignitate, & in privilegio, & in excellentia.* quæ verba opportunius excutiam libro sequenti. nam auctam Ecclesiam illam, Mourici beneficentiâ, sub annum Domini 560. Godwinus notat, & S. Oudoceus eò referendus. Unde quod suprà dictum est nutare videtur. Sicut & illud quod habet Usserius, Oudoceum à Cantuariensi Archiepiscopo consecrationem accepisse. plura de Landavensi Ecclesia dixi an. 189. n. 4.

V. Usser. fo. 00.

V. an. 560. n. 10.

Usser. sup.

III. Dubricii ortus et parentes.

Cont. 5. in Dubricio.

Redeo ad Dubricium: & quæro quis ille, & unde? Respondent Magdeburgici: *Dubricius, Gassius Vagensis, à solo natali sic dictus, Monachi fortassis ex Euedilâ nobili juvenculâ filius, valde celebris evasit apud Anglos.* Sed ineptè: necdum enim Dalila Sampsonem seduxerat: necdum inquam Lutherus docuerat Monachos generare filios è juvenculâ. Dic ergo meliùs è sensu Scriptorum omnium: Dubricius natione Britannus, patriâ Demetâ, cognomento Guainius, à fluvio Guaino, ad cujus ripam in lucem fuit editus. Patris nomen Authores tacent: matrem habuit Euedylam, fœminam præstantissimam. ita Pitsæus, Balæus, David Powellus, & vita S. Dubricii apud Capgravium. Cæterùm Dubricius puer ut in vitâ ejus legitur. *Literis imbuendus traditur: & juvenis factus literarum scientiâ, in tantum profecit; ut non solum rudes, sed etiam periti, ædificandi gratia ad eum confluerent. Inter quos erant S. Thelians, Sampson, Aidanus, & cæteri multi. In nativitatis sua solo juxta ripam Vaga fluminis* (Vagam latinorum vulgus vocat;) *aptam sibi & discipulorum multitudini sedem elegit, & pluribus annis ibidem studium rexit. Constructâ autem Ecclesiâ jussu Angeli Domini prædicabat, & populum docebat, & manus ejus impositione diversorum morborum languores crebrius sanabantur: Anxii quicumque & debiles, læti & incolumes redibant.* Hæc ibi. Denique talis fuit Dubricius, quem non Monachus & juvencula, hoc est vagi amores, sed castissimi videntur peperisse. Scholarum ejus ad Vagam fluvium alii etiam Scriptores meminerunt: erantque hoc tempore tam celebres, ut Dubricius inde vocatus sit Vagensis. Pitsæus enim ita de eo: *Dubricius,* inquit, *dictus est Vagensis à Vago flumine, juxta quod scholas aperuit, & omnes undecunque adventantes, bonas literas docuit.* Meritò igitur S. Germanus, virum eruditione clarissimum, in Episcopali cathedrâ, collocavit.

Pitsæus in Dubricio. Balæus ibid. Powel. annot. in c. 1. l. 2. Item. Camb. Capgra. in Dubricio.

Patricii vitæ genus.

Pitsæus sup.

IV. Vitæ periodus incerta.

Sunt qui mortuum ponunt S. Dubricium ad sequentis sæculi annum vigesimum secundum. ita Pitsæus, Balæus, & Magdeburgici: unde annosum oportuit esse cum moritur, si à Germano hoc anno consecratur Episcopus; incerta igitur est vitæ ejus periodus, quam Authores vitæ implexam faciunt, cum Episcoporum nomina pro libito apponunt. Ita Capgravius: *Sancti Episcopi,* inquit, *Germanus & Lupus, consentiente Rege Ambrosio Aurelio, necnon & omni clero, Dubricium Archiepiscopum consecrarunt.* Ubique hic erratur. Primò inter sanctos Episcopos hic non Lupus Trecensis, sed Severus Trevirensis nominandus erat. Iterum quod Regem spectat Aurelium Ambrosium: licet verum sit ipsum Dubricii tempore regnavisse, ut infrà: probabilius tamen est, Germano vivente, nullam in provinciâ administrationem suscepisse. Melius ergo Landavensis historia dixit, hæc tempora respiciens, Dubricium consecratum esse, consentiente Rege Mourico. Denique Dubricius hoc anno Landavensis tantum Episcopus; post plures annos, Aurelio Ambrosio regnante, urbis Legionum, in agro Monumetensi, vulgò Cair-Leon factus est Archiepiscopus. quæ exinde Metropolis fuit.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1188.

ANNUS CHRISTI 437.

SIXTI PAPÆ 6.

VALENTINIANI IMP. 13.

I. Germanus Oxonium inviait.

Germani mora in Britanniia materiam scriptioni suppeditat: quam licet suis propriè annis consignare non possim: nolo propterea illam omittere. Cum itaque Ecclesias ordinasset, descendit in aliud quod æquè ad puritatem fidei; magis autem ad ejusdem fidei æternitatem faceret. Inspexit, inquam, scholas: instituitque de novo, qui juventuti erudiendæ, utilem utrique Reip. operam navarent. Ita cum in Cambriâ Episcopalem sedem posuisset, anno superiore; rediit opinor hoc anno quadringentesimo trigesimo septimo, Kelio & Sigelvulto Coss. ad Insulæ mediterranea, ubi Oxoniensem scholam, in Dobunis confirmavit. Ita Authores passim, antiqui & moderni. Nec enim illis assentior, qui putant Germanum Oxonii studuisse, circa annum Domini quadringentesimum quadragesimum: ut Oxoniensis scholæ advocatus, Brianus Twynus in Apologiâ, quam scripsit pro antiquitate Academiæ suæ, promittit se *bona fide* demonstraturum. Sed bona hæc fides, vereor, ut subsistat: nam melior fides dicit, eum triginta saltem annorum Episcopum, sub Valentiniano Imperatore mortuum: debuit ergo circa annum Domini 440. positâ prætextâ, extra magistri Oxoniensis ferulam fuisse. præsertim si verum est quod Camdenus noster affirmat è melioribus & classicis Authoribus probari, Germanum mortuum esse anno Christi 435.

Non ibi studuit.

Brian in Apol. l. 2.

II. Docuit potius.

Camden. in Anglo-Saxo.

Dicendum ergo potiùs, Germanum sub hæc tempora, magistri cathedram tenuisse; & plures in Britanniâ auditores collegisse. Camdenum fortè fefellit Baronii locus; ubi alterum Germani adventum explicans ad annum 435. reliqua, more suo, congerit quæ sunt vitæ ejus, & incerti temporis. Quod & ego cogor facere, in Sanctorum rebus gestis, quoties eas suis locis consignare non possum. Inter Germani discipulos, qui hoc tempore illi adhæserunt, plures nominantur sanctitate & doctrina eximii, Eos inter Iltutus; de quo ita scribit Pitsæus. *Iltutus, seu Elcutus Morganensis, vir illustri loco apud Britannos natus, & ordinis equestris; discipulus aliquando S. Germani Altisiodorensis Episcopi: postea sub Dubricio regularem accepit disciplinam; eoq; duce mundum reliquit, Christo militavit. Et exinde consentiente*

Pits. in Script. in Iltuto.

Iltutus Germani discipulus.

conjuge,

conjuge, perpetuam castitatem (quod & uxor sponte fecit) vovit, & coluit; atque à magistro suo, S. Germano Sacerdos ordinatus est. Hæc ille. Initium conversionis ejus refertur ab aliis ad S. Cadocum Abbatem: & ita narratur à Capgravio. *Cadocus consilium dedit Ilruto, sæcularem habitum deserere, & in toto vitæ suæ spatio, propter æternam retributionem, summo Creatori servire. Ille verò verbis sancti assensum præbens, & mansione aptâ inventâ; Dubricium Landavensem Episcopum adiit; qui tonsis capillis ejus, coronam benedixit; & ad locum suum eum remisit. Constructâ itaque Ecclesiâ, Ilrutus vigilavit jejunando assiduè, & orabat sine intermissione; laborabat propriis manibus; in alienis laboribus non confidens. Nocte media aquam frigidam intravit, & inde ad Ecclesiam pergens, & genua flectens summo conditori preces fundebat.* Cadocus hoc loco nominatus, valde probabiliter ab eo distinguitur, qui Gunloc filius, & Brachani è filia nepos asseritur: licet sanctorum vitas colligentes utrumque in unum confuderint. Hic ergo ille est; qui toties Romam peregrè profectus, alio nomine Sophias dicitur: quique virtutum merito, Beneventanæ sedis, & Episcopi dignitatem obtinuit: ac demum in orthodoxæ fidei professione, violentam mortem, inter Missarum solennia constantissimè sustinuit. Unde Martyris nomen promeritus, in Fastis nostris, ad 24. Januarii cum aliis sanctis cultum habet. meminit S. Sophiæ Philippus Ferrarius in Catalogo generali, passumque ait anno 490. fallitur tamen, cum eum vocat *Beneventæ in Anglia Episcopum.* Capgravium citans, qui tamen, *notissimam illam Italiæ urbem Beneventanam intelligit*, inquit Usserius in primordiis fo. 471. De hoc Sancto vide plura ad annum 490. 1.

CADOCUS ABBAS. *Capgrav. in Ilruto.*

III. Vides Lector hoc difficili tempore, etiam moriente Britannorum Rep. clarissima sidera sanctitatis *Fideiq. Regiæ.* Habes sanctos & monasticæ vitæ cultores: habes utrumque sexum castitatem voventem, docente Dubricio, exemplo Germani. Viderunt hoc Romanæ fidei hostes, Magdeburgici, & quia inficiari non possunt sanctos hos orthodoxæ fidei argumenta esse: illos & illorum acta dehonestant. Dubricium suprà fecerunt Monachi filium: Theliaum ejus discipulum (quem Thelesinum Heliqum vocant) describunt ex Bardorum genere, Anglicum vatem: quem constat nobiliter natum, nec Bardum, nec Anglicum fuisse. De eo sæpè inferiùs an. 519. n. 5. an. 559. 2. &c. Denique de Ilruto ita scribunt. *Ilrutus spiritu Antichristi insignis fuit; nam contra Pauli doctrinam contemnens, uxorem pudicissimam repudiavit; & oculis insuper privavit.* O quatuor capita, semper de uxoribus somniantia! paulo suprà dixerunt (opinor vigiles:) *Ilrutus Morganensis in Scripturis veteris & novi Testamenti, & philosophia, præ omnibus suæ gentis eruditissimus, & à Deo, scientiâ futurorum ornatus fuit.* & tamen cum postea legerent, uxorem Dei amore ab eo derelictam, & castitatem ab utroque votam esse, adeo fuerunt impotentes, ut obliti eorum quæ priùs dixerunt; obliti verborum Christi: *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & uxorem, &c. non potest meus esse discipulus.* immo obliti omnis humanitatis, reverentiæque erga majores, infamem eidem Antichristi notam adscribunt. Omitto quod impudenter mentiantur, cum dicunt Ilrutum uxori oculos eruisse; cujus rei nulla, vel

THELIAUS DUBRICII DISCIPULUS.

Cent. 6. c. 10.

ILRUTUM TRADUCUNT SECTARII.

Lucæ 14. v. 26.

levis, mentio in vitâ & gestis ejus.

IV. Nec omittendum quod habet Andreas Saussaius, in Gallicano Martyrologio, de S. Brioco, urbis Briocensis in Armoricâ primo Episcopo: quem Germani discipulum facit, illique in Galliam redeunti socium. ita enim scribit ad ultimum Aprilis. *S. Briocus, patriâ Anglus* (Britannum intelligit) *è provinciâ Corticianâ, nobili editus stirpe, à S. Germano Altissiodorensi fidem ibi disseminante orthodoxam, in Galliam abductus, ibique pietatis disciplinis feliciter institutus; postquam altè documenta salutis imbiberat, patrios ad lares rediit, parentes suos verâ fide informavit; quam circumquaque prædicans plurimum propagavit. Hinc Dominus talenti amplius multiplicandi cupidus, concessit in Armoricam: Conanum Trecorensem Comitem, affinem suum, irradiando superno evangelicæ veritatis lumine divino lavacro abluit. admotaque, religiosæ vitæ cultoribus Cœnobium construxit; sedique Pontificalis illic crepundia, conferente Conano, fundamenta collocavit. ubi a metropolitâ Turonensi, suscepto Pontificalis ardui honore, maximo virtutum splendore præfuit annis ferè triginta. Deinde Andegavum profectus, ob res sacræ incrementa, ibidem puram exhalavit animam. Unde sacrum ejus cadaver revectum, in Ecclesiâ quam construxerat, conditum, decenti honore, crebrescentibus ad ipsam ejus miraculis, & Cœnobio, & oppido, matricique Episcopatus adi, ut nomen indidit, sic & opitulationem prætendit perpetuam.* Hæc ibi. Porro hic nobis litem intentant Hiberni, qui nolunt Briocum dici patriâ Anglum, aut Britannum: sed Hibernum, è territorio Corcagiensi oriundum. Ego nolo contentiosum funem trahere: sed quæso tantum Usserium, ut dispiciat, utrùm Germanus in Hiberniam descenderit an in Britanniam? nam inde debent colligi discipuli ejus. Verùm non Germani Altissiodorensis, sed Germani Parisiensis, inquit ille, discipulus fuit Briocus. Cur illud, inquam ego, Saussaius Parisiensis ignoravit, qui plurima de Germano illo scripsit, nullâ Brioci factâ mentione? Profectò Conani affinitas, & temporis ratio, in hoc potius sæculum, quo Altissiodorensis floruit; quàm in sequens, quo Parisiensis vixit, referendum suadent, & unà, Briocum Britannum fuisse.

Marty. Gal. loc. 30. Apri lis.

V. Camdenum in Hibernia, & urbe Corcagiensi, id est, Corke.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1189.

ANNUS CHRISTI 438.

SIXTI PAPÆ 7.

VORTIGERNI REGIS 1.

I. INTER Germani res gestas in Britanniâ, interdum mentio est Vortigerni Regis; hactenus tamen interruptam vidimus Regum seriem; & provincias, à suis Regulis administratas diximus: fatendum tamen est, cum diutius Romani ab Insulâ abfuissent; cum vicini Scoti Pictique vires indies animosque sumerent: tum demum inito fœdere, ad propulsandum communem hostem, provincias conspirasse: & unum exercitus ducem optasse. quod olim etiam cum Julius Cæsar Britanniam ingressus est, factum suprà diximus. Conveniunt ergo in Vortigernum; qui ad Britanniæ excidium natus; cum Scotorum

VORTIGERNUS REX ELIGITUR.

incursibus

incursibus Insula pulsaretur, vocavit in subsidium, è Germaniâ bellicosum Saxonem: & illis, ô pudor! prostituit patriam. illum ergo imposterum, submoto Valentiniano, Annalibus præfigo: quia Roma deinceps adesse noluit.

II. DE EXORDIO REGNI EIUS. *Spedus in Vortigerno c. 12.*

Quod spectat ad exordium regni ejus, à nemine consignatum invenio: quia tamen cum sedecim annis regnasset, exauctoratus est; ut Joannes Spedus, aliique scribunt: substituto in ejus locum Vortimero filio, sub annum Christi 454. ut iidem affirmant: cur non ponenda sunt regni ejus initia, ad annum Christi quadringentesimum octavum, & Theodosium XVI. & Faustum Consules? Video tamen hoc inde sequi incommodum: quod debeat Germanus plures annos in Britanniâ morari, si verum est, quod Vortigernum, rebellem & lascivientem Principem, percusserit postea excommunicationis fulmine: & cum adhuc parere nollet Ecclesiæ mandatis, pergeretque contumax esse, divinitis illum igne perdiderit. sed revera catechresis est, mediæ ætatis Scriptoribus usitata, iis præsertim qui Sanctorum vitas collegerunt; Regum & Episcoporum nominibus, utine dicam, an abuti? Ad Vortigernum quod attinet, fuit is, priusquam ad regnum assumeretur, vir princeps inter Danmonios: ideoque à plerisque Cornubiæ Comes appellatus: licet ab aliis, Gevisseorum Consul. Uxor illi paris nobilitatis fœmina; ex qua tres filios susceperat, Vortimerum, Catigernum, & Pascentium. Cum illa Vortigernus, quamdiu in conjugali fide mansit, benè & è virtute administravit provinciam: sed eâ, vel mortuâ, vel amotâ; effrenis Rex, se in vitia, & Remp. in ruinam, dedit præcipitem. Malmesberiensis de gestis Regum, & hoc tempore scribens, ita loquitur. *Erat eo tempore Rex Britanniæ Vortigernus, nec manu promptus; nec consilio bonus: immò ad illecebras carnis pronus, omniumq; ferè vitiorum mancipium. Quippe quem subjugaret avaritia, inquietaret superbia, inquinaret luxuria. Denique ut in gestis Britonum legitur, filiam suam spe regni solicitatam stupro fregerat, & ex ea filium tulerat.*

QUIS VORTIGERNUS.

EIUS FILII

Malmesb. l. 1. de Reg. c. 1.

FAUSTUM INTELLIGIT.

III.

Hic abit calamus ab avitâ Regum pietate, vitiisque inficitur; quia Occidentis regni causas, miseramque conditionem, & luget, & explicat. Calamitatis initium à Vortigerno fuit; qui habenas imperii nactus; licet orthodoxam fidem non amiserit; fidei tamen, & virtutis opera penitùs omisit, sanctorum præsulum, quos revereri debuit monita, precesque contempsit, & secutus naturæ peccantes impetus, vindicem Dei manum, ad se, regnumque perdendum traxit. Sed lætiora primùm videamus: & Dubricium, vel è Landavensi sede, vel è Vagensi gymnasio, ordinantem clerum. Ille enim: *Non solùm in Britannia* (loquitur Pitsæus) *verum etiam ex aliis nationibus, frequentem habuit discipulorum concursum: quos omnes docuit liberales artes, sacras literas, timorem Dei, amorem Catholicæ fidei, odium omnium errorum, & hæresum. Vnde factum est, ut ex ejus scholâ prodierint viri, doctrinâ, & zelo divinæ gloriæ pleni, qui Pelagianam hæresim in Britanniâ paulò post penitus deleverunt.* Hæc ille.

DUBRICIUS DOCET PLURES. *Pitsæus in Dubricio.*

IV. PRÆCIPUI EIUS DISCIPULI.

Illustriores fuerunt, Teleanus, Iltutus, Daniel & Sampson. Teleanus per omnes virtutum gradus ad summam vitæ sanctitatem hoc tempore currebat, & paulò post Dubricio in Landavensi sede successit. Ejus vitæ exordium ita refert à Capgravio. *S. Theliaus ab infantiâ Dei cultor existens, orationibus & vigiliis Deo militavit, seipsum ut alios pingues faceret, macerabat: omnia quæ possidebat, pauperibus erogabat; & aliorum miserebatur, ut misericordiam consequeretur. Ex nobilibus parentibus ortus, ut carnis nobilitas inter homines honestaret eum, qui jam animi nobilitate, apud Deum acceptabilis erat. Post incrementum autem ætatis, virtutum & sapientiæ, congruo nomine Helios a sapientibus nuncupatus est. Helios enim græcè Sol interpretatur. Fulgebat enim sicut sol doctrina ejus, fidelium illustrando corda. A S. Dubricio Episcopo in Scripturis sanctis eruditus fuit; donec eum tantæ indolis puerum perpendit, ut Spiritu sancto cooperante Scripturarum nodos perfecte explicaret.* Hactenus ibi: reliqua dicemus suo loco, sicut de Daniele & Sampsone; qui paulo posteriores fuerunt, senemque Dubricium, in Evangelio prædicando adjuverunt.

Capgrav. in Theliao.

S. THELIAUS.

An 519. n. 3. de Daniele ibi n. 4.

V. GERMANUS PROBAT OXONIENSE STUDIUM.

Hi flores, è Britanniæ hortis prodierunt; è studiis inquam, quæ hoc tempore satis illustria, Germanus sanctus visitasse & approbasse dicitur. Eò enim referendum est, quod Asserius, vir antiquæ fidei, atque authoritatis, ante annos octingentos scripsisse putatur; cum tractans controversiam inter Grimbaldum; quem Alfredus Rex è Gallis vocaverat, ad Oxoniensem scholam regendam; & veteres illius scholæ alumnos; circa ordinum & instituti mutationem: ita veteres, pro se & antiquis Academiæ institutis, disputantes introducit. *Quin etiam*, inquit, *probabant & ostendebant, idq; indubitatò veterum Annalium testimonio, illius loci ordines, ac instituta; à nonnullis piis & eruditis hominibus fuisse sancita: ut à Divo, Gilda, Melkino, Nennio, Kentigerno, & aliis, qui omnes literis illic consenuerunt, omnia ibidem felici pace & concordiâ administrantes. Ac Divum quoque Germanum Oxoniam advenisse, annumq; dimidium illic esse moratum. Quo tempore per Britanniam iter fecit adversus Pelagianorum hæreses concionaturus, ordines & instituta supra mirum in modum comprobavit.* Quid de hoc Asserii loco dicendum sit, dicam pleniùs ad annum 886. Interim è Britannia in Hiberniam solvamus.

Asser ad an. 886.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1190.

ANNUS CHRISTI 439.

SIXTI PAPÆ 8.

VORTIGERNI REG. 2.

I. REDIT PATRICIUS IN BRITANNIAM.

CUm octo omninò annos Patricius in Hiberniâ laborasset, fidemque in illis partibus egregiè dilatasset; Hiberniam reliquisse, & in Britanniam rediisse Authores plurimi tradiderunt. Malmesberiensis in Antiquitatibus Glastoniæ ita scribit: *Patricius anno Domini 433. Hibernicos ad fidem Christi convertit. Demum Britanniam reversus in optima conversatione per triginta novem annos in Insulâ Avaloniæ permansit.* Quod ad tempus spectat reditus ejus, cum Authores Antiquitatum Glastoniensium suprà putaverint ipsum in Hiberniam ivisse anno Christi 425. & modo dicant rediisse 433. planè significant octennem in Hiberniâ moram. Quam ego ab anno Christi 431. ad annum quadringentesimum trigesimum nonum, & Theodosium XVII. & Festum

QUAMDIU MANSIT IN HIBERNIA?

Coss. produco; aioque post illos, S. Patricium, hoc anno, in Britanniam rediisse: an Glastoniam iverit, an aliò, nunc videndum: nec mirari debes Lector, virum Apostolicum prædicationis officium intermittere; vel ob contemplationis dulcedinem; vel ob alia opera Christianæ pietatis: quia ubique hoc videre est in sanctis viris, qui Christo pleni, & Spiritu sancto ejus; non in unam provinciam, sed in plures; immo in universum Orbem, eundem Spiritum si liceret, effundere ac eructare cuperent. & sine dubio is fuit Patricius, qui majorem omni Hibernia Spiritum haberet; quemque Britannia votis expeteret, ut ejus quoque luce & sanctitate frueretur.

II. Cur Hibernia exiverit? Romam proficiscitur. *Usserius c. 17. fo. 870. dicit Romam ivisse an. 462. Capgrav. in Patricio.*

II. Plura etiam Patricium movere poterant, ut sub hoc tempus Hiberniam relinqueret; monasticæ quietis amor, & Romam invisendi, rationemque Apostolatus sui reddendi consilium. Utrumque Patricium hoc anno movisse, probabile est, & traditum ab Authoribus. Usserius, Jocelinus, & Author operis tripartiti, sed & Capgravius affirmant virum sanctum, cum strenuè in Hiberniâ laborasset, denuò Romam profectum esse. *Posthac*, inquit Capgravius, *prospero itinere perrexit Patricius Romam: & detulit inde reliquias Apostolorum Petri & Pauli, & Stephani Martyris, & linteamen super quod fuit sanguis Domini nostri IESV CHRISTI; & reliquia ista retro altare Patricii reservantur.* Hæc Romana profectio aliquibus displicebit, quos reliquiarum mentio, & Sanctorum cultus torquet. Sed nihil moror: nam debent silentium imponere Authoribus omnibus, si nullam his temporibus fieri volunt reliquiarum mentionem. Baronius hunc annum ita auspicatur: *Quadringentesimus undequadragesimus sequitur Christi annus, Consulibus Theodosio decimum septimum atque Festo notatus. Quo, inquit Marcellinus, Eudocia uxor Theodosii Principis, ab Hierosolymis in urbem Regiam remeavit, Beatissimi Stephani primi Martyris reliquias secum deferens, quas in Basilicâ S. Laurentii positas, fideles venerantur.* Hæc ipse. *Theodorus quoque Lector habet sub Theodosio Imperatore, reliquias S. Stephani, & S. Agnetis, collocatas esse Constantinopoli in martyrio S. Laurentii. Apud Cedrenum, de eatundem S. Stephani reliquiarum translatione hæc leguntur: Theodosius imitatione Pulcheriæ, multum pecuniæ misit ad Archiepiscopum Hierosolymitanum, egenis distribuendæ, ac crucem auream lapidibus pretiosis ornatam, quæ in Cranio (nempe Calvariæ loco) figeretur. Archiepiscopus vicissim ei dono misit reliquias dextræ manus Stephani primi Martyris. Quæ cum essent Chalcedonem perlatæ; eâ ipsâ nocte, Pulcheria Augusta S. Stephanum vidit sibi dicentem. En impetrasti, quod precibus tuis petebas; & ego Chalcedonem vidi. Itaque ipsa assumpto fratre, obviam sacris reliquiis istis profecta est, iisq; in palatium illatis, munificum templum Beatissimo Stephano condidit, in eoq; reliquias deposuit.* Hæc omnia Baronius.

Reliquias Sanctorum Roma tulit. *Baron. hic.*

Reliquiarum veneratio per universum Orbem.

III. Ut Stephani reliquiæ per Africam et Occidentem distributæ.

III. Quæ ideo allata sunt, ut quod de Patricio dicitur, magis firmetur. Nihil enim mirum, si Romam proficiscens Stephani reliquias secum retulerit; cum jam per universum Orbem innotuerit celeberrima S. Stephani corporis inventio, quæ anno decimo quinto hujus sæculi mirabiliter evenerat: ejusque sacras exuvias Oriens & Occidens, summis infimisque precibus postulaverat. Orosius Presbyter, teste Marcellino, primus eas intulerat Occidenti. Ab eo Augustinus Hipponensis, Possidius Calamensis, Evodius Uzalensis Episcopi, illas acceperant, templaque in memoriam Protomartyris erexerant; ut fusè ex ipso Augustino probat Baronius. Idem fecerant Projectus & Lucillus, Africani Episcopi: denique in omnes ferè Africanas Ecclesias, Augustinus eas diviserat. Hispania, Lusitania, Minorica Insula easdem honoraverat. Fecit ergo Patricius quod ab aliis Ecclesiis factitatum noverat. Cæterùm quod Probos & Hibernicarum rerum Scriptores aliqui Patricii profectionem tacuerint; hoc ideo fit, quia toti sunt in miraculis prodigiisque narrandis, quibus patriam & Patricii vitam abundè, & (vereor) superabundè implent: nihil ordinatè, aut servatâ ratione temporis parùm, de variis ejus expeditionibus ingerunt. Jocelinus tamen Romanæ profectionis meminit, c. 166. cum priùs itineris causam narrasset, quæ Apostolis omnibus una eademque est. Patricius sedem suam ad Armachanam urbem fixerat: & pro utroque sexu Monasteria: regulam scripsetat, aliaque fecerat, quæ æterni juris esse cupiebat. & quomodo illud nisi Romanâ profectione perficeret? Jocelinus itaque sic loquitur, c. 165. *Cathedram Episcopalem in Armachanâ urbe collocavit: & ut sedes illa totius Hiberniæ esset primaria Metropolis, & magistra statuit animo. Ut autem illius propositum ratum, & inconvulsum maneret imposterum, pectori ejus sedit Sedem Apostolicam adire ejusq; privilegiis authenticis illud communire. Angelus Domini Patricio apparens, itineris arripiendi propositum approbavit: & etiam quo Dominus Papa reliquias Apostolorum Petri & Pauli, & aliorum Sanctorum transferre & dispartiri pluribus Ecclesiis deberet, indicavit, &c. Gloriosus ergo Præsul Patricius postquam prædicationis laboriosa instantia peracta, tot, & talium signorum exuberantia, totam ad Christum converterat Insulam, ordinatis Episcopis & Presbyteris, cæterisq; ministris Ecclesiæ in locis singulis, ubi opportunius ducebat, benedicens & valefaciens eis, cum quibusdam filiis, Angelica fultus ducamine profectus est Romam.* Pergit Author narrare quid Romæ actum, ot reliquias SS. Apostolorum & Stephani Martyris à Ro. Pontifice acceperit: ut Hiberniæ Apostolus confirmatus sit: & demum in Hiberniam reversus. Eundo igitur & redeundo in Britanniam descendit; patriam, quis dubitat? revisurus. ut ibi quietem à labore, & novos Apostolici spiritus impetus, unde primos acceperat, hauriret. quod sanctis familiare. unde qui nuper ejus vitam collegit, Fr. B. B. affirmat Patricium, post exantlatos labores, in Hiberniæ cõversione, dulcissimæ contemplationi se totum tradidisse per annos triginta tres, vel in Armachano, vel in Savallensi Monasterio: è quo non nisi ob gravissima Ecclesiæ negotia, & celebrandam aliquando Synodum, egredi unquam voluerit.

Iocel. c. 165.

Idem c. 166.

B. B. in Patricio c. 22.

IV. Verùm cùm illi dubitent; in quod Monasterium se Patricius receperit, quietæ contemplationis ergo: & Authores nostri illud nominent: quæso Hibernos patiantur Patricium, hoc anno Romam proficisci, & demùm in Glastoniensi Monasterio quiescére; hac lege, ut cum necessitas eum, vel Synodi causâ vocaverit, missis sponsi amplexibus, egrediatur ad hortum rigandum, quem Apostolico privilegio suum fecerat. Sic meliùs conciliantur Authores: sic Britannia Hiberniaque Patricium ex æquo divident: & utraque eo indifferenter gloriabitur. Sic optimè sequetur mors ejus, post annos 33. ut Glastonienses Antiquitates tradiderunt. Nec hoc ab

Apoſtolicorum virorum conſuetudine alienum eſt; aut Romam, peractâ legatione, petere, aut demum in Monaſterio quieſcere, reſumere vires, & haurire denuò ſpiritum, quem in alios effundant. Sic enim olim in Britanniâ Fugatius & Damianus, compoſitâ Britannicæ Eccleſiæ Rep. ad ſedem, quæ illos miſerat, reverſi; & demùm ad quietem, ut ſuprà dixi. *(An. 192. 1.)* Id enimvero Epiſcopis, his primis & poſterioribus etiam ſæculis familiare fuit; provinciæ onus, quod diu ſuſtinuerant, in juniorum humeros deponendo, ſuos reficere, mentemque ſacro divinæ contemplationis pabulo; ut in Dubricio, Davide, Cuthberto, magnis ſanctiſſimisque viris inferiùs apparebit. nam illos Spiritus ſanctus ſignificare videtur, cum in Iſaia dicit: *(Iſaia 60. 8.)* *Qui ſunt iſti, qui ut nubes volant, & quaſi columba ad feneſtras ſuas? me enim Inſulæ expectant.* Poteſt enim reſponderi, ſunt Fugatii, Damiani, atque Patricii, qui nubium inſtar, à Spiritu ſancto, huc illucque feruntur, ut terram & provincias inundent ac fecundent; qui poſtea, columbarum inſtar, caſtiſſimè revertuntur *ad columbaria ſua*, ut Chaldæus habet paraphraſtes.

V. Patricius Glastoniæ quiescit.

Hoc poſito, probabili hiſtoriæ fundamento; dicamus. quid Patricius fecerit ex urbe reverſus. Erat jam octogenario proximus, & animi, quietem, menſque, Deo plena. ſolitudinem requirebant: ideo unà cum Arnulpho, & Ogmaro, Hibernis monachis, in Danmonios & Cornubienſem agrum deſcendit: ac inde Glaſtoniam pergens; repertiſque ibi anachoreticæ vitæ cultoribus;

Coenobialem vitam docet.

illos ad cœnobialem vivendi conſuetudinem traduxit: & demùm Abbatis in illos officio fungitur. Hæc omnia teſtantur Glaſtonienſium Antiquitatum Authores, qui ita loquuntur. *(Malmesb. Antiq. Glaſton. in Patricio.)* *Tandem Patricius Britanniam reverſus, *Pontificalem celſitudinem, ſalutationesque in foro reſpuens ſuper altare ſuum Cornubiam appulit in portum qui Hailemont dicitur. Quod altare uſque hodie apud loci ipſius incolas, propter ſanctitudinem & utilitatem, atque infirmorum ſalutem, in magnâ veneratione ſervatur. Inde Glaſtoniam veniens, anno Domini 433. Quarto intrante* (lego 439. quadrageſimo intrante ob rationem ſupradictam) *duodecim fratres anachoreticè viventes ibidem repertens congregavit,*

Creatur Abbas Glastoniensis.

Abbatis omnium voluntate & electione, licet invitus, ſuſcipiens officium; eoſdem vitam agere docuit cœnobialem. Per hunc enim religio Monachorum in Glaſtoniâ ſumpſit exordium vitam ducentium Monachorum, more Ægyptiorum. Hæc ille. Ex quibus videas Glaſtonienſis Oratorii, quod olim Joſephus poſuerat, æternam fuiſſe prolem.

VI. Olim eremitice nunc coenobitice vivere incipiunt monachi.

Cæterùm antiqui illi Patres, qui primi locum illum incoluerunt; alii ab aliis ſecreti, Eremitarum more hactenus vixerant. Ita enim Joſephus ſolitudinis amator illos inſtituerat; & ſociis ſingulis, ſingulas hidas impetraverat; ut ſeorſum viventes, & ab omni commercio ſequeſtrati, familiariùs cum Angelis, & Angelorum Domino, converſarentur. Conveniebant tamen ad commune oratorium: nimirum ad ædem illam quam * ſuprà dixi Deiparæ Virgini conſecratam fuiſſe, juſſu Archangeli Gabrielis. Et ita ferè factum à Joſephi tempore, & deinceps, ad Regem uſque Lucium. Tunc enim Fugatio & Damiano procurantibus, denuò confirmantur hidæ duodecim fratribus, interruptâ nunquam ſerie ſibi invicem ſuccedentibus, ut teſtatur Malmeſberienſis, ubi hoc argumentum tractans: *Sicut*, inquit, *tres Reges Pagani dictam Inſulam (Avaloniam) cum adjacentiis ſuis XII. primis Chriſti diſcipulis dudum conceſſerant: ita Phaganus & Diruvianus, XII. ſociis & aliis impoſterum ſecuturis, à Rege Lucio, eandem confirmari impetrabant. Sic autem multi alii ſuccedentes, ſemper tum in numero duodenario, permulta annorum curricula, uſque ad adventum S. Patricii Hibernienſium Apoſtoli, in memorata Inſula permanſerunt.* *(Malmesb. Antiq. Glaſton. Prin.)* Hæc ille. Patricius ergo duodecim invenit anachoreticè viventes, & in unam communemque vitam collegit, factus primus Glaſtonienſis Monaſterii Abbas. Legerat enim quemadmodum in Ægypto Monachi plurimi ſub uno patre ſanctiſſimè, in omnium virtutum exercitio, communiter vixerant: idem Romæ factitari nuper viderat, in magno Chriſtiani orbis theatro, & ita Glaſtonienſibus vivere perſuaſit. Hic Balæus iterùm à veritatis ſemitâ apoſtatat, dicens, Monachiſmum Ægyptium, à Pelagio hæreſiarchâ, in Britanniam & Hiberniam introductum: quo nihil dici potuit inſulſius. Si enim Pelagius, Monachus erat, prius quàm Orientem luſtraſſet: ut paſſim omnes affirmant. Si nunquam ex Oriente, in Britanniam rediit, ut ſuprà dixit Uſſerius: *(* V. an. 42.)* ſi Germanus & Lupus, in Inſula hac, & Patricius in alterâ, in Pelagianam hæreſim impensè pugnantes; illam omnino debellarunt: quomodo potuit, Pelagii operâ, monachiſmus induci; & induci per eos, qui Pelagii opera fidemque damnaverunt? Adde. Pelagium in Britanniâ, Romæ, & in Syriâ vixiſſe, & ibi Monachum induiſſe, omnes agnoſcunt: quod Ægyptum viderit, aut illum monachiſmum, nemo. Unde ſi Patriciani inſtituti originem quæris; & cur vocetur Ægyptius: vide, non quò Pelagius, ſed quò Patricius, iverit: Romam, inquam; unde hactenus ſacra omnia deſcenderunt: & inde rectiùs colliges, ut Apoſtolatum Patricii, ita & Monachiſmum ejus. Venerat in Urbem ſuperiori ſæculo M. Athanaſius & ipſe *Ægyptiorum Monachorum inſtitutionem primus invexerat*, *(Baron. an. 410.)* inquit Baronius. & addit: *Nec detrectavit univerſus Chriſtianus orbis, in Occidente ſectari; quod ſciret in Ro. Eccleſiâ ſuſceptum.* Itaque Occidens noſter, Britannia & Hibernia, Romanum potiùs, quàm Ægyptium morem, aut ſi velis Ægyptium morem, Romæ ratum & probatum, Patricio dictante excepit. Apage ergo Pelagii nomen: inter hæreticos ſolùm, & apoſtatas ſcribendum; & Cœnobitica Monachorum vita, à Patricio Apoſtolo dicatur introducta: qui Româ veniens; quod elegans ibi, & pium viderat; in vineam ſtuduit transferre, quam colendam ceperat. Cæterùm Monachiſmus Ægyptius, quem Antonius amplexus dicitur, è Marco Evangeliſta primùm fluxit, ut ſuprà in Wintonienſibus Monachis dixi, *(An. 189. n.)* & Joanne Caſſiano. Et quoniam de Marco legimus in S. Hieronymo, *(Hiero. in Marco.)* quod Petri diſcipulus & interpres fuerit, ſcripſeritque Romæ Evangelium (quod Petrus probavit, & Eccleſiæ legendum ſua authoritate dedit) & inde ſumpto Evangelio quod confecerat, perrexerit in Ægyptum, primusque Alexandriæ Chriſtum annuntians, conſtituerit Eccleſiam, tantâ doctrina, & vitæ continentia, ut omnes ſectatores Chriſti ad exemplum ſui coegerit: ideo, inquam, religioſa, tam cleri, quàm populi inſtitutio, ad Marcum benè, nec minùs ad magiſtrum Petrum refertur. Placet etiam, quod habet Gabriel Pennottus: *(Pennot. hiſto. Clerico. Canon. l. 2. c. 4 1. & l. 3. c. 49.)* ab Apoſtolico hoc exemplari; clericorum

Canonicorum originem fluxisse: quem ordinem Patricium in Hiberniâ, & post illum, Hibernos in Angliâ, & Belgio propagasse primitùs existimat. Balæus ergo, Lutherus, & cæteri apostatæ à Pelagio, per me licet, petant principium: religiosi Clerici, Monachique à Patricio, Marco, Petróque descendant.

VII. Sed quoniam Canonicos clericos, sive regulares, meliùs à Monachis distinguimus; dicamus probabiliùs, Patricium propriè & pressè, non tam regularem Clericum, quàm Monachum fuisse: idque priùs, quàm Romam perrexerit; quia Jocelinus in ejus vitâ, de Sancto Martino ejus avunculo scribens, ait: *Idem sanctissimus Sacerdotum Carbunculus, Monachus fuit, cognato suo Patricio monachicum habitum, & ejus instituta tradidit observanda; quæ iste devotè suscepta, actibus habitui respondentibus adornavit.* Porrò Martinum, Ægypti Monasticen Romæ probatam, professum esse non abnuerim: illámque Patricium in Hiberniam, & nunc Glastoniam induxisse, dici potest satis probabiliter. Cæterùm, quia sub finem sequentis sæculi, ad Saxones convertendos, alii Monachi venient, qui Nigri vocabuntur: & constet è Patricii vitâ, eum cucullâ albâ usum; opinari possumus è vestium differentiâ ortam esse Nigrorum Monachorum appellationem. Quod Patricius albis usus sit, Jocelinus ita confirmat. *Super cætera indumenta*, inquit, *cucullâ candidâ amiciebatur, ut ipsâ habitus formâ, & colore, Monachatus sui speciem, & candidatam humilitatis, & innocentiæ repræsentare videretur. Unde & Monachi in Hiberniâ, Sancti Patricii sequendo vestigia, per multa temporum volumina, habitu simplici contenti erant, quem ovium ministrabat lana; qualibet extrinsecâ tincturâ remotâ. Nec Hiberni solùm Monachi, hunc vitæ candorem veste figurabant: nam Britannos etiam vivendi normam, ex ejus sanctissimâ institutione*, accepisse supra dixi. Unde cùm Augustinus, & socii in Britanniam venientes, aliud vitæ institutum, sub monasticâ formâ profiterentur: ad Britannorum & Hibernorum Monachorum differentiam; qui albâ veste utebantur, Nigri Monachi appellari potuerunt; ut Renerus in Apostolatu docet. Cæterùm quod hoc sæculum spectat, illustrissimum fuit Monachorum nomen, & vitæ institutum ex Evangelicorum consiliorum puritate descendens, Ecclesiam fidémque orthodoxam ornavit maximè. Unde illud genus vitæ sectantes, quemadmodum in perfectionis culmine constituti censebantur: sic qui ab eo deficerent, Luciferiani casus consortes sunt habiti. Sic Chrysostomus de Theodoro Monacho lapso: *Cacodæmon*, inquit; *tantum potuit, ut te à vertice illo & fastigio virentem, in extremum malitiæ detruderet.* In Epist. 1. ad Theodorum Augustinus etiam de Regularibus loquens, ait: *Simpliciter fateor charitati vestræ, coram Domino Deo nostro, qui testis est super animam meam, ex quo Deo servire cœpi, quomodo difficilè expertus sum meliores, quàm qui in Monasteriis profecerunt: ita non sum expertus pejores, quàm qui in Monasteriis ceciderunt.* Huic apophthegmati, Judas Iscariotes prologum; Martinus Lutherus epilogum fecit. Certè Lutheri nuptias, Magnus Leo Pontifex ita damnavit: *Propositum Monachi, proprio arbitrio, aut voluntate susceptum, deseri non potest absque peccato. Quod enim quis vovit Deo, debet & reddere. Unde qui relictâ singularitatis professione, ad militiam, vel ad nuptias devolutus est; publicâ pœnitentiæ satisfactione purgandus est. quia etsi innocens militia, & honestum potest esse conjugium; electionem tamen meliorum deseruisse, transgressio est.* Epistola 90. ad Ruscin. Narbonen. Episcopum. Patricius regularis vitæ institutum in Hiberniam induxit, viris fœminisque Monasteria construxit præfecitque illis, quos è Britanniâ secum in Hiberniam duxit, vel postea è Britannia evocavit. De quo ita Jocelinus: *Monasteria Monachis, & alia sanctimonialibus repleta, omnique perfectionis institutis erudivit: & labores manuum suarum benè positos vidit:* nam pergit author. *Erat in quodam Cœnobiorum frater quidam nolens ante statutam horam secundùm regulam S. Patricii quicquam cibi aut potus sumere, qui siti extinctus fuit. Cujus animam ad cœlos ascendere, & inter Martyres collocari S. Patricius vidit. In Monasterio ancillarum Dei erat quædam virgo filia Regis Britanniæ, cum novem puellis sanctis, quæ cùm ipsa illuc ad S. Patricium venerant. E quibus tres vidente Patricio ad cœlestia migrarunt.* Hæc ille. Nunc tempus solvendi in Britanniam.

VIII. Quid Glastoniæ egerit Patricius. Aves, fat scio Lector, de S. Patricio cognoscere, quid ille in Glastoniensi secessu fecerit: nam inde orthodoxam fidem veluti è sanctissimo fonte & Apostolico viro hauries. Imprimis Monachi vitam castissimè vixit, jejuniis, & orationibus vacans: Sanctos coluit, Deiparam Virginem, & Archangelum Michaëlem: & eos docuit colendos esse. Sanctos coluit. Indulgentias quas olim à Cælestino Papa acquisierat, & Sanctorum reliquias, quas nuper Sixtus concesserat, dispensat Monachis, ac Monachorum fautoribus. Immane ergo ab illis distat, qui Monachos, Monasteria, stata jejunia, & Sanctorum cultum, superstitionem appellant, atque aversantur: accedit autem proximè ad Lucium, Eleutherium, Fugatium, Damianum, Germanum, primósque Britanniæ Doctores, qui eadem præstiterunt. Porrò, ut quæ de Patricio dixi, confirmentur, ecce tibi ipsum Patricium horum omnium eximium testem: qui enucleatè describens, quid ante Glastoniensem secessum, & quid exinde gesserit, hoc posteris monumentum reliquit.

CHARTA S. PATRICII.

IX. Charta S. Patricii. IN *nomine Domini nostri JESU CHRISTI. Ego Patricius humilis servunculus Dei anno Incarnationis ejusdem 425.* (ita legunt Antiquitates Glastoniæ, & Malmesburiensis: in magnâ tamen Bibliothecâ legitur annus 430. quem etiam habet Capgravius) *In Hiberniam à sanctissimo Papa Cælestino legatus, Dei gratiâ, Hibernicos ad viam veritatis converti. Et cùm eos in fide Catholicâ solidassem; tandem in Britanniam sum reversus. Ac, ut credo, duce Deo, qui vita est, & via, incidi in Insulam Inswitrin. In quâ inveni locum sanctum, ac vetustum, à Deo electum & sanctificatum, in honore intemeratæ Virginis Dei genetricis Mariæ. Ibique reperi quosdam fratres, rudimentis Catholicæ fidei imbutos, & piæ conversationis: qui successerunt discipulis Sanctorum Phagani & Diruviani: quorum nomina pro vitæ meritis veraciter credo scripta in cælis. & quia in memoriâ æternâ erunt justi, cùm eosdem fratres tenerè dilexissem, eorum nomina scripto meo redigere volui quæ sunt: Brumban, Hiregaan, Brenwal, Wentreth, Bantomewng, Adelwoleed, Loyor, Wellias, Breden, Swelwes, Hinloernus, & alius Hin. Hi cùm essent nobilibus orti natalibus, nobilitatem suam fidei operibus ornare cupientes;*

Legitur in Antiquit. Glaston. in Capgravio & pars in M. Bibliotheca Patrum.

Nomina duodecim Eremitarum Glastoniensium.

Jocelin. in Patricio c. 12.

Jocel. sup. c. 185.

Vide an. 432 n. 7.

eremiticam vitam ducere elegerunt. & quoniam inveni eos humiles, ac quietos, elegi potiùs cum illis abjectus esse, quàm in Regalibus curiis habitare. Sed quia omnium nostrum erat cor unum, & anima una; elegimus omnes simul habitare, comedere, & bibere pariter, & in eadem domo dormire: sicq; me licet invitum sibi prætulerunt. Non enim dignus eram solvere corrigiam calceamentorum eorum.

X. PATRICIUS GLASTONIÆ INVENIT SCRIPTA FUGATII ET DAMIANI.

* Vide an. 63. n. 8.

* X.

Et cùm vitam monasticam ita duceremus, juxta normam probabilium patrum; ostenderunt mihi præfati fratres scripta SS. Phagani & Diruviani; in quibus continebatur quòd duodecim discipuli SS. Philippi & Iacobi, ipsam vetustam Ecclesiam construxerunt, in honore prælibatæ advocatricis nostræ, per documentum B. Archangeli Gabrielis. Insuper & quòd Dominus eandem Ecclesiam cælitùs in honore suæ Matris dedicaverat. & quòd tres Reges pagani ipsis duodecim portiones terræ dederunt. Necnon & in scriptis recentioribus inveni; quòd Sancti Phaganus & Diruvianus perquisierant ab Eleutherio Papâ, qui eos miserat * XXX. annos indulgentiæ. Et ego frater Patricius, à piæ memoriæ Cælestino Papa XII. tempore meo adquisivi. Post multum verò temporis, assumpto mecum Wellia, confratre meo, per condensitatem silvæ, cum magnâ difficultate conscendimus cacumen montis, qui eminet in eadem Insulâ. Quò cùm pervenissemus, apparuit oratorium unum pervetustum, & ferè dirutum; habile tamen devotioni Christianæ, &, prout mihi videbatur, à Deo electum. Quò cùm ingressi essemus; tantâ odoris suavitate replebamur, ut in paradisi amœnitate positos nos crederemus. Egredientes igitur, & reingredientes, locúmque diligentiùs perscrutantes, invenimus volumen unum, in quo scripti erant Actus Apostolorum, pariter cum actis & gestis SS. Phagani & Diruviani, ex magnâ parte consumptum. In cujus tamen fine voluminis, invenimus Scripturam, quæ dicebat; quòd prædicti Phaganus & Diruvianus, per revelationem Domini nostri JESV CHRISTI, idem oratorium ædificaverunt, in honore S. Michaëlis Archangeli: quatenus ibi, ab hominibus honorem haberet, qui homines in perpetuos honores, jubente Deo, est introducturus. At cùm delectaret nos illa Scriptura, nitebamur ad finem legere. Dicebat enim eadem Scriptura, quòd venerandi Phaganus & Diruvianus, moram ibi fecerint per annos novem, & quòd ipsi etiam perquisierant XXX. annorum indulgentiam omnibus Christicolis locum ipsum, ob honorem Beati Michaëlis, piâ voluntate, visitantibus.*

ORATORIUM S. MICHAELIS.

XI. CHRISTUS APPARET S. PATRICIO.

Invento ergo tanto divinæ bonitatis thesauro: ego & frater Wellias, tribus mensibus jejunavimus, orationibus vacantes & vigiliis, dæmonibusq; & belluis multiformiter imperantes. Quadam autem nocte cùm me sopori dedissem; apparuit mihi Dominus JESVS, in visu dicens: Patrici serve meus, scias me elegisse locum istum, ad honorem nominis mei, & ut hic honoranter invocent adjutorium Archangeli mei Michaëlis. Et hoc tibi signum & fratribus tuis, quatenus & ipsi credant; brachium tuum sinistrum arescet; donec quæ vidisti annuntiaveris fratribus, qui in cellâ sunt inferiori, & denuò huc redieris: & factum est ita. Ab illâ die statuimus duos fratres in perpetuum ibi; nisi pastores futuri, ob justam causam aliter decreverint. Arnulpho autem & Ogmar, Hiberniæ fratribus, qui mecum venerant de Hiberniâ; pro eo quod ad exhortationem meam, apud dictum oratorium humiliter manere cœperunt; præsentem paginam commisi. Aliam similem in arcâ S. Mariæ retinens, in monumentum posteris. Et ego frater Patricius, per consilium fratrum meorum, omnibus qui silvam ex omni parte præfati montis, in securi & asciâ, piâ intentione, dejecerint; ut facilior pateat aditus Christianis, Ecclesiam B. perpetuæq; Virginis piè visitaturis, & oratorium prædictum, centum dies veniæ concedo. Hactenus Epistola.

INDULGENTIA 100. DIERUM CÆDENTIBUS SILVAM CONCEDITUR.

XII.

Vide M. Biblioth. to. 1. p. 3. f. 763.

Partem hujus chartæ recensuit Gerardus Vossius, & notam illi sic apposuit: *Hanc Legationis S. Patricii Epistolam, ante aliquot annos inter collectanea M. S. Mariani Victorii Episcopi Reatini p. m. reperimus: qui illam olim, dum Reginaldo Polo Cardinali Legato in Angliâ adesset, ex vetustissimo M. S. exemplari bibliotheca Monasterii Glastoniæ fideliter transcriptam accepit.* Ita ille, legiturque pars illa in magnâ Patrum Bibliothecâ. Quam etiam Epistolæ partem, ante ducentos ferè annos, retulit Capgravius in vitâ Sancti Patricii. Sed integram hanc ex Cottonianâ Bibliothecâ, & duplici M. S. exemplari accepimus, quorum unum erat Antiquitatum Guilielmi Malmesberiensis; aliud Joannis Monachi, qui dictum Guilielmum, & Adamum Domerham delibavit, exscripsitque. Unde quod spectat ad fidem ejus, neminem vidi qui contra exciperet. Immo sectarii inde avidè hauriunt, SS. Philippum & Jacobum, Josephum misisse in Britanniam: quo probent se à Petri imperio beneficioque absolutos, de quo statim Guilielmus etiam Camdenus, Antiquitatum, si fidem excipis, studiosissimus; quo Josephum, à Philippo Gallorum Apostolo huc legatum evincat, ita scribit: *Hæc & antiquissima Glastoniensis Monasterii monumenta testantur: & Patricius Hiberniensium Apostolus, qui XXX. annos vitam monasticam illic egit, in suâ prodidit Epistolâ.* Cæterùm quod non reperiatur ubique integra, illud in causâ fuit; quod aliqui brevitati studentes, ea tantùm, quæ ad rem suam faciebant, exscripserint: nos qui omnia Patricii itinera, resque præcipuè gestas scrutamur; non potuimus hæc silentio præterire. Sed & aliqua curiosum Lectorem advertere cupimus, animadversione, scituque non indigna.

Camden. in Glaston.

XIII. QUOMODO JOSEPHUS DICATUR DISCIPULUS SS. PHILIPPI ET JACOBI.

An. 63. n. 3. &c.

Dicit suprà S. Patricius invenisse se scripta SS. Phagani & Diruviani, in quibus Josephus & socii, Philippi & Jacobi Apostolorum vocantur discipuli. Unde non malè videtur inferri: duodecim primos Britanniæ Doctores, à Philippo in hanc Insulam destinatos esse. Ita Matthæus Parkerus, Franciscus Godwinus, Joannes Fox, & infiniti alii, parùm doctè argumentantur; ut Petrum Apostolorum Principem excludant, excutiantque jugum successorum ejus. Verùm cùm supra satis ostenderimus, Josephum non potuisse à Philippo mitti in Britanniam: restat videamus: quid Fugatius & Damianus super ea re scripserint. Illi igitur affirmant, duodecim primos Glastoniensis oratorii incolas (quos inter meritò Josephum veneramur) Sanctorum Philippi & Jacobi discipulos fuisse: quod nos non negamus. Cur enim Josephus; sepulto olim Domino, non potuerit Apostolorum alicui, vel etiam duobus adhærere? & ab illis, qui Spiritus Sancti plenitudinem, & cum eo omnem veritatem acceperant, perfectiùs instrui? Potuit omninò. Negamus tamen inde sequi necessariò: quòd Josephus & socii à Philippo missi sint in Britanniam: cùm Philippus, ut ostendi, ante decennium missionis eorum, mortem obierit: & non ille, aut Jacobus; sed Petrus Apostolorum Princeps, latissimè in Occidente, Evangelium proferret. Futili ergo argumento probant

adversarii,

adverſarii, ſe aliis quidem Apoſtolis debere aliquid; ſed Petro nihil, qui in nullo beavit provinciam. Quod è ſupradictis conſtat omni veritatis umbrâ carere.

XIV. Corollaria. Sanctorum cultus. Vita monastica.

Aliud notatu dignum eſt: ſanctorum Archangelorum Michaelis & Gabrielis, ſed imprimis Deiparæ Virginis cultum, vitamq́ue Ereniticam, & monaſticam, perantiqua eſſe in Britanniâ, & cum primis Doctoribus, à quocumque demum miſſi ſint, nata. Cæterùm providè Patricius nominavit illos, quos in Glaſtonienſi domicilio invenit arctiſſimè Deo conjunctos, & ſervos Deiparæ: prævidit enim ſecuturis temporibus naſcituram litem, quæ contentioſiſſimè pro antiquæ fidei profeſſoribus advocaret. Interiiſſent ſanè eorum nomina, niſi Patricius illa, ut in memoria æterna eſſent juſti, in hac Epiſtola digeſſiſſet. Inde Saxones, qui poſteriùs æquè coluerunt Monaſticum inſtitutum, & Sanctos habuerunt in honore; horum fratrum memoriam conſervaſſe videntur. Fallor enim, ſi non pleraque eorum nomina Glaſtoniæ ſculpſerunt in variâ pyramide.

Conservata Monachorum nomina.

Nihil hac in re temerè definio, quia video Malmeſberienſem pendulum ſatis, dubiumq́ue quid ſignificent pyramides illæ, ſculptaq́ue nomina, quæ propè Glaſtonienſem Eccleſiam, ſuo tempore, hoc eſt, ante quingentos annos, cernebantur. Sic enim ſcribit.

XV. *Malmesb. apud Camden. in Glaston.*

Illud quod clam planè omnibus eſt, libenter prædicarem, ſi veritatem exculpere poſſem: quid illæ pyramides ſibi velint, quæ aliquantu pedibus, ab Eccleſiâ vetuſtâ poſitæ, cæmiterium Monachorum prætexunt. Procerior ſanè, & propinquior Eccleſiæ; habet quinque tabulatus, & altitudinem viginti ſex pedum. Hæc præ nimiâ vetuſtate, etſi ruinam minetur; habet tamen antiquitatis nonnulla ſpectacula, quæ planè poſſunt legi, licet non poſſint planè intelligi. In ſuperiori enim tabulatu eſt imago, Pontificali ſchemate facta. In ſecundo, imago Regiam prætendens pompam, & literæ HER. SEXI. *&* BLISVVERH. *In tertio nihilominus* VVEMCHESTE. BANTOMP. VVINEVVEGN. *In quarto* HATE. VVLFREDE. *&* EANFLEDE. *In quinto, qui & inferior imago, & hæc ſcriptura* LOGVVOR. VVESLIELAS, *&* BREGDENE. SIVELVVES HVVINGENDES. BERNE. *Altera verò pyramis habet octodecim pedes, & quatuor tabulatus; in quibus hæc leguntur.* HEDDE *Epiſcopus &* BREGORRED. *&* BEOVVALDE. *Quid hæc ſignificent, non temerè definio: ſed ex ſuſpicione colligo; eorum interiùs in cavatis lapidibus continere oſſa, quorum exteriùs leguntur nomina. Certè* LOGVVOR *is pro certo aſſeritur eſſe, de cujus nomine quondam* LOGVVERESBEORH *dicebatur, qui nunc Mons Acutus dicitur.* BEORVVALD *nihilominus Abbas poſt* HEMGISELVM. * Hactenus Malmeſberienſis, quæ refert Camdenus, nec porrò explicat.

Antiqua inscriptio apud Glaston.

XVI. Illustratur.

Ego ſanè non ſum is, qui ſingulos caracteres exponere præſumam: puto tamen inter Sanctos, quorum ibi, ſine ullo dubio, nomina recenſentur, Wilfridi, Heddæ, Eanfledæ; ſuccenturiari quoque eos, de quibus ſcripſerat Patricius. In memoriâ æternâ erunt juſti: quoſque ipſe hoc anno reperit, in Glaſtonienſi ſolitudine, & fecit unanimes habitare ſimul. Nimirum qui in quinto tabulatu leguntur LOYOR, WELLIAS, BREDEN, SWELWES, & HIN. Item in tertio BANTOM, MEWENG, & WENTRETH, mutatis admodum pauculis. Ingens quoque ſuſpicio eſt BERNE, Benignum eſſe, Patricii diſcipulum, qui ante baptiſmum Beorne vocabatur; quique Patricium ſecutus eſt Glaſtoniam, ac ibidem mortuus, ut ſequentia demonſtrabunt. Sed relinquamus S. Patricium, Glaſtonienſe Monaſterium componentem, docentem Monachos cœnobialem vitam, juxta normam probabilium patrum; jejuniis, orationibus & vigiliis vacantem; Deiparam Virginem, & Archangelos colentem; denique eoſdem colentibus indulgentias diſpenſantem. Et alias Inſulæ partes luſtremus, quas Germanus Apoſtolus etiamnum inſtituiſſe creditur. prius tamen firmemus magis ſupradicta.

XVII.

Jocelinus eum Patricium Romam deduxiſſet; ſatis ſignificat eundem in regreſſu Britanniam luſtraſſe, & rebus piè geſtis, hoc eſt, Monaſteriorum fundatione, & reformatione illuſtraſſe; ſic enim loquitur. *Sanctus in regreſſu ſuo aliquantiſper in Britanniâ, propriâ patriâ, moratus, Monaſteria multa fundavit; atque à paganis deſtructa reparavit: Monachorum ſacris conventibus, ſecundùm formam religionis, quam eis præfixit, annuentibus ea replevit.. Multa etiam adverſa & proſpera. quæ eventura erant Britanniæ, ſpiritu & ore prophetico prænuntiavit. Beati etiam David, utero materno incluſi ſanctitatem prævidit, & prædixit.* Ita ille. Quæ refert Uſſerius, & inde colligit Patricium in Britannia fuiſſe, anno Domini 462. quo natum Davidem aſſerit: quæ omnia confirmant ea quæ ſuprà ab Antiquitatibus Glaſtonienſibus dicta ſunt. De Davide, & Patricii oraculo vide infrà.

Iocel. c. 167. *Vſſer. c. 17. fo. 870.* An. 462. n. 4.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1191.

ANNUS CHRISTI 440.

LEONIS PAPÆ 1.

VORTIGERNI REG. 3.

I.

ANNO quadringenteſimo quadrageſimo, Valentiniano quintùm, & Anatolio Coſs. Sixtus Papa, cum annos ferè octo ſediſſet; ex hac vitâ migravit. Tunc *quadraginta ampliùs diebus Romana Eccleſia, ſine antiſtite fuit, mirabili pace, atque patientiâ, adventum Diaconi Leonis expectans, quem tunc inter Aetium & Albinum* (erant hi Romani Duces exercitus) *amicitiæ redintegrandæ cauſâ, Galliæ detinebant: quaſi ideo longius eſſet adventus, ut electi meritum, & eligentium judicium probaretur. Igitur Leo Diaconus legatione publicâ accitus, & gaudenti patriæ præſentatus,* * *quadrageſimus tertius Romanæ Eccleſiæ Epiſcopus ordinatur.* Hæc omnia Proſper.

Sixtus Papa moritur. *Proſper in Chronico.* Leo Pontifex. * 47.

II. Britannorum fides integra.

Sunt qui adhuc Germanum volunt in Britanniâ hæſiſſe, Vortigerni Regis, qui impius eſſe cœpit, monitorem. Sed hoc dubium. Cæterùm in dubium vocari non poteſt, quin orthodoxa fides, per eum reſtituta, integra atque incorrupta permanſerit. Nam Conſtantius qui quadraginta annos poſt Germanum vixit, ſcripſitq́ue ejus vitam; ad Patientem Lugdunenſem Epiſcopum, & Cenſorium, Germani ſucceſſorem: Ita Germani Apoſtolatum in Britannia commendavit, ut dixerit ſuprà: *In illis locis etiam nunc fides intemerata perdurat.* Quo poſito non eſt ab Annalium fine alienum quærere: quænam

QUÆNAM ILLA?

hæc fides? Quænam, inquam, Germani doctrina, qua Britannorum Ecclesiam ædificavit? Et an ab Augustini, qui sequenti sæculo venit, institutione diversa? Nam in hoc maximè controversiæ cardo pendet. quem facilè vertere possem, si orthodoxorum tantum sententiam exquirerem: quia cum illi constanter probent, utrumque Ro. Pontificis imperio venisse: probabunt etiam eodem argumento, utrumque in fide concordes. Malo igitur ab adversario hac vice suffragium petere; quia indubitata lis erit & sententia: si inimici nostri sint judices, & pro utroque stipulentur benè. Ii præsertim qui in antiquâ literaturâ oomen plausumque obtinent.

III. SELDENI RESPONSIO.

Selden. Analec. Anglo-Britan. l. 2. c. 2.

Girald Camb. descriptio. c. 10.

Respondet igitur Joannes Seldenus Jurisconsultus non incelebris; modernæ quidem factionis vir, & partis adversæ; respondet ergo in hunc modum: *Religionem Christianam, Pelagianâ heresi, gentiumq; erroribus labefactatam, ut restaurarent, aggressi sunt Insulam Germanus Altisiodorensis, Lupusq; Trecensis Episcopus. Quorum DOCTRINA hac, ut fertur, usque in hodiernum* (inquit Silvester Giraldus Cambrensis) *documenta tenuerunt. De quolibet pane apposito, primum fractionis angulum pauperibus donant. Terni quoque in Trinitatis memoriam, ad prandium sedent. Viro cuilibet religioso Monacho, vel Clerico, vel cuicumque habitum religionis præferenti, statim projectis armis, cernuo capite, benedictionem petunt. Episcopalem verò Confirmationem; & chrismatis, (qua gratiâ Spiritus datur) inunctionem, præ alia gente, totus populus magnopere petit. Omnium quoque rerum, quas possident, animalium, pecorum, & pecudum interdum decimas donant: quando videlicet, vel uxores sibi maritali copula jungunt; vel peregrinationis iter arripiunt; aut quamlibet vitæ suæ, Ecclesiæ consilio, correctionem assumunt. Hanc autem rerum suarum partitionem, Decimam magnam vocant. Cujus duas partes Ecclesiæ suæ baptismali; tertiam verò Episcopo Diœcesano dare solent. Præ omni autem peregrino labore, Romam peregrè libentiùs eundo, devotis mentibus, Apostolorum limina propensius adorant. Ecclesiis autem & Ecclesiasticis viris Sanctorum quoque reliquiis, & campanæ bajulis, libris textis, & cruci, devotam reverentiam exhibere; longeq; magis, quam ullam gentem, honorem his omnibus deferre videmus. Vnde Ecclesiæ istorum longè majorem, quàm alibi, pacem habent. Non etenim in cœmiteriis solùm, verum etiam extra procul, per metas, & fossas ulteriores, ab Episcopis, causa pacis, impositas & constitutas, animalibus ad pascua, pax servatur. Ecclesiæ vero majores, quibus majorem antiquitàs reverentiam exhibuit; quatenus armenta manè ad pascua exire, & vesperi redire possunt, pacem præbent. Vnde si cum Principe, capitales quis inimicitias incurrerit; si Ecclesiæ refugium quæsierit; eadem sibi, & suis, pace gaudebit. Adeo ut hac immunitatis indemnitate, longè Canonum indulgentiam excedente (qui corpori solum & membris, tali in casu, salutem præstant) multi abutentes; audaciùs ob hanc impunitatem hostiliter excedunt; & ab his etiam refugii locis, tam patriam undique totam, quàm principem ipsum, graviter infestando molestant.*

IV. GIRALDUS COMPENDIO EXPLICATUR.

Hæc omnia refert Seldenus eo capite, cui præfigit hunc titulum: *Quibus Germanus Lupusq; Episcopi, Britannos de Ecclesiasticâ disciplinâ moribus imbuerunt?* Quasi diceret: Vis scire, Lector, quid Britannos, in fide aliquando claudicantes, Germanus docuerit; & quâ ratione firmaverit ibi fidem orthodoxam; adeo ut omni merito Apostoli nomen consecutus sit? Vis etiam scire, quid Britanni, ab eo docti, didicerint, crediderint, fecerint, & ab ejus adventu, usque ad Giraldi ætatem (hoc est per annos mille) devotissimè servaverint? Accipe illa paucis. Pascunt pauperes, Trinitatem adorant: à Monachis, Sacerdotibus, & religiosum habitum gerentibus, flexo poplite, vel cernuo capite, benedictionem petunt. Confirmationis Sacramentum, ubi Chrismatis inunctio est, avidè cupiunt. Peregrinationis laborem ad loca sacra, sed imprimis Romam, ad Petri limina, libenter suscipiunt, & devotis mentibus solvunt. Quid ultra? Sanctorum reliquias colunt, crucem Christi, tam impensè venerantur, ut universum terrarum Orbem, in eo pietatis genere, antecellat. Hinc Britannorum ingens in Ecclesiam amor reverentiaque, & nullibi gentium major.

V. GERMANUS ET AUGUSTINUS IN FIDE CONCORDES.

Itáne verò, Germanus Britanniæ Apostolus, hæc omnia docuit, & disciplinam Ecclesiasticam, Pelagii vitio nutantem, hac ratione, restituit atque confirmavit? Quorsum ergo arguitur, condemnatur, vapulat Augustinus, Anglorum Apostolus, qui non nisi eadem Saxonem docuit? Cur vocatur à Matthæo Parkero, Pseudo-Cantuariensi Episcopo, *Cæremoniarum, & Romanæ superstitionis, non fidei Doctor*; quia crucem Ethelberto Regi porrexit; & Sanctorum reliquias, in templo collocavit? Audi orbis. & hodiernam factionem detestare. Nusquam tam clarè legitur, nec tàm vocalia sunt argumenta, Augustinum Romam, Sanctos, reliquias, crucem, peregrinationem coluisse, aut Saxonem ea docuisse: quàm sunt hæc eadem à Germano factitata, atque prædicata Britannis. Et tamen (ô pudor!) Augustinus premitur, carpitur, exauctoratur propterea: Germanus verò absolvitur; immò, quia eadem docuit (nec enim alia à Seldeno aut Giraldo referuntur) *Britannorum Apostolus* constituitur. Quasi verò Apostolatum non meruerit, qui barbarum & infidelem Saxonem, ab idolorum cultu traduxit, ad Christi castra, ad Sanctorum cultum, crucisque reverentiam; quæ nunquam antea didicit; meruerit vero alter, qui nihil novum Britannos docuit: sed tantum, Seldeno teste, *labefactatam Christi religionem restauravit*: hoc est, restituit fidem quam olim Apostoli & viri Apostolici in Britanniâ prædicaverant; quam Lucius Rex dudum susceperat, & cum eo omnis provincia; quam denique Albanus Martyr, tunc sanguine suo sigillarat; cum inter crucis amplexus efflavit animam. Quis hic non videt sectarios capi, validissimis vinculis teneri, nec ullum habere locum subterfugio. Dicent fortè, non ideo Augustinum displicere solum, quod crucem, Sanctos, eorumque reliquias coluerit: sed ob alia. Verùm cedo illa alia; & interim detestamini veritatis hostes Parkeros, Mortonos, Godwinos, aliosque plures; qui ideo, & vix ob aliud, Augustinum reprehendunt.

VI. OBIECTIO DE PRIMATU ROM. ECCL.

Si dixerint primatum Rom. Pontificis, quem Insula nunquam audiverat, ab Augustino Saxoni instillatum esse: à Germano verò tacitum. His ego sic respondeo, Primò: Deum immortalem! tam ingens crimen est Apostolum unum explicare, quod ab altero prætermissum est? Sed non est opus eò fugere: Respondeo itaque secundò: quotquot dicunt Germanum non docuisse Britannos Rom. Sedis primatum; aut

Solvitur.

Britannos illum non agnovisse; veritatem egregiè & palmariter dehonestant. Quamobrem dico tertiò: Germanus, sæpiùs, clariùs, constantiùs, dicto, facto, docuit Britannos, Romanum Pontificem omnium Ecclesiarum principem esse: quàm idipsum unquam docuit Augustinus Saxonem. Scio hic cachinnabitur sectariorum aliquis, aut si immaniter Puritanus est, caput barbamque concutiet: ideo dicti reddo rationem. Legatus est semel Augustinus Monachus, à Gregorio ad infidelium conversionem: & quidni quivis vicinus Episcopus legare eundem potuisset? Germanus autem, à Ro. Pontifice non ad infideles missus est: sed ad Britannos; ubi fides vigebat, florebant Ecclesiæ, præsidebant Episcopi, Germano (si Apostolicam legationem excipis) majores. Atque ita semel, iterumque legatus est, ut antiqui pariter & moderni confitentur. Majus ergo Pontificiæ potestatis, supremique imperii argumentum erat, Germanum Episcopum mittere, qui toti Insulæ, Ecclesiis, religiosis hominibus, Episcopis omnibus, denique Archiepiscopis præsideret; quàm legare Augustinum Monachum ad Insulæ partem, ad gentem infidelem; ubi Ecclesiæ nullæ, hierarchia nulla, nullius Episcopi præjudicium.

VII. Confirmantur supradicta. *Beda l. 2. c. 2.*

Iterum licet Augustinus convocarit ad suum colloquium Britannorum Episcopos, de Ecclesiæ negotiis tractaturus: non tamen dicitur id fecisse Rom. Pontificis mandato, aut imperio: sed tantum *adjutorio usus Ethelberti Regis*, ut Beda expressit, qui etiam *precum, hortamentorum*, ac *increpationum* meminit; non mandati aut imperii Augustini, supra Britannos; qui ad Anglos solummodo & Saxones legatus est. Quod sine dubio in causa fuit, cur Britanniæ Episcopi, audire, licet recta monentem, noluerint. Germanus autem alterius sedis Episcopus erat; mittitur tamen in Britanniam, & à majore suo mittitur, & ad majores se mittitur; nisi Altisiodorensi Antistiti Apostolicæ Sedis legationem annexueris: recipitur ab omnibus, Synodum authoritate sua vocat, corrigit errantes, docet populum, ordinat Ecclesias, præficit Episcopos, visitat scholas, doctrinam probat, fidem orthodoxam, à sequiore, destinguit; & ubique populum habet, Clerum, Episcopos, & Archiepiscopos obsequentes: quorum vix aliquid in Augustino reperies. Tertiò Germanus docuit Britannos, Hiberniæ conversionem sitientes, ad fidei fontem Romam recurrere, & petram Ecclesiæ principem: sic supra Patricium instruxit: & ille promptissimè obedivit; factus est, dicente Roma, Hiberniæ Apostolus: nullum ita docuisse legitur Augustinus. Denique in honorem principis Apostolorum fundavit Germanus Landavensem Ecclesiam, instillavitque Britannis tantam erga Ro. Sedem reverentiam; ut prò omni peregrino labore, Romam itare, & ad Apostolorum limina procumbere consueverint. Quod in Germani, non in Augustini laudibus ponitur.

VIII. Conclusio pro primatu Ro. Sedis.

Vide interim sectariorum genium & acumen: vide montem sacrum ubi factionem ædificant, causamque reddunt secessionis suæ. Augustinus, à Britanniæ Episcopis; qui indubiè Christiani & orthodoxi erant, non admissus est: ergo Britanni Ro. Sedis prærogativam ignorarunt. ergo nos qui illam respuimus, innocentes sumus, & Britannorum vestigiis pressiùs inhæremus: non alio telo fortiùs, sæpiùs, contentiosiùs, in orthodoxos pugnant paradoxi. Vide, Lector, quàm inscitè; & è deformi argumento metire, cui illa innitur, fidem & Ecclesiam. Augustinus à Gregorio ad solam Anglorum & Saxonum gentem legatus, nullum in Britanniæ Episcopos imperium exercuit; ut excutiendo patentes ejus demonstrabo tomo * sequenti. Nihil ergo mirum, si à Britanniæ Episcopis non admittitur: immo mirum esset, & Romanæ Sedis primatus ignorantiam arguisset; si suarum sedium privilegia, quæ à primâ Sede manaverunt, Augustino Episcopo, nullam in suas Ecclesias à principio authoritatem habenti, submisissent Britanniarum Episcopi. Multò, opinor, elegantiùs argumentum hoc modo formaretur: Britanni, Fugatios, Damianos, denique Germanos, a Romanâ Sede, certissimo orbis suffragio, ad se legatos, exceperunt, admiserunt, coluerunt: ab illis docti, correcti, ordinati sunt: Nunquam Rom. Pontificis legatos aut imperia neglexerunt, semper illi dicto, scripto, facto, obedientes fuerunt, à primâ Insulæ conversione ad hunc Christi annum 440. & deinceps ad Giraldi ætatem; è doctrinâ quam Germanus restituit probavitque. ergo necessariâ consequentiâ fit, Britannos Rom. Ecclesiæ principatum agnovisse, nec aliter unquam credidisse. Itaque quod Britanniarum Episcopi fecere Augustini tempore; nihil, nihil omnino, Britannorum fidem læsit. Quemadmodum ad Hispaniarum regna legatum, si Galli legatum non agnoscerent; nullo modo propterea summi Pontificis authoritatem læderent aut controverterent: sed tuerentur, magis: quia Ecclesiarum & Legatorum jura distinguentes; Legantis voluntati arbitrioque accedunt magis; & ita factum à Britannis, qui Menevensem sedem a Germano vel à Dubricio Apostolicæ Sedis Legato erectam probatamque, & immediatè pri[...] Sedi subjectam, externo Antistiti subjicere noluerunt. Facessat ergo Britanniæ Episcoporum lis & controversia cum Augustino, quam suo loco componam. Priora eorum facta pensentur, & e factis eruatur fides; tum si de primatu Rom. Sedis, eorum fides inquiritur; per me licet, Legatorum admissione, vel omissione concludatur. Nam si primatus cadere debet, iis ad quos legatio est, legatum nolentibus, aut aversantibus: tunc, opinor, Legatorum missio, & Leganti authoritas, eorum ad quos mittuntur submissione & admissione stabilitur.

Augustinus ad Saxonem solum missus.
* V. an. 531 n. 6.

IX. Galliarum Episcopi primatum Ro. Ecclesiæ agnoscunt.

Unum hic dici potest; & factiosi interdum, cum premuntur, objiciunt: Germanum, à Gallicanâ Synodo, in Britanniam; non à Romanâ Sede Legatum. Hoc solvi suprà, cum dixi, Prosperum, in Aquitania Episcopum, & hujusce temporis Scriptorem, disertè affirmare, à Cælestino & ejus *vice* missum. Sed esto, nulla Ro. Pontificis authoritas intercesserit; nulla ab ea Sede legatio fuerit, nullæ vices, aut vicaria potestas. Sed Galliarum Episcopi illum miserint (nam adversario si parum metuendus est, poteris quæcumque tela concedere.) Parum inde subsidii, in principe quæstione, hæc factio nanciscetur. etenim si Germanus & Galliarum Episcopi omnes, agnoverunt Ro. Pontificis principatum: manifestè sequitur Germanum ita Britannos docuisse, nec aliter docere potuisse. Quærendum igitur erit a Galliarum Episcopis quid ipsi de Ro. Ecclesiæ authoritate, cultuque,

hoc tempore ſenſerunt? & ecce tibi univerſos Epiſcopos Metropolis Arelatenſis, ita ſcribentes ad Leonem Papam; qui hoc anno, ut dixi, ſedere cœpit. *Memores quantum honoris & reverentiæ, Beatiſſimæ Sedi Apoſtolicæ, cui vos Dominus noſter* IESVS CHRISTVS, *pro merito ſanctitatis, voluit præſidere, ſemper debitum fuerit, ſemperq́; debeatur. Ordinationem Coepiſcopi noſtri Ravennii continuo literis Apoſtolatui veſtro indicare curavimus.* & infra. *Credentes plenum eſſe rationis, atque juſtitiæ; ut ſicut, per Beatiſſimum Petrum, Apoſtolorum Principem, ſacroſancta Eccleſia Romana teneret ſupra omnes totius mundi Eccleſias principatum; ita etiam intra Gallias Arelatenſis Eccleſia, quæ S. Trophimum ab Apoſtolis miſſum Sacerdotem habere meruiſſet, ordinandi Pontificium vendicaret.* Ita omnes Galliarum Epiſcopi Arelatenſi Eccleſiæ ſubjecti. Iterum, Ceretius, Salonius, & Veranus, Galliarum Epiſcopi, ad eundem Leonem ſic ſcripſerunt. *Merito*, inquiunt, *omnium ſententiâ declaratur; meritò illic principatum Sedis Apoſtolicæ conſtitutum; unde adhuc Apoſtolici ſpiritus oracula reſerentur.* Agnovit hoc ipſum ipſe Leo: cujus elogium prius accipe è Trithemio, quàm ſententiam: *Fuit Leo Eccleſiaſticæ dictionis Tullius, ſacræ Theologiæ Homerus, rationum fidei Ariſtoteles, Apoſtolicæ authoritatis, Petrus; & in Chriſtiano pulpito Paulus.* Hic, inquam, tantus vir, Romanæ Sedis principatum aſſeruit adeo indubitanter, ut ad Epiſcopos, per Vienneuſem provinciam conſtitutos, ita ſcripſerit. *Quiſquis Petro principatum æſtimat denegandum; illius quidem nullo modo poteſt minuere dignitatem: ſed inflatus ſpiritu ſuperbiæ ſuæ, ſemetipſum in inferna demergit.*

Epiſt. Comprovincialium Epiſc. Metropolis Arelaten. ad Leon. Pap habetur inter ejus Epiſt. ſine.

Habetur inter Leonis Epiſtolas.

Trithem. de Script. in Leone.

Leo. in Epiſt.

X. CONCLUSIO PRO RO. ECCLESIÆ PRIMATU.

Vides ut in Galliam fugâ, nullum factioni refugium ſit: nam ibi communi ſuffragio, plures Epiſcopi, longè conſtantiùs Romanæ Sedis primatum defendunt, quàm unquam pro eadem ſtipulatus eſt Auguſtinus. Adverte etiam ſi Ariſtoteles aliquis ita definiviſſet antiquam fidem: ut quicunque Ro. Eccleſiæ principatum negarit, reus ſtatim æternæ pœnæ ſtatuatur: miſero ſanè loco erunt illi, qui non tantum id negant: ſed Vatiniano quoque odio proſequuntur, & inter læſæ Majeſtatis crimina recenſent, primatum illum, tueri. Nec antiquis parcunt aut ipſis gentium Apoſtolis: nam Auguſtinum, ut modo confeſſi ſunt, ideò ſolum exauctorant, quod Romanæ Sedis principatum conatus ſit ſtabilire. Sed reverà nullus Auguſtinus, nullus Gregorius, nullus Anglorum aut Saxonum Rex, fortiùs fecit, conſtantiùs dixit, ſcripſitque pro illius Eccleſiæ privilegio; quàm aut Leo Papa, aut Germanus Britanniarum Apoſtolus, aut denique Galliarum Epiſcopi omnes. Concludo igitur pro Fide Regiâ. Principatum urbis jam olim ab initio naſcentis fidei, Inſula credidit: Lucius Rex altero ſæculo hanc fidem dicto, facto, expreſſit, cum, Eleutherio ſupplex, accepit mandatum ejus: Conſtantinus deinde literis, donationibus, regiiſque muneribus eandem clariſſimè proteſtatus eſt: Germanus Britanniæ Apoſtolus binâ legatione, multoque miraculo, illam aſſeruit. Denique Auguſtinus, nihil à majorum fide alienum, nihil à Germani doctrinâ diſſonum; ſed illud ipſum, Saxonem docuit: & eodem merito, quo Germanus Britanniæ Occidentis; ipſe Orientis Angliæ (Eccleſiam utrobique intelligo) Apoſtolatum accepit. nam quod de primatu urbis dixi; idem, (quis non videt?) de Sanctorum cultu, de reliquiarum veneratione, de reverentiâ crucis, de monaſtici inſtituti præſtantiâ, de peregrinationis ſanctitate, aliiſque dicendum eſt: quæ omnia, ſuperioribus ſæculis ſuſiſſimè probata, nemo ſanus inficiabitur: Inſanus, quicquid dixeris, nunquam acquieſcet.

XI. MOS ANTIQUUS PETENDI BENEDICTIONEM A SACERDOTIBUS.

Illud fortè videri poteſt novum, & tantum à Germani tempore, non priùs, uſitatum: nimirum conſueviſſe fideles à viro quolibet, Monacho vel Clerico, vel etiam religionis habitum præferente, ſupplice corporis cultu, benedictionem per crucis formationem petere. Qui mos licet hodie perſeveret, ſufficiatque illum à Germano Apoſtolo accepiſſe; quia nihil ad fidem, ſed ad mores tantum facit: jucundum tamen eſt antiquitatis ſtudioſo, originem pii moris altius accipere; vide ergo quid dixi ad annum 325. n. 4. ubi principes ab Epiſcopis & Sacerdotibus benedictionem petierunt. Nec morem hunc in Britanniâ Germanus docuit, ſed invenit. Ita enim ſcribit de Germani & Severi adventu Conſtantius: *Veniunt Sacerdotes, occurrit infecta multitudo, confeſtim benedictio, & ſermonis divina doctrina profunditur.* Quaſi diceret: Venit populus, & vice ſalutationis quæ novis hoſpitibus debebatur, inclinavit ſeſe: Sacerdotes autem primo loco benedictionem impertiunt, altero doctrinam. Quamobrem hunc quoque ritum non inſtituit, ſed reſtituit Germanus. Perſeveravit hic mos abjiciendi ſe ad Sacerdotum pedes, uſque ad Giraldi tempora. à Britannorum conſuetudine mutuarunt Saxones, promiſeruntque illam, non ſolum ad Giraldi, ſed ad hanc uſque ætatem.

Conſtant. l. 2. c. 2.

XII. EXPOSTULATIO.

Anglia, hic ego te appello, chariſſima patria; cedo quæſo rationem; cur tu Altiſiodorenſem Germanum gloriaris eſſe Britannorum, & puræ fidei Apoſtolum: Auguſtino interim invides honorem illum, qui te meliore longè beneficio beavit? nunquid non majus eſt ubique & ſine Deo peccantem, ad Deum converti; quàm in paucis delinquentem corrigi? Sed faceſſat Auguſtinus, pro quo ſequenti libro pleniùs, propitio Deo, advocabo: & cedo rationem, cur Germanum effers; quod *labefactatam religionem Chriſtianam in Britanniâ reſtauraris*, imbueritque Eccleſiaſticæ diſciplinæ moribus: & interim illos ipſos mores, eandem diſciplinam, ipſiſſima dogmata accuſas, damnas, & carceribus, vinculis, morte perſequeris? Quid meruere Sacerdotes & Monachi? cur illos non colas, quos Conſtantinus, Helena, Britanni, Saxones, Angli olim coluerunt? docent fortè primatum Rom. Pontificis, nuperis comitiis interdictum? Sed teſtor Deum immortalem, eundem credidit, docuit, defendit Germanus: eum præceſſere Lucius, Conſtantinus, Britanni; Oriens, Occidens, Septentrio, Meridies: patere ergo impunè credi rem certo conſtantique omnium ſæculorum ſuffragio præſcriptam: quia credit orbis, erraviſſe potiùs moderna comitia, & latas ibi leges, quas libidinis, avaritiæque impetus primùm ſuggeſſit: quàm antiqua orbis concilia, antiquos Patres & Apoſtolos, & denique quindecim ſæcula.

XIII.

Sed Roma forſan alienum cultum induxit, antiquato vetere, & olim ſancito: vota & monaſticam vitam probat, colit Sanctos, eorum reliquias, & crucem veneratur. Quid ultra? oleum & aquam benedicit, peregrinationes laudat, aliaque pietatis & religionis opera, quorum

nulla mentio in verbo Dei. Hæc quidem habentur Romanæ fidei peccata mortalia: in quæ sectariorum pulpita debacchantur: sed eadem omnino (vide Seldenum suprà) docta sunt à Germano: & Germanus nihilominus audit Apostolus. Eadem antiqui Britanni fecerunt, Christiani & orthodoxi: eadem Saxones, Angli, Normanni; donec, stupente mundo, factum est duplex, simul divortium, uxoris, & fidei. Cur ergo nobis non licet, quod domi didicimus, quod foris probatur, quod omni sæculorum majestate sancitum est? Numerabatur olim, inter religionis opera, peregrinari Romam, & vovere castitatem: nunc crimen est: quia Roma probare noluit uxorium Regem & Monachum. Revertere, revertere, Sulamitis, revertere, revertere, & intuere majores tuos; vide Reges Principes; vel si mavis, Apostolos tuos. Illos sequere, & noli abire post vestigia gregum modernorum, qui pascunt hædos juxta tabernacula cerebri sui. Recordare dierum virginitatis tuæ, & omnium desiderabilium, quæ habuisti à diebus antiquis. Ingredere Ecclesias, quas posuerunt patres tui: aspice Sacerdotii, sacrificii, altarium sanctitatem. Contemplare parietes, ornatum, aurum, argentum, & pretiosa quæque. Tum descende in modernorum subsellia, histra ædes, quondam sacras; nunc nudas & investes: denique lamentare cum propheta, & dic verissimè. *Egressus est a filia Sion, omnis decor ejus: omnes portæ ejus destructa, Sacerdotes ejus gementes, virgines ejus squallida, & ipsa oppressa amaritudine. Facti sunt hostes ejus in capite: inimici ejus locupletati sunt. Peccatum peccavit Ierusalem: propterea instabilis facta est. Sordes ejus in pedibus ejus. Vide Domine & considera, quia facta sum vilis.*

DUPLEX DIVORTIUM CAUSA MALORUM.

Ierem. thren. c. v. 6.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1192.

ANNUS CHRISTI 441.

LEONIS PAPÆ 2.

VORTIGERNI REGIS 4.

I. GERMANI MORA IN BRITANNIA.

QUAMDIU Germanus in Britanniâ hæserit, non ausim affirmare: nec an ibi oraculum acceperit, cujus meminit Sigebertus, in Chronico, ad annum quadringentesimum quadragesimum primum, Cyro tantùm Consule, ita scribens: *Corpora Prisci, aliorumq;, cum eo apud Altisiodorum passorum. Germano Episcopo revelantur.* Illud certum, religiosum eum fuisse in illo genere pietatis; in colligendis, inquam, Sanctorum reliquiis: & ita nihil mirum, cælum votis ejus, & oracula favisse. In vitâ ejus, quam compendio recitat Hareus ita legitur. *Noctibus nunquam vestitum, rarò cingulum, rarò calceamenta detraxit, redimitus loro semper, & capsula Sanctorum reliquias continente.* In hac fide, sine ullo dubio, Germanus moritur; quo anno * incertum. E Constantio colligitur mortuus anno 448. de loco constat. Ravennæ cum apud Augustos pro Armoricanis advocat, à Deo ad laboris præmium vocatur. *Tunc Regina Placidia* (Valentiniani conjux) *deposito Imperiali supercilio* mortem funusque ejus ita describit Constantius) *occurrit pauperi, requirit infirmum, tribuens quicquid ab ea, beneficii postulat. Peculiariter sanè petiit, quod illa invita concessit, ut gleba corporis sui patriæ redderetur, &c. septimo incommodi die ad cælum anima felix & beata transfertur. Hæreditas deinceps relicta dividitur. partem præsul sit imperium: partem vendicant Sacerdotes. Et quod fieri de opibus solet, nascitur de exiguitate contentio, dum deest, quod cupiunt. Solius benedictionis hæres, capsulam cum reliquiis sanctis Regina suscepit: cucullam cum interiori cilicio, Petrus Episcopus usurpavit. (est hic Petrus Ravennas, cognomento Chrysologus, vir doctrinâ & sanctitate illustris.) Sex vero Antistites, ut aliquid monumenti ex successione sanctitatis acciperent, disrumpere quod superfuerat maluerunt; unus Pallium, alter cingulum accepit, duo tunicam, duo sagulum diviserunt.* Hæc Constantius.

Sigebert. in Chronico hoc.

Hareus 31. Julii.

Vide Usserium in primordiis fo. 382. & suprà 436 1.

MORITUR SANCTUS.

Constant. l. 2. c. 29.

CAPSULA RELIQUIARUM EIUS GALLA PLACIDIÆ DATUR.

Nec tardior ad Germani cultum fuit Britannia, cum non Britanni solum, quos ille converterat; sed Saxones, Angli, & Normanni gratam Apostoli memoriam conservarunt: & structis, ejus nomini templis, oppidis, Monasteriis, & altaribus; pari semper, cum Augustino nostro, reverentiâ coluerunt. Unde facilè quis videt; si tamen videre vult; Germanum, ejusdem cum Augustino fidei, & ejusdem meriti ab omnibus semper habitum: & evidens factionis argumentum est, illos velle distinguere, quos eadem fides, eadem missio, & Apostolica dignitas, verè fecit esse Germanos. In Damnoniis, & Cornubiensi agro, oppidum est, & fuit etiam aliquando ædes sacra; Germano sancto nuncupata, ubi etiam Episcopi sedes. De quo ita scribit Camdenus: *Ad Liverum fluviolum S. Germani vicalus est, ad quem in Danico turbine sedes Episcopales Cranmor transtulit, ubi ædicula S. Germano Altisiodorensi sacra, qui Pelagianam hæresim in Britanniâ repullulantem, extirpavit.* Apud Silures in Radnoriâ celebris S. Germani memoria est: nam provinciæ illius pars, quæ Guarthenion dicitur, monumentum est sanctitatis ejus. Siquidem Author est Nennius, (vir sine dubio, dubiæ fidei) Vortigernum Regem, cum apertè & acriter, à Germano sancto admoneretur, non modò animum ad Dei cultum, à vitæ pravitate non convertisse. sed etiam calumnias eidem sanctissimo viro struxisse. *Quapropter*, inquit, *Nennius, Vortimerus, Vortigerni filius, pro illatâ à patre suo, S. Germano calumniâ, terram ipsam, in quâ Episcopus opprobrium tale sustinuit, in æternum suam fieri sanxit; unde & in memoriam S. Germani, Guarthenion nomen accepit, quod latinè sonat calumnia justè retorta.* Illustrissima quoque Abbatia est à S. Germano nomen habens, in agro Eboracensi; de qua Camdenus in Brigantibus: *Ousa fluvius irrigat Selby oppidulum non infrequens, ubi Rex Gulielmus primus, templum in S. Germani memoriam posuit, qui Pelagianam hydram sæpiùs in Britanniâ renascentem, feliciter confixit. Hujus Abbas, & S. Mariæ Eboraci, ex omnibus Septentrionalis plaga Abbatibus sedem in comitiis parlamentaribus habuere.* His adde quæ habet Matthæus Parisiensis, in vita Eadfridi quinti Abbatis S. Albani. ubi scribit Abbatis illius permissu fabricatam esse Basilicam in honorem S. Germani Altisiodorensis Episcopi a venerabilis memoriæ Ulpho priore S. Albani miræ sanctitatis viro: & addit: *Habitaculum enim illud, in quo idem S. Germanus postquam veneranter corpus S. Martyris (Albani) de terra levaverat, moram fecit aliquando: scilicet in convalle pomerii; ubi paludes, & arundines capacia loca reddunt*

II. BRITANNI GERMANUM COLUERUNT.

OPPIDUM S. GERMANI.

Camden. in Damnoniis.

ET ÆDES SACRA.

Nennius ap Camden in Silures.

ABBATIA S. GERMANI.

Camden. in Brigant.

inhabitabilia, ignobiliter jacuit derelictum, & ædificia diruta vix vestigia memoriæ prædicti Sancti reliquerunt. Hæc ille de causa ædis construendæ. Nec ad plura loca me diffundo, quia multus essem. Hæc sufficiant, ut testentur Saxones & Anglos, ab Augustino doctos, Germanum, ejusdem fidei hominem, amavisse.

III. Num Vortigernum Germanus excommunicarit.

Huntind. l. 2. initio.

Transeo alia, quæ incuriosi Authores narrant, virum sanctum, in Britanniâ fecisse, Vortigernum Regem excommunicasse, & nescio quem Subulcum ei substituisse; & cætera somniis quàm Annalibus digniora. Porrò quod scribit Huntindonius, vir melioris fidei, cum sale legendum est. *Dicitur*, inquit, *quod cum Rex Vortigernus prædicationem S. Germani audire nollet, fugeretq; sanctum se sequentem; quadam nocte ignis de cælo cecidit super arcem in qua Rex erat. Rex autem, tam ruinâ, quam igne destructus, nunquam comparuit.* Hoc, inquam, non ad mortalem; sed ad immortalem cæloque fruentem sanctum, referendum est. Nam ex veriore calculo, Vortigernus Germano superstes regnavit. Cæterùm hæc rerum inconstantia oritur, ex Authorum dissidio, qui seriùs Germanum in Insulam adduxerunt. Nam si verum est; quod habet Florilegus, ipsum primo venisse anno 446. Sequetur satis probabiliter, Vortigernum ab eo reprehensum, redargutum, & mirabiliter castigatum: Quod infidelem Saxonem principio in Insulam pellexerit: & demum repudiata uxore, Regit thalami consortem fecerit. Sed ego Prosperum, Bedam, Baronium, & alios secutus, utrumque adventum ad priora retuli: atque ideo Vortigerni correctionem Britanniarum Episcopis permitto, festinoque senescenti regno ac ruinæ proximo, justa persolvere.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1193.

ANNUS CHRISTI 442.

LEONIS PAPÆ 3.

VORTIGERNI REGIS 5.

Attila et Gensericus Romanos premunt.

Anno quadragesimo secundo supra quadringentesimum, Dioscoro & Eudoxio Coss. Attila Hunnorum Rex, Thracias & Illyricam, Romanorum provincias, sævâ depopulatione vastat; cogitque Theodosium in Oriente, annuo tributo mille librarum, injuriam redimere. Valentinianus etiam, Genseticum Vandalorum Regem, patitur hoc anno in Africâ regnare, magno Ro. Reipublicæ detrimento. Britannia interim, quæ per plura sæcula, illius imperii prospera & adversa, secuta est; Occidente jam sole, occasum pariter meditatur. Licet enim Vortigernus Rex, rerum ibi summâ potiretur: adeo tamen vitiorum infamia laborat; ut ægrum corpus, sub eo capite, multo celerius in ruinam trahatur. Verum, dum aversis oculis Britanniæ excidium transeo, lustrabo Remp. alteram, & ejus sanctitate, fideique integritate, calamitatis amaritudinem moderabor.

Britannia nutat, nutante Rom. imperio.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1194.

ANNUS CHRISTI 443.

LEONIS PAPÆ 4.

VORTIGERNI REGIS 6.

I. Ecclesiarum status.

Anno Christi quadringentesimo quadragesimo tertio, Maximo & Paterno Coss. sedebat in Landavensi Ecclesia S. Dubricius: ubi ædem Petro Apostolorum Principi sacram posuit; ut eum docuerat Germanus Apostolus. Voadinus eodem tempore Londinensem Ecclesiam administrans; pastoris officio egregiè fungitur, cum Vortigernum in multis errantem, conatus est in virtutis justitiæque callem reducere. Interea Patricius in Glastoniensi Monasterio secretus, Deo Sanctisque ejus supplex, appropinquantem numinis iram sistere nititur: & duodecim Monachi, quos suprà nominavi, Patricianæ sanctitatis æmuli, ejus vestigia proximè sequuntur, trahuntque alios, virtutum odore, ad Christianæ perfectionis culmen.

II. Maccæus Bachiarius.

Pitsæus in Bachiario.

Inter eos, Maccæus quidam, cognomento (ut aliqui volunt*) Bachiarius, & doctrinæ & sanctitatis privilegio eminebat. *Fuit natione Britannus, & Patricii discipulus* (ita Pitsæus) *bonis literis in Academiâ Legionensi operam dedit, vates insignis, mathematicus peritissimus. nam omnem juventutem suam in his studiis posuit.* Gennadius in Catalogo, eum vocat virum philosophiæ Christianæ peritum. Verùm quantum excelluerit in sacris literis, testatur luculenta ejus (si tamen ejus) & elegans Epistola, quam pro recipiendis lapsis scripsit, extatque hodie in magna Patrum Bibliotheca: de qua infrà dicam pluribus. Quod verò ad hæc tempora spectat, videtur huc referendum, quod omnes narrant de peregrinatione eius. Ille enim pertæsus malorum quæ oculis quotidie usurpabat; & miseriæ tempestatem, quæ Insulæ minabatur, prævidens: fortè etiam ne fidei naufragium faceret, peregrè proficisci statuit. Eò enim spectare potest, quod refert Gennadius: *Peregrinationem*, inquit, *pro conservandâ propositâ integritate elegit.* Ubi habes, quod suprà dixit Giraldus, Britannos, inter opera pietatis Peregrinationis laborem numerasse à tempore Germani & deinceps. quónam profectus sit, non possum constanter affirmare; quia tamen Apologiam scripsit ad Leonem Papam qui nunc Romæ sedet; & illi suscepti itineris rationem reddit; quia etiam suprà Giraldus dixit Romam Britannos potissimùm petivisse; ingens suspicio est, Bachiarium Romam ivisse. Adde, quod Gennadius aiebat id factum ab eo, *pro conservandâ integritate*; rectiùs in urbem cadere quàm in Orientem: unde nuper Pelagius, non integer, sed corruptus evaserat. Causam Apologiæ, & peregrinationis, Pitsæus explicat in hunc modum. *Bachiarius videns patriam suam continuis calamitatibus afflictam, illius misertus, divinam opem imploraturus, longissimis itineribus, sacras peregrinationes suscepit. Sed non defuerunt obtrectatores, qui levitatis, inconstantiæ, vanitatis, ut cætera taceam, hominem accusaverunt. Unde se scripto purgavit; sanctè affirmans, se non nisi pro amore Dei, pro anima sua salute, & afflictæ patriæ solatio, peregrinationes illas instituisse, & peregisse. Et quoniam*

Peregrinatur

Gennad. in Catal.

Quonam?

Pitsæus in Bachiario.

apud

apud ſingulos ſe excuſare non potuit, ad communem in terris, omnium Chriſtianorum Patrem, Romanum Pontificem Leonem primum, ut ex Genadio, Honorio, Ioanne Capgravio, & aliis colligo, ſcripſit. Hæc Pitſæus, ſed relinquamus peregrinum hominem, donec omnem peregrinationis curſum impleverit, domumque redeamus.

III. Priùs tamen quàm ulteriùs pergam, opinari cogor Maccæum hunc à Bacchiario diſtinctum eſſe. Si enim unus idemque; diuturna certè erit peregrinatio, vel Jocelinus in S. Patricii miraculis enarrandis abundat. Aliqua tamen de hoc viro, & Fide & Annalibus digna. & ſunt quæ

Jocelin. c. 134. ſequuntur. *Beatus Patricius*, inquit, *in loco ſatis amœno & apto, qui Ludha dicitur, Eccleſiam ædificare propoſuit. Sed Angelus ſibi apparens, ut à cæpto deſiſteret, imperavit ei dicens. Adveniet in instanti quidam famulus Dei, nomine Mocchæus* (Mocthæum habuit prior, & ſincerior editio) *de Britannia, qui patriam parentesque deſerens pro Domino Hiberniam petiit peregrinandi gratiâ. Ille locum iſtum ædificabit, & inhabitabit, dieſque ſuos illic in bono conſummabit. Obtemperans Angelo ſanctus Dei ad Orientalem plagam loci divertit: ibique locum Domino, tabernaculum Deo Iacob, ipſius Patritii nomine adhuc inſignitum erexit. Mocchæus autem magnæ virtutis vir, veniens ad locum, Oratorium & cæteras officinas ſibi competentes conſtruxit; vitamque virtutibus plenam ibidem degens duxit. Sanctus vero Patricius crebrò conſuevit illum inviſere, atque de his quæ ad Deum ſpectant, cum illo conferre. Quadam enim vice conſidentibus illis, & de Deo ſermocinantibus, Epiſtolam legendam apparens utriſque porrexit Angelus. Quam acceptam legens Patricius, invenit in eo quoddam contineri commonitorium, ſive præceptorium ſibi ſpecialiter directum, injungens, quod locum quem ædificaverat, Mocchæo cum omnibus pertinentiis ejus plenariè conferret; & quod ipſe in Armachiâ ſuâ ſedem Cathedralem conſtituere deberet. Fecit ergo gratanter Patricius, quod Angelus imò Dominus per Angelum mandaverat, conferens S. Mocthæo cuncta quæ illic poſſidebat. Duodecim etiam leproſos quibus pro Chriſto miniſtrabat præfato viro Dei commendans, receſſit: & Mocchæus cuncta ſuſcipiens curam, & cuſtodiam omnium illorum egit.*

IV. Quod ſequitur in Authore ex abundantiâ eſt, & nutat calamus illud reddens: habe tamen Lector, & cenſe ut lubet. argumentum rei eſt.

Jocel. c. 135. *Sententia S. Patricii Sancto Mocthæo prophetice inflicta:* ita Jocelini caput centeſimum trigeſimum quintum inſcribitur. narratio eſt ejuſmodi. *Evolutis aliquantis diebus cum liber Geneſis legeretur coram S. Mocchæo, audiens quod Sancti Patres ante diluvium nongentorum annorum ſpatio, vel eò amplius, & poſt cataclyſmum plures trecentis annis vixerint; non facilè fidem ſacra hiſtoria dabat: quia luteum tabernaculum humani corporis, carne tam fragili pelleque veſtitum, oſſibus nervisque compactum, tanto tempore nullatenus poſſe durare aſſerebat. Quod cum innotuiſſet Sancto Patricio, acceſſit ad virum, ut veris rationum aſſertionibus, ab animo illius omnem tolleret ejuſmodi ſcrupulum. Dicebat enim S. Patricius totam Canonicam Scripturam dictatam & ſcriptitatam eſſe digito Dei, & idcirco in nullo derogandum aut diſcredendum ei. Aſſeruit etiam non difficilius eſſe factori omnium vitam hominis mille annorum ſpatio protelare, quàm diei unius ſi voluerit: quoniam teſte Pſalmiſta: Mille anni ante oculos tuos tanquam dies heſterna quæ præterit. Adhuc autem ſuper his quæ dicta ſunt à S. Patricio, viro vacillante, fertur ſanctus Pontifex ſententiando, vel potius prophetando pronuntiaſſe. Quoniam, inquit, incredulus fuiſti ſacræ Scripturæ, quæ in illa continentur experimento proprio diſces vera eſſe. Trecentis enim annis prolongentur ſuper terram anni tui: nec ante temporis tantum ſpatium conſummatum, intrabis in gaudium Domini Dei tui. Servus vero Domini ſuper dubietatis errore poſteà pœnituit. Sed ſententia, ore Patricii, dictante Spiritu ſancto prolata irrevocabilis extitit. Trecentis enim annis S. Mocchæus vixit: ſicque naturæ debitum ſolvens, virtutibus & ſignis effulgens ad Chriſtum è mundo tranſivit.* Hactenus de Mocchæo Jocelinus. Macrobium hunc ſilent Annales noſtri, quantumvis Britannum, & à Patricio conſecratum Luduneuſium Epiſcopum agnoſcant. Cæterùm quod Patricii ſententiâ ad diuturnam trecentorum annorum vitam condemnatus ſit, vereor ut ſubſiſtat: unde Uſſerius illud inter *alia prodigia, inaudita ſuâ novitate ſtupenda*, meritò rejicit. nec ſtare poteſt cum eo quod anonymus vitæ S. Mocchæi Scriptor narrat colloquium inter eum & S. Patricium: ubi hæc habentur. *Tunc Mochæus ait S. Patricio, ſi ante te de hac luce migravero, familiam meam tibi committo. At Patricius ait: Et ego meam tibi commendo, ſi te ad Dominum præceſſero. Et factum eſt ita. vixitque poſt ipſum ſedem (Armachanam) Mochæus aliquot diebus: & Benignum illius diſcipulum pro ſe inthronizavit.* Sed nutant omnia: & ſi quid probabile in biographorum ſcriptis, illud erit probabilius: S. Patricium viventem adhuc ſedis ſuæ ſucceſſorem deſignaſſe S. Benignum ut dicam anno 453. n. 43. & iterum anno 460. n. 1. & quod Mocchæum ſpectat: Annales Ultonienſes eum mortuum ponunt an. 535. nam ita de illo: *Dormitatio S. Muchei, vel Mochea, diſcipuli Patricii XIII. Kal. Septembris.*

Apud Uſſer. fo. 876.

Apud Uſſer 855.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1195.

ANNUS CHRISTI 444.

LEONIS PAPÆ 5.

VORTIGERNI REGIS 7.

PRÆTER dictos viros, plures erant ſparſi per Inſulam, qui non modò in Catholicâ fide integri, ſed ſanctis quoque moribus ornati fuerunt. Sanè, Wintonienſe Monaſterium florebat adhuc, cujus meminit Matthæus Weſtmonaſterienſis ad annum Domini quadringenteſimum quadrageſimum quartum, quo anno Theodoſius XVIII. & Albinus Coſs. fuerunt. Cæterùm quod addat eo anno extractum inde Conſtantem Monachum, Conſtantini filium, & à Vortigerno coronatum; in multis fallitur. Licet enim certiſſimò conſtet, dictum Conſtantem, monaſticam veſtem induiſſe: & parentis juſſu poſtmodum exuiſſe; ut ſuprà affirmarunt antiquiſſimi Scriptores: licet, etiam admodùm probabile ſit, in Wintonienſi Monaſterio Monachum fuiſſe. Id tamen omne ad ſuperiora referendum. Porrò, Monachos in dicto Monaſterio adhuc perſeveraſſe, vel inde ſatis conſtat; quod non ita pridem dare potuerit Romano orbi, virum imperiali purpurâ inſignem. Ad hunc annum Annales Ultonienſes referunt

WINTONIENSE MONASTERIUM.

Armachanæ Ecclesiæ fundationem à S. Patricio, vel cæptam vel finitam. nam ita ibi legitur apud Usserium. *Anno Domini quadringentesimo quadragesimo quarto, Ardmacha fundata est. Ab Urbe conditâ usque ad hanc civitatem fundatam, mille centum nonaginta quatuor anni sunt*: quæ annorum supputatio, à calculo nostro oon admodum differt: qui Urbis conditæ 1195. numerat.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1196.
ANNUS CHRISTI 445.
LEONIS PAPÆ 6.
VORTIGERNI REGIS 8.

Scoti, Pictique fines suos egredi incipiunt.

HOc anno quadringentesimo quadragesimo quinto, Valentiniano sextùm, & Nomo Coss. qui ad Septentriónem Britanniæ erant, Scoti Pictique; cum Romanum imperium, Vandalorum incursibus penè fractum cernerent, temporis opportunitate usi: fines ipsi suos, & novas quas acquisiverant sedes dilatare, inquietum genus hominum, cæperunt: quas clades Romanæ provinciæ intulerint, & quomodo Britannici regni exitium fuerint, sequenti anno quo pleraque contigerunt, fusiùs explicabo.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1197.
ANNUS CHRISTI 446.
LEONIS PAPÆ 7.
VORTIGERNI REGIS 9.

I. Britannia premitur.

SEquitor itaque quadringentesimus quadragesimus sextus, Domini annus: & tertio Aetii consulatu, cum Symmacho aperitur. *Novis cladibus* (loquitur Baronius) *Ro. imperio ærumnosus. Etenim Africa, Hispania, atque Gallia, à diversis barbarorum gentium occupatis, quæ supererat Britannia, à Scotis & Pictis invasa, dirâ strage vastatur.* Ita Cæsar. Hic est annus ille, quo ex omnium sententiâ, Britannorum res retrofluere, & manifestam ruinam minari cæpit: hinc à Septentrione, Scotis & Pictis Insulam prementibus: Illinc à meridie ferociente post duos annos Saxone; qui eò crudeliùs Britannis incubuit, sæviitque nocentiùs; quò obsequii primùm & servitutis imagine, Britanniæ adblanditus est.

Causa excidii Britannorum.

Quoniam verò ad profundum noctis regnique occasum properamus: osculabimur hic ferientem Dei manum; & unà ostendemus, quæ scelera, qui perversi mores, quæ sacrarum etiam rerum inclinatio fuerit; cum Deus opt. max. in virgâ ferreâ castigavit populum suum, & tanquam vas figuli confregit eum: divino prorsus consilio; ut novus, fornacis beneficio formatus populus, in virum perfectiorem evaderet. Non solet porro divina manus, nullo scelere irritata, aut ferire aut irasci. Irritata verò, regnis & provinciis irascitur, ferit capita Rerump. mutat sceptra & imperia: præsertim cum communibus flagitiis & omnium ordinum impietate provocatur. Quod in hoc Britanniæ excidio accidit.

II.

Quamvis enim proposuerim, hoc omni opere, ornare Britannorum Ecclesiam, *Regiamq́; Fidem* defendere: nunquam tamen animus fuit; rerum gestarum silentio, ita Lectorem fallere; quasi nullæ in cælo nostro nubes, nulla in sole macula, aut echlypses fuerint. Id suprà non tacui, in Magno Constantino, & ipso Christianæ fidei meridie: minùs ergo mirum, si post tot annorum serenitatem, post tantam lucem splendoremque, nox aliquando & tenebræ successerint: nam rebus omnibus inest quidam velut orbis, & flumina ad mare properant, unde enascuntur.

Inter Britanniæ tenebras, fidei lux apparet.

Quod si inter has tenebras, scelerumque nubes, emicuerint nihilominùs orthodoxæ fidei radii splendidissimi: & nulla, nulla prorsus modernæ factionis apparuerint vestigia; consolabor ego me, & alteram divinæ misericordiæ manum suaviabor: quod, nonobstante peccatorum mole, Britanniam non dereliquerit usquequaque; nec amoverit omninò misericordiam suam à nobis. Sectariorum etiam fraus apparebit: qui cum soleant ingenti vociferatione hanc Insulæ noctem, & pietatis deliquium; quo licentiùs sequioris fidei paradoxa nundinentur, appellare; educti in publicum, & explicatâ paululùm Britannorum fide, certissimi erroris arguentur. Enimvero, si Britanni Sacerdotes accusabuntur, & inter eorum scelera ingentia numerabitur; quòd raiò sacrificaverint; quòd rarè, puro corde inter altaria steterint; quòd Petri sedem inhonorarint; quòd nimio quæstu, & ambitione beneficia impetraverint à Rom. Pontifice; quis inde non statim colliget, Britannos hujus quinti seculi, Sacrificium & altaria habuisse, Petri sedem agnovisse, ac Ro. Pontificem, etiam in hac Insulâ Ecclesiarum Principem? & tamen hodie quoties de fide altercatio est; sacrificium negatur, evertuntur altaria, Romanæ sedis authoritas contemnitur; quia scilicet antiqui Britanni, faciebant ita. Sed plura de hoc argumento inferiùs: nunc causam excidii & Occidentis Insulæ statum exponam.

III. Britannorum peccata. *Gildas de excidio.*

Gildas cognomento sapiens; qui nascitur sub finem hujus sæculi; magnis singultibus, ac proinde crudo, ac indegesto sermone, provincialium suorum scelera deplorans, eò refert Britanniæ excidium. *Quiescente,* inquit, *vastitate, tantis abundantiarum copiis Insula affluebat, ut nulla habere tales retrò ætas meminisset; cum quibus commodis, & luxuria crescit. Crevit etenim germine præpollenti, ita ut competenter eodem tempore diceretur: omnino talis auditur fornicatio, qualis nec inter gentes. Non solum verò hoc vitium, sed omnia quæ humanæ naturæ accidere solent. & præcipuè, quod & nunc quoque in ea totius boni evertit statum, odium veritatis, cum assertoribus; amorq́; mendacii, cum suis fabricatoribus: susceptio mali pro bono; veneratio nequitiæ, pro benignitate; cupido tenebrarum, pro sole; exceptio sathanæ, pro Angelo lucis, ungebantur Reges, non per Dominum. Sed qui cæteris crudeliores existerent: Et paulò post, ab unctoribus, pro veri examinatione trucidabantur; aliis electis trucioribus.* Ita Gildas de Regibus, quos Insula cum Romani Imperatores adesse non poterant, elegit.

IV. Regum unctio antiqua.

Cæterùm hinc apparet ungendorum Regum antiquissimam in Britannia consuetudinem fuisse: quem enim sensum habere possunt supradicta verba, *Ungebantur Reges, & trucidabantur ab*

unctoribus.

In Britannia.

Seldenus in titulis honorum p. 2. c. 7.

unctoribus. Si nulla intercessit unctio? Seldenus quidem noster doctissimè dubitat, debeántne voces illæ genuinè acepi; an verò metaphoricè. Verùm audiendus est S. Gregorius, qui sequenti sæculo beavit hanc Insulam. & in illud primi Regum: *Tulit Samuel lenticulam olei & effudit super caput ejus:* Hoc, inquit, *hac unctione exprimitur, quod in sanctâ Ecclesiâ nunc etiam materialiter exhibetur; quia qui in culmine ponitur, Sacramenta suscipit unctionis.* Antiquus ergo ungendorum Regum mos est, præsertim in hac Insulâ & tunc primum desiit, cum desiit antiqua & orthodoxa fides. Cæterùm quomodo Reges ungi solerent Romanus Ordo ita breviter narrat. *Dominus Metropolitanus ungat de oleo sanctificato caput, pectus, & scapulas, ambasq; compages brachiorum ipsius (Regis) ita dicendo: Ungo te in Regem, de oleo sanctificato, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. & dicant Amen. Pax tibi; & cum spiritu tuo. deinde ungat sibi manus, de oleo sanctificato, ita dicendo: unguntur manus istæ de oleo sanctificato: unde uncti fuerunt Reges & prophetæ, & sicut unxit Samuel David in Regem, ut sis benedictus & constitutus Rex in Regno isto, super populum istum, quem Dominus Deus tuus dedit tibi, ad regendum & gubernandum.* Verosimile igitur Vortigernum Regem, ante aliquot annos ita unctum, & Gildæ quoque verbis intellectum esse: quia à civibus regno exutus est, (substituto Vortimero filio) & demum vitâ. Certius est, Saxones, & Anglos Reges, sacro oleo, & solenni cæremoniâ ungi consuevisse, ut de Magno Alfredo omnes testantur. nunc redeo ad Gildam.

Gregor. in lib. Regum l. 4. c. 5.

Ordo Rom. de divin. offic. in consecrat. Regum.

V.

Gildas de excidio.

Iterum Gildas conqueritur.

Si quis vero, pergit ille, *eorum mitior, & veritati aliquatenus propior videretur; in hunc quasi Britanniæ subversorem, omnium odia, telaq; sine respectu contorquebantur: & omnia quæ displicuerint, Deoq; placuerint, æquali saltem lance pendebantur; si non gratiora fuissent displicentia: ita ut meritò illud paternæ propheticum, quod veteri illi populo denuntiatum est, potuerit aptari. Filii, inquiens, sine lege, dereliquistis Deum, & ad iracundiam provocastis sanctum Israel. Quid adhuc percutiemini apponentes iniquitatem? omne caput languidum, & omne cor mœrens: à planta pedis usque ad verticem, non est in eo sanitas. Sic agebant cuncta, quæ saluti contraria fuerint; ac si nihil mundo medicina à vero omnium medico largiretur. Et non solum hæc sæculares viri; sed & ipse grex Domini, ejusq; pastores; qui exemplo esse omni plebi debuerant; ebrietate quamplurimi, quasi vino madidi torpebant resoluti: & animositatum tumore, jurgiorum contentione, invidiæ * capacibus unguibus, indiscreto boni maliq; judicio, carpebantur: ita ut perspicuè, sicut & nunc est, effundi videretur contentio. Super principes, qui eos facerent errare in invio, & non in via.* Hæc ibi. Sed & alibi in Britanniæ Clerum, calamum acuit idem Author, ac Sacerdotum scelera describit, quæ excidio causam dederunt. Ego illa paucis recensebo, tum ut justificetur Deus in sermonibus suis, & vincat cum judicatur: tum ut è sordibus illis, pretiosum à vili distinguens, Britannorum fidem eliciam. Ita Gildas orditur.

* *rapacibus.*

VI.

Gild. in correct. Cleri.

Cleri vitia causa excidii.

Britannia habet Sacerdotes, sed nonnullos insipientes: quamplurimos ministros, sed multos impudentes: Clericos; sed quosdam raptores, subdolos: pastores, ut dicuntur, sed occisioni animarum lupos paratos: quippe non commoda plebi providentes, sed proprii plenitudinem ventris quærentes: Ecclesiæ domos habentes: sed turpis lucri gratiâ, eas adeuntes: populos docentes, sed præbendo interdum pessima exempla, vitia, malosq; moresq; Raro SACRIFICANTES; ac raro puro corde inter ALTARIA stantes: plebem ob peccata non corripientes, nimirum eadem agentes; præcepta Christi spernentes, & suis libidines votis omnibus implere curantes. Sedem Petri Apostoli immundis pedibus aliquos usurpantes. sed merito cupiditatis, in Iudæ traditoris pestilentem cathedram desidentes: sæpiùs detrahentes, raro vera dicentes: veritatem pro inimico odientes; & mendaciis, ac charissimis fratribus, faventes: Iustos, inopes, inanes, quasi angues torvis vultibus conspicantes; & sceleratos divites, absque ullo verecundiæ respectu, sicut cælestes Angelos VENERANTES. Egenis, eleemosynam esse dandam, summis labiis prædicantes: sed ipsi vel obolum non dantes. Nefanda populi scelera tacentes, & suas injurias, quasi Christo irrogatas, amplificantes. Religiosam fortè matrem, seu sororem, domo pellentes; & externas, veluti secretiori ministerio familiares, indecenter accipientes: vel potiùs, ut vera dicam, licet inepta, non tam mihi, quàm talia agentibus, humiliantes. Ecclesiasticos posthac gradus, propensiùs quàm regna cælorum ambientes; & tyrannico ritu acceptos defendentes; nec tamen legitimis moribus illustrantes. Ad præcepta Sanctorum, si aliquando duntaxat audierint, quæ ab illis sæpissimè audienda erant, oscitantes ac stupidos; & ad ludicra, & ineptas secularium hominum fabulas; ac si iter vitæ mortisq; pandunt, strenuos & intentos; pinguedinis gratia, taurorum more rancos, & ad illicita infeliciter promptos: vultus arroganter in altum habentes; & sensus conscientiâ remordente, ad ima, vel tartara demersos. uno sanè perdito denario mœstos, & ad unum inquisitum lætos. In Apostolicis functionibus ob inscitiam, vel peccatorum pondus, ora etiam scientium obturantes. hebetes ac mutos; & in flexibus mundanorum negociorum mendaciis doctissimos: quorum de sceleratâ conversatione, multos Sacerdotio irruentes potiùs, vel illud penè omni pecunia redimentes, quam tractos: & in eodem veteri infaustoq; intolerabilium piaculorum cœno, post Sacerdotalem, Episcopatus, vel Presbyterii sedem, qui nec ibidem sæpe sederunt, utpote indigni, porcorum more volutantes; rapto tantum Sacerdotali nomine, nec tamen tenore, vel Apostolicâ dignitate acceptâ, &c.

Hæc cum Gildas acerrimè in Clerum disputasset; mox in Simoniæ crimen graviter invehitur, quo Reges & Sacerdotes videntur laborasse. ait enim: *Quid tam impium, tamq; scelestum est, quam ad similitudinem Simonis Magi; non intervenientibus licet interea promiscuis criminibus, Episcopatus officium, vel Presbyterii, terreno pretio, quod sanctitate rectisq; moribus decentiùs acquiritur, quempiam velle mercari? Sed in eo isti propensiùs vel desperatiùs ruunt; quò non ab Apostolis, vel Apostolorum successoribus; sed à tyrannis, & patre eorum diabolo fucata, & nunquam profutura emunt Sacerdotia. Quin potius, velut culmen tectumq; malorum omnium, quoddam, quo non facile eis improperentur, à quoquam admissa, prisca vel nova, & cupiditatis gulæq; desideria, scelesta vitæ structuræ supponunt; ut præpositi malorum faciliùs rapiant. nam si talis profecto redemptionis conditio, ab impudentibus istis, non dicam Apostolo Petro, sed cuilibet sancto Sacerdoti, pioq; Regi ingesta fuisset; eadem responsa accepissent, quæ ab Apostolo author eorundem Magus Simon accepit, dicente: Pecunia tua tecum sit in perditionem. Sed forte hen, qui ambitores istos ordinant; immò potius humiliant; atque pro benedictione maledicunt; dum ex peccatoribus non pœnitentes;*

VII.

Simoniaci.

Gild. sup.

quod

quod rectiùs fuisset; sed sacrilegos & desperatos faciunt: & Iudam quodammodo, in Petri Cathedra, Domini traditorem; ac Nicolaum immunda hæreseos adjutorem, in loco Stephani Martyris statuunt; eodem modo Sacerdotio asciti sunt, & ideo non magnopere detestantur in Filiis, quin imo venerantur; quod similiter Patribus sibi evenisse certissimum est.

VIII. Ecclesiastica beneficia Romæ petebantur.

Sequitur aliud, quod valde cupio Lectorem non oscitanter transire: licet enim Gildas obscurioribus passim verbis suspendat potiùs auditorem, quàm clarè aliquid enuntiet: in sequentibus tamen, non obscurè significat, Ecclesiastica beneficia; quæ vacabant aliquando in Britanniâ, & quorum collatio ad Ro. Pontificem pertinebat; magnis itineribus, ex illa urbe impetrari consuevisse. Unde sequi necessum est, Insulam hanc, non minùs Britannorum, quàm Saxonum & Anglorum tempóre, Ro. Pontificis Imperium agnovisse. Sequitur secundò Augustinum falsò accusari, quod primatum urbis in orbem, & Britanniam nostram, primus invexerit: cum reverà nihil ab antiquâ consuetudine differens, nihil à Germani doctrinâ diversum, nihil alienum à Britannorum, & primorum sæculorum more, dictaverit Saxoni. Sequitur tertiò vel parum accuratè, vel malâ fide agere eos, qui quoties, de Ro. Ecclesiæ potestate quæritur; ad hanc Insulæ noctem, & degeneres ferè mores currunt; rati inter multas vitiorum sordes, facilè latere posse, læsæ quoque Ro. Majestatis crimen. Verùm ea hactenus fuit Britannorum fidei dignitas, excellentia, & laus constantissima; ut quantumvis aliis immersa criminibus, nunquam tamen fuerit in optimam parentem perduellis, aut recalcitrans filia. Erravit Lucius in idolorum tenebris, sed audivit Eleutherium: Arrius cum reliquo orbe, Britanniam quoque corrumpere cœperat; sed Roma dictante, sanata est. Pelagius alio dogmate provinciam infecerat; sed *Apostolici Sacerdotes* Germanus & Lupus, contagio remedium attulerunt. Semper ergo hæc Insula Romæ obedivit; semper ejus imperia lubens accepit. Immo quod nunc prosequor è Gilda, Ecclesias suas & Ecclesiastica beneficia, ipsi dispensanda subjecit: vel audi Gildam Provinciales suos condemnantem ambitus. Sic enim pergit, & indubiè Romani itineris laborem describit, cum ait. *Etenim eos, si in parochiâ, nonnullis resistentibus sibi, & tam pretiosum quæstum severè denegantibus commessoribus, hujuscemodi margaritam invenire non possint; præmissis ante solicitè nuntiis, transnavigare maria, terrasq; spatiosas transmeare, non tam piget, quam delectat: ut omnimò talis species inæquiparabilisq; pulchritudo; & ut veriùs dicam, diabolica illusio, vel venditis omnibus copiis comparetur. Dein cum magno apparatu, magnaq; fantasiâ, vel potiùs insaniâ, repedantes ad patriam; ex erecto, erectiorem incessum pingunt, & dudum summitatis montium conspicantes; nunc rectè ad æthera, vel ad summa nubium vellera, luminum semidormitantes acies librant, ac se nova quadam plasmata, imo diabolica organa, ut quondam Novatus, Romæ, Dominicæ conculcator margaritæ, porcus niger, patriæ ingerunt, violenter manus; non tam dignas venerabilibus aris, quam flammis inferni ultricibus, in tali schema positi SACROSANCTIS Christi SACRIFICIIS extensuri.* Hactenus Author; Britanniæ ulcera detegens, & Novatum, pro Novatiano intelligens, ut suprà monui.

Gildas sup.

An 254. 2.

IX.

Cum ista Baronius in Gilda legeret, eleganter subdit: *Planè manibus contrectare est, justum libratumq; æquâ lance, Dei judicium; cur incolæ sceleratis dati sint gladio; & punientes eos barbari pro mercede sint vocati ad fidem: ut ita illam contigerit impleri sententiam: non plebs mea vos, & vocabo nondilectam dilectam; non misericordiam consecutam; misericordiam consecutam.* Intelligit Author, Anglorum gentem, qui ut mox dicetur in suppetias vocati, contra Pictos & Scotos; Britannos sedibus regnoque exuerunt. Hæc igitur enormia omnium ordinum crimina, justissimam excidii causam fecerunt. Ob illa Deus flagellavit incolas, primùm minoribus pœnis, peste & fame: inde, cum nulla melioris vitæ vestigia apparerent; immisit Scotos, qui bello & rapinis miscerent omnia: ac Insulæ Septentrionalia invaderent: Denique Saxonem & Anglum, vocari permisit è Germaniâ; qui reliquum Insulæ depopularentur: ac Britannis ad montana coactis, ipsi imperium obtinerent; Deum imposterum sanctiùs & religiosiùs culturi: quod post unam annorum centuriam devotissimè præstiterunt. Videamus nunc flagellum mitius: dicturi latiùs in sequentibus, bellorum incendia.

Conclusio ex dictis. *Baron. hic. Hosea 2.*

X. Britannia peste punitur, *Gild. de excid.*

Meminit Gildas gravissimæ pestis, quam Deus opt. max. Britannis, ut sanarentur immisit. *Dum ergo, ut Salomon ait* (loquitur Gildas) *servus durus non emendatur verbis; flagellatur stultus, & non sentit. pestifera namq; lues feraliter insipienti populo incumbit: quæ in brevi, tantam ejus multitudinem, remoto mucrone, sternit; quantam ne possint vivi humare. Sed ne hac quidem emendatur. ut illud Isaiæ prophetæ, in eo quoque impleretur, dicentis: Et vocavit Deus ad planctum, & ad calvitium, & ad cingulum sacci. Ecce vitulos occidere, & jugulare arietes: ecce manducare, & bibere, & dicere: Manducemus, & bibamus; cras enim moriemur.* Hæc de peste: De fame autem ita: *In talibus induciis desolato populo, sæva cicatrix obducitur famis, aliâ virulentiore tacitè pullulante.* Cum nec hac ratione flecti vellet duræ cervicis populus, ad jugum Christi, viamque salutis: hoc demum anno quadringentesimo quadragesimo sexto, divinâ Justitiâ permittente, surgit ad Septentrionem hostis; & inermem provinciam, à Romanis derelictam, ferocissimè invadit: quod hoc loco explicandum est: monito Lectore; cum Gallionem in Britanniam nuper legassent Romani, ut dixi ad annum Domini 421. n. 7. jam tum postremùm vale fecerunt Insulæ; & civibus unà denuntiarunt, se pluribus intentos, non posse ultra opitulari provinciæ. Quod cum Scoto probè innotuisset; majori, quàm unquam, impetu, & constantioribus armis, surrexit in Britannos: ingentem stragem ac carnificinam exercuit; & demum prolatis finibus, auctoque pomerio, regnum suum firmavit. Sed audi è Gilda miseram tragœdiam, quam Beda & Ado referunt ad an. 431.

Et fame.

Scotus incumbit Insulæ.

Beda in Chronico. Ado ib.

Itaque Romanis ad sua remeantibus, emergunt certatim de carrucis, quibus sunt trans Scythicam vallem evecti; quasi in alto Titane, incalescenteq; caumate, de arctissimis foraminum caverniculis, fusci vermiculorum cunei, tetri Scotorum, Pictorumq; greges, moribus ex parte dissidentes; & unâ eademq; sanguinis fundendi aviditate concordes; furciferosq; magis vultus pilis, quàm corporum pudenda, pudendisq; proxima, vestibus tegentes: cognitaq; condebitorum reversione, & reditus denegatione, solitò confidentiores, omnem Aquilonalem, extremamq; terræ partem, pro indigenis muro tenus capessunt. Statuitur

XI. *Gild. de excid.*

Scotorum et Pictorum motus.

adhac in edito arcu acies segnis ad pugnam inhabilis, & trementibus pracordiis inepta; qua diebus ac noctibus stupido sedili marcebat. Interea non cessant uncinata nudorum tela, quibus miserrimi cives, de muris tracti, solo allidebantur. Hoc scilicet eis proderat immatura mortis supplicium; quod qui tali funere rapiebantur; fratrum pignorumq́, suorum, miserandas imminentes pœnas, cito exitu, devitabant. Quid plura? relictis civitatibus, muroq́, celso; iterum illis fuga, iterum dispersiones, solito desperabiliores, item ab hoste insectationes, item strages accelerantur crudeliores. Et sicut agni à lanionibus; ita defendi cives, ab inimicis discerpuntur: ut commoratio eorum, ferarum assimularetur agrestium. Nam & ipsis mutuo, nec pro exigui victus brevi sustentaculo, miserrimi cives latrocinando temperabant. Et augebantur externa clades domesticis motibus; quod hujuscemodi tam crebris direptionibus vacuaretur omnis regio, totius cibi baculo, excepto venatoria artis solatio. Hæc omnia Gildas.

XII. SCYTHICA VALLIS, QUID?

Diodo. l. 6. Strabo l. 4.

Quod ait Scotos, *trans Scythicam vallem evectos esse*; non intelligit, auxilia, aut nova subsidia, è Scythiâ advenisse: sed solum innuit Scotorum primam originem: quod, vel Scytharum more barbari, & inhumani essent: (quod Diodorus Siculus, & Strabo significant:) vel quod è Scandiâ in Hiberniam descenderint: indeque olim per Vergiuium mare, quod *Scythicam vallem* vocat, in Britanniam transierint. nihil ergo hinc colligi potest, de primo illorum appulsu, sedeque fixa in Britanniâ: sed solùm, videri probabile; ut è Getis, Gothos; ita è Scythis, Scotos, nuncupatos esse. Scytharum autem nomine censebantur nationes omnes versus Septentrionem, ut docent Strabo & Ptolomæus. Quoniam verò Getæ, Scytharum Europæorum populus erat, fortè illud Propertii, Elegi. l. 4. el. 3.

Proper. el. l. 4. el. 3.

Hiberniq́, Geta, Pictoq́, Britannia curru:

Hibernos è Scythiâ descendisse significat. Erat certè Septentrio, fœcunda nationum parens: nam Alanos, Sacas, Dacos, Getas & Gothos, inde in Occidentis nostri perniciem emersisse, hujus temporis historia testatur: Unde nihil mirum, eo hominum genere, nunc infici Britanniam, atque vastari.

XIII. Itaque in hunc calamitatis Oceanum conjecti Britanni, Romanis primùm, inde Deo supplices fuerunt. Romanos missis oratoribus infimisque precibus solicitant; ut periclitantibus sociis adesse, & amicam provinciam consuetâ pietate velint defendere. Scribunt ad Aetium, qui fortiter pro Romanis agebat in Galliis, & supplici libello miserias explicant. Polydorus Virgilius integras literas à Britannis ad eum scriptas recitat: sed vir in *rerum inventione* doctus, videtur aliqua de suo addidisse. Gildas enim, ex quo Scriptores omnes mutuarunt Britannorum gemitus, Beda, Baronius, aliique plurimi, tantum habet literarum hanc particulam.

Aetio ter Consuli, Gemitus Britannorum.

GEMITUS BRITANNORUM.

Bed. l. 1. c. 13.

R*Epellunt nos barbari ad mare, repellit mare ad barbaros. Inter hac oriuntur duo genera funerum, aut jugulamur aut mergimur; nec pro eis quicquam adjutorii habentes.* Hic corrige Bedæ impressa exemplaria, quæ legunt Boëtio *ter Consuli*. meus M. S. codex habet Etio, ut & alii *antiquissimi*, inquit Usserius.

Fo. 370.

XIV. ROMA NOLUIT:

Nihil hæ literæ profuerunt. nam Romani, præcordiis imperii muniendis tutandisque intenti; non potuerunt extrema animare: unde rerum omnium in Britanniâ facta est inclinatio. Urgebat enim ferocissimus hostis; & inermis erat provincia: quotidie classicum insonabat Scotus; & miles assuetus classico militabat foris. Domi autem inexpertus civis, iners populus, lasciviens princeps, impares hostibus. Accessit miseriarum cumulo dira fames; quæ provinciales, non minùs quàm hostilis gladius, cruciabat: in eo tamen salutaris, qood quorundam oculos mentemque aperuerit, ad Dei auxilium implorandum. Et ea fuit divinæ bonitatis immensitas, ut supplicantibus miseris autem præbuerit, & victoriam de hostibus. Rem gestam ita narrat Beda. *Interea Britones fames magis magisq́, afficiens; ac famam sua malitia posteris diuturnam relinquens, multos eorum coëgit victas infestis pradonibus dare manus: alios verò nunquam; quin potius confidentes in divinum (ubi humanum cessavit) auxilium; de ipsis montibus, speluncis, ac saltibus, continuè rebellabant; & tum primum inimicis, qui per multos annos pradas in terra agebant, strages dare caperunt. Revertuntur ergo impudentes grassatores Hiberni domum. Post non longum tempus reversuri. Picti in extremâ parte Insula, tunc primùm & deinceps quieverunt. Pradas tamen nonnunquam exinde & contritiones de Britonum gente agere non cessarunt.* Hanc postremam periodum de Pictorum quiete, & possessione extremæ partis Insulæ elucidavi suprà. nimirum ita intelligendam; ut hoc primùm anno, & deinceps, constantes sedes & domicilia ibidem fixerint: nec ultra, quod antea sæpè factum, illis exuti. Corrige tamen Gordonium, qui ad hunc annum vult Scotos & Pictos rapto muro Britannos tributarios fecisse: quasi omnis Insola albis ut Romanis olim servierit.

DEUS VOLUIT MISERERI.

Beda l. 1. c. 14.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1198.

ANNUS CHRISTI 447.

LEONIS PAPÆ 8.

VORTIGERNI REGIS 10.

ITERUM PECCAT BRITANNIA.

BREVE tantum fuit hoc Britannorum lucidum intervallum pietatis. Nam anno Christi quadringentesimo quadragesimo septimo, Alypio & Ardaburio Coss. cum Deus, fugato hoste, famis quoque acerbitatem depulisset; ac copiam rerum omnium è cælo pluisset: hoc ipsum divinæ largitatis beneficium, quod rebelles mollire, & ad Christi legem trahere debuisset; impiis mentibus scandalum fuit, & ansa peccandi. Quod Beda, Gildam secutus ita declarat. *Cessante autem vastatione hostili; tantis frugum copiis Insula, quantis, nulla retrò atas meminit, affluere capit: cum quibus & luxuria crescere; & hanc continuò omnium scelerum lues comitari acceleravit. Crudelitas pracipue & odium veritatis*, &c. quæ suprà recensui Britannorum crimina. Satis sit hoc loco ostendisse, Deum, modico gemitu, exoratum, laboranti populo adfuisse; sed populum defuisse sibi. Iterum ergo novo scelere provocatus Deus, decrevit tandem irasci; & in furore suo dissipare Insulam. Cum Scoto & Picto longè graviorem hostem, è Germania vocat: & ejus, ut olim Cyri, dextram apprehendit, ut subjiceret ante faciem suam gentem, & dorsa Regum

Beda l. 1. c. 14.

Isaia 45. 1.

verteret. Quoque celerior vindicta foret, permittit Britannos ipsos insanire, & dictum hostem, sequenti anno, inter Regni sui viscera accipere: eo quidem consilio, ut Pictos & Scotos sedibus pellerent: ipsi in otio securi viverent. Sed secus accidit: nam intromissus miles, visâ provincialium inertiâ, non amicam servire servitutem, sed regnare ipse decrevit, & desidi populo, jugum imponere.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1199.

ANNUS CHRISTI 448.

LEONIS PAPÆ 9.

VORTIGERNI REGIS 11.

I. QUIS SAXONEM VOCAVERIT? QUt Britannorum, anno Christi quadringentesimo quadragesimo octavo, Posthumiano & Zenone Coss. suggesserit, Germaniæ militem in suppetias vocandum, non est dictu facile. Multi Vortigernum Regem accusant, quod belli pertæsus, externo militi numerare stipendia, quàm civem formare, aut ipse militiæ molestias sustinere, maluerit. Ita Florilegus: *Gens Anglorum*, inquit, *sive Saxonum à Rege Vortigerno invitata, Britanniam tribus longis navibus advehitur.* (Floril. an. 449.) Gildas & Beda, in omnes Regis consiliarios culpam referunt: quod mihi magis probatur. Solet enim Deus caput & præcipua membra ferire; cum planè statuit regnum evertere. Quicquid Rex & Concilium deliravit, id omne ad divinam voluntatem permissionemque referendum est, ut Beda insinuat, dicens: *Initum est concilium quid agendum, ubi quærendum esset præsidium, ad evitandas, vel repellendas tam feras, tamque creberrimas gentium aquilonarium irruptiones. Placuitque omnibus, cum suo Rege Vortigerio; ut Saxonum gentem de transmarinis partibus in auxilium vocarent. Quod domini nutu dispositum esse constat; ut veniret contra improbos malum; sicut evidentius rerum exitus declaravit.* (Beda l. 1. c. 14.) ita ille. CONSILIUM INSIPIENS. Nihil hoc consilio perniciosius regno accidere potuit. nam si difficile fuit, & Britannorum viribus majus, vicinum hostem, provinciâ arcere: multò enimvero difficilius erit, hostem Insulæ meditullium occupantem avertere, & ejicere. Quod nuper, Germaniæ Principes: nuperiùs, Britanniæ Proceres experti.

II. Et vero, jam dudum Saxo Britanniæ inhiaverat; jam dudum mare nostrum, & littora infestaverat: nec nisi Romana vi coërceri potuit. ejus enim metuendam rabiem Marcellinus explicat, de primo Valentiniano, ita scribens: (Marcel. l. 30. c. 20.) *Conversus ad metuendam rabiem Saxones, semper quolibet inexplorato ruentes; delatosque tunc ad maritimos tractus: quorum spoliis benè redierant onusti; malefido quidem, sed utili commento peremit, præda, raptoribus vi fractis, erepta. Itidemque, Britannos catervas superfusorum hostium non ferentes, spe meliorum assumptâ in libertatem & quietem restituit placidam, nullo penè redire permisso grassatorum ad sua.* Ita Valentinianus, qui tunc regnabat. Jam verò difficili tempore, cum Valentinianus alter opitulari nollet; rebus inquam domi flagrantibus, & foris infirmis: hunc eundem Saxonem, notæ aviditatis populum, in provinciam vocare, eamque illis servitutis nomine prostituere; quantæ erat dementiæ? Bene profectò & è re natâ Gildas hic exclamat. *O altissimam sensus caliginem! ô desperabilem crudamque mentis hebetudinem! quos propensius morte cum abessent, tremebant; sponte, ut ita dicam, sub unius tecti culmen invitabant stulti principes Tantos, dantes Pharaonis consilium insipiens.* (Gildas de excid.)

III. PLUS SAXO, QUAM SCOTUS NOCUIT. Præludia tantùm sequuturæ cladis fuerunt illa, quæ hactenus dicta sunt, de Scotorum Pictorumque incursibus; de peste, aliisque quæ vindex Dei manus Britannis intulit. Quæ jam de Saxone dicentur, tragica prorsus erunt, & miseriarum catastrophe. Ut enim alia taceam; Picti & Scoti, Christiani ferè erant; Saxo, infidelis: Illi agris, & Britannorum bonis ac facultatibus imminebant; iste templa, Monasteria, & omne sacrosanctum demolitus est: illi eminùs & tumultuariè pugnabant; iste cominùs, & instructâ acie. Illi montana petebant, & Insulæ incultissima. Iste provinciæ mediterranea, & optima quæque depopulatus est. Quid plura? Pictorum periodus, non admodum longa aut diuturna fuit; at Saxo promisit æternam sobolem. Descendamus ergo in hoc noctis, & miseriarum profundum: quando scilicet nobilissima Insula; & quæ omnium provinciarum prima publicè Christum coluerat; simulacris idolorum substrata succubuit, immani caligine tenebrisque obruta. Dicamus quando id factum, quo Principe, quo milite. Excutiamus barbaram gentem, mores ejus & sacra; quia melioribus commutanda sunt, sequenti tomo. Ferat hoc quæso Lector patienter, spe novæ lucis & illustrissimæ auroræ; quam Ethelbertus, & alii Saxonum Reges efficient; sustineat ergo, quam prosequor, noctis molestiam.

IV. DE TEMPORE ADVENTUS SAXONUM. Principio quærendum, quo anno invitati Saxones descenderint in Britanniam. Id enim ad sequentium annorum gesta, & componendas controversias maximum momentum est. Nam Beda, Malmesburiensis, Huntindonius, id est, omnes qui accuratè nostra descripserunt; solent communiter supputare tempora, rerumque gestarum seriem, ab adventu, vel ingressu Saxonum. Ut Augustinus à Gregorio legatus in Britanniam dicitur à Beda, anno ab adventu Anglorum (sive Saxonum) circiter centesimo quinquagesimo. Non debet ergo prateriri hæc quæstio, de tempore adventus eorum. Nec opus est longo examine, quia vix ullum est aut parvi tantum momenti dissidium, inter Authores. Solum Sigebertus exorbitavit plùs cæteris, tam in causa, quàm in anno ingressus. Nam secutus Monumethensem, scribit ad annum Christi 431. *Saxones applicuisse in partibus Cantia, Regique adventus sui causam aperuisse.* Et addit alia, quæ videntur significare inopinatum Vortigerno adventum fuisse. Sed utrobique fallitur. Nec enim eo anno, nec inscio Vortigerno venerunt. Hermannus Contractus in Chronico assignat annum Domini 448. & ad eum ita scribit. *Hoc tempore Angli-Saxones, à Britannis, contra Pictos & Scotos, auxilio asciti, Insulam petunt, & hostibus fugatis, in socios arma convertunt.* (Herman. in Chro. 448.) Ita ille. Et sine dubio Britannorum consilium de vocando Saxone, hoc anno, initum est, missaque in Germaniam legatio. Non enim si accuratè vis gesta & annos distinguere, debent aut possunt hæc omnia misceri. Cæterùm quod spectat ad eorum

adventum

adventum fuit ille paulò posterior. Quinam oratum iverint in Saxoniam nemo prodidit; solùm Malmesberiensis ita laudat oratores. *Probato consilio*, inquit, *mittuntur in Germaniam legati, spectabiles sanè viri, & qui dignè personam patriæ inducerent.*

Malmesb. de Reg. l. 1.

V. Britannorum legatio ad Saxones.

Witichind. l. 1. de reb. Saxo.

Witichindus antiquus author (vixit ante annos septingentos) natione Saxo, describit orationis summam: quâ Britanni, (quos Brettos vocat) militem impetrarunt. *Igitur*, inquit, *fama prodente de rebus Saxonicis prosperè gestis; Britanni supplicem mittunt legationem, ad eorum postulanda auxilia, & procedentes legati: Optimi, inquiunt, Saxones, miseri Bretti crebris hostium incursionibus fatigati, & admodum contriti; auditis victoriis à vobis magnificè patratis; miserunt nos ad vos supplicantes, ne ab eis vestra auxilia non subtrahatis; terram latam & spatiosam, & omnium rerum copiâ refertam, vestræ mandant ditioni parere. Sub Romanorum hactenus clientelâ, ac tutelâ liberaliter viximus: post Romanos vobis meliores ignoramus. Ideo sub vestræ virtutis alas fugere quærimus: vestra virtute, vestris armis, hostibus tantum superiores inveniamur; & quicquid imponitis servitii libenter sustinemus.* Hæc ille. Si ita Britannorum legati oraverunt; si Saxonii provinciam tam humiliter subdiderunt, illique voverunt eo modo servitutem: non fuit Saxo impius, qui oblatum regnum postea acceptavit. Opinor itaque Witichindum patrizâsse, & rebus Saxonicis nimis adblanditum. Verosimilius est, militem illum, etiam tum, ad servitia venalem fuisse: & ut manu promptum; ita ad bella semper præcinctum, nec eguisse tam humili supplicatione. Legati igitur de numerando militi stipendio, non de subdendâ Britanniâ, cum Saxone tractaverunt (ut hodieque cum Helvetiis agunt Principes, quoties belli necessitas vocat) & facilè assensum impetrarunt. nam subdit Witichindus: *Patres ad hæc pauca respondent: Certos amicos Brettis Saxones fuisse: & eorum necessitatibus, atque commodis, æquè semper affuturos. Legati læti redierunt in patriam, exoptato nuntio socios lætiores reddentes.* Hæc ille quod factum est anno 448. nunc ad sequentem pergamus.

Witichin. suprà.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1200.

ANNUS CHRISTI 449.

LEONIS PAPÆ 10.

VORTIGERNI REGIS 12.

I. Saxo descendit in Britanniam.

Floril. hic.

SEQUENTI anno, qui fuit Christi quadringentesimus quadragesimus nonus, Asterio & Protegene Coss. Saxonum exercitus in Britanniam descendit, Hengisto & Horsa Ducibus. Hunc annum Florilegus assignat. *Anno gratia*, inquit, *449. gens Anglorum sive Saxonum, à Rege Vortigerno invitata, Britanniam tribus longis navibus advehitur, & in Orientali parte Insulæ, locum manendi à Rege, quasi pro patriâ pugnaturâ, accepit.* Eundem annum habent fasti ex Malmesberiensi collecti. Beda etiam hunc annum intellexit, licet impressa ejus exemplaria, tam in historiâ, quàm in epitome, perperàm ita legant: *Anno ab incarnatione Domini quadringentesimo nono, Martianus cum Valentiniano quadragesimus sextus ab Augusto, regnum adeptus, septem annis tenuit. Tunc Anglorum, sive Saxonum gens invitata à Rege præfato, Britanniam tribus longis navibus advehitur.* nam legi debet annus 449. ut in correctissimo M. S. quod penes me est expressè habetur. Ultimò etiam Bedæ impressa opera Coloniæ anno 1612. sumptibus Hierati, licet in historiâ vitiosè ponatur annus 409. in epitome tamen (quod alibi non invenio) ponitur benè annus 449.

Bed. l. 1. c. 15.

II. Qualis Saxo et unde?

Si quæras, quænam hæc gens? & unde venerit? non est una omnium sententia. Conveniunt tamen, Germaniæ populum fuisse. Et ego qui sanctiora tracto, non multum quæstioni huic immorabor; cum alii fusiùs gentis originem, & natale solum tradiderint. Placet ergo quod habet Beda: *Advenerant*, inquit, *de tribus Germaniæ populis fortioribus, id est, Saxonibus, Anglis, Vitis.* (melius Jutis.) non ergo populus unus; sed ut plerumque fit, in describendo milite, obvii legebantur. Saxones erant cæteris celebriores: *Gens bellicosissima, corporis viribus, animi magnitudine, laborum tolerantiâ, habitis Germanorum fortissimi*, ut inquit Zosimus. *Romanis maximè formidati, quia repentini*; inquit Marcellinus: *Virtute & agilitate terribiles*, inquit Paulus Diaconus. Venerunt hi, ex illa Germaniæ parte, ubi Suevi trans Albim fluvium sedent, & nunc Saxoniæ Ducatus est. Horum major, quàm aliorum numerus; præsertim hac primâ, alteraque expeditione. Quamvis enim posterioribus sæculis, Britannia in Angliæ nomen concesserit; obliterato Saxonum nomine: priùs tamen eadem Insula, à Saxone nomen traxerat; & ob discrimen originis suæ, Saxonia Transmarina; præsertim Bonifacii, Germaniæ Apostoli, tempore, vocata est, ut patet ex ejus Epistolis.

Beda l. 1. c. 15.

Zosim. apud Camd.

Marcel. apud eund.

Saxonia propriè dicta.

Saxonia Transmarina.

III. Qualis Anglus et unde?

Bed. l. 1. c. 15.

Alter populus, qui hoc anno Insulam ingreditur, Anglus dicebatur. de quo ita Beda: *Angli de illâ patriâ, quæ Angulus*, (malè in impressis Codicibus legitur Anglia) *dicitur: & ab eo tempore, usque hodie manere desertus inter provincias Iutarum & Saxonum perhibetur.* Non ergo eundum in Westphaliam, ubi Engern visitur, & Suevi-Angli, à Ptolomæo memorati consederunt. Nec item in Pomeraniam, ubi Angloen oppidum multis dedit errandi occasionem. Hi enim, quia à mari absunt longiùs, ad Insulæ succurrendum non poterant prompti esse, & venales. Est igitur, inter Jutlandiam & Holsatiam, antiquam Saxonum regionem, provinciola quædam in Daniæ regno, quæ Angel hodieque nuncupatur, unde Anglos prodiisse melior est conjectura: cui Ethelwerdus, antiquus & Regius author astipulatur (floruit circa annum Domini 950. Adulphi sive Ethelwolfi Regis abnepos:) *Anglia*, inquit, *vetus, sita est inter Saxones & Giotos habens oppidum capitale, quod sermone Saxonico Slesvvic, secundum vero Danos Hathy. ideoq; Britannia nunc Anglia appellatur, assumens nomen victorum. Inde Duces eorum venerunt Britanniam primi. hoc est Hengest & Horsa.* Ita ille. Nec omittendum. Ptolomæum ibidem constituere Saxones: unde non ineptè dixit medii temporis Poeta:

Ethelw. l. 1. Chroni.

Saxonia protulit Anglos.
Hoc patet in linguâ utroq; colore.

Apud Camdenum.

Nec mirum videri debet, tam latè patuisse nomen Saxonum; quia teste Ethelwerdo suprà, gens Saxonum ponitur in *tota maritima à Rheno fluvio, usque in Doniam urbem, quæ nunc vulgò*

Ethelwer. suprà.

Dan-marc nuncupatur. Addit paulò post, eò missos à Rege legatos; qui auxilium prece & muneribus peterent. Hinc patet ratio, cur novi hi hospites, modò Saxones, modò Angli, modò Anglo-Saxones appellentur. Nam si paulò licentius quæras, unde venerint? aptè respondetur è Saxonia. Si definitè magis, & pressè; principes videntur venisse ex eà provincia quam describit Ethelwerdus: qui & benè advertit inde postmodum appellatam esse Angliam.

IV. Jutæ qui?

Jutarum nomen obscurius est; Beda, tam in impressis codicibus, quàm in aliquibus manuscriptis, eos Vitas vocat: Ethelwerdus Giotos: Historici nostri communius Jutas: & à Getis vel Gothis, dictos arbitrantur. Sed quicquid sit de nomine; superiorem Cymbricæ Chersonesi partem eos incoluisse certum est: quæ etiamnum Danis Jutland dicitur. Jutarum nomen memoriam, pene obliteravit aliorum celebritas. Licet enim scribat Beda: *De Iutarum origine, sunt Cantuarii & Victuarii: hoc est; ea gens, quæ Vectam tenet Insulam: & ea quæ usque hodie in provincia Occidentalium Saxonum, Iutarum natio nominatur posita contra Insulam Vectam:*

Bed. l. 1. c. 15.

Tamen, opinor, nec in Cantio, nec in Vectâ Insulâ, nec in agro Hamptoniensi qui Insulæ objacet; vestigium est invenire illius appellationis. Cæterùm quicquid de Saxonum & Anglorum indole, natura, moribusque dicendum est; id omne de Jutis quoque, qui è Saxonum genere erant, intelligendum. Nec enim silentio transire debeo: quo genio Saxones; tam quod ad Deum spectat, quàm quod ad homines, fuerint: quia quò erant ad barbariem magis projecti; eò erit mirabilior Deus, qui fecit, e tenebris lumen splendescere.

V. Quid de novo hospite Gildas?

Gildas, ut irato ubique calamo Saxonem exagitat; ita novo præsagio deducit in hanc Insulam. *Tum*, inquit, *erumpens grex catulorum, de cubili leæna barbariæ, tribus ut lingua ejus exprimitur, qualis nostra, longis navibus; secundis velis. omine auguriisq; quibus per vates canebatur, certo apud eum præsagio. quod ter centum annos, patriam, cui proras librabat, insideret. Centum vero quinquaginta, hoc est, dimidio temporis sæpius vastaret: evectus primum in Orientali parte Insulæ, jubente infausto tyranno, terribiles infixit ungues: quasi pro patria pugnaturus; sed eam certius expugnaturus.*

Gil. lai. de excidio.

Ita Gildas. Vaticinium hoc undecunque demum fluxerit; habet umbram aliquam veritatis; nam si Saxonem pressè intelligas, floruit in Britannia ea nominis appellatio, annos circiter trecentos: & tunc, ut dicetur, Anglorum nomen prævaluit, & pervasit omnem Insulam, prius ad aliquot provincias restrictum. Quod de dimidio temporis affirmatur præsensisse videtur cacodæmon (ut nuper in Patricio) tyrannidis suæ periodum terminumque. Etenim post annos circiter centum quinquaginta, veniet Augustinus, à M. Gregorio in Britanniam legatus; & Saxonem, idola ac dæmonis cultum dedocebit, ut dicam fusius sequenti libro, ubi prædictam vastationem explicabo: quæ tamdiu Insulam tenuit laceravitque; quamdiu novus hospes in fide erravit.

Quo in loco descendit Saxo.

Cæterùm quod addit Author, evectum esse Saxonem in Orientali parte Insulæ, Cantium intelligit; ubi exscensum è navibus fecere Hengistus & alii. Venerunt enim ad Tanetum Insulam, celebrem olim illius provinciæ portionem. Quò etiam post centum [illegible] & [illegible] annos, Christiana fi[illegible], [illegible] Hengisti posteros navigabit, jussu Gregorii, operâ Augustini, authore Deo. Exscensionis locum accuratius adhuc delineat Ethelwerdus, *Vocantur*, inquit, *à Vurthegern* (Vortigernum intelligit) *Rege Britonum, Hengest & Horsa, in locum qui vulgo Hipwines Fleot nominatur.* Nos hodie dicimus Wippedfletum à Wippedo Saxone ibidem interfecto. Benè addit Author, adventus tempus. *Impletus est*, inquit, *annorum numerus ab admirabili incarnatione Salvatoris nostri IESV CHRISTI quadringenti anni, & quadraginta novem.*

Ethelwerd. in Chro. l. 1.

VI. Hengistus in Cantio [illegible]

Hengistus igitur cui regionis Cantianæ amœnitas arridebat, domicilium ibi figere, quam in Septentrione, & rigidiore cælo militare maluit. missis enim aliis qui contra [illegible] pugnarent; ipse Vortigerni Regis humanitate [illegible] in rem suam. Vocavit enim permissu ejusdem Regis plures è Germania, & specie quidem tutandæ provinciæ contra hostilem impetum, reverâ autem regnandi ambitione, Britanniam novo milite, & perverso [illegible], implevit. Unde pullulantes [illegible] varia regna emerserunt: de quibus quoniam sequenti libro latissimè dicendum, hic necesse est aliqua prælibare.

Cum Saxones [illegible] sibi potiùs quàm Britannis pugnavissent; paulo posterius in se [illegible] imperium [illegible], quæ Saxonum Heptarchia [illegible] [illegible] dixi, occupavit [illegible] [illegible]. Q[illegible] [illegible] Orientales [illegible] Saxonum [illegible] appellaverunt [illegible]. [illegible] Orientales; [illegible] Sur [illegible] Suffexiam Aust[illegible] [illegible]antur. Qui [illegible] in [illegible] pugnabant, [illegible] Scoto [illegible], [illegible] N[illegible] R[illegible]. Tum domiti [illegible] Britannis & ad m[illegible] coacti. Oc[illegible] [illegible] perum [illegible] O[illegible] S[illegible] [illegible] te[illegible] [illegible]. De [illegible] gnorum [illegible], incrementis, [illegible] rius. Beda, [illegible] [illegible] ubi [illegible] huc novi [illegible], Saxones, Angli, Jutæ, sed primò, regi [illegible] fixerunt. *De [illegible], inquit, venere Orientales Saxones, Meridiani Saxones, Occidui Saxones. Porrò de Anglis, Orientales Angli, Mediterranei Angli, Mercii, tota Norahumbrorum progenies; id est, illarum gentium qui ad Boream Humbri fluminis inhabitant, cæteriq; Anglorum populi sunt orti.* Quæ si vera sunt, habemus ab O[illegible] [illegible] Saxonum regno, majestatem & monarchiam Regiam; ab Anglis hodie nomen Insulæ; [illegible] Jutis ut suprà Cantuarios, & Vectuarios.

Beda l. 1. c. 15.

VII. Saxonum Religio.

Erant Saxones sine Deo cum primum in Britanniam venere: [illegible] forte Deos vocare vis, idola nescio quæ, & cerebri vitia, quæ ut maximè profanus, quisque pro arbitrio fingebat sacra. Inter quæ, hoc tempore eminebat illud monstrum naturæ Wodenus: unde genus suum viri principes, superstitiosâ nominum serie deducebant. Hengistus noster illi maximè accedebat: erat enim Widgilsi filius, hic Vectæ; cui Wodenus pater. Cæterùm Wodeno infidelis natio Fream conjunxerat uxorem; dignum patellâ operculum: ex quibus non modo Hengistus, sed quotquot cum illo venere Principes viri, genus suum promittebant. Atque hæc duo numina venerationi fuerunt; ut monstra illa, non solum in Insulam nostram, sed in duos etiam hebdomadæ dies, stulta credulitas invexerit. Ex quo colligi potest, quinam illi fuerint quos

Wodenus Deus Saxonum.

Wodensdies et Freæ.

Saxones Wodeoum & Fream vocaverunt. Nam illum fuiſſe Mercurium, hanc Venerem, conſtat ex duobus diebus, quos latinè à Mercurio Venereque, nos hodieque à Wodeno Freaque dicimus. Hinc orta fabula, Hengiſtum Mercurii pronepotem fuiſſe.

Hengiſtus Wodeno pronepos.

IX. Saxonum ritus.

Tacit. de morib. Germanorum

Quos ritus & ſacra, infidelis Saxo intulerit in Britanniam, non erit abs re paucis aperire: quia melioribus mutanda ſunt. Porro eadem quæ Germanorum erant, à Saxonibus uſurpata videntur. nam Tacitus cum de Germanorum moribus ſcribit, hæc habet. *Deorum*, inquit, *maximè Mercurium colunt, cui certis diebus humanis quoque hoſtiis litare fas habent.* Indubiè hunc ritum invexere Saxones, Wodeno ad miraculum addicti. Præter Mercurium & Fream, idola alia coluerunt. Thor, quem Jovem alii dixerunt; unde Saxoni quinta feria Thoris dies erat, manetque hodie appellatio. Adde Iſidem, Martem, Herculem, Eoſter, & minora alia ſine numero, quibus diverſo modo facitebant. *Herculem ac Martem conceſſis animalibus placant*, inquit Tacitus: *Pars Suevorum Iſidi ſacrificat. Unde cauſa & origo peregrino ſacro, parùm comperi: niſi quòd ſignum ipſum in modum liburnæ figuratum, docet advectam religionem.* Nec minore in pretio erat Eoſter Dea, cui ad Aprilem menſem immolabant tam pertinaciter, ut poſt fidem Chriſti ſuſceptam, ejus appellationem religioſam fecerint: & Aprilem menſem, teſte Beda, appellaverunt ab hac Dea Eoſter Moneth. & inde Reſurrectionis Chriſti ſolennia, quod Paſcha dicimus, Eaſter nominatum. Unde corrigendus eſt Joannes Noviomagus in Commentariis ſuper Bedam; qui Britannorum menſes enumerans, ait Aprilem, a Britannis Coſt monath vocari. nam legendum Eoſtur-monath: & Saxoni nomen illud, qui Eoſter Deam colebat, non Britanno, imponendum. Supponit ille, quod diſertè poſtmodum affirmat in Bedæ caput 15. Britannos jam Inſulam occupaſſe, *quæ antea*, inquit, *Albion a Romanis dicta fuit. ſed revera Saxonem debuit dicere.*

Thor qui et Jupiter.

Tacit. ſup.

Eoſter Dea.

Beda de ratio. temporum c. 13.

Io. Noviom. in c. 9.

Beda ſup.

Idem in c. 15. Bed.

X.

Tacit. de mori. Germa.

Sped. de morib. Germ.

Iſaia 40. 18

De Deorum formis et imaginibus.

Hæc numina barbari colebant, neſcio quâ formâ aut imagine. humanam certè videntur excluſiſſe. nam ita Tacitus: *Cæterum nec cohibere parietibus Deos, neque in ullam humani oris ſpeciem aſſimilare, ex magnitudine cæleſtium arbitrantur.* Quod admodum laudat ſectarius ille, qui Tacitum legens ſcripſit, naturam ipſam dictaſſe Germanis hanc Dei ſententiam: *Cui ergo ſimilem feciſtis Deum? aut quam imaginem ponetis ei.* Quaſi verò gentilis Saxo, nullâ Deos formâ, finxerit. quod hic a Tacito non aſſeritur. Sed nec Deus prohibuit, Deum pingi, ſub effigie hominis: cum ipſe, non olim tantùm eam formam aſſumpſerit, loquens Patribus & Prophetis: ſed noviſſimè diebus iſtis cum locutus eſt nobis in Filio. Sectarii porrò non fidelem, ſed infidelem populum ſequuntur: & eò religioſiores ſunt qui nec cohibere parietibus Deum; nec ullam prorſus ejus ſpeciem permittendam eſſe arbitrantur. nam imaginibus, & altaribus bellum indicentes, ipſis etiam templis irati: *Lucos & nemora conſecrant.* ita Tacitus de Germanis: Ita brevi de Anglis, ſi Calviniſtæ diu imperant, infidelis Saxo reſurget. Sed quid? natura dictavit Germanis, non licere Deum imagine effingere. Ita volunt factioſi; qui poſt imagines, cruces, & omnia Dei ſymbola proſcripta; vellent fortè, nullam, ne mente quidem, Dei formam concipi, aut formari: & tunc quomodo orari, aut adorari poteſt Deus? Nec enim fieri poteſt, ut quis aliquid apprehendat, niſi rei apprehenſæ imaginem formet. Quod ſi Deum licet mente & cogitatione concipere: cur non licebit conceptum exprimere, aſpicere, venerari? Iſaias ergo non prohibet Dei fieri ſimilitudinem, aut imaginem aliquam: ſed docet, quod eſt veriſſimum, nullam rei ſimilitudinem ei æquari, aut æquiparari poſſe. hoc hebræum עֵרֶךְ exprimit. qua voce Jobus utitur, cum de divina ſapientia loquens, ait: *Non adæquabitur ei aurum vel vitrum.* & iterum: *Non adæquabitur ei topazius de Æthiopia.* Sic telæ, quas texunt araneæ, facilè diſſolvuntur. Conari ad Deum Chriſtum poſſumus & debemus: cum mente animoque concipere: ejus ſimilitudinem, vitâ, moribus, operè, quantum fieri poteſt adumbrare: & cur non manu? cum tamen omnia fecerimus, benè dicere poſſumus, ſervi inutiles ſumus, & nihil illi æquale ponere valemus.

Iob. 28. 17.

Ibi v. 19.

XI.

Equina ſuperſtitio.

Tacitus ſup.

Proſequitur alia Tacitus, Germanis propria & ſacroſancta; cum bellum, aut res magnas auſpicarentur. quorum hic brevis explicatio non erit importuna. nam aliqua facient ad ſequentem hiſtoriam. Magna inprimis apud ipſos erat equis reverentia: quorum hinnitus, quaſi Deorum dictata excipiebant avidi. *Proprium gentis*, inquit ille, *equorum quoque præſagia, ac monitus experiri: publicè aluntur iiſdem nemoribus ac lucis, candidi & nullo mortali opere contacti, quos preſſos ſacro curru Sacerdos, ac Rex vel princeps civitatis, comitantur; hinnitusq; ac fremitus obſervant. nec ulli auſpicio major fides; non ſolum apud plebem; ſed apud proceres, apud Sacerdotes, ſe enim miniſtros Deorum, illos conſcios putant.* Porrò Saxones noſtros, in ea religione fuiſſe: teſtes ſunt eorum Duces Hengiſtus & Horſa, quorum non ſolùm gentilitia arma, ſed ipſa quoque nomina, equum referunt. Heng enim & Horſe ſynonimè ſunt equus, qui argenteo colore pictus, Ducibus his, pro inſignibus erat, manſitque deinceps Regibus Cantii.

Arma Regum Cantii.

XII. Solem et Lunam colunt.

Saxones quoque inter præcipua idola, Solem & Lunam numerabant: à quibus primos dies cujuſque hebdomadis, cæterorum gentilium more, appellabant; quod & factum in Britanniâ: manetque hodie nuncupatio. Cæterùm ad Lunæ motus & varia incrementa, religioſiſſimi fuerunt, auſpicantes inde, ſi quæ erant majoris momenti negotia. cogentes autem conventus, aut novilunium; aut plenilunium plerumque expectabant. *Coeunt*, inquit Tacitus, *niſi quid fortuitum, aut ſubitum inciderit; certis diebus, cum aut inchoatur Luna aut impletur. nam agendis rebus hoc auſpicatiſſimum initium credunt. Nec dierum numerum, ut nos, ſed noctium computant.* Lunæ ergo potior, quàm Solis ratio, & computus ille per noctes etiamnum, in uſu eſt, nam ſeptem vel quatuordecim dies cum exprimere volumus, totidem noctes numeramus. Sic à Luna, non à Sole, menſes vocamus (Moonths) unde Germanos, tenebras amaſſe, illaſque in Britanniam invexiſſe, argumentum eſt. Sed veniet aliquando Chriſtus, Sol juſtitiæ, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & diem nobis benignè reſtituet.

A Luna dies computant, et menſes

XIII. Saxonum modeſtia.

Non prætereundum, infidelis populi encomium; quod, inter mores cæteroquin corruptos, laudari meritò poteſt. Nimirum conjugiorum

ſanctitas, pudicitiæ & honeſtati reverentia, ad miraculum uſque: cujus cum laude mentionem facit Bonifacius noſter; ut dicam ſuo loco. *Severa illic matrimonia*, inquit Tacitus, *nec ullam morum partem magis laudaveris. Nam propè ſoli Barbarorum, ſingulis uxoribus contenti ſunt: exceptis admodum paucis, qui non libidine, ſed ob nobilitatem, plurimis nuptiis ambiuntur. Dotem non uxor marito; ſed uxori maritus offert: interſunt parentes & propinqui, ac revera probant; munera non ad delicias muliebres quæſitas; nec quibus nova nupta comatur; ſed boves, & frenatum equum, & ſcutum, cum frameâ gladioq́. In hæc munera uxor accipitur, atque invicem ipſa armorum aliquid viro affert. Hoc maximum vinculum, hæc arcana ſacra, hos conjugales Deos arbitrantur. Nè ſe mulier extra virtutum cogitationes, extraq́ bellorum caſus putet, ipſis incipientis matrimonii auſpiciis, admonetur venire ſe laborum periculorumq́, ſociam; idem in pace, idem in prælio paſſuram, auſuramq́. Hoc juncti boves, hoc paratus equus, hoc data arma denuntiant. Sic vivendum, ſic pereundum. Accipere ſe, quæ liberis inviolata ac digna reddat; quæ nurus accipiant, rurſusq́, ad nepotes referant. Ergo ſeptâ pudicitiâ agunt; nullis ſpectaculorum illecebris, nullis conviviorum irritationibus corruptæ. Literarum ſecreta viri pariter ac fœminæ ignorant. pauciſſima in tam numeroſa gente adulteria; quorum pœna præſens, & maritis permiſſa: acciſis crinibus, nudatam coram propinquis expellit domo maritus; ac per omnem vicum verbere agit. Publicatæ enim pudicitiæ nulla venia. Non forma, non ætate, non opibus, maritum invenerit. Nemo enim illic vitia ridet; nec corrumpere & corrumpi, ſæculum vocatur. Meliùs quidem adhuc eæ civitates, in quibus tantum virgines nubunt. & cum ſpe votoq́, uxoris ſemel tranſigitur. Sic unum accipiunt maritum, quomodo unum corpus, unamq́, vitam: ne ulla cogitatio ultra, ne longior cupiditas, ne tanquam maritum, ſed tanquam matrimonium ament. Plus ibi boni mores valent, quam alibi bonæ leges.*

V. an. 745. 11.

Tacit. de morib. German.

Et matrimonia.

Adulterii pœna.

XIV. Idem Bonifacii tempore.

Bonifacii Epiſtola 19.

Hæc pro caſtitate & probitate majorum noſtrorum: quæ S. Bonifacius Germaniæ Apoſtolus obſervavit, ſcribens aliquando ad Ethelbaldum Anglorum Regem. *In antiquâ*, inquit, *Saxoniâ, ubi nulla Chriſti cognitio; ſi virgo in maternâ domo, vel maritata ſub conjuge, ſit adulterata: manu propriâ ſtrangulatam cremant: aut cingulo tenus veſtibus abſciſſis, flagellant eam caſtæ matronæ: & de villâ in villam, miſſæ occurrunt novæ flagellantes, & cultellis pungunt, donec interimant.* Ita Bonifacii verba citat Lipſius, in notis ad Tacitum, & ſenſum benè reddit: Verùm paulò aliter Bonifacium ſcripſiſſe, dicam ubi integram ejus Epiſtolam dedero. nam plura addit in hanc rem; ut laſcivientem principem, majorum exemplis, ad honeſtam vitæ rationem reducat.

V. an. 745. 7.

XV. Inde Christianorum Saxonum caſtitas.

Hoc caſto vitæ fundamento, ſtetit Saxonum Eccleſia, cùm Chriſto crediderunt, diutiſſimè, & cum ingenti laude. Hinc pudici mores, religioſioris vitæ ſtudium, virginum examina, numero, & ſanctitate plurima: donec inversâ nuper Eccleſiæ facie, luxurians ætas degenerare à parentibus, matrimonia variâre, proſcribere virgines, & vota vetare cœpit, ac demum infideli Saxone licentiùs ad nuptias currere. nunc enim ridere vitia, corrumpere, & corrumpi, ſæculum vocatur. Et Inſula, quæ olim antiquos Saxones imitata, caſtiſſimè vixit: nunc Lutherum novum Saxonem ſecuta, virginibus iraſcitur, earum Monaſteriis clauſtriſque deletis, & hoc nova dialecto vocant reformare Eccleſiam. Sed plura de Saxone videamus. nam deſinit eſſe remedio locus, ubi quæ vitia fuerunt, mores ſunt.

XVI.

Fuit barbaræ naturæ vitium illud, unde tamen aurora Chriſtianæ fidei primùm affulſit: cum Saxones de facili, ſe liberoſque in ſervitutem traderent, venderentque. Innuit hunc morem Tacitus, cum ſcribit; Germanos, inter, ludendum, cum alia deeſſent, libertatem ſuam proſtituere ſolitos. *Aleam quod mirere*, inquit, *ſobrii inter ſeria exercent, tanta lucrandi perdendive temeritate, ut cum omnia defecerunt, extremo ac noviſſimo jactu; de libertate, & de corpore contendant. Victus voluntariam ſervitutem adit. Quamvis junior quamvis robuſtior, alligari ſe ac venire patitur. Ea eſt in re prava pervicacia ipſi fidem vocant. Servos conditionis hujus per commercia tradunt, ut ſe quoque pudore victoriæ exolvant.* Conſuevisse ſimili commercio pueros, & innocentem ætatem vendere immortale argumentum eſt, quod ſequenti ſæculo Romanum forum exhibet. cum Magnus Gregorius illud obambulans, expoſitam mercem vidit; & infidelem eſſe ingemuit. Quam opportunus nobis gemitus ille fuerit, dicam ſuo loco. Hic claudo Saxonum mores; illa eorum conſuetudine, quam præfatus Author non omiſit: & inde patet cur illi, præ cæteris vocati ſint in provinciam. *Si civitas*, inquit, *in qua orti ſunt longâ pace, & otio torpeat, plerique nobilium adoleſcentium petunt ultrò eas nationes, quæ tum bellum aliquod gerunt: quia & ingrata genti quies, & facilius inter ancipitia clareſcunt; magnumq́, comitatum, non niſi vi belloq́, tuentur; exigunt enim Principis ſui liberalitate illum bellatorem equum, illam cruentam victricemq́, frameam.* Hæc ille, & optimè Saxonum noſtrorum genium expreſſit. Nam Hengiſtus hoc anno, cum bellatore equo venit in Britanniam: & paulo poſt Erchenninus, Orientalium Saxonum regni fundator, cum victrice frameâ. Ille, inquam inter gentilitia ſigna equum; iſte, frameam aſſumpſerat.

Tacitus ſuprà.

Saxonum gens bellicoſa.

XVII. Rei maritimæ periti.

Porro rei quoque maritimæ periuſſimi Saxones, diu Piraticam exercuerant; Britanniæ, Galliæ, Hiſpaniæ oris graviſſimi hoſtes, adeoque infeſti, ut ad coercendas eorum incurſiones emerſerit inter nos ille honoris militiæque titulus, *Comes littoris Saxonici per Britanniam & Galliam.* Quàm familiare illis fuerit in Britannico Oceano prædas agere, ſcitè expreſſit Sidonius Apollinaris, illis verſibus:

Apollinaris ad Avitum.

Quin & Aremoricus piratam Saxona tractus
Sperabat, cui pelle ſalum ſulcare Britannum
Ludus, & aſſuto, glaucum mare findere lembo.

Deſcribit poeta navium genus, quod antea Lucanus ita deſcripſerat, apud Camdenum:

Camd. in mari Britannico.

Primum cana ſalix, madefacto vimine, parvam
Texitur in puppim, cæſoq́, induta juvenco
Vectoris patiens, tumidum ſuperemicat amnem,
Sic Venetus ſtagnante Pado, fuſoq́, Britannus
Navigat Oceano.

Hoc genus hominum olim Scotus & Pictus in ſocietatem adſciverat, cum bellum in Britannos geſſerunt. Teſtatur idem ſanctus Author, qui hoc tempore floruit Apollinaris.

Apollin. ſup.

Victricia Cæſar
Signa Caledonios tranſvexit ad uſque Britannos.
Fuderit & quanquam Scotum, & cum Saxone Pictum.

XVIII. Saxonem

Mirantur aliqui nullam apud Tacitum Saxonum & Anglorum mentionem eſſe: qui tamen

Tacitus non nominat.

Germaniæ populos, mores, & nomina accuratè ſatis recenſuit. Verùm quod ſpectat ad Saxonem, ſatis innuitur illa narratione Taciti, ubi natio deſcribitur potiùs, quàm exprimitur. *Protinus deinde ab Oceano Rugii & Lemovii, omniumq; harum gentium inſigne rotunda ſcuta, breves gladii, & erga Reges obſequium:* Etenim à brevi gladio dictum eſſe Saxonem, Poeta ille non tacuit apud Camdenum:

Tacitus. Engelbuſius apud Camden.

Quippe brevis gladius apud illos Saxa vocatur,
Unde ſibi nomen Saxo traxiſſe putatur.

Anglum nominat.

Anglorum porrò expreſſa mentio eſt apud Tacitum, ubi ait: *Angli & Varini fluminibus aut ſilvis muniuntur. Nec quicquam notabile in ſingulis, niſi quod in commune herthum, id eſt terram matrem colunt, eamq; intervenire rebus hominum, invehi populis arbitrantur.* Manet hodieque vox illa, herthus, apud Anglos, & terram ſignificat, ſi latinam veſtem exuis, ab hebræn, id eſt, omnium linguarum principe derivata. ארץ enim nec plures, nec pauciores, nec alias habet conſonantes literas quam habet earth: qua voce etiamnum terram exprimimus. Quod ſi hebræum illud monoſyllabum fiat, & ſuum vocale punctum addideris, nihil differt à noſtro. Sed ſatis de moribus gentis. reſtat dicendum quid in hac Inſulâ fecerint novi advenæ; quæ bella geſſerint, in quos pugnaverint, & demum quo modo in regna ſurrexerint: nam eò feſtinamus.

Tacitus ſup. Herthus.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1201.

ANNUS CHRISTI 450.

LEONIS PAPÆ 11.

VORTIGERNI REGIS 13.

I. Saxo in Scotum pugnat bene.

QUi ſequitur annus Chriſti quadringenteſimus quinquageſimus, numeratur Marciani Imp. annus primus, Valentiniani VII. & Anieni Conſulatu notatus: ſucceſſit ille in Oriente Theodoſio Juniori: cum Saxo inſignem operam in domando Scoto, Vortigerno Regi poſuiſſet. Ille enim ſtrenuè fortiterque rem gerens, hoſtem ſubmovit, qui Septentrioni imminebat. unde præmii loco, nova auxilia; & per illa, imperium Inſulæ, brevi accepit. Quæ hoc anno geſta ſunt, ita narrat Weſtmonaſterienſis. *Anno gratiæ 450. emergentes ex more Scoti cum Pictis, ex partibus aquilonis, exercitum nimis grandem conſecerunt: atque aquilonares Inſulæ partes caperunt depopulari. Quod cum Vortigerno fuiſſet nuntiatum, collegit milites, atque trans Humbrum obviam perrexit. Nec multum oportuit cives pugnare nam Saxones, qui aderant, tam viriliter præliabantur; ut hoſtes, qui prius vincere ſolebant, ſine morâ in fugam propellerent. Vortigernus ergo per eos, victoria potitus, donaria ſua ipſis ampliavit · atque Duci eorum Hengiſto dedit agros plurimos in Lindeſeia, quibus ſeſe ſuosq; ſuſtentaret commilitones.* Eſt locus ille in Coritanis & Lincolnienſi agro, ubi à Lindo fluvio, provinciæ pars ita appellatur. Alii ſcribunt, & in idem ferè recidit; Hengiſtum à Vortigerno impetraſſe tantam terræ portionem apud Coritanos; quantam bovino corio complecti poterat: ac deinde ſecto in varia ac minutiſſima lora bovis corio, ingentem agri portionem acquiſiviſſe,

Florile. hic.

eo planè modo, quo Dido olim, Hiarba Rege fruſtrato, Byrſam ædificaſſe memoratur. Certè, ut nunc Didonis fraudem Carthago teſtatur; ita manet etiamnum Hengiſtiani facinoris non leve veſtigium, in dicta provincia Lindeſeia; ubi caſtrum viſitur, à loro, Thong-caſter. de quo ita Camdenus. *Perhibent Annales noſtri, Hengiſtum Saxonem, debellatis Pictis, cum ampliſſimas alibi poſſeſſiones accepiſſet; hoc etiam loco, tantum terræ à Vortigerno impetraſſe, quantum bubulo corio in tenuiſſimas corrigias* (Thongs nos vocamus) *ſecto circumdare poſſet, in quo caſtrum poſuit. Unde quidam qui Britannica hiſtoriæ epitomen carmine ſcripſit, Virgilianos verſus ſic convertit:*

Thong-castle. Camd. in Corita.

Accepitq; ſolum, facti de nomine Thongum
Taurino quantum poterat circundare tergo.

Fallitur ergo Joannes Stous, qui caſtrum ab Hengiſto poſitum, eo nomine collocat in agro Cantiano. Conſtat enim hanc pugnam in Lincolnienſi agro pugnatam. nam pugnæ locum Huntindonius nominat, ita ſcribens. *Inierunt autem certamen contra Pictos & Scotos, qui jam venerunt uſque ad Stanfordiam, quæ ſita eſt in Auſtrali parte Lincolniæ, diſtans ab ea quadraginta milliariis. Cum igitur illi pilis & lanceis pugnarent: iſti verò ſecuribus gladiiſq; longis rigidiſſimè decertarent. Nequiverunt Picti pondus tantum perferre: ſed fuga ſaluti ſuæ conſuluerunt. Saxones victorioſi triumpho & præda potiti ſunt.* ita ille.

II. Novus è Germania miles petitur.

Nec verò ſtetit hic Saxonum ambitio, nam pergit Weſtmonaſterienſis: *At Hengiſtus cum eſſet vir aſtutus; comperta Regis amicitia, ipſum in hunc ſermonem adiit. Domine mi Rex, undique inquietant te inimici tui: ſi placet ergo mittamus in patriam, ut invitemus ex ea milites, ut numerus noſter augeatur. Rex igitur ejus conſilio ac petitioni adquieſcens, præcepit Hengiſto in Germaniam mittere; ut milites ex ea invitati, feſtinum commilitoni ſuo conferrent auxilium.* Sic ille: & utinam cum novo milite, non veniſſet ſexus alter, Rowena Hengiſti filia, quæ Inſulam, fidemque Regiam peſſimè proderet. Sed venit illa. & plus cæteris bellatoribus nocuit. *Nam miſſa in Germaniam legatione* (pergit Author) *nuntii revertentes, decem & octo naves electis militibus oneratas detulerunt. Adduxerunt etiam filiam Hengiſti, vocabulo Rowven, cujus pulchritudine Vortigernus illectus, poſtulavit eam à patre ſuo. Hengiſtus verò, comperta animi Regis levitate, concepit ei filiam ſuam.* Hinc fluxit malorum & calamitatum Oceanus: ex hac ſentina, (ut hodie, è ſundi, hæreſes) idola in Britanniam aſcenderunt. Etenim Saxo, factus Socer Regius, bellique Imperator; criſtas & ſupercilium erigere, Britannos contemnere, eos facilè injuriis opprobriiſque onerare: denique majores, quàm ad ſerviendum animos ſumere. Illis ergo miſſis, ad Patricium in Glaſtonienſi Monaſterio quieſcentem, revertor.

Et ſexus alter.

III. Patricius redit in Hiberniam.

Dixi ſuprà, Hiberniæ Apoſtolum, ea lege, quietem in Britanniâ adeptum eſſe: ut quoties, magni momenti quæſtio ageretur, aut Eccleſiæ neceſſitas expoſceret: toties, omiſſa quiete ſeſſioneque ad pedes Domini, ad Marthæ officium, miniſteriumque reverteretur: non enim omnino Apoſtolicæ poteſtatis onus depoſuerat. Jam verò cum Hibernorum naſcens Eccleſia, egeret multis; primi fundatoris induſtria quærebatur, ad fidei partum ſovendum tuendumque. Nec deeſſe voluit Patricius: in Hiberniam regreditur, Clerum convocat, & auditis plurimorum

sententiis, edicit quid tenendum; perversos mores corrigit, & Ecclesiasticam imprimis disciplinam, ad primi temporis puritatem reducit. Hæc omnia Synodum petebant, & in ea præsidem Patricium.

Synodum cogit. Fit ergo Synodus, convocantur Episcopi, & è clero præcipui, præscribuntur Canones quos edax rerum omnium vetustas rodere quidem potuit; non potuit omnino absumere. nam partim bibliotheca S. Benedicti Cantabrigiensis, partim Andegavensis, ab injuriâ temporis aliquos eripuit. & ecce illos Henrici Spelmanni industria nuper editos. quos si imperfectos videris, & hiantes; antiquos cogita, & sensum, potiùs quàm verba sectare. In hunc ergo modum, vetustissimum exemplar M. S. Cantabrigiense Synodum describit.

INCIPIT SYNODUS EPISCOPORUM, id est, Patricii, Auxilii, Issernini.

IV. *GRATIAS agimus Deo Patri, & Filio, & Spiritui sancto, Presbyteris & Diaconibus & omni Clero, Patricius, Auxilius, & Isserninus, salutem.*

Satius nobis negligentes præmonere, quàm culpare quæ facta sunt: Salomone dicente: Melius est arguere, quàm irasci. *Exempla definitionis nostra inferiùs conscripta sunt, & sic inchoant.*

1. Si quis in quæstionem captivus quæsierit ...... in plebe, suo jure sine permiss. meruit excommunicari.

2. Lectores denique cognoscant .... unusquisque Ecclesiam in qua psallat.

3. Clericus vagus non sit in plebe.

4. Si quis permissionem acceperit, & collectum sit pretium; non plus exigat, quam quod necessitas poscit.

5. Si quid suprà manserit, ponat super altare Pontificis, ut detur aliis indigentibus.

6. quicunque Clericus ab ostiario, usque ad Sacerdotem, sine tunicâ visus fuerit, atque turpitudinem ventris, & nuditatem non tegat, &, si non more Romano capilli ejus tonsi sint. & uxor ejus, si non velato capite ambulaverit, pariter à laicis contemnantur, & ab Ecclesia separentur.

V. Siste Lector, & puta Hibernos, Scotosque, barbarè vestitos, domi præsertim seminudos fuisse. nec mirum hoc; quia Saxones nostri. & Germani, vix aliter vestiti, à Tacito describuntur. *Tegumen omnibus,* inquit, *sagum, fibulâ, aut si desit, spina consertum. Cætera intecti; totos dies juxta focum atque ignem agunt: locupletissimi veste distinguuntur; non fluitante; sicut Sarmatæ & Parthi; sed strictâ, & singulos artus exprimente.* Ad literam videntur hic descripti Hiberni, æquè ac Germani. Quem ritum in Clero ad meliorem reducere, Hiberniæ Apostolus laboravit: ideo pro omni Clero hæc lata lex, tam pro iis qui in sacris ordinibus, quàm qui in minoribus constituti. Noli enim cogitare Clerum Diaconatu solum & Sacerdotio definiri: cum habeas hic *ostiarium*, inter Clericos; habes etiam suprà *lectores*. Illis adde Acolythos. & Exorcistas; & habes quatuor minores ordines, quot Rom. adhuc Ecclesia ad sacros, gradum [illegible] it. His omnibus honestior habitus, Synodi authoritate, præscribitur. Cæterùm quod de uxore legitur, noli putare illam, aut vetitam esse minori Clero, aut majori promissam. nam illa macula nunquam hactenus Occidentem aut Latinam Ecclesiam infecit. ut infrà. Quod de tonsura additur; valde notandum est: quia sequenti sæculo lis erit de tondendi more; & alius à Romano Clerum dividet. Interim observa hic, Romanum à Patricio præcipi; qui ab Orientali ritu differebat: ut & alia pauca, quæ Occidentem nostrum turbasse confinguntur. Cæterùm qualis fuerit tondendi & radendi differentia, dicam alibi. Interim corrige *Catalogum Sanctorum Hiberniæ*, apud Usserium, ubi dicitur, Patricii tempore: *unam Missam, unam celebrationem, unam tonsuram (ab aure ad aurem) fuisse.* nam ritus ille tondendi, ab aure ad aurem, Orientalis erat. Hoc ante me observavit ipse Usserius, ita scribens: *Patricium certè ritum, cui ipse assueverat, Romanum huc introduxisse, Synodi ab ipso habitæ canon satis ostendit: quo excommunicandus declaratur Clericus; si non, more Romano, capilli ejus tonsi sint. Ut si in primo Sanctorum nostrorum ordine, VNA TONSVRA fuerit observata: non AB AVRE AD AVREM* (quod in posteriori apographo omninò non est inventum) *sed circumducta potius universo capiti corona, expressam eam fuisse existimandum omnino videatur.* ita ille. Porrò quod de tondendi more dicitur, idem de cæteris omnibus, quæ Occidentem inter & Orientem controversa erant, dictum puta: nimirum Patricium Romæ doctum, ubique Romana sacra porrexisse:

Tacit. de mor. German. — An. 500 23. & n. 20. — V. an. 664. per totum. — Usser. fo. 913. — Id fo. 924.

7. Quicunque Clericus negligentia causa ad collectas manè vel vesperè non occurrerit; alienus habeatur, nisi forte jugo servitutis sit detentus.

*8. Clericus, si pro gentili homine fidei jussor fuerit, in quacunque quantitate, & si contigerit quod *mirum non potest, per astutiam aliquam gentilis ille Clerico fallat rebus suis Clericus ille solvat debitum, nam si armis compugnaverit cum illo, meritò extra Ecclesiam computetur.*

* forte monstrari.

9. Monachus & virgo, unus ab hinc, & alia ab aliunde, in uno hospitio non commaneant; nec in uno curru à villâ in villam discurrant; nec assiduè invicem confabulationem exerceant.

10. Si inceptum boni operis ostenderit in psallendo, & nunc intermisit, & comam habeat, ab Ecclesiâ excludendus nisi statim priori se restituerit.

11. Quicunque Clericus ab aliquo excommunicatus fuerit, & alius eum susceperit; ambo coæquali pænitentia utantur.

12. Quicunque Christianus excommunicatus fuerit, nec ejus eleemosyna recipiatur.

13. Eleemosynam à gentibus offerendam, in Ecclesiam recipi non licet.

14. Christianus qui occiderit, aut fornicationem fecerit, aut more gentilium ad aruspicem meaverit; per singula crimina An. pænitentia agat: impleto cum testibus veniat An. pænitentiæ, & postea resolvetur a Sacerdote.

*15. Et qui furtum fecerit, dimidium pæniteat, viginti diebus cum pane: & si fieri potest rapta repræsentet, sic in Ecclesiam *renuetur.*

* forte revertetur.

16. Christianus, qui crediderit esse Lamia in speculo, quæ interpretatur striga, anathematizandus; quicunque super animam famam istam imposuerit, nec ante in Ecclesiam recipiendus; quàm ut idem, criminis quod fecit, sua iterum voce revocet: & sic pænitentiam cum omni diligentiâ agat.

17. Virgo quæ voverit Deo, permanet casta, & postea nupserit carnalem sponsum, excommunionis sit, donec convertatur: si conversa fuerit, & dimiserit adulterium, pænitentiam agat: & posteà non in unâ domo, nec in unâ villâ habitent.

18. Si quis excommunionis fuerit, nec nocte Pascharum in Ecclesiam... non introeat, donec pænitentiam recipiat.

19. *Mulier Christiana, quæ acceperit virum honestis nuptiis; & postmodum discesserit à primo, & junxerit se * adulterio; quæ hæc fecit, excommunionis sit.*

* al. adulterio.

20. *Christianus qui fraudat debitum cujuslibet, ritu gentilium, excommunionis sit, donec solvat debitum.*

21. *Christianus cui dereliquerit aliquis, & provocat eum * induStum, & non in Ecclesiam, ut ibi examinetur causa: qui sic fecerit alienus sit.*

* for. in judicium.

22. *Si quis tradiderit filiam suam viro, honestis nuptiis, & amaverit alium, & consentit filiæ suæ, & acceperit dotem, ambo ab Ecclesia excludantur.*

23. *Si quis Presbyterorum Ecclesiam ædificaverit, non offerat, antequam adducat suum Pontificem, ut eam consecret; quia sic decet.*

VII. Templorum ædificatio, quorsum?

Hic duo notanda sunt, pro cultu divino, quem Patricius Hibernos docuit: qui alius non fuit ab eo quem Fugatius & Damianus Britannos docuerunt. primò, ideo templa ædificari in Hibernia, ut in eis Sacrificium offeratur. Hinc * supra ipsam templi appellationem inde deduxi: non a quolibet Sacrificio quod vota, precesque metaphoricé conficiunt, ut volunt epicæni generis sectarii: sed à Dominici corporis & sanguinis oblatione: quod ideo Dominicum vocari diximus. Et quoniam canone quinto, facta est altaris mentio: pudeat omnes, quos hodie vexat Calvini genius; ita in Sacrificium & altaria garrire; ut nullum esse contendant. debent enim, non Augustinum nostrum; sed omnium gentium Apostolos, è numero beatorum expungere (quod nuper a sectarus nostris factum) prius, quam orbi persuadeant Christi Ecclesiam primis sæculis, sine altari & Sacrificio fuisse. Adverte aliud. templum divino cultui mancipandum, religiosâ ceremoniâ consecrandum esse: & ita censuit Patricii Synodum. Hoc prius in Britannia factitatum, supra dixi. Eadem ergo Britannorum & Hibernorum fides, eadem Ecclesia, iidem ritus. & illi in omnem Christianitatem peccant, qui sacra & cæremonias, Dei honorem reverentiamque explicantes, explodunt. Deum profanè venerantes, hoc est, veneranda omnia profanantes. Sed perge etiam ad sequentes Canones: & collige etiam in [illegible] orthodoxam fidem

* V. an 303. 2.

Eorum consecratio.

VIII.

24. *Si quis advena ingressus fuerit plebem, non ante baptizet, neque offerat, nec consecret, nec Ecclesiam ædificet; quam permissionem accipiet ab Episcopo. nam qui agentibus sperat permissionem, alienus sit.*

25. *Si quæ a religiosis hominibus donata fuerint, diebus illis quibus Pontifex in singulis [illegible] averit Ecclesiis Pontificalia dona sicut mos antiquus, ordinare ad Episcopum pertinebunt: sive ad usum necessarium; sive egentibus [illegible], prout ipse Episcopus moderabit.*

26. *Si quis vero Clericus contra venerit, & dona invadere fuerit deprehensus; ut turpis lucri cupidus, ab Ecclesia sequestretur.*

27. *Clericus Episcopi in plebe quislibet novus ingressor baptizare & offerre illum non licet, nec aliquid agere; qui si sic non faciat, excommunionis sit.*

28. *Si quis Clericorum excommunionis fit, solus (non in eadem domo cum fratribus) orationem faciat; nec offerre, nec consecrare licet; donec se faciat emendatum; qui si sic non fecerit, dupliciter vindicetur.*

29. *Si quis fratrum accipere gratiam Dei voluerit; non ante baptizetur, quam ut * quadragesimum agat.*

*locus corruptus.

30. *Episcopus quislibet qui de sua in alteram progreditur parochiam; nec ordinare præsumat, nisi permissionem acceperit ab eo, qui in loco princeps est. die Dominica offerat tantum susceptione & obsequi hic contentus sit.*

31. *Si quis conduxerit è duobus Clericis, quos discordare convenit, per discordiam aliquam prolatum uni e duobus hostem ad interficiendum, homicida conjurum est [illegible], qui Clericus ab omnibus [illegible] is habetur alienus.*

32. *Si quis Clericorum voluerit juvare captivo cum suo pretio illi subveniat: nam si per furtum illum [illegible] multi Clerici per unum latronem [illegible] excommunionis sit.*

33. *Clericus [illegible] annis ad nos venit sine Epistola, [illegible] non licitum ministrare.*

34. *[illegible] suo Abbate [illegible] patrem adsentiat; [illegible] Pietatem quem contempsit per pœnitentiam vindicetur & Monachus [illegible] Abbate vagulus de [illegible] judicari.*

IX. De tempore hujus Synodi.

Hactenus Synodi Canones, quos [illegible] exemplari [illegible] Spelmannus. Qui [illegible] non malè conjectat habitam Synodum [illegible] annum Domini 450 vel 456. Cæterum Authorem nullum qui aut Synodi, aut Canonum meminerit, nominat. & sanè satis mirum est horum omnium silentium. Probus tamen qui apud Bedam Patricii vitam descripsit, Concilii ab eo habiti meminit: & fortè hoc ipsum est, quod modò recensui, ita autem scribit: *Sanctissimus Episcopus Patricius venit ad fontem, qui dicitur Debach in lateribus Chrochon, contra ortum solis, cum tribus Episcopis, & multis Clericis, ut haberent Concilium de Ecclesiasticis rebus. & fedit [illegible] Logarem Regis ad fontem [illegible] ad lavandum venerat [illegible] & jam in Synodum Episcoporum cum Patricio [illegible] invenerunt:* ita ille, [illegible] aliud invenio apud Authores de Synodo hac; aut etiam de [illegible] quam ex An[illegible]ensi Bibliotheca transcriptam recitat [illegible] annus, aitque de anno non constare, [illegible] ide illam apud ipsum. Verè [illegible] Patricium in Hibernia hac [illegible] plures [illegible] mansisse, & post triennium Benignum [illegible] Armacanæ sedis Episcopum, [illegible] forte [illegible] Synodum coëgisse. [illegible] Benigno dic [illegible] 460.

Probus l. 2.

Ad fontem Debach.

X.

Jocelinus supra dicta omnia confirmare videtur, ita scribens in vita Patricii, de [illegible] ejus in Hiberniam. *Iterum de [illegible], de regione longinqua [illegible] præsentia sui suos exhilarabat, & triginta Episcopos, ex transmarinis partibus congregatos, [illegible] à se consecratos, in Dominicam messem [illegible] eo quod esset multa, & operarii pauci [illegible] cepit igitur Episcoporum [illegible] Synodo [illegible] congregare, Concilia solenniter celebrat [illegible] & quod fidei Catholicæ comperit contrarium, [illegible] institutis adversum evellere & destruere: & quod Christianæ legi quod justitiæ, quod sacris Canonibus consonum, moribusq; optimis consentaneum erat, studuit plantare & ædificare. Reliquo vero vitæ tempore, contemplativa vitæ dulcedini intendens, post [illegible] in Sabaho, vel Monasterio Ardmachia constituto commorari consuevit. Nec de sacris ille sanctis locis solebat [illegible], nisi traheretur aliqua causa inevitabilis negotii. Semel tamen singulis annis Concilium celebrabat ut ad regulam deduceret, quæ correctione [illegible] cognoverat.* Hæc omnia Jocelinus. Quæ, quod ad Sabellum

Jocelin. c. 106.

Monasterium

An. 472. 3.

Monasterium attinet, excutiam infrà; & dicam probabiliter, Avallon, sive Glastoniense Monasterium intelligendum esse, ibique Patricium dulcissimæ contemplationi indulsisse.

XI. Inter Episcopos, qui Patricio adfuerunt; Albeus sive Ælbeus numeratur, qui Romæ doctus, ut supeà, Mumenensi Ecclesiæ præfectus videtur, tunc cum David Menevensis nascitur. nimirum post annos duodecim. nam in Albei vita ita legitur. *Postea filius natus est, & pater ejus dedit eum Sancto Albeo, ut nutriret eum. Ipse est David sanctus Episcopus: cujus reliquiæ requiescunt in civitate sua Cell-muni, quæ est in Britannia* Menevensem Ecclesiam intelligit, quæ olim Britannis Henmeneu, id est, vetus rubus: & inde Hibernis Kil-muni dicebatur. nunc à Davide sancto ibi culto & sepulto, nomen habet. Cæterùm de Muminensi Sede à Patricio erectâ, præfectoque illi Albeo ita legitur in opere tripartito: *Gloriosus præsul Patricius, seminatâ in regionibus Lagenensium fide; viam suam ad fines Mumonensium direxit: & audiens Rex Mumonensium, nomine Ængus, adventum S. Patricii occurrit illi. & gavisus est in adventu ejus, multum desiderans credere & baptizari. Adduxitque sanctum Pontificem secum, cum honore & lætitiâ, ad suam civitatem Regalem nomine Casseal. & ibi credidit Deo Rex Ængus, & baptizatus est.* His adde quæ in vitâ Albei leguntur apud Usserium. *Cum B. Albeus audisset; quod Patricius Regem Momonensium Engussum converteret ad Christum, & esset cum eo in civitate Regali Casel; venit ut eos salutaret. Rex autem & Patricius gavisi sunt in adventu Albei. & ille gavisus est eos videns. ibi vero accepit Patricium magistrum suum S. Albeus, quia valde erat humilis. Tum Rex Ængus & Patricius ordinaverunt, ut in civitate & cathedrâ S. Albei, esset Archiepiscopatus omnium Momonensium semper.*

Apud Usser. c.17 fo.871. — *Apud Usser c.17. fo.003.* — *Usser. suprà fo. 006.*

ANNUS URBIS CONDITÆ 1202.

ANNUS CHRISTI 451.

LEONIS PAPÆ 12.

VORTIGERNI REGIS 14.

I. ALTER SAXONUM ADVENTUS.

SEQUENTI anno, qui fuit Domini nostri quinquagesimus primus supra quadringentesimum, Marciano Augusto & Adelphio Coss. Octa, Æsca, Hengisti filia, & plures alii, nova auxilia. dicámne, an contagia? adventu suo prostituerunt Insulam, primumque invaserunt Britannorum Regem Vortigernum; qui ut suprà vitiorum omnium & imprimis libidinis mancipium fuit. Quod spectat ad novam hanc manum, Gildas illam ita excipit. *Supradicta genitrix* (Germaniam intelligit) *comperiens primo agmine fuisse prosperatum; item mittit satellitum canumque prolixiorem catervam; quæ ratibus advecta adunatur cum manipularibus spuriis: unde germen iniquitatis, radix amaritudinis, virulenta plantatio, nostris condigna meritis; in nostro cespite, ferocibus palmitibus pampinisque pullulat.* Hæc altera Saxonum expeditio verè dicitur à Gilda radix amaritudinis; tum quia venit Hengisti filia, quæ Vortigerni Regis oculos animumque expugnans, Britanniam prodidit: tum quia novæ conditiones, & pacta, exinde semper æternorum tumultuum seminarium fuerunt: nam Huntindonius de his Saxonibus loquens, ait: *Susceperunt qui advenerant, donantibus Britonibus, locum habitationis inter eos; eâ tamen conditione: ut hi pro patriæ pace, & salute, contra adversarios militarent; illi militantibus debita stipendia conferrent.* Ita quidem inter eos sancitum: sed solus Saxo, pacti illius & interpretem, & arbitrum egit; atque ita pro subministrando commeatu, numerandoque stipendio orta sunt infinita jurgia, ac bellorum incendia; quæ nisi domitâ penitus & in cinerem redactâ Britannorum libertate, extingui nunquam potuerunt. Interim primam flammam accendit in Vortigerni Regis pectore Hengisti filia; quæ Regium tectum pervagata, Vortimerum filium in parentem excitavit. Ac inde facilè in cives descendit; qui Vortigernum pertæsi, ejusque mollitiem; Regem alium ereaverunt, ut infrà.

Gild. de excid. — ROWENA VORTIGERNUM CAPTIVAT. — *Huntind. histo. l. 2. init.*

II. Dederat Hengistus in mandatis: ut filia quam in Germania susceperat, cum novo milite navigaret in Britanniam; ratus, ut evenit, Vortigernum Regem filiæ pulchritudine elegantiaque capiendum: quamobrem ubi illa venit, convivium peregrino more instruit. Regem invitat; filiam docet in Regis animum, quà verborum lenocinio, quà gestuum urbanitate, illabi. Hoc Monumethensis & alii pluribus; ita narrat Malmesberiensis compendio. *Adducunt filiam Hengisti virginem, ut accepimus; quæ esset, & naturæ miraculum, & virorum spectaculum. Regressu adornatur convivium. Iubet Hengistus filiam fungi pincernæ munere; ut Regis accumbentis oculos pasceret. Nec id frustra fuit. Nam ille, (ut semper in fœminarum decorem adhinniebat) statim & formæ gratiâ, & gestuum elegantiâ sauciatus animum, potiendæ puellæ spem imbibit: nec distulit quin nuptias peteret; patrem volentem cogens. Ipse enim astu primo negare tam humiles nuptias, Regi indignas allegans. Postremo quasi gravatus, in sententiam transiit, totamCantiam pro munere accipiens.* Hæc ille. Non malè ergo supeà dixit Tacitus de Germanis; *Dotem non uxor marito, sed uxori maritus offere.* Addunt alii, instructum hoc convivium, in castro quod noviter Hengistus erexerat, apud Lindeseiam; doctamque puellam Vortigerno salutem propinare, more Germano. Conveniunt omnes inmane facinus à Rege perpetratum: qui Christianus cum esset; & ritè matrimonio copulatus, horrere debuisset infideli fœminæ misceri: miscuit se tamen, & Sacramenti jura temeravit. Sed de hoc paulo inferius, nunc ad externa, quæ tamen Annalibus nostris, & Ursulæ triumpho proximè famulantur.

VORTIGERNUS CONVIVIO EXCIPITUR. — *Malmesb. de Regib. l. 1. c. 1.* — ROWENAM AMAT. — CANTIUM HENGISTO DONAT.

III. Attila, Hunnorum Rex, qui superiori anno, invasit Gallias, cum quingentis hominum millibus; invitatus à Vandalorum Rege Genserico: hoc anno, cum Aetio pugnans profligatur, & in fines Veneticos fugere cogitur. Cæsa sunt in conflictu ducenta millia militum. quod ad tempus spectat, Marcellinus Comes, Jornandes & Cassiodorus, hanc victoriam ascribunt Consulatui Marciani Augusti, atque Adelphii, nimirum huic anno 451. Quod valde notandum est, pro eorum quæ dicenda sunt veritate, & firmitate. Et quoniam Hunnorum statim necessario facienda est mentio; Attilæ observanda sunt vestigia, lustrandus exercitus, exploranda facinora. quæ brevi narratione Paulus Diaconus exhibet in hunc modum. *Fultus Attila fortissimarum gentium, quas subjugaverat, præsidio; ad Occidentale*

Paul. Diac. l. 15. c. 2.

demoliendum animum incendit imperium: cujus exercitus, septingentorum millium numero ferebatur. Vir in concussionem orbis in mundo natus, terrarum omnium metu quoque vulgatus erat: namque superbus incessu, huc se & illuc circumferens; ut elatus potentiâ, ipso quoque motu corporis appareret. Bellorum quidem amator, sed manu temperans ipse, consilio validissimus, supplicantibus inexorabilis.* Talis ille. qualis fuerit, & quàm barbarus ejus exercitus, infrà dicam opportuniùs. nunc solum Lectorem moneo hos bellorum fluctus, voluntatem Leoni Romano Pontifici injecisse, differendi Chalcedonensem Synodum; quam tamen Marciani Augusti pio indulgens desiderio, hoc anno celebravit.

*exorabilis.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1203.

ANNUS CHRISTI 452.

LEONIS PAPÆ 13.

VORTIGERNI REGIS 15.

I. ATTILA ITALIAM VEXAT.

ANNO Christi quadringentesimo quinquagesimo secundo, Herculano & Sporatio Coss. Attila resumptis viribus, reparatoque exercitu; Italiam ferocissimè invadit, urbes evertit, & Urbem ipsam, ni Leonis sanctitas obstitisset, militi prædam dedisset. Hunc annum Paulus Diaconus intellexit, cum dixit: *Attila continuò resumptâ fiduciâ, cruentus Italiam petit; Aquileiam captam funditus eradit, Ticinum atque Mediolanum regias urbes excidit. Inde vastatis circumquaque locis, cum Romam quoque pararet irrumpere; Leo Magnus, missu ad eum Valentiniani Imp. accessit; cumque adeo mitem reddidit; ut illicò promissâ pace firmissimâ, ultra Danubium non rediturus abierit.* Hæc ille. Itaque Attilæ exercitus, hoc anno, relictâ Italiâ, ultra Danubium pellitur. & proximum est, ut ad Rheni littora accedat exercitus.

P. Diaconus l. 15. c. 4.

ATTILA ULTRA DANUBIUM.

II. Jamque ad institutum, & Britanniæ Annales redeo, & vide Lector, non frustra fieri Attilæ mentionem. Si Vortigerni scelera & illicitum torum erubescis; surge ab illis tenebris, linque paulisper terram, cælum suspice, & in profundo noctis contemplare nobilissimum sidus, multa millia virginum, & principem inter eas Cynosuram. Tollit enim, aut certè minuit infelicitatem noctis, virgo, sancta, & martyr Ursula, quæ magno sociarum comitata exercitu, obliterat ferè Britannorum scelera. Illa enim, hac Hunnorum tempestate, Oceanum ingressa, cum terrâ mariquе fortissimè pugnavisset; stationem in cælo meruit immortalem. Multa quidem, in ejus historiâ, occurrunt dubia, incertaque; quæ credula ætas arbitrio finxit. hæc à certis distinguere, & excernere; & locus hic, & institutum postulat. Dubia sunt ista, quorsum Ursula, & quando reliquerit patriam? Quò profecta, ubi appulsa? Certiora, Britannam genere fuisse, Dionoti Principis filiam, passam hoc infelici tempore, cum imbellis sexus patriâ cedere cogeretur. Certissima, virginem, martyrem, sanctam, ac proinde magnum patriæ ornamentum extitisse. Nihil dicam de iis, quæ incerta sunt, & proculdubio falsa; Romam ivisse, inde rediisse, summo Pontifice nescio quo, & Episcopis Regibusque nescio quibus comitatam: & innumera alia quæ olim incertis conjecturis aliqua dictarunt, & faciles aliqui exceperunt. Hic etiam Usserii industriam requiro, qui totus in fabulis enarrandis; nullus est, hac vice, in afferenda historiæ veritate improbat multa, firmat nihil.

URSULA SANCTA BRITANNORUM NOCTIS SOLATIUM.

Usseri. c. 15.

III. TEMPUS PASSIONIS S. URSULÆ.

Incipiam à tempore passionis ejus, quod admodum controversum est. Et jure nisi rerum & personarum circumstantiæ, expendantur. Sunt enim in historiâ hac scopuli, Scyllæ & Charybdes, quæ nisi declinaveris; facilè impinges: & reverà plerique impegerunt, qui non inspecto Britanniæ statu, & ad pauca respicientes, de facili pronuntiarunt. Itaque Britannorum miseriæ imprimis legendæ: quas Saxones auxerunt, cum milite provinciam implentes, stipendiaque & annonam petentes, provinciales dirè vexaverunt; quoque eos magis & impuniùs affligerent; inito cum Scotis fœdere, illis Septentrionem; sibi ipsis Austrum pepigerunt. Unde miserrimo loco Britannos fuisse, quis non videt? Dicam de hoc fusius sequenti anno, priùs quam Ursulæ iter expono.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1204.

ANNUS CHRISTI 453.

LEONIS PAPÆ 14.

VORTIGERNI REGIS 16.

I. VARIÆ SENTENTIÆ EXPENDUNTUR.

QUOD ad tempus passionis attinet, Ursulæ & sociarum ejus; illi maximo erraverunt, qui martyrium scripserunt ad Christi annum 238. ut author Chronici Coloniensis, & Harigerus Abbas, in Catalogo Episcoporum Tungrensium. Hi siquidem Cyriaci Papæ mentionem injiciunt: *Cujus tamen*, inquit Baronius, *nulla prorsus extat memoria, in serie Romanorum Pontificum, &c. adeo ut nè digna quidem sit, quæ pluribus confutetur sententia; quippe quæ nulla penitus nitatur ratione, vel testimonio antiquorum; ex commentitiis tantum actis martyrii SS. Ursulæ, & sociarum, quæ in nostris notationibus refutavimus.* ita Baronius: Quibus addi potest Hunnorum nomen (quorum præfati authores meminerunt) Germanis Italisque eo tempore incognitum. Si verò Britanniam lustramus, nulla fuit causa tot virginum fugæ, insidiæ hostium nullæ, nulli timores; Britanni nulli qui eas apud Armoricos, quò illæ tendebant, exciperent. Quare mentiti Pontificis nomen, aliæque plures circumstantiæ, cogunt in posterius sæculum harum virginum triumphum deferre.

Baron. an. 237.

II. ALIA SENTENTIA.

Alii itaque veritati magis accedentes, volunt Ursulam, tum demum passam, cum Maximus tyrannus, è Britannia solvens, invasit Gallias; nimirum an. 383. Ita Galfridus noster, [a] Polydorus Virgilius, [b] Joannes Trithemius, [c] Ponticus Virunnius, [d] Aubertus Miræus, & plures, apud eum: denique qui instar multorum est Cæsar Cardinalis Baronius, qui ita scripsit ad dictum annum. & brevi compendio vitam Ursulæ, variasque ejus circumstantias explicavit. *Inter hæc cum Maximus transiens in Gallias cum Britannis, Armoricos è sedibus ejecisset: atque uberem, sed habitationibus vacuam, regionem iisdem Britannis militibus*

a L. 3. b in compend. hist. Fran. c l. 5. d in fast. 22. Oct. Card. Baron. an. 383.

tribuisse, quò novam coloniam in posteros propagaret: Conani Britanni reguli, quem Britannorum Ducem habebat in exercitu, consilio; è Britannia novis colonis, singulas virgines, singulis militibus conjugio fœderandas, missâ legatione, ad Cornubiæ in Britanniâ Regem, expetiit. Nihil visum est negare debere, novo-Imperatoris quem in Britanniâ exortum, iidem Britanniæ reguli omni studio convovissent: cum præsertim, non nisi gentilibus suis iisdemq; donatis nova provincia, prædivitibus, suas ipsorum filias matrimonio honestissimè conjungendas fore certum haberent. Duabus igitur legionibus Britannicis; pro numero militum, qui tunc in eis reperti fuere; totidem delectæ sunt virgines, omnes numero undecim mille, quarum principem locum tenebat Ursula, Regis Cornubiæ, nomine Dionoci (lege Dionoti) *filia desponsa Conano Duci exercitus Britannorum. Cunctæ Londini collectæ impositæq; sunt invitæ navigiis. Dumq; nautæ solvunt, Armoricorum regionem versus; a sævâ procellâ impelluntur ad Germanicum litus. Ubi dum essent, Melga Pictorum, & Gannus Hunnorum pyratæ qui pro Gratiano adversus Maximum mare illud incursabant; eas nacti, in ipsas irruentes, ut hostium fœminas, sævitiâ pugnarunt, atque libidine. Sed cum hortante Ursula, mortem pati potiùs delegissent, quàm virgines pudoris ferre dispendium; barbarico illi in eas incensi furore, quod properarent aliò, nec esset otium eas demulcere blanditiis; in ipsas armis, ut in hostes insiliunt, trucidantq; singulas; quas duplici auctas coronâ, martyrii scilicet, atque virginitatis, cælum excepit. Hæc quidem ex antiquis monumentis rerum Britanniæ se excepisse Gaufridus Episcopus Assaphensis, in suo de rebus Britannicis commentario tradit.*

III. De Galfrido Baronii censura.

At licet multa de aliis author habeat fabulosa, quæ veris nonnihil fidei detrahant; ut magno delectu sit liber ille legendus; cum tamen eo loco constituta res sit; ut inter apocryphorum quisquilias, arbitri confidentes, quæ magis verisimilia comprobentur, ea jure deligenda putemus: obviis accepimus manibus, quæ ab eodem authore narrantur, quod eadem pluribus fulciantur verisimilibus conjecturis: Reliqua verò, quæ edita habentur acta, pluribus constent cuique prudenti referta esse figmentis. Hactenus Baronius: qui pergit firmare sententiam, astipulatione Lindani Gandavensis Episcopi, & insignis clarissimique viri Marci Velseri, qui easdem mortis S. Ursulæ sociarumque ejus circumstantias, vel ponere, vel probare videntur. His omnibus addi possunt lectiones, quarta, quinta, & sexta Breviarii secundùm usum Sarum; ubi eadem ferè reperiuntur. unde non malè videntur Authores Ursulam ad hæc tempora retulisse; in quam etiam sententiam Anglicani Martyrologii Author consensit.

IV. Refellitur hæc sententia.

His non obstantibus ostendi * suprà, quod ad tempus spectat, stare non posse martyrium Ursulæ, cum Maximo tyranno. Licet enim ille ingentem numerum militum eduxerit, ex hac Insula, & Gallias occupaverit: dixi tamen otium illi non fuisse, nec tam diuturnum imperium; ut militi potuerit agros, aut provinciam dispensare, quietemque à bello indulgere, ad procreandam sobolem. Siquidem continuis, domi forisque, & à Rom. Imperatore insidiis pulsatus; & demum post brevem purpuram, vitâ ac imperio exutus, majores ipse curas suscipere, & seria magis munera præscribere, non tantas ferias debuit. Præterea quod de Armoricâ dicitur, & constituto ibi novæ Britanniæ regno, Maximi Imp. tempore; erroris arguitur; non solum ea eo quod Zosimus scribit, Maximum transmissò Oceano, ad Rheni ostia appulisse; nulla Armoricæ mentione: sed etiam, quia Galli Scriptores, illius regni initium posteriùs referunt: & Paulus Æmilius accuratus author, ad Merovei Francorum Regis tempora. Meroveum autem regnare cœpisse circa annum Domini 448. tradit cum aliis Gordonius. Vidit hæc Marcus Velserus, & cum plurima in Baronio probasset: tamen ubi legit in notationibus ejus ad Rom. Martyrologium, hæc verba: *Cum Maximus proximas Gallias invasisset, & vicinos Armoricos sedibus expulisset; vacuam provinciam, uberes glebas, Britannicis militibus nova Colonia tribuit, ac divisit. Unde & eidem provinciæ comparatum est nomen, ut minor Britannia diceretur:* ad hæc, inquam verba Velserus, hanc glossam adjecit. *Meam fidem hic non interposuerim.* Vidit enim vir doctus, nondum constitutum esse regnum illud, nec Britanniæ nomen inditum. Et sanè si Ursulæ parentem Dionotum, Cornubiæ principem, excutio: Hector Boëtius, Joannes Leslæus, & Buchananus, testantur eum, post Maximum Gratiani interfectorem, diu vixisse. non potuit ergo Ursula, nubilis esse, Maximi illius tempore.

* An 383 7.

Armoricæ regnum quando cepit.

Ad 21. Octob.

V. Verior sententia.

Quamobrem illi rectiùs senserunt, qui dicunt: Cum Attila, flagellum Dei, Italiam depopularetur, & omnem Occidentem; tunc demum passam esse Ursulam, & cum ea plures, & egregias virgines. Ita [a] Godefredus Viterbiensis, [b] Wernerus Rowlinck, Sabellicus, Antonius Bonfinius, Carolus Sigonius, & viciniores nostri Boetius, & Leslæus: denique martyrii annum optimè designavit Sigebertus in Chronico ad annum Domini quadringentesimum quinquagesimum tertium, cum inquit ibi. *Omnibus bellis famosius fuit bellum, quod candidatus undecim millium virginum exercitus bellavit, Duce S. virgine Ursula: quæ filia unica Nothi* (Dionotum intelligit) *nobilissimi Britannorum principis cum nubilis, à filio cujusdam ferissimi tyranni ad nuptias expeteretur,* &c. In eandem sententiam it manibus pedibusque, qui cæteris fidelius vitam S. Ursulæ composuit, Hermannus Fleiem, Canonicus Coloniensis. Cæterùm cum hujus opinionis veritas ex Attilæ, & Hunnorum deprædatione, & è Britannorum miseriis, petenda sit: vide Lector, Occidentem omnem, hinc à Saxone, illinc ab infinitâ barbarie concussum: & ita facilè descendens in inermium virginum funera ne, dicam, an triumphos?

a Godef. par. 16. Chro. b Wern. ad an. 434. Sabel. anead. 8. l. 2. Bonfin. de reb. Hung. l. 5. Sigoni. l. 23. Sigebert. hoc.

VI. Hunnorum exercitus.

Attilæ exercitum adeò auxerant barbaræ nationes, ut non modo Italiam, sed Germanias etiam, Gallias, & maria occuparint. de quibus ita Sidonius Apollinaris:

Subito cum rupta tumultu
Barbaries totas in te transfuderat Arctos
Gallia, pugnacem Rugum, comitante Gelono
*Gepida trux sequitur, * Scyrum Burgundio cogit*
Chunus, Bellonotus, Neurus, Basterna, Toringus.
*Bructerus ulvosa, quem * vel Nicer abluit unda*
Prorumpit Francus. Cecidit cito secta bipenni
Hercinia in lintres; & RHENUM texuit alno.
Et jam terrificis diffuderat Attila turmis
In campos se Belga tuos. vix liquerat Alpes
Aëtius, tenue & rarum sine milite ducens
Robur, in auxiliis Geticum malè credulus agmen
In cassum propriis præsumens adfore castris.

Sidonius paneg. de Avito.

* Scyrum.

* Velscer.

VII. Hoc anno Gallias turbat.

His ergo barbaris ubique terram & maria infestantibus, facile fuit trucidari imbecillem sexum. Præsertim, cum Hunnorum facinora

occurrunt

occurrunt passim in historiis. De Galliâ suâ scribit Gregorius Turonensis; quod hoc anno accidisse vult Baronius. *Hunni* (ita Hunni olim dicebantur) *à Pannonia egressi, ut quidam ferunt, in ipsâ sancta Paschæ vigiliâ, ad Metensem urbem reliqua depopulando perveniunt, tradentes urbem incendio, & populum in ore gladii trucidantes, ipsosq; Sacerdotes Domini, ante sacrosancta altaria perimentes.* Quin imo Lupus ille Trecensis Episcopus, qui olim cum Germano venerat in Britanniam; in urbe sua Trecensi, ab Attilâ capitur: qui, ut in Lupi vitâ legitur, *voluit eum secum proficisci ad Rhenum usque; pollicens et ubi eò ventum sit, se ipsum dimissurum.*

Gregor. Turon. hist. Franc. l. 2. c. 6.

Apud Surium 29. Julii.

VIII. Conclusio e dictis.

Cum igitur exploratum sit, Hunnos sub hæc tempora Gallias infestasse Danubium transiisse, & ad ipsum Rhenum, quo Colonia alluitur, & ubi mactatam esse sanctam hostiam, convenit inter omnes, cur non potero opinari, ad hunc locum spectare martyrium Ursulæ? Solum restat scrupulus: quis ergo Maximus ille tyrannus in Ursulæ historiâ toties nominatus? Respondeo, similitudinem nominis, errandi ansam præbuisse. Fuit enim reverà, hoc etiam tempore; Maximus quidam Senatorii ordinis, vir illustrissimus; qui mortuo Valentiniano post alterum annum factus est Imperator: Immo, teste Procopio e stirpe erat illius Maximi, quem Theodosius senior sustulerat. Facit de eo mentionem Sidonius Apollinaris, & unà Armoricam provinciam turbatam esse describit hoc carmine.

De Maximo qui in Ursulæ martyrio nominatur.

Procop. de bello Vandal. l. 1.

Sidon. Panegyr. car. 7.

Promptissima nuper
Fulsit conditio proprias qua Gallia vires
Exereret, trepidam dum Maximus occupat urbem:
Immo orbem potuit, si te sibi tota magistro
Regna reformasset. Quis nostrum Belgica rura
Littus Aremorici, Geticas quis moverit iras
Non latet; his tantum tibi cessimus inclyte bellis.

Ita Sidonius ad avitum Augustum. Qui & eodem carmine subactam provinciam illam, quò Britannæ virgines cogitabant, narrat his versibus:

Sidon. sup.

Vix arma domum sordentia castris
Rettulerat, nova bella iterum pugnantq; sub ipsis
Iam patriæ muris, periturus commovet hostis,
Litorem Scythicos Equites, cum fortè subacto
Celsus Aremorico Geticum rapiebat in agmen
Per terras Arverne tuas, qui proxima quæque
Discursu, flammis ferro, feritate, rapinis,
Delebant pacis fallentes nomen inane.

IX. Factum enimvero hoc priusquam Maximus imperio poturetur, cum Europa bellorum incendio flagraret; & Gallia imprimis, ab impiis Hunnis vapularet: cum, inquam, Suevi, Vandali, Alani, Gothi, Burgundiones, Franci cum Hunnis omnia ibi depopularentur. Quod potissimum accidit sub annum Christi 453. ut notat ibi Baronius. Spectat etiam ad eundem annum, quod habet Sidonius Apollinaris de pyratis, qui Britannicum mare, & Armoricum tractum divexabant; ubi etiam expressa Rheni & Maximi mentio, cogit omninò ut Ursulæ faveant omnia. Ita enim ipse:

Sidon. car. 7.

Quin & Aremoricus Pyratam Saxona tractus
Sperabat, cui pelle salum sulcare Britannum
Ludus, & assuto glaucum mare findere lembo.
Francus Germanum primum, Belgamq; secundum
Sternebat, Rhenumq; ferox Alamanne bibebas
Romanis ripis, & utroque superbus in agro,
Vel civis, vel victor eras. Sed perdita cernens
Terrarum spatia, Princeps jam Maximus unum
Quod fuit in rebus, peditumq; equitumq; magistrum
Te sibi Avite legit.

X. Collectio e dictis.

Ex hisce Sidonii versibus multa lucem dare possunt rebus cæteroquin obscuris. Quæ Lector jam facilè colliget. Cum enim Hunnum hostem habeamus crudelissimum, in agris militem, in mari prædonem; cum turbatam Armoricam; cum Ducem Maximum, & expressam Rheni mentionem: Restat solùm, ut lustratâ Britanniâ videamus, qui potuerint tot virgines, tanto silentio discedere; ut Authores fugam, aut iter tacuerint. Imprimis statuo, non valde mirandum, si Scriptores nostri, qui paucissimi fuerunt, & quorum ferè perierunt opera, nullam posteris hujusce expeditionis memoriam reliquissent: quia doloris & calamitatum plena omnia fuerunt; & ad patiendum, quàm ad scribendum promptiores incolæ. Gildas quoque qui unus superest (nec tamen omnino superest) tot Britanniæ incendiis atque vastationibus; non fortia Britannorum facta, & labores pro Christo exantlatos scribere, sed scelera tantum suorum civium flere decreverat. Iterum statuo, ex eodem Gilda non obscure colligi, egressum Ursulæ, & sociarum ejus ex hac Insula, tempusque passionis earundem. Qui enim fieri poterat, ut is, qui Britanniæ excidium, datâ operâ, recensuit, & acerbissima quæ cives tunc passi sunt; taceret hunc casum, fugamque populorum? Scribit ille quidem obscuriùs; & singultiente calamo, insinuat magis, quàm exprimit sensum doloris sui. Debet ergo prudens Lector, interdum, non tam quid dicat, quàm quid innuat, attendere: & ubique debet è metaphorâ & periphrasi, in mentem animumque orationis descendere.

XI. Status rerum in Britannia.

Quo posito, prosequamur Gildæ narrationem: videamus, quid actum in Britannia, ex quo Hengistus prostituit filiam Vortigerno Regi; & Vortigernus Insulam infideli Saxoni. Quæ turbæ exinde secutæ; qui civium tumultus, quæ carnificina hominum, quæ denique fuga populorum. Hæc enim nos debent manu ducere, tam ad martyrium Ursulæ, quàm ad tempus egressus tot sociarum ejus. Illi certe vagantur in incertum, & sæpissimè impingunt; qui in profundo antiquitatis pelago navigantes, inter brevia & scopulos; nullâ rerum, & circumstantiarum bolide, fundum metiuntur. Quamobrem si, è Gilda, qui natus est sub finem sæculi hujus, & præsentem Insulæ statum deplorat, evinco turbatam fuisse Britanniam statim, à secundo Saxonum adventu, tecitos cives, vastatos agros, provincialium plures fugisse, ac transmarinas nationes petivisse: si colligo imbecilliorem sexum, hoc fugæ præsidio usum, certissimæ carnificinæ subductum: cur Ursulæ martyrium aliò referimus; ubi nihil horum constare, nullisque emigrationis, fugæque prætextus tam clarè evinci potest? Itaque historiæ filum repetamus.

XII. Saxonum querelæ, et nova studia.

Vix Hengisti filiam acceperat, repudiatâ uxore propriâ, Vortigernus, cum Saxo se efferre, tumere animo, erigere cristas, provinciales contemnere cœpit, servitutem pertæsus: mox de stipendio contendere, de annonâ conqueri, denique querimoniis implere omnia. Nec ibi stetit militaris licentia: nam visâ Britannorum inertiâ, res novas moliri, turbas cient, civibus minantur, ac ita in apertam factionem prorumpunt.

Huntindo. l. 2. Huntindonius Archidiaconus ita scribit: *Rex Vortigernus a genere suo, & ab exercitu, belli occasionem, Deo volente, quaerentibus, annonas eis affluentius dare reposcitur: minantes, nisi profusior eis copia alimentorum detur; se cuncta Insulae loca, rupto foedere, vastaturos.* Nec *segniter* (nota adverbium & refer ad tempus) *minas prosequuntur effectibus. Inito namque foedere cum Pictis, & congregato innumerabili exercitu; neminem, qui eis * restare auderet, usquam invenerunt.* (* *restitare.*) *Accensus igitur paganorum manibus ignis, justas de sceleribus populi Dei ultiones expetiit. Non illius impar, qui quondam a Chaldaeis succensus Hierosolymorum moenia, imo aedificia cuncta consumpsit.* Haec ille & pluribus prosequitur flebilem narrationem; in qua ait fuga plures sibi consulentes, transmarinas nationes petivisse. Sed quoniam hic author, Gilda posterior est, (vixit quingentis abhinc annis, Gilda verò mille & ampliùs) malo audire loquentem seniorem, qui calamitati proximior, temporis quoque rationem accuratiùs expressit. nam cum alteram Saxonum classem, in qua Rovena vehebatur, exposuisset; statim subdit, quid factum à milite: atque.

XIII. *Gild. de excidio* GILDAS STATUM INSULAE EXPLICAT. *Igitur intromissi in Insulam barbari, veluti milites, & magna ut mentiebantur discrimina pro hospitibus subituri; impetrant sibi annonas dari; quae multo tempore impertita, clauserunt, ut dicitur, canis faucem. Item conqueruntur non affluenter sibi epimenia contribui, occasiones de industria colorantes. & ni profusior eis munificentia cumularetur, testantur se cuncta, rupto foedere depopulaturos.* Nec mora (hoc etiam pro ratione temporis advertendum) *minas effectibus prosequuntur. Confovebatur namque ultionis justa praecedentium scelerum causa, de mari, usque ad mare, ignis Orientali sacrilegorum manu exaggeratus; finitimas quasque civitates, agrosq; populans, non quievit accensus, donec cunctam pene exurens Insulae superficiem, rubra Occidentalem, trucíq; Oceanum lingua delamberet.* ATTILAE MILITES. Hic videtur Gildas ingentem illum Attilae exercitum innuere, qui reverà ab Oriente primùm egressus, inde Gallias, hoc est finitimas civitates, agrosque, & demum Occidentalem Oceanum vexaverat: caeterum Saxonem illi, & foedere, & morum similitudine, conjunctum fuisse; non solùm Gildas hic significat; sed etiam Sidonius Apollinaris supra. Jam verò si Britannica classis, quae Ursulam sociasque vehebat, Saxonem fugiens, in Hunnos incidit; cur non dicemus, *rubra trucíq; lingua Oceanum delambente*, sacrarum virginum carnificinam intelligi? Sed pergit Author, reditque è mari in Britanniam.

XIV. *Gildas sup.* *In hoc ergo impetu, simili Assyrio, olim in Iudaeam facto; completur quoque in nobis secundùm historiam, quod Propheta deplorans ait: Incenderunt igne sanctuarium tuum, in terra polluerunt tabernaculum nominis tui. & iterum: Deus venerunt gentes in haereditatem tuam, coinquinaverunt templum sanctum tuum, &c. Ita ut cuncta colonia crebris arietibus, omnesq; coloni, cum Praepositis Ecclesiae, cum Sacerdotibus, ac populo, mucronibus undique micantibus, ac flammis crepitantibus, simul solo sternerentur, & miserabili visu in medio platearum, ima turrium cardine avulso, murorumq; celsorum saxa, SACRA ALTARIA, cadaverum frusta, crustis purpurei cruoris tecta; velut in quodam horrendo torculari mista viderentur, & nulla esset omnimodis, praeter domorum ruinas, bestiarum volucrumq; ventres, in medio sepultura, salva SANCTARUM ANIMARUM REVERENTIA; si tamen multa inventa sint, quae ad ardua coeli id temporis, a sanctis Angelis veherentur. Ita enim degeneraverat tunc vinea illa olim bona, in amaritudinem; ut rarò secundum Prophetam videretur quasi post tergum vindemiatorum, aut messorum, racemus aut spica.*

XV. UT BRITANNI MISERIAS HAS DECLINAVERINT. Cum hunc miseriarum cumulum exposuisset Gildas: mox infert, quid factum à provincialibus, & quonam fugerint, aut aliter declinarint tempestatem. *Itaque nonnulli*, inquit, *miserarum reliquiarum in montibus deprehensi (quo nimirum fugerant) acervatim jugulabantur: alii fame confecti, accedentes manus hostibus dabant, in aevum servituri. si tamen continuo non trucidarentur, quod altissimae gratiae stabat loco. ALII TRANSMARINAS PETEBANT REGIONES, CUM ULULATU MAGNO; ceu celeumatis vice, hoc modo sub velorum sinibus cantantes: DEDISTI NOS TANQUAM OVES ESCARUM, ET IN GENTIBUS DISPERSISTI NOS. alii montanis collibus, minacibus praeruptis, vallatis densissimis saltibus, marinisq; rupibus vitam suspecta semper mente credentes, in patria licet trepidi perstabant.* Hactenus ille. QUINAM FUGERINT. Caeterum hic rerum ordo postulat, ut quaeramus, quinam hi fuerint, qui pressi calamitate fugerint è Britannia, & transmarina petiverint, *cum magno ululatu?* Et certè, valde Britannis irascerer, si viri numero multi, robore fortes, militia olim clari, reliquissent alterum sexum, barbaro Saxoni praedam fugamque lacrymis deturpassent. Sed reverà danduin est laudi, & industriae Britannorum; quod imbellem sexum, obvium injuriis, & facilem hostibus praedam, *ipsi subduxerint*; missis magno numero virginibus, honestissimisque foeminis, trans mare, ad perpetuandum Britanniae nomen, in regione altera: ubi dudum miles expectaverat sponsam. ubi novi regni fundamenta jaciebantur: & solùm deerat sexus alter, ad aeternitatem prolis. Ursula ergo, & undecim millia virginum; quae dudum ab Armoricae incolis ad nuptias expetitae sunt; eò magis festinaverunt ad *regiones transmarinas*, quò magis Britanniae regnum ruere, & occasui proximum esse cernebant. Enimvero hae virgines, muliebribus armis pugnare; hoc est, lacrymis cum noverca fortuna confligere poterant; & cygneam vocem promere. Dedisti nos tanquam oves escarum, ET IN GENTIBUS DISPERSISTI NOS: quia earundem reliquiae, ut mox dicam, per universum terrarum Orbem dispersae, jam ubique praebent religiosis mentibus alimentum pietatis.

XVI. URSULAE SUPRA DICTA APPLICANTUR. *Herman. in vita S. Ursula.* Hanc meam conjecturam de sensu verborum Gildae proximè assecutus est, qui fideliter Ursulae passionem describit Hermannus Fleten: & quod ad tempus spectat, non malè ita scribit: *Gens Anglorum ad defensionem vocata, Insulae fertilitate illecta; cum nisi BIENNIO pro Britannis, contra Pictos & Scotos, bella gessisset; inito ad tempus cum illis foedere, in socios Britannos arma, immanis audacia, & ferocitate vertit*, &c. Ad quae verba, nescio quis marginalem hanc notam intrusit: *Contigisse haec constat anno 451.* quod verum est, si miseriarum primordia originem spectes, & tragoediae prologum, non epilogum qui paulo posterior fuit. nam cum Gildas suprà referat, immania illa Saxonum facinora, contigisse post duos annos, ab altero eorum adventu, non à primo; huic potius anno 453. consignandus est

epilogus. Quod si Hermannus Gildæ locum expendisset, vidissetque inter alia miseriarum genera, aliquas transmarinas regiones, eo tempore, petivisse, cum *ejulatu magno*; & sedentes sub velorum finibus ploravisse: nec collegisset fæminas fuisse, tenerasque virgines, & egregiè confirmasset opinionem suam; & biennii tempus à Rovennæ appulsu numerasset. Siquidem nulla tempestas orta est in Insulâ, nec ullus Saxo priùs tumultuatus; quàm Vortigernus Rex infidelem fæminam adamavit. Tum enim ipse, apud suos vilescere; tum Saxo se efferre & tumere cæpit, regnumque ambire: & visâ provincialium desidiâ, corruptaque indole (raro enim sub vitioso capite, sunt integra & constantia membra) servire porro noluit. Ita jacta discordiarum & tumultuum semina: & paucis gradibus descensum in mala illa, quæ Gildas, Beda, & post eos, alii referunt, internecionem plurimorum, vastationem agrorum, civitatum incendia, fugam denique Britannorum.

XVII. Hæc longè probabiliora videntur: quàm quæ aut ex Galfredo refert Baronius, aut Polydorus de Gratiani tempore, aut denique Aubertus Miræus, qui tamen accuratus fuit in hoc argumento. Satis enim benè speculatur statum rerum, sub annum Domini 383. quo nimirum anno plures putaverunt Ursulæ martyrium contigisse: benè etiam legit itinera Maximi, Gratiani mortem; Hunnorum tamen accessum in Gallias, & ad Rheni ostia, dicit quidem, sed minimè probat. Invitati quidem Hunni à Gratiano fuerunt, non contra Maximum; ut aliqui putant; sed ut Juthungos, Rhætias populantes premerent, quemadmodum suprà, Ambrosio teste, ostendi.

An. 383. n. 7.

Hæc inquam, quæ foris gesta satis probabiliter dicta sunt à Miræo. Sed ille Britanniæ nostræ statum minùs inspexit; unde tamen illas omnes profectas agnoscit. Nam esto; collectus sit eo tempore miles, in hac Insulâ; & secutus sit Imperatorem suum, in Gallias tendentem: Ille tamen (quis non videt?) ad pugnandum ivit, non ad ferias; & quod maximè ad præsentem rem spectat, nemo antiquorum, vel leviter innuit, tot virginum egressum. Sed nec ulla causa tunc fingi potuit, cur ita turmatim discesserint.

XVIII. Cur virgines hoc tempore profectæ?

Cæterùm si divinam providentiam, quâ imprimis regna stant caduntque, adorare & contemplari volumus: Tunc potius dicendum est, virgines in Armoricam perrexisse; cum pereunte, & occidente Britanniæ regno, novum foris Britanniæ regnum emergere cæpit: ut unius corruptio generatio esset alterius, hoc Maximi Imperatoris tempore, fieri non erat necesse; quia Britanna res tunc florentissima, & majores quàm ad fugiendum, aut serviendum, animos habuit. Dicamus ergo verosimilius esse, hoc difficili tempore, cum infideles barbari undique sævirent; principum ac nobilium filias, ad prolis incrementum navigasse in Gallias; tum quia expressam in Gilda mentionem habemus multorum discessus è Britanniam: tum quia pensatis circumstantiis omnibus, quas suprà exposui, optima conjectura colligi potest, Ursulam fuisse: quæ una cum virginibus; primum fletu magno; tum collectæ in unum, dulcissimo vaticinio, utramque dispersionem; nimirum qua statim dissipandæ erant, tempestate maris: inde ad cultum per universum orbem distinguendæ; cantaverunt: *Dedisti nos tanquam oves escarum, & in gentibus dispersisti nos.* quod nemo verius, nemo sanctius, nemo propius ad historiam nostram cantare potuit; quàm Ursula sociæque virgines. Hæc de tempore passionis & anno martyrii dicta sufficiant.

XIX. Ursulæ patria.

Sequuntur alia, quæ priùs expedienda sunt, quàm historiæ filum resumo: de patria Ursulæ, de numero nominibusque sociarum ejus. Quæstionem de Ursulæ patriâ, hic non tractassem, nisi prodiisset nuper Catalogus quidam Sanctorum Hiberniæ, ubi Ursula Princeps sociarum undecim millium virginum, scribitur filia Majoris, Regis Scotorum Hiberniæ. Ubi addit Author. *Manifestè monstrabo fabulas esse, alias aliorum de S. Ursula historias & genealogias: & responsa habeo satis probabilia, ad objectiones nobis contrarias.* Ita Candidus Eblanius. Ad marginem nescio quis hanc notatiunculam adscripsit: *Hanc fuisse Scotam; (alia autem ab Hibernia, Scotia nulla tunc fuit.) Asserit Petrus de natalibus, Canisius, & vita S. Ursula carmine saphico scripta, adde Ribadeneiram, qui multas ejus comites ex Hiberniâ fuisse dicit. deinde Stephanus Vvhitus S. T. D. Societatis IESV, Majoris Regis Hibernia filiam fuisse confidenter asserit.* Ita ibi. Unde Ursulam perdidimus, si non excussis his testibus contrarium ostendamus. Sed reverâ si seriò loqui volumus, vix ulla est quæstio, nisi fortè quis dixerit, in tam numerosâ multitudine aliquas, è Scotiâ, aut vicinâ nobis Insulâ, fuisse: nec enim aliter de patriâ Ursulæ dubitavit Ribadeneira. porrò ex hac levissimâ conjecturâ, Ursulam, Hibernam dicere, est rebus clarissimis tenebras offundere. Legi quidem aliquando, qui ignorarent Ursulæ patriam; sed ingenuè fateor, legi neminem, qui tantâ confidentiâ pro Hiberniâ dixerit, scripseritve. Sed nota Hibernorum pietas pro Sanctis altercantium.

Catal. Sanctorum Hiberniæ in Ursula.

XX. Excutitur Hibernorum opinio.

Qui revelationem itineris martyriique harum virginum composuit, apud Capgravium ita loquitur. *Plures sanè religiosorum vidimus, qui penitùs ignorabant, cujus conditionis forent, aut nationis. De diversis siquidem partibus erant, videlicet Anglorum, Britonum, VValliorum, Scotorum, atque de aliis etiam pluribus regnis, & regionibus fuerunt oriunda.* Hæc fortè arripiunt Hiberni in argumentum sententiæ suæ; & licet ultimo nominentur Scotorum nomine, primi esse ambiunt: sed quæso illos ut desistant; nam si ita pergunt dubia certis miscere, Catalogum omnem Sanctorum Hiberniæ vocabunt in dubium. Etenim ubi Angli illi, & Walliones, quorum hic mentio? & quod ad Scotos attinet, quos se esse toties gloriantur; unde, quæso, tam sestina eos inter & Britannos amicitia coaluit; qui hactenus hostiliter, per tot sæcula, digladiati sunt? Unde inquam, tanta animorum conspiratio; ut uterque sexus in unum iter, & voluntatis propositum, cum magnâ præteritorum malorum ἀμνηστίᾳ coiverint. Dicent Hiberni; non se miscuere Britannis Scoti; sed Scoti fuerunt principes; Ursula Scota fuit, Majoris Regis filia. Audio, & inquam: ergo Britanni nulli fuerunt, nec in Armoricam profecti sunt, ut regionem illam à Britannis habitatam angerent, & numero, & prole. Unde planè corruit Ursulæ & sociarum martyrium. nam hactenus inventus est nemo, qui studio rem gestam prosecutus, non meminerit Britannorum. Sed omissis Authoribus & agendo presssiùs. Quid causæ fuit, cur turba ista Hibernorum, patriam reliquerit? quis illos premebat? nonne fuerunt sub appellatione Scotorum, per tria ferè sæcula Britannis

Capgrav. in vita S. Ursula.

Cur Scoti turmatim fugerent?

graviſſimi? nonne illos præda, rapinis, bello denique laceſſebant, adeo ut opus fuerit invocare Saxonem? nonne Britannis major, quàm Scotis cauſa fugiendi?

XXI. OBJECTIO.

Sed fortè cum Baronio ſentiunt, Urſulam ſociaſque, ſuperiore ſæculo paſſas, non expectaſſe hujus ſæculi calamitatem: ſed Maximum Imperatorem & Auguſtum ſecutas, prædam Hunnis fuiſſe.

SOLVITUR.

Reſpondeo, qui ita pro patriâ pugnant, aërem ſeriunt, & graviſſimè impingunt. Quæro enim, unde prodire poterant tot Chriſtianorum millia (nam Chriſtianas Urſulam & ſocias fuiſſe, extra dubium eſt.) Quis inquam in Hiberniâ olim Chriſtianæ fidei ſemina jecerat, quæ Maximi tempore in tantam meſſem ſurrexerint? Patricius quidem noſter, ibi fuerat, prætextamque illo anno poſuerat; ſed Apoſtolatum miſſionemque ad Hibernos non acceperat, ante annum trigeſimum hujus ſæculi: & neminem priùs, neminem, inquam, legitur convertiſſe. Palladius quidem paulò præceſſerat: *Sed prohibuit illum Deus convertere gentem illam*, inquit Probus, in vita Patricii. Palladium ergo quis præceſſit, & Inſulam ita Chriſtianâ fide illuſtravit: ut plura virginum millia in Gallias amandaverit? Si fuit aliquis, & excidit nomen ejus è memoria hominum; deleatur ergo ex omnibus Martyrologiis, ſi non Patricii nomen: illud ſaltem, quod Romanum canit: *Qui primus in Hiberniâ Chriſtum evangelizavit*: nec dicatur ultra Hiberniæ Apoſtolus. In Syrtes has incidunt, qui neſcio quâ patriæ dulcedine peccantes, rerum potiùs umbris, quàm veritate capiuntur. Nec poſſunt iſti affirmare (quod ſolum illis reſtat refugium) Urſulam & ſocias prodiiſſe ex illa Britanniæ parte, quam Scoti, hoc eſt Hiberni, dudum inſederant. Ibi autem Donaldi & Chrathlinti Reges, Chriſtum profeſſi, Ninianus, aliique, fidem docuerant. nam Candidus Eblanius contentioſiſſimè probat, ante annum 446. Scotorum neminem, in Britanniâ habitaſſe. Unde ſequitur non inde potuiſſe prodire Hibernam Urſulam, nedum Chriſtianarum virginum multa millia. Forte eò fugerit Urſulæ mater, quæ Daria dicebatur, matrona ſancta. nam ita de illa legitur in Gallicano Martyrologio ad 21. Octob. in ſupplemento. *Ipſo die in Scotia tranſitus S. Dariæ matris S. Vrſulæ virginis & martyris; quæ cum numeroſo ſociarum virginum agmine, pretioſo cruore in aſſertione pietatis & pudicitiæ effuſo, Gallias oras purpurando decoravit.* Sed quæ in Scotiam ivit & ibi quietè moritur, ſatis oſtendit, Scotis nullam fugiendi cauſam fuiſſe.

Probus in vita S. Patricii.

Rom. Martyr. 17. Martii.

Eblanius in controverſ. per totam.

XXII. PROBATUR BRITANNA URSULA.

Everſo Hibernorum argumento, & omni ariete quem pro Urſula admoverunt: videamus quid pro Britanniâ dici poſſit. Certè hactenus dicta de miſeriis & calamitate Inſulæ, de Saxonum inſolentiâ, de fugâ provincialium; non difficulter Lectori perſuadebunt oves debuiſſe lupos fugere. Sed non cupiò vocalius argumentum pro patria Urſulæ, quàm provincia ipſa ad quam tendebat, ſubminiſtrat. Ibi Britannus miles, è Britanniâ eductus ſuperiore ſæculo, Armoricam à ſe Britanniam nominari voluit: & quo æterna eſſet nominis memoria, ambiebat ſexum alterum, quærebatque è Scotia? ab hoſtibus Britannici nominis & ſanguinis? ab iis, qui eo tempore, Britannorum jugula petebant, needum poſitis iris armiſque? Noli id dicere. Sed potiùs quærebat ſponſam, ab amico vicinoque litore, è parentum & cognatorum ſinu; & eo tempore quærebat, quo educi tot virgines, & imbellior ſexus poterant, & verò debebant: & in eum finem quærebat, ut provincia, non Hibernia, aut Scotia; ſed Britannia diceretur. Quod & factum, etiam hoc ſæculo: nam Sidonius Apollinaris Urſulæ ſuppar illius provinciæ populum vocat *Britannos ad Ligerim ſitos*. Nec moveor admodum ſi uni & alteri fortè excidit, Hibernam fuiſſe Urſulam; nec trahi id debet in cauſæ patrocinium. Sed ſpectandum eſt in hiſtoriâ, quid accurati Scriptores, quibus præſens eſt ad ſingula ſenſus, rebus maturè inſpectis, cenſere ſoleant communiter. nam eſto, id dixerit Petrus à natalibus de ſanctitate magis, quàm de Urſulæ patriâ ſolicitus: quid ille in Sigebertum, Trithemium, Uſuardum, Lindanum, Velſerum, Polydorum, Suffridum, Petrum Bozium, Franciſcum Bordinum, Aubertum Miræum, denique Baronium. Et ſi errantem unum ob patriæ pietatem, ſecutus eſt Stephanus Whitus, audiat ille alterum ſibi cognominem, Richardum Vitum, qui libellum ſcripſit, cui fecit hunc titulum. *Veritas hiſtoriæ de S. Vrſula, & undecim millibus virginum Britannarum.* Hibernis certè non poſſum hac in re iraſci; nam qui nuper habere voluerunt Pelagium; quem Sancti Patres cognominaverunt Britonem: cur non religioſiùs velint Urſulam ſibi vindicare? illum ego libenter hinc proſcripſiſſem, quia fidem & Inſulam maculavit: hanc tamen virginem præſtantiſſimam, & Britannorum noctis Cynoſuram illuſtriſſimam nolo prodigere. Interim Hibernis ago gratias, quòd dubium moverint: nam quæſtione inſpectâ, excuſſis authoribus, momentiſque ſingulis, magis patet Urſulam, Britannam eſſe.

Sidon. l. 1. ep. 7.

XXIII. DE NUMERO VIRGINUM.

Sequitur quæſtio, de numero virginum, quæ paſſæ ſunt cum Urſulâ: quam paucis expedio; quia conſtantiſſima opinio eſt fuiſſe ad undecim millia. Totidem enim numerantur in precibus, quas olim Hortulus animæ, ſecundùm uſum antiquum Eccleſiæ Romanæ continebat, ubi legebatur hæc Antiphona:

O præclara vos puellæ
Nunc implete meum velle:
Et dum mortis venit hora
Subvenite ſine mora
In tam gravi tempeſtate
Me precantem defenſate
A dæmonum injuria.

Verſ. *Pia martyr Vrſula, ſponſa Chriſti decora.*
Reſp. *Cum tuis ſodalibus ſemper pro nobis ora.*

OREMUS.

DEVS qui affluentiſſima bonitatis tuæ prudentia, Beatiſſimam Vrſulam, cum undecim millibus virginum, triumpho martyrii coronare dignatus es, concede propitius, ut earum precibus & meritis, cum ipſis in æterna beatitudine, collocari mereamur, per Dominum, &c. ſimilia habent horæ B. Virginis ſecundùm uſum Sarum: in quibus de undecim millibus virginum ita habebatur Rhotomagi impreſſum an. Dom. 1556. *O vos undecim millia puellæ, virginitatis lilia, martyrumque roſa, in vita me defendite, præbendo mihi juvamen, &c. Colonienſis etiam Eccleſia, ſanctiſſima cuſtos reliquiarum Vrſulæ & Sodalium ejus, ſine ullius unquam hominis contradictione*, inquit Hermannus Heien, *ſequentibus Antiphonis eas commendare, & Deum laudare conſuevit. In choro Sanctorum jugiter divinæ laudis reſonat jubilatio, ubi laudatur Deus*

In vita Vrſulæ.

Deorum

Deorum in Sion, Alleluia. Inter quos undena virginum millia, sequentes agnum sine maculâ, laudant illum gaudentes cælesti laude per sæcula, Alleluia. Quæ divino nutu à partibus Occidentis exhibita, pro Christi nomine hic fudere cruorem: quia nunquam in persecutione potuerunt ab ejus divelli confessione. Benedicamus ergo Deum cælorum, cum omni creaturâ, qui tam pretiose locum istum decoravit martyrio.

XXIV. QUINAM EGRESSI PRÆTER 11000.

Porro promiscuè biographis credimus, egreditur unà cum his virginibus, ingens præterea utriusque sexus numerus; quem non audeo definire; quia fidem ferè superat fuisse sexaginta millia, ex infimâ gente, præter undecim millia nobilium virginum. Sed & Saxonum crudelitas, & Britannorum ignavia faciunt id omnino non improbabile, confirmantque quæ suprà dixi. & adstipulatur his omnibus Trithemius; qui causam adfert cur tantus numerus ex Insula discesserit. *Militum numerus*, inquit, *qui de Britanniâ cum Conano venerunt in Armoricam; fuit triginta millia pugnatorum, & plebeiorum Agricolarum centum millia: qui omnes jussione Maximi de Britanniâ, in Armoricam migraverunt. Ex quibus multi, nullas uxores habebant. cæteri qui erant conjugati, uxores liberosq; sequendo Maximum, domi relinquebant Conanus & omnes qui erant cum eo, viri Christiani, filias paganorum idola colentium uxores ducere nulla ratione voluerunt. Quæ si fuissent Christianæ, attamen cum iis, uti Gallis feminis; nullum matrimonii, commercium habere volebant. Eo tempore fuit in Britanniâ* (quæ nunc Anglia dicitur) *subregulus nomine Dionatus, qui mortuo Caradoco fratre, Cornubia principatum tenebat: cui etiam Maximus Rex in Galliam profecturus, uti viro prudentissimo regnum commendaverat. Is habebat filiam nomine Ursulam, inter omnes Britanniæ virgines, judicio cunctorum speciosissimam, Christoq; valde devotam. Conanus ergo novus Armoricarum de Britannia Rex hanc principis Cornubiæ Dionoti filiam, quam amabat Ursulam, missis nuntiis epistolisq; petit uxorem sibi, ut secundum numerum, quem literis expresserat, mitterentur virgines pro militibus. Pro nobilibus quidem nobiles; pro plebeis vero plebeæ. Dionotus Conani desiderio satisfacere cupiens, ex diversis Britanniæ provinciis collegit filias nobilium undecim millia. de cæteris verò ex inferiori genere sexaginta millia virgines ac mulieres, quas omnes ad certum diem Londini convenire præcepit: navesq;, quæ sufficerent ad tantæ multitudinis evectionem ex cunctis Britanniæ litoribus adduci jubet.* Hæc omnia Trithemius.

Trithem. in compend. l. 1. an. 387.

XXV. ORDO ET NOMINA MILITIÆ URSULANÆ.

Lustrandus nunc est sacer Ursulæ exercitus: videndumque ut acies illa ordinata in duces, centuriones, & chiliarchas distincta fuerit. Ubi aliquarum nomina prodibunt, quæ nefas est silentio præterire. Usuardus illa recensuit, cum ita scripsit: *Undecim millium virginum Regina & ductrix fuit B. Ursula Dionoti, Regis Britonum filia, desponsata Conano Regi Armoricorum, seu minoris Britanniæ. Hæ omnes virgines, cum aliis innumeris ad illas confluentibus, apud Coloniam martyrio coronatæ sunt.* & infrà. *Præfuerunt autem cum B. Ursula super totum exercitum virgines quatuor, quarum nomina sunt. Pinnosa, Cordula, Eleutheria, Florentia. Post has, undecim, singulæ præerant millenis singulis. Quarum undecim hæc sunt nomina, Læta, Benigna, Clementia, Sapientia, Carpophora, Columba, Benedicta, Odilia, Celindris, Sibilla, & Lucia, quas undecim præfectas millenis singulis virginum probè creditur sui [illegible] significatas illis stellis undecim, quæ adorabant Ioseph.* Hæc Usuardus. Luciam nominat Canisius in suo Martyrologio: unde & nostrum ejus meminit 23. Nov. aliarum nomina, quæ divina ut creditur, providentia revelavit, paulò inferiùs, ut sese dat occasio, indicabo. Interim ornanda est classis ad sacram expeditionem, & deducenda in portum Ursula cum sodalibus.

Itaque multæ & variis Insulæ provinciis lectæ virgines, quæ novi surgentisque regni Colonia essent, & foris quàm domi tutiores, Ursulæ dantur in omnis fortunæ socias. E portu solvunt hoc anno 453. & in Oceanum delatæ, cum dextram tenere & Occidentem versus adnavigare contendunt, ventorum impetu, ad sinistram, & Germanicum mare feruntur. Tunc enimvero, cùm adversos fluctus superare & pugnare non possent cum freti angustiis; cedere autem esset majus periculum: ubi pleno alveo impetuque miscetur flumen Oceano, tunc, inquam, quod nautis obvium est, cum ad littus portumque niti non valerent, altum mare petiverunt, ubi scopuli rariores, & undæ erant magis individuæ: hæc fuit errandi causa. verùm si divinæ mentis consilium inspicis, debebantur hæ virgines Coloniensi agro victimæ. XXVI. EARUM PROFECTIO.

Jam Hunni, & infinita barbarorum manus; Gallias, Germaniasque, ut suprà dictum est, immani crudelitate, terra marique vexabant: cum ecce, luctante virginum classe cum fluctibus, major luctus apparuit, nam ut ad Rheni ostia ventum, & Veeunensem ibi agrum quem fortè subire volebat Ursula, conspectus est ingens Pyratarum numerus, nec ullus fuit subterfugio locus: nec Ursula sociæque, poterant aliis armis, quàm pietate constantiaque pugnare. Ut nulla vidit Barbarus expediri belli instrumenta; sensit non esse militem. unde, & avidiùs currens ad prædam, Inermis virginum multitudo apparuit. Potuisset illa militum Pectus emullire, quæ domare feras dicitur; nisi homo hominem Deumque unà exuens, fera deterior esset. Insolescit ergo Barbarus, & quà verborum lenocinio, quà precibus, minisque pudorem expugnare aggreditur. Cæterùm illæ, ut castitatem peti vident: tum scilicet accingunt sese; & generoso pectore, castæ mentis consilium, novo firmant militiæ sacramento. Ursula ducebat agmen, & memor loci, memor causæ, & memor cælestis sponsi, quem olim votis omnibus expetiverat, sodales, in hunc modum colloquitur. XXVII. HUNNORUM GRASSATIO.

V. Fasti Mariæ. fo. 190.

XXVIII. URSULÆ ORATIO AD VIRGINES.

Adest, sociæ, optatissimus dies, quo novo pugnandi genere, Deum, Ecclesiam, sexum, orbem denique illustrare possumus. Hostis in propinquo est, naturâ quidem inanissimus; sed constantiâ superatur; armis pugnat, sed quæ nisi volentibus, nocere nesciunt. Habent enim obtusas acies, ferrum, gladiique, & nequeunt fodicare virgineum pectus. Sed esto: insaniat miles, stringat arma, intentet necem: Deus à nobis stat, Angeli nobiscum pugnant, & spondent triumphum. Fortiores ergo sumus, & nostra est victoria, si uti volumus. ubi gemmas, monilia, & quæ in rebus habentur magna, miles peteret, cur timenda jactura. Cum vile sit damnum, ubi vitam & sanguinem sitit adversarius: Tunc forti manu cadere, gloriosum. Et illud feliciter amittere, quod brevi debeas reddere, prudentibus est in lucro. Sed adeste animis sodales, hic ego majores insidias formido, non est vile quod barbarus à nobis petet: fides, pudicitia, constantia, tentabuntur, sunt hæc virginum ornamenta, bonis,

bonis, corpore, vita etiam cariora: Nolite, amabo vos sociæ, nolite inquam cedere: nolite infami scelere maculare sexum; quem nunc immortali facinore potestis commendare. Difficile prælium est fateor; sed certa, si lubet, victoria. Nemo in hac pugnâ nisi volens vincitur. Eia igitur mentem è terra in cælum tollamus, vilescat mundus, & quicquid hic lenocinari potest. Erit hic dies, si vincimus nomini nostro æternum decus, honor terrarum Orbi, laudisque sexus nostri perenne argumentum. Primæ namque sumus, quæ navali prælio, & numerosâ manu, pro castissimâ causâ pugnamus. Habebunt ergo viri quod invideant fœminis; habebit ætas sequens, quod in nobis miretur: habebit denique mater Ecclesia fortitudinis & pudicitiæ exemplum singulare: sed hæc non moror, vos sponsum quæritis, & ecce adest: quid moramini? fidem date; sed sanguine contestatam. Vos militem vultis, & sese vobis offert Imperator. homini desponsæ sumus, nunc Christo Deoque conjungi possumus. Pergite porrò mutatam in melius fortunam agnoscere; & æternum vobis triumphum, sola sponsi recordatione consecrastis.

XXIX. Virginum responsio.

Vix perorarat Ursula, & adeo singularum mentes accensæ sunt, ut tardus ad feriendum miles virginibus videretur. Igitur ut generosas decebat mentes, hunc matri, ac duci Ursulæ brevem responsum referunt. Se gratias agere ob refricatam ingentis beneficii memoriam: ad cætera, sanguine non voce responsuras. Erant mirandum in modum omnes ad virginitatis custodiam conjuratæ, & animos magis obstinarat Ursula. Cæterùm Deus in unaquaque virgine pugnare singulariter videbatur. Mira vis, in fœminino genere, nemo prorsus, nemo inquam ex tanto numero, è tam tenero sexu, tam infirmâ ætate, ferocientis militis imperio cessit: nemo potuit violari, & nunquam fortiùs in eo sexu pugnaverat Deus: qui mirabilis quidem est in Sanctis suis: sed nescio quid mirabilior in virgine: quàm ut servet illibatam, nullum servare solet naturæ ordinem. Agnetes testes, Cæcilias, Lucias, appello, & reliqua prodigia castitatis; quæ pro pudore, pro fide, pro Christo, decertarunt miraculo. Quod si quid uspiam in hoc genere cogitari potest varium, multiplex, eximium, & singulare; Ursula & sociæ fuere compendium: adeo barbaris omnibus majores evaserunt. Cum igitur verborum lenociniis minæ succederent, & virgines Deo plenæ, tot machinis nollent cedere; arma miles expedivit, ut fidem Christumque extorqueret illis, quas vidit in castitatis consilio constantissimas. Sed illæ non damnum reputantes mori, sed lucrum potiùs, quo optimo sponso fruerentur, collum pectusque lubentiùs exponunt, quàm voluisset barbarus ferire. Ingens tunc humani generis carnificina fuit: his guttur transfigitur; istis perfoditur pectus, aliæ in capite feriuntur; plurimæ compendio in Rhenum dejectæ: omnes in fide & castitate, ad mortem usque integerrimè steterunt. Nec ullam, quod de inmani, & lasciva gente, vix sine miraculo credi potest, hostis violavit: adeo Deo curæ sunt castæ mentes.

Tentatur earum pudor.

Occiduntur.

XXX. Cordulæ martyrium.

Una quæ cæteris formidolosior mortem horruerat, restabat Cordula. Hæc latebris constantiam texerat, & una nocte fidem, vitam, castitatem: sed mane, facta fortior, credulitatem quam in socias exerceri viderat, & expaverat; ipsa tandem voluit experiri, & castigans tarditatem suam, ultro se tortoribus prodidit, ac audaci facinore fidem professa, pudoremque, sera quidem ad coronam, sed singularis venit: eoque magis in torpore sustinuit, quò plures erant ad feriendum, & ferociores animi. Incidit Ursulæ sociarumque martyrium, in vigesimum primum Octobris, quo die ita canitur in Ro. Martyrologio. *Apud Coloniam Agrippinam, natalis sanctarum Ursulæ & sociarum ejus, quæ pro Christianæ religionis & virginitatis constantiâ, ab Hunnis interfectæ martyrio vitam consummarunt, & plurima earum corpora Coloniæ condita fuerunt.* Facit & Roma ad sequentem diem insignem Cordulæ mentionem; dum ita quotannis recitat. *Apud Coloniam sancta Cordula; quæ una ex sodalibus S. Ursulæ, cum aliarum supplicia & cæde perterrita se occultasset; ejus rei pœnitens, se ultrò patefecit, & novissima omnium martyrii coronam accepit.* Nunquam fuit sponsa Christi ornatior, nunquam virginum corona pulchrior, nunquam stipata illustriùs, quàm ubi Ursula processit, comitatu magna, castitate major, prærogativa martyrii maxima. Ita filiam Regis in fimbriis aureis circumamictam varietatibus ornavit hoc anno Britannia, fœcunda virtutum parens, & in fœminis illustrissima. Helena fidem docuit, docuit Ursula castitatem; Helenam secuti sunt Constantinus filius, & quotquot post eum in imperio sederunt, Christiani principes: Ursulam secutæ sunt virginum examina: quæ Christum professa, & illi per votum despoola, amores alios noluerunt: Immo obliterare potiùs pulchritudinem suam, quàm vel leve pudoris damnum pati maluerunt. Testis Ebba, & cum illa plurimæ, de quibus suo loco: Hic tamen in Ursulæ laudibus merentur locum. Ut enim ab Hunnis illæ, ita à Danis illæ, tentatæ probatæque sunt virgines, constantiæ haud minoris.

Rom. Mart. 21. Octob.

V. an. 869. 4.

XXXI. Ursula et sociæ coluntur.

Vix cœperat vulgari crudele facinus, quo Ursula, & tot innocentum millia trucidata sunt; cum orbis illa veneratur, structis templis, datis prædiis, postulatis reliquiis. Etenim post annos aliquot à morte virginum, nimirum salutis nostræ anno 463. *Aut circiter* (inquit Hermannus Heien) *Solinus, Archiepiscopus Coloniensis, quem alias Aquilinum vocatum legimus, ut sacris his locis, (in quibus, nimirum passæ virgines) munitionem aliquam faceret, sanctisq; virginibus reverentia major esset (sicuti in Archivis hujus urbis reperimus notatum) vetustis istis tunc mœnibus nova quædam adjiciens, ea loca ubi nunc Beata Ursula extat Basilica, sive Ursulanis agri regionem muro circumcinxit, & intra urbem contraxit, eamque tanto ampliorem reddidit: necnon ossa Sanctorum, quoad potuit, e terra eruens, locellis lapideis iterum recondit Mausoleis.* Pergit Author narrare, quid factum sequentibus sæculis, ubi crevit virginum cultus, quæ ego properans non possum adnotare. Solum dico jam orbem omnem plenum esse cultu harum virginum. Quarum reliquiæ non modò per Germanias, Gallias, Hispanias, & Italiam, sed extra quoque in Africam, Indiam, Asiamque deportatæ confirmant Ursulæ canticum quo patriæ valedicens, teste Gilda, cantabat: *Dedisti nos tanquam oves escarum, & in gentibus dispersisti nos.*

Herman. in vita Ursula.

Gildas in excid.

XXXII. Britannia Ursulam colit.

Nec tarda fuit ad Ursulæ cultum, mater Britannia: nam è Coloniensi agro, cum orbe reliquo, civium suarum corpora reddi sibi postulavit, & verò impetravit aliqua. Testis urbs nostra in Atrebatis, quæ à virginis capite nomen

habens,

habens, vulgò dicitur Maidenhead. Ibi coli solitam unam è virginum harum numero, sectarii nostri, qui antiqua eruderant, inviti licet, fatentur; quorum unus accuratus quidem Author, in eruendis lapidibus, nominibusque antiquis; sed in majorum fide cæcutiens, ita nuper scripsit: *Thamisis se reducit ad oppidulum, superiori sæculo Southelington dictum, hodie Maidenhead à superstitioso cultu capitis, nescio cujus virginis Britannicæ, ex undecim illis millibus; quæ dum Ursula duce in patriam Roma redirent; juxta Coloniam Germaniæ ab Attila illo Dei flagello, martyrio affectæ fuerunt.* ita Camdenus, accusans majores suos quod Ursulam & socias coluerint. Sed ego suprà ostendi, hoc omni opere ubique Christianos Imperatores, Cæsares, Reges, Principes, Ecclesiæ Doctores, & omnem ordinem in Sanctorum cultu ac veneratione assiduos fuisse. Nec moror hic unum modernum hominem. Quid porrò mirum Britannas virgines, à Britannis coli, cum si lustres terrarum Orbem, ubique illas coli, atque honorari videbis. Quod quia contemplari jucundum est, circumi mecum, Lector, saltem Europæ partem; & reliqua tuo sensu metire.

Camd. in Atreba.

XXXIII. Odilæ virginis translatio.

Mart. Angl. 18. Iulii. Mart. Gallica. Vide Herman. Fle. in Loppeloo.

Sanctæ Odiliæ corpus (suprà diximus eam è societate Ursulæ fuisse mille virginibus præfectam) à Suffrido Coloniensi Archiepiscopo elevatum, Huium transfertur, anno Domini 1286. ut Martyrologium nostrum, Joannes Molanus, Aubertus Miræus, & Hermannus Fleien referunt. Sed & Gallicanum Martyrologium, ad 18. Julii ita legit. *Eodem die apud oppidum Huiense, ad Mosam, translatio corporis S. virginis & martyris Odiliæ, quæ illic colitur in primario Crucigerorum Monasterio.* Addit Hermannus: *In ipsa autem translatione, & in loco suæ translationis, crebris miraculis Odilia coruscavit.* Ante dictum annum translationis, obierat Albertus Magnus Ratisponensis Episcopus, & ille pari honore, S. Cordulæ reliquias. in Coloniensem urbem intulerat; ut Baronius in notis, Martyrologium nostrum, & alii docent, qui ejusdem Alberti vitam conscripserunt. *Ejus caput pretiosum*, inquit Gallicanum Martyrologium, *Lutetiam Parisiorum delatum, in Ecclesia parœciali SS. Lupi & Ægidii, in ferculo argenteo, auro illito, atque ad virginis coronata, quæ ad pectus usque extenditur, piam effigiem efformato, multa cum veneratione observatur. Quæ in Ecclesia colitur ipsa virgo, festo solemni quotannis Dominica proximè sequenti S. Ursulæ & ejus sociarum natalem.* Quod attinet ad corpus S. Cordulæ; translatum videtur ad Marcianense Cœnobium in Belgio: ut affirmat Arnoldus de Raisse in auctario ad natales Belgii. Germani etiam superiores Constantiam colunt, unam è virginum cohorte: cujus nomen in Petri Canisii Martyrologio legitur ad 19. Novembris. colunt etiam S. Gregoriam: ut ait Martyrologium nostrum ad 24. Septembris.

Miraculis coruscat.

Cordulæ translatio.

Gall. Mart. 22. Octob.

Colitur.

XXXIV. Ursulæ corpus Coloniæ, reliquiæ alibi colunt. *Mart. Gall. 22. Octob.*

Caput Parisiis.

Ursulæ corpus, Ducis ac Reginæ omnium, urbs Coloniensis jure vindicat; ejus tamen sacra lipsana, plures provincias beaverunt. Caput Parisios translatum videtur, ex eo quod Andreas du Saussay in suo Martyrologio scripsit ad 22. Octobris in hunc modum: *Beatæ Ursulæ sacratissimus vertex, Parisiis in summo templo Deiparæ, dudum religiosè collocatus, magna ibi religione asservatur.* Habent & Tornacenses in Nerviis, ejusdem Ursulæ reliquias, de quibus infrà. nam Galliæ jam Ecclesias percurro, in odorem Britannicarum virginum: plures enim ibi Ecclesiæ, ædesque sacræ, hoc thesauro gloriantur: & quarundam etiam nomina Gallicani fasti prodiderunt. Ita ibi legitur ad 22. Octobris. *Panefreda, Secunda, & Sembaria, ex eadem cohorte athletarum veneranda cadavera, in sacrario augustissimi Cœnobii S. Dionysii in Franciâ, jampridem, cum decenti cultu condita, requiescunt. Quin & Ludovicus octogesimus Episcopus Lingonensis, Roberti Barri Dynastæ filius, consanguineus autem Caroli VI. Francorum Regis; inter sacra munera, quibus Ecclesiam suam decoravit: reliquias sanctarum Florinæ & Valeriæ, de collegio earundem undecim mille virginum dedit, multo auro argentoq; ornatas. Quarum ideo annuam ibi commemorationem instituit.* Denique capita trium virginum & martyrum, apud Parisios asservari, in appendice dicti Martyrologii affirmatur. ubi hæc habentur. *Margarita virgo & martyr. Cujus, & duarum sodalium, ex S. Ursulæ agmine triumphali, capita, Lutetiæ Parisiorum asservantur, religioso cultu, in virginum de Ave Maria, ordinis S. Claræ, seu S. Francisci Monasterio.*

Marty. sup.

Virgines Ursulanæ, quæ in Galliis coluntur.

Fo. 1227.

XXXV. Virginum cultus in Belgio.

Arnoldus de Raisse in auctario 22. Octo.

Nec minor inferioris Germaniæ pietas. nam præter Cordulæ corpus, quod Marcianense Cœnobium possidere suprà dixi; Arnoldus alia loca recensuit, in auctario; ubi dictarum virginum corpora coluntur: quæ nolo præterire ob illarum nominum reverentiam. Præmonstratenses ibi, in Monasterio Bonæ spei, habent corpora SS. Terentiæ, Margaritæ, Baldinæ, Sambariæ, & Margariæ, quæ Reinaldo Archiepiscopo sedente, eò translata fuit. Cœnobium S. Martini Tornacensis habet Honoratam & Florinam, & reliquias è corpore S. Ursulæ. Monasterium S. Amandi Elvonensis in Pabula legit in Martyrologio ad XVI. Calendas Junii. *Elvone. illatio trium virginum Coloniensium.* Walciodorenses Monachi ad Mosam, tria etiam corpora se habere prædicant. Andanenses in Arduenna, Gratæ, Holtiæ, & Arcapilæ, corpora possident. Unum habent Dunenses in agro Furnensi, quod Impetratum est anno 1285. Cruciger Tornacenses habent S. Languidam. Præmonstratenses S. Foillani, S. Secundam, & alias duas, quarum nomina ignorantur. Nobilissimum Monasterium S. Bertini apud Audomarenses, quatuor SS. virginum & martyrum corpora possidet. Pavia, & Curadumea apud S. Salvii coluntur; Beatæ Sanctæ corpus Atrebati, in Cathedrali Ecclesia dicitur quiescere. Aquicinctenses Benedictini S. Sambariæ, Salsinienses Deo dicatæ virgines, ad Sabiin propè Namurcum corpus unum, & quatuordecim integra capita, dono Conradi Episcopi Coloniensis. Viconienses Norbertini habent corpora SS. Coronæ, Pharaninæ, Babcariæ, Margaritæ, alterius Margaritæ, Benedictæ, Cordulæ, Sambariæ, Deodatæ, Panphetæ & Christinæ. Tungrenses Canonici duarum capita venerantur, Pinosæ & Olivæ: quarum etiam meminit Aubertus Miræus in Fastis, eo capite, quod de reliquiis illustrioribus Ecclesiæ Tungrensis inscribitur. Inter quas, *Pars reliquiarum*, inquit, *S. Ursulæ, & capita S. Pinosæ & Olivæ, ejus sodalium.* Capita sanctarum Pauliæ & Florentinæ, & aliarum octo conservant Muisenses Moniales. Cæterùm Florentinæ nomen memoriamque recitat Gallicanum Martyrologium, in supplemento ad 6. Decem. ubi hæc habentur. *Coloniæ S. Florentina virginis & martyris; quæ pro pudicitia virginalis integritate, & fidei*

Pinosa et Oliva.

Mira. in fastis 11. Iulii.

Paulina et Florentina.

Marty. Gallic. 6. Decemb.

Christiana tutelâ, occisa, ad coronam evolavit. Ad eundem diem in nostro quoque Martyrologio, Florentina virgo & martyr nominatur. Ibidem ad vigesimum octavum Augusti, celebris memoria recitatur è tabulis Colonien. S. Agnetis virginis & martyris, dicitur ibi è sodalibus Ursulanis una. Hanc tamen Gallicanum Martyrologium in Britannia passam, nec unam fuisse ex illo sodalitio, affirmare videtur. nam ita ibi ad eundem diem legitur. *Colonia natalis S. Agnetis virginis & martyris: cujus in Angliâ pro Christo trucidata pretiosa exuviæ, ad hanc advecta urbem, reverenter ibidem conservantur.* De sancta Antonina legitur in supplemento ejusdem Martyrologii ad 19. Januarii, ad hunc modum. *Colonia Agrippina, natalis S. Antonina virginis & martyris, ex sodalitio S. Vrsula: qua cum etiamsi extremo agone decertans triumphaverit; peculiarem tamen recordationis cultum, ex suscepti ad ejus invocationem beneficiis, sortita est.* Hæc eadem sancta, in Petri Canisii, & nostro Martyrologio, legitur ad 15. Januarii. Aurelia etiam, in hoc virginum collegio, locum habet in Petri Canisii fastis, ad 15. Octobris. Quo etiam die, in Martyrologio nostro nominatur. His adde Cuneram virginem & martyrem, de qua Gallicanum Martyrologium ad 12. Junii. *Eodem die, in oppido Rhenensi, Diœcesis Vltrajectina celebratur festivitas S. Cunera virginis & martyris, ex S. Vrsula agmine purpurato.* Idem ad eundem diem habet Miræus. Addit Martyrologium nostrum, è Molani additionibus, ad Usuardum, Britannam hanc virginem, barbarorum carnificinæ subductam latuisse aliquamdiu, & nobilis matronæ hospitio tectam; elisis in ea domo faucibus, distulisse potius, quàm fugisse martyrium. Ejus corpus post ducentos quinquaginta annos, transtulit S. Willibrordus Frisonum Apostolus, & Rhenensi Ecclesiæ consecravit: opinor quando cathedralem Ecclesiam apud Ultrajectinos erexit, sub annum sexcentesimum nonagesimum septimum, ut dicam ibi. Belianenses virgines colunt sanctam Honoriam, illuc à trecentis circiter annis translatam. Præterea alia loca, quæ in Belgio sunt, & virginum corpora habere dicuntur.

Martyr. Angl. 6 Decemb. — *Ibid. 28. Augusti.* — Agnes virgo. — *Gallic. Martyr. 28. Augusti.* — Antonina. — *Ibid. in Supple. 19. Janua.* — *Pet. Canisii & Mart. Ang. 15. Ian.* — Aurelia. — *Canisii Mart. 15. Octo.* — Cunera. — *Gallic. Marty. 12. Iunii.* — *Miræus 12. Iunii. & Mart. Ang. ibi.* — *V. Vrsulam vindicatam. fo. 484. & fo. 992. &c.* — *V. an. 697. n. 5* — Honoria.

XXXVI. Sequenti tempore, cum frequentes sacrarum harum reliquiarum translationes fierent: *Senatus Coloniensis, ne locus totus exinaniretur*, inquit Hermannus Fleien, *singulari indulto & privilegio, à sede Apostolica impetrato inhibuit ante complures annos: ne imposterum quisquam eas facere præsumeret.* Nec ita tamen fidelium pietas cohiberi potuit. nam ex divite illo Coloniensi Penuario, plurimæ urbes; quà Germanorum humanitate, quà Ro. Sedis indulgentiâ, quà Principum virorum æquissimis postulationibus; sacras virginum exuvias impetrarunt. Unde Catholicorum pietas & devotio in cœtum illum Britannicarum virginum mirabiliter propagata est. De Lusitaniâ suâ Franciscus Mendoza Societatis JESU in Præfatione ad libros Regum hæc habet. *Dium sanctissima virginis ac martyris Vrsula undecimq; sociarum millibus sacrum, Societas nostra in totâ Lusitaniâ, præcipuo quodam ritu ac religione colit, ac veneratur; quippe qua illarum sanctissimis exuviis ac reliquiis, in singulis hujus provinciæ domiciliis prædives fit.* Nimirum sex sacrarum virginum crania, Petrus Faber, genuinus Ignatii & primogenitus filius, è Coloniensi urbe in Lusitaniam transtulit anno 1544. & ex eis duo, sequenti anno Lusitanorum Regi, Reginæque dono dedit, donum reverà Regium. Unde cum honore cultuque excepta, in Regio sacello collocata sunt, ut refert historia Societatis JESU. Perrexit porrò Lusitanorum pietas, & Ursulanas virgines, ex Europâ in extremas Indias, ad cultum detulerunt. Enimvero Antonius Gomius è Societate JESU Sacerdos, profecturus in Indiam, anno Domini 1548. sacrum caput è numero virginum, eodem detulit. Et Deus viri pietatem, & virginis merita, miraculo probavit; quod refert Orlandinus in hunc modum. *Deferebat secum* (loquitur de navi quæ Gomium vehebat) *unius virginis caput, ex S. Vrsula comitatu: cujus præsentissimam vectores opem, in suo perspicuè periculo sunt experti. Cum enim ventorum impulsu, in arenam, & Syrtes propè Mozambicum invecta navis esset: excussoq; gubernaculo, omnem spem salutis abjicerent: eâ quam dixi virgine perpetuis gemitibus imploratâ, incolumes ex illis Syrtibus emerserunt. Verum cum in reponendo clavo, qui revulsus erat, diu multumq; nautæ desudassent: & ad extremum, unà cum perficiendi spe, conandi quoque animum abjecissent: cunctis illo mærore prostratis; sacrum caput proferens Gomius: Tentate, ad ipsum denuò, in hujus sanctæ virginis & martyris nomine: & pro comperto habete, eam vobis alterum è duobus impetraturam: ut vel suo loco gubernaculum collocetur: vel sine clavo provehamur in portum. Mira res! nautæ cum paruissent; statim suo loco gubernaculum collocarunt. Id postea cranium à Prætore, & Episcopo (Goano) cæteraq; nobilitate, ingenti pompâ religionis exceptum, ad Societatis nostræ templum, ipso sanctarum virginum natali die, delatum est. Ex eoque tempore, cæpit undecim millium virginum nomen tota Goa celeberrimum esse: & dies earum natalis apparatu magnificentissimo & gratulatione maxima coli.* Hæc omnia Orlandinus.

Mendoza to. 1. in lib. Reg. — *Histo. Societ. l. 5. n. 48.* — *Historia sup. l. 8. n. 119.*

Nec segnior Hispania, aut minor in Ursulam & socias reverentia. nam Columbinæ virginis corpus, ab Hispanis expetitum, eoque translatum habet Gallicanum Martyrologium in supplemento ad 21. Octobris, ubi ita legitur: *Hoc ipso die S. Columbina virginis & martyris, ex sodalitio S. Vrsula. Hujus corpus in Hispaniam è Coloniâ translatum Poblets in Catalaniâ, dignâ honorificentiâ tenetur.* Alibi etiam in Hispania sanctæ Candidæ virginis & martyris reliquiæ coluntur. nam in eodem Supplemento ita legitur ad 22. Octobris: *Dertosa, in Hispania Tarraconensi, veneratio reliquiarum S. Candida virginis & martyris, Colonia in solo Gallico cum S. Vrsula laureata. Hujus beata Cælitis reliquiarum pars altera Friburgi in Helvetia (ubi Basileensis Episcopi & Capituli jam haret, profligatâ à Basiliensibus civibus Catholicâ religione, sedes) omni honore conservatur, cum sancta Flora ejusdem Candida sodalis venerandis lypsanis.* Hinc vides, Lector, non solùm Insulam nostram, sed Europam omnem, Asiam & remotissima quæque in Ursulæ & sociarum cultu religiosam fuisse. Quod multo potiori jure, à nobis faciendum esset, si reliqua esset antiquæ fidei ac pietatis scintilla aliqua. *Fuit enim Vrsula, natione Britanna, patriâ Cornubiensis, ad oppidum maritimum Tamervvortum in lucem edita*, inquit Pitsius: cui Camdenus astipulatur, locum illum recensens, ubi scribit. *De Vrsulâ magna sanctitatis virgine, hinc oriundâ dicant historici.* Denique placet quod Pitsius addit: *Vrsula martyrio coronata dicitur (& verè dicitur) circa annum Christi quadragentesimum*

Columbina. — *Martyr. Gallica. 21. Octo.* — Candida. — *Idem 22. Octob.* — Flora. — *Pitsi. in Vrsula.* — *Camd. in Damno.*

gentesimum

gentesimum quinquagesimum tertium, regnante apud Britones Vortigerno. Sub quo nimirum Britannorum regnum planè concidit: & cujus scelera, sacrilegas nuptias & adulteria castior sexus ferre non poterat. Unde fugæ præsidio sibi consuluit.

XXXVII. Non omittam hoc loco, quod Thomas Bozius de signis Ecclesiæ scribit l. 22. cap. 3. num. 17. ubi cum Ursulæ, & sociarum virginum, martyrium recensuisset: *Quantum*, inquit, *virtutis insitum fuerit pectoribus fœminarum septentrionis, ex quo Eleutherius in Britanniam misit Fugatium & Damianum Romanos; ex hoc uno exemplo facilè perspici potest. Neque enim poteris è totâ antiquitate, è toto orbe, simile fortitudinis exemplum proferre.* Post aliqua refert, quid Jo. Fanc. Bordinus Congregationis Oratorii Sacerdos, de Ursula scripserit: quod Coronidis loco hic appono; & Ursulanæ historiæ compendium esto.

XXXVIII.
Dum mare, dum terras summo despectat Olympo
Omnipotens rerum genitor, Crispantia vasti
Oceani, cernit sulcantes dorsa carinas,
Candida virginei portantes pondera cœtus
Littus ad Armoricum. Classis dux Ursula tantæ:
Cornubia prisco prognata è sanguine Regum.
Quam sequitur jungenda procis formosa juventus
Condictas meditans tædas, pactosq; hymenæos
Ut vidit; præda confestim victus amore;
Sic fatur: Num pulchra viris mortalibus ista
Lilia conveniunt? Cur non cœlestibus hortis
Inserimus? Cur non nato dignanda superbo
Connubio? Tales roseo sibi namque cruore
Delegit sponsas natus: postquam æthere ab alto,
Virginis in gremio, mortales induit artus,
Pascitur ille rosas inter, candiq; ligustris
Oblectat visum; & florentia lilia sertis
Intexit, violisq; comas flaventibus ornat.
Sidereas igitur sedes, lucemq; perennem
Accipiat dilecta cohors, atque ima relinquens
Æterna mecum regnans in pace quiescat.

XXXIX.
Vix ea fatus erat, celeri cum flamine venti,
Inceptum avertunt cursum, parvosq; Britannos,
Pergere quò remis tentant, & pectore toto:
Frustratosq; viros post terga relinquere longè
Compellunt, coguntq; alias appellere ripas.
Hic ubi Germanas oras, humilemq; Thiellam
Perluit Oceanus, Rhenusq; ad saxa bicornis
Vertitur, atque Ubios anfractibus intercclusos,
Implet Agrippina Romana Colonia campos.
Huc tandem fessam post multa pericula classem.
Subducunt nautæ: ac placida dare membra quieti,
Dum cupiunt, vacuoq; parant succurrere ventri:
Impetit en subitò fessas cum milite naves,
Pictorum Dux Melga ferox, Gaunusq; superbis
Imperitans Hunnis, qui fortè hæc litora circum
Ambibant, res exosi, nomenq; Britannum.
Hic ubi virginibus naves conspexit onustas
Ac variis gemmis, argenti ponduis & auri
Permixtum videt; atque hostes inimicaq; signa
Agnoscit, prædam sævus meditatur, & ultrò
Diripiunt alii gazas; aliiq; pudori
Virgineo insidias tendunt: heu dira cupido,
Quò ruis in præceps? heu dura, heu barbara corda;
Quo vos tartareus furor incitat? haccine vestra
Gloria militiæ, muliebrem perdere sexum?
Et porrò maculare fidem, maculare pudorem,
Tentatis? nec vos superum pia numina terrent?

XL.
Interea ingenti tactæ formidine nautæ,
Et socii, quibus tota gregis concredita cura est,
Palantes fugêre omnes, petiere latebras.
Illa hostis rabiem jam jam se evadere posse
Desperant, letumq; sibi, vel damna pudoris
Cari, instare vident: nec jam spes ulla salutis
Continuò teneras tendunt ad sidera palmas
Et castis superos votis precibusq; fatigant,
Suffusæq; genas lacrymis, oculosq; tenentes
Prosternunt sese, & latè loca questibus implent.
At Regina gravi mentem perfusa dolore,
Spem simulat, socias hortatur, fidere Christo
Imperat, & mortem suadet præponere culpæ.
Non locus hic lacrymis, inquit, sed fortia poscit:
Eia agite: & cives quæ sit nunc cura pudoris
Sponte feris monstrate viris: sint pervia ferro
Pectora, sint ullo nunquam temeranda furore.
Inde ad crudeles vultum conversa piratas,
Intrepida hæc loquitur. Vestram ne credite prædam
O miseri: nam sacra Deo est hæc victima magno,
Integer hic cœtus: desit non una coronis
Sed cingant omnes rutilantia tempora gemmis:
Sitq; illis thalamus cœlum, sit sponsus IESVS;
Virgineosq; choros ducens sit pronuba mater.

At tu summe pater, qui terras, æthera, pontum, XLI.
Perpetuo regis imperio, quem tartara, quem mors,
Cocytusq;, Erebusq; tremunt, vinctusq; catenis
Æternis Favet ipse nigri Rex ferreus Orci;
Ultorem is sceleris te assertoremq; pudoris
Sentiat, & nostro victus certamine cedat.
Has tibi nos palmas, atque hæc, Rex magne, trophæa
Erigimus læta, sit tanto hæc ripa triumpho
Nobilis, ac testes spatiosa hæc littora Rheni:
Nostraq; perpetuum venerentur busta nepotes.
Dixit & amplexa charas dignata sorores
Prima suo gaudens sacravit membra Tonanti
Excipiens jugulo gladium. Quam deinde sequuntur
Mox aliæ, pulchramq; hilares occumbere mortem,
Certatim properant, tepidi fluit unda cruoris
Miscetur q; undis; penetrat pia victima cœlum;
Atque olim frontem, & palmâ redimita virens,
Æthereis comitata choris, optata revisit
Atria, fulgentemq; polum flammantiaq; astra.
Inde ad conspectum magni genitoris, & altum
Accedit solium, elataq; insignia palmæ
Illius ante pedes, pulchrâ sub nube, reponit:
Dulcia dehinc sponsi delibans oscula IESV,
Amplexus inter castos, mellitaq; verba;
Æternas recipit sedes, ævoq; beato
Perfruitur; tantoq; refert condigna labore
Præmia; quæ nulli sit fas æquare loquendo.

Nec minùs interea cineres ad littora Rheni XLII.
Collegere sacros, superum vi, & numine moti
Indigenæ; atque aras illis, templumq; superbum
Ædificant: dant thura focis, & serta sepulchro
Florida multa ferunt, & munera magna quotannis.
Insuper & votis damnant, & vota reportant.
Nunc tu igitur veneranda polo, venerandaq; terris,
Atque Deo conjuncta cohors, res aspice nostras,
Germanosq; tuere tuos, patriosq; Britannos.
Da priscam renovare fidem, atque extundere monstra
Et spurca odisse animis quæ Tartarus antrò
Immisit terris figmenta; atque unica Petri
Decreta amplecti, puro quæ gurgite Tibris
Transmittit, totumq; diu sunt sparsa per orbem.

XLIII. De Ursula Vindicata. Cum hæc omnia, ante plures annos, de Ursulâ collegissem; è Coloniensi urbe liber prodiit, *Ursula Vindicata*, nomen præferens: Ubi multa, si prius in manus advenisset, legissem; quæ dubiis rebus, lucem aliquam, quæ Britanniæ nostræ (si vera) ingentem laudem; mihi denique Annales scribenti adjumenta porrexissent. Qui enim, in Britannorum Rep. jam ab annis triginta

versatus.

versatus, conquisivi undique quæ ad provincialium Christianam Fidem, & Insulæ celebritatem facerent: ingentem ibi gloriæ cumulum, nullam Regum & Principum segetem, addo & Episcoporum infulas invenissem: quos si genuini fuissent, obviis etiam ulnis excepissem. Legeram ego quidem longè priùs in Capgravio gloriosam hanc epigraphen.
Capgra. in Vrsula.
De numero Regum, & Episcoporum, qui de Anglia cum sacris virginibus profecti sunt. & pariter cum eis fuerunt trucidati. & mox: *Regum & Episcoporum, qui cum iisdem Christi sacris virginibus, de Britanniâ sunt profecti, & illarum patria venerunt, breviter hic genealogia; & series tangitur,* &c. *Quinque siquidem Episcopi eas de Angliâ sunt sequuti. Sed plures illis postea sunt additi in diversis regnis & regionibus.* Sequuntur Episcoporum nomina, qui Britanni fuerunt, S. Wilhelmus, proprio nomine vocatus Michaël, S. Columbanus, Sanctus Iwanus, S. Eleutherius, S. Lotharius. Reges etiam Britanni nominantur; primus Holofernes, sive Ætherius, sive Conanus: ita Ursulæ sponsus trinominis fuit: iterum *Oliverius nobilissimus Regis Oliveris filius: qui per sponsam virgineus Olivam illustrissimam est conversus; quæ magni Regis Cleopatri fuit filia; qui patruus extitit Vrsulæ patris. Tertius fuit Cropherus, juvenis praclarissimus Rex, & Regis Pinnosi filius illustrissimi; qui cum uxore Cleopatrâ, virginum associatus est collegio.*

CUR A CAPGRAVII NARRATIONE ABSTINUI.

Fatigassem ego manum, & Lectorem sine dubio, si porro pergerem, aut perrexissem, enumerando ea, quæ Revelationes apud Capgravium exhibent. Abstinui igitur, ne constantem Britannorum Regiam Fidem, vel dubiis obscurarem, vel omninò vitiarem inconstantibus argumentis. Et quoniam Insulæ fidem, factaque Fidem prodentia, multò operosiùs, quàm alia gloriæ lenocinia venabar, in hâc scriptione: nolui incerta rerum narratione Lectorem detinere, à quo fidem meis dictis impetrare cupiebam. Et quidem licèt in Rep. nostra peregrinis imponere fortè potuissem, illisque magnis Regum nominibus adblandiri: oculati tamen in historiis, & Britanni inprimis, ad novam Regum creationem meritò stupuissent: quorum nec umbra in Annalibus præcessisset.

XLIV.
V. an. 237. 7.
E BRITANNIA URSULÆ ET SOCIARUM HISTORIA PETENDA.

Prudenter sanè, meâ quidem sententiâ, Philippus Bebius, Angliam priùs appellavit, anno 1636. quàm voluit Ursulam, suo commentario, vindicare: aut secùs, quàm oportuit, vindicatam in lucem protrudere. Videbat enim tot Principes in utraque Rep. viros; aut natos reverà in Britanniâ: quod Britannos fugere non poterat: aut si imaginatione tantùm natos; eadem facilitate denasci posse. Voluit ergo pedem in veritatis fundo priùs firmare; quàm Ursulam, malè emendicatis Regum & Episcoporum umbris, in orbis theatrum producere. Laudavit Anglia consilium ejus: adjumenta, ut postulaverat, porrexit: & Revelationum quæ ferebantur oracula: quantumvis pietatem nutrire viderentur; piæ fortè commentationi servire posse; sed veritati nihil omninò, constanter affirmavit. An ille responsum, ab amicâ manu porrectum, acceperit nescio: nam ad Ursulæ & Britannicarum virginum consortium, à Deo vocatus; vindicias quas meditatus erat, commendavit alteri. Et ille lineam, quam alter duxerat, viamque quam iniverat, religiosè, ut videtur, sequutus; noluit ab illâ declinare. Sed spartam nactus, magno labore, industriaque, nec minore volumine, illam ornavit. Esset sanè cur ingentes illi gratias Britanni agerent: quòd Cyriacum Papam, Jacobum Patriarcham Antiochenum, quòd Reges undecim, Episcopos quinque, è Britanniâ omnes oriundos, Ursulæ conjunxerit; Regiæ Britannorum Fidei eminentissimos testes; in tertii sæculi infelicitate (quò ille martyrium refert) Insulæ ornamentum, omnibus votis expetendum: & quis patriæ amans, non accederet? sed magis amica veritas: & illud Euripidis sæpè observatur animo σώφρονος ἀπιστίας οὐκ ἔστιν οὐδὲν χρησιμώτερον βροτοῖς, *nihil est utilius mortalibus, quàm prudens incredulitas.*

Euripides in Helena Act. 5.

Sed magis me movit sacer Siracides: *Qui credit citò, levis est corde, & minorabitur.*

Eccl. 19. 4.

NON OMNI SPIRITUI CREDENDUM.

Quid enim, debeóne, missa via Regia, per abrupta scandere: & Dædali alis, cum lapsus periculo, aërem findere: cum majorum semitis insistens, humiliùs quidem, sed modestiùs, tutiusque possim incedere? non opinor. scio quippe: *Non temerè credere, nervos artusque sapientia*, visum Epicharmo.

Cicero ad Atticum l. 1. ep. 18.

XLV.

Sed Ursula Vindicata hunc scrupulum tollit, aut minuit saltem; cum Coloniensium, ut vocat, Traditionem viginti fontibus illustrat: & inde, non è rivulis, historiæ veritatem hauriendam docet. Et quis non videt, illam è fundo, non è superficie petendam. Mihi non vacat, nec si vacaret, animus est, fontes excutere, unde tot prodigia probantur: quia mearum non est virium, cum portentis illis luctari: quæ licet è fontibus deduci non possint: fontes tamen ad eorundem assertionem aperti sunt. Et quasi omnis fons illimis esset, ad Ursulæ martyrium firmandum producuntur. Ego fontibus dicam non impingo: cur tamen illis, nec manum, nec aures, nec mentem accommodem, paucis aperiam.

CUR REVELATIONES NON SEQUENTIÆ.

Imprimis ipse Revelationum author, hanc mihi libertatem indulget, ut credam, si velim: secus, si nolim. nam ita ille: * *Quicumque Lectorum, his quæ diximus, credere voluerit, credat: neminem allicimus.*

**Vrsul. Vind. fo. 567.*

Deinde refert, se Dei gloriam, Deiparæ, & undecim millium, non aliud quærere. Ego piam authoris mentem veneror: & inde tanta mirabilia, in Ursulæ vitam profluxisse agnosco. Sed quia zelus, nisi scientiâ condiatur; ignis fatuus est, lucet in speciem: sed oculi plerumque vitium est, à genuinâ luce spuriam non distinguentis. Igitur alibi pedem fixi; lucem, quam Revelationes præseferunt, non sequutus. non à rerum gestarum serie, non ab historiarum nostrarum fide, nec à Revelationum authore allectus.

XLVI.
TEMPORA MIRACULIS INIMICA.

Gravius quoque momentum est, quod assensum cohibuit. Inter heterodoxos versor, quibus Romanam & orthodoxam fidem persuadere conor: non fallentibus privatorum hominum commentis; quæ qua facilitate objeceris, eadem repelluntur: sed constantiore telo: quod validiùs vibrari, certiùs ferire, difficiliùs vitari possit. Hinc vel narrandis miraculis ferè abstinui; vel ea narro quæ classicorum authorum suffragio muniuntur; ut Dei magnitudinem, ita virtutis præstantiam, morumque honestatem commendantia. Timui itaque, & adhuc timeo, illum miraculorum Oceanum, quem Revelata exhibent, ingredi: ubi demissa judicii, rectæque rationis bolide, nullum fundum invenio: sed passim brevia & syrtes; quas nec declinare, nec per omnia viginti fontium adminicula possum eluctari. Quomodo enim Lectori persuadebo (de metaphysicè speculantibus nullum mihi impræsentiarum negotium) Angelum, divinæ mentis

interpretem,

VIRGINITAS SERIO CONSERVANDA.

Idem fol. 535.

interpretem, undecim millibus Virginum; aut Romanam peregrinationem præscripsisse; aut triennalem lusum in Oceano, & spuma maris, *ad dedicandam aut conservandam virginitatem*: cùm illa, meliore, tutiore, sanctiore compendio, domi, & rebus seriis gerendis, non ludo, conservetur? Quis credet, in virginum exercitu fuisse, præter undecim millia, *lactentes infantulas ferè quingentas, quæ nullo prorsùs mamillarum nutrimento alebantur. Sed digitos in ora mittebant: & statim de ipsis digitis, rorem sibi cælitùs ministratum sugebant; cujus vigore sustentabantur. nunquam in eodem itinere, ut parvulorum mos est & natura, sordebant se madefacientes, sed nec plorantes vagiebant, aliis inferentes molestiam.* Ita quidem Revelata referunt, & recitat Ursula Vindicata, libro 7. c. 9. Hæc ego in Annalibus tacui: quia in illos passim pugno, qui constantiora miracula aversantes; ista, nutricum fabulas, & anilia reputassent: nec quò repugnarem, habebam. Usserius

HÆRETICI LUDUNT ET ELUDUNT MIRACULA.

qui Britannicæ Ecclesiæ primordia scripsit, in orthodoxorum opprobrium, hæc Ursulæ miranda recitat & cum aliis, Papistarum fidem & Ecclesiam miraculis stare & foveri causatur, quæ nemo prudens admiserit. In eo sine dubio fallus, quod tali fundamento Fidem stare putaverit. Cæterùm ignoscendum hominis censuræ, si Capgravii legendam intellexit; ubi miranda multa, nullo sale condiuntur. In quo genere, ut mihi quidem semper visum, nihil magis eminet, vitâ Ursulæ, ut ibi refertur. ad cujus integram lectionem, mihi hactenus patientia defuit. Vitavi ego hæc heterodoxorum scandala, & silentio potiùs tegenda, quàm revelanda censui. Cùm enim non malè dixerit Comicus: *Vix hodie fides fides sit, sine fidei dispendio*: cur supra humanum captum miranda protruderem, & tot millia τερατουργημάτων; quæ zelus in pietatis alimentum potiùs, quàm scientia creavit; sine necessitate, imò cum fidei (ut ego quidem opinabar) præjudicio, referrem? cùm Ursulæ & sociarum fides, pudor, constantia, sufficiens & eloquens divinæ potentiæ argumentum sit.

XLVII.

Ursula Vindic. l. 1. c. 20.

LECTIONES OLIM ROM. BREVIARII.

Si dixeris (ut objicit Ursula Vindicata) *In Breviario Romano, circa annum Domini millesimum quingentesimum quinquagesimum Romæ vulgato, prolixa novem lectiones recitantur; quibus Cunibertina historia non tantùm confirmatur, sed etiam augetur,* &c. *Decet autem hujus sanctissimæ matris filios, insistere, quoad licet, maternis vestigiis. cùm novimus, præ omnibus orbis Ecclesiis uni Spiritum Sanctum præcipuo quodam modo semper assistere.* Hic lubens volensque cum Authore sentio. Imo ad petram illam, in hac, & omni controversiâ, appellandum dico; super quam Britannorum Ecclesiam ædificatam, toties in superioribus affirmavi. Sisto igitur quæstionem hanc ad tribunal illud: ubi pro Romani Breviarii sanctitate disputans, sic causam aperio. Cùm non unius, sed pro Ecclesiarum diversitate, & piorum devotione, multiplex Breviarii usus, in usu esset: prodiit Romæ Breviarium, anno millesimo quingentesimo quinquagesimo; ubi Ursulæ, & aliorum etiam Sanctorum acta parum digesta legebantur; vidente quidem, sed nullam authoritatem accommodante Romano Pontifice. Interim Tridentini

PER TRIDENTINOS PATRES REFORMANTUR.

Patres, dum hæreses, errores, & prava, quæ in Ecclesiam irrepserant, persequuntur: in Ecclesiasticum quoque officium, & preces Deo, Ecclesiæ nomine, debitas, oculos animúmque religiosè advertunt. *Tunc Paulus Papa IV.* (iniit sedem anno millesimo quingentesimo quinquagesimo quinto) *hanc orandi varietatem gravissimè ferens, reformare constituerat. Itaque provisione adhibitâ*

BULLA PII V.

(loquitur Pius V. in Bullâ Breviario Romano præfixâ) *nè ulla imposterum novi Breviarii licentia permitteretur: totam rationem dicendi ac psallendi horas Canonicas, ad pristinum morem, & institutum redigendum suscepit. Sed eo postea, nondum iis, quæ egregiè inchoaverat, perfectis, de vitâ decedente: cùm à pia memoria Pio, Papa quarto, Tridentinum Concilium, ante variè intermissum, revocatum esset: Patres in illâ salutari reformatione, ab eodem Concilio constitutâ, Breviarium ex ipsius Pauli Papæ ratione restituere cogitarunt. Itaque quicquid ab eo, in sacro opere collectum, elaboratumque fuerat, Concilii Patribus Tridentum, à prædicto Pio Papa missum est. Ubi cum doctis quibusdam, & piis viris, à Concilio datum esset negotium; ut ad reliquam cogitationem Breviarii quoque curam adjungerent, Instante jam conclusione Concilii, tota res ad authoritatem judiciumque Rom. Pontificis, ex decreto ejusdem Concilii relata est. Qui illis ipsis Patribus, ad id munus delectis, Romam vocatis, nonnullisque in urbe idoneis viris ad eum numerum adjunctis, rem perficiendam curavit.*

XLVIII.

*Verùm eo etiam in viam universæ carnis ingresso: Nos, ita divinâ disponente clementiâ, licet immeritò ad Apostolatus apicem assumptis cùm sacrum opus, adhibitis etiam ad illud aliis peritis viris, maximè urgeremus; magna Dei in nos benignitate, Romanum Breviarium vidimus absolutum. Cujus ratione dispositionis, ab illis ipsis, qui negotio præpositi fuerant, non semel cognitâ; cùm intelligeremus eos, in rei confectione, ab antiquis Breviariis nobilium urbis Ecclesiarum, ac nostra Vaticana Bibliotheca, non discessisse: graves

AD ANTIQUIORA BREVIARIA.

que præterea aliquot in eo genere scriptores esse sequutos: ac denique remotis iis, quæ* ALIENA, ET INCERTA *essent, de propriâ summâ veteris divini officii nihil omisisse, opus probavimus, & Romæ imprimi, impressumque divulgari jussimus.* Hæc omnia Pius V. de remotis è Rom. Breviario, quæ

REMOTIS INCERTIS ET ALIENIS.

incerta & aliena censebantur: quæque, ut patet, nulla Rom. Pontificis authoritate, precibus irrepserant. Et sanè; licèt Pontifex aliquando sonuisset, & imprimi jussisset: Lex tamen posterior, priori semper derogat.

XLIX.

UNDE NÆVI IN BREVIARIA IRREPSERUNT: NIMIRUM EX HISTORIA, ET VITIS SANCTORUM. HISTORIAM BARONIUS, SANCTORUM VITAS RIBADENEIRA ILLUSTRAT.

Laboratum deinde à doctissimis piissimisque viris; ne hujusmodi *incerta, & aliena*, Romanum aut alia Breviaria rursùm inficerent. Et quoniam obvium erat ejusmodi nævos, vel ex historiarum fide, vel è Sanctorum vitæ scriptoribus nasci, & descendere, obturandi erant duo fontes illi: nè Ecclesia, quæ Spiritus Sancti influxu alitur, fæces hauriret. Elegit Deus ad illustrandam historiam nobile instrumentum, Cæsarem Cardinalem Baronium. Et ad Sanctorum vitas, piis mentibus suggerendas, Petrum Ribadeneiram. Uterque Tridentini Senatus & Romanorum Pontificum industriam, mentémque sequutus; quod in historiâ distortum & peccans: quod in Sanctorum vitis humile, impertinens, aut heterodoxorum sannis obnoxium, secrevit. Hi omnes; Tridentinos Patres loquor, & Romanos Pontifices; Baronium, & Ribadeneiram; cùm de Ursulæ martyrio quæstio esset: *incerta, & aliena* censuerunt, quæ magno conatu, nec minore volumine, & Revelationibus adstruuntur. Ego prædictorum virorum (& quot, & quales!)

reverentiâ ductus; timui (fateor) quæ illi *incerta*, & *aliena*, ſilentio damnaverunt; inter certa, & Annalibus propria, recenſere: & quia Romanum Breviarium, eâ qua dictum ſolertiâ reformatum eſt: nolui, ſed nec potui, aut cramben recoquere, aut recoctam apponere. Qua in re ſequutus, opinor, ſum conſilium, quod Urſula Vindicata ſuggeſſit. Salubre illud quidem & ubique ſervandum: *Decet ſanctiſſima matris Romana Eccleſia filios, inſiſtere, quoad licet, maternis veſtigiis: cui novimus præ omnibus orbis Eccleſiis uni Spiritum Sanctum, præcipuo quodam modo, ſemper aſſiſtere.* His ergo veſtigiis, quæ poſt Tridentinos Patres, & Romanos Pontifices, Baronius & Ribadeneira preſſerunt, inſiſteos; Urſulæ peregrinationem, ceu importunam Virginum naumachiam, luſúmque in Oceano triennalem, Comicum, quàm pium, magis: Cyriacum Papam, Jacobum Annocheoum Patriarcham, quantumvis Britanni affirmentur: quinque etiam Britanniæ Epiſcopos, & undecim Britanniæ Reges, undecim virginum millibus, in peregrinatione famulantes, inaudita Annalibus nomina, & eorundem genealogias, manu miſi: veritus, ne quod pro Regiâ Britannorum Fide, dexterâ manu, rectâque mente ſcripſeram; obliterarem alterâ.

Urſul. vindic. fol. 66.

L.

DE GILDÆ ET BEDÆ SILENTIO.

Duo ſunt in *Urſulâ Vindicatâ*, Annalium noſtrorum magis propria, quæ lubet, quia vario argumento probantur, excutere: licèt ſuperiùs à me non oſcitanter inſpecta: De Urſulæ patriâ; & anno martyrii ejus. Quæ priuſquam ingredior, examinabo paululùm epigraphen, quam Author, libro ſecundo, præfixit capiti vigeſimo primo: & eſt hujuſmodi. *Cur hiſtoria Urſulana non ſit petenda ex Britannicis Scriptoribus: & quare Gildas nunquam, Beda verò bis tantùm Sanctæ Urſulæ meminerit?* & mox: *Cauſa*, inquit, *erroris omnium recentiorum eſt: quod petendum inde putarint Urſulanum martyrium, unde ſumi nec potuit, nec verò etiam debuit:* nimirum è Britanniâ. Perculit me hæc ſententia: & niſi paulo ante majoribus haud paulò prodigiis admirationem quodammodo conſumpſiſſem, perculiſſet magis. Sed ab aſſuetis non fuit paſſio. Volo tamen hoc lemma inter mirabilia numerare. nec minùs mirabile eſt lemmatis firmamentum: *Nihil*, inquit, *in Gilda ſapiente, de Alexandri Severi tempore reperi; ſub cujus exitum vita, Sancta Urſula paſſa ſcribitur, nihil in Beda, qui uno fatentur ore geſta temporis illius, ob vaſtationes plurimas, & Diocletiani furorem in tenebris jacuiſſe.* & paulò inferiùs: *Quocirca non prudenter ſatis Hermannus Fleien, in libello ſuo, de Sanctâ Urſulâ, ponit hoc quaſi compertum, & exploratum: Hiſtoriam iſtam, quoniam de virginibus Britannicis eſt, à Scriptoribus Britannicis arceſſendam*, &c. Demus hic omnia, quæ Author poſtulat: nihil de Urſulâ à Britannicis Scriptoribus petendum: quia Gildas & Beda tacuerunt: ſed noo tacuerunt acta periiſſe Severi Imperatoris tempore. Demus etiam Hermannum Fleren imprudenter è Britanniæ Scriptoribus vitam Urſulæ texuiſſe. Unde ergo, quæſo Authorem, petenda eſt hiſtoria? è Germaniâ? nihil minùs. quia idem Author, non duobus, ſed tribus teſtibus Hiſpano, Belga, atque Germano, probat acta illius temporis, quo paſſa ſcribitur Urſula, periiſſe. quod doctè confirmat libro primo, capite ſecundo, ubi quærit:

Fol. 195.

Id. ibid.

Cur tam ſerò literis conſignata ſit (Urſulæ hiſtoria) & tam pauci Scriptores veteres ejus meminerunt? Reſpondet enim: *Verior, quàm communior ſententia eſt, Sanctam Urſulam cum ſodalibus circa annum ſalutis reparatæ ducenteſimum trigeſimum ſeptimum, martyrium pro Fide ſubiiſſe. Unde igitur tam altum apud ſanctos Patres talis parthenicæ ſodalitatis, & tantæ fortitudinis ſilentium? cur ſæculi illius Authores graviſſimi, Tertullianus, Origenes, Cyprianus, Methodius; cur his poſteriores Sanctus Ambroſius, & Hieronymus, ſancti virginitatis præcones, ejus nec meminerunt quidem?* Si Britanni Scriptores hîc loqui ſineremur; Authoris admirationem facilè diluerent: & meliore compendio ſilentii cauſam dicerent, Urſulam, nec Tertulliani, aut Origenis: nec Ambroſii, aut Hieronymi tempore natam, mori non potuiſſe. Sed audiantur Germani Scriptores, & edicant cauſam ſilentii. *Tres*, inquit Author, *hujus ſilentii cauſæ, eo ſæculo, totum orbem Chriſtianum attingunt: totidem Germaniam, & locum martyrii. Communes inter cauſas, primus defectus eſt Scriptorum, qui ejus temporis res geſtas exararunt. Vulgaris ea querela totius orbis eſt. Hiſpanum, Belgam, Germanum, tres teſtes ſufficiat audire.* Tum eùm Hiſpani, & Belgæ ſuffragium recitaſſet: *Eadem*, inquit, *querimonia frequens Chriſtophori Broweri in Trevirenſibus: cum priorum temporum res ſatis accuratè pertractaſſet: ubi ad vicinorum horum temporum martyria devolvitur: hoc effato ſæpiùs utitur. Sed horum omnium, & aliorum plurium acta perierunt. Communis iſta & vulgaris omnium Scriptorum de eo tempore querela*, &c. Altera ſilentii cauſa ex intervallo temporum ſumitur. Tertia Diocletiani in Chriſtianos furor, omnia Chriſtianorum monumenta exurentis.

USQUE SILENTIÙ EST, DE URSULA SI AD 3. SÆCULUM REFERTUR.

Urſula Vindic. l. 1. c. 2.

LI.

REVELLITUR ILLUD QUOD E BRITANNIA NON SIT PETENDUM DE URSULA.

Accipio hæc omnia: & tunc ſi conſequenter philoſophandum, Germanis æquè ac Britannis Scriptoribus, in Urſulanâ hiſtoriâ ſilentium imponitur: quia coævi tacuerunt, & rerum geſtarum monumenta, non duobus ſolùm, ſed tribus teſtibus perierunt. Et ille imprudentiæ arguendus, qui inde petendum Urſulanum martyrium putavit, unde nec peti potuit, nec verò debuit. Sed neque hoc dixerim. Immò quia communis eſt querela: nec Britanni, nec Germani, ſcribendi pro patriâ, jure privandi ſunt. Sed quid ſi Gildas ſapiens, Urſulani martyrii meminit: & ſatis clarè, pro more & ſtylo ſuo, illud expreſſit: nonne caput vigeſimum primum libri ſecundi in Urſulâ vindicatâ, ſpongiâ delendum? nec moror, quod Author in Gilda ſapiente nihil repererit, Alexandri Severi tempore: quia ſi eò martyrium retuliſſet, aut Romanam peregrinationem; è ſapientum numero illum eraſiſſem. Porro è Gildæ tunc ſilentio facilè deducitur, ad poſteriora referendum, quicquid de Urſulâ, & tot Chriſtianarum virginum emiſſione enuntiatur. Gildas hic naſcitur ſub finem ejus ſæculi, in quo paſſam Urſulam ſuprà oſtendi. Et Inſulæ calamitatem, ſuique temporis miſerias deplorans; ſingultibus veriùs, quàm verbis, & obſcuris rerum imaginibus, non plano, apertóque ſermone illas explicat. ea tamen in re præſenti cauſatur. Unde diligens rerum & temporum obſervator facilè colligat, magnum alterius ſexus numerum, Britanniæ ſtragem, navigio fugientem, patriam reliquiſſe, cùm ille ait: *Alii tranſmarinas*

GILDAS URSULÆ MEMINIT ET MARTYRII.

Gild. in Excid.

petebant regiones, cum ululatu magno ceu celeumate tuo sub velorum finibus cantantes. Dedisti nos Domine tanquam oves escarum, & in gentibus dispersisti nos. Quod prophetice ab Ursula, & sociabus dictum testatur Orbis terrarum. non anno ducentesimo trigesimo septimo: quando nulla fugiendi necessitas, nulla Romam peregrinandi possibilitas, nulla Romanum Pontificem è suâ sede trahendi probabilitas, ad fugam aut iter invitabat. Sed anno quadringentesimo quinquagesimo tertio; quando Hunni [illegible] Coloniam vastaverunt. quod *Antiquissima narr[illegible] martyrii juxta Coloniensium traditionem* [illegible] Vindicatam sic narrat [illegible] 1. c. 1 [illegible] *erat tunc ibi barbara Hunnorum gens, qu[illegible] omnium exgentibus, tam Galliarum [illegible] & Italiæ terras, caedibus [illegible], ita ut eversis urbibus Ecclesiis [illegible] vel [illegible] divin[illegible] aliqua remanerent r[illegible]. Eadem itaque barbaries cum [illegible] idem temp[illegible] feritate, etiam urbem [illegible], [illegible] vallaret, &c.* [illegible] tunc [illegible] Ursularum passionem lubens do. Cæterum Hu[illegible] [illegible]simo trigesimo septimo, [illegible] Gallias Germaniam, ut Italiam vastasse fo[illegible] recisime [illegible] Historiam p[illegible]. Gildas certè Attil[illegible] & Hunnorum facinora intellexit, Ursulæ quoque martyrium, & Coloniensis orbis vastitatem, cum stragem eo tempore in mari [illegible], ad præcedentium Britannorum scelera, & pœnam retulit illa sententia: *Confovebatur ultionis justa præcedentium scelerum causa, de mari, usque ad mare ignis Orientali sacrilegorum manu exaggeratus, finitimas quasq; civitates, agrosq; populans non quievit accensus, donec cunctam penè exureret Insulæ superficiem, rubrâ Occidentalem trucisq; Oceanum lingua [illegible].* Hæc ille [illegible] Saxonum prius adventum & [illegible] nimirum post annum quadringentesimum quinquagesimum p[illegible]um. Jam si Authoris de[illegible] ctum spe[illegible] potuit clariore periphrasi aut Hunnorum feritatem, aut fusum in Oceanô nostro multum sanguinis exprimere. Peto enim: Quis *ignis ille Orientali sacrilegorum manu exaggeratus*. Quæ *rubra lingua Oceanum nostrum delambens.* ubi finitimæ civitates, & agri populi[illegible] si Hunnos, & Hunnorum in mari carnific[illegible] tam non intellexit? Hunnos paulo ante, in [illegible] tem profectos, Romanorum ibi provinciae vexasse, testis est S. Hieronymus, ubi dicit: *Oriens tunc intremuit ab ultimâ Mæotide, inter glacialem Tanaim, & Massagetarum immanes populos, ubi Caucas, rupibus feras gentes Alexandri claustra cohibent erupisse Hunnorum examina, quæ pernicibus equis huc illucq; volitantia, cædis pariter & terroris cuncta complerent.* Hos etiam Hunnos Orientem devastantes intellexit Claudianus Poeta cum ait:

Alii per caspia claustra
Armeniasq; vires, inopino tramite ducti
Invadunt Orientis opes.

LII. Hic ignis est Orientali sacrilegorum manu exaggeratus, qui paulo posterius Italiam depasceret, anno quadringentesimo quadragesimo quarto, ut supputat Baronius, Gallias, Germaniasque, & demum Occidentis Oceanum, & finitimam Coloniensem urbem, rubrâ trucique linguâ delambens, Ursulam & Britannicas Virgines, anno quadringentesimo quinquagesimo tertio coronavit. non mirum est ta[illegible] Gildam hæc omnia ad Severi Alexandri tempora:

quia nec Ursula tunc nata, nec Hunni in Gallias descenderant. nec ulla tunc provincialibus causa migrandi. Quare qui aliò referunt Ursulæ passionem; quia trito communique itinere nequeunt incedere, ad miracula confugiunt. Quo revera non est opus, si è rectâ rerum, temporum, locorum notione omnia inctueris. Pone Britannos ad Ligerim sitos juxta illud:

Vicit Aremoricas animosa Britannia gentes.

Pone illos Gallis infensos, & ab omni cum illis commercio alienos, è vicino cognatoque litore procari sponsas; contemplare inde Britanniæ calamitatem, [illegible] Saxonum adventu, & in imbelli sexu [illegible] necessitatem. Et cur Dei majestatem [illegible] ad mirabilia patranda vexamus, aut Lectores fatigamus eorundem lectione? Via tritior via [illegible]. Des[illegible]ndat [illegible] c[illegible]lo, qui humana tr[illegible] [illegible] permittantur Britannicæ virgines, cum [illegible] urget causa transmarinas regiones [illegible] te[illegible]. Taceamus [illegible] in Oceano lus[illegible] [illegible] quod pr[illegible] [illegible] virginitatis custodia, sit [illegible] pu[illegible] [illegible] sub velorum sinibus qui[illegible] magno ululatu, merorem. exilium fugamque testentur. Et demum viso hoste, [illegible] voce cante[illegible] *Dedisti nos tanquam oves [illegible], & in gentibus dispersisti nos.* Sic humiliter incedentes in [illegible] non cogemus Deum ad stupenda [illegible], quæ raro solet simul ingenti [illegible] effuse prodigere.

AD DIVINA RECURRI TUI [illegible] MI[illegible] [illegible] CIUNT.

LIII. BEDA QUID DE S. URSULA? Ad Bedam quod attinet, cujus silentium in prodigiorum favorem prætenditur; nec ille Britannorum est, nec *Britannicam Historiam*, ut putat Ursula vindicata, sed *Anglorum suæ gentis*, scripsit, inscripsitque. Et ubi cur Ursulæ mentionem faceret? Cæterum in Martyrologio, ubi Britannorum & Anglorum memoria tacito Ursulæ [illegible] commemoratum [illegible] XII. Kal. Novembris. Concludo infirmis admodum argumentis asseri. Ursulanam historiam e Britannicis Scriptoribus non esse petendam: & malè arguitur Hermannus Flexen; quòd ex eo fonte admincula subsidiumque hauserit, & hauriendi dictaverit. nam idem postea, a Philippo Bebio (cui palmam in [illegible] opere præcipuam defert Author Ursulæ vindicatæ) tactum, testantur ejus literæ, quas supra recensui ad annum ducentesimum trigesimum septimum. Quibus literis, cum Anglia responsisset, responsumque jam Bebio mortuo, ad successorem fortè pervenisset ubi vidit miraculorum illam Babelem, simplici rerum narratione everti; Lectori suadere conatus est, *adjumenta e Britannicis Scriptoribus petenda non esse*: nesciens, vel dissimulans, Bebium illa inde petiisse & oblitus quæ prius dictaverat, sæculi tertii Patres omnes tacuisse & monumenta deperdita: quo silentii argumento, & monumentorum ruina, in Britannicos Scriptores pugnavit: sed eodem, Scriptoribus omnibus silentium imponitur. Non ergo mirum, Authorem in Ursulana historiâ peccare, qui inde doceri noluit, unde cum bona ejus venia, & potuit, & debuit. Sed mirum valdè, quod Britanniæ affingat Romanum Pontificem unum, Patriarcham Antiochenum, Episcopos plures, Reges multos, præter Britannicarum virginum millia: & interim Britanniæ Scriptores in re controversâ audiendos non esse pronuntiet. Ego contra, cum magnus fuerit virginum exercitus, quem in Britannia coactum, è Britanniâ solvisse, & ad V. an. 237.

Margin notes (left): Friſ. Vind fo. 11. — HUNNORUM INFESTATIO. — Gild. in Excid. — A GILDA DESCRIBITUR. — Hiero. Ep. 30.

Britannos fugisse, compertum est: Britannos censeo imprimis, & ante omnes interrogandos esse, & demum ab Hermanno Fleien & Philippo Bebio prudenter factum: cum è Britannia ad historiam pertexendam, adjumenta qu[illegible] siverunt. Si enim aliunde quæsiveris, peregrinum erit quicquid asseritur: & notum est peregrinum in aliena Rep. facilè impingere, præsertim si Britannorum gloriæ æmulis, ad vertendum controversiæ cardinem, exclusis Britannis, aures animumque porrexeris.

LIV. Ursulæ patria excutitur.

Ita factum ab Ursulâ Vindicatâ, in quæstione de Ursulæ patria: quam licet *Antiquissima narratio martyrii juxta Coloniensium traditionem*: quam *primigeniam, & genuinam* vocat: *nullam[illegible], accuratiorem, copiosiorem, & firmioribus nixam fundamentis illa ipsa* judicat. Licet Lectiones Breviarii Romani: Licet Revelationes S. El[illegible]sabethæ, & omnia Ursulanæ historiæ monumenta, Britanniam *patriam* nominent. Licet Ro. Pontifex Cyriacus, Jacobus Patriarcha, septem Episcopi, undecim Reges totidem virginum millia Britanni affirmentur. tamen vindiciarum Author, in quæstione de Ursulæ patriâ, primo scepticus, inde in Hiberniam pronior, denique Ursulam Hibernam esse probabilius opinatur. *Donec quis aliquid certius e Britannia vestigii vel monumenti eruerit*: ita ille. Qui tamen paulò ante è Britanniæ Scriptoribus nihil in Ursulæ historia petendum dixerat. Sed unde quæso dubium?

Ursul. Vind. fo. 234.

Britanniæ divisio excutitur.

Quia nimirum Britannia in tres partes dividitur, in Angliam, Scotiam, & Hiberniam. Ita Bebius in vita S. Ursulæ, quam Sanctorum floribus inseruit, loco ejus quam scripserat olim Petrus Ribadeneira. Quam divisionem sequitur Ursula vindicata. Si hæc Britanniæ divisio, aut æqua est, aut veri habet similitudinem aliquam, ego oppido oscitanter egi, qui toties in superioribus Britanniæ divisionem dedi, primo, altero, tertioque sæculo, quo Ursula nata dicitur; & nunquam Angliæ, Scotiæ, aut Hiberniæ mentionem indidi. Dico igitur divisionem hanc prius inauditam, inter alia pedamenta, ad Revelationes statuminandas, inventam esse. quia certo certius est, & in superioribus [illegible] satis probatum, nec Scotiam in Britanniâ nostrâ, hoc omni tempore, auditam: nec Britanniæ nomine, [illegible]berniam a Romanis Scriptoribus intell[illegible]am. De utraque breviter.

LV. Reiicitur.

Quotquot Romanorum acta in Britanniâ digesserunt; & digesserunt plurimi, latini, græci externi, domestici, coævi & supp[illegible]res; [illegible]berniam à Britannia toto cælo, solo, saloque d[illegible]xerunt, & distinctam omnino Insulam à Britanniæ partibus, imo extra omnes Britanniæ partes, dixerunt. Beda omnem Britanniam mensus quà longam, quà latam; sati[illegible] osten[illegible] co nom[illegible], Hiberniam non venire. *Britannia* inquit *per millia passuum octingenta in boream longa, latitudinis habet millia ducenta.* & [illegible] inferius. *A tergo, unde Oceano infinito patet, Or[illegible]das Insulas habet, sicut Galliam Belgicam à meridie.* Sicut ergo nemo hactenus Galliam Bel[illegible]icam Britanniæ partem dixit: ita nemo Orcades & multò minùs Hiberniam [illegible] cum Insulæ nostræ partibus compos[illegible]it. Iterum, Hiberniam [illegible] a omnes Britanniæ fines sitam, docet eo loc[illegible] P[illegible] ubi de Pictis, Scythia venientibus ita sc[illegible]ir. *Contigit gentem Pictorum de Scythiâ, long[illegible] navibus non multis, Oceanum ingressum, extra fines omnes Britanniæ, Hiberniam pervenisse.* Sed cur ad Bedæ tempora descendo; cum Ta[illegible]t[illegible], Dio, Herodianus, tertii sæculi Scriptores omnem Britanniæ angulum percurrentes, nec Hiberniam, nec Scotiam, inter Britanniæ partes invenerint. *Hibernia*, inquit Tacitus, *medio inter Britanniam, & Hispaniam sita, solum cælumque, & ingenia cultusque hominum haud multum a Britannia differunt.* & iterum, de Agricola [illegible]o[illegible]ro tuo: *Eam partem Britanniæ, quæ Hiberniam aspicit, copiis instruxit.* Impropriè hæc dicunt[illegible] si [illegible]berniam, Britanniæ partem dixeris. Dio Cassi[illegible]s, quem anno ducentesimo trigesimo pr[illegible]mo Consulem appellavi, Britanniam, Britannosque scite describit libro suæ historiæ 76. *Britannia patet in longitudinem millia passuum octingenta nonaginta & unum. in latitudinem, quâ parte est latissima, ducenta octingenta novem; quâ verò parte est angusti[illegible]ima, tr[illegible]nta septem.* Refert etiam eodem [illegible]bro, omnem Britanniæ populum & quibus demum [illegible]ominib[illegible] nominentur [illegible], in quo pugnatum à Romanis. *Britannorum*, inquit, *duo sunt præsertim genera: Caledonii, & Mæata. nam cæterorum nomina ad [illegible] fere re[illegible] ntur.* Ubi tunc Hiberni? ubi tunc Sc[illegible], in Britannia? Dixi suprà, nec dixisse me pænitet, inter Britannicas Insulas, Hiberniam poss[illegible] nu[illegible]n[illegible]ari; ut & plures in Oceano illo Insulas [illegible] hic ad Britanniam singulariter d[illegible]am[illegible] N[illegible] prorsus. Sed nec ad Britannias pluraliter nuncupatas postquam Romani plures ibi provincias [illegible] victoria, nominarunt n[illegible]uam inter [illegible] Hibernia intell[illegible]ta. Dix[illegible]t [illegible]go Dionysius:

Tacit. in Agric.

Dio l. [illegible]

Idem sup.

Διοσαὶ νῆσοι [illegible] Βρε[illegible] [illegible] Ρήν, &c.

Sunt enim in Oceano nostro Insulæ duæ [illegible] multo p[illegible], quas quia Britan[illegible] cum m[illegible] c[illegible]cumlambit, non male Britannicæ possunt app[illegible]lari. Imo quod duæ sint, non debent uno [illegible] mine censeri. Benè [illegible] distinxit Ptolomæ[illegible] [illegible] geographicæ, & l. 8. [illegible] 2. Et Marcianus Heracleota post eum, ita illas nominat: αἱ Βρεττανικαὶ νῆσοι δύο εἰσὶν. ἥτε καλουμένη Ἀλβίων, καὶ Ἰουερνία, *Britannicæ Insulæ duæ sunt, hæc vocata Albion, [illegible] Hiberna.* Albionem quis nescit Britanniam [illegible]sse cur ergo illam cum Hibernia confundimus nec mihi objiciat quis, [illegible] græcorum dialecto, Britanniam genu[illegible] esse ad in[illegible]riores species, & sub ea Albionem & Hiberniam contineri. quia non cum [illegible]ræcis [illegible] sed Latinis, & latinè disputamu[illegible] Nos non [illegible] græcas voces emendicamus n[illegible] in illis de nos[illegible]rarum provinciarum nomine [illegible]tendimus. In Occidente sumu[illegible], & Oc[illegible]identis sensum inquirimus, quod Britanniæ nomine [illegible]beat m[illegible] quod Romani Scriptores, & Occidentis [illegible]umni[illegible] [illegible]ulto do[illegible]us clariusque docebunt. Sanè qui Revelationes scripsit usitatis Occ[illegible]denti nominibus (ut statim exponetur [illegible]) è græcorum idiomate loquutus, defen[illegible]tu[illegible]. Cum itaque [illegible]atinorum nemo Britanni[illegible]n[illegible] [illegible]on fuderit, non prodest ad græcos, aut in Ori[illegible]ntem fuga.

Insulæ duæ in Britannia.

LVI. Incerta et aliena, incerti et alienis vo[illegible] [illegible]ibus de[illegible]fe[illegible]duntur.

Dolendum sane nova condi verborum vocabularia, cum veterum injuriâ, ad ea probanda & stabilienda, quæ Romani Pontifices Tridentini Patres, & d[illegible]ctissimus quisque, *Incerta & aliena* judicarunt. & ideo, opinor, judicarunt quia novarum vocum nomenclaturæ, novitatis suspicioni in[illegible]ra[illegible]t. Quis enim mihi persuaserit, in quæstione de Ursulæ patriâ, Spiritum sanctum rev[illegible]lasse: quod revelatum dicit Ursula Vindicata, ubi hæc habentur: *De diversis partibus etiam Anglorum,*

Ursul. Vind. fo. 316.

Bed. in hist. l. 1. c. 1.

Idem sup.

Anglorum, Wallionum, Britonum, Scotorum, atque ex aliis adhuc pluribus regnis, & regionibus fuerunt oriunda. Ubi, quicquid dè aliis regnis sit, Britanniæ solum populi exprimi videntur. Cum tamen satis suprà ostensum sit, anno ducentesimo trigesimo septimo; quo Ursulæ martyrium prætenditur; nec Angli, nec Walliones, nec Scoti, Britanniam insederant. Quis ergo veri amans, & vocum proprietatis, patienter ferret illustrissimam Ursulæ & Britannicarum virginum passionem, unaque certam & constantem Coloniensium in eas pietatem, *incerta* & *aliena* rerum narratione violari? Nec hic modetur Vindex incongruis vocibus: affirmans Anglos quidem, & Walliones, anno ducentesimo trigesimo septimo, in Britannia non fuisse: nec nisi ducentis post annis, cum Saxones ingressi sunt, Albionem Angliam appellatam: & Cambriam, in quam Britones concesserunt, Walliam.

Ursul. Vind. fo. 117.

Unde dico, inquit, *B. Hermannum usitatis suâ ætate nominibus usum esse: easq; designasse regiones: quæ tunc temporis Albion, Cambria, & Scotia, seu Hibernia, communi autem vocabulo dicebatur Britannia.*

LVII. Rejiciuntur supradicta.

Hic iterum aliena dicuntur; ut incerta, & aliena defendantur. A sæculo tertio, ad decimum tertium descenditur: Albion, à Britanniâ distrahitur, & non universam Insulam, sed partem tantummodo notat, idque B. Hermanni tempore. quo Walliones, *usitato nomine*, dicebantur qui Cambriam; & Scoti, qui Hiberniam, *communi vocabulo*, Britanniam habebant. & sequitur non solum è Ptolomæi, & græcorum dialecto; sed longè posteriùs, Britanniæ nomine Hiberniam comprehendi: Unde meritò quis inferre potest, hactenus Britanniam; nec ab antiquis Romanis, nec à recentioribus benè divisam, aut descriptam esse. Repetat quæso, Lector, quæ suprà sæpiùs de Romanorum ingressu, & progressu, ab austro ad ultimum Septentrionem dixi: ut amicos illi & socios; ut hostes & barbaros nominaverint: ut novas aliquando gentes & populos, in ultimum Insulæ recessum coëgerint: ubi populum omnem, amicum & inimicum, Caledonios etiam, & Mæatas, uno Britannorum nomine vocaverunt.

Hibernia, non est Britanniæ pars.

Adde Imperatorum cupiditatem ambitionemque ad devictarum gentium cognomina, quibus triumphi ornarentur consequendo: & sic infer; si Hibernus, aut Scotus, in Britannia fuisset, non uno Britannici nomine triumphassent. Quod si Scotos è Britannia, per quatuor prima sæcula, constanti Authorum voce excludimus; multò faciliùs remotam à nobis Insulam, à Britanniæ communione. Si enim Orcades Insulæ, extra omnem Britanniam censentur, quæ tamen Britannorum juris erant; multò id magis de Hibernia dicendum, quæ nunquam Britannis paruit. De Severo Imperatore ita Spartianus in Breviario: *Quasdam Insulas etiam ultra Britanniam, in Oceano positas, Imperio Romano addidit Severus.*

Spartia. in Brevi. l. 7.

Beda etiam disertè Hiberniam *extra omnes fines Britanniæ posuit*, ut suprà vos ad Bedam consequenter, & à fortiori, dicimus Hiberniam extra omnes partes Britanniæ, non è partibus ejus censendam.

V. hic n. 35.

Cum itaque *Antiquissima narratio* Ursulani martyrii *primigenia & genuina* scribit: *Fuit in Britanniæ partibus, quidam Deonotus, tam vitâ, quàm nomine religiosus in omnibus ceremoniis Catholicæ professionis*: Nescio cur B. Hermannus reddiderit: *Rex quidam de Britanniâ minori fuit oriundus nobilis, & religiosus*:

Urs. Vind. fo. 117.

& nescio cur Hermannus alter, ita commentetur: *Per minorem Britanniam, intelligi debet Hibernia, quæ respectu Albionis, quæ nunc Anglia vocatur, minor Britannia dicta est, à Ptolomæo.* Sic à *Britanniæ partibus*, migramus *extra omnes fines* Britanniæ, primò in Britanniam minorem: inde Ptolomæo suffragante, in Hiberniam, ut nobis occinatur illud: Veteres migrate coloni. Inveni semel, à Ptolomæo, Hiberniam dici μικρὰν Βρεταννίαν. hoc est, *parvam Britanniam*; necdum inveni *minorem* dictam. Stephanus quidem Byzantius dixit aliquando, ἰουερνία ἡ πρεταννικὴ τῶν δύο ἐλάσσων, *Britannica Hibernia, è duabus minor.* Sed quid hoc ad B. Hermannum Occidentis, non Orientis idioma edoctum? Sed fortè Mercurii constellationi Insula illa subjicitur.

Ptolo. Alm. l. 2. c. 6. Apud Uffer. fo. 724.

LVIII. Hiberni olim Britanniam deprædati.

Hic enim subit animum, Hibernorum primus in Britanniam appulsus, ingressus, progressus. Principio litora tantum radentes, Patricium hoc sæculo, & alios sexcentos, priùs, posteriusque, pyraticâ abduxerunt. Inde Septentrionem ingressi, stipendia primùm sub Caledoniis, Britannis sequioribus meruerunt: tunc Septentrionem illum, pulsis Caledoniis (qui & Picti) occuparunt: australibus Britannis, quà pyraticâ, quà cum Pictis fœdere, gravissimi hostes, tertio, quarto, quintoque sæculo.

Nunc universam volunt occupare.

Denique prædis assueti, omnem Britanniæ Insulam, piè deprædari contendunt: & quicquid in eâ pretiosum, illustre, sanctum in patriam transferre; non aperto quidem marte; quia congressu impares; sed per avia, & invia, per *incerta & aliena*, per commenta, & noviter inventa, omnia expilantes. Qua in arte, ingeniosè fateor, & religiosè aliquando, peccant, cum australes Britanniæ partes lustrant; quod ibi pulchrum, & honestum, & utile videntur, in Septentrionem, quà vi, quà fraude, artificiosè trahunt. Ibi, post quintum saltem sæculum, Scotos nacti; se enimvero Scotos, se Scotiam esse, nundinantes: ecce omnem Britanniam Hibernis in prædam.

Quid revelata per Britanniam minorem intelligunt.

& quia semel Hibernia, græca fide, dicta est *Insula comparatione minor*: major iterum minori servit. Sed nihil hac vice Hiberniæ accedit in Ursulæ patriâ: sive Revelata, sive B. Hermannum, sive interpretem ejus spectes. Cum enim Beatus dicat Ursulæ parentem, è minori Britannia oriundum: & ejus interpres cum *usitatis suâ ætate nominibus* usum affirmet. Quis nescit, nec Britanniam nostram, nec Hiberniam, sed Armoricam intelligi; quæ Hermanni ætate, priùs, & posteriùs, Britannia minor, sine ullo dubio dicebatur. Unde cur interpres pro Hiberniâ adeo laboret, ab uno sæculo in aliud transeundo, me prorsus latet. Cum Angli, Walliones, & Scoti nominantur; probamus voces illas Ursulæ tempore inauditas esse, in hac Insula: & B. Hermanni dialectum, cum ratione temporis non constare. Insurgit Hermannus alter, jubetque voces non ad priora, sed ad Hermanni sæculum referri: & interim pro minore Britanniâ, ad Ptolomæi ætatem provocat.

Britannia & Albion Synonyma.

Nos multò rectiùs, si *usitatis* quacumque ætate *nominibus* uti vellemus; inveniemus Britanniam & Albionem synonima esse, & totam Insulam complecti, è Græcorum etiam & Latinorum mente; miramurque esse, qui dicat, Albionem, illam Insulæ partem signare quam Angli posteriùs insederunt: cum Græci; qui voce illa primùm usi; non distinxerint: ut nec Romani Scriptores omnes,

Britanniam in partes tres; ut nuper aliqui voluerunt. Et quia *usitatis nominibus* B. Hermannum loquutum affirmant; Authores Græcos, Latinosque, qui Romanorum gestæ per Occidentem scripserunt, appellamus. Inde, non aliunde, *usitata nomina* & eorundem notionem haurimus. Ex illis constat Britanniam, sive Britannias, Insulam unam, non duas esse. Iterum, nec Hermanni ætate, nec priùs, aut posteriùs, populum ullum in Britanniâ, *usitato nomine*, *Wallones* appellatos. cum nec Authorem fortè unum invenire sit; qui populum, à Saxone, ad montes coactum ita nominaverit: Scimus Germaniæ milites, cum incolas gallicè loquentes exprimere vellent, ob idioma illud, Gwallos, seu Wallos appellasse: quæ vox ab Anglis confirmata, in modernum hocce sæculum transmissa est. Wallionum nomen in Revelationibus primùm legi, & ad monstrum nominis horrui; quod certè non fecissem, si usitato nomine ita dicti fuissent.

Wal-liones quinam, et quomodo vocandi.

LIX. Cur quatuor populi nominantur, et quinam.

Sed quorsum à B. Hermanno quatuor populi nominantur, pro Ursulæ patriâ, & sociarum ejus; Angli, Britones, Walliones, Scoti? aut quinam hi Walliones, à Britonibus distincti? *Cambriam, in quam Britones concesserunt, Walliam appellatam*, fatetur Author Ursulæ Vindicatæ. & nos Britones illos communiter Wallos dicamus: Malmesburiensis, & Walsinghamus, Wallenses. Walliones, cælesti primùm (si credere fas) oraculo prodeunt. Sed illud parum. mirabilior est prolepsis illa, quâ Ursulæ exercitus, ex Anglis, Wallionibus, & Scotis conflari dicitur: quamque Author è scriptura stabilire conatur, hoc modo: *Septuaginta in Hieremia interpretantur Alexandriam, quæ centum & pluribus annis, post ab Alexandro nomen traxit; quia ipsorum ævo ita dicebatur.* Parergon hoc est. Do lubens, urbem in Ægypto, Prophetarum tempore, No dictam, ab interprete Alexandriam verti. sed nihil hoc ad præsentem rem: qui non de loco, sed de populo quærimus. Si revelatum fuisset Ursulam ex Angliâ, Walliâ, aut Scotiâ oriundam, cum Alexandria posset componi; & ex illâ solvi difficultas. & sensus esset, ibi vel inde ortam, ubi Anglia, Wallia, aut Scotia est, quod nemo negaverit. Sed ortam ex Anglis, vel ex Anglorum sanguine, qui non nisi post ducentos annos in Insulam venerunt, nemo prudens, nedum Spiritus sanctus dixerit. Lucius Britannorum Rex, impropriè, & ferè ab inaccuratis Authoribus Rex Angliæ appellatur. Sed inde inferre, & obstinatè defendere Regem Anglorum fuisse, est minus tolerandum, nec septuaginta Interpretes illi modo loquendi famulantur.

Ursul. Vind. fo. 117.

Prolepsis excutitur et reiicitur.

LX. Non Scoti in Britannia Pictis priores.

De Scotis in Britanniâ suprà sæpiùs; nec volo repetere. quia tamen hoc loco, vindiciarum Author contendit, illos in Britanniâ, Pictis antiquiores fuisse; ejus rei veritas est inquirenda. Et licet sciam controverti posse unde Picti prodierint: & ego semper opinatus sim ipsissimam Britanniæ gentem, non advenam, sed vernaculam fuisse: nunc tamen primùm audio, non solum advenas, de quo non disputo, sed Scotis posteriores esse. Probat Author assertum sic. *Beda libro primo, capite 1. Scotos vetustiores incolas Britanniæ facit, quam Pictos: à quibus sedes hi petebant.* Picti igitur à Scotis in Britanniâ sedes petierunt; ideoque Scoti Pictis priores. Hoc est quod modò dixi: permitte Hibernis & eorum fautoribus voces verbaque ad libitum; & omnia perdidimus. Sed siste hunc impetum, Bedam repete, oculo animoque indifferente & perversam, ab Authore, Bedæ mentem, facilè perspicies. Beda sic loquitur: *Contigit gentem Pictorum, &c. circumagente flatu ventorum, extra fines omnes Britanniæ Hiberniam pervenisse, ejusq; Septentrionales oras intrasse. Atque inventâ ibi* (nimirum in Septentrionalibus partibus Hiberniæ) *gente Scotorum: sibi quoque in partibus illis sedes petiisse, nec impetrare potuisse. Est autem Hibernia, &c. ad hanc ergo usque pervenientes navigio Picti petierunt in ea sibi quoque sedes, & habitationem donari.* En dicit semel, iterum, tertiò Beda, Pictos, à Scotis in Hibernia, sedem petiisse: & tamen est qui colligat è Beda Scotos vetustiores incolas Britanniæ esse, quàm Pictos. quantumvis Beda eodem capite dicat: *Procedente tempore Britannia post Britones, & Pictos, tertiam Scotorum nationem in Pictorum partes recepit.* His argumentorum umbris, Scoti in Britannorum Remp. irrepunt. Cæterùm cum extra controversiam sit, Scotos B. Hermanni tempore in Britannia fuisse: & constet eum *usitatis* tunc *nominibus* usum: mihi persuasissimum est, cum de Ursulæ patriâ disseruit eo loco; unam Britanniæ Insulam Anglorum, Britonum, Wallionum, Scotorumque nomine connotasse: & nihil omninò de Scotis in Hiberniâ; qui usitato tunc nomine, Hiberni dicebantur; cogitasse. Unde mirum est tam operosè pro Hibernis advocari, illosque importunè in Britanniam intrudi, & Pictis ibi prærogativa temporis priores, hoc est jure potiores asserere. quæ eò solum referuntur, quò Ursulæ. & sociæ virgines Hibernæ sint, Scotæ sint, Britannæ non sint. quod tam verum, quàm Scotos Pictis in Britannia priores fuisse.

Beda lib. 1. c. 1.

Idem ibid.

LXI. Nova Britanniæ divisio, examinatur.

Eodem tendit vita sanctæ Ursulæ, quæ extruso Ribadeneiræ opere, vitaque quam de Ursula scripsit, in Ribadeneiræ flores Sanctorum irrepsit. In cujus exordio hæc leguntur: *Britannicarum Insularum tres præcipuè partes numerantur: scilicet Anglia, Scotia, & Hibernia.* Ubi Britannia Insularum per Europam nobilissima, suis sepulta fluctibus obteritur, ut Ursulam, in Britannicis Insulis, sine dubio natam, Hiberniâ æquo, imo potiore jure vendicet. Partitio illa Britannicarum Insularum, in multis claudicat, doctiorum aures offendit, à communi Scriptorum more divertit; rem, ut est, non explicat: & si de Ursulæ patriâ quæritur, impertinens omninò est. Quorsum enim Angliæ mentio, cum non ducentis, ut vindex putat, sed quadringentis ferè annis, ab ingressu Saxonum, Angliæ nomen primùm emerserit? Quid quæso illud *Britannicarum Insularum tres sunt partes*, cum trecentæ potiùs sint Insulæ, & partes, si velis multò plures? Exile igitur illarum Insularum elogium, & peccans descriptio est. Et quoties tenebræ, & diverticula quæruntur, suspectæ sunt merces, quæ clariùs vendi non possunt. Dicamus ergo antiquorum dialecto conformiùs: & si de tertio sæculo, & Severi imperio quæritur. sit ista partitio: Insularum, in Britannico Oceano, duæ sunt Insulæ præ cæteris nobilissimæ, Britannia, quæ & græcis Albion; & Hibernia. Ita Britannicas Insulas partiuntur Polybius, Ptolomæus, & antiqui. Jam verò si de Britanniâ Insularum Principe, & ejus partitione Romanorum tempore, quo Ursulam nasci in confesso est, apud omnes, quæritur:

Vita S. Ursulæ apud Ribad. editionis Colon. an. 1630.

Ut divisa est Britannia tertio sæculo.

nunquam

nunquam illa in tres partes, eo quo Vindiciæ vellent modo, divisa legitur. Sed potiùs in superiorem & inferiorem: quemadmodum Severus Imperator post devictum Albinum partitus est, ut suprà dixi. Atque ita Ptolomæum intelligunt plures viri eruditi apud Camdenum, cum Britanniam magnam & parvam nominavit. Quamvis Hiberni, & qui pro illis advocant; velint in Britanniâ parvâ, Hiberniam intelligi: illoque clypeo tecti, magnæ Britanniæ jura, magnis vocibus, sed inani conatu, invadunt.

V. an. 199. 4. Camd. in divisione Britan.

LXII. UT DIVISA SUB NATAM URSULAM. * V. an. 367. 4. An. 314. 5.

Iterum si propiùs ad veros Ursulæ natales accedis: Britanniam in quinque provincias Romani distinxerunt: in Britanniam Primam, Secundam, Maximam, Cæsariensem, Valentiam, & Flaviam Cæsariensem. de quibus in * superioribus abunde dictum. Ita pro ratione temporum; ne nimia Præfectorum potestas esset; Insulæ magistratum, quà per Præsides, quà per Consulares, Augusti distinxerunt. Neglecto, nec inter provincias suas censo, Septentrione illo quem hostis insederat. Postea Romanorum imperio fatiscente, cum Saxo Insulam invasisset, obliterato ferè Britanniæ nomine, Saxoniam appellavit ea omnia, quæ penes Saxonem, & Anglum erant. Et ne confunderetur cum filiâ parens; Insulam, nunc novam Saxoniam, nunc transmarinam appellavit. ut patet è Bonifacii literis, quas tomo altero recitabo. Quandoque etiam Saxonia, sine adjecto, Britannia, & à * Kenulpho Merciorum Rege, & à * Leone Papa eo nomine tertio appellata est. Verùm ubi Anglus monarchiam Insulæ adeptus, sparsas Saxonum coronas, in unam contraxisset, Angliam appellavit id omne, quod prior heptarchia, sub vario principatu, continuerat: hoc est quicquid, ab austro in Septentrionem, ad Grampium usque montem porrectum jacebat. eò enim Northumbriæ regnum protensum; licet de finibus sæpè contentio fuerit; ostendam suo loco. Tunc demum, non priùs; nimirum post annum Christi octingentesimum; Britannia in tres partes dividi cœpta; & Angliæ, Walliæ, & Scotiæ nomen emersit. Hibernia nec locum, nec partem in Britanniæ partitione habuit: aut sub natam Ursulam; quia nec Angli, nec Walli dicebantur incolæ: aut B. Hermanni sæculo, quo satis constat Britanniæ appellatione, Hiberniam non venisse. præsertum *usitato* illa ætate, *nomine*.

V. an. 741. n. 7. * V. an. 797. 6. * V. an. 797. 11. QUANDO BRITANNIA IN TRES PARTES DIVISA?

LXIII. QUOMODO COLLIGATUR URSULÆ PATRIA?

Sed ponamus Britanniam epicœni generis esse, & omnes Insulas quæ inter Hispanias & Germaniam, magno terrarum tractu Galliæ prætenduntur. suo nomine complecti, ut velle videntur aliqui. nam infirmè pugnantibus tela omnia concedi possunt. Cum Ursula, ejus parens Dionetus, & virginum millia, Christum, unumque Deum coluisse scribantur: accuratus rerum, temporum, & personarum explorator, quærere debet; ubi probabilius; cum de Christianorum Regum, Episcoporum, & virginum myriade agitur; orthodoxa fides floruerit anno ducentesimo trigesimo septimo; In majore, inquam, an minore Britanniâ? & unde certiore conjecturâ prodiisse Ursulam affirmabit. Britannia major (adversarii armis pugno, & more loquendi) quamvis ex omni historiarum Fide, Lucium Regem, Reginam, & omnem ferè populum, paulò ante baptizatum, proferre possit in medium, & fortè viginti octo designatas Episcopis sedes: non audet tamen undecim Reges, Romanum Pontificem, Patriarcham aliquem, septem Episcopos nominare, qui Ursulam comitati, cum eâdem ceciderunt. Audet tamen affirmare, nullam in Oceanô Britannico Insulam Christianos plures, sive coronas, sive sacras tiaras, sive virgines spectes, proferre posse. & miratur ullum in Germania calamum esse; qui ante Patricii tempora scribat, Christianam fidem in Hiberniâ adolevisse adeò, & tanta Christianarum virginum prole fœcundam; ut fidem vicinis Insulis, majoris etiam Britanniæ Regibus porrigere & instillare potuerit. Quâ nulla major, in historicâ veritate hallucinatio. Quis enim est qui nesciat, longè post annum ducentesimum trigesimum septimum; Hiberniam prima fidei rudimenta è Britanniâ, & à Britanno Patricio excepisse? Certè qui nuper Hiberniam maximè illustravit, Thomas Messinghamus Hibernus, fatetur Hieronymi tempore, hoc est, quarto sæculo; Insulam illam infidelitatis tenebris involutam, plenamque idolis fuisse, ante Patricii adventum: & in eum sensum Hieronymi sententiam aptat, in Epistolâ ad Ctesiphontem, ita scribentis: *Neque Britannia fertilis provincia tyrannorum, & Scotica gentes, omnesq; usque ad Oceanum per circuitum barbara nationes Moysen, Prophetasq; cognoverunt.* Ad quæ verba addit Messinghamus: *Tunc Scotica gentes in Hiberniâ caligine infidelitatis involvebantur eò nondum advecto S. Patricio, de quo ita canitur in Officio Ecclesiastico:*

CHRISTIANI IN BRITANNIA, QUAMPLURIMI.

HIBERNORUM CONVERSIO, QUANDO.

Messin. in Florilegio in tract. præambul.

Qui jussione Domini
Missus in Hiberniam
Quæ plena erat idolis,
Dura cervice incredula:
Qui tenebras idololatriæ
Scotica gentis abstulit:
Ut prædicaret hominibus
Fidem preclaro lumine.

Eadem prorsus est hæc Scotica gens, à quâ S. Patricius idololatriæ depulit, & quam S. Hieronymus sejungit à Britannis, & Moysen Prophetasq; nequaquam cognovisse affirmat. Ita Hibernus de Hiberniâ.

LXIV. *Ibid. in Florileg.*

Eadem Davidis Rothi Ossoriensis Episcopi mens, & sententia, nec minor authoritas, qui de primâ Hiberniæ conversione disputans: *Arduum,* inquit, *& difficile erat nationem Hibernicam, tenebris densissimis involutam illustrare, magicis præstigiis fascinatam excantare, lapideis cordibus induratam emollire, innumeris erroribus implicitam extricare, erudire, convertere ad meliorem mentem, & ad medicum salutis attrahere. Tentaverunt jam aliqui, sed exiguo fructu. Si Palladius sulcavit hunc agrum, citò deseruit aratrum ipsius. nam perpusillo tempore moratus in gente non moratâ, sed durâ, & immorigerâ, viam ingressus est universæ carnis; paucis tantummodo ad Fidem subactis. Quod si ante illum præcoluerunt aliqui ex ipso Apostolorum cuneo, ut de Petro quidam autumant; de Iacobo majore alii affirmant: reliquerunt illi quidem arva, vel spinis horrentia, vel petrosa & arida, usque ad præfinitum tempus à Patre luminum: in quo per servum suum S. Patricium statuit totam terram sentibus expurgare, & eruderare fiticulloso stabulo infidelitatis.* Ita de Hiberniæ conversione philosophati sunt hujus postremi sæculi, viri doctissimi: quæ impiè, & in patriæ opprobrium dicerentur; si dudum, ante Patricii adventum, tot rosæ martyrum, tot lilia virginum, tantus Regum, & Episcoporum, & tam fertilis paradisus, Hiberniam beassent. Quamobrem sic statuo: Ut multa sunt in

revelatis, apud Ursolam Vindicatam, *incerta*, & *aliena*: sic nihil magis incertum & alienum à veritate, quàm Hiberniam fidelem, Britanniam infidelem in Regibus fuisse, anno ducentesimo trigesimo septimo. Enimvero pro Britanniâ sic Beda stipulatur, cum Lucii baptismum, & Insulæ conversionem retulisset: *Susceptam fidem Britanni usque in tempora Diocletiani Principis, inviolatam, integramq́; quietâ pace servabant*: nimirùm ab anno centesimo octogesimo tertio, ad annum ducentesimum octogesimum sextum. Quo omni tempore, Hibernica natio densissimis involuta tenebris, magicis præstigiis fascinata, lapideis cordibus indurata, innumeris erroribus implicata; non rosas, aut lilia; sed arma spinis horrentia, petricosa & arida produxit, ut suprà eruditi dixerunt. nec alio opus argumento.

Beda l. 1. c. 4.

LXV. TEMPUS PASSIONIS S. URSULÆ ET SOCIARUM.

Longè venialius peccavisset Author Ursulæ vindicatæ, si lineam secutus chronologiam, Christianam fidem, & Regum ac Episcoporum nomina, ad Patricii ætatem Ursulæ martyrium retulisset. *Tunc enim* (si anonymo & pervetusto Authori credimus) *major pars multitudinis Sanctorum, cum benedictione & licentiâ S. Patricii reliquerunt patriam, notos, charos parentes, & reditus, civitates & castra, & reliqua quæ possidebant, & secuti sunt Christum, accensi divino amore, in pellibus caprinis, in voluntariâ paupertate, voventes Deo pia vota, se nunquam reversuros priusquam limina Sanctorum Apostolorum calcarent. & loca quibus Christus fuit angustiatus (stillans proprium corporis cruorem, pro ipsorum salute) in Europâ, Asiâ vel Africâ. Et ita beata multitudo Sanctorum transierit prospero navigio pericula ponti: & diviserunt se in tres turmas ad tres partes mundi; ad Africam, ad Asiam, ad Europam.* Ita ibi. Quæ recitat Author; ad probandum, Hibernis, omni sæculo, in more positum, * peregrinandi studium fuisse: quod nemo negat. Porrò quod addit: *Mirum est neminem unum, vel ex hoc historico fundamento, sub hæc tempora, suasu S. Patricii, adornatam Ursulanam peregrinationem asseruisse. Cum in eo longè plus verosimilitudinis lateat, quam in Commento Galfredi, contra fidem omnium veterum excogitato*: Respondeo; & admirationem diluo: Non ex illo historico, sed meliore & certiore fundamento, Ursulanum iter suprà retuli ad Patricii tempora: quod & ante me fecere plures, Sigebertus, & Otto Frisingensis, *gravissimi historici, ante annos quingentos*, inquit Franciscus Haræus; Godefridus etiam Viterbiensis, Wernerus Rawlink, Sabellicus, Antonius Bonfinius, Hungariæ historicus (*quo nemo ferè hactenus scripsit majore eloquentiâ historiam Ursulanam*, inquit Ursula Vindicata) Carolus Sigonius, Hermannus Fleien, Martinus Polonus, Nicolaus Harpesfeldus, Jacobus Bergomensis, Jacobus Malbrancq, Joannes Pitsius, Thomas Bozius, Franciscus Bordinus, Andreas Saussaius, Joannes Naucleras, & apud eum Chronica Hungarorum, Magdeburgenses, Hector Boëtius, Joannes Leslæus: Hi omnes Ursulæ martyrium, ad Attilæ, & Patricii tempora rejecerunt. ut mirari non debuerit Author, *neminem unum* reperiri, qui ad quintum sæculum Ursulam retulerit.

Apud Ursul. Vindic. fo. 208.

Idem sup.

Ursula Vind. fo. 1638.

LXVI. GALFREDI COMMENTA FACUTIUNTUR.

Cæterùm quod Author suprà Galfredum premat, & ubique datâ, sæpè etiam non datâ occasione vellicet: quod * *pessimè omnium inter Catholicos de Ursula historiâ meritum* vocet; quod fabulas, commenta, & mendacia objiciat: quod Authorum testimonia coacervet, quo violatæ fidei, & læsæ veritatis reum arguat: si plurima intelligat, à Galfredo, sive scripta, sive translata; non admodum repugno. quia docti omnes censent, Britannicam ejus historiam, figmentis plurimis, & quæsitis inverecundè ad patriam illustrandam ornamentis refertam esse. Sed inde omnem ejus de Ursulâ historiam arietare atque convellere, & viros historiarum laude, & omni eruditionis genere cumulatissimos, quòd inde aliquid hauserint, arguere, probare non possum. Quod Galfredus fabulator audiat, ejus amor in patriam, & Arthurum Regem, fecit. Unde ad aliorum discrimen, Galfredus Arthurius, cognominatus est. quia multa in laudem ejus, & Britannorum scripsit. Ad Ursulam, quod attinet ego eum in tempore annóque martyrii errasse jamdudum ostendi. & Baronium qui illum in eo secutus est, non putavi sequendum. Sed quid hoc ad historiæ substantiam? Author supra Bonfinium laudavit, & Philippus Bebius, illum referens, in vitâ S. Ursulæ ita præfatur: *Ante omnia notandum Bonfinium, in substantiâ historia nobiscum convenire; licet in tempore designando nonnihil dissentiat.* Opinor itaque, si nihil in Galfredo, quod Ursulam spectat, præter temporis rationem, arguitur; fabulator in Ursulâ, non magis, quàm Bonfinius dici debet. Si reliqua à plurimis doctissimisque probentur: cur toties vapulat, quod aliquando fabulatus sit. Fuitne adeo lippiens, & in veritate indagandâ cæcutiens Baronius, ut vel ignoraverit Galfredum interdum fabulari, vel non potuerit conclamatam toties, à Vindice, fabulam, ab historiâ distinguere? Non opinor. modestissimè, addo, & cautissimè scripsit Cardinalis; & in re dubiâ; cum probè sciret Tridentinos Patres, & Romanos Pontifices, plurima quæ de Ursulanâ expeditione ferebantur, *incerta*, & *aliena* censuisse: deberetque necessariò, de lege historiæ, aliquid statuere, ita demum scripsit: *Licet multa de aliis Galfredus habeat fabulosa, quæ veris nonnihil fidei detrahant: ut magno delectu liber ille sit legendus. Cum tamen eo loco constituta res sit; ut inter apocryphorum quisquilias* (intelligit quæ dudum Roma è revelatis rejecerat) *arbitri confidentes, quæ magis verosimilia comprobentur; ea pura deligenda putemus, obviis accepimus manibus, quæ ab eodem authore narrantur: quod eadem pluribus fulciantur verosimilibus conjecturis. * Reliqua verò quæ edita habentur acta, plurimis consilent cuique prudenti referta esse figmentis.* Quod ab oculatissimo in historiis viro, prudentissimè factum. Quamobrem licet Galfredi librum fabulis & figmentis respersum sciam: nollem tamen, quæ de Ursulâ scribit, probanturque à Baronio, M. Velsero, Lindano Episcopo, Pontico Virunnio, Polydoro Vergilio, Joanne Trithemio, Martyrologio Anglicano, Auberto Myræo, Petro Ribadeneira, Jacobo Gordonio, &, si demas temporis circumstantiam; à nube illa testium quos suprà recensui, ad Attilæ & Patricii tempora, passionem Ursulæ referentes: nollem inquam, quæ tot tantique, verosimilia censuerunt, toties inter fabulas decantari. quia surgere aliquando poterit, qui Baronii & aliorum causam acturus; necnon probaturus eorundem judicium: quantumvis fateatur Galfredum fabulatum esse; modestiùs tamen, quàm Revelata, & multò verosimiliùs, fabulatum, ostendere conaturus sit.

** Ursul. Vind. fo. 217.*

SED IMMERITO VAPULAT IN CAUSA URSULÆ.

Vita Sanctorum in Ursula.

Baronius ad an. 383.

LXVII. Ad me quod attinet, sic censeo: Si vera sunt

omnia,

Galfredus pro patria probabilius quam revelata, fabulatus est.

omnia, & procul à fabulis, quæ refert Author Ursulæ Vindicatæ: Galfredus inertiæ magnæque oscitantiæ accusandus est; quod Britannorum Reip. & gloriæ velificans, Romanum Pontificem Cyriacum, undecim Reges, Patriarcham unum, Episcopos septem; illustrissima quis dubitat, patriæ ornamenta, inter laudum cumulos non vocaverit, minora sectatus. Sed reverà absolvi potest, quia paucis ante annis, quàm Revelata innotescerent, fato concessit. Et quamvis illi volupe esset, pro patriâ mentiri: voluit tamen probabiliore fuco causam agere, & pro Britanniâ cautiùs stipulari. Cum enim sciret, à morte Lucii, nomen Regis, à nemine usurpatum: qua fronte plures fingeret, quorum nulla prorsus in Annalibus mentio? aut Cyriacum Britannum in Petri sedem sublimaret; qui facilè prolatis tabulis pelli inde, & Sanctorum Patrum, omniumque historicorum suffragio, exauctorari posset. Sed age: Quid illud in Galfredi narratione, quam sequitur Baronius, quod fabulis accensetur? Nec hic tricari volo de temporis circumstantiâ: Quia Ursulam & sodales sat scio passas non esse anno ducentesimo trigesimo septimo, & tamen computum illud inter fabulas, non rejicio: puto tamen propiùs accedere: quam eorum calculus, qui cum Baronio, annum nominant trecentesimum octogesimum tertium. Cum enim à M. Constantino & deinceps, Christiana fides altè surrexerit: cum Helena in Palæstinam usque peregrina perrexerit, Ursulæ & sociarum religio pietasque vel inde persuaderi facilè potuisset. Transeo igitur illam narrationis circumstantiam, quæ Chronologum vitiare, non Ursulæ martyrium, potest. Quo posito, nec de Maximi genere disputandum censeo, licet Ursula Vindicata disputet satis liberaliter. ubi etiam importunè (ut mihi quidem videtur) de Constantini natalibus (unde Maximum oriundum Galfredus credidit) controversiam suscitat: &. iterum à Baronio recedens, Nicephoro officiosè jungitur; valde laborans, accumulando argumenta, quæ *suprà rejeci, Constantinum in Bitbyniâ, non in Britanniâ nasci. Quâ tamen verborum contentione, non puto illum velle fabulatos omnes, qui Constantinum Britannum affirmarunt. nam post propugnatam Lipsii sententiam; humaniter satis concludit. *Sed retineant*, inquit, *Angli civem Helenam, & Constantinum, per me licet.* Et ego pariter concludo: Quicquid de Maximi genere sit: retineat tamen per me licet Ursula, in Galfredi narratione locum suum.

Ursul. Vind. fo. 160.

Constantini patria male propugnatur.

* V. an. 275.

Urs. suprà.

LXVIII.

Ursul. Vind. fo. 119.

Comparatur Galfredi narratio, cum Revelatis.

Si urgeat aliquis; ut valdè urget Ursula Vindicata; Quod Galfredus narrat de Maximi genere, commentum esse, *excogitatum circa annum millesimum centesimum quinquagesimum.* Ego non repugno: sed quæso tantum eruditum Lectorem, percurrat genealogias Regum, Reginarum, Episcoporum, quæ revelatæ dicuntur anno millesimo centesimo octogesimo tertio: illasque cum Maximi genere. à Galfredo relato componat: & ubi plus fabularum sit, arbitretur. Maximus, de quo ille, in historiis notissimus: Reges, Reginæ, Episcopi, ignoti omnes, eorum nomina in Annalibus irreperta, & quod pluris faciendum, per Romanam Ecclesiam antiquata. Si unius genus excogitatum, commentum est, & fabula; quid de trecentis genealogiis, quæ primùm revelatæ sunt anno millesimo centesimo octogesimo tertio, dicendum? Vereor, si judicum in hac causa fidem interpello: duo statuent: Primum, videri fabulæ speciem magis referre quæ posteriùs revelata: quàm quod priùs excogitatum; quia unicum illud, & parentes nominat omni post sæculo clarissimos. Iterum statuent. propugnatorem libri, ubi tot inventa nomina, quot lineæ; jure, nec posse, nec debere toties Galfredo irasci, & fabulatorem dicere: Nam licet qui sine peccato est, possit in illum lapidem mittere: Qui tamen tot inusitata, tot ἀπίστα, tot incerta, & aliena defendit, silentio suâ honestius vendidisset.

LXIX.

Defendun iur fa quæ Galfredus narrat de S. Ursula.

Quid præterea in Galfredo displicet, aut fabulæ nomen meretur? Quod Britannos in Armorica consedisse, & sibi è Britannia conjuges impetrasse affirmet? Sed passim hoc omnes admittunt, & ipsum Britanniæ Minoris nomen attestatur. & Sidonius Apollinaris vir quinti sæculi, *Britannos ad Ligerim sitos* clarè pronuntiat, ut suprà monui. Quod illi sponsas, è patria, quæsiverint, plures agnoscunt, & profectionis consilium vocant. Hic Ursula Vindicata, aliqua causatur, de Armorici regni exordio, & mutatione nominis. Imprimis vult Britannos anno trecentesimo octogesimo tertio, necdum Armorica potitos: & ego illi assentior. Dico tamen ante annum præsentem, nimirum quadringentesimum quinquagesimum tertium, Britannos ibi domicilium fixisse. Sed instat Vindex. *Certè sub annum quadringentesimum octogesimum tertium, regnante jam Clodovæo, Britanni exules nondum erant in Armorici penetralia admissi: cum Aruandus Galliarum præfectus accusaretur, quod literas ad Gothorum Regem misisset, pacem Græcorum Imperatori dissuasisset: eò quòd Britannos super Ligerim sitos impugnari oporteret.* Verum inde doctiùs, opinor, colligitur, Britannos etiam tum, & priùs, in Armorici regni penetralia admissos. Si enim eo anno, Aruandus accusatur, scripsisse impugnandos esse Britannos ad Ligerim sitos; quo modo negatur sitos non fuisse? Aut cur suadetur Gothorum Regi in Britannos pugnandum, ubi nulli Britanni erant? Addo: nec eo anno Aruandus accusari, aut Clodovæus regnare dicendus est. nam Clodovæi regis initia, Baronius, Sigebertus, & Gordonius ad sequentem annum consignant: & Aruandus, ante annum quadringentesimum octogesimum tertium accusatur, nimirum anno, si Baronio credimus (& cur non?) quadringentesimo sexagesimo octavo, ante quam accusationem Britanni ad Ligerim sedem fixerant. Unde pro Ursulanâ expeditione, quam statuo ad annum quadringentesimum quinquagesimum tertium, deducitur non leve argumentum. Enimvero cum Britanni tunc ibi fuerint, ut è crimine Aruandi accusationeque colligitur: & prolem in sequentes ætates promittere cuperent; è Britanniâ; quia cum Gallis convenire noluerunt, sexum alterum quæsiverunt, ad prolis incrementum; ubi nullum naturæ prodigium, nulla excogitati commenti umbra: nulla fabulæ, vel levis suspicio.

* V. hic n. 22.

Ursul. Vind. fo. 162.

Baron. an. 468.

LXX.

Harpesfeldi narratio de S. Ursula.

Laudanda igitur, non arguenda est Baronii, aliorumque industria: qui pretiosum à vili secernentes, Ursulam sociasque sanctas, missâ narratione *incertâ & alienâ*, sanctas prædicarunt: & sine miraculo, è Britanniâ ad Oceanum, inde ad Rhenum deduxerunt. Hoc idem fecit Nicolaus Harpesfeldus, Archidiaconus Cantuariensis, pro Catholicâ fide nobilis Confessor, in Historiâ

Nic. Harpsfeld. in 6. primis sæculis c. 22.

Ecclesiasticâ, ubi de S. Ursula hæc habet peiùs, quàm Baronius sua edidisset: *Nobilitavit quintum sæculum Vrsula cum sodalibus. Cujus historia, ò utinam, tam mihi certa esset, & expedita; quàm id in anima mea certum est & expeditum, eam esse, cum sodalibus, beatam in cælo martyrem. Temporum hominumq; injuria exactam & accuratam ejus, ut aliarum multarum rerum cognitionem invidiosè abstulit. Pro quâ nobis malè feriati homines, otioq; suo & temporum suorum propensâ nimis credulitate turpiter abusi., meras fabulas, & διὰ πασῶν, per omnia, dissidentes subjecere. uniq; jam post tot sæcula, non ad certam & exploratam veritatem sequendam; sed ad quales quales conjecturas coegerunt.* Inde cum eorum sententiam recitasset, & rejecisset, qui ad Maximi Imperatoris tempora Ursulam retulerunt. *Ego certè*, inquit, *eam conjecturam, ut magis probabilem sequor; quæ non ad Maximi tempora, sed posteriora hæc gesta rejicit. Cum jam Saxones magnam Britanniæ nostræ partem: & Britanni profugi Armoricam, quæ postea ab iis Britannia minor dicta est, occupassent. Saxonum itaque rabiem declinandi gratia, credibile est, Vrsulam cum sodalibus naves ingressam, Britanniæ minoris adeundi spe, vi tempestatis, ex Oceano, in Rhenum delatam. continentemq; post istam jactationem ingressam; in Hunnos, non ita procul incidisse: homines tam à Christiana pietate, quàm ab omni humanitate alienos. Atque ab eis, cum vel fidem, vel castitatem prostituere recusarent, has virgines immaniter cæsas. Atque ita, ni fallor, & temporis, & martyrii totiusq; historiæ ratio, non omnino improbabilis cohærebit.* Hactenus ille confirmans omnia quæ suprà dixi.

LXXI. BEDA NON FAVET PEREGRINATIONI URSULANÆ.

Vrsul. Vind. fo. 169.

De triennali lusu in Oceano nostro, & de Romanâ peregrinatione nihil ausus est affirmare: sed commentum id omne & fabulam censuit. Quod & post ipsum Baronius, & Ribadeneira censuerunt. Et quamvis Ursula vindicata insinuet, Bedam & Wandelbertum, peregrinationi favisse, è mente Baronii: unde tamen ita colligat, non apparet. Nec quorsum, relatis Baronii verbis, ad notas in Ro. Martyrologium, ita exclamet: *Stupeo consilium! contra se pro nobis allegat Bedam, VVandelbertum, Sigebertum omnes Galfredo vetustiores. Iungit synchronos Galfredi, Rogerium, & Richardum, tum quinque alios recentiores apponit, omnes decem, ut fatetur, in capitibus unanimes, præsertim circa peregrinationem, & martyrium in reditu, cum in Hunnos incidissent Coloniæ, ut omnes scribunt. Horum tamen narrationem vocat commentitiam, & figmenta, ab omni etiam verisimili ratione semota: & Acta, quæ cuique prudenti constet plurimis referta esse figmentis.* Hæc vindex. Statueram ego, ab omni censurâ calamum continere: & misso narrationum labyrintho, rectà ad Ursulæ martyrium, & illustre fidei & castitatis argumentum, tendere, controversa declinando. Hic tamen cogor ad Baronii patrocinium. Accusatur enim quod Bedam & Wandelbertum, contra se citet, Ursulæ Vindicatæ faventes, & Romanæ peregrinationi. Unde sequitur Bedam & Wandelbertum, illam astruere. Quod nec verum, nec à Baronio assertum, nec è Beda collectum. Baronius ad Ursulæ martyrium hanc notam adjicit: *De iisdem Beda, VVandelbertus, & alii recentiores hac die.* Quæ verba, cum puncto conclusisset; mox incipit, quid à variis super Ursulæ martyrium scriptum, recensere; Rogerium nominat Cisterciensem, Richardum Præmonstratensem, Mombricium, Petrum in Catalogo,

Baron. in notis ad Ro. Marty. 21. Octo.

Claudium Rotam, Bonfinium, Surium. & subdit: *Hi omnes in eadem conveniunt sententiâ, Vrsulam unà cum sociis Romanam peregrinationem suscepisse. Idq; accidisse, anno Domini quadringentesimo quinquagesimo tertio, testatur Sigebertus in Chronico.* E quibus verbis perperam colligitur, Baronium decem numerare, in unâ eademque sententiâ concordes. nam duo demendi sunt, Beda & Wandelbertus. Quod & Ursula vindicata fateri debet, cum dicit Bedam: *Bis tantum S. Vrsulæ meminisse.* nimirum in Ephemeride ubi ait: *In Coloniâ sanctarum Virginum.* & in Martyrologio, sic: *In Coloniâ sanctarum Virginum undecim millium.* Quibus in locis, ne Ursulam quidem nominat; multo minus peregrinam facit. Non igitur opus, ad Baronium stupere: cum ad Revelata solum, & majore merito stupendum sit ad eorum consilium, qui ista defendunt.

Vrsul. Vind. fo. 195.

Beda in Epheme. & Martyro. 21. Octo.

LXXII. NOVA VERBORUM INTERPRETATIO NON PLACET.

Enimvero mirantur aliqui, ad ea stabilienda, quæ dudum Ro. Ecclesia expunxit, novam verborum faciem cudi ab antiquâ differentem: quæque à consuetâ rerum notione legentis animum, nimium distrahit; cum suspicioni locum faciat, non esse aurum id omne, quod nisi fucum induxeris, lucere non potest. Nos Britanni, quantumvis patriam illustrare conemur; veris tamen, non dubiis aut adulterinis coloribus id facere contendimus. Unde Galfredi commenta, & ea excernimus rerum lenocinia, quæ vel classici authoris defectu nutant; vel umbraticè tantùm, non solidè constanterque subsistunt. Sic Cyriacum Papam, Jacobum Patriarcham Antiochenum, & alios Cardinalitiâ dignitate eminentes, ægrè in Annales, aut rerum gestarum narrationem admittimus. Quia licet illustria forent Insulæ ornamenta: oporteret tamen Scriptores omnes oscitantiæ arguere, qui Cardinalium & Patriarcharum nomina, in Romanâ Ecclesiâ posterioris editionis esse censuerunt. Atque ita efferendo Insulam unam, premeremus Scriptores omnes; quod nullum ad conciliandam Annalibus fidem compendium esset. Medetur quidem his scrupulis Ursula Vindicata: sed ea præscribendo, quæ exulceratum vocum novitate animum non leniunt, aut componunt. nam per Cyriacum Papam, intelligi jubet Vicarium Papæ; Cardinalium nomine, Presbyteros: Patriarcharum, sedes quæ posterius Patriarchas habuere. Cyriacus passim in Revelationibus audit *Papa Romanus, Apostolicus, sublimatus in Apostolicam dignitatem*, cui successor à S. Elisabethâ assignatur: ab aliis *Pontifex maximus.* Sed quia notum probatumque satis, in Romanorum Pontificum serie, nullum illi locum dari: nuper humilius ei nomen impositum: quod Ursula Vindicata amplectitur, ubi fusè disputat, dicendúsne sit Cyriacus Papa, vel Papæ Vicarius. super quo, tres recitat sententias, & ait: *Tres hic pugnant sententiæ: prima defensorum Galfredi, cum recentioribus multis: qui eum ut fabulosum prorsus rejiciunt. Altera legitimum illum agnoscunt Pontificem; Pontianum inter & Anterum. Tertia Vicarium statuit Pontiani tunc in exilium deportati. Primi moventur, quia veteres judices, & catalogi, quos Patres recitant, Irenæus, Tertullianus, Optatus Milevitanus; vel Historici Eusebius & Nicephorus; nusquam Cyriaci meminerunt. Alteram sententiam priori contrariam amplectuntur veteres Canonum interpretes, Ioannes Andreas, &c. Fundamentum historicum est titulus sepulchralis. Hic eum disertè vocat*

DE CYRIACO QUID DICENDUM.

Vrsul. Vind. fo. 319.

Romanum Pontificem, &c. Tali titulo plus tribuendum, quàm mille testibus, & omnibus iudicibus Pontificum. Est enim coævus testis, & incorruptissimus. Hic titulus à trecentis, imo mille similibus eductu funeralibus Inscriptionibus habet testimonium, cum se mutuò confirment. Doces, & sæpiùs, hi tituli cælestibus visis sunt approbati, &c. Tertiam sententiam primus invenit P. Philippus Bebius: quæ caret incommodis iis, quæ secundæ sententiæ obijciuntur. Hanc ad invidiam declinandam statui propugnare, &c. Ita Author.

LXXIII. HIC UNUS MILLE TESTIBUS PRÆFERTUR.

Cum hæc legissem, occurrit animo, quod idem suprà dixerat Baronii notam admirans: stupeo consilium! ubi Baronius octo nominaverat, quos Ursula vindicata sequi noluit. Et quis non stuperet, inter tres pugnantes sententias; misso titulo sepulchrali, coævo teste, & incorruptissimo; cui plus tribuendum quàm mille testibus, & omnibus Pontificum Romanorum iudicibus, unum Bebium propugnandum suscipi. ubi non decem, ut Baronius; sed mille testes uni postponuntùr. Sed transeo illud; urgeo magis vocis novitatem, in Romano-Pontifice, Cardinalibus, & Patriarchis. Quos si ad incommoda evitanda, efferre, premere, deluinbare ad libitum licet; facilè figmenta omnia, & historiarum hiantes rimæ cæmentantur. Ego Bebii sententiam, quia novam, & priùs inauditam, sequi non potui; nec unquam diverticula quæsivi, regiâ semper viâ incedens. Secundam sententiam adstruere non sum ausus, Romanos Pontifices, & Tridentinos Patrês; quibus plus tribuendum duxi, quàm bis mille testibus, reveritus. Ivi igitur in primam sententiam, quam frustrà Author, Galfredi mentione, ut passim dehonestat. quasi Galfredus de Cyriaco quæstionem moverit. Aut quasi illi omnes, qui negant talem fuisse (ut negant primi subsellii, doctissimi quique) Galfredi patrocinium suscipiant. modestiùs, ut mea quidem fert opinio, pro Ursulâ sanctâ disputaret, ille qui rerum substantiis insisteos, omnem sibi suæque opinioni adversantem, Galfredi mentione non pungeret. Sic enim Tridentinos Patres, quod *incerta* & *aliena*, è Breviariis expunxerint, & sepulchrali titulo fidem non habuerint, & demum Romanos Pontifices, quod veteres Canonum interpretes correxerint, reos sciscere, aut Galfredi defensores facere videretur. Sequetur etiam; Omnia Revelata, ideo credenda, quia Galfredus aliquando fabulatus. Ego non Galfredum, sed Gildam Ursulæ coævum testem, & incorruptissimum sequutus, collegi Britannas virgines fuisse, qui transmarinas Regiones petebant: & annum passionis earundem, certiore quàm Galfredus calculo consignavi: & facessant alia nuperiùs inventa, quæ nullâ veterum authoritate fulciuntur, præsertim si nigro lapillo ab Ecclesiâ notentur.

LXXIV. BRITANNIA MALE PRO HIBERNIA EXPONITUR.

Redeo ad vocum novitatem; ubi eminet illa, qua Britannicæ virgines in Hibernias transierunt per novos interpretes. * *Quanquam non improbabile sit*, inquit Bebius, *Ursulam è majore Britanniâ, atque è regno Cornubiæ originem traxisse.* Sed probabilius putavit Hibernam genere. Putabam hoc idioma, & vocis insolentiam, Hibernis placituram. Sed falsus sum; nam qui Hiberniæ Primas scribitur, Jacobus Usserius, ita de Bebii narratione loquitur: *Hisce Elisabethæ somniis, & specioso sepulchralium epigrapharum titulo delusus Iesuita, gloriari non dubitat*, &c. Illum, opinor, intellexit Ursula vindicata; cum recitatâ vitâ, quam Bebius digesserat: *Incerta*, inquit, *fuit hæc ipsa P. Philippi narratio, Flori Sanctorum Ribadeneiræ, Coloniæ typis vulgata, anno millesimo sexcentesimo trigesimo. Quam vellicare statim Authores aliqui, & in his Hibernus quidam subruere nisus est, impugnatâ Coloniensium Traditione.* Si Hiberni ad narrationem, quæ patriam adornare videtur, recalcitrant: stomachabuntur enimvero multò religiosiùs, qui tot millia virginum, & martyrum, è Britannia in Hiberniam, nova revelatione, & nova vocis translatione, traduci vident.

* Bebius in vita Ursul.

Usser. fo. 624.

Ursul. Vind. fo. 21.

LXXV. PATRICIUS HIBERNIÆ APOSTOLUS, ET ALBANUS BRITANNIÆ PROTOMARTYR: CUM REVELATIS NON CONCORDANT.

Restant duo noviter invecta; voces, inquam, è genuino sensu, ad alienum declinantes; ut *incerta* ac *aliena* confirment: quo duo sidera cæli nostri premantur; & Cynosura sancta, Hiberniæ, quàm Britanniæ illustriùs blandiatur. Patricium dico & Albanum: de quibus multa superiùs: ubi illum Hiberniæ Apostolum; hunc Britanniæ protomartyrem, ex omnium Annalium fide dixi. Infirmantur hæc ab Ursulâ vindicatâ; quo tempus passionis non ad hunc annum, sed ad ducentesimum trigesimum septimum, referatur. Nos contrà è Patricii Apostolatu; qui procul omni dubio, post annum quadringentesimum cæpit, concludimus, tot millia virginum, tot Reges, & Reginas, & ex omni ordine viros, fæminasque Christianas, in Hiberniâ, non sine miraculo, & sine prædicante, nasci & lustrari potuisse. & cautiùs sine dubio pro patriâ, & Hibernis pugnaret, qui ad posteriora martyrium consignaret. Iterum, si Albanus Insulæ protomartyr, anno ducentesimo octogesimo septimo; quâ fronte affirmantur tot martyrum millia præcessisse? Unde nos pro Albano pugnantes, non alteri illam laureæ prærogativam concedimus: multò veriùs tot martyrum millibus. Hos duos nodos solvere conatur Ursula Vindicata: & levi manu Patricii Apostolatum interpretans, ita argumenti vim declinat. *Nec obstat*, inquit, *quod S. Patricius, primus Hiberniæ Episcopus, & Apostolus nominetur: nam & S. Bonifacius Germaniæ, & S. Remigius Franciæ, ob rerum gestarum magnitudinem, ac religionis orthodoxæ incredibilem propagationem, id præ aliis qui antecesserunt, nomen meruerunt.* Benè quidem hic nodus vertitur, & invertitur; non benè solvitur, aut ullo modo difficultas evertitur. Bonifacium agnoscimus Germaniæ Apostolum, quia ex urbe ab Apostolica Sede missus, Germanos infideles ad Christum convertit; eo modo quo Xaverium Romana Sedes Indiarum Apostolum nuper consecravit. Sed nec Bonifacius, Germaniæ primus Episcopus, nec Xaverius, primus Indiarum Apostolus nominatur: quia alii Bonifacium in Germaniâ, & Xaverium in Indiarum conversione præcesserunt. Cæterùm de Patricio, ita canit Romanum Martyrologium, ad decimum septimum Martii. *In Hiberniâ natalis S. Patricii Episcopi & Confessoris, qui PRIMUS ibidem Christum evangelizavit, & maximis miraculis, & virtutibus claruit.* Unde multum à vocum proprietate abit, qui tantam Christianorum messem in Hiberniâ collegit, diu ante quàm ullus Christum evangelizasset, debetque martyrologio notam inurere, quòd Patricium primum vocaverit: Adde id cum eo stare non posse, quod suprà Osoriensis Episcopus, de Hiberniæ conversione tradidit.

Ursul. Vind. fo. 290.

PATRICIUS VERE PRIMUS HIBERNIÆ APOSTOLUS.

Ro. Martyr. 17. Martii.

LXXVI. ALBANUS

Eodem modo de Albano martyre, hallucinatur hic Author. nam quem Romanorum Pontificum

brevia;

VERE BRITANNORUM MARTYRUM PRIMUS.

brevia, Regum nostrorum diplomata, & omnia planè Britanniæ monumenta, Protomartyrem vocant; jam nova revelatione contenditur, primùm è Britannis non fuisse. Videamus argumenta. *Vt Hibernos præteream*, inquit, *S. Mansuetum & alios, qui ante S. Albanum fecere martyrium. Certè Lucius, primus, ut creditur Britanniæ Rex Christianus, & postea concionator Evangelicus, Germaniam sanguine decoravit.* (Vrsul. Vind. 1098.) *Qui tamen extra Britanniam passus pro fide decertavit centum ante S. Albanum annis. Vnde ipse, cum S. Vrsula merito protomartyris titulum, S. Albano concessit.* Hic dubia, incerta & aliena miscentur, ad minuendam protomartyris prærogativam, & muniendam novis revelationibus viam. Mansuetum suprà Britannum dixi; (V. an. 49. n. 4.) multi Scotum, hic Hibernum nominat; non contendo. De martyre quæstio est: quem titulum Vindex & primus, quod sciam, & solus, indulget. nam Martyrologium Romanum & Anglicanum, Confessorem vocat. Gallicanum ita de illo. (Martyrologia ad 3. Septem.) *Placido mortis somno consopitus, ad superna præmia evolavit.* Vide annum 89. n. 2. De Lucii Regis martyrio est melior conjectura; sed conjectura tantum; ideoque ad Albanum exauctorandum insufficiens: quam suo etiam loco suprà exposui. obscuriùs ergo illud: & unus Lucius, cum Albano, constanti omnium sæculorum suffragio Martyre non conferendus: Verùm tot Reges, tot Episcopos, Romanum Pontificem; Antiochenum Patriarcham, & Virginum myriadem, Ursulam comitantes. Hos, inquam, omnes anno ducentesimo trigesimo septimo: hoc est, quadraginta omnino annis ante Albanum passos, & tamen Albanum Protomartyrem dici, catachresis esset, genuino loquendi modo, & Martyrum millibus injuria. Doctiùs ergo philosophantur, qui Albano Protomartyris dignitatem, anno ducentesimo octogesimo septimo tribuentes: & Patricio Apostolatum Hiberniæ, post annum quadringentesimum trigesimum; Ursulam & socias, Martyres scribunt ad annum quadringentesimum quinquagesimum tertium. Sic enim sine verborum injuriâ aut vexatione, & Albanus Protomartyr, & Patricius Hiberniæ Apostolus: & demum, si in Ursulæ comitatu Hibernas fuisse velis; de quo, si odia provinciarum repetuntur, dubitari meritò poterit; habes in Hiberniâ Christianam fidem; & inde pro Christianâ fide, & pudoris integritate, Martyres: (Cant. 4. 13.) *Quando emissiones tuæ* (ô Britannia) *paradisus malorum punicorum, cum pomorum fructibus, necessariæ fuerunt.* hoc nimirùm miseriarum tempore.

LXXVII. CONCLUSIO PRO CONFIRMANDIS SUPRADICTIS.

Hæc habui dicere, ad firmanda, quæ ante annos viginti; de Ursulâ collegeram: quæque longè prius Coloniam transmiseram; quàm Ursula vindicata prodiret: ne quis putet me, aut contradicendi studio; aut alio, quàm tuendæ veritatis impetu, pro Ursulæ patriâ, aut passionis tempore hoc auctarium adjicere: S. Elisabethæ revelationes, quantumvis vellem, sequi tamen non sum ausus, quia me Ro. Ecclesiæ tenebat authoritas, nec Romani quondam Breviarii Lectiones, licet ibi Ursulæ patria illustrissima sit, & Britannia sine addito nominetur. Enimvero Tridentini Patres censuerent, *incerta* & *aliena*, quæ ibi legebantur. Abstinui igitur divinis illis (ita aliqui vocant) cum humana suppeterent, argumentis: & Ursulæ sociarumque patriam, addo & passionis tempus, aliunde collegi. Non quòd, è revelatis illis; aut de patriâ, aut martyrii tempore dubitari possit: cum vel exinde controversia componi, & Britannia tempusque nominentur. Cap. 18. Revelationum hæc habentur: *Beato Cyriaco Papæ subrogatur in summum Pontificem Hilarius vir prudens & bonus.* (Vrsul. Vind. fo. 552.) Hilarium autem Leonis, qui modo sedet successorem omnes agnoscunt. Iterum sequenti capite: *Cum Coloniam pervenissent* (Ursula sociæque) *repererunt gentem Hunnorum barbaricam, ipsam obsedisse civitatem.* Hunnos autem Gallias vexasse, ante annum quadringentesimum quadragesimum quartum, nulla est memoria. Itaque Cyriacum Papam inter Pontianum & Anterum sedisse: anno 237. & successorem habuisse Hilarium, cum Hunni Gallias vexant, quia *ἀσύστατος, καὶ ἀσυνάρτητος, non consistens & inconsistens*: cogi non potuit intellectus ad assensum. nec mollit difficultatem *responsio*, quam Ursula vindicata, *expeditam* vocat: (Vrsul. Vind. fo. 553.) Hilarium & Anterum, unum esse, eundemque. quia ut Oriens ab Occidente; sic Græcus Anterus, à Latino Hilario, differens est: & illa interpretandi licentia historiarum fidem omnem eludit. Quare inspectâ revelationum dialecto, humili modestâ atque genuinâ; satis apparet argutè magis declinari nodum, quàm solvi.

LXXVIII. CUR TACENDA SUNT MIRACULA.

Hæc itaque me dudum moverunt, ut mirabilia quæ in revelatis habentur attingerem quidem: memor temporum, memor muneris, memor modestiæ, quæ historiam commendat. Tempore scribimus, miraculis infesto. Britannorum fidem illustrandam, probandam, instillandam suscepi, iis argumentis, quæ homines capere possent; non quæ suprà captum eludi. Denique modestiæ cancellos egressus (vereor) fuissem; si, universo ferè terrarum Orbe infidelitatis, & idolorum tenebris involuto; tot Pontificum, Regum, Principum laureas, & sanctitatis prodigia, ad totius orbis invidiam præsumsissem. Nec pœnitet interim motam esse de patriâ, & temporis circumstantiâ quæstionem: nam veritas, quò magis impetitur, illustratur magis: & quoniam non in plenâ luce, sed obscuriore sæculo; ubi verum ægrè cernitur, versamur; percuti debet silex, ut scintillas saltem veritatis emittat. Quibus cum industriâ collectis, flamma facilè, lumenque accenditur. Hoc à me præstitum suprà; cum Insulam hanc, Britannos primo ad Ligerim; inde Virgines ad transmarinas Regiones misisse, è quinti sæculi Authoribus ostenderim. Quod cum præstitissem; ad miracula recurrere, præter dignitatem historiæ esse putavi; & nullum operæ pretium. Hoc illi advertisse non videntur, qui virgineæ expeditionis causam ignorantes, & in Insulâ nostrâ peregrini; è cælo; scilicet, doceri voluerunt. In eo potissimùm culpandi: quod Britannorum Regum, Episcoporum, Virginum & Martyrum causam agentes; Britannos Scriptores non neglexerint modò: sed nec in omni controversiâ audiendos esse censuerint.

LXXIX.

Hoc etiam anno Patricius videtur, Armachanæ sedis successorem designasse, sanctum Benignum, ut infrà constabit. (An. 460.) Licet sciam Usserium ex Ultoniensibus Annalibus colligere, Benignum, non sedisse ante annum 455. Nec audiendus est anonymus ille, qui vitam scripsit S. Mochtei Britanni, aitque illum in Patricio successisse, per aliquot dies, ante Benignum. (Apud Vsser. c. 17 fo. 87[illegible]) Hic est Maccæus, quem suprà descripsi. à Patricio ordinatum Lodunensem sive Louthinnorum Episcopum. (An. 441.)

ANNUS URBIS CONDITÆ [illegible]

ANNUS CHRISTI 454.

LEONIS PAPÆ 15.

VORTIMERI REGIS 1.

I. Civilis discordia.

SEquitur annus Domini quadringentesimus quinquagesimus quartus, Studio & Aetio Coss. Britanniæ funestissimus. Nam quæ hactenus Pictos, Scotos, & nuper Saxonem passa est. Nunc demum civili discordia ac intestino bello, miserrimè dilaceratur. Dum enim [illegible] parentes, & subditi arm[illegible]tur [illegible] suum principem; Saxonum [illegible] Britanniam jugo [illegible] deseruit. Vortigernus Regem, a [illegible] conjuge dis[illegible] jungit [illegible] nam, [illegible] gilli [illegible] [illegible] Deo, orthodoxæ [illegible] insistat ac barbaro populi [illegible] Principis factum ægerrimè tulerunt cives & in primis Vortimerus, Catigernus, atque Pascentius, Regia proles, & ex priore conjugio legitima. Videbant enim, non solum Regium thalamum infici; sed Saxoni quoque [illegible] imperium Insulæ: quòd ille multò ambitiosius, quam Picti Scotive procabatur, multoque [illegible] poterat, qui in ipsis Insulæ penetralibus degebat. Et sanè Dei & Ecclesiarum causa agebatur, si porro Hengistus ditari & regnum pergeret. In hoc discrimine miseraque rerum conditione Britanni Vortigernum adeunt, rogant, misereatur patriæ, & nutabundam jam ac propemodum occasui, ne aga[illegible] Quod si regna ac civium nulla cura tangeretur; timeret saltem Ecclesiis, & sanctum dare canibus. Consuleret sibi, ac æternæ [illegible] plurima quidem peccata, sed nullum magis, quàm idolorum cultus, officiunt.

Vorti-gernus ab uxore di-vertit.

II. Vorti-gernus ad pia monita surdus.

Verùm has preces, & vota populi Vortigernus Rex surdissima aure excepit. Accedunt itaque Ecclesiarum præsides, & [illegible] gemunt sed nec ipsi quicquam proficiunt. [illegible] amor hebetaverat mentem. [illegible] Authores qui satis importunè scribunt, S. Germanum Altisiodorensem Episcopum, Regem adulterum ac contumacem anathemate percussisse, sed dudum ille excesserat ex Insula, decesserat è vitâ. Multi alii id referunt ad Voadinum Londinensem Archiepiscopum, qui Regi fauorem mentem si gesserit nimirum, ut dimissâ pellice, Christianè [illegible] uteretur. Id divina [illegible] & humana jura postulare id vitæ, id regno, id saluti conducere. Sed nequicquam omnia Voadinus qui pastorali officio bene functus est: Hengisto post alterum annum, victima traditur: & pergit Vortigernus lascivire.

Voadi nus Londinen. Episcopus.

V. an. 456 n. 8.

III. Vorti gernus Rex depo-nitur. Floril. hic.

Populus, clero impatientior, adeo Regi [illegible] ctum exhorruit; ut eo deserto, Vortimerum ejus filium Regem appellaverit. Quod ita narrat Florilegus. *Anno gratiæ 454. Magnates Britanniæ, Regem Vortigernum penitus deserentes unanimiter Vortimerum filium suum in Regem sublimaverunt.* Hoc populi factum antiquorum nemo probat. Sectari tantùm, quos Calvinus docuit monarchiam odisse, id pessimo exemplo probare videntur. Unde seditiosæ argumentis [illegible] qui Antiquitates Britannicas scripsit, & Britannorum peri[illegible] concludit. *Magnum, inquit, est Brit[illegible] Christum [illegible] argumentum, illa [illegible] & querela, qua in hæc gerunt suum Regem vehementer egerunt, quod Hengisti [illegible] filiam matrimonio sibi junxisset. Quare universi proceres, Vortig[illegible] Regia potestate abdicato, Vortimerum ejus [illegible] Regem creabant.* Verum multo liberaliores sunt moderni, in deponendis Regibus, quam fuerunt antiqui: qui modestiùs de hoc procerum facto scripserunt: nec nisi de [illegible] potestate [illegible] meminerunt faciunt [illegible] summo [illegible] a magnatibus Vortigernum, & sublimatum aiunt in Regem, Vortimerum filium: vel potiùs, ut habet Malmesburiensis. *Vortimerus inventor belli fuit contra Saxones, quorum ambitionem adde[illegible] nolunt patienter sufferre. [illegible] cum Britannorum plurimi secuti sunt.* [illegible] ctorationis est mentio: multo minus dicit [illegible] potiorem Vortigerni, *magnum esse Britannorum pr[illegible] fidei argumentum.* Nunc [illegible] das inter inania suorum provinciæ [illegible] Regum [illegible] hoc quod arbitrio [illegible] Reges [illegible] entur, ut supra. Solum ergo modernæ [illegible] argumentum est, ut Reges pugnare [illegible] nodi, Anarchiam inducere.

Antiq. Brit. fa. 7.

Eo [illegible] Vortimer [illegible] um est, ut multi undi[illegible] natos, & civium dis[illegible] rdiam, quæ consecuta est, L[illegible] ex [illegible] norum omni[illegible] Regnum [illegible] sun[illegible] Saxones, ad quorum potentiam [illegible] & Insulæ divisionem, in [illegible] septem tot [illegible] Britannorum [illegible] de [illegible] sequenti libro [illegible] hic Cantiani regni, quod primum è septem fuit, fundamen[illegible] Vortigerni impietas, à Christiana [illegible] angulares lapides fuerunt. Nam [illegible] Hengisto [illegible] animos dedit, [illegible] gradum ad coronam. Cæterum quando regnum ejus acceperit, & quibus terminis clausum fuerit, dicam suo loco. nam adhuc Saxonici Dux exercitus, & Princeps tantum audit, paulatimque surrexit in Regis nomen & dignitatem.

V. an. 44[illegible] n. 3.

IV. Vorti-merus Rex.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1206.

ANNUS CHRISTI 455.

LEONIS PAPÆ 16.

VORTIMERI REGIS 2.

I. Hengistus fit potentior.

ANno Christi quadringentesimo quinquagesimo quinto, Valentiniano VIII. & Anthemio Coss. inter filium Regem, & Vortigernum patrem nuper orta dissensio, ansam dedit Hengisto potentiam amplificandi; adeo, ut quidam putaverint eum, hoc anno, regnare cæpisse. Sed sunt ad imperium gradus, quos prius oportet ascendere, quam regnare. Dico igitur, Hengistum, hoc anno, ambiisse potius Regiam potestatem quam possedisse. Quod ut Vortimero innotuit patri, Britannisque omnibus author fuit [illegible] nascendi cupiditatem, in [illegible] extinguere ne si porrò serperet, evelli non posset. [illegible] Malmesburiensem, qui, dicit. *Vortimerus [illegible] Vortigerni, haudquaquam ultra*

Hengistus [illegible] Vortimerus. Malmesb. de [illegible]

dissimulandum ratus; quod se Britonesq́; suos, Anglorum dolo perverti cerneret; ad expulsionem eorum mentem intendit; simulq́; patrem ad in in audendum intendit. Hoc igitur auctore, post annos septem adventus eorum fœdus fœdatum, &c. hæc ille. quod ad tempus attinet; hic septimus annus ab eorum adventu numeratur; post quem inceptum, cœpit Vortimerus, Hengisto palam irasci & e us conatibus obviare. Sic enim passim Authores alii, annum hunc supputant, ut mox videbimus.

II. In Hengistum pugnat.

Itaque Vortimerus hoc anno militem cogit, & Hengistum in Cantio res novas, jam inde initia molientem aggreditur. Nec segnior ad prælium Saxo, qui provinciam Vortigerni dono acceptam, & matrimonii jure firmatam, retinere mordicùs nitebatur. Pugnatum est in loco, ubi Medwegus fluvius oppidum alluit, quod hodie Alesford; olim Eaglesford, vel ab hoc concursu Anglesford dictum. Pro Britannis Duces erant Ambrosius Aurelianus qui primam aciem Vortimerus qui secundam & Catigernus qui tertiam ducebat. Saxones duo fratres Hengistus & Horsa regebant. Cæterum etiam hodie certatur, quinam in eo prælio victores evaserint. nam in quos fortuna belli principio inclinavit; ii ipsi, si Huntindonium sequimur, victi demùm fugatique sunt. *Anno septimo*, inquit, *adventus Saxonum in Angliam, commissum est bellum apud Aleihreu* (ita ipse locum appellat) *principio ergo, percussit Horsa aciem Catigerni, tanto vigore; ut ad modum pulveris dispersa prosterneretur, & filium Regis prostratum occidit. Guortimer autem frater ejus, vir verè strenuissimus, ex obliquo aciem disrupit, & ipso Horso interfecto, virorum fortissimo, reliquæ cohortis ad Hengistum fugiunt, qui cum Ambrosio unum invictè confligebat. Totum ergo pondus prælii versum est supra Hengistum: & probitate Guortimeri coarctatus, cum diu perseverasset; non sine magno detrimento Britannorum victus, qui nunquam fugerat, fugit.* Ita ille, cui consentit Matthæus Westmonasteriensis, & annum consignat 455. Wigornensis autem licet in anno conveniat, diserte tamen dicit, Hengistum, occiso fratre, victoriam obtinuisse: & postea, cum filio Æsca regnare cœpisse. Ethelwerdus etiam cæteris antiquior Cantiani regni initium huic Saxonum victoriæ videtur attribuere. Cum enim dixisset, impletum esse numerum annorum Christi 445 mox addit. *Anno in sexto post, inierunt bellum Hengist & Horsa, contra Wirthgernum in campo Eglesthrepe Ibi interficitur Horsa & Hengest cœpit regnum.* Hic annus sextus post annum 449. est septimus annus adventus Saxonum; & sequenti anno Cantiani regni exordium ponitur. nunc opima belli spolia colligamus.

Huntindo. l. 2.

Catigernus occiditur. Horsus interficitur.

Ethelwerdus l. 1.

III. Horsi sepulchrum

Duo belli duces, qui in hac pugnâ ceciderunt, desideratique sunt, Horsa & Catigernus vocabantur. Ille Hengisti frater, sepultus est non procul à prælii loco, qui hodieque Horsted dicitur, nominis ejus monumentum. Dux alter, Vortimeri frater, Catigernus. *Magnifico elatus funere* (ita scribit Camdenus) *contumulatus creditur prope Ailesford; ubi quatuor illa vasta saxa erecta, aliis transversarius superimpositis ad formam Britannici ejus monumenti, quod Stonehenge dicitur quæ vulgus imperitum a Catigerno Keith coty house, hodie vocat.* Ita ille. Cum audis Catigernum Britannum & Christianum hominem, magnifico, præ Horsa infideli, elatum funere; puta illum Christiano more sepultum & erecta illa trans-

Camden. in Cantio.

et Catigerni.

versa que ... Crucis figuram expressisse. ... enim ... illo Christiani hominis ... infidelium sepulchris, Christiana distin- ... S. Patricii, & supra retuli ... 2. ... Et nota C... ad fidelium ... poni, ut C... ni transeuntes ... quie... pe... ucibus merita implo- ... quemadmodum ... it pro Monicâ matre Augustinus supra quod hodieque fit ab orthodoxis, ... cæmeteria pe transeunt. & ... hic antiquam, ut vides, habet originem.

Christianus mos sepeliendi.

An. ...

Nascitur hoc anno in Britannia, ex infideli Saxone Richardus ille qui toties in Andriensi apud Calabros Ecclesia, ... anitur sanctus. & prima fuit è spinis rosa, & ... bulis ficus primus inquam, qui è pagana gente hanc Insulam ingressa, natus in sanctum evasit. Quod ad tempus spectat, huc omnino referri debet quod legitur in vita ejus, & Officio Andriensis Ecclesiæ, in hunc modum. *Richardus, natione Anglicus, nobilissimis parentibus ortus est, anno salutis quadringentesimo quinquagesimo quinto. Quo tempore præerat Ecclesiæ Leo primus, & Marcianus Imperio Romano, Attila Italiam infestante.* Significat planè præsentem annum, quo Valentinianus Imperator dolo Maximi obtruncatus, eidem Maximo purpuram imperium & Eudoxiam reliquit conjugem. Hic est ille Maximus, cujus supra facta mentio in martyrio Ursulæ. Ad Attilam quod attinet ille quidem superiore anno, Aetii hortatu, muliebri manu confossus interiit. Sed hoc anno Gensericus Vandalorum Rex, ex Africâ *in Italiam ingenti classe adnavigans*, inquit Procopius, *Romam, nullo adversante, facile ingreditur, Maximum e vestigio Romani fugientem insectati, lapidibus obruunt, membratimq́; discerpunt.*

IV Richardus An... A...

M... habet 441 ... mal.

Maximus Imp. An ... n.

Attila occiditur.

Procopius de bello Vandal l. 1.

Maximus occiditur.

De Richardi patriâ dubitari non debet, cum centies in vitâ ejus, Anglia nominetur; sed & Ecclesiasticum Officium hoc sæpè repetit, ut hi versus testantur:

V. Richardi patria.

Officium Vesperar.

Almi laudes Confessoris
Richardi Beatissimi
Resonemus cunctis horis,
Mente Deo proximi.
Tantâ prole fecundata
Felix gaude Anglia:
Quam ad dona Deo data
Petri trahunt retia.
O solamen miserorum,
Richarde Beatissime,
Cunctas pelle sordes morum,
Confessorum optime.
Pater sancte Deo chare,
Cum prece assiduâ
Semper Deum deprecare
Pro dilectâ Angliâ.

Et iterum in Hymno Vesperarum, ante Magnificat cantari solito, ita legit Andriensis Ecclesia.

Lux & decus Ecclesiæ,
Servator innocentiæ,
Tu sanctitate præditus
Richardus Beatissimus.
Qui natus est in Angliâ
Ex nobili prosapiâ,
Dei repletus gratia
Mundana vincens gaudia.

Cæterùm ubique κατάχρησις est: necdum enim Britannia in Angliæ nomen concesserat. Sed quoniam inter Saxones, qui Insulam intraverunt, Angli quoque erant, & illi postmodum

VI. Angliæ nomen.

in numerum nomenque, præ Saxone, creverunt; ab illis demum provincia, appellationem sortita, & Richardus inde, Anglicus dictus est. Enimvero parentes, quà fidelium Britannorum consortio, quà naturæ bonitate, facilè poterant in Christianorum Deum affici: & filius inde pietatem discere. Sic enim de eo scribitur: *Richardus cum omnibus pueritia & adolescentia temporibus, sacris literis operam daret; non se luxui, aut cæteris vitiis, quorum ea ætas plurimum abundare solet, corrumpendum dederat; sed summâ pietate, parentes & majores suos colendo & observando, quam futuræ sanctitatis spem vultu ostendebat, ita operibus comprobabat; ut in tantam claritatem authoritatemq; brevi pervenerit; ut non solùm à parentibus summè diligeretur, sed etiam ab omnibus veneraretur. Erat enim ejus sermo suavis; non quidem de inanibus & lascivis verbis: sed de virtutibus, cultu divino, fide atque charitate plurimâ. Ejus conversatio in Ecclesiis, cum honestis & doctissimis viris erat; attenteq; eos audiens lectionibus insudabat: in animumq; sibi induxerat officio divino, & sacris literis operam dare; memorq; fragilitatis humanæ, & quàm facile natura hominum, prona in malum, in vitia corruat, nisi benignitas Salvatoris subveniat; omnem spem suam in Domino collocaverat.* Hæc ibi. Sed quoniam processu temporis, inter inanium Deorum ritus, & sacra quibus Insula scatere paulatim cæpit, explicare non potuit impetum pietatis suæ; relictâ patriâ, in Italiam perrexit, ut infrà dicetur. Hic enim, quia Saxo invalescere incipit, & in Cantio regnare; Britannos invocare debeo ot novi regni incremento, si non exterminium, at saltem remoram injiciant.

Richardi pueritia.

In Officio lect. 4.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1207.

ANNUS CHRISTI 456.

LEONIS PAPÆ 17.

VORTIMERI REGIS 3.

I. Cantiani regni exordium.

SEQUENS annus, qui fuit Christi quadringentesimus quinquagesimus sextus, Joanne & Varane Coss. Hengistum Saxonem Regem in Cantio fecit. Is vivente fratre, Ducis officio potiùs quàm Regis, functus; eo demum mortuo absolutum in omnes imperium cepit. Quod ut diuturnum esset, Romanorum more, Esbam filium adlegit in regni societatem. Britannus id tulit impatientissimè; externos nimirum, & mercenarios homines, regnum præsumere. Quare acriùs in illos surgere, armare militem, munire provinciam, vastare Cantium, & novi regni fundamentum convellere; nè porrò pergeret ædificium. Ita sensit Hengistus sub aureo regni cortice, angustias & labores esse: & Britannos irasci posse, & pugnare, cum lacessuntur. Cum enim hoc anno, tertiùm in illos pugnasset, coactus est pedem referre, minutus majestate. *Anno gratia.* loquitur Florilegus, *456. Horso defuncto, Saxones Hengistum fratrem ejus, in regnum Cantia sublimaverunt. Quo etiam anno, ter contra Britones pugnasse legitur. Sed probitati Vortimeri resistere non valens, ad Insulam Tanet confugit. ubi quotidie prælio navali vexabatur. Tandem Saxones cumbis suas ingressi, relictis mulieribus, & filiis, in Germaniam redierunt.* Sed hoc, anno sequenti. licet hic Authores, & tempora, & prælia confundant.

Hengistus Rex et Esna filius.

Florilo. hic.

A Vortimero fugatur.

Magna sine dubio utrimque facta strages; & Saxonum plurimi perierunt. unde Hengistus, de reditu in patriam cogitare, & novum inde supplementum petere, ad regni quod nutabat firmitatem; coactus est. Britanni etiam in tantâ agrorum ac urbium vastitate, non pauci desiderati: quod direpta civium bona, eversa templa. profanata altaria testari videntur. Author est Joannes Stous, Sacerdotes, & religiosos homines, unà cum Voadino Londinensi Archiepiscopo, hac bellorum tempestate, è vivis sublatos esse. & addit: omnes in Cantio sacræ ædes, sanguine profanatæ: moniales aliæque religiosæ personæ hominum violentiâ prostitutæ, domibus, bonisque exutæ fuerunt. Ita nuperæ factioni, quæ iisdem gradibus in schisma descendit, prælusit infidelis Saxo. Quod enim ille in agro Cantiano, hoc anno præstitit; hoc idem alter Saxo, post mille annos; non militari licentiâ, ut modò factum; sed studio, & sub religionis larva fecit, Monasteria evertendo, & monales à castitatis consilio trahendo ad impuras damnatasque nuptias. Quoties itaque in rebus fidei controversis, ad prima secula appellatur; & aut Romanæ fidei, aut nuperæ factionis socii quæruntur. Ut potest, & debet Roma, in classem suam legere religiosos hosce & monales, qui in Cantio fuerunt, cum omni Britanniæ populo, & cleri principe Voadino: quos vel Monasteria fundasse. vel eadem integra illæsaque servasse, certum est: ita potest & debet nova secta, Hengistum & barbarum Saxonem, in partes suas trahere: qui sacra omnia conculcantes, etiam virgines violarunt.

II. Magna hominum strages.

Stous in Vor tigerno.

V. Adinus artyr.

Ecclesiarum vastatio.

Verum Voadini Episcopi reverentia postulat; ut non ita levi calamo, tanti viri memoria, paucis transeatur. Qui enim principem Ecclesiam in Britannia rexit; qui populum docuit, qui Reges monuit, & labantem Remp. pientissimè sustinuit; meretur enimvero ut in cælo præmium, ita in Annalibus Britanniæ æternum nomen. Quod spectat ad causam martyrii ejus; non alia fuit ab ea, quæ Joannem Baptistam martyrem fecit. Cum enim Herodes noster (Vortigernum intellige) viventi conjugi superinduxisset alteram: dicebat ei Joannes noster; non licet tibi habere eam. Quod adeo Herodiadis parenti displicuit, ut misso spiculatore amputari jussierit caput ejus. *Chamber in vita Vortigerni* (refert id Richardus Vitus) *admonitionem Voadinus ait habuisse duo capita. Unum, de prohibitâ ipsi distributione bonorum, quæ sunt de patrimonio, sive coronâ regni; sine consensu trium ordinum status Britannici: nempe cleri, nobilitatis ac populi. Alterum caput erat, quod in matrimonium accepisset ethnicam uxorem, suâ propriâ adhuc vivente. contra quam non potuit afferre causam, cur obtineret sententiam divortii. Hengistumq; utramque reprehensionem vindicasse, morte ipsius Episcopi.* ita ille. Quod ad primum caput attinet, Cantiani agri donationem intelligit, Hengisto à Rege collatam: quam sine dubio proceres æquè ac populus indignè tulerant; in ethnicos, barbarosque, cum Ecclesiarum fideique injuriâ distrahi. Cæterùm Sacramenti reverentia quam nova nupta vitiaverat, ad factorum principem imprimis spectabat: & illa potissima martyrii causa fuit, & sufficiens. Si enim in Martyrum syllabo omni merito numerantur,

III. Voadinus cur occisus?

Re Vitus l. 7. in nota 10.

qui persecutionem patiuntur propter justitiam: Voadinus qui pro matrimonii jure dixit fecitque fortiter, meretur inter martyres locum.

IV. *Martyr Anglic. 23. Iulii.* VOADINUS AB HENGISTO OCCISUS.

Quamobrem benè in Anglicano Martyrologio, Sancti hujus memoria recitatur ad vigesimum tertium Julii in hunc modum. *Londini commemoratio S. Vodini Martyris & Archiepiscopi Londinensis: qui eximiæ sanctitatis vir, Vortigernum Britanniæ Regem redarguit, quod à legitimâ uxore divertens, infidelem duxisset. Quapropter Hengistus, Cantii Rex, superinductæ parens, furore incensus, jussit S. Episcopum una cum multis aliis Sacerdotibus, virisq. religiosis, interfici.* Ita ibi. Quod autem additur hos martyrio coronatos anno Domini 450. meliùs ad hunc annum referri potest: quo toties ab Hengisto pugnatum. Cæterùm valde placet, quod ibidem dicitur: cum Voadino sancto, Sacerdotes multos, virosque religiosos, unà donatos coronâ martyrii: quia inde constat; bonos omnes Vortigerni Regis libidinem, & illicitum thorum execratos esse. Nec alter sexus fraudari debet martyrii gloriâ; cum suprà Jo. Stous disertè affirmaverit, moniales quoque, hac barbarorum incursione passas.

OCCISÆ ET VIRGINES SACRÆ.

Habeant ergo illæ pari jure, cum Voadino, & cæteris Martyribus locum. Et ut nuper Ursula, sociæque pro virginitate certantes, victoriam loris habuerunt, cælumque ac Britannias ornaverunt, magno numero: ita domi hoc annò, moniales plurimæ, in cælestis sponsi amplexus, infideli manu migraverunt; dignæ profectò sacris fastis, & posterorum Annalibus victimæ.

V. QUID BEDA ET GILDAS DE MARTYRIBUS.

Miratus sum aliquando, cur nemo antiquorum Voadini Episcopi, & cæterorum martyria recensuerit: sed ubi Gildam & Bedam diligenter legi; vidi constantem in illis de hac Sanctorum carnificinâ mentionem. Beda illam intellexit cum dixit: *Agente impio Victore, justo disponente justo judice, proximas quasque civitates, agrosq. depopulans, ab Orientali mari usque ad Occidentale, nullo prohibente, suum continuavit incendium; totamq. prope Insulæ pereuntis superficiem obtexit. Ruebant ædificia simul & privata. passim Sacerdotes inter altaria trucidabantur; PRÆSULES cum populis, sine ullo respectu honoris, ferro pariter & flammis absumebantur. nec erat qui crudeliter interemptos sepulturæ traderet.*

Beda l. 1. c. 15.

Gildas quoque præpositorum Ecclesiæ meminit, & Sacerdotum à Saxone interfectorum. Unde pro Voadini aliorumque martyrio, sufficiens est, & antiqua authoritas. Voadino in Londinensi sede putatur successisse Guitelinus, ut supra, quem alii Gosselinum vocant.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1208.

ANNUS CHRISTI 457.

LEONIS PAPÆ 18.

VORTIMERI REGIS 4.

I. LEO ORIENTIS IMPERATOR.

ANNO Christi quadringentesimo quinquagesimo septimo, Constantino, & Rufo Coss. Marciano Imperatore defuncto, & Leo in Orientis imperium subrogatur. cum paulò post, Occidentis imperium Majorianus suscepit. olim ob victos Francos, & superatos Alemannos, Magister militiæ creatus.

II. HENGISTUS E BRITANNIA SOLVIT.

Hengistus, qui superiore anno in Tanatum Insulam pulsus, multum militem amiserat; animum tamen, & regnandi cupiditatem, non amisit. nam anno sequenti, hoc est, Christi 457. è Britannia solvens; novum in continente conscripsit militem. Quo iverit incertum, sed certum est, multo auctum milite, paulò post reversum. Quod in Bataviam trajecerit, argumentum est arx Lugdunensis, ab eo ibi posita. Cornelius Kempius in suâ Frisiâ l. 2. scribit, Hengistum, Regis Frisiæ filium, è Britannia pulsum, Lugdunensis urbis primum fundatorem fuisse: *Leidis*, inquit, (ita Lugdunum illud dicitur) *ab Hengisto filio Regis Frisiæ ex Britannia pulso, primo ad ripam Rheni fundata, & temporum successu est multiplicata, uti etiam Annales referunt.*

Corn. Kempius de Frisia l. 2.

Alius verò Junius Dousa, in oda Lugdunensi, Hengistum ait, tunc Burgum posuisse, cum victor rediit è Britanniâ. nam ita de Burgo canit:

Quem circinato mænium ut ambitu,
Sic arcuatis fornicibus novum
Putatur Hengistus, Britanno
Orbe redux posuisse Victor.

III.

Sed reverà nec Victor Hengistus, nec propriè pulsus è Britanniâ: discessit enim cum Britannorum agros urbesque vastasset, amissis è suis plurimis: discessit, inquam, ut fortior, & instructior rediret. rectissimè Malmesberiensis. *Primâ*, inquit, *congressione, æquâ utrimque fortunâ discessum: dum hi Horsam fratrem Hengisti, illi Catigis* (ita Categernum vocat) *alterum Regis filium, magno justitio desiderarent. In cætera, cum Angli superiorem semper manum referrent, pax convenit.*

Malmesb. Regib. l. 1. c. 1.

Unde colligo Hengistum, licet in Tanatum pulsum studio tamen, & majoris militiæ colligendæ causa, egressum ex Insulâ. Nec enim superiorem semper manum Angli retulerunt, vivo Vortimero. de cujus nunc morte agendum. licet enim Matthæus Westmonasteriensis ponat eum mortuum anno Christi 460. hoc est, postquam sex annos regnasset. Alii tamen, opinor, rectiùs ad hunc annum consignant.

VORTIMERUS MORITUR.

IV. DE RATIONE MORTIS EIUS.

Non minus varii sunt Authores, quo mortis genere defunctus sit: his morbum, illis venenum causantibus. Qui Britannorum rebus adblandiuntur Monumetensis, & eum secuti Westmonasteriensis, Sigebertus, Richardus Vitus, & alii; affirmant Rovenæ fraude venenum illi propinatum, atque ità mortem acceleratam esse. de quo ita Sigebertus: *Vortimeri bonitati diabolus invidens, incitavit animum novercæ, ut per aliquem familiarem suum, dono corruptum, daret ei venenum mortiferum. quo hausto, cum mortem sibi sentiret imminere, divisit thesauros suos, hortatusq. milites pro patria fortiter contra hostes præliari, jussit pyramidem æream fieri; & in portu, quo Saxones applicare solebant locari. & super eam corpus suum sepeliri. ut viso tanti viri sepulchro, territi hostes ad propria redirent.*

Sigebert. an. 457.

Verùm quod ad Vortimeri jussum spectat, cum alienum id à Christiani principis pietate fuisse videatur; meliùs putatur à posteris confictum. ipse enim Christiano more sepeliri; & animæ suæ consulere, quàm Scipionis Africani instar, hoc terriculamentum esse maluit. Nec ibi inter infideles; sed Londini inter Christianos sepultus est. quod & Sigebertus fatetur. *Sepultus est*, inquit, *in urbe Trinobantum, quæ modò Lundonia appellatur.*

Sigebert. sup. LONDINI SEPULTUS.

Cæterùm quod ad venenum attinet, Vortimero propinatum; cum antiqui illud tacuerint: cur non cum Huntindonio dicemus:

Regnante

Hunt. l. 2.

Regnante Leone Imperatore morbo periit flos juvenum Gortimerus: cum quo simul flos & gloria Britonum extincta est? Malmesberiensis in medio rem relinquit, vel potius cum Humindonio est; ait enim: *Guertimero, fatali sorte, sublato; qui multum à facilitate patris abhorrens; egregiè regnum moderabatur: Britonum robur emarcuit, spes imminutæ retro fluxerunt.*

Malmesb. de Regib. l. 1.

V. Vortimeri laus. Sigebert. suprà.

Fuit Vortimerus, imperio, si paternum funus expectasset, dignus: ita pro fide & patriâ pugnavit. nam teste Sigeberto, *renovavit Ecclesias ab infidelibus destructas, & possessiones civibus ereptas restituit.* Sunt etiam qui tradant eum Cantabrigiensem scholam, à Pelagianis eversam, nitori pristino restituisse: Sed quia Oxoniensis scholæ advocatus, Brianus Twynus in Apologia, id controvertit; ego nolo rem arbitrari. Placet autem id quod habet Chamber apud R. Vitum, Vortimeri *in vexillo bellico, imaginem IESV CHRISTI contra Saxones portasse:* hoc enim Regiæ & antiquæ fidei argumentum est. nam Valentinianus Imperator; quem paulo ante sepelivi; inter alia pietatis monumenta, *fecit imaginem auream* (inquit Hadrianus Papa in literis ad Carolum Magnum) *cum duodecim portu, & Salvatore, gemmis pretiosis ornatam: quam voti gratia, super confessionem B. Petri Apostoli posuit; & à tunc usque hactenus, apud nos ab omnibus fidelibus venerantur.* Hinc vides imaginum, non usum solummodo apud principes viros, sed cultum fuisse hoc ipso tempore. & quod olim Constantinus Cruce, hoc idem Vortimerus Salvatoris imagine, præstitit; cum in Christiani nominis fideique hostes pugnavit: eosque salutari vexillo pressit ac profligavit. & hæc in eo fuit potissima vincendi causa. Quod etiam legere est in Arthuro illo bellicoso milite; qui ut infra dicetur, Deiparæ imaginem Saxoni opposuit, victoriamque sæpius reportavit.

Twin. in Apolog. l. 1. R. Vitus l. 7. ad notam 21.

Imaginum usus et cultus. Hadria. Epist. 9. 10. 2. Epp. Ro. Pont.

V. an. 493. 7. 8. 9.

VI. Hengistus redit, et regnat.

Ut rediit in Britanniam Hengistus, milite auctior; gravissimè Britannos pressit. nam hoc eodem anno, explicuit aciem, & vario certamine, pro Cantii imperio, quod Vortimerus delibaverat, decertavit. unius prælii meminit Florentius Monachus, ad hunc annum ita scribens: *Hengistus & Aesca, in loco qui dicitur Creccanford* (hodie Craford in agro Cantiano) *cum Britonibus prælium commisere: & ex eis quatuor millia virorum in ore gladii periere: reliqui Cantiam penitus dimisere: & cum magno metu ad Lundoniam fugère.* Factum hoc prælio, strageque hominum, ut Hengistus omni Cantio potitus, nunc iterum se Regem dixerit: & iden fortè in fastis, qui è Malmesberiensi aliisque collecti sunt; hoc primùm anno, Hengistus regnasse scribitur. Hontindonius id satis insinuat, cum prædictam victoriam recensens, ita loquitur: *Hengist, & Aesc filius suus, receptis auxiliis à patriâ suâ, & morte strenui freti,* (Vortimerum intelligit) *bello se præparant apud Creganford. Britanni verò quatuor phalangas maximas, quatuor ducibus munitas fortissimis, bello prostituunt. Sed cum ludum belli Britones misissent; numerum Saxonum majorem solito malè ferebant. Recentes quippe qui supervenerant, & viri electi erant; securibus & gladiis horribiliter corpora Britonum findebant: nec tamen cessarunt; donec quatuor Duces eorum prostratos & cæsos viderunt. Tunc, ultra quàm credi potest, perterriti; à Kent usque ad Lundoniam fugerunt, & nunquam in Cantiam postea gratia pugnandi venire ausi sunt. Exinde regnavit Hengist & Esc filius suus in Cantuariâ. Regnum igitur Cantiæ incepit octavo anno adventus Anglorum.* Hæc Huntindonius. Quæ non adversantur iis quæ superiori anno dicta sunt, si ibi Cantiani regni rudimenta; hic quietam plenamque ejus regni possessionem intellexeris. eo ferè modo qui Scotos Pictosque suprà regnasse dixi.

Floren. Wigo. hic.

Pugnat et vincit.

Huntind. l. 2.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1209.

ANNUS CHRISTI 458.

LEONIS PAPÆ 19.

VORTIGERNI REGIS iterùm 17.

I. Vortigernus iterum regnat.

Elato Vortimero, Vortigernus parens, qui quadriennio privatus vixerat, non Saxonum aut Hengisti castra secutus; ut aliqui putaverunt: sed potiùs, priorem vitam pertæsus, sua ipse consilia damnasse plerisque videbatur. Ea propter, spe frugis melioris, communi provincialium suffragio, pristinæ dignitati restituitur, anno Christi quadringentesimo quinquagesimo octavo, Leone & Majoriano Augustis Coss. ut labantem Britannorum Remp. ipse, qui diu eam tractaverat, sustineret. Sed falsi sunt: Hengisti filia ita Regium pectus occupaverat, mentemque ejus fascinarat: ut impunè Saxo regni sedem tenuerit firmaritque. cum interea Vortigernus amoribus indulgens, quietæ vitæ studiosior, quàm ut civium commodis, aut Britannici nominis dignitati, consuleret. Unde factum, ut languere indigenarum animi, premique; efferri verò & florere hostium cœperint.

II. De S. Germano et pugna eius contra Saxones.

Hic aliqui satis importunè, Germani Altisiodorensis adventum in Britanniam, fugatosque ab eo mirabiliter Saxones, consignant. de quo nos suprà. *Putant enim victoriam illam, contra Saxones necessariò collocandam, post eorum ingressum, sedesque fixas in Britanniâ. Unde Sigebertus illam refert ad Vortimeri Regis, Galfridus Monumetensis, ad Vortigerni tempora. Cum enim in Saxones pugnatum sit, Constantio, Beda, Hontindonio, aliisque testibus, vix aliò referri posse videbatur. Polydorus Vergilius l. 3. ait Vortimero mortuo successisse Uterum, cognomento Pendraconem: & sub eo Rege, Germani Apostolatum narrat. Sed infinita hinc sequuntur ἄτοπα. nam Germanum ante hunc annum mortuum esse, omnes clamant historiæ, & suprà satis probatum. Nec enim commodè in turbatâ adeo provinciâ, inter lituos & classica, fides orthodoxa reformatur. Quare nec provinciæ status, nec ratio temporis, nec rerum gestarum series, Germanum Episcopum, cum Germano milite patiuntur esse. Alii hoc argumento convicti, non dubitant asserere; Constantium in vitâ S. Germani, & Bedam, malè ponere, Britannos, auxilio S. Germani, Saxones fugasse; cum Sanctus ille, ab ingressu Saxonum Britanniam nunquam inviserit. Probant assertionem, è Prospero, & Baronio, qui primum Germani Apostolatum assignant anno Christi 429. ut suprà vidimus: Qua ergo ratione potuit, Paschali cantico Alleluia, infidelem Saxonem Germanus terrere, qui dudum mortuus Apostolatum, Episcopatum, & vitam posuerat?

*V. an. 429. 32.

III. Solvitur difficultas.

Hic nodus plurimorum manus fatigavit, qui frustrà eum solvere conati sunt: & verò qui carptim, hinc inde historica delibat, nec temporis, aut annorum filum sequitur; sæpè hæret in labyrintho, & exitum non facilè reperiet. Sed si omnia lustrando, rerum gestarum filum tenueris, facilè omnia compones: nec opus erit, aut Constantium, aut Bedam, aut Baronium, inter se committere; aut errorem illis oscitant ámve impingere. Dic ergo, quod certum est; Saxonem, diu antequam à Vortigerno in Insulam vocaretur, venalem militem, & piratam, in Oceano Britannico, fuisse: & tunc (ut postea à Vortigerno) a Pictis, Scotisque solicitatum, ut in Britannos socio fœdere pugnaret: tunc Germanum in Britanniâ fuisse: tunc in Pelagium, unâ manu; alterâ, in Saxonem Pictosque cum Britannis decertasse; non ad austrum, aut orientem Insulæ, ubi Hengistus regnum inchoavit; sed vel ad Septentrionem, ubi Picti Scotique, Britannis ad murum imminebant: vel ut suprà monui in Ordevicibus & agro Flinteosi. Distingue ergo Pictorum Scotorumque olim cum Britannis velitationes, bella, & certamina, à nuperâ Saxonum & Britannorum factione: & expedita sunt omnia, quæ suprà perplexa & impedita videbantur. Beda, è Constantio, signatè ponit, si benè advertatur, hanc rerum temporisque differentiam: dicit enim: *Interea Saxones Pictiq., bellum adversum Britones juncti viribus susceperunt; quos eadem necessitas in castra contraxerat*, &c. En, non Britanni pugnant in Saxonem, Germani tempore; sed Saxo, Pictis conjunctis, Britannos aggreditur inermes, & impares, ut patet historiam legenti: ubi etiam quia dicitur: *Plures etiam timore præcipites, flumen quod transierant, devoravit*: facilè colliges, ibi pugnatum, ubi fluvius Pictos a Britannis disterminat, non ad Trentam fluvium, ut Polydorus Vergilius autumat, quia Mediterraneus est: non in Cantio, & in Hengistum ubi nulla Pictorum memoria. Sed potius vel ad Tinam, vel Tuedam, claustra provinciarum: vel certè ad Alenum propè Devan & mare Vergivium ut suprà. Hinc corrigi debent omnes, qui Germani adventum & Apostolatum in Britanniam, ac consequenter victoriam ejus, post Hengisti appulsum, & Cantiani regni exordium ponunt. Fefellit illos Bedæ narratio, qui cum c. 15. Hengisti & sociorum adventum recensuisset, ad annum Christi 449. postea Germani Apostolatus, & demum c. 20. victoriæ mirabiliter obtentæ, meminit. Unde suspicari quis jure posset, post fœdus cum Hengisto initum, illa contigisse: nisi idem Author c. 17. (ubi prima Germani mentio) dixisset: *Ante paucos annos adventus Saxonum hæresis Pelagiana*. &c. ubi clarè significat, se ad superiora tempora, orationem convertere. Bedam secutus Huntindonius, eodem modo debet exponi. Cæterùm quàm olim Saxo Pictis conjunctus, Britannis gravis fuerit, dixi suprà non uno in loco ex Ammiano Marcellino. & poëta Claudiano, qui in laudem Stiliconis, ita loquentem fecit Britanniam;

Illius effectum curis, nè bella timerem
Scotica, nec Pictum tremerem, ne littore toto
Prospicerem dubiis venientem Saxona ventis.

Cum hæc de quæstione ista scripsissem, gavisus sum omnia confirmari ab Usserio, qui c. undecimo, de primordiis Britannicarum Ecclesiarum, ita ferè difficultatis nodum explicat, & solvit antichronismum plurimorum.

Saxo piratia Pictis prius iungitur in Britannos.

An. 429 12.

Bed. l. c. c. 20.

Beda sup.

Polyd. Vergilius l. 3.

Huntin. l. 2.

An. 364. 2. & an. 365. 3. & an. 391. 3.

Claudia l. 2. de laud. Stiliconis.

IV. De Uthero Pendragone.

Similis antichronismus est, quem ad hunc annum 458. ponit Jacobus Malbrancq in Chronologiâ, & l. 2. de Morinis: utrobique dicit. Utherum Ganiam filiam unicam junxisse Lingomiro seu Leodegario: (unde Bononienses Comites emerserunt) cum priùs Leodegarius Utherum, contra Saxones, juvisset. Cæterùm quod dicit Walliæ provinciam, à Leodegarii cognomento, Wallia, nomen sumpsisse, Authoribus nostris inauditum est. Sed nec Utheri virtus explicari adhuc debet; qui nonnisi post Vortigerni successorem, Ambrosium Aurelianum, rerum summâ potitus, egregiè se Saxoni opposuit, sub annum Domini 498. Tunc quidem potuit Leodegarius, cum sua in Arvernis, aliisque Galliæ regionibus, Gothis & Francis permisisset, in Britanniam nostram secedere, Utherum in expeditionibus adjuvare, filiam promereri, & Bononiæ Comites habere nepotes: necdum tamen Walliæ nomen in hac Insulâ innotuit: quod eo ferè modo notum putamus, sequenti sæculo; quo à Flandris in Belgio Wallones appellati sunt: aut certè quo Græci primò, deinde Romani, barbaros dixerunt hebraica dialecto, quotquot lingua moribusque pro externis habebant. nec enim re, sed tantum dialecto differunt, Walli, barbari, externi. Cæterum si rectam temporis rationem inire volumus; Ambrosius Aurelius, qui cum Uthero fratre in Galliis exulaverat; necdum in Britanniam redierat, hoc anno 458. sed uterque Vortigernum fugiens, & in Armoricâ latens, adolescebat in spem resumendæ purpuræ, quam hæreditario jure sibi debitam credebat.

Malbrancq in Chronol. hic. & l. 2. de mor. c. 36.

Walliæ nomen unde?

ANNUS URBIS CONDITÆ 1210.

ANNUS CHRISTI 459.

LEONIS PAPÆ 20.

VORTIGERNI REGIS 18.

I.

ANNUS Christi quadringentesimus quinquagesimus nonus, Consules habuit Ricimerem atque Patricium: quo *res gestæ in Occidente, obrutæ penè noscuntur esse silentio*, inquit Baronius. Illud tamen dignum est memoriâ, Fide Regia, & Annalibus nostris, quod Leo Papa, decretali Epistolâ ad Episcopos Campaniæ, Samnii, atque Piceni, ubique observandum præcepit: nimirum baptisma celebrandum, præmissis catechismis, exorcismis, atque jejuniis; nisi necessitas aliud suaderet. Illa enim olim ab Apostolis ad Sacramenti solennitatem præscripta in Baptismo adultorum; quibusdam in locis, aut non omnino, aut parùm reverenter fiebant. Et quoniam, eo fortè modò, peccatum est à Britannis, cum M. Gregorius Augustinum misit in Britanniam; in patet è Synodo, quam refert Beda: ut videat etiam Lector, quàm jure tunc Augustinus Ro. Ecclesiæ consuetudinem urserit; & quàm injuria nunc factiosi ritus illos traducant; ecce loquentem S. Pontificem. *Magnâ indignatione commoveor, & multo dolore contristor, quod quosdam ex vobis comperi, ita esse Apostolicæ Traditionis oblitos; & studio sui erroris intentos; ut præter Paschæ festum, cui sola Pentecostes solenniter*

Baron. hic.

Baptismi ritus a Leone præscripti.

Beda l. 2. c. 2.

Leo Epist. 80.

comparatur;

comparatur; audeant sibimet, non aliqua humana infirmitatis necessitate cogente; sed sola indisciplinati arbitrii libertate, jus baptismatis vindicare: & in natalibus Martyrum; quorum finis aliter honorandus est, quàm dies Dominica passionis; regenerationis celebrare mysteria: ac sine ullis spiritualium eruditionibus præparationum; ita rudibus & imperitis tradere Sacramentum; ut circa renovandos, nihil doctrina Ecclesiastica, nihil in exorcismis impositio manuum, nihil ipsa jejunia, quibus vetus homo destruitur, operentur; neque in tanto mysterio salutis humana, ulla ejus diei habeatur exceptio; quo ipsum donum est conditum renascentibus. Admonemus igitur, & non sine periculo status eorum, qui hoc faciunt protestamur, ut ab hac præsumptione cessetur, &c.

II. Beda l. 2. c. 2. PECCATORUM CONFESSIO.

Si hoc idem ursit post annos centum, & quinquaginta Augustinus, si monuit in Synodo Episcopos: *Ut Pascha suo tempore celebretis, ut ministerium baptizandi, quo Deo renascimur, juxta morem S. R. Ecclesia, & Apostolica compleatis,* &c. si Apostolicam traditionem, integram sartamque esse voluit; quid quæso peccavit, fecitne, à M. Leone non factum? Sed aliud est in eâdem Epistolâ, Recimero consule datâ, ubi auricularis & secreta peccatorum confessio, ab Apostolicâ quoque regulâ descendere dicitur: quod dignum est observatione; hoc præsertim calamitoso tempore, quando Sacramenta omnia, ut noviter illa factiosi cuderunt, vilescere, & à prima rectaque eorum conditione abire, plurimùm incipiunt. Præceperant Apostoli, juxta traditam sibi à Christo ligandi solvendique potestatem, peccata omnia secreto clavium sigillo, quod nulla ratione reserari poterat, committi: quo pudori pœnitentium, confessionis integritati, & conscientiarum libertati consultum esset. Permissum tamen aliquando, præceptumque *ab antiquis Pontificibus*, inquit è Sozomeno Cassiodorus, *ut velut in theatro sub testimonio Ecclesiastici populi delicta pandantur*: nimirum, quæ pluribus cognita publicè damnari mererentur. In horum tamen delectu, quà Sacerdotis interdum incuriâ, quà fervore pœnitentis, quà rerum omnium conditione, in pejus passim degenerante, peccatum est aliquando, & flagitia proclamata, quæ reo ignominiam, Ecclesiæ scandalum pepererunt. Hinc visum optimis quibusque, ut retentâ peccatorum confessione secretâ; quam sine dubio Christus injunxerat; publica illa criminum propalatio tolleretur. Ita fecerat in Oriente Constantinopolitanæ Ecclesiæ Antistes Nectarius; & eum in ea sede secutus Joannes Chrysostomus, (qui secretæ confessionis necessitatem pluribus in locis docet. nam l. 3. de Sacerdotio, vult eos, qui Sacerdoti negant in peccata potestatem: *Multi sceleratiores ac majori supplicio dignos, quàm fuerit Dathan una cum suis omnibus.*) Cæterùm in Occidentem error ille pervaserat, & illum Leo Pontifex ita correxit.

Histor. Tripart. l. 9. c. 35.

III. Leo Epist. 80. CONFESSIO PUBLICA TOLLITUR SECRETA RETINETUR.

Illam etiam, contra Apostolicam regulam, præsumptionem, quam nuper agnovi, à quibusdam illicitâ usurpatione committi: modis omnibus constituimus submoveri (de pænitentiâ videlicet, qua ita à fidelibus postulatur) ne de singulorum peccatorum genere, libello scripta professio publicè recitetur: cum reatus conscientiarum sufficiat solis Sacerdotibus confessione secreta. Quamvis enim plenitudo fidei; videatur esse laudabilis; qua propter Dei timorem, apud homines erubescere non veretur: tamen quia non omnium ejusmodi sunt peccata, ut ea qua pœnitentiam poscunt, non timeant publicare; removeatur tam improbabilis consuetudo; ne multi à pænitentia remediis arceantur: dum aut erubescunt, aut metuunt inimicis suis sua facta reserari; quibus possint legum constitutione percelli. Sufficit enim illa confessio, qua primùm Deo offertur, tunc etiam Sacerdoti; qui prò delictis pænitentium precator accedit. Tunc enim demùm plures ad pœnitentiam poterunt provocari, si populi auribus non publicetur conscientia confitentis. Datum pridie nonis Martii, Recimero Consule. Hactenus Leo. Unde meridiana luce clarius constat, secretam peccatorum confessionem Sacerdoti factam, ex Apostolorum traditione descendere: alteram, antiqui quidem temporis esse: sed ea authoritate, quæ introducta fuerat, antiquatam.

IV. LEO ECCLESIARUM OMNIUM CURAM GERIT.

Et quoniam in Leone sumus, jubente præcipienteque Ecclesiis, non erit fortè Lectori importunum, ut ipse se erga alios Episcopos gesserit, explicare. Erat Dioscorus, Alexandrinæ, hoc est primæ, post Romanam, sedis Episcopus: & nescio quid ille in communem Ecclesiæ consuetudinem peccaverat: quem Leo ita corrigit, & errantem ducit. *Quantum,* inquit, *dilectioni tua, Dominica charitatis impendamus affectum; ex hoc poteris approbare: quod tua firmius desideramus fundare initia: ne quid charitati tua ad perfectionem deesse videatur: cum tibi specialis gratia merita, ut probavimus, suffragentur. Paterna igitur & fraterna collatio debet sanctitati tua esse gratissima, & à te taliter suscipi, quemadmodum à nobis eam intelligis proficisci. Unum enim nos sentire oportet, & agere; ut (sicut legimus) in nobis quoque unum esse cor, & anima comprobetur. Cum enim Beatissimus Petrus, Apostolicum à Domino acceperit principatum, & Ro. Ecclesia in ejus permaneat institutis; nefas est credere; quod sanctus discipulus ejus Marcus, qui Alexandrinam primus Ecclesiam gubernavit, aliis regulis Traditionum suarum decreta formaverit: cum sine dubio, de eodem fonte gratia unus spiritus fuerit, & discipuli & magistri: nec aliud ordinatus tradere potuerit; quàm quod ab ordinatore suscepit. Non ergò patimur, ut cum unius nos esse corporis, & fidei fateamur, in aliquo discrepemus; & alia doctoris, alia discipuli instituta esse videantur. Quod ergo à patribus nostris, propensiore cura, novimus esse servatum, à vobis quoque volumus custodiri,* &c.

Leo Epist. 81.

V. LEO SINE DUBIO IN OCCIDENTIS ECCLESIAS POTUIT.

Quod si Ro: Pontifex Leo, tam constanter imperavit Alexandrinæ Ecclesiæ; quale putes eum in Occidentem nostrum imperium habuisse? Ego certè non dubito, quin ab ore ejus Britannia pependerit, quam hactenus illi sedi devotam vidimus, & in ritibus ubique faventem. Accepit ergo servavitque mandatum illud de sacrificio Missæ, tunc iterando; quando unius oblatio populi frequentiæ non sufficeret. Ita enim eadem Epistolâ Leo præcipit: *Ut autem in omnibus observantia nostra concordet; illud quoque volumus custodiri: ut cum solennior festivitas conventum populi numerosioris indixerit; & ad eam tanta fidelium multitudo convenerit; quam recipere basilica simul una non possit; sacrificii oblatio indubitanter iteretur: ne his tantum admissis ad hanc devotionem, qui primi advenerint; videantur hi, qui postmodum confluxerint, non recepti: cum plenum pietatis, atque rationis sit; ut quoties basilicam, in quâ agitur, præsentia novo plebis impleverit; toties sacrificium subsequens offeratur. Necesse est autem, ut quædam pars populi sua devotione privetur; si unius tantum Missa more servato, sacrificium offerre non possint, nisi*

Leo sup. MISSÆ SACRIFICIUM ALIQUANDO ITERANDUM.

qui primâ diei parte convenerint. Studiosè ergo dilectionem tuam, & familiariter admonemus; ut quod nostra consuetudini, ex forma paternæ Traditionis insedit; tua quoque cura non negligat, ut per omnia nobis & fide & actibus congruamus. Hæc Sanctus Leo.

VI. Corollaria e supradictis.

Ex his sedula & religiosa apis, multos fidei flores colligere, & in Ecclesiæ alveari, ad sinceri mellis conditionem, condere potest. Habet imprimis Ro. Sedis præstantiam, quæ longè positis Ecclesiis jura legesque dictat, illas à majorum traditione errantes corrigit, ducitque in viam rectam: deinque omnium Ecclesiarum sollicitudinem explicat, cum fideles, per universum terrarum Orbem sparsos, anxiè cupit in sacris ritibus esse conformes. Quod hodieque conatur prima sedes. nec aliquid arrogat primis sæculis non concessum, ut suprà vidimus, cum Clementem R. Pontificem Britannia pulsavit, cupivitque doceri, ne ab illa sede differret. Iterum videre est in Leonis Epistolâ, sacrificium Missæ in Ecclesiis solitum celebrari: cui populum interesse aliquando oportebat adeo, ut iterari illud prius necessum fuerit, quàm frequens populus ea devotione privaretur. Quod etiamnum Roma servat, è consuetudine veteri, & formâ paternæ Traditionis acceptum. Denique constat è suprà dictis, quàm nequiter de fide disputent illi, qui magnis conatibus in sacrificium & oblationem, in Ecclesiâ celebrari solitam, surgunt, qui altaria nuper demolui sunt; qui ipsum Missæ nomen in probatis Authoribus hujus sæculi inveniri negent. Vide Magdeburgenses centuria 5. ubi aiunt: *Non immeritò suspecti plerique habentur, qui hac (Missæ) voce utuntur: quòd in vetustioribus, & præsertim hujus (quintæ) ætatis probatioribus Scriptoribus non reperiatur.* Quod apertè novæ factionis infantiam prodit; & illos cum extremâ fortunâ confligere; qui diem esse negant in meridie. Missæ nomen in S. Ambrosio; & Augustino legitur, qui Leonem præcesserunt, ut patet intuenti.

Missæ nomen antiquum esse negant sectarii. *Cent. 5. fo. 729.*

Ambrof. l. 5 Epist. 33. Augustin. sermo. 91. de tempo.

VII. Missæ sacrificium in Britannia.

Hoc Missæ sacrificium, sub hoc tempus in Britanniâ celebratum esse, nullum est dubium; cum Gildas & altaria & sacrificium nominet. Sed & Patricius sanctus, qui etiamnum vivebat, Christi corpus & sanguinem, in Missæ sacrificio confecisse legitur in vitâ ejus apud Probum. cum enim Regias virgines filias Logarenu Principis, de quibus suprà, convertisset: *Tunc baptizavit eas,* inquit Author, *& induit eas veste albâ & candidâ. Quæ cum essent baptizata, postulaverunt videre faciem Christi. Et dixit eis S. Patricius Episcopus: nisi gustaveritis de corpore & sanguine Christi, & nisi mortem corporis senseritis, non potestis Christum videre in gloriâ suâ. Dixerunt: da nobis sacrificium corporis & sanguinis Christi, ut solvamur à corruptione carnis, & videamus sponsum nostrum, qui in cælis est. Tunc Missam celebrante S. Patricio, communicaverunt filiæ Regis, cum spe magnâ & fide perfectâ; & cum communicassent, statim requieverunt in pace.* Ita factum in Hiberniâ; cum Patricius ibi Christianam fidem exponeret. Ergo quocumque me vertero, sive Romam pergo, sive in Africam: sive Britanniam lustro, sive vicinas Insulas; nihil occurret familiariùs, quàm offerri solitum in Ecclesiis sacrificium. & tamen id lippientes modernorum oculi videre non possunt.

An. 450. n. 9.

Et in Hibernia.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1211.

ANNUS CHRISTI 460.

LEONIS PAPÆ 21.

VORTIGERNI REGIS 19.

I. S. Benignus venit Glastoniam.

AUTHOR est Guilielmus Malmesberiensis in Antiquitatibus Monasterii Glastoniensis, & consentire videtur Usserius, S. Benignum, quem olim in Hiberniâ discipulum sibi adlegerat S. Patricius, & designaverat suæ sedis successorem; anno Domini quadringentesimo sexagesimo, Magno & Apollonio Coss. Glastoniam venisse; eò tractum odore virtutum magistri sui, qui monasticæ vitæ normam perfectissimè sequebatur. Scio Authores illos, qui Malmesberiensis historiam de Antiquitatibus compilarunt, Adamum de Domerham, & Joannem Monachum, adventum S. Benigni referre paulo inferiùs ad annum 462. Sed ubi mendum sit nescio. placet Guilelmum audire, qui alios præcessit, & famâ nominis, & prærogativa temporis. Res ita ab ipso aliisque narratur. *S. Benignus post septem annos in regimine pontificali peractos, Angelo monente patriam, pontificiiq; dignitatem ex voto deserens & voluntariâ peregrinatione susceptâ, anno Domini 460. Glastoniam, Deo duce pervenit: ubi & S. Patricium divinis invigilantem reperit.* Ut Glastoniam venit Benignus, quæsivit è Patricio, ubinam sanctæ quietis otium nancisci, & reliquum vitæ transigere, secretus ab hominum consortio, unique Deo conjunctus, posset. Illud enim erat consilium profectionis suæ. Quid responsi acceperit à Patricio Benignus; & quomodo in proposito confirmatus sit mirabiliter, ita narrant Adamus, & Joannes Monachus.

Malmesb. Antiq.

Causa profectionis.

II. *Adamus Domerham in Antiq. Glaston.*

Patricio Benignus aperuit peregrinationis suæ causas: quo exhortante, ut captis feliciter insisteret: Proficiscere, inquit, mi desideratissime, baculo contentus. Cum ad locum tibi a Domino prædestinatum perveneris; quocumque solo, fixo baculo eum virescere, frondescere, & florescere videris: ibi tibi habitaculum præparandum noveris. Et sic collocutionibus alterius utrisque in Domino corroboratis, S. Benignus comitante secum quodam puero, nomine Pincio, profectus est per nemorosa & palustria loca. At ubi venit in quandam Insulam, ubi locum solitarium, habitationi congruum vidit; mox solo fixo baculo; mirum dictu! baculus virescere, frondescere & florescere capit. Ibi S. Benignus habitaculum præparavit. Ibi Deo famulandum, ibi finetenus conversandum censuit: nam usque ad tempora nostra, sanctitatis ejus signifera ipsa arbor, sparsis latè frondibus, juxta B. viri oratorium stare videtur. Ibi austerius solito vigiliis, jejuniis, orationibus, diversisq; spiritualium sollicitudinum laboribus, carnem domabat. Hactenus ipsi; qui & pergunt narrare Deum novo miraculo S. Benigni solitudinem probavisse.

III. *Adamus suprà.* Aqua mirabiliter educitur.

Quamquam, inquiunt, *locus ille solitarius, à populari frequentiâ remotus, Dei famulatui esset opportunus: Aqua tamen longinqua remotione erat importunus. Quapropter beati viri puer Pincius, quotidie ad aquam deferendam, per tria ferè milliaria egrediens; tum lassitudine fatigatus, tum malignorum spirituum infestationibus prægravatus; à B. Benigno sæpè est verbis consolatoriis confortatus. Ejus namque laboribus compassus, solo prostratus, ad*

Dominum ex corde conversus; ut pietate suâ fontis venam aperiret, & aquam sufficienter largiretur, devotus exoravit. At B. vir, cælestis certificatus visione, & Angelicâ roboratus visitatione; tradito baculo, puero suo Princio; jussit ut ad quoddam juncetum iret; & aquam diu desideratam, baculi ictu, de terra producendam, non dubitaret. Paruit puer; locum adiit, baculo patris terram terebrando, ter in summæ Trinitatis nomine, percussit: & mox fons affluens erupit: ex quo, usque ad hodiernum diem, latè manans flumen videtur: quod & ad piscandum habile, & ad diversa salubre, & utile habetur. Hactenus Authores illi. quorum pleraque recenset Joannes Capgravius in vitâ S. Benigni: ubi Insulam in qua vir sanctus habitasse dicitur, Ferramere vocat. Et Usserius benè colligit ex Authoribus Hibernicis, quatuor ante mortem annos, Benignum Armachanam sedem reliquisse.

Usser. c. 17. fo. 870.

Unde dicendum esset, eum post quatuor annos sanctè mortuum; nimirum, vel anno quadringentesimo sexagesimo quarto, vel biennio post; mortuum inquam in Insulâ Ferramere: unde post annos sexcentos triginta Glastoniam transferetur, ut dicam ibi. si porro in Annalium scriptione perrexero.

V. an. 1091. n. 4.

IV. Probantur supradicta.

Noli mirari Lector, Hiberniæ Episcopum, ad Patricium in Britannia accessisse; ab eoque perfectioris vitæ institutum edoctum: nam idipsum leges in sequentibus factitari solitum frequentissimè. Glastoniensis enim loci antiquitas, Monachorum ibi degentium sanctitas, & Patricii imprimis vita mirabilis, plures trahebant. qui cælo, & divinarum rerum contemplationi studebant. In hujus rei argumentum, ecce tibi alium, sanctitatis opinione eximium; qui, à S. Patricio doctus, & Hibernorum conversioni præfectus; ad cremiticam vitam excolendam, venit sub hoc ferè tempus in Britanniam.

S. Piranus Hibernus

Is est S. Piranus, qui ut legitur in ejus vitâ, inter primos Hiberniæ Sanctos floruit. Hic Romam profectus (ut Hibernia quoque, non minùs quàm Britannia, illi urbi æternùm esset obnoxia) sanctas Scripturas didicit, & Ecclesiasticam vivendi formulam. *Postea unus erat ex duodecim primis Episcopis* (ita scribit Capgravius) *quos M. Patricius; qui primò fidem in Hiberniâ prædicavit; ad prædicandum Evangelium in Hiberniâ constituit. Postquam autem per prædicationem ejus, fides in Hibernia crevisset: exemplo ejus, multi in amorem Dei accensi, vitam cremiticam ducentes, omnia mundana, Deum sequendo, reliquerunt, inter quos erat Brendanus, &c.* Sed iis omissis, quid eum sub finem vitæ, ad peregrè proficiscendum moverit, & quò demum iverit, videamus. Sic ergo Author prosequitur.

Capgrav. in Piran.

Episcopus in Hibernia.

V. Venit in Britanniam.

Convocatis filiis, quos Deo genuit, & populo, ait: Fratres mei, & filii charissimi, oportet me dispositione divina, ab Hiberniâ peregrè proficisci, & Cornubiam petere: & finem vitæ meæ ibidem expectare: voluntati Dei resistere non possum, &c. His & aliis prolixius peroratis, in Cornubiam navigans, mansionem ibi fecit; & multa miracula ad honorem Dei, in populo ostendit. Demum cum infirmitate correptus, langnesceret, convocatis fratribus, multis sermonibus, de regno Dei eos instruxit, sepulchrum parari jussit, & in foveam descendens, tertio Nonas Martii, cum magna claritate, anima ejus cælos penetravit. Quiescit autem in Cornubia supra mare Sabrinum à Petrokstowe milliaribus quindecim, & à Monsehole viginti quinque. Ita ille. Manet etiamnum Sancti viri memoria, in loco, ubi mortuus creditur; quem Camdenus perambulans ita exponit: *Hinc spatiosior procurrit in ortum regio; & obliquiore flexu Septentrionale litus in Aquilonem tendit, ad Padstovv usque: nec aliud antiqua nota, tota via habet, quam in sabulo positum S. Pirani sacellum; qui divus etiam Hibernicus (si credere libet) decem Hiberniæ Reges, & eorum exercitus, tribus vaccis suis, octo diebus aluit, & porcellos mortuos, nec non homines suscitavit, tandemq́; hic hominem ipse exuit.*

Ubi mortuus? *Camd. in Danmoniis.*

Hiberni hunc Sanctum, Kiaranum vocant, & Hiberniæ Sanctorum primogenitum. De eo refert Usserius, quod *audiens famam Christianæ religionis, in urbe Roma esse, deseruit Hiberniam, & adivit Romam, perveniensq́; illuc baptizatus est, & doctus in fide Catholicâ: ibique viginti annis mansit legens divinas Scripturas, librosq́; earum colligens, & Ecclesiasticas regulas sedulus discens.* addit etiam ordinatum ibi Episcopum missumque in Hiberniam triginta annis ante adventum B. Patricii. Sed meliùs fortè diceretur, post adventum ejus. nam quatuor Episcopos in Hibernia prædicasse ante S. Patricium, ut Hiberni βιόγραφοι volunt, difficile creditur.

Usser. fo. 792.

Usserius in primordiis c. 10. fo 788

VI. Unde Cornubiæ ager plenus Hiberniæ Sanctis.

Benignum & Piranum; innumeri alii secuti sunt ex Hiberniâ; & Occidentem Britanniæ insederunt, amore vitæ monasticæ, & imprimis S. Patricii; vel ut viventem illum inviserent, & ab eo haurirent exempla pietatis: vel ut mortuum colerent, & Hiberniæ suæ Apostolum venerarentur, ut infrà dicam de* Columbano, & Brigida sanctis. Cæterùm non malè Scriptores observant, omnem ferè Cornubiæ provinciam, viris fæminisque sanctitate magnis, qui ex Hibernia profecti, agrum illum insederunt, refertam, eorum adhuc nomina conservare. Sic habes ibi S. Burianæ religiosæ mulieris viculum, & Ecclesiam illi sacram: quam Ethelstanus Rex auxit jure asyli, cum Victor eò appulit, ut dicam anno 936. 4. Habes S. Iiæ oppidum: *Quæ Hibernica mulier singulari sanctitate ibi vixit*, inquit Camdenus. Habes Evestum, Daium, Enedorum, Wennum, Ernum, Evallum, Merven, Erven, & oppida alia, quibus sancti, quorum nomina referunt, celebritatem fecerunt. Habes etiam Finguar sanctum, principis viri, in Hibernia filium, de quo infrà ad an. 500. n. 6. & quoniam obliterata est ferè eorum memoria, exteros illós, & ex Hiberniâ potissimùm profectos opinamur. Atque ita dixit Camdenus, non immeritò: *Sanctos Hibernicos, & indigetes suos, Cornubia gens, ut tutelares, ita semper suspexit, ut omnia ferè oppida illis consecraverit.* Placuit istud hoc loco referre: quia Benigni mentio facienda erat, quem cæteri Sanctorum videntur secuti. & ex omnibus argumentum collige; quod ægrè aliàs ab Hibernis impetraveris; M. Patricium Glastoniæ consenuisse. Nunc ad Britanniæ sanctos, virosq́ue magnos me converto.

** Vide Usser. c. 17. fo 900.*

Camden in Danmoniis

VII. Maccæus Bacchiarius.

Pits. in Maccho.

Dixi suprà, ad annum 443. Maccæum, cognomento ut aliqui volunt, Bacchiarium, è S. Patricii discipulis fuisse, & in Legionensi Academiâ palæstritam. nunc, quia hoc anno 460. dicitur à Pitsæo, Balæo, & Magdeburgensibus senex claruisse, regnante in Britanniâ Vortigerno, ejus reliqua prosequamur. Cum audisset ille Sacerdotem quendam, malignâ dæmonis suggestione, monialem oppressisse: ac propterea ejectum ex Ecclesiâ, sine spe veniæ consequendæ; oppido ingemuit; ad tam immane facinus, & ad

DOCTE SCRIBIT PRO RESTITUENDO SACERDOTE.

ſoveritatem judicis. elegantiſſimam tunc ſcripſit Epiſtolam, in qua & ſcripturarum ſtudium, & charitatis ſuæ viſcera eloquenter prodit. Dedit illam ad Januarium Presbyterum, quem rogat, obſecrat, & doctiſſimè arguit, pro reſtitutione Sacerdotis. oſtendit primò, in fertiliſſimo Eccleſiæ campo, omni vulneri herbam, ac medicinam eſſe: quod appoſitis Scripturæ locis, bellè evincit. Deinde Sacerdotem lapſum alloquitur, peccati gravitatem exaggerat, ad pœnitentiam hortatur, jubet Monaſterii ſepta ingredi; & cilicio, jejuniis, oratione crimen expiare: docet invocanda Sanctorum ſuffragia. Terret admodum, & cavet, nè peccato adjungat peccatum; aut vitiatam virginem, iterum matrimonii prætexto, dehoneſtet: monialem certè matrimonium inire non poſſe: cum Chriſto conjugata ſit; *quando pallium*, inquit, *quo velaretur, accepit*. Extat Epiſtola hac in Bibliotheca magna Sanctorum Patrum, cum hac epigraphe. *Bachiarii, qui tempore Auguſtini.vixit, ad Ianuarium de recipiendis lapſis Epiſtola.* Ex qua Britannorum fidem, votorum ſanctitatem, Sanctorum ſuffragia, aliaque orthodoxæ fidei capita, quivis poteſt colligere: & unà, quale fuerit, Lutheri cum Catherina Bora (unde novæ factionis partus) conjugium; quod Maccæus hac Epiſtola *ſceleratum* vocat *& impudicum*.

SACERDOTUM NUPTIÆ ILLICITÆ. *Cent. 5. fo. 1430.*

Si Sacerdos cum moniali illud contrahere conaretur. Unde etiam patet Sacerdotum, hoc ſæculo, nuptias, in Britanniâ non licuiſſe: quod tamen factioſi homines adſtruere laborant. Plura alia ſcripſit Bacchiarius, quæ referunt Magdeburgenſes; qui addunt eum hoc anno ſenem fuiſſe: & inde colligo non diu fuiſſe ſuperſtitem. Tamen Annales Ultonienſes ad annum Chriſti 535. legunt ita: Dormitatio S. Muchti, vel Mochta diſcipuli S. Patricii. Hunc Maccæum vocat Uſſerius fo. 855.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1212.

ANNUS CHRISTI 461.

HILARI PAPÆ 1.

VORTIGERNI REGIS 20.

I.

LEO PAPA MORITUR. *Baro. hic.*

ANNO Chriſti quadringenteſimo ſexageſimo primo, Severino & Dagalaipho Coss. moritur Ro. Pontifex Leo: *qui ob excellentem virtutem* (loquitur Baronius) *doctrinam, & in curâ paſtorali vigilantiſſimum ſtudium, a majoribus, Magnus, cognomento jure meritoq; meruit appellari.*

HILARUS PAPA. *Balæus in Hilaro. Cent. 5. fo. 1269. Baro. hic poſt medium.*

Succeſſit illi Hilarus, natione Sardus; qui decreta Synodalia ſanxit, & per univerſum mundum ſervanda publicavit, ut Balæus & Magdeburgenſes fatentur. Sed quænam quæſo decreta illa, quæ univerſum Orbem, & Britanniam, ſine dubio, ſervare voluit? *Sparſit Epiſtolam*, inquit Baronius, *de fide Catholica, confirmans tres Synodos, Nicænam, Epheſinam, & Chalcedonenſem, & tomum S. Archiepiſcopi Leonis; & damnavit Eutychetem, & Neſtorium; & omnes eorum ſequaces, & omnes hereticos: confirmans DOMINATIONEM, ET PRINCIPATUM SANCTÆ SEDIS CATHOLICÆ ET APOSTOLICÆ.*

CONFIRMAT PRINCIPATUM APOSTOLICÆ EC.

Quod ad Britanniæ res ſpectat: Hengiſtus Saxonum Princeps, & Cantii Rex; reſtituto Vortigerno, viderat facilem ſibi patere viam ad imperium totius Inſulæ; quod generi genius, & ejus inconſtantia, promittebant. Vortigernus tamen coronæ redditus, & infortunio doctior, pro Britannis initio ſtabat fortiter; ſtetiſſetque diutiùs, niſi barbarus ſocer affinitatem & jusjurandum impiè temeraſſet. nam anno hujus ſæculi ſexageſimo primo, Hengiſtus Vortigerno, & Britanniæ proceribus, ſubdolè ſe inſinuat: pacis commoda exponit, & inteſtini belli incommoda: Pictos & Scotos, ſe regno truſurum, & omni Septentrione, pollicetur; modò quieto ſibi ſociisque eſſe liceat: oſtendit denique montes aureos, qui è novo fœdere & ſocietate eſſent ſurrecturi. Credidit Vortigernus fraudem abeſſe, auresque verbis accommodat. Alter congreſſum expetit ad pacis capita firmanda: nec Britanni abnuunt: cautum tantummodò, ut quot Saxones, tot Britanni, inermes omnes, cum præteritorum utrimque amniſtiâ, convenirent. Condicitur locus in Belgarum regione, & agro Wintonienſi; ubi Sorbiodunum vetus oppidum, & vicina planicies, miſerrimæ tragœdiæ argumentum eſt. Eò ſe conferunt, è ſociis Hengiſti tercentum: Vortigernus totidem educit: omnes communi epulo excepti, novi fœderis, & Sacramenti teſtes ſtatuuntur. Cum ecce, ſub menſæ medium, ubi vino paululum maduerunt, Hengiſtus, datâ, ut conventum eſt, teſſerâ, proclamat, Arma. Tunc Saxo doctus ſignum, arrepto breviore gladio; quem braccis tectum nemo adverterat; Britannos inermes, & undique vulneri patentes, obtruncat. Quod ita breviter narrat Malmeſberienſis.

II. HENGISTI FRAUDE BRITANNI CADUNT.

III. *Malmesb. de Reg. l. 1. c. 1.*

Britones ad unum jugulari, animas inter vina evomuere: Rex ipſe captus, datis tribus provinciis libertatem redemit, ſervitutem exuit. Sed hoc anno ſequenti. Interfectorum numerus variè refertur, è parte Britannorum: Illi videntur excedere, qui ſcribunt occiſos quadringentos ſexaginta Conſules: nam ſi è pactis, treceni tantum adeſſe debuerunt, quadringenti difficulter admodum occidi potuère. Nec Saxo impunè tulit violatam fidem, juraque hoſpitii; ſi verum eſt quod Galfredus refert, Eldol Claudioceſtriæ fortiſſimum Conſulem, palo, quem ſors obtulerat, ſeptuaginta Saxones perdidiſſe. Certiùs eſt carnificinæ locum, quem ſuprà deſcripſi, nobilitatum poſtea inſigni monumento, quod Britanni erexerunt in memoriam facti, & perfidiæ Saxonum. Eſt autem inſana ſubſtructio, & immanium ſaxorum congeries naturæ miraculo digeſta, de qua Camdenus: *Fama obtinet Ambroſium Aurelium, ſive Vtherum ejus fratrem, in Britannorum memoriam, qui ibi Saxonum dolo, in colloquio ceciderunt; illa Merlini mathematici opera poſuiſſe. Vnde Alexander Nechamus medii temporis poeta, poetico æſtro percitus, ſed non Apolline plenus, ex Britannica Galfredi hiſtoria, ſic luſit:*

QUOT INTERFECTI?

ELDOL CLAUDIOCESTRIÆ CONSUL. SEPULCHRUM BRITANNORUM.

Camden. in Belgis.

Apud Camden.

Nobilis eſt lapidum ſtructura, chorea Gigantum,
Ars experta ſuum poſſe, peregit opus.
Quod nè prodiret in lucem ſegnius, artem
Se vireſq; ſuas conſuluiſſe reor.
Hoc opus aſcribit Merlino garrula fama
Filia figmenti fabula vana refert.
Illa congerie fertur decorata fuiſſe
Tellus, quæ mittit tot Palamedis aves.
Hinc tantum munus ſuſcepit Hibernia gaudens
Nam virtus lapidis cuilibet ampla ſatis.

Nam

Nam respersus aquis magnam transfundit in illa
Vim, quæ curari sæpiùs æger eget.
Uther Pendragon molem transvexit ad Ambri
Fines, devicto Victor ab hoste means.
O quot nobilium, quot corpora sacra virorum
Illic Hengisti proditione jacent!
Intercepta fuit gens inclyta, gens generosa
Intercepta, nimis credula, cauta minus.
Sed tunc enituit præclari Consulis Eldol
Virtus, quæ letho septuaginta dedit.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1213.

ANNUS CHRISTI 462.

HILARI PAPÆ 2.

VORTIGERNI REGIS 21.

I. *Westm. hic.* ITERUM BRITANNIAM SAXO VASTAT.

ANNO *gratiæ quadringentesimo sexagesimo secundo* (cum Leo & Severus Augusti Consules essent) *Saxones Vortigerno Regi mortem comminantes*, inquit Matthæus Westmonasteriensis; *ligaverunt eum, petieruntque, civitates, atque munitiones suas, pro vitâ. Quibus illicò quicquid affectaverant, concessit; ut verum abscedere sineretur. Quod cum juramento confirmatum fuisset, solverunt eum: atque urbem Londinensem primò adeuntes ceperunt. Deinde Eboracum & Lindocolinum, necnon & VVintoniam; quasque provincias devastantes, grassantesque, subitò cives invaserunt; quasi lupi oves, quas pastores deseruerunt. Ecclesias, & Ecclesiastica omnia, ad solum usque destruebant; Sacerdotes juxta altaria trucidabant, sacras Scripturas igne concremabant: super Sanctorum Martyrum sepulturas cumulos terræ congerebant. Viri religiosi, qui ab hac clade evadere poterant; speluncas & nemora, atque deserta montium, & collium prærupta,* SANCTORUM RELIQUIAS *portantes, petierunt. Cum ergo tantam cladem inspexisset Vortigernus, inscius quid contra nefandam gentem ageret, secessit in partes Cambriæ, & sese in oppidum Genorium inclusit.* Hæc ille. Ubi vides superioris anni tragœdiam hanc habuisse catastrophen, novos in totâ Insulâ tumultus, novam tempestatem in Ecclesias, novam denique in Clerum & Religiosum ordinem carnificinam: quam si possem articulatiùs explicare, eruerem proculdubio plurimos Martyres, quorum jam nomina memoriamque vetustas abolevit.

II. SANCTORUM RELIQUIÆ CONSERVANTUR, ET QUARE?

Tamen quod ingens posteris solatium est, viri illi religiosi, carnificinæ superstites; licet non prodiderint nobis nomina Martyrum; prodiderunt tamen, quod majus momentum est, suam, & illius temporis fidem. Tulerunt enim secum Sanctorum Martyrum reliquias: & quilibet inde potest colligere: timuisse illos, nè Sanctorum reliquiæ; si in barbarorum manus incidissent; idem quod nuper à sectariis factum, passæ fuissent naufragium: Quod antiqua & Britannica fides horrebat adeo; ut in fugâ illâ, exterminioque rerum omnium, maluerit cæterarum rerum, quàm sacrarum reliquiarum pati jacturam: Scio quidem Calvinistas, cum ista legunt, insipidè factis majorum facta commentari, dicentes: Sanctorum reliquias ad memoriam, non ad cultum, avectas. Quibus responderi potest primò: Si majores nostri Sanctorum reliquias, ad memoriam servaverunt; cur illi illas abjecerunt, exusserunt, & è memoriâ hominum & calendariis suis delere penitùs conati sunt? Secundò: tam constat viros istos religiosos, Sanctorum reliquias ad cultum servavisse: quàm certum est, Constantinum & Helenam, eas dicto, facto, structis templis & altaribus honorasse: S. Germanum Apostolum nostrum, illas, collo & lateri affixas gestasse, ac Albani tumulo supplicem fuisse: denique Britannos ab eo doctos, eisdem, præ omni alia gente, (ita loquitur Giraldus) reverentiam exhibuisse. Quæ cum testata sint, & à nemine controversa, cur nodum in scirpo quærunt factiosi; & nubes in sudo cælo? Cur videri cupiunt, in omni controversiâ, cum antiquis Britannis, in fide sentire: & interim, cum infideli Saxone, Sanctorum reliquias, quas Britanni studiosissimè servarunt, execrantur? Dicamus ergo quod longè verius est: viri religiosi Sanctorum reliquias barbarorum furori subduxerunt; ut haberent viæ, ac miseriarum solatium: ut illas denuò in templis collocarent, Constantini suprà, & orthodoxorum exemplo. Subduxerunt etiam, nè infidelis Saxo illas dehonestaret, & flammis ferroque violaret; quemadmodum nuper à sectariis; non Britannorum, sed barbarorum more; factum.

III. HENGISTUS AUCTUS TRIBUS PROVINCIIS. *Malmesb. de Pontif. l. 2. princip.*

Hengistus hac arte pomœrium dilatavit: nam præter Cantii provinciam; quam dudum obtinuerat; tribus insuper provinciis auctus est: quas ita enumerat Malmesberiensis. *Antiquitus*, inquit, *Orientales & Australes Saxones, & Orientales Angli, Cantuaritarum parebant Regi: quòd illas provincias Vortigerno Rege Britonum, Hengistus primus apud Cantium Rex, non bello, sed dolo obtinuisset.* Hæ sunt provinciæ, quæ postmodum tribus minorum gentium Regibus servierunt; & continent Essexiam, Southessexiam, Surriam, Nortfolciam atque Suffolciam: quos olim incolas, Romani Scriptores Trinobantes, Regnos, & Icenos appellabant. Cæterùm ideo dixi minorum gentium regna fuisse: quia Mercii, Northumbrii, & Occidentales Saxones; qui heptarchiam compleruut postea; plurium & illustriorum provinciarum Reges habuerunt, de quibus infrà. Sed nec adhuc quidem tres illæ captivæ provinciæ, alium quàm Hengistum Regem agnoscebant: paulò post tamen, cum plures è Germaniâ socii advenissent, cum bello & rapinis Britannos trivissent; denique cum multos cepisset regnandi ambitio; suos illæ principes & coronas habuerunt; nisi mavis tetrarchas dicere.

IV. *Usser c. 17. fo. 870. & c. 13 fo. 441.*

Hoc eodem anno nascitur Beatus David, Menevensis postea Episcopus. Ita censent omnes, qui Patricii Apostolatum referunt in annum Christi 432. ut Usserius & plures apud eum. quod quia, in eum ferè annum, nos suprà retulimus; ideo sub hoc etiam tempus, eum natum putamus. Multa nativitatem ejus mirabiliter gesta præcesserunt, illud à Scriptoribus imprimis recensetur, quod Patricio accidit Hiberniæ conversionem meditanti: accepisse nimirùm è cælo nuntium, cum in Rosinâ valle, apud Dimetas, versaretur; nasciturum ibi post annos triginta, puerum, qui locum illum illustraret. *Peracti igitur triginta annis*, (ita loquitur Capgravius) *Rex Ceretica regionis, Demetiam, quæ nunc Northwallia dicitur, pergens; invenit sanctimonialem sibi obviam, nomine Nonnitam, virginem pulchram nimis, Quam concupiscens, & vim inferens oppressit eam. Quæ* *Capgr. in David.*

filium concepit, & nec ante, nec post virum agnovit: sed in castitate mentis & corporis perseverans, felicem vitam duxit, & ab ipso conceptionis tempore, pane tantum & aquâ vixit. Ita ibi. Jejunii & castitatis merito enixa est Nonnita filium, sanctitate eximium. quod novo oraculo declaratum est, paulò ante quàm nasceretur. Cum enim Gildas cognomento Albanius, in plenâ concione esset, populumque è superiore loco doceret: obmutescens primò, mox in hæc verba, quæ Caradocus Lancarvanensis refert, erupit: *Nonnita mulier sancta manet in Ecclesiâ, quæ nunc prægnans puerum paritura est, cum immensâ gratiâ. pro quo non potui prædicare, divina potestate sermonem retinente. Majoris gratiæ erit puer venturus: nullus ei æquiparabit in nostris partibus. Ego relinquam illi istam regionem: ipse citò crescet de ætate in ætatem. Angelus enim Dei nuntius mihi declaravit istam veram destinationem.* Inde in Hiberniam discessit, multos ibi docuit, & meruit propterea vocari Hiberniæ prædicator.

V. Hic Gildas, qui oraculum accepit, diversus est à Gilda Badonico, Britonum historiographo; qui nonnisi post annos triginta nascitur: fuitque Patricii discipulus, & ab hoc anno deinceps, in Hiberniæ conversione συνεργός: priùs tamen in Britannia vixerat, meritis & sanctitate plenus. de eo ita scribit compilator vitæ ejus apud Capgravium.

Capgra. in Gild. *Rex quidam Albaniæ, nomine Can 24. filios ex Regina sua genuit; quorum unus nomine Gildas bonæ indolis puer, literarum studio traditus, & in liberalibus artibus eleganter imbutus; transito mari, in Galliâ, per septennium, eruditionis gratiâ, moram traxit, & cum magna diversorum voluminum mole, Britanniam rediit. Cujus auditâ famâ, scholares plurimi in scientiis diversis erudiendi, ad ipsum undique confluebant. Nec poterat inveniri in terra illâ; in virtutibus, sibi similis. Velut eremita jejunabat, in orationibus assiduus, erat cilicio asperrimo ad carnem utens. Quicquid à divitibus sibi datum fuit, egenis & pauperibus statim erogabat. Carnes omninò non gustavit. herbas cum pane hordeaceo, cinere mixto, in cibum sumpsit; & aquam modicam de fonte bibit. Tanta in facie ejus macies, propter jugem abstinentiam apparebat; ut quasi febricitans aspicientibus appareret. Aquam fluvialem nocte mediâ intrans, Deo laudes persolvebat: & oratorium posthac repetens, flexis genibus, usque ad diem, orationibus vacabat.* plura dicam de hoc viro sub annum octavum sequentis sæculi, & cum illum sepelivero sub annum Domini 512. nunc ad Davidem redeo, & natales ejus.

VI. Nascitur ergo è Nonnita, quam alii Melariam vocant, & Xantho patre, Menevensis David:

Pitseus in Dav. *Baptizatus in loco, qui Portclein appellatur à Relveo Menevensium Episcopo; qui divina providentiâ, eadem illuc horâ de Hiberniâ venerat,* inquit Giraldus

Apud Usserium fo. 448. Cambriensis, & addit: *Puer nutritus est in loco, qui vetus rubus dicitur, qui & Cambricè Henmenen: latinè verò vetus Menevia vocatur. Puer itaque crescebat gratiâ plenus, literarumq; addictus studiis, super coætaneos perspicacis ingenii velocitate proficiebat.* Hic est ille sanctissimus Episcopus, quem Britannica Ecclesia semper coluit, credidque tam in vita, quam in morte, omni virtutum genere & miraculorum gloriâ ornatum. Unde quod spectat nativitatem ejus; omnino existimavit, diu ante & mirabiliter prædictam. nam ita canebat vetus Sarisburiensis Ecclesia. *Deus qui B. Davidem Confessorem tuum, atque Pontificem, Angelo nuntiante, triginta annis antequam nasceretur prædixisti: Tribue nobis quæsumus, ut cujus festivitatem colimus, ejus intercessione, ad æterna gaudia perveniamus.*

Verùm cum in Menevensi Ecclesiâ, ante Davidem nemo sedisse legatur; jure quæri potest; VII.
quis hic Relveus, ex Hiberniâ veniens, & unde vocetur Menevensis Episcopus? Respondeo, in Sanctorum vitis multa occurrunt, quæ meritò Lectorem morantur, adeo βιόγραφοι in virtutibus & miraculis recensendis toti fuerunt, & de aliis ad historiam spectantibus, parum soliciti. Dico igitur legendum in Giraldo, non Relveum Menevensem Episcopum, sed Ælbeum Mumenensem potiùs. Hic est ille cujus suprà mentionem feci. *An. 451. 6. & an. 450. 11.* *Quem Romam perrexisse, ibique apud Hilarium Episcopum divinam didicisse scripturam, in vitâ ipsius legimus,* inquit Ussérius. *Fo. 709.* Cæterùm quòd ille Mumenensem Ecclesiam rexerit, præter suprà dicta (ad an. 450. 11.) hæc habentur in vita S. Declani. *Apud Usser. c. 17. fo. 864.* *Commanentes in civitate Cassel, S. Patricius, & S. Albeus, Sanctusq; Declanus, cum multis sanctis suis discipulis apud Regem Engusa, multa bona rigoris Christiani constituerunt. & ibi Rex Engusa, & S. Patricius, cum omni populo ordinaverunt Archiepiscopatum Mumeniæ, in civitate & in sede, S. Albei, qui tunc ab eisdem Archiepiscopus ordinatus est.* hinc corrige etiam Broughtonum & Anglicanum Martyrologium, ubi ad 27. Februa. Elvius dicitur Menevensis Episcopus.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1214.

ANNUS CHRISTI 463.

HILARI PAPÆ 3.

VORTIGERNI REGIS 22.

VORTIGERNUS, Britannicæ calamitatis author, pertæsus tandem purpuram; quam honestè nunquam gestârat: cum & ipse ad prærupta montium secessisset; tutò ibi latêre, quàm cum periculo regnare, maluit: ad Siluras ergo ivit, in Radnoriam: ibique in abditâ solitudine, sibi saltem uni, quia regno non potuit, consulere laboravit. Ubi anno Christi quadringentesimo sexagesimo tertio, Basilio & Vibiano Coss. castrum posuit, quod suprà Genorium appellavimus: Britanni veteres vocasse videntur Kaer Guortigern: de quo Camdenus: *Est vasta solitudo itinerum anfractibus, & montium horrore penè formidolosa: in quam, ut tutissimum perfugium se subduxit pestis illa patriæ, Vortigernus.* Qui scire volet, quid miser ille ibidem inclusus sub hæc tempora egerit, adeat Richardum Vitum, & audiet, ut vocarit Aruspices, ut Merlinum consuluerit, & cætera quæ Galfridus edidit; aliique avidiùs, quàm cautiùs, ex eo acceperunt. Ego nolo Britannorum fidem vitiare incertâ rerum narratione. Nec puto Merlinum tam turpiter genitum, oracula, quæ illi vulgò tribuuntur, elocutum: sed potiùs Bardorum aliquem, posterioris sæculi, ad miserorum solamen, fallendo tempori, Merlini nomen, & authoritatem mentitum.

I. VORTIGERNUS LATET INTER MONTES.

Camd. in Radnoria.

R. Vitus l. 7. historiarum.

Nec illud placet, quod velle videtur Vitus, ab hoc Vortigerni secessu, Britannos eam Insulæ II. ADHUC

partem,

BRITANNIA REGEM HABET.

partem, quæ nunc Cambria est; quasi sibi propriam retinuisse: & amisso infeliciter imperio, deinde Walliæ principes, non ultra Reges appellatos. Non, inquam, placet; quia certum est, amoto Vortigerno, non omninò debellatum esse. Britanni enim sæpè sæpiùs egressi, provocâverunt Saxonem; & multo infortunio docti, peritiùs arma tractare; etiam aliquando devicerunt: sæpè amissas provincias receperunt: & per plures adhuc annos Regis Britanniæ nomen, nunc adverso, nunc secundo marte, servarunt. Testis horum Aurelius Ambrosius, quem Beda Aurelianum vocat. *Hoc ergo duce* (ita ipse loquitur) *vires capessunt Britones; & victores provocantes ad prælium, victoriam ipsi, Deo favente, suscipiunt. & ex eo tempore, nunc cives, nunc hostes vincebant, usque ad annum Badonici montis obsessionis; quando non minimas eisdem hostibus strages dabant, quadragesimo circiter & quarto adventus eorum anno.* Quæ si vera sunt, obtinuerunt adhuc Britanni maximam Insulæ partem; nec ita montium prærupta petiverunt; ut omni Britanniæ regno cesserint; Cambriæ solitudine, & montibus contenti. quæ omnia meliùs patebunt infrà: nunc expirantis Vortigerni fumus, versasque in eum Britannorum iras, contemplemur.

Beda l. 1. c. 16.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1215.

ANNUS CHRISTI 464.

HILARI PAPÆ 4.

VORTIGERNI REGIS 23.

I. AURELIUS AMBROSIUS IN BRITANNIAM INVITATUR

BRITANNI cum viderent, etiam Insulæ mediterranea, barbaris patere: nec domi virum esse, qui labantem Remp. aut ope, aut consilio sustineret: quæsiverunt foris principem. Itaque in alteram Britanniam, quæ sub hæc tempora, minor dici cæpta est, oratores legaverunt, anno Christi quadringentesimo sexagesimo quarto, Rustico & Olybrio Coss. qui Constantini filios, cum armatâ manu, ad civium salutem, & Insulæ imperium vocarent. Ita annum, remque gestam describit Westmonasteriensis. *Anno gratiæ 464. gens Britonum, in minorem Britanniam, nuntios ad Aurelium Ambrosium, & Uterpendragon fratrem ejus; qui præ timore Vortigerni illuc missi fuerant ; destinantes, postulaverunt obnixius, & instanter; ut velociter ex tractu Armoricano, ad illos venientes, Saxonibus & Rege Vortigerno expulsis, Britanniæ diadema suscipereut. At illi, jam adultæ ætatis existentes, iter suum provide, cum navibus & armatis militibus paraverunt.*

Westmonast. hoc.

II. AURELIUS AMBROSIUS, QUIS?

Hic locus esset dicendi, quis, & unde domo, & quo jure ad Britanniæ imperium, invitetur, Ambrosius, qui Aurelius, & interdum Aurelianus appellatur. nam benè fortiterque pro Britannis fecit, & frequens ejus mentio inferiùs facienda. Sed breviter ea expediam, quia Gildas & Beda rem omnem paucis absolvunt, & plura si dixero fabulari potius, quàm historicè loqui videbor. Fuit igitur Aurelius, & Regio Romanoque sanguine, natus in Britanniâ, cum Romani in illâ imperarent. ejus parentes purpuram gesserant, eamque cum vita in Britannorum forte causa exuerant; vel certè, turbatis in imperio rebus, ipsi in bello ceciderant. nec alius erat è nobili stemmate superstes; qui aut militem educere, aut in acie stare, cum dignitate, poterat. Hæc ferè omnia expressit Gildas: *Ambrosius Aurelianus, vir modestus,* inquit, *qui solus fortè Romanæ gentis, tantæ tempestatis collisioni, occisis in eadem parentibus, purpura nimirum indutis superfuerat:* quod Beda explicat, ait: *Occisis parentibus, regium nomen & insigne ferentibus.* Licet autem parentes, nec à Gilda, nec Beda nominentur; puto tamen eos non malè opinari, qui eum Constantini filium faciunt; ejus inquam, Constantini, qui anno septimo hujus sæculi, spe nominis, ad imperium evectus est. nam ille reverà purpuram, & regium nomen tulit: ille occisus est, cum Ro. imperium turbaretur: ille demum militari scientia clarus; filium a patria virtute non degenerem habuit, qui pereuntem Remp. consilio, & armis tueri posset.

Gildas de Excidio.

CONSTANTINI F.

III. OBIECTIO SOLVITUR.

Nec obest opinioni huic Constantini patris ætas, ante annos quinquaginta mortui: quia cum dicat Author suprà, Ambrosium *adultæ ætatis* fuisse; satis significat, plures eum annos vixisse, priùs quàm in Vortigernum armaretur. Deinde Constantinum, aliam habuisse prolem præter Constantem Monachum, innuit Sozomenus l. 9. c. 11. cum Constantem vocat ejus *filium natu majorem*: & quamvis idem Author c. 15. Julianum quoque vocet Constantini filium, eundem tamen illum, cum Constante, fuisse, non diversum, Authoris narratio convincit, & Baronius astipulatur. Cæterùm natum educatumque in Britanniâ Ambrosium hunc; ideo mihi persuadeo; quia sub Vortigerni Regis initia, cum pro coronâ certatum est, coactus est unà cum Uthero fratre, [illegible] cedere, ut plurimi Authores affirmant. Nunc verò Vortimero mortuo, & Vortigerno civibus exoso; nullum coronæ rivalem habuit: unde spe paternæ virtutis; ut pater olim, spe nominis; ad salutem Reipublicæ, hoc anno invitatur: & ille lubens in provincialium vota descendit. Quid cognito adventu ejus Vortigernus fecerit, & quomodo se in duplicem hostem armaverit, videamus.

CONSTANTINUS PLURES HABUIT FILIOS.

Sozom l. 9. c. 11.

Idem suprà c. 15.

IV. VORTIGERNI IGNAVIA.

Ille, non se tueri viribus, non hostem ab excensu prohibere, non armare provinciam: sed ad montes fugere, & invia petere decrevit. Ibi exædificandæ arci, quam anno superiori cæperat, incumbens: à Britannis, quos malè rexerat, & a Constantini filio, cui olim insidiatus fuerat, magis quàm à Saxone, timuisse dicitur. Quamobrem speciosa potiùs, quàm vera sequuntur illi, qui volunt Vortigernum anno Christi 474. Oxoniensem urbem in Dobunis extruxisse, ac à se Caër Vortigern appellasse. nam inter alia ejus urbis nomina, itaquoque dici solitam contendit Brianus Twynus, in apologiâ pro illius Academiæ antiquitate. Ubi accusat Joan. Rossum, quod recensens antiqua nomina illius urbis, omiserit Caër Vortigern, & addit: *Vortigernum tamen anno Domini 474. Oxoniensem civitatem, bellorum injuriis quassatam, pristinæ dignitati restituisse, author est Symmachus Lambithensis.* Verùm si rerum gestarum veritate, non privato impetu, metiri rem volumus; dicendum est, Vortigernum cæptam superiori anno arcem, inter Silures, quò Britannorum metu fugerat; hoc demum anno 464. absolvisse; ac ibi sibi vitæque consuluisse: locumque illum posteriùs, in memoriam

OXONIUM NON RESTITUIT.

Twin. l. 2. Apo.

latebrarum

Caer Vortigern.

latebrarum harum, Caer Vortigern appellatum: nec vacasse illi tot periculis obsito, aliam urbem sibi cognominem, præsertim post annos decem, aut extruere, aut destructam restituere, cum revera post sequentem annum desierit in vivis esse, ut varii Authores asserunt, & nos statim dicemus.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1216.

ANNUS CHRISTI 465.

HILARI PAPÆ 5.

VORTIGERNI REGIS 24.

I. Prodigia secuturæ cladis. *Westmon. hic.*

SEQUENS annus Domini quadringentesimus sexagesimus quintus, Basilisco & Herminerico Coss. ingenti prodigio, significavit in proximo esse Britanniæ excidium, si vera narrat Matthæus Westmonasteriensis, qui Godefredum Monumetensem secutus, ita scribit: *Anno gratiæ 465. cum sedisset Vortigernus Rex Britonum super ripam exhausti stagni, egressi sunt duo dracones, quorum unus erat albus, alter vero rubens. Cumque alter alteri appropinquasset, commiserunt diram pugnam. * Nam igneum fumum exhalantes, prævalebat albus, & tandem rubeum, usque ad extremitatem lacus fugabat. At ille cum se expulsum doluisset, impetum fecit in album, ipsumq; retroire coegit.* Hic Britanni, vel ut dixi suprà, bardorum aliqui, nænias miscent, ut moribundum Britanniæ regnum, cum honore sepeliant. Fingunt Merlinum vatem, enthusiasmo, nescio quo, afflatum, plurima disputasse, de draconum pugnâ, de victoriâ Saxonum, de fugâ & exterminio Britannorum. Qui hujusmodi narratione capiuntur, legant, per me licet, Monumethensem, & alios, qui spartam illam ornaverunt: mihi nec volupe, nec otium est, incerta sectari. Et classico avocor, & interpretari debeo draconum pugnam ex eventu: Unde non difficile fuit, fabulam fingere.

II. Prodigii sensus.

Saxo, quem albus draco figurabat, intellecto novum Principem, in Britannorum suppetias advenire: conatus est illum aggredi priùs, quàm Britannis jungeretur; ratus faciliorem fore victoriam, si primi impetus frangerentur. Britanni interim omnem Hengisti motum observantes, ad repulsam segnes non fuerunt. In Cantio pugnatum est, non procul à Rutupiis. nam ita locum, tempus, aliasque pugnæ circumstantias explicat Huntindonius: *Supervenientibus auxiliariis, post aliquantum temporis, Hengist Rex & Esc filius suus, invictissimum congregaverunt exercitum, anno decimo septimo adventus Saxonum in Britanniam (est annus Domini 465.) contra quos omnis Britannia viribus congregatis duodecim phalanges nobiliter ordinatas opposuit apud VVippedesflede: Pugnatum est diu, & pariter, donec Hengistus duodecim principes cuneorum prostravit, & vexillis eorum dejectis, & manipulis eorum proturbatis, in fugam coegit. Ipse autem multos principum suorum, & gentis, amisit: & quendam magnum Principem, qui vocabatur VVipped. ex cujus nomine locum belli illius, prædicto nomine vocavit. Victoria ergo illis lacrymabilis fuit, & odiosa: ita ut postea nec ipse Britannorum fines; nec Britanni in Cantiam venire præsumerent.* Hæc Huntindonius, & idem habet de loco & tempore Ethelwerdus. Porro quod ad locum spectat, hodie Elfled, vel à S. Virgine Ebbesflerte dicitur in Tanato Insula.

Huntindo. l. 2.

Hengistus in Britannos pugnat.

Wipped Saxo occiditur.

Ethelwoerdus l. 1. ad an. 481.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1217.

ANNUS CHRISTI 466.

HILARI PAPÆ 6.

AMBROSII AURELII REGIS 1.

I. Aurelius in Vortigernum pugnat.

CESSATUM quidem ab externo bello cum Saxone, sed non ab intestino. nam anno sequenti qui fuit Christi quadringentesimus sexagesimus sextus, Leone Augusto III. Cos. Ambrosius in Vortigernum, omnium malorum authorem, arma viresque convertit. Itaque ad montium prærupta, quò ille fugerat, movens exercitum; ad Genorium oppidum castra metatur: ubi cum arcem vario pulsans ariete, nulla arte expugnare posset; tandem admoto igne, miserrimum principem, nequicquam opem implorantem, exussit: paulo aliter Vortigerni cædem narrat Huntindonius ita: *Rex Vortigernus,* inquit, *in Occidentali parte Britanniæ, inter prærupta montium, & silvarum, omnibus exosus degebat. Dicitur autem quod cum Rex prædicationem S. Germani audire nollet; fugeretq; sanctum se sequentem, quadam nocte, ignis de calo cecidit super arcem, in quâ Rex erat. Rex autem, tam ruina, quam igne destructus, nusquam comparuit.* Sed quicquid sit, sive igne cælitùs misso, sive Ambrosii manu projecto; Vortigerni libido, quæ belli & tumultum causa fuit, omnino sopita est; & ipse locum digniori fecit, qui Britannorum miserias sisteret: nam omnem libertatem & jura restituere, non erat humanarum virium: nec Deo placitum qui mutat regna & imperia.

Vortigernus occiditur.

Huntindo. l. 2.

II. Aurelius Ambrosius Rex.

Amoto Vortigerno, rerum summa Ambrosio defertur; non tumultuario modo, aut militari solùm licentiâ: sed cleri, principum, populique suffragio. nam convocatam Synodum, ad novi Regis inaugurationem, scribit Spelmannus quam vocat: *Concilium Cambricum, sive circa montes Eriri apud Ordovices.* Cæterùm quod coactum illud putet anno 465. sequutus est Westmonasteriensem, qui cum multa ad illum annum adnotasset, hæc tandem habet: *Nec mora cum crastina dies illuxisset, applicuit Aurelius Ambrosius, cum fratre suo Uterpendragon, cum innumerâ manu armatarum. Convenerunt itaque Britones undique dispersi. & convocato Regni clero, Aurelium in Regem erexerunt.* ita ille. Sed nimiùm, opinor, festinat: & probabilius est, non nisi Vortigerno mortuo factum Regem. atque ita regni ejus exordium, ad hunc annum collocant Jo. Spedus, Stous, aliique. Quod si quæras, quâ fide, quâ pietate, Britanniæ sceptrum tenuerit: id paucis, sed benè, explicat Westmonasteriensis. *Sublimatus autem, Ecclesias ad solum usque destructas, ut potuit, reparare vacavit. Erat largus in muneribus dandis, sedulus in divinis obsequiis, modestus, mendaces cum suis adulationibus postponens, pede fortis, equo fortior, & ad regendum militares exercitus peritus. Talibus insignitus virtutibus, celebris & famosus longinquis etiam regionibus habebatur.*

Spelman to. 1. de Conc. an. 465.

Concilium Cambricum circa montes Erir. *Westmonast. an. 465.*

Spedus l. 7. in Aurelio. Stous hoc anno Westmonast. suprà.

Aurelii laus.

Unde

III. OLIM AB ODOACRE REGE CAPTUS.

Eugipius in vita S. Severini.

Unde ſubit animum non levis ſuſpicio, hunc eſſe Ambroſium illum, quem Odoacer Erulorum Rex, & poſtmodum Imperator, captum libertati reſtituit, precibus S. Severini: quemadmodum etiam Baronius opinatur, citatque Eugipium in vitâ S. Severini ita ſcribentem: *Odoacer potitus Italiâ S. Severino familiares literas dixerit, rogans, ut quicquid ab eo vellet, peteret: memor illius præſagii, quo eum quondam regnaturum prædixerat. Quibus ſanctus alloquiis invitatus, Ambroſium quendam exilio damnatum juſſit abſolvi.* Hæc ille. *Porro quod ad Ambroſium ſpectat* (ſubdit Baronius) *hunc illum eſſe putamus, qui poſt hæc, ſe in Britanniam contulit, & magnis ſumptis ſpiritibus, rem egregiam aggreſſus, Inſulam illam oppreſſam à barbaris, liberavit.* Obeſt tamen opinioni huic, ſuſpicionique meæ, ratio temporis: ſi enim Odoacer, tum demum, & non priùs, Ambroſium abſolvit, quàm Italiâ potiretur; nimirum anno Chriſti 476. qui primus eſt Odoacri Regis, quomodo potuit Ambroſius ante decennium purpuram ſumpſiſſe, quod tamen affirmant Annales noſtri? Cæterùm Baronius erraſſe videtur, tam in ſupputando exordio regni ejus; quàm in eo quòd Bedam corrigens, ait: *Ambroſius purpuram quidem aſſumpſiſſe, non autem nomen Imperatoris videtur: ipſeq; primus id tentavit* (ut Gilda teſtatur) *non autem & parentes, ut legitur apud Bedam: qui ſub Zenonis imperio hæc contigiſſe tradit; ſicut & Ado in Chronico.* In duobus ergo hic Author diſſentit à nobis; qui hoc anno, Leonis Imperatoris decimo, non ſub Zenone (qui poſterius imperavit) Ambroſiani regni initium ponimus: & dicimus inſuper eum hæreditario jure in purpuram deſcendiſſe.

Baron. an. 476.

Baron. an. 477.

IV. DE EXORDIO AMBROSIANI REGNI.

Beda de 6. ætat. in Zenone.

Quod ad primum attinet, nec Beda, nec Ado, in Chronico, Ambroſii regnum ſub Zenone auſpicantur, ſed tantùm uterque refert, eo regnante, Saxones à Britannis, Duce Ambroſio, profligatos eſſe: quod nos libenter damus, & ſuo loco confirmabimus. Beda in libro de ſex ætatibus, ſub Zenone hæc ſcribit: *Britones, Duce Ambroſio Aureliano, viro modeſto, qui ſolus fortè Romanæ gentis, Saxonum cladi ſuperfuerat, occiſis in eâdem parentibus purpurâ indutis, victricem eorum gentem provocantes ad prælium, vincunt: & ex eo tempore, nunc hi, nunc illi palmam habuere, donec advena potentior totâ per longum potiretur Inſulâ.* Hæc ille ubi nihil de regni exordio, ſed tantùm aſſerit, quid eo Rege factum, & Zenone imperante. Porro Ambroſium, ſub Zenone etiam, & poſt eum in Britanniâ regnaſſe, conſtabit ex infrà dicendis. Iterum non placet cenſura Baronii, Bedam è Gilda corrigentis: nihil enim Beda alienum habet à Gildæ ſententiâ, ſi Gildæ textus probè citetur, & non ut librariorum vitio aliquando legitur. Putamus enim hæc eſſe Gildæ genuina verba: *Ambroſius ſolus fortè Romanæ gentis, tantæ tempeſtatis colliſioni, occiſis in eadem parentibus, purpurâ nimirum indutis ſuperfuerat.* Ita Gildam legerunt Beda, & omnes Annales noſtri; non autem, *purpurâ nimirum indutus ſuperfuerat*, ut legunt exemplaria aliqua, imprimiturque in M. Patrum Bibliothecâ: quod opinor Baronium in eam duxit ſententiam, ut Bedam erraſſe putaverit. Sed eſto: dixerit Gilda, Ambroſium ſolum ſuperfuiſſe, purpurâ indutum: non inde tamen ſequitur parentes in purpurâ non fuiſſe; aut opus eſt Bedam, alioſque corrigere, qui nihil contra Gildæ mentem dixêre.

GILDÆ LOCUS EXCUTITUR.

Gildas in Excid.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1218.

ANNUS CHRISTI 467.

HILARI PAPÆ 7.

AURELII AMBROSII REGIS 2.

ANNO Chriſti quadringenteſimo ſexageſimo ſeptimo, Puſæo & Joanne Coſs. Hilarus Papa cum univerſæ Eccleſiæ præfuiſſet annos ſex & menſes fere decem, ingreſſus eſt viam univerſæ carnis. de cujus pietate erga cultum divinum hæc leguntur. *Hic fecit oratoria tria, in Baſilica Conſtantinianæ baptiſterio, S. Ioannis Baptiſta, & S. Ioannis Evangeliſta, & ſancta Crucis: omnia ex argento & lapidibus pretioſis ornavit. Confeſſionem autem S. Ioannis Baptiſta fecit ex argento penſantem libras centum, & Crucem auream. & in ambobus oratoriis januas æreas argento cluſas. In oratorio verò S. Crucis fecit confeſſionem, ubi lignum poſuit Dominicum, & Crucem auream cum gemmis, penſantem pondo librarum viginti,* &c. plura habes de calicibus aureis, de ſcyphis, lampadibus & lucernis, aliiſque vaſis ſacrificio ſervientibus: quæ ut hujus ſæculi fidem teſtantur, ita ſectariorum nudifidiam Eccleſiam manifeſtè convincunt, cum Chriſti Eccleſia nihil habere commune. Succeſſit Hilaro Simplicius Papa.

HILARUS PAPA MORITUR.

Anaſtaſ. Biblioth. in Hilaro.

EIUS PIETAS.

SIMPLICIUS PAPA.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1219. 1220.

ANNUS CHRISTI 468. 469.

SIMPLICII PAPÆ 1. 2.

AUR. AMBROSII REGIS 3. 4.

HIs duobus annis, ſexageſimo octavo, uno Aothemio Cos. & ſexageſimo oono, ſupra quadringenteſimum, Zenone, & Marciano Coſs. Britannos inter & Saxones, velitatum fortè aliquando, ut è Beda & Polydoro colligit Gordonius; qui ad annum 469. diſertè affirmat, Britannos Duce Aurelio fortiter dimicantes, ſæpè Anglo-Saxones profligaſſe: Puto tamen, vel levia fuiſſe certamina; vel quieviſſe potiùs utrumque exercitum, vireſque, ad inimicum impetum collegiſſe. Ambroſius enim, quà terrore nominis ſui, quà concurſu provincialium, qui ad eum confluxerant; metum Saxoni ſecerat, & ſine dubio proferendæ ulteriùs victoriæ, cui ille ſegniter incumbebat, remoram.

Gordon. an. 469.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1221.

ANNUS CHRISTI 470.

SIMPLICII PAPÆ 3.

AUR. AMBROSII REGIS 5.

SEQUITUR annus Chriſti quadringenteſimus ſeptuageſimus, Severo & Jordano Coſs. quo Synodum in Britannia collectam eſſe, pro

SYNODUS BRITANNICA.

restitutione Ecclesiarum, quas Vortigerni indulgentia, & Saxonum perfidia vitiaverat, scribit Joannes Spedus. Meminit, opinor, hujus Synodi Author Antiquitatum Britanniæ (qui & Matthæus Parkerus) ita inquiens: *Vortimero tam ordine, quam ætate proximus Aurelius, ad reparandas Ecclesias totius Cleri habuit conventum.* Quid actum prætereà in Synodo sit, nemo prodidit; nisi illud eò referre placet, quod sectarii, Cantabrigiensis scholæ laudatores habent, de Simplicio Romano Pontifice: qui scilicet scholam illam confirmaverit, auxeritque privilegiis. quod probant ipsi ex Honorii diplomate, ubi inter alios Ro. Sedis Episcopos, Simplicius numeratur, qui studiis illis faverit: diplomatis partem * suprà retuli: & inde, si verum est, satis evincitur primæ sedis authoritas, eximentis Academiam ab omni Episcoporum & Archiepiscoporum jure. quod si diploma adulterinum est; cur sectarii non honestiùs mentiuntur; cum una manu Ro. Sedis, authoritatem negant, & altera illam asserunt? Frustrà igitur in Petram illam pugnant, qui nobis etiam nolentibus, tam vocalia suppeditant Pontificiæ authoritatis argumenta. Quievit Insula, per hocce tempus, ab hostili impetu: & quidni otium fuit ornandi scholas? Coacta est Synodus, pro restitutione Ecclesiarum: & cur non, inter cætera, de studiis ageretur, Ecclesiarum ornamento maximo? Simplicium Romæ sedentem, orthodoxi omnes venerati sunt: Cur igitur non humili prece supplicatum ab Insulâ, quæ prima provinciarum omnium sedem illam venerata est? Cæterùm an Cantabrigia adhuc in rerum natura fuerit, studiorum mater, difficultas est, quam non libenter ingredior. multò verosimilius est, laborasse Simplicium, nè doctis Insula careret. nam qui pro Alexandrinâ & Orientalibus Ecclesiis, tantâ solicitudine tenebatur, quantam in ejus Epistolis legere est: vicino sibi Occidenti, filiæque primogenitæ, impensè quoque studuisse, par est credere.

Spedus in Vortigerno.
Antiquit. Britan. fo. 8.

An Simplicius exemerit Cantabrigienses?
* An. 186 5.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1222.

ANNUS CHRISTI 471.

SIMPLICII PAPÆ 4.

AUREL. AMBROSII REGIS 6.

PRo anno Christi quadringentesimo septuagesimo primo, Leone Augusto, & Probiano Coss. nihil in Annalibus nostris adnotatum invenio: transeo ergo ad sequentem.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1223.

ANNUS CHRISTI 472.

SIMPLICII PAPÆ 5.

AUREL. AMBROSII REGIS 7.

I. S. Patricius moritur.

ANNO Christi quadringentesimo septuagesimo secundo, Ferto & Marciano Coss. Magnus Patricius, Hiberniæ Apostolus, ita Deum orasse videtur: *Nunc dimittis servum tuum Domine, secundùm verbum tuum in pace*: moritur enim, non annis major, quàm sanctitate, & bonorum operum meritis, plenus. Magna quidem controversia est, & multum Authores variant, tam in definiendo tempore, quàm loco obitus ejus: sed quia suprà, ad annum 361. disputavi de epochâ ætatis ejus, & Malmesberiensem ferè secutus sum: hic quoque, cum bonâ Hibernorum veniâ, Glastoniensium Antiquitatum Authores, qui Malmesberiensem exscripserunt, sequar in quæstione de loco & tempore dormitionis ejus. In Authoribus illis ita legitur: *His diebus mortuo Vortigerno, regnabat super Britones Aurelius Ambrosius, & Saxones invalescebant, & multiplicati sunt valde. Sanctus verò Patricius Hiberniensium Apostolus, & in Insulâ Avallonia Abbas primus; postquam prædictos fratres regularibus disciplinis convenienter informaverat, & eundem locum terris, & possessionibus, de dono Regum, ac aliorum Principum competenter ditaverat: post annos triginta novem, ab adventu suo in Insulam Avallonia decursos, naturæ cessit: & sepulturam, Angelo demonstrante, flammaq; ingente de eodem loco, cunctis videntibus, qui aderant, erumpente, in vetustâ Ecclesiâ à dextris altaris, promeruit.* Hactenus illi.

Antiquit. Glaston. in Patricio.

Scio, litigaturos hic Hibernos, qui dudum Patricii omnia, parentes, inquam, patriam, ingressum vitæ, & exitum, sibi arrogarunt. Verùm ut qui multum complectitur, nihil fortiter premit: ita pauca lucrantur qui oscitantèr omnia vendicant. Qui nuper Patricii vitam collegit è Jocelino, Fra. B. B. quamvis multa pro Hiberniâ disputet; tamen *cum Patricii obitum recenset*, scribit eum mortuum anno ætatis centesimo vigesimo tertio: quos ita partitur: erat annorum sedecim, cum ab hoste captus, ductus est in Hiberniam: sex annis ibi servivit, octodecim cum S. Germano in Galliâ versatus. venit rursum in Hiberniam annos natus quinquaginta quinque. Ibi triginta quinque annis in animarum messe laboravit, *in Hibernia*, inquit, *& adjacentibus Insulis. Postea per annos triginta tres dulcissimæ contemplationi vacavit, vel Armacæ, vel in Savallensi Monasterio: quo omni tempore nunquam egressus est, nisi ob negotia majoris momenti, vel ob celebrandam quotannis Synodum.* Ubi nulla (ut vides) expressa mentio, quo demum loco obierit. Imò ex hac ipsâ narratione, paucis admodum, vel mutatis, vel explicatis, Glastoniensia monumenta confirmantur. Quod enim Jocelinus dubitanter, de asceterio, & secessu ejus pronuntiat: nos constantiùs illum nominamus. Et quia Glastoniense Monasterium, sanctitatis titulo, & temporis prærogativâ, notissimum erat: cur novum Patricius quæreret, in Armachanâ urbe; ubi sedem Episcopalem, ad expedienda Ecclesiæ negotia collocarat, non ad contemplationis otium. Est igitur magis obvium credere; Patricium, quo mentem à curis & tumultibus avocaret; Apostolatus onus in plures divisisse: & ibi devotionis dulcedines quæsivisse; ubi multi illam gustaverant. Cæterùm nullum in Hiberniâ Monasterium cum Glastoniensi, si omnia contemplationis commoda conferre vis, poterat comparari.

II. Contentio de Patricio, et loco mortis.
Fr. B. B. in vita Patricii c. 22.

Quid Hiberni Scriptores.

Monasterium Savallen.

Quod ad Patricii ætatem attinet, suprà dixi variè illam à variis assignari. Sed nec Probus, qui fusè tamen de Patricio scripsit, mortis locum clarè exprimit: explicat tantùm sancti desiderium Armachæ moriendi, quod Deo tamen

III. Qoid Probus de mortis loco.

displicuisse

Probus l. 2.

displicuisse affirmat in hunc modum. *Appropinquante die mortis beatissimi patris nostri Patricii; venit ad eum Angelus Domini, qui ante sæpissime apparuerat, & dixit ei de morte sua, & de exequiis ejus, ac de aliis secretis Dei. Ille verò ad Armache voluit ire, ut ibi moreretur, atque sepeliretur. veneruntq; ad eum viri familiares ejus, & amici nominis Christi ad deducendum eum, quocunque vellet. Cumq; ad Armache cœpisset ire cum multis sociis se comitantibus: ecce juxta viam rubus quidam apparuit ardens, & tamen non comburebatur. Erat autem in rubo Angelus ille, qui eum visitare solebat: Qui vocans ad se Patricium, dixit illi: Quare sine Dei consilio proficisceris ad locum, quem non prælegit Dominus? Revertere ad locum unde venis, hoc est, ad Sabul. illic enim morieris: nec Armache adibis.* Hæc Probus. Ad Sabul ergo moritur Patricius, vel fortè ad Saval Monasterium, de quo suprà Jocelinus. Et quoniam sæpè M. S. codices variant, cur non putem, Glastoniam intelligi; quæ Avallon communiter audiebat? & sic integra erit Antiquitatum illius loci authoritas, Savallensi tantùm in Avalonensi mutato.

Monasterium Avalonen.

IV. Epocha S. Patricii.

Pergo igitur, iisdem testibus, & Authoribus, Patricii ætatem sic definire. *Obiit hic Deo dignus* (inquiunt illi) *anno ætatis suæ centesimo undecimo* (Malmesberiensis habet centesimo duodecimo) *Incarnationis verò Domini quadringentesimo septuagesimo secundo: ab anno quo in Hiberniam missus est, quadragesimo septimo. Siquidem anno Domini 361. in lucem venit: & anno Domini 425. à Cœlestino Papa missus fuit* (nos hoc suprà rejecimus) *hic fuit annus ætatis suæ 44. & anno Domini 433. Hibernicos ad fidem Christi convertit.* (vide quæ diximus ad eum annum:) *Demum Britanniam reversus in optimâ conversatione, per triginta novem annos in Insula Avalonia permansit. Requievit autem in vetustâ Ecclesiâ, à dextro latere altaris, per septingentos & decem annos, usque ad combustionem ejusdem Ecclesiæ. Corpus verò suum in pyramide saxeâ fuit collocatum, juxta altare, versus austrum: quam pro veneratione ejusdem Sancti, postea auro & argento vestivit nobiliter domesticorum diligentia.* Hæc omnia prædicti Authores. Qui alibi etiam, de Sanctis, in Glastoniensi Ecclesiâ quiescentibus, ita scribunt: *Ibidem quiescit Sanctus Patricius, Magnus Hiberniensium Apostolus, & ejusdem loci Abbas primus: qui sepulturam Angelo demonstrante, flammaq; ingenti de eodem loco erumpente, a dextris altaris in vetustâ Ecclesia promeruit.*

Antiq. Glaston.

An. 425. n. 2. & an. 430. n. 3.

Patricii sepultura.

Antiquit. supra.

V. Firmatur annus mortis.

Porrò quod dicitur; Patricii corpus requievisse, per annos septingentos & decem, usque ad combustionem Ecclesiæ, confirmat rationem temporis, quam secutus sum, in anno mortis ejus. nam cum constet è diplomate Henrici 2. quod retuli ad annum 64. Glastoniensem ædem combustam esse, eo Rege; & restitutam circa annum Christi 1185. cum etiam, è monumentis loci illius colligatur, triennio ante combustam: si ab anno Christi 1182. demas annos decem & septingentos: habes Patricium mortuum anno Christi 472. Unde etiam colligo Ambrosiani regni exordium, non esse posteriùs collocandum: cum Patricius dicatur mortuus, quando Vortigerno Ambrosius successerat, anno 472. ex quibus etiam firmatur annorum series, quam hactenus deduxi. nunc breviter Hibernorum argumenta exponam: quibus pro Patricii corpore; & sepulchro illius, non improbabiliter pugnant. nam fortè, quæstione paululum ventilatâ, rerum veritas illustrior erit.

VI. Argumenta pro Patricio sepulto in Hibernia.

Non solum Hiberni, Patricium in eâ Insulâ mortuum & sepultum asserunt; sed externi, & Britanni etiam, cum illis sunt: Giraldus Cambrensis, ita de sepulto Patricio scribit: *Fuerant contemporanei Patricio, sanctus Columba, & S. Brigida: & apud Ultoniam, in Dunensi civitate, ipsorum trium corpora sunt recondita. Ibi & his nostris temporibus, quasi in speluncâ triplici, Patricio in medio jacente, aliis duobus hinc inde, tres nobiles thesauri, divinâ revelatione inventa sunt, & translata.* unde hi versus:

Girald. in topogr. Hiber. dist. 3. c. 10.

In Burgo Duno, tumulo tumulantur in uno
Brigida, Patricius, atque Columba pius.

Confirmantur hæc omnia è Ro. Martyrologio, ubi ita legitur ad 17. Martii. *In Hibernia, natalis S. Patricii Episcopi, & Confessoris, qui primus ibidem Christum evangelizavit, & maximis miraculis & virtutibus claruit.* Quamobrem Hiberni hic saltem amplissimum campum pugnandi pro Patricio, ejusque sacras exuvias vindicandi, habent.

Ro. Mart. 17. Martii.

VII. Solvuntur.

Sed nihil evincent, quia Glastoniense Monasterium, non solùm per annos septingentos & decem, usque ad templi combustionem, Patricii corpus religiosè servavit: sed restaurato postmodum templo, illud in novam ædem transtulit. Quod ita in Antiquitatibus narratur: *Hac tempestate* (nimirum sub annum Domini 1186.) *in vetustâ Ecclesiâ, effossa sunt corpora sanctorum Patricii a dextris altaris, Indracti, sociorumq; ejus à sinistris, & S. Gildæ de pavimento ante altare: & in scriniis collocata.* nusquam ergo Patricius iste, aut in Hibernia mortuus, aut ibi sepultus est. Nam quod Giraldus habet de Dunensi sepulchro, optimè solvitur à Guilielmo Malmesberiensi; qui tres Patricios ita distinxit: *Sciendum est*, inquit, *quod tres hujus nominis sunt sancti; quorum quisque Episcopus & Confessor extitit. Unus Arvernis: alter in Hiberniâ. & ille, de quo nunc agitur, in Glastoniâ requiescens. Iste Patricius in Hiberniâ requiescens, in Hiberniâ extitit natus, qui ibidem pontificavit, circa annum 850. qui etiam ibidem sepultus, translatus est, tempore Regis Henrici 2. filii Mathildis Imperatricis, cum SS. Columkilla & Brigida.* Hæc ille. Quod Glastoniensis Poeta his versibus exposuit:

Antiq. Glaston.

Malmesb. in Antiquit.

Sunt hujus nominis; tene certissimè
Tres sancti Præsules. Primus Hibernia
Archiepiscopus; alter Avernia:
Quâ natus fuerat, tertius Hibernia.
Archiepiscopus primus Hiberniæ
Is primus postea Abbas Glastoniæ
Natus Britannia præclaro genere
Ie sua vita declarat optimè.

Giraldus ergo, & Patricius in Dunensi oppido sepultus, Glastoniensi Patricio non contradicunt. Cæterùm, quàm illustris fuerit Patricii memoria apud Glastonienses, vel inde patet, quod *vetusta Ecclesia, B. Mariæ simul, & B. Patricii nomen acceperit, quemadmodum ex Baldredi, & Inæ chartis liquet.* inquit Ussorius, c. 6. de Britannicarum Ecclesiarum primordiis, fo. 115.

VIII. Patricii plures.

Plures fuisse Patricios, Gallicanæ Ecclesiæ fasti testantur: Nivernenses enim eo nomine Episcopum & Confessorem colunt: cujus est mentio in Gallicano Martyrologio ad 8. Junii in supplemento. Adde Patricium Nivernensem Martyrem, de quo ibidem Kalendis Novembris: & alium Eremitam, cujus nomen ita in dicto Martyrologio legitur ad 24. Septembris. *Nivernis*

Mart Gallica. 24. sept.

S. Patricii Eremitæ & Confessoris, qui in Arvernia clara propagine ortus, longè sanctitate, humilitate, morumq́, integritate natalibus illustrior extitit. Est & Patricius Claromontanus Episcopus & Confessor apud Arvernos, qui colitur ad 16. Martii, Unde nihil mirum Hiberniæ Episcopum aliquem, Patricii nomen, sedem, & sanctitatem adeptum. Potest & illud, ad componendam, de corpore, controversiam dici: quod ubique, in re simili, litem dirimit: expetitas, ab Hibernis, Patricii reliquias, in Dunensi oppido depositas, pro integro corpore reputari, quod centies factum. & quoniam Columbanus, & Brigida, notæ sanctitatis erant, Patriciumque vivi coluerant. in morte quoque non sunt separati. vel ut Germanus nuper censuit *opportunum, ut membra Sanctorum, ex diversis regionibus collecta, quos pares meritis receperat cælum, sepulchri quoque unius teneret hospitium.* ut de ipso, Beda testatur. Unde S. Bernardus, in vita S. Malachiæ, dicere potuit, Patricium, in Armachana sede quiescere. Maneat ergo Glastoniensium Antiquitatum authoritas, & Hiberni in sacris reliquiis, quas indubiè possederunt, Apostolum suum venerentur. De Ro. Martyrologio sufficit dicere, quod suprà pro Josepho Arimathæo dictum: in Hiberniâ celeberrimam Patricii memoriam, ob rerum gestarum magnitudinem, & Apostolatus dignitatem, fuisse: & ideo Hiberniam meritò nominari, ubi maximè colebatur; quod in Martyrologio, cultum asserente, & à controversis rebus abstinente, frequens. Idem dico de Patricii translatione, cujus mentio, in Ecclesiastico officio, Parisiis excuso, anno 1620. Hæc de Patricio satis, quamvis de sanctitate, virtutibus, & miraculis ejus, quæ fuerunt illustrissima, nunquam satis.

Apud Bedam l. 4. c. 18.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1224.
ANNUS CHRISTI 473.
SIMPLICII PAPÆ 6.
AUREL. AMBROSII REGIS 8.

Hengisti victoria de Britannis.

SEQUENS Christi annus quadringentesimus septuagesimus tertius, Leone Augusto V Cos. non aliâ re clarus, quàm Hengisti contra Britannos, victoriâ: non illâ, quam refert Florilegus ad hunc annum, quam Wippedus Saxo lugubrem fecit, de qua ante annos octo: sed quam Ethelwerdus, nobilis author, compendio sic recitat. *Repleto siquidem octavo annorum numero (nimirum à bello ad Wippeds-fletum) Hengest cum Aesc filio suo, secundo arma elevant Britannos adversus: & cæso exercitu victores existunt, spoliaq́, immensa ducunt.* Hæc ille; quod alii vel silentio premunt; vel in illâ Gildæ Bedæque sententiâ intellectum putant. *Ex eo tempore, nunc cives, nunc hostes vincebant, usque ad annum obsessionis Badonici montis*, de quo nos infrà suo loco.

Ethelwerd. l. 2.

Beda l. 1. c. 16.

V. an. 493. 3.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1225. & 1226.
ANNUS CHRISTI 474. & 475.
SIMPLICII PAPÆ 7. & 8.
AUR. AMBROSII REGIS 9. & 10.

AD annum Christi quadringentesimum septuagesimum quartum, & Leonis Augusti junioris Consulatum: Gordonius in Chronologiâ consignat mortem Hengisti Anglo-Saxonum Ducis, *quem Britanni*, inquit, *commisso prælio occiderunt.* & sequenti anno, Zenone Augusto Consule, occisum refert Vortimerum Britannorum Regem: sed utrobique fallitur. dudùm enim Vortimerus obierat; & Hengistus diu adhuc regnare debet, Cantianique regni terminos proferre. Licet enim, anno Christi 475. Augustulus in scenam prodierit, acturus epilogum ejus imperii, cujus Augustus prologum egerat: & licet, eodem fato, Britannici regni instet occasus: Insula tamen, inter varios fortunæ casus, nunc uni, nunc alteri, coronam porriget, stabitque plures adhuc annos, in Saxonem pugnans, viribus suis: & eâ solum lege, Cantiano Regi magistratum tandem permittet; ut calcatis idolis, inde Christiana fides enascatur.

Gordonius hic.

Augustulus absolvit, quod Augustus inchoavit.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1227.
ANNUS CHRISTI 476.
SIMPLICII PAPÆ 9.
AUR. AMBROSII REGIS 11.

I. Odoacer in Italia regnat.

CUM Ro. imperium penitus defecisset, & in Italiâ Odoacer regnum teneret, anno Christi quadringentesimo septuagesimo sexto, Basilisco & Armato Coss. Baronius pientissimè conqueritur, unà cum imperio, Regum quoque fidem defecisse. *Videre est*, inquit, *totum Christianum orbem, sub hæreticorum principum dominio constitutum; nullumq́, penitùs Catholicum Regem, alicui saltem exiguæ provinciæ dominari. Etenim Italiam Odoacer, Rex Arianus occupat: Gallias itidem, principes Burgundiones, & Gothi, iidemq́, Ariani, & Franci, adhuc gentiles, partiti sunt: Hispania pariter Gothos Arianos dominos patiuntur. Universa Africa Gensericum dirum tyrannum, Arianumq́, persecutorem sustinet. Universum verò Orientale imperium, Zenonem Imp. Eutychianum hæreticum, simulatâ perfidiâ, bis iniquum, experitur. Quis hæc considerans, animum non despondens, consternatus penitùs, mœrorem lacrymis decoctum, silentio devoret; dum Ecclesiam vehementioribus undique undis propemodùm mersam intelligit?* Hic, licet ego Baronii fletum nequeam sistere; quia tristis enimvero rerum facies obnubilaverat orbem; possum tamen illum, injectâ Britanniæ mentione, temperare. Si enim hoc ipso tempore, ostendero in Insulâ nostrâ, pium & orthodoxum Principem, regnâsse: lacrymas ejus, qua nos spectant, abstergere possum, & unà commendare Regiam Britannorum Fidem.

Baro. hic.

Querela Baronii de Regiæ Fidei defectione.

Ostendi

II. Refellitur.

Ostendi suprà, multis testibus, Ambrosium, amoto Vortigerno, Britanniæ sceptrum gestasse; restat de fide ejus quæstio; num Ariana, aut heterodoxa; an verò Romana, & orthodoxa? Etenim si nullus hoc tempore fuit in Britannia fidelis princeps; quemadmodum de universo orbe Baronius arbitratur. nimium mihi & Britannorum Ecclesiæ adulatus sum; qui dudum statui deducere per annos mille, unam in Regibus, & orthodoxam fidem. Quod si probavero Ambrosium à majorum fide non deviasse; sed cum Lucio & Constantino fuisse: ille corrigendus est, qui putat nullum penitùs Catholicum Regem, alicui saltem exiguæ provinciæ dominatum esse. Quâ in quæstione, si Gildam in testem voco; nemo, opinor, excipiet, qui noverit illum in castigandis Regum, populi, & cleri delictis, nemini parcentem, calamum strinxisse. Ille igitur cum Ambrosium nominat, nihil de illo acerbiùs loquitur, sed *virum modestum* vocat: additque ejus *sobolem ab avita bonitate degenerasse.* Porrò si factiosus ille, aut peregrini cultus fuissent, ipse id ad posteros, ut aliorum Regum facinora, transmisisset. nec statim dixisset: *Hæsit tam desperati insulæ excidio, insperatiq; mentio auxilii, memoria eorum qui utriusque miraculi testes extitere. Et ob hoc Reges publici, privati, Sacerdotes, Ecclesiastici, suum quique ordinem servaverunt. At illis decedentibus, cum successisset ætas tempestatis illius nescia,* &c. quæ intelligi debent de iis qui post Ambrosium, & deinceps fuerunt.

Gildas de Excidio.

III. Ambrosii pietas et religio.

Ambrosius ergo, & regnum ejus, in orthodoxa fide tunc stabat, cum foris languor in Regibus, & religionis avitæ deliquium esset. Quod ut fiat manifestius, audiamus Florilegum, de Ambrosii pietate disserentem, ita. *Invenit Ecclesias ad solum usque destructas: unde vehementer condoluit. Accersitis itaque artificibus, cæmentariis & lignariis, ædificia divina reparare curavit. Dispositis ergo in iis, Presbyteris & Clericis, divinum obsequium, ad statum debitum, revocavit. At ubi profana Deorum templa & idola invenit (quæ nimirum infidelis Saxo posuerat) à memoria hominum, de suo calo, funditus delevit universa. Iustitiam & pacem Ecclesiis, & viris Ecclesiasticis, observare studuit, & præcepit; multa conferens eis, ex Regia munificentiâ, cum redditibus amplis, beneficia: & orare pro regno, & Ecclesiæ statu omnibus imperavit.* Hæc ille. Et Regiæ Britannorum Fidei laus ingens esto, quod errantibus ubique provinciarum principibus, & à vero Dei cultu alienis, unus Ambrosius, à majorum pietate non deflexerit, ornaverit Ecclesias, in idola, & peregrinos ritus constantissimè pugnaverit. Hinc corrigendus Alstedius, qui de communi hac defectione loquens; *Hoc tempore*, inquit, *Reges Italiæ, Hispaniæ, & Africæ, erant Ariani: Reges Francorum, Anglorum, Germanorum, pagani.* corrigendus inquam, si Britanniam intelligit, aut Britannorum Regem aliquem. Saxo quidem irrepserat Insulæ, & coronæ surrepserat, paganus adhuc, & sine Deo. maxima tamen Britanniæ portio penes Britannos erat, & in illis orthodoxa fides.

Floril. an. 480.

Alstedius in Chron c.13. in Anastasio.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1228.

ANNUS CHRISTI 477.

SIMPLICII PAPÆ 10.

AUR. AMBROSII REGIS 12.

I. Baronius adscribi atur supradictis. *Baron. hic*

Nec dictis superiori anno refragatur Baronius: Cum anni quadringentesimi septuagesimi septimi, qui sine Consule fuit; res gestas narrat, ita de Ambrosio nostro loquitur. *Ambrosius sumens purpuram, ut aliquod saltem vestigium Occidentalis superesse videretur imperii, à Britannis diu multumq; a barbaris externis afflictatis, ut a Deo missus, exceptus est.* Tum refert è Gilda, quæ suprà posui, Reges, Sacerdotes, &c. suum quosque ordinem servavisse. Quamobrem retractare videtur nobilissimus Scriptor, quod anno superiore dixerat; nullum tunc penitus, in universo orbe, Catholicum Regem fuisse. Quod si dixeris, Baronium credidisse, hoc tantum anno 477. Ambrosium induisse purpuram: ac proinde stare posse, superiore anno, nullum in Britanniâ regnasse, orthodoxum principem: nec ita tamen placet Baronii sententia. nam esto: Ambrosius hoc tantum anno purpuram sumpserit. priùs tamen, ex omnium Authorum mente, vel Vortigernus, vel Vortimerus ejus filius regnaverunt; uterque Christianus atque orthodoxus. nam licet Vortigernus, flagitiosus fuerit, corruptisque moribus; nihil tamen in fidem peccasse, aut alienum sensisse convincitur. Unde Concilium nuper habitum, restituit multa, quæ, pravo Regis exemplo, pervaserant populum; nulla tamen de fide motâ quæstione. Maneat ergo Britanniæ prærogativa: Quod prima habuerit in Europa fidelem & Christianum principem: & cæteris ubique per orbem, hoc tempore, deficientibus, orthodoxum. Unde non immeritò dixit Arnoldus Mermannius in theatro Conversionis gentium: *Britonum Reges, quàm pii fuerint, quàm S. Petro, & Ro. Ecclesiæ devoti: quanta sanctitate præluxerint alii Episcopi: quantis virtutibus excelluerint Monachi, denique quantum isthic promoverit bonorum Regum pietas, fideiq; prorogarit pomœria, & V. Beda in suis Annalibus, & rerum eventus temporumq; series declarant.* nunc inviso Remp. alteram.

Britanniæ laus.

Mermannius in theatro.

II. Ella Dux filiique in Britanniam veniunt.

Hengistus, qui totius Insulæ imperium, spe devorarat; cum Ambrosii virtute, lentam fore victoriam cerneret, nisi novo milite augeretur: vocat rursùs è Saxoniâ manipulares copias, quæ Britanniæ litora observantes, vel novâ provinciâ potirentur; vel Cantium sibi saltem securius redderent. Itaque hoc ipso anno 477. ut Ethelwerdus, Westmonasteriensis, aliique consignant: Ella Dux, filiique tres, Cymen, Pletingus, & Cissa, cum armatorum manu, & valida classe, ingrediuntur Oceanum, docti priùs quo tenderent; nimirum ut australia Insulæ occuparent: quo Britanni magis magisque distracti, minores essent ad resistendum. Et quidem provinciam illam, quæ ad austrum jacens, Regnos continebat (ita Ptolomæus populum vocat, qui in Surria, & Southsexia erat) nuper Vortigerno Regi, Hengisti fraus extorserat: volebatque Saxo, Vortigerni cessionem, vi, & armis asserere; quam Ambrosius Rex, & Britanni improbarunt. Locus exscensionis, à Cymeno, primogenito Ellæ

filio, diu postmodum Cymenshore dictus.

III. Ella Dux in Britannos pugnat. *Huntindo. l. 2.*

Quid porrò ab eis factum, & quâ ratione, sedem in provinciâ fixerint, ita explicat Huntindonius: *Dux Elle, cum filiis suis, & classe, militaribus copiis instructissimâ, in Britanniâ ad Cymenshore appulerunt. Egredientibus autem Saxonibus de mari, Britanni clamorem excitarunt, & a circumadjacentibus locis innumeri convolarunt. Et statim bellum initum est. Saxones verò, staturâ, & vigore maximi; imprudenter eos recipiebant: illi vero imprudenter veniebant. Nam sparsim, & per intervalla venientes, à conglomeratis interficiebantur; & ut quique attoniti veniebant, rumores sinistros ex improviso sentiebant. Fugati igitur sunt Britanni, usque ad proximum nemus, quod vocatur Andredesl:ige. Saxones autem occupabant litora maris in Sudsexe, magis magisq; sibi regionis spatia capessentes; usque ad nonum annum adventus eorum.* Hæc ille benè distinguens annum adventus, ab eo anno quo in provinciâ regnare cæperunt. Nec enim Australium Regum initia huc referenda: sed jacta potius rudia regni fundamenta, ut dictum aliquando de Hengisto. Ella igitur Ducis nomine contentus; nono post anno, cum Britannos rursum ad pugnam provocasset; nisi suppetiæ advenissent, non potuisset parta tueri; & nunquam Regis nomen, (quod anno 491. primùm obtinuit) ad filium transmisisset.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1229.

ANNUS CHRISTI 478.

SIMPLICII PAPÆ 11.

AUR. AMBROSII REGIS 13.

Nauclerus rejicitur.

NAUCLERUS secundo volumine, generatione XVI. è Blondo refert, anno quadringentesimo septuagesimo octavo Illo Consule sine Collega, regnante Aurelio Ambrosio, & sub initium Odoacri Regis; Britannos omnes, relictâ Insulâ, in Gallias abiisse. Unde putat, nunc primùm Armoricum tractum, in Britanniæ minoris nomen concessisse. Sed fallitur, & nos suprà majore fide diximus, provinciam illam prius à Britannis habitatam. Negandum tamen non est, quin eò frequenter itum à Britannis, iis præsertim qui belli strepitum nauseantes, sanctioris vitæ desiderio tenebantur. Hinc plures omni virtutum genere eximii; quo secretiùs viverent, & uno illo necessario fruerentur; in continentem illam secesserunt. quos optimo jure inter Britanniæ nostræ cives numerare possumus, & mox inde aliquos in Annales nostros deducemus.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1230.

ANNUS CHRISTI 479.

SIMPLICII PAPÆ 12.

AUR. AMBROSII REGIS 14.

Baron. hic.

ANNO Christi quadringentesimo septuagesimo nono, Zenone Augusto III. Cos. *Magnus ill: Lupus Trecensis Ecclesiæ Episcopus*, ita loquitur Baronius, Gallicanæ Ecclesiæ decus, *ex hoc mundo migravit in cælum, æterna vita præmia à Deo consecuturus.* Hic est ille, qui cum Germano Altisiodorensi Episcopo, sub annum Domini 429. Britanniæ, pelagianâ factione laboranti, mirabiliter profuit; cujus vitæ exordium suprà retuli. Hic ergo cum annis duobus & quinquaginta Trecensi sedi præfuisset (Ecclesiam illam administrare cæpit biennio ante Britannicam legationem, nimirum anno Christi 427.) ut locum aliquando inter Britanniæ Sanctos meruit, in Anglicano Martyrologio; ita memoria nomenque ejus poni debet in Annalibus nostris.

Lupus moritur. An. 429. n. 14. *Mar. Ang. 29. Iun.*

ANNUS URBIS CONDITÆ 1231.

ANNUS CHRISTI 480.

SIMPLICII PAPÆ 13.

AUR. AMBROSII REGIS 15.

I. Winwalocus floret. *Mart Anglic. 3. Martii.*

CUM Sancti Winwaloci exordia recensui, ad an. Christi 432. promisi me plura dicturum, sub finem vitæ ejus: Et quoniam in Martyrologio nostro disertè ponitur floruisse circa annum Domini quadringentesimum octogesimum, Basilio juniore Cos. hîc ejus reliqua prosequamur. Agebat ille, Monachus, in Britanniâ minore: quò olim, cum Fracano parente, declinandæ tempestatis studio, secesserat: cum tandem in Monachorum patrem & Abbatem electus est. Quam præfecturam ita piè subiit, ita constanter gessit, ita denique cum sanctitatis laude absolvit; ut Gallias & Britannias mirabiliter illustrarit. nam ut inde incipiam, ubi desivi. Cum undecim discipulis, in Insulâ quadam triennio mansit, vitam ducens eremiticam. *Sed cum nimia eum locum infestarent tempestates* (Author apud Surium) *essetq; ob suam sterilitatem hominum habitationi valde incommodus; Deum rogavit ut aptiorem ei locum ostendere dignaretur. audivit autem Dominus preces fidelis servi sui, & ultra mare locum ei indicavit. Sed cum navis deesset, qua veherentur, magnâ cum fiduciâ oravit Dominum, ac deinde ait ad fratres: Confortamini charissimi, & in Fidei firmitate fundati, sicut me videritis, sequentis me fratris tenere manum; ita vos quoque singuli præcedentis fratris apprehendite manum, & ejus vestigiis insistite. Tum verò invocans nomen Domini pastorali virga, mare percussit: & renovante Deo pristinum maris rubri miraculum, illud se pervium præbuit ingredientibus: sicq; conserti, ut vir Dei jusserat, manibus; ipso in fronte gradiente, per siccum transiere mare, aquis hinc inde velut in murum coalescentibus, cantabantq; Domino hymnum jucunditatis & lætitiæ.* Ita ibi. quæ nuper elegante carmine descripsit Jacobus Bidermannus è nostrâ Societate, hunc in modum:

Apud Surium 3. Martii.

Stabat in extremo VVinolocius æquore, si quis
Nauta profectus o, si qua carina foret:
Nam properanda mari fuerat fuga: navita nusquam,
Et nusquam in toto litore navis erat.
Quo tendemus? ait VVinolocius. impedit omnem
Cum quæsita ratis, tum maris unda fugam.
Impediat: pedibus tamen hæc ait invia siccis
Æquora, rejectâ pervia puppe dabo

Biderman. l. 1. Epigra. 123.

Æquoris

Æquoris inde manu VVinolocus increpat undam.
Et refugo cessit protinus unda salo.
Vitrea dixisses exurgere mœnia, victrix
Vidit Erythreo qualia turba mari.
Sicca mari in medio stupuit vestigia Triton:
Iamq; supervacuas est tata limpha rates
Ipse tamen rursus loca vidit ut arida, rursus
E squallente novas pulvere duxit aquas.
Quis novus hic Moyses? ubi limpha est, limpha recedit:
Nulla ubi limpha fuit, limpha repentè fluit.

Capgra. in Winvvaloco. — ERUS LAUS.

Nunc quæ sunt ejus reliqua videamus: *A vicesimo primo ætatis suæ anno,* (ita refert Capgravius) *usque ad obitum, VVinvvalocus nunquam in Ecclesia visus est sedere, nunquam tristitiâ dejectus, nec lætitiâ solutus; nunquam moderationis metam excedens: sed neque iratus, aut turbulentus, omnibus affabilis, & benevolus erat. Ter quinquagenos quotidie psalmos psallebat: nunc in crucis modo, nunc immobilis fixus staturâ; nunc genibus provolutus. Ex die verò, quo locum suum construere cæpit; nunquam indumento laneo vestitus est, aut lineo; sed caprinis induebatur pellibus. Et neque in lecto plumis, vestibus, seu etiam paleis strato jacuit. durissimis nucum corticibus, uti consuevit pro plumis, pro peregrinis autem tapetibus pictis, arenis cum lapillis delectabatur admixtis, duobus lapidibus capiti suo suppositis. Quali indumento in die, tali & eodem induebatur in nocte. Panem triticeum non comedit: sed modico vescebatur pane hordeaceo, cinere admixto, æquali pondere librato. Semper biduo, aut triduo semel cibum sumpsit. Pulmentum enim erat ex farinâ, & oleribus confectum, nullâ omninò pinguedine impinguatum. Sabbato & Dominico die, caseo aquâ cocto utebatur: & paucos in Resurrectione Domini pisciculos sumebat.* Hæc de ejus parsimoniâ, jejunioque.

II. WINWALOCI FIDES, ORTHODOXA.

Hinc meritò inferre possumos, antiquum hunc Britannum, non prodiisse è modernâ scholâ, quæ paulo liberaliùs tractare solet aqualiculum suum; & ventri servire pro humani generis incremento, paulò hilariùs. Sed plura adhuc suppetunt argumenta, pro Winwaloci fide orthodoxâ: qui enim in Monasterio diutissimè vixit, & pro vivis ac defunctis quotidie Sacrificium obtulit; constat ad factiosorum classem, quæ suffragia, & sacrificia non admittunt, minimè spectare. Cæterùm quod sancto solenne fuerit Sacrificium offerre, testatur Author vitæ apud Capgravium. *Erat autem,* inquit, *consuetudo B. VVinvvaloci Ecclesiam, milliario uno à Monasterio distantem, cum quodam Diacono, nomine Egbino, visitare: & tam pro vivis, quam defunctis, hostias ibi Deo immolare.* (Capgra. in Winvvaloco.) Si quæras, vel quale Sacrificium, vel quoties obtulerit? invenies profectò quotidianum corporis & sanguinis Christi sacrificium fuisse. nam ita ad Winwalocum loquitur Egbinus, ubi suprà. (Idem supra.) *Tu pater,* inquit, *qui quotidie carnem & sanguinem IESV CHRISTI immolas; meruisti ipsum videre in suo corpore, quem assiduò in animo tenes.* Quàm devotè sacris operari soleret S. Winwalocus; vel inde colligere est, quod pietatis præmium, sacrosancto altari adstans, accipere meruerit, vitam æternam: ita enim in ejus vita narratur,

III. Idem supra. MORITUR.

Apparuit ei Angelus Domini, dicens: Frater venerande concivem sibi exposcunt te calicola: & citò ab agonis hujus labore liberaberis. Qui statim, convocatis fratribus, ait. Præparate vos hodie, quia postquam Missam cantavero, & corpus & sanguinem Christi recepero, sextâ diei hujus horâ, ab isto corpore, suscipiet me Dominus noster. Celebratâ itaque Missâ, stans ante altare, inter duos Monachos, hinc inde sustentatus; unà cum fratribus psallens, animam Deo reddidit; tam à corporali ægritudine intactam, quàm à pollutione carnali mundam. Meminit hujus admirandæ mortis Gallicanum Martyrologium, & ita illam recitat: (Martyr. Gallica 3. Martii.) *VVinvvalocus, de suâ ad cælestem patriam evocatione, divinitùs admonitus fuit. Hacq; revelatione charissimis filiis intimatâ, ad horam tertiam cælestis Sacrificii veram immolavit hostiam· communicatoq; cum discipulis, Dominica pacis osculo, & Agni Dei vivifico refectus convivio; ita ut sacræ assistebat aræ; animam citra dolorem, in manus Creatoris efflavit.* Hæc ibi. Mortuus creditur in Tauracensi Monasterio, ibique sepultus, miraculis coruscasse. Sed bellorum infortunio factum, ut diu ibi quiescere non potuerit. unde levatum inde corpus, & aliò translatum, constans est multorum sententia: & plures Ecclesiæ se illud possidere contendunt. Cæterùm mors ejus in omnibus passim Martyrologiis consignatur ad tertium Martii, de anno non omnes consentiunt; sed non malè vel sub hunc annum 480. vel 482. ut habet Jac. Malbrancq, inscribi potest Annalibus. vel certè sub annum quartum sequentis sæculi, ut velle videtur Usserius. (Malbrancq de Morinis l. 2. c. 32. Usser. fo. 464.)

IV. UBI REQUIESCAT CORPUS EIUS.

Sed quò demum translatæ sunt Winwaloci nostri sacræ reliquiæ. nam plures super illis certant provinciæ? Morini thesauro illo gloriantur: aiuntque; Normannis minorem Britanniam depopulantibus, barbarorum manibus ereptum, & Monasteriolum (vulgo Monstrolium) oppidum ad Quantiam flumen situm, delatum; quod certè inficiari nemo debet, sed an ibidem corpus adhuc quiescat, controversum est. Affirmant Morini, probantque demonstratione corporis, argumento etiam albæ, stolæ, & casulæ, quibus eundem Sanctum, sacris operantem, usum esse habet traditio: quæ tamen multò illustriùs probant sacrarum vestium antiquitatem; quàm Winwaloci corpus ibi quiescere.

AN MONSTROLII.

Pro Morinis ita advocat Jacobus Malbrancque: (Idem supra.) *Britanniâ minore Normannorum incendiis conflagrante, Monasteriolum translata est una duorum (VVinvvaloci & Ethbini) Sandapila, ut munitum insigniter in rupe oppidum, ab hostium injuriis tutum daret. Perstant illic eorum corpora, in hodiernum diem, ligneâ thecâ argento divite obductâ. Ostentant insuper ejusdem S. VVinvvaloci, veram, ut aiunt, casulam, albam, stolam, nec non templum ejus nominis dicatum religiosè colitur. S. VValoy gallicè efferunt.* Ita ille.

V. AN GANDAVI.

Sed Flandri insurgunt, piéque contendunt, se in Blandiniensi Monasterio, Winwaloci corpus, jamdudum coluisse, hodiéque colere, in Gandensi urbe: quod quia tabulis Ecclesiasticis consignatum legitur; tam in Gallicano, quàm in nostro Martyrologio, nefas est illud negare.

SATISFIT DUBIO.

Dico igitur cum Usuardo, Molano, Miræo, & nominatis suprà Authoribus; è Monasteriolo Galliæ, in Flandriæ urbem primariam, Winwaloci corpus deportatum esse. Hoc cum Galli ipsi fateantur, quid ultrà urgemus testes? Andreas de Saussay Parisinus, in fastis ita scribit: (Marty. Gallica. 3. Martii.) *Deprædantibus Britanniam Normannis, primum in interiorem Galliam, demum in Belgium transvectum VVinvvaloci corpus, Gandavi in Blandiniensi S. Petri Cœnobio, summo honore reconditum est: ubi ejusdem festiva est memoria, Kalendis Augusti, quo die postrema hac translatio contigit.* Quod iterum attestatur ad primum Augusti. Nec mirum est alibi idem corpus ostendi: quia in hujusmodi translationibus, aliquid in

Sancti memoriam fidelium devotioni reservari consuevit, quod ut sanctitatis μνημόσυνον, ita pietatis esset alimentum. Sic suprà, in Albano, vidimus Caracallam sanguine tinctam, pro corpore, Deo etiam mirabiliter approbante, servatam cultamque: quod idem à Monstroliensibus factum, qui albam stolamque Winwaloci, honoris ergo servaverunt.

V. an. 287. 17.

VI. WINWALOCI MEMORIA IN BRITANNIA. *Malmesb. l. 4. de Pontif.*

Sed quid Britannia nostra, Winvvaloci patria, nullúmne habet monumentum sanctitatis ejus? Imo habet vocale satis vestigium. nam urbs est in Cornaviis, & Salopiensi agro, Wenlocum nominè; cujus appellationis antiquitas (nam ex Malmesberiensi constat ita Saxonum tempore appellatum) facilè persuadet, à Winvvaloco, qui Wenlocus etiam contractius dicebatur, denominatum. Ubi Milburga virgo, sacris virginibus Monasterium posuit. ut suo loco dicemus. Et quoniam Egbini, seu Ethbini facta est mentio, juvat quærere, quis ille & unde? Respondeo, Armoricæ provinciæ alumnum, è Britannia nostra probabiliter oriundum, conversatione & sanctitate Winvvaloci socium fuisse, ac discipulum: qui magistro superstes, in Hiberniam abiit, structoque ibi Monasterio in Nectensi silva, sanctissimè vixit, mortuusque est post annos viginti ad 19. Octobris: quo die in Ro. Martyrologio locum meruit; & in Gallicano hoc elogium. *Ethbinus suffragantibus meritis ad gradum provectus Diaconi, B. VVinvvaloco, Sacerdoti sanctissimo subsidiarius divini muneris, & assecla individuus adlectus est. Mos erat VVinvvaloco ut placabiles hostias, tam pro vivis, quàm defunctis, pacatiori mente, immolaret, ad Ecclesiolam secretam, à clientum frequentiâ & strepitu, uno ferè milliari à Monasterio frequentiùs pergere. Eò dum iraret aliquando, ipsumque Ethbinus ex officio comitaretur: Christus huic occurrit specie miseranda leprosi obvelatus, quem flebili voce opem poscentem, multâ charitate constrxus Ethbinus; ipsoque monente, VVinvvalocus osculatus est. Id obsequii gratanter adeo admisit, qui in paupere se diligi, ac foveri vult Dominus; ut utrique illico rependerit, non ficta præmium charitatis. Evolans enim Christus ipse ex eorum amplexibus; mox coruscans in nube iisdem apparuit; affatuque benignissimo pollicitus est, ipsos jam indelebili charactere vitæ libro ascriptos, fore regni sui, cum beatis, participes. Quod lætum jam stata salutis & reposita gloriæ nuntium, Ethbinus ipse, ex tenui de se existimationis judicio VVinvvaloci acceptum meritis censuit. At is vicissim in illum refudit, pari humilitatis studio, ambitiosoque, astu charitatis.* Plura de Ethbino qui cupit, legat ea quæ in dicto Martyrologio habentur.

An. 676. 6. EGBINUS QUIS?

Mar. Gallic. 19. Octob.

SACRIFICIUM PRO DEFUNCTIS.

CHRISTUS APPARET IN FORMA LEPROSI.

VII. Ad hunc annum refero mortem S. Carantoci Monachi, qui in nostro Martyrologio scribitur Roderici Regis inter Britannos filius. Sed malo legere, Keredici Regis filium. Juvit ille multum ad Hibernorum conversionem. nam Patricium in Hiberniam secutus, per annos 30. fidem ibi seminasse dicitur. extat ejus vita apud Capgravium: & ita incipit. *Rex quidam, nomine Keredicus, multos habuit liberos: quorum unus, nomine Carantocus, puer bonæ indolis, quæ Deo placita erant implere cœpit. Venerunt demum Scoti, & omnem quasi regionem pugnantes occupaverunt: Keredicus verò Rex senectute & bellis fessus: cum inimicis resistere non posset; seniores populi sui dixerunt ei: Senex es Domine: nec amplius dimicare potes: oportet nos Carantocum filium tuum ordinare in Regem. Quo audito Carantocus, plus Regem cælestem, terreno regno diligens; & Domini sui voluntatem, quàm humanum favorem, fugam iniit: & emptis à paupere, pera & baculo, iter arripuit, usque ad quendam locum satis amœnum. ubi constructa Ecclesia manere cœpit: & devotas Deo laudes persolvit. Ab annis enim pueritiæ puritatem & innocentiam amplectens; perrexit tandem ad Hiberniam amore S. Patricii allectus. Quò cum pervenisset inito consilio, dixerunt ut separarentur unus ad sinistram, & alter ad dextram; quia multi Clerici, cum illis, ambulabant. Et ut convenirent una vice in anno condixerunt. Triginta autem annis ante nativitatem S. David Episcopi Carantocus in Hibernia conversari cœpit.* Hactenus ibi. Quæ postrema verba Chronologiæ nostræ consonant, qui nativitatem S. David ad an. 462. & Apostolatum Patricii ad annum 431. retulimus. Cæterùm quod annum, & locum mortis S. Carantoci spectat, fallitur Author Martyrologii nostri dum ponit mortuum anno 380. nam legendum potiùs anno 480. cum enim 30. annos in Hibernia prædicasset; rediisse in Britanniam: & inde Dei jussu, iterum in Hiberniam discessisse habet ejus vita apud Capgravium. ubi *in senectute bona plenus sanctis operibus quievit in pace XVII. Kalen. Iunii, & sepultus est in civitate sua, quæ à nomine suo vocata est Chernac. ut ibi legitur.* Hoc enim nomine Carantocus audit apud Hibernos.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1232. & 1253.

ANNUS CHRISTI 481. & 482.

SIMPLICII PAPÆ 14. & 15.

AUR. AMBROSII REGIS 16. & 17.

I. SACRARUM RELIQUIARUM TRANSLATIO. *Baron. an. 482.*

QUOD modò dixi de Winvvaloci reliquiis non semel translatis; noli putare posterioris sæculi inventum fuisse. Sanctorum cineres movere, & ad cultum venerationemque distrahere. nam narrat Baronius ad annum Christi quadringentesimum octogesimum secundum, & Severini Consulatum: ut sacras reliquias Eustathii Antiocheni Episcopi, (qui Niceno Concilio interfuit, & fidei protegendæ causâ gravia passus, gloriosus Confessor occubuit) Calendion Antiochiæ Episcopus à Zenone Imp. impetrarit; & ad sedem suam religiosè transtulerit: quo videas Orientis, & Occidentis fidem, unam eandemque esse in cultu reliquiarum. nam Eustathii reliquias magno honore habitas ita narrat Theodorus Lector. *Calendion petitas à Zenone, Eustathii reliquias, è Philippis Macedoniæ, ubi ille in exilio mortuus fuerat, Antiochiam detulit; quas maximo cum honore exceperunt. Tota siquidem civitas, & omnis ætas* (ut ita dicam) *ad decem & octo milliaria, urbem, in occursum illarum egressa est.* Translatum etiam eodem anno S. Martini corpus Gallicarum rerum, Scriptores tradiderunt.

Theodo. Lector collect. l. 2.

II. Illustrissima quoque fuit translatio corporis S. Samuelis prophetæ sub Arcadio Augusto, quam omnis ordo, & sexus ornaverunt: describit illam S. Hieronymus, qui eodem tempore vixit, & eleganter docet Vigilantium Sanctorum cineres sine sacrilegio aut Christi injuria coli posse. Ita enim loquitur. *Sacrilegus dicendus est, & nunc Arcadius Augustus, qui ossa B. Samuelis, longo post tempore de Iudæa transtulit in Thraciam? Omnes*

Hiero. in Vigilantium.

Episcopi non solum sacrilegi, sed & fatui judicandi, qui rem vilissimam, & cineres dissolutos in serico, & vase aureo percaverunt. Stulti omnium Ecclesiarum populi, qui occurrerunt sanctis reliquiis, & tanta lætitia, quasi præsentem viventemq́; prophetam cernerent, susceperunt ut de Palæstina usque Chalcedonem jungerentur populorum examina, & in Christi laudem una voce resonarent? videlicet adorabant Samuelem non Christum, cujus Samuel Levita & Propheta fuit. Hæc ille, doctè intercens, è Sanctorum cultu, non injuriam, sed cultum Christi.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1234. 1235.

ANNUS CHRISTI 483. 484.

FELICIS PAPÆ 1. & 2.

AUR. AMBROSII REGIS 18. 19.

Simplicius Papa moritur.

Felix III. Papa.

Ecclesiarum Princeps.

Britannia illi paret.

SIMPLICIUS Romanæ Sedis Pontifex, anno Christi quadringentesimo octogesimo tertio, Anicio Fausto Cos. locum fecit Felici, eo nomine tertio. qui quò se Ecclesiarum omnium principem ostenderet; hoc eodem anno audivit Joannem, Alexandrinæ sedis Episcopum, sedem Apostolicam in se gravissimâ appellantem: & sequenti anno, qui fuit Christi quadringentesimus octogesimus quartus, Theodorico Rege, & Venantio Coss. Acacium Constantinopolitanum Antistitem à fidelium communione removit; licet Zenonis Imperatoris potentiâ niteretur. Sed & Petrum Fullonem Antiochenæ Ecclesiæ, expulso Calendione, invasorem, paulò ante damnavit. Leges etiam tulit Orienti & Occidenti communes: & quis dubitabit Britannos omnes ejus imperia accepisse?

ANNUS URBIS CONDITÆ 1236.

ANNUS CHRISTI 485.

FELICIS PAPÆ 3.

AUR. AMBROSII REGIS 20.

Britanni et Saxones pugnant.

Huntindo. l. 2.

VIx paucos annos quieverant Saxones ab agrorum depopulatione, cum anno Domini quadringentesimo octogesimo quinto, Symmacho Consule; qui australia ante annos octo occupaverant; egressi fines, à Britannis, non sine multorum utrimque cæde, repulsi sunt. Quo demum eventu ab utrisque pugnatum, controversia est; his Ambrosio. his Saxoni adulantibus. Audiamus igitur Huntindonium, qui neutri victoriam attribuit. *Nono*, inquit, *anno adventus eorum (Ella & filiorum) cum audacius regionem in longinquam capesserent; convenerunt Reges, & tyranni Britonum, apud Mercredesburne; & pugnaverunt contra Aelle, & filios suos & ferè dubia fuit victoria. uterque enim exercitus valde læsus, & minoratus, alterius congressum devovens, ad propria remearunt*, Hæc ille. Addit Florilegus, Ellam cum filiis campum deseruisse. Sensit ergo Princeps Ella, novo opus milite: quem nisi aliunde accerseret, nulla regnandi spes foret.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1237.

ANNUS CHRISTI 486.

FELICIS PAPÆ 4.

AUR. AMBROSII REGIS 21.

Nova Saxonum colonia.

ANno Christi quadringentesimo octogesimo sexto, Longino & Decio Coss. nova Saxonum colonia, in Britanniam appellens, Ellæ conjungitur; & agrum quem ille occupaverat, contra Britannorum impetus, strenuè tuetur. Id maximum futuri regni, (quod Australium Saxonum dicendum erit) firmamentum fuit. Ad tempus quod attinet, quo nova hæc auxilia venerunt, cum Huntindonius dicat, Ellam misisse ad *compatriotas suos*, & auxilium postulasse, (quod probabiliter factum statim à pugnâ; ut Florilegus innuit) copiæ tamen non eodem anno cogi, instrui, & appellere potuerunt, sed potiùs sequenti. ideo nos in hunc annum rejicimus. De S. Justiniano Britanno homine, & martyre; quem Anglicanum Martyrologium ad hunc annum refert, dicam anno 516.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1238.

ANNUS CHRISTI 487.

FELICIS PAPÆ 5.

AUR. AMBROSII REGIS 22.

I. Hengistus Scotis conjungitur.

Ambrosius Hengistum sequitur.

Eius votum. R. Vitus l. 7.

DUM Aurelius Ambrosius, ad meridionalem Insulæ plagam, in premendo Saxone versatur: Hengistus illa usus opportunitate, in Septentrionem, munito Cantio, proficiscitur: Ibi cum Pictis, Scotisque conjunctus, castra ac propugnacula, diversis in locis extruit, urbes oppidaque munit: & denique locorum validissima priùs occupat, quàm Britanni impedire, aut avertere possent inimicum impetum. Ambrosius, intellecto Hengistum trans Humbrum esse, vastare ibi Ecclesias, præsidia ponere, solicitare ad defectionem cives, majores quàm antea animos sumit; & quasi Dei causam acturus, cum ingenti spe victoriæ in Septentrionem pergit, anno humanæ salutis quadringentesimo octogesimo septimo, Boëtio Consule, ubi pro Ecclesiarum ruinis, quas infidelis Saxo fecerat, bellum sacrum orditur. Addit Richardus Vitus, Ambrosium se voto obstrinxisse, reparandi Ecclesias, si victoria potiretur. *Dum verò*, inquit, *per loca singula transit Ambrosius, agrorum oppidorumq́; vastitatem, ac populorum calamitates, Ecclesiarumq́; lamentabiles ruinas vix oculis siccis intuetur. Si victoria in Saxones bella gesturus, potiretur, Ecclesias restaurare Deo promisit.* Simili pietate, hoc est, voto religiosè concepto, pugnasse ac vicisse Saxonum Reges, ad Christum conversos, dicam sequenti libro. Nunc Ambrosium Hengisto committamus, & videamus Deum voti religionem approbantem.

II. Westmonast. hic.

Anno gratia 487. (loquitur Westmonasteriensis) *Aurelius Ambrosius, maximâ Britonum multitudine collectâ, Saxones ad pugnam provocare disposuit.*

Pugnat et vincit Saxonem ad Maisbely.

Exercitum itaque suum, versus Aquilonem dirigens; Hengistum cum suis Saxonibus trans Humbrum invenit. Hengistus verò, cum adventum ipsius comperisset; audacter ei obviam ibat: & in campo qui Maisbely vocabatur; quo Aurelius erat transiturus; subitum, atque furtivum impetum facere affectans; Britannos non praemeditatos disposuit occupare. Quod tamen Aurelium non latuit: nec idcirco campum distulit adire: ubi dispositis militaribus utrobique legionibus, congrediuntur acies, cruoremq; non minimum, hinc & inde diffundentes, stragem maximam peregerunt. Hinc Britones, hinc Saxones, variis casibus vulnerati, gladio consumuntur. Demum cum Hengistus socios suos succumbere vidit, Britannosq; valere; confestim diffugit: atque oppidum Kaer-conan, quod nunc Cuningeburg appellatur, petivit. Sciens verò, quod omne tutamen suum, in gladio, & hastà consisteret; oppidum intrare noluit: quia illud Aurelio resistere, non aestimavit. Insequitur eum Aurelius; & quoscumque in itinere reperiebat, amputatis capitibus, ad tartara destinavit. Potitus itaque victoria Aurelius, Deum cœli, ex intimo cordis affectu glorificavit, qui sibi de hostibus concessit triumphare. Ita ille, de rebus gestis hujus anni. Quid inde factum, dicemus anno sequenti.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1239.

ANNUS CHRISTI 488.

FELICIS PAPÆ 6.

AUR. AMBROSII REGIS 23.

I. Hengistus moritur. *Huntindo. l. 2.*

ANNUS Christi quadringentesimus octogesimus octavus, Dinamio & Siphidio Coss. Hengisti morte votique solutione quo reum se fecerat Ambrosius, illustris fuit. licet, quod Hengistum spectat, Huntindonius affirmet, eum mortuum quadragesimo anno adventus in Britanniam. unde sequitur, non hoc, sed sequenti potiùs anno mortuum. ad quem etiam annum Florilegus illum refert. Sed quia Malmesberiensis. & Ethelwerdus antiquiores, satis significant Hengistum, hoc anno, è vivis excessisse: de eo hic agendum. Ethelwerdus ad hunc locum ponit exordium regni Eskæ filii Hengisti: & consequenter affirmare debet, parentem mortuum: Malmesberiensis autem, ita loquitur de Hengisto: *Posthac anno trigesimo nono adventus sui (hic est annus Christi 488.) Hengistus diem clausit: vir qui successus suos, non minus fraudibus, quàm viribus urgens; multumq; sævitiæ genuinæ indulgens; omnia cruentiùs, quam civiliùs agere mallet.* Tacet ille aliique vetustiores, quo demum mortis genere obierit: Unde alii, ansam nacti Britannorum facta efferendi, ambitiosiùs, opinor, quàm veriùs, ita rem gestam narrant.

Ethel-vverd. hic. Eska in Cantio regnat. *Malmesb. de Reg. l. 1. c. 1.*

II. *Floril. an. 489.* Aurelii cum Hengisto pugna.

Aurelius Ambrosius epistolas ad universos Britanniæ fines dirigens (inquit Florilegus) *præcepit, ut omnes qui potuerunt arma movere, ad eum quantocius convenirent; & paganos exterminare à Britanniæ finibus non cessarent. Congregatis igitur omnibus, promovit exercitum Aurelius versus Aquilonem, & Hengistum cum Saxonibus, super flumen, quod Don appellatur, aciebus ad bellum instructis, invenit. Quid multa? concurrentibus hinc inde catervis, acerrimam pugnam conniscere, cruorem non minimum diffundentes. Dumque in hunc modum diutissimè decertassent, Dux Claudiocestriæ Eldol, cui ardens inerat desiderium, cum Hengisto gradiendi cum phalange cui præerat, cuneos penetrans, cepit Hengistum per nasale cassidis; summisq; utens viribus, ipsum intra concives suos pertraxit. Desiderium meum (inquit) hodie adimplevit Deus. Victoria enim nobis in manu Dei est. Diffugerunt itaque Saxones, quo impetus quemque ducebat; quos Aurelius insequens viriliter trucidavit. Octa verò filius Hengisti, cum majori multitudine Eboracum adivit: Eosa verò, & alii multi, urbem Alclud petierunt. Ut igitur triumphavit Aurelius, cepit urbem Conani, & ibidem tribus diebus moratus est.* Hæc ibi. Pugnatum est ergo in Eboracensi agro, ubi Danus fluvius castrum alluit, quod hodie Conisborow, olim Kaër Conan, appellatum. *In quod cum Saxones* (sunt verba Camdeni) *Aurelius Ambrosius ad Maesbelly ita dissipasset; ut illi, quà cuique proximum fuit, in fugam effunderentur, Hengistus eorum Dux se recepit: paucosq; post dies, pro castris, suos in aciem produxit contra insequentes Britannos, & prælium sibi & suis funestum conseruit: magna enim vis hominum concisa est: ipsum interceptum capite obtruncarunt Britanni.*

Eldol Hengistum capit.

Camden. in Brigant.

III. Judicium de supradictis et infra. *Floril. supra.*

Hactenus dicta de Eboracensi pugnâ, satis probabilia sunt: quod sequitur in Florilego, de modo judicioque, in causâ Hengisti, & de Episcopi immiti sententia; ad plausum magis, quàm ad veritatem dici videntur. Ita enim ille: *Posthac convocatis Ducibus, Ambrosius præcepit decernere: quid de Hengisto fieri debuisset. Surgens itaque Eldadus Episcopus Claudiocestrensis, & frater Eldol Ducis; jussit omnes tacere, & ait frendens præ ira. Etsi omnes eum liberare vellent, ego eum in frusta concidam. Quid hæsitatis effœminati? nonne Samuel Propheta, cum Regem Amalech in bello captum, membratim concidisset, ait: Sicut fecisti matres sine liberis; sic faciam matrem tuam esse sine liberis hodie, inter mulieres. Similiter facite de isto altero Agag. qui multas matres suis orbavit filiis. His dictis Eldol educto gladio duxit eum extra urbem, & amputato capite, ad tartara destinavit.* Hæc ille; quæ si vera sunt, Eldadus oblivisci debuit infulæ, & omnis mansuetudinis ejus, qui tam severè, tacentibus omnibus locutus est. Præsens illum à pietate prudentiaque commendat: quod scripsisse non oportuit, si *frendens præ ira*, Hengisti mortem, à Concilio extorsit. Porrò quod ponatur ab eo inter illustres Britanniæ Scriptores; quia in favorem gentis suæ *scripserit orationes invectivas; librum unum*; non intelligo, præsertim si velit iracundam hanc & præcipitem, nec Episcopo dignam sententiam, ubi Britanni effœminati dicuntur, librum fuisse: & illum propterea illustrem Scriptorem.

Eldadus Episcopus Claudiocestriæ.

Hengistus ab Eldol obtruncatur.

Pitseus in Eldado.

IV. Ambrosius voto se liberat. *Floril. hic.*

Interea Ambrosius sponsionis, votique memor; adjecit statim animum ad Ecclesiarum ornatum; eaque præstitit, quæ suprà posui ad probandam ejus fidem orthodoxam: *Accersitis, inquam, artificibus cæmentariis, & lignariis, ædificia divina reparare curavit. Dispositis in eis Presbyteris, & Clericis divinum obsequium, ad statum debitum revocavit. Et ubi profana Deorum templa, & idola invenit; à memoriâ hominum de sub cœlo funditus delevit universa. Justitiam & pacem Ecclesiis & viris Ecclesiasticis observare studuit, & præcepit; multa conferens eis ex regia munificentia, cum redditibus amplis beneficia: & orare pro regno & Ecclesiæ statu omnibus imperavit.* Hæc victoriæ anathemata

posuit

posuit Ambrosius, Regiam Britannorum Fidem commendans.

V. *Beda l. 2. c. 5.*

Hengisto mortuo successit in Cantii regnum Æsca filius, quem Beda Oisc vocat, aitque ab eo Reges Cantuariorum solere Oiscingas (sed esset Oiskingas) cognominari. Eodem anno 488. ut referunt Glastonienses Antiquitates; S. Brigida virgo, ex Hiberniâ in Britanniam venit, *ob venerandas sui patroni Patricii reliquias*, ut ibi dicitur. Fuit illa Patricii discipula, & sanctitatis ejus admiratrix, ac æmula. Venit ergo in hanc Insulam, unde fides in Hiberniam venerat; & cum Glastoniense Monasterium aliquamdiu contemplata esset; in patriam rediit, doctura suum sexum, quod in Britannia, & Glastonia, legerat. Ita de illa Malmesberiensis & alii. *S. Brigida in quadam Insula, juxta Glastoniam; ubi erat Oratorium in honore S. Mariæ Magdalenæ consecratum, Bekery, sive parva Hibernia dicta; aliquantulam moram, per nonnullos annos, traxit: & relictis ibidem quibusdam suis insignibus, perâ, monili, nolâ, & textrilibus armis; quæ pro ejus sanctitatis memoriâ ibi ostenduntur; Hiberniam redit. ibique non multò post in Domino quievit, sepultaque est in urbe Dunensi.*

S. BRIGIDA IN BRITANNIAM VENIT. *Malmesb. Antiq. Glaston.*

Hæc est virgo illa, quæ clara miraculis, ab Ecclesiâ colitur, ad primum Februarii; qua die ita legitur in Romano, Bedæ, & Adonis, Martyrologiis: *In Scotia* (Hiberniam intellige) *S. Brigidæ virginis; quæ cum lignum altaris tetigisset, in testimonium virginitatis suæ; statim viride factum est.* Mortua passim creditur anno decimo octavo sequentis sæculi, ut habet Sigebertus: unde corrigendum videtur Martyrologium nostrum, ubi mortua ponitur circa annum Christi 540. nam verior chronologia, Patricio triginta tantum annos superstitem facit, de quo vide Usserium c. 17. fo. 884. & fo. 901.

MIRACULO PROBAT VIRGINITATEM. *Martyrologia 1 Februa.* MORITUR, ET QUANDO? *Brigida nata an. 450. moritur ferè Nonagenaria an. 510.*

ANNUS URBIS CONDITÆ 1240.

ANNUS CHRISTI 489.

FELICIS PAPÆ 7.

AUR. AMBROSII REGIS 24.

AD annum Christi quadringentesimum octogesimum nonum, Probino & Eusebio Coss. nihil in Authoribus observatum invenio, nisi illud in Florilego quod superiori anno ponendum dixi. Cæterùm quod ille ibi dicit, de Ottâ, Hengisti filio altero, Eboracum fugiente, de eo nihil apud vetustiores invenio. Unde vacillat etiam, quod recentiores scripserunt; eum ab Ambrosio victum, Gallovidiam dono accepisse. nec enim puto Gallovidiam, hoc tempore, penes Ambrosium fuisse; cum provincia illa ultra murum ad Pictum Scotúmve pertineret. Pertinuit tamen postea, & Northumbriæ regni portio fuit.

DE OTTA HENGISTI FILIO. *Floril. hic.*

ANNUS URBIS CONDITÆ 1241.

ANNUS CHRISTI 490.

FELICIS PAPÆ 8.

AUR. AMBROSII REGIS 25.

I. DE S. SOPHIA QUI ET CADOCUS. *V. Usser. fo. 471.*

LEGUNTUR in Martyrologio nostro mortui ad annum Christi quadringentesimum nonagesimum, & Fausti ac Longini Consulatum, Sancti Sophias, & Keynâ: Britanni homines: ille Beneventi in Italiâ Episcopus & Martyr: hæc Bragani Principis filia, & virgo sacra: ambo sanctitatis opinione magni. Horum elogia, Annalibus nostris propria, ita hic breviter insero; ut missis cæteris, ea solùm seligam, quæ curiosus rerum nostrarum & orthodoxæ fidei indagator, scire desiderat. Fuit ergo Sophias, Guileici cujusdam Ordovicum Principis filius: Monachum induit in Monasterio ad aquilonarem partem Cambriæ, quod ipse suis sumptibus fecerat. Dominicæ passionis adeo legitur addictus; ut ejus rei vestigia contemplaturus, tertiò iverit Hierosolymam. Romam etiam coluit, & loca illa, quæ Apostolorum principes, passione consecraverant, quæ septies, peregrino habitu, devotus invisit. Romæ sine dubio & ejus Pontifici magis benevolus, quàm moderna factio. Sedebat ibi hoc tempore Felix, quem Sophias veneratus est: à quo, vel certè à prædecessore Simplicio, consecratus est Beneventi Episcopus. Quam sedem ille sanctissimè rexit, donec altari adstans, inter Missarum solennia; cum Christi sanguinem obtulisset, propitiationem pro multis; ipse suo sanguine, fidem Christi, altaria, & sacrificium testatus est, ab infideli & barbaro viro, ob Christianæ religionis odium interfectus. Sophiam hunc, in Britanniâ, alio nomine vocatum esse Cadocum, colligi videtur è Capgravio: licet satis probabile sit Sophiam sive Cadocum seniorem Episcopum ac Martyrem, à Cadoco Monacho & Abbate differentem esse. de quo ad annum 500. & sic intellige Philippum Ferrarium, qui Sophiam hoc anno mortuum ponit in suo Sanctorum Catalogo: Cadocum verò ad annum 500. sed malè eum Martyrem vocat. cum rectiùs Abbatem dixisset. de quo vide annum 500, n. 1. & Usserium in primordiis fo. 471.

Mart. Angli. 24. Ianua. PARENTES SOPHIÆ. EIUS STUDIA ET ITINERA. BENEVENTI FIT EPISCOPUS ET MARTYR. ALIO NOMINE CADOCUS.

Non minor sanctitate fuit Keyna virgo, quæ clara licet ob natalium splendorem; clarior tamen fuit ob virginitatis studium. nam adeo horruit quicquid illam inficere poterat; ut inde cognomen ceperit, dictaque sit Britannicè Keyn-Vayre, id est, Keyna virgo. Quoniam verò hæc virgo celeberrimi nominis, & olim fuit, & etiamnum egregia factorum ejus monumenta extant, de eâ paulò latiùs agendum. *Beata Keyna virgo, de Regali prosapiâ, in Occidentali parte majoris Britanniæ oriunda extitit. Cujus pater Rex Breghenocensium* (Author vitæ ejus apud Capgravium) *nomine Braganus erat.* (*per Regem principem virum intellige inter Silures.*) *Cum ad annos nubiles pervenisset Keyna virgo, & multi nobiles eam in conjugium affectarent: illa virilem copulam omnino recusans, virginitatem suam voto perpetuo Domino consecravit. Ob hoc enim, quæ priùs Keyna vocabatur, postea Britannicè Keyn-vvyrı, id est, Keyna-virgo dicta est. Proposuit tandem patriam deserere;*

II. DE S. KEYNA VIRGINE. *Capgra. in Keyna.* EIUS PARENTES. VIRGINITATEM VOVET.

SOLITUDINEM PETIT.

& locum desertum, ubi contemplationi vacaret, quæreret. Et arrepto itinere, ultra Sabrinam veniens, repertis quibusdam locis silvestribus, a Rege illius provinciæ, solitudinem illam, in qua Deo servire posset, expetiit. Cui quod petiit, hilariter se concessurum respondit; nisi quia locus ille, tantâ serpentum multitudine repleretur; quòd tam hominibus, quàm jumentis, & feris inhabitabilis extitisset. Ita ibi.

III. SERPENTES IN LAPIDES MUTAT.

Keyna cum locum incultum, & aspectu horridum vidisset esse precis facillimæ; nihilque voto obstare, præter loci horrorem; quem vel ideo ipsa amabat, probatque pudori & proposito suo parem: *Constanter respondit* (inquit Author) *se confidere in adjutorio altissimi, & in ejus nomine, se velle, & posse omnem illam virulentam multitudinem effugare.* Legerat enimverò scriptum, & fieri posse credebat, quod olim Christus fidelibus promiserat: *In nomine meo dæmonia ejicient, serpentes tollent.* (*Marci ultim.*) *Concesso igitur virgini loco* (ita Capgravius) *ad solitas preces se prostravit: & omnia illa mox genimina viperarum, mortificata in lapidum duritiem commutavit. Lapides enim, usque hodie, imaginem serpentinam exprimunt, per campos, & vicos, quasi arte latomi sculperentur.* Hæc Author de mirabili serpentum in lapides metamorphosi: quæ mansit Keynæ sanctitatis argumentum, *non* tantùm ab hoc sæculo usque ad Capgravii ætatem, id est per annos mille (moritur Capgravius anno Christi 1484.) sed ad nostram usque ætatem. Camdenus enim diligens locorum investigator, cum lustrat Somersetanum agrum; silvestrem hunc locum miraculo insignem videtur invenisse; licet miraculi vim, factiosorum more, enervet. (*Camd. in Somerset.*) *Secundùm Avonam*, inquit, *in Occidentali ripâ, Cainsham cernitur. Sunt qui existimant à Keyna, Britannica virgine sanctissima denominatam: quam serpentes in lapides mutasse, superioris avi credulitas multis persuasit: eo quod ejusmodi ludentis naturæ miracula, ibi in latomiis nonnunquam inveniantur. Vidimus enim lapidem hinc delatum, serpentis in spiram revoluti effigie; cujus caput in circumferentia prominuit, extrema cauda centrum occupante.* Ita ille, scrupulosè cavens, id sanctæ tribuere, quod dudum antiqui concesserunt: & malens naturam in rebus ludere miraculo, quàm Deum in virgine, quam sanctissimam vocat. Cæterùm major videtur antiquorum pietas, & fides solidior; qui Deum in rebus omnibus magis, quàm naturam contemplati sunt.

IV. *Capgra. suprà.* CADOCUS EAM VISITAT.

Elapsis autem multis annis (pergo in Keynæ virginis vita) *cum fama ejus ubique divulgata esset; & oratoria multa construxisset; S. Cadocus, montem S. Michaelis, peregrinationis gratiâ visitans, Sanctam Keynam, materteram suam ibidem reperit; & magno repletus gaudio; cum illam ad terram propriam reducere vellet, a populo terræ permissus non est. Admonitione demum Angelicâ, virgo sancta ad patriam suam rediens; in quodam monticulo, ad radices cujusdam montis magni, habitationem sibi faciens, ad Deum fusâ prece, fontem de terrâ produxit; qui multis infirmitatibus, meritis virginis sanctæ salutem præbuit. Cum autem Spiritu sancto revelante, dies consummationis appropinquaret, vidit in visione noctu, columnam quasi igneam, usque ad lectuli ejus pavimentum descendere. In nudo enim pavimento; ramusculis arborum superjectis dormire solebat, & Angeli duo sibi apparebant:* (ET DUO ANGELI.) *quorum alter reverenter ad illam accedens; cilicium quo induebatur leviter exuit; & casulâ byssina, unà cum tunicâ coccinea, cum chlamyde quoque auro contexta decenter illam ornans, dixit: Parata esto, & veni nobiscum, ut introducamus te in regnum Patris tui. Quæ cum præ gaudio flens, Angelos sequi vellet, evigilans sensit corpus suum febribus aggravari, & finem suum imminere: accitoque S. Cadoco, ait: Locus iste, quem præ cæteris diligo, hic erit memoria mea: locum hunc sæpius in spiritu, si licuerit, visitabo: licebit autem, quia Dominus hunc mihi locum jure hæreditario possidendum concessit. Futurum est autem, quod locus iste inhabitabitur à gente peccatrice, quam ego violenter ab his sedibus extirpabo: jacebitque tumulus meus, multis diebus incognitus; donec veniant alii, quos ego precibus meis huc adducam, protegam, & defendam: & in hoc loco benedicetur nomen Domini in æternum. Et cùm anima è corpore egredi festinaret; vidit ante se Angelicum exercitum inter cæli palatium, sine metu & periculo, animam illius cum gaudio suscipere paratum. Quod cum astantibus indicasset; sancta illa anima corpore soluta est, octavo idus Octobris.* (MORITUR.) *Quæ cum egrederetur a corpore; subrisit sancta facies ipsius roseum induens colorem: tantaque flagrantia ex corpore virgineo procedebat; ut ipsi se putarent in paradisi gloriâ collocatos. Sepelivit autem eam S. Cadocus in oratorio suo, ubi in sanctâ conversatione, multis annis vitam arctissimam, & Deo placentem duxit.* (A S. CADOCO SEPELITUR.) Hactenus ejus vita. Cujus etiam mentionem facit Heribertus Rosweydus in Fastis.

V. PATER KEYNÆ BRACHANUS VEL BRAGANUS.

Quod ad Keynæ virginis parentem spectat, non est leviter prætereunda ejus mentio. Braganus ille, vel Brachanus dicebatur, multâ sanctaque prole illustrissimus: à quo ager ille Silurum, inter Monumethenses, Herefordenses, & Caermerdenses, Brechiniæ appellationem sortita creditur. De eo ita scribit Giraldus Cambrensis: *Erat Braganus vir potens & nobilis; de quo mihi notabile videtur, quod ipse 24. filias habuisse, historiæ Britannicæ testantur; omnes à pueritia divinis deditas obsequiis, & in sanctitatis assumpta proposito vitam feliciter terminantes.* (*Girald. l. 1. c. 2. Itiner. Camb.*) *Extant autem adhuc basilicæ, per Cambriam multæ, earum nominibus illustratæ: quarum una in provinciâ de Brechenoc, non procul à castro principali de Aberhodni, in collis cujusdam vertice sita; quæ S. Almedhæ Ecclesia dicitur: hoc enim virginis sanctæ nomen extiterat; quæ & ibidem, terreni Regis nuptias respuens; æterno nubens Regi, felici martyrio triumphavit.* (S. ALMEDHA VIRGO.) *Celebratur autem solennis ejus dies, eodem in loco, singulis annis, in capite Calendarum Augusti: ubi & eodem die, multi de plebe longinquis ex partibus convenire solent, & variis languentes infirmitatibus meritis B. virginis optatam recipere sanitatem consueverant.* Ita ille. Miror hujus sanctæ virginis nomen prætermissum esse in nostro Martyrologio, cum tantâ sanctitatis famâ claruerit, ut Ecclesiam suo nomini dicatam habuerit, & frequentem ibi cultum. Adde insigne miraculum, quo castigari consueverunt in ejus solennitate, quotquot festorum dierum religione contemptâ, servilia opera exercuerant. quod ita à Giraldo narratur.

VI. *Giraldus suprà.* MIRACULUM IN ÆDE VIRGINIS PATRARI SOLITUM.

Illud hoc in loco mihi notabile videtur, quod in omni ferè solennitate virginis hujus accidere consuevit. Videas enim hic homines seu puellas, nunc in Ecclesiâ, nunc in cæmeterio, nunc in choreâ, quæ circa cæmeterium, cum cantilenâ circumfertur, subitò in terram corruere: & primò tanquam in extasim ductos, & quietos: deinde statim tanquam in phrenesim raptos, exilientes, opera quæcumque festis diebus illicitè perpetrare consueverant, tam manibus, quàm pedibus, coram populo repræsentantes. Videas hunc aratro manus aptare, illum quasi stimulo boves excitare:

&

& utrumque quasi labore mitigando solitas barbaræ modulationis voces afferre. Videas hunc artem sutoriam, illum pelliparian imitari. Item videas hunc quasi colum bajulando, nunc filum manibus & brachiis in longum extrahere. nunc extractum occandum tanquam in fusum revocare. Istam deambulando, producto filis, quasi telam ordiri: illam sedendo, quasi jam orditam opposita lanceola pectibus, & alternis calamistra comminus ictibus texere mireris. Demùm verò intra Ecclesiam cum oblationibus ad altare perductos, tanquam experrectos, & ad se redeuntes obstupesces. Sic itaque divinâ miseratione, quæ peccantium conversione magis gaudet, quàm eversione; multos ultionem ejusmodi, tam videndo quàm sentiendo, festis de cætero feriando diebus, corrigi constat & emendari. Hactenus Author, de altera filiorum Brachani Principis.

VII. DE BRACHANI FILIIS.

Quod porrò dicat, ipsum viginti quatuor filias habuisse, omnes sanctitate eximias: malo apud ipsum legere, viginti quatuor filios: nam eo genere, uterque sexus meliùs exprimetur. & Capgravius in vita S. Keynæ, meliùs regiam hanc sanctamque prolem explicasse videtur, ita scribens: *Fuerunt Brachano Regi filii duodecim, & filiæ totidem; omnes Deo placentes, & vita sanctæ. Primogenitus ejus erat S. Canocus: primogenita filia Gladus, mater S. Cadoci: secunda Melari, mater patris S. David Menevensis Archiepiscopi.* Ita ille, nec alios nominat præter Keynam virginem. Est tamen alibi mentio alterius filiæ, nomine Tyduael, *quæ uxor fuit* (inquit David Powellus) *Congeni, filii Cadelli, Povvisiæ Reguli; & mater Ir chmaeli, cognomento Stisbroc; qui Ethelfredum Northumbrorum Regem interfecit, ad Devam fluvium ejusq; cop as fudit circa annum Domini 603.* Sed errat: Ethelfridus enim non ad Devam fluvium, nec anno 603. sed ad Idle fluvium peremptus est, anno 617. ut dicam ibi. n. 14.

CANOCUS PRIMOGENITUS. GLADUS PRIMOGENITA. MELARI MATER PATRIS S. DAVID. *Povvel. in Annot. ad Girald sup.*

VIII. MARCELLA PARENS ALTERA.

Altera parens horum filiorum: cur enim eam ab hac historia excludo, quæ tam felicem partum edidit? fuit Marcella, filia Theodorici, filii Tethphalti Reguli, de Garthmatrin; ejus in quam regionis inter Silures, quæ postea, à Brachano, Brechinia dicta est. Utrumque parentem divina bonitas senescenti Britannorum imperio indulsisse videtur: quo inter bellorum strepitus, & agrorum vastitatem, haberet Insula, pro altera, & meliori Rep. sanctitatis, omniumque virtutum solatia: solet enim Deus ut prosperis rebus miscere tristia; ita in miseriarum cumulo, benignissimam manum porrigere; sic crescit persecutionibus Ecclesia; sic fides inter infideles, & vera virtus inter vitia, illustrissima est: & Sanctis Britannia abundavit, cum Saxo, in fidem, & omnia sanctitatis loca pugnaret. De Canoco Brachani filio primogenito, dicam post annum sequentem.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1242.

ANNUS CHRISTI 491.

FELICIS PAPÆ 9.

AUR. AMBROSII REGIS 26.

I. ANNO Domini quadringentesimo nonagesimo primo, Olybrio Consule: Saxones novum in Britannia regnum condidère: quod paucis quidem annis, magna cepit incrementa, & Cantiano regno potentius evasit: quia tamen subitò surrexit, subitò etiam, & ante alia, quæ post emerserunt regna, defecit. Ella princeps, quem supra dixi, variâ fortunâ cum Britannis conflixisse: hoc demum anno, australem Britanniæ regionem occupavit; & cum Britannos inde vi, armisque profligasset; se Regem dixit. Rem gestam, & unà Britannorum fortitudinem solertiamque, ita explicat Huntindonius: *Regnum Sudsexe incipit, quod Ella diu, & potentissimè tenuit. Venerant enim ei auxiliares à patriâ suâ, anno tertio post mortem Hengisti, tempore Anastasii Imperatoris Romani, qui regnavit 27. annis (regnare cœpit hoc anno 491. qui est tertius à morte Hengisti) fretus igitur copiis ingentibus, obsedit Andredecester, urbem munitissimam. Congregati sunt igitur Britanni, quasi apes; & die expugnabant obsidentes insidiis; & nocti bus incursibus. Nullus dies erat, nulla nox erat, quibus sinistri & recentes nuntii Saxonum animos non exacerbarent. Inde tamen audentiores effecti; continuis insultibus urbem infestabant semper verò dum assilirent, instabant eis Britones à tergo, cum viris sagittariis, & amentatis telorum missilibus. Dimissis igitur mœnibus, gressus & arma dirigebant in eos pagani.*

REGNI AUSTRALIUM SAXONUM EXORDIA.

ELLA REX.

Huntind. l. 2.

Tunc Britones, eis celeritate præstantiores, silvas cursu petebant: tendentibusq; ad mœnia rursùm à tergo aderant. Hac arte Saxones diu fatigati sunt, & innumera strages eorum fiebat; donec in duas partes exercitum diviserunt: ut dum una pars urbem expugnaret, esset eis à tergo contra Britonum excursus bellatorum acies ordinata. Tunc verò cives, diuturnâ fame contriti; cum jam pondus infestantium perferre nequirent; omnes ore gladii devorati sunt, cum mulieribus & parvulis; ita quòd nec unus solus evasit. Et quia tot ibi damna toleraverant extranei; ita urbem destruxerunt, quòd nunquam postea reædificata est. Locus tantum quasi nobilissima urbis transeuntibus ostenditur desolatus. Hæc ille, de exordio regni, quod Australium Saxonum dicitur: locus ubi pugnatum, & urbs obsidione cincta, sic Andredecester, latiniùs urbs Anderidà vocabatur, nunc penitùs excisa. Saltus vicinus nomen adhuc retinet, diciturque Andetida silva. Guido Pancirolus in Commentario quem edidit in notitiam Imperii Occidentalis: agens de Officialibus & Præpositis, qui sub dispositione erant Comitis Saxonici litoris per Britanniam, meminit Præpositi numeri Abulcorum Anderidæ: & procul dubio, numerus ille observabat Sussexiæ litora, & ad hanc urbem, quam Saxones destruxerunt, sedebat. Verùm deficiente nunc Romanorum imperio, & languente capite; defecerunt quoque membra, Præpositi, Comites, Duces: atque ita Britanniæ litus, quod provinciales neglexerant, patuit primò occupantibus. Ethelwerdus hæc refert ad annum sequentem.

II. BRITANNI FUGANTUR.

ANDERIDA URBS.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1245.

ANNUS CHRISTI 492.

GELASII PAPÆ 1.

AUR. AMBROSII REGIS 27.

I. Felix Papa moritur. Gelasius Papa.

ANNO Christi quadringentesimo nonagesimo secundo, Anastasio Augusto, & Ruffino Coss. Felix Papa locum fecit Gelasio, qui B. Richardum, è Britanniâ oriundum, de quo dixi ad annum Christi 455. ex Insula mirabiliter vocatum, Andriensem consecravit Episcopum. Res gesta ita narratur in Ecclesiastico ejusdem sancti Officio. *Cum B. Richardus assiduis orationibus esset intentus; per quietem apparuit sibi Sanctus IESV Apostolus Petrus; præcepitq; sibi, ex parte Dei omnipotentis, ut in Apuliam pergeret, & Andrianis verbum Dei annuntiaret; nec timeret viæ longitudinem, aut infidelium minas; quoniam Deus esset cum eo. Hisq; dictis evanuit. B. Richardus somno excitatus, illicò ante figuram crucifixi procedit; gratias agens Deo omnipotenti, & B. Petro: Maneq; consurgens, relictis fratribus in dominatu, patriaq;, & sibi charissimis; itineri se accinxit, quem circumfusa undique multitudo lacrymis deprecabatur, ne orbatam suo discessu patriam derelinqueret. At ille, in proposito perseverans; postquam illos consolatus est, Romam petiit; ibi adiens Gelasium Pont. maximum, ei quæ sibi per quietem, ab Apostolo mandata fuerant; exponit: petitq; ab eo, ut sua benedictione liceret Andriam pergere, & ministerium sibi commissum adimplere. Gelasius audiens hoc, apprimè lætatus est; & videns venerabilem B. Richardi faciem, morumq; gravitatem considerans; illum Ecclesiæ Andriensis Episcopum ordinavit, præcepitq; ei, ut quocumque pergeret; Evangelium IESV CHRISTI enuntiaret. deinde deosculatus hominem, eum benedixit.*

Officium S. Richardi in 2 nocturno lect. 4.

Richardus fit Andriensis Episcopus.

II. Temporis ratio stabilitur.

Quod ad tempus spectat Pontificiæ inaugurationis, ideo ad Gelasii principium referendum est; quia sequenti anno, Archangelus Michaël in monte Gargano mirabiliter apparebit: eoque mox plures Episcopi, ob rei novitatem confluent; & eos inter Richardus Andriensis, Episcopus. Interim quid Andriam pergens novus hierarcha fecerit, videamus: *Quòcumque incedebat Richardus, verbum Dei prædicabat, & in virtute miraculorum, & Dei potentiâ, multos languentes sanabat, multosq; ad cultum veri Dei, & fidem Christi, convertebat, quoad tandem Andriam pervenit. Ibi cum ante civitatis januam, quendam cæcum, & mulierem contractam reperiret, eleemosynamq; poscentes; cæpit eis exponere verbum Dei, &c. & cæcum devotè audientem cernens, dixit ei: Si in CHRISTVM IESVM credere vellet, & baptizari, quòd visum reciperet. Qui respondit: credo in IESVM CHRISTVM, quem prædicas; & à te baptizari peto. Quo dicto, Crucis charactere, suæ manu super cæci oculos facto, illiçò visum recepit: projectisq; baculis, quorum auxilio, dum cæcus fuerat, incedebat; debitas Deo gratias egit, ac etiam B. Richardo, cujus opera illuminatus fuerat. Mulier autem illa, viso miraculo, se convertit B. Richardo; qui videns ejus fidem, manu eam apprehendit; & illicò consurgit. & ambulans clamavit altâ voce, Vnus est Deus altissimus: per quem à Richardo, servo ejus optimo, sana facta sum. Cujus mulieris clamoribus universus populus eò concurrit.* Hæc ibi de duplici miraculo: quæ ibidem etiam sic versu rithmico explicantur.

Officium ubi suprà lect. 5.

Crucis signo cæcum curat S. Richardus.

Cum fecisset signum Crucis,
Super cæci oculos:
Introduxit formam lucis
Respuentis baculos.
Mulieris manum erexit
Richardus Beatissimus:
Ipsam sanam sursum vexit
Præsul devotissimus.
Mulier tunc exclamavit,
Vnus est altissimus
Per quem solum me sanavit
Richardus Dei optimus.

III. Andriam convertit.

Sequitur totius civitatis Andriensis conversio, populi baptismus, idolorum demolitio, & mirabilis orthodoxæ fidei propagatio, sequentibus signis. Ego ex Italiâ, in Britanniam redeo, ubi Sancti etiam inter infidelium tenebras, emittunt pietatis & virtutum radios. Ibi claruit S. Canocus Brachani Principis, de quo suprà, primogenitus filius; qui famâ sanctitatis apud Silures potissimùm eminuit. consignatur ejus nomen in Martyrologio nostro ad undecimum Februarii: ubi dicitur circa annum Christi 492. opinione virtutum illustrissimus fuisse. Nescio an ad eum referre debeam id, quod Giraldus narrat de torque S. Canauci; *Quem indigenæ habent pro reliquiis virtuosissimis*, inquit ille; *adeo ut hoc coram posito, nemo pejerare præsumat.* Cæterùm videtur omninò Canoci sanctitatis monumentum esse.

S. Canocus.

Giraldus in itin. Camb. l. 1. c. 2.

IV. Ambrosius Britannis monumentum erigit.

Usus opportunitate temporum Ambrosius; & composito Septentrione, cum ad Mediterranea transiit: *Perrexit ad Monasterium Ambri* (loquitur Westmonasteriensis) *propè* * *Kaer-carador, quæ nunc Saresburia dicitur, ubi principes defuncti jacebant, quos Hengistus prodiderat; & pietate motus, in lacrymas resolutus est; deliberans apud se, ut locum, quo tot nobiles jacebant, memorabilem faceret.* Non porrò refero, quæ narrat Author, de Merlino vate, & fabulâ evectorum ex Hiberniâ Saxorum, nescio quibus præstigiis; quia Ecclesiasticam historiam decere non videntur. vide suprà dicta ad an. 461. n. 3. Illud est verosimilius, quod sequitur. *Venit Ambrosius cum Episcopis & Abbatibus, & magnatibus in montem Ambri; ubi die Pentecostes coronam portavit; & duabus Ecclesiis metropolitanis pastores instituit, concedens sedem Eboraci Sancto Sampsoni viro illustri, Dubritio quoque urbem Legionum.* quod Author Britanniados, qui Gildæ nomine circumfertur, ita versibus explicuit:

Floril. 490.

* *Caer-carec.*

Sampson et Dubricius Episcopi.

Eboracensis apex vacat Archipræsule; nec non
Et Legionensis: Sampson datur Eboracensi.
Et Legionensi Dubricius; ambo beati
Pontifices, quos vita probat, moresq; perornant.

Gildas l. 6. Britanniados.

Hoc, inquam, verosimilius dicitur ab Ambrosio factum, circa hæc tempora. Licet enim Balæus, & Spelmannus affirment, Dubricium, non nisi anno Christi 512. factum esse Legionensem Archiepiscopum: verius tamen puto, hoc priùs ponendum, quamvis non malè censuit Spelmannus, Ægyptiacam hic caliginem esse, nec potuisse Dubritium à Germano, Lupóve Archiepiscopum consecrari, ut Authores antiqui affirmarunt: minus tamen densæ tenebræ erunt, & clarior oratio: si dixeris, Dubritium, à Germano factum Laodavensem Episcopum, anno 436. ut ibi notavi: & nunc demum Metropolitanâ sede vacante, per mortem Thremori, in hac

Spelman in Synod. an 512.

An. 436. n. 2.

Episcoporum & Præsulum Synodo, primam sedem adeptum, qui ætate cæteris præcedebat. Hoc cum passim Authores ad Ambrosium Regem referant; non debemus sequens sæculum (nam ille priùs moritur) expectare. Sed potiùs, Authores in eum sensum trahere; ut velint Dubritium illam sedem ascendisse, quam olim Germanus in provincia principem fecerat.

IV. *Galfrid. l. 9. c. 12.* DUBRITIUS APOSTOLICÆ SEDIS LEGATUS.

Dubritius iste; si Galfridum audimus: *Fuit Britanniæ primas, & Apostolicæ Sedis legatus; tantâ religione clarebat, ut quemcumque languore gravatum, orationibus suis sanaret.* Quæ si vera sunt, ut Godwinus in Catalogo, Balæus in centuriis, & alii etiam sectarii, non diffitentur: Sequitur Ro. Pontificem, imperium eo modo in Britannorum Ecclesias exercuisse; vices suas, legatos suos, & mandata mittendo: quo modo, per omnem orthodoxum orbem exercet hodie, eadem faciendo. Iterum satis apparet, Germanum Altisindorensem; dum Ro. Pontificis nomine, ut dictum est, in Insulâ versaretur; ita Ecclesiarum sedes distinxisse, vel olim distinctas confirmasse; ut Legionensis Ecclesia, non solùm in illâ Britanniæ parte princeps esset, & cum dignitate metropolitæ: sed legativa etiam Apostolicæ Sedis authoritate fungeretur.

V. PALLIUM ARCHIEPISCOPO LEGIONEN.

Et sanè honorem quoque pallii eidem Leginnensi sedi adjunctum esse; luculenter probat magna illa & diuturna, Turonensem inter & Dolensem Ecclesiam, controversia; quæ nonnisi ab Innocentio tertio composita est, sub annum Domini 1199. Enimvero Dolensis Episcopus, pallio usus, quod olim Sampson Menevensis noster (Meneviam enim Legionensis sedes migraverat) eò detulerat, Turonensi Archiepiscopi diu noluit subesse. Sampsonis ergo pallium (sedit ille Meneviæ, sub medium sequentis sæculi) sufficiens argumentum est; Dubritium, hoc tempore, pallio ornatum fuisse. Quòd enim Pallii usus, primarum sedium Episcopis, communis fuerit hoc sæculo; optimè probat doctissimi Isidori Pelusiotæ Epistola, ad Herminium Comitem. Cui sacri indumenti mysterium sciscitanti, ita rescripsit. *Id amiculum quod Sacerdos humeris gestat, atque ex lanâ, non ex lino contextum est, ovis illius, quam Dominus aberrantem quæsivit; inventamq; humeris suis sustulit, pellem designat. Episcopus enim, qui typum Christi gerit, ipsius munere fungitur; atque ipso etiam habitu, illud omnibus ostendit; se boni illius & magni pastoris, imitatorem esse; qui gregis infirmitates sibi ferendas proposuit.* Ita Isidorus, qui hoc quinto sæculo *floruit tempore Theodosii Iunioris*, inquit Bellarminus.

Isidor. Pelusio. Ep. 136. PALLIUM QUID SIGNIFICET. *Bellar. de Scriptorib. in Isidoro.*

VI. DE SAMPSONE EBORACENSI. *a Godvvin. in Catalo. b Broughtonus cent. 2. c. 23. n. 3.*

Quod de Sampsone dicitur, consecrato hoc anno Eboracensi Episcopo, difficultatem habet non contemnendam. nam in serie Episcoporum, sedis illius, non est invenire Sampsonem; nisi unum, quem Lucii Regis tempore, [a] aliqui, meticulosè quoque, nominarunt. [b] Alii, è nescio quibus apocryphis, septimum in Eboracensi sede Episcopum, Sampsonem vocant, & hunc, opinor, intelligunt. Sed hi dubius alioquin rebus; certissimas inferunt tenebras. Qui enim Merlini vaticinio innituntur; arundineo, quis dubitat, baculo pugnant; & dum historiam explicare se putant, implicant magis. Merlinus dixit aliquando: *Dignitas Londonia adornabit Dorobernam; & pastor Eboracensis septimus, in Armorico regno frequentabitur.* Ut fiat huic oraculo fides, creatur Sampson Eboracensis Episcopus: aliud enim fundamentum non reperio. Illo igitur everso, ut facilè ex Authoribus nostris evertitur; rectè dubitatur; sederitne hoc anno Eboraci Sampson? Qui controversiam illam, de Dolensi & Turonensi Ecclesiâ tractant, Sampsonem quidem in Armoricam, pallium detulisse, è Britanniâ, magno satis consensu agnoscunt: illum tamen, non Eboraci, sed Meneviæ priùs sedisse unanimiter affirmant. nam sedem ex urbe Legionum; ubi eam Germanus fixerat; vir sanctissimus David Meneviam transtulerat: & inde Sampson successor ejus; cum omnis provincia periculosissimo morbo laboraret; in minorem Britanniam migrare coactus est, sub annum Domini 566. ut notant Sigebertus, Harpesfeldus, & fusè Rogerus de Houeden. Cæterùm, quia pallium, metropoliticæ dignitatis insigne, secum deferens; & mortuo Dolensi Episcopo, in sedem illam electus, pallio usus fuerat: ideo successores ejus, pallii honorem assumpserant: & vero ad tertii Innocentii Papæ tempora, invito Turonensi Præsule, constanter servaverant. Quo omni tempore, Menevensis sedes, licet prima esset & metropolis; pallio tamen abstinuit. Unde Henrico I. regnante, Eugenius Papa tertius, Cantuariensi Ecclesiæ illam subjecit, anno Christi 1148. ut notat Baronius.

SAMPSON DOLENSIS. *Harpesf. c. 27. primi 6. sæculi. Hovedon. an. 1199.*

VII. UNDE DOLENSI SEDI PALLIUM.

Hæc cum multorum authoritate constent; & cum Turonensis Ecclesia, diu super hac re, cum Dolensi contenderit: nescio quid Merlino, & Merlini sequacibus, in mentem venit, Sampsonem dicere Eboracensem Episcopum, cumque in Armorico regno frequentandum. Nescio cur Matthæus Paris. ad annum Christi 1199. Sampsonem hunc Eboracensem vocet, referatque ad ultima Utheri Pendragonis tempora, cum probabilius dicendum sit, Sampsonem, ubicunque sederit, anno 59. sequentis sæculi, in Dolensem sedem transisse, ut dicam ibi. Miror etiam Andream du Saussaye; qui Gallicanum Martyrologium religiosè compilavit; dum Sampsonis sanctitatem explicat, dicere eum Dolensem Episcopum primum factum, à Pelagio Romano Pontifice, pallium accepisse. quod nunquam pro se dixit Dolensis Antistes. Si enim metropoliticæ potestatis tam vocale argumentum utisset; aut Pelagii Ro. Pontificis nomen; Eugenius sine dubio aliter dixisset. Solent enim Ro. Pontifices, Ecclesiarum jura servare; & latas sanctasque prædecessorum leges non refigere. Dolensis ergo Sampsonis nostri, & successorum ejus factum; non suæ Ecclesiæ jus ursit Dolensis Antistes, causâque cecidit: cum privilegia, juris meliùs quàm facti adminiculo, probentur: præsertim si tertio fiat præjudicium. Hinc collige, Lector, & conclude eos, levi argumento, Sampsonem in Eboracensi sede collocasse; quia scilicet Merlinus dixit: *Pastor Eboracensis septimus, in Armorico regno frequentabitur:* cum Menevensis quidem Episcopus aliquando ibi sedit; Eboracensis nunquam. Ut coram Innocentio tertio dictum, & assertum est aliquando. Jam à tenebris ad clariorem lucem transeo. nam Giraldus, in Dialogo de Ecclesiâ Menevensi, controversiam hanc refert; & Innocentium ita objicientem pro Eboracensi Sampsone: *Quinimmo* (inquit) *Eboracensis, ut fertur, fuerat Archiepiscopus Sampson ille Dolensis.* Cui Giraldus in hunc modum responsum retulit: *Imò quidem noster fuit: & non aliunde*

Gall. Martyro. 28. Iulii. *Girald. in Dial. de Eccl. Mene. dist. 2.*

Sampson ille; salvâ, pater, reverentiâ vestrâ, Dolenses enim historia contestantur: Unde & in eorum sequentia, de S. Sampsone sic reperitur:

Præsul autem Menevensis,
Dignitatu in Dolensis
Transfertur fastigium.

Eboracenses autem æquivocatio decipit: cum hoc eodem nomine quidam eorum Archiepiscopus nuncupatus extiterat. Hæc Giraldus. Dubricio ad Legionensem sedem translato successit Theliaus, de quo suprà.

437. 3.
438. 4.
VIII.
De S. Clitanco Rege et martyre.
Capgra in Clitanco.

Placet ad hæc tempora referre martyrium Sancti Clitanci, qui inter Silures vir Princeps, & Regis titulo clarus; sanctitatis justitiæque laude magis claruit. Ejus vitam habet Capgravius: quæ sic incipit. *Rex Clitancus, cum esset in regno suo in Southwalliâ, tenens pacem, & justitiæ vigorem; factus est martyr, virtute & meritu, & coronâ cælestis gloriæ, cum palma carnalis castimoniæ, decoratus.* narrat inde pessimi sicarii facinus Regem obtruncantis: & Ecclesiam in sancti Principis honorem erectam: ubi Deus potentiæ suæ, & sanctitatis illius, plura dedit argumenta. Unde Clitancus inter Sanctos habitus, locum in nostro Martyrologio meruit ad decimum nonum Augusti, ubi Brechiniæ Rex scribitur & Clintancus.

Mart. Angli 19. Augusti.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1244.

ANNUS CHRISTI 493.

GELASII PAPÆ 2.

AUREL. AMBROSII REGIS 28.

I.
Apparitio S. Michaelis in monte Gargano.

Anno Christi quadringentesimo nonagesimo tertio, Albino Consule: Beatarum mentium Princeps Michaël, in Gargano monte mirabiliter apparens; locum ibi, pio cultui, Deo imprimis, sibique post Deum, præsentiæ suæ majestate consecravit. Sipontini rei novitate attoniti, Episcopum consulunt; Episcopus Romanum Pontificem Gelasium pulsat, quæritque, quid in re insolitâ, facto opus? Ille rescribit: vocandos è vicino Ecclesiarum Antistites; quorum operæ consilioque omnia permittit. Ita Richardus noster Andriensis Episcopus, Gelasio obsequens, & Michaëli Archangelo devotè famulaturus, ad contemplandum Dei mirabilia in Apuliam pergit. Quam religiosè se itineri accinxerit, aliaque scitu digna, in vita ejus, sic narrantur.

Richardus Andriensis eò tendit.

II.
In Officio ejus M. S. lect. 4.

Cum Richardus pluribus annis, in sanctis operibus perseveraffet; placuit B. Michaeli Archangelo, universalis Ecclesiæ principi, animarumque receptori; Oratorium in monte Gargano, quod à suo nomine appellaretur, constituere. factaque apparitione mirabili populo Sipontino, per eorum Episcopum B. Laurentium; missum est ad Gelasium Pontificem: quid fieri deberet in loco, a S. Michaele Archangelo electo. Responsum accepit ab eodem Pontifice: ut si sancto Dei Archangelo placeret; Ecclesia fundaretur ibi in laudem S. Michaelis, ubi suæ voluntatis esset. Idque exequeretur per S. Dei Episcopos, Laurentium Sipontinum, Sabinum Canusinum, Pelagium * *Salapitanum, Rogerum Cannensem, & Richardum Andriensem.* Nominatur ille postremo loco, quia tantum superiori anno, majus Sacerdotium accepit, cum plures tamen annos in Sanctis operibus perseveraffet. *Cui postquam hæc nuntiata sunt* (ita pergit legenda) *& ad tale ministerium exercendum accersitus; pedibus Cannas perrexit, & unà cum B. Rogero, uti pedites erant, ita itineri se commiserunt, ut Sipontum pergerent. Qui cum assiduis jejuniis laboribusque, confecti erant, ac solis ardoribus (erat enim mensis September) premerentur: cum iter illud sit (uti est ea regio arboribus denudata) solis ardoribus expositum: summum Deum oraverunt, ut aliquid levis auræ, eos refrigerantis, concedere dignaretur. O rem miram, & antea inauditam! ô Dei potentiam admirabilem! Hic manifestè apparuit, quam sit propitius Deus diligentibus se. Nam non priùs finita est servorum Dei oratio: cum subitò Aquila immensa magnitudinis, super eorum capita volitans apparuit, & duplex sanctis viris obsequium exhibens. Namque sub umbrâ alarum Aquilæ ambulantes, nihil æstivi illius caloris pristini sentiebant: & eorum fessa corpora, levis aura, quæ ex motu alarum oriebatur, refrigerans, promptiores ad iter perficiendum reddebat. Quod tam diu factum est quo ad Sipontum, ad B. Laurentium pervenirent.* Quid porrò factum à sanctis Episcopis, cum expressa Angeli vestigia cernerent, fusiùs ibi refertur: ego classico avocor in montem alium, ubi Britanni & Saxones hostiliter concurrunt: non debeo tamen omittere Richardum Episcopum sanctè demum mortuum, scribique in nostro Martyrologio ad 9. Aprilis.

Ad Ecclesiæ fundationem.
* forte Salernitanum.

Pedes iter conficit.

Mirabiliter ab ardore solis defenditur.

III.
Gildas nascitur.

Hic est annus ab adventu Saxonum quadragesimus quartus, quem Gildas natalem suum vocat, describitque insignem Britannorum de hoste victoriam, ad montem Badonicum: quam licet aliqui ad Arthuri Regis tempora referant, meliùs tamen Ambrosio tribuitur; qui Arthuri opera usus (ut insinuat Malmesberiensis) fortè Pseudo-chronismo ansam dedit. Gildas certè de Ambrosio loquens: *Vires capessunt*, inquit, *victores provocantes ad prælium; quibus victoria Domino annuente ex voto cessit. & ex eo tempore, nunc cives, nunc hostes vincebant, ut in istâ gente experiretur Dominus, solito more, præsentem Israëlem; utrum diligat eum an non; usque ad annum obsessionis Badonici montis, novissimæque, fermè de furciferis, non minima stragis: quæ & mea nativitatis est.* Quæ Beda explicatius reddidit, annumque rei gestæ consignavit ita. *Hoc ergo Duce (Ambrosio) vires capessunt Britones, & victores provocantes ad prælium, victoriam ipsi (Deo favente) suscipiunt. & ex eo tempore, nunc cives, nunc hostes vincebant, usque ad annum obsessionis Badonici montis, quando non minimas eisdem hostibus strages dabant, quadragesimo circiter, & quarto anno adventus eorum in Britanniam.* Hæc ille. Cum ergo Saxo in Britanniam descenderit, anno Christi 449. ut sæpiùs dictum est; annus hic præsens 493. est 44. ab adventu ejus. Sed quia Beda non pressè; sed *circiter* annum signat: ideo benè dici potest, hoc anno pugnatum.

Malmesb. de Reg. l. 1.
Gildas de excidio.

Obsidio Badonici montis.

Bed. l. 1. c. 16.

IV.
Huntind. l. 2.
Polydo. l. 3.
De monte Badonico, et pugna ibi.

Firmato tempore, de loco quæritur tam illustris pugnæ; Huntindonius ingenuè fatetur, incognitum esse: tamen Polydorus Vergilius, ita locum, pugnamque explicat. *Montem Badonicum putarem esse, qui vulgò vocatur Blachemora; & pertinet ad Athesim flumen, quod Eboracensem agrum à Dunelmensi dividit; & ostium habet, quò commodum ex Germaniâ venientes naves applicant. Id quod Saxones Angli in dies singulos expectabant; nam auxilia ex patriâ accersierant. Hæc ubi Britannis nuntiata sunt: eò concurrunt, montem*

circumsident, loca maritima præsidiis vinciunt. ut aditus venientibus non pateat ad faciendam in terram descensionem. Saxones per aliquot dies, se illis arduis locis tenuerant; sed mox, commeatus inopiâ urgente, necessariò cum instructis copiis, in proximam planiciem descenderunt; factâq; pugnandi potestate, ad manum venerunt. A mane ad multum diem dimicatum, tanta edita cade, ut passim terra cruore madeset. Sed longè majorem plagam Saxones acceperunt, amissis Ducibus, Osca & Ocha; ita ut Britannorum cervicibus depulsi viderentur. Hæc ipse. Sed quicquid sit de Osca & Otha Ducibus interemptis (quos alii Verolamii occisos scribunt) in Badonico monte signando, hallucinatus est Author, & eum secutus Harpesfeldus: nec enim in Ebotacensi agro ad Athesum flumen (quod Tesim nos vocamus) sed alibi pugnatum multò probabiliiis.

Harpesfel. c. 25. in 6. prima sac.

V. In Somersetano agro pugnatum.

Meliùs ergo Guilielmus Camdenus, in Somersetanâ provinciâ certaminis locum fecit. Ibi urbs ad *aquas solis*, quæ à thermis *Bachouta* nunc, olim *Kaer Badon*, dicebatur; cujus meminere Antoninus, Ptolomæus, & alii: *Subsidet in planitie, haud ita magna; & ex omni parte, collibus pari quasi altitudine fastigio obvallata, è quibus perennium rivulorum scaturigines in urbem magno civium commodo descendunt*, inquit Camdenus; qui quod ad rem nostram facit, ita narrat post aliqua: *Saxones autem circa annum 44. ab adventu in Britanniam, rupto fœdere, bellum jam restinctum inflammantes; hanc urbem obsidione incinxerunt: sed cum Arthurus bellicosus supervenisset: ipsi montem Badonicum occuparunt: ubi cum ab ultima spe, animis diu dimicassent, magno numero conciderunt. Hic mons ille ipse videtur, qui nunc Bannesdowne dictus, Bathestone viculo juxta hanc urbem impendet, suosq; etiamnum aggeres, & vallum ostendit.* Ibi igitur, non apud Brigantes mons Badonicus, & Saxonum cædes.

Camd. in Belgis & Somersés.

VI. Cuinam tribuenda victoria.

Hic quæri potest; Ambrosióne, an Arthuro, tribuenda sit victoria? quod non facilè solvitur. Qui eam ad hunc annum referunt, in Ambrosii laudibus communiter ponunt: qui post annos viginti, Arthuro Regi adscribunt. Ego, qui Bedam secutus, hic illam colloco, ita pro Ambrosio stipulor, ut Arturum quoque in belli, laudisque societatem vocandum putem. Pugnavit ergo sub Ambrosio, Dux Arthurus: & sic Malmesberiensem intelligo, de Britannorum rebus ita scribentem. *Guortimero fatali sorte sublato, Britonum robur emarcuit, spes imminuta retrò fluxerunt. Et jam tunc profectò pessum issent; nisi Ambrosius solus Romanorum superstes, qui post Vortigernum monarcha regni fuit; intumescentes barbaros, eximia bellicosi Arthuri operâ pressisset.* Ita ille. Nec tamen inficias iverim, etiam post annos viginti, ad eundem locum iterum ab Arthuro Rege pugnari potuisse. nam Camdenus consequenter ad supradicta: *Nec longo*, inquit, *post tempore Saxones hanc urbem aggredi ausi, Britannis diu reliquerunt.* Itaque hoc anno, Arturo Duce, sub Ambrosii auspiciis, posteriùs Arthuro Rege, debellati Saxones.

Malmesb. l. 1. de Regib.

Camdenus in Somerset.

VII. Arthurus quis?

Esset hic dicendi locus, quis hic Arthurus, unde domo, & quo jure, Britanniæ principatum adeptus; sed ita fabulis intexta sunt omnia, ut valde arduum sit lucem à tenebris, pretiosum à vili, discernere. Unde non malè à Malmesberiensi dictum. *Hic est Arthurus, de quo Britonum nugæ, hodieq; delirant: dignus planè, quem non fallaces somniarent fabulæ; sed veraces prædicarent historiæ: quippe qui labantem patriam diu sustinuerit; infractaq; civium mentes ad bellum acuerit.* Ita ille. Fuit autem Ambrosio, è fratre nepos, nimirum Utheri Pendragonis filius, ut passim historici nostri crediderunt: & revera illustrissima ejus facta, nobili ortum stemmate testari videntur. Quod si quæris fidem ejus, qua ratione Deum coluerit, & quomodo, quo, inquam, armorum genere, infideles presserit, ad montem Badonicum (quod majoris profectò momenti res est, & pertinet proximè ad Annales nostros fidemque Regiam) facili argumento elicies, orthodoxam fuisse, Romanam fuisse, & à nuperâ factione differentem. Pergit enim Malmesberiensis ita: *Postremò in obsidione montis Badonici, fretus imagine Dominicæ matris, quam armis suis insuerat; nongentos hostium solus adorsus incredibili cæde profligavit.* Nec solùm hac vice Deiparæ auxilio armisque pugnavit; sed solenne illi fuisse, conjicio ex Huntindonio; qui alia ejus facinora repetens, bellumque *juxta castellum Gurnion: in quo*, inquit, *idem Arthurus imaginem S. Mariæ Dei genitricis, semperq; virginis, super humeros suos portavit: & tota illa die Saxones, per virtutem Domini nostri IESV CHRISTI, & sanctæ MARIÆ matris ejus, in fugam versi sunt; & multi ex illis, magnâ cæde, perierunt.*

Malmesb. supra.

Parentes eius.

Eius fides et Religio.

Malmesb. supra.

Imago B. Virginis Arthuri armis insuta.

Huntind. l. 2.

VIII. Arthuri factum et fides excutitur.

Si Galfredus aliquis, qui centies de Arthuro fabulatus est, pugnantem ita descripsisset; transivissem silentio, nec ita Arthurum induissem: sed cum duo gravissimi Authores Galfredo priores, devotum Deiparæ eo modo fuisse affirment; siste Lector, & Arthuri consilium, mentemque explora: cur illis pugnare armis voluerit? cur parentis gentilitia insignia, draconis caput (à quo Utherus, Pendragon vocatus est) in imaginem sanctissimæ Matris transmutarit? Invenies profectò Constantini pietatem, in Arthurum descendisse; & utrobique unam eandemque Regiam Fidem. Utherus pater, draconis effigiem, hosti objicere solitus in terrorem, nullum victoriæ compendium fecerat: filius, in impios pugnans, pietate se armare, cum Deo, Dei hostes aggredi; fide denique, perfidos debellare statuit. Saxo templa, ædesque Virgini sacras destruxerat: Arthurus hoc crimen ulturus, imagine Virginis iram acuit, surrexitque in vindictam: & Mariæ supplex, Mariam invocavit, atque ita Mariæ hostes mirabili victoriâ perdidit. nam sanctorum patrocinia, multis in bello profuisse, & imprimis Deiparæ sanctorum Reginæ, infinita sunt exempla

IX. Arthuri fides e Constantini facto metienda.

Aliqui fortè ægrè ferent, si dixero, Arthurum Dei Matri supplicem fuisse: cum aliud sit imaginem *in armis*, aut *super humeros* portare, aliud mente surgere ad eam invocandam. Quis enim dicet Utherum patrem, draconis caput, quod pari modo *armis insuerat*, coluisse? Sed hoc* suprà in Constantino ferè solutum est; qui alio modo Crucem præ se, exercituque tulit; alio, Aquilas & ferarum insignia. de Crucis enim cultu habetur expressa mentio; nulla de reliquis, saltem à Christiano pectore. Ut igitur Constantinus cruci supplex, crucis virtutem agnovit, illâ pugnavit, & vicit. Ita Arthurus, *per virtutem Domini nostri IESV, & sanctæ MARIÆ matris ejus*, fugavit infidelem Saxonem. Cæterùm quod ope Deiparæ, & frequenti ejus memoriâ, victor extiterit, non obscurè insinuat Florilegus: Arthurus, inquiens, *humeris suis clypeum vocabulo Pridwen appendit; in quo imago sancta Dei Genetricis*

* An 312. 13.

Floril. an. 524.

picta, ipsam ad memoriam sæpissimè revocabat. Hoc ab Uthero factum, super capite draconis, oemo somniavit. Porrò Arthuri preces, memoriamque Deo placuisse, victoria argumentum est. Quod si dixeris: aliud est, Mariam virginem, in memoriam revocare; aliud ipsam invocare. Respondeo; aliud quoque est, in verbo ludere; aliud authoris mentem, fidemque antiquorum, è verbis, sine fuco, metiri. Quod si Florilegi mentem assequi sincerè cupis, lege sequentia, ubi *revocare, invocare* dicitur. *Arthurus tandem*, inquit ille, *abstracto Caliburno (id ejus gladio nomen) nomen B. Mariæ virginis invocavit: atque rapido impetu sese intra densas hostium acies immittens, quemcumque attingebat, sine ictus iteratione peremebat. nec cessavit impetum facere, donec octingentos quadraginta viros, solo gladio interfecit.* Jam verò si Arthurus Mariæ nomen sæpissimè invocavit; facilè ostenditur; minimè cum illis in fide sensisse; qui nunquam illud invocant, & invocantes damnant.

Arthurus B. Virgini supplex.

Idem suprà

asperis, Britanni se retraxerunt: & neutrâ ex parte habita est victoria. hospitati tamen Certis & filius sunt, in terra hostili; magis magisq; circa litora maris, ceperunt occupare, sine frequentibus bellis, regiones. Hæc ille.

III. Cerdicii apparatus.

Apparatus Cerdicii ad expeditionem hanc, major fuit quàm primus Hengisti. Hic enim cum tribus navibus, ille venit instructus quinque, quasi præsagio, diuturnioris, constantiorisque regni. nam licet hoc anno in Icenorum provinciâ, nullum regni fundamentum posuerit: postea tamen, transiens in Occidentem Insulæ; pedem ibi fortiùs fixit, & tandem regni sedem; quod cæteris, per Insulam regnis diuturnius stetit, traxitque ad se postmodum cætera universa. Enimvero Cerdicio fortiter agente, emersit Occidentalium Saxonum regni initium, ut sequenti libro: & inde primus Monarcha, in Egberto Principe: unde Angliæ nomen, & modernorum Angliæ Regum cononuata majestas, ut dicam libro tertio. Hic Britannorum Remp. cum Ambrosio sepelire aggredior.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1245. 1246.

ANNUS CHRISTI 494. & 495.

GELASII PAPÆ 3. & 4.

AUR. AMBROSII REGIS 29. 30.

I. Cerdicius venit in Britanniam.

Cerdicius quidam, è Wodeni stirpe, cum nihil in patriâ inveniret suis votis par; auditâ Saxonum famâ; qui duo regna, in Britanniâ, magnis conatibus erexerant, statuit fortunam experiri, ratus se quoque ad magna vocari, & posse sine dubio, quæ illi potuerunt. Quare Cenrico filio, qui eum proximis gloriæ passibus urgebat, in victoriarum socium electo; trajecit in Britanniam; fixurus ibi regni sedem, si fata annuissent. Quo anno appulerit historici certant. inter eos Florilegus ita scribit: *Anno gratia quadringentesimo nonagesimo quarto, Cerdicus & filius ejus Kenricus, cum quinque navibus, in Britanniam applicuerunt, in loco qui postea de nomine ejus Cerdshora, id est, Cerdici portus dicebatur.* Est locus ille in Icenis, in agro Norfolciensi, ad Garianonum, propè Yarmouth.

Floril. hic.

Asterius et Præsidius Consules.

II. Tempus adventus.

Verùm quod ad tempus spectat novorum hospitum appulsus; alii communiùs in sequentem annum, quadringentesimum nonagesimum quintum rejiciunt. Eos inter Ethelwerdus antiquior, cum Ellæ tacitus recitasset, pugnantis & expugnantis Andersdam, anno (ut ipse supputat 492.) mox infert: *Percurso itaque triennio, Cerdic & Cenric filius suus, cum quinque carinis advecti; Britanniam in portum, qui Cerdices Oram nuncupatur in ipsa die, bellum commisere Britannos adversus, & ipsi post in fine fuere victores.* Huntindonius paulò clarius atque distinctiùs: *Anno, inquit, quadragesimo septimo adventus Anglorum, Certic & Cenric filius suus, cum quinque puppibus, venerunt in Certicesore. Eodem die convenit multitudo regionis, & pugnatum est contra eos. Saxones acie confectâ, coram navibus immobiliter stabant: Insulani audacter in eos irruebant, & sine persecutione revertebantur: adversis quippe nunquam locum deserentibus, sic irruendo, & redeundo bellatum est; donec noctis tenebra litem diremerunt. Iuventis igitur Saxonibus*

Viator, et Æmilianus Coss.

Ethelwerd. l. 1.

Huntindo. l. 2.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1247.

ANNUS CHRISTI 496.

GELASII PAPÆ 5.

AUREL. AMBROSII REGIS 31.

I. Gelasius Papa mortuus. Anastasius Papa.

Sub finem anni quadringentesimi nonagesimi sexti, Paulo Consule: Gelasius Papa, cum sedisset annos quatuor, & menses octo, vivendi finem fecit, & locum Anastasio: cum eodem tempore, qui Orientale moderabatur imperium, Anastasius quoque diceretur: ad quem ab orthodoxâ fide exerrantem, Anastasius Papa scribens ita exorditur Epistolam. *Exordium Pontificatus mei, primitùs oblatâ populis pace, pronuntio: & consequenter pro fide Catholica, humilis pietati tuæ precator occurro. In quo primùm mihi divinum favorem propinquasse confido, quod nunc consonantia in me augustissimi nominis tui, non dubium præstat auxilium: ut sicut præcelsum vocabulum pietatis tuæ, per universas gentes toto orbe præfulget; ita per ministerium humilitatis meæ (sicut semper est) sedes B. Petri in universali Ecclesia assignatum sibi à Domino Deo teneat Principatum.* Ita scripsit in Orientem Romanus Pontifex ad Imperatorem hæreticum. Unde satis constat Anastasium Papam in Occidentis, adeoque in Britannorum Ecclesias credidisse se principem. Frustrà ergo sectarii adorant Orientis Ecclesias, ut Romanæ urbis ferulam fugiant: quia quocumque iverint, si in Ecclesia fuerint membra Christi, vicario ejus capiti subesse debent.

Apud Baronium an. 497.

Ro. Ecclesiæ Principatus.

II. Pascentius in Ambrosium pugnat et vincitur.

Eodem anno Aurelii Ambrosii vitæ terminus imminebat; quem fixurus erat Pascentius, Vortigerni Regis filius, qui à morte patris in Germaniam fugerat. Nunc autem *in manu validâ*, inquit Florilegus, *& armatâ, in Aquilonari parte Britannia applicuit; ut se patremq; suum, in Aurelium Regem Britonum vindicaret. Cumque id Regi nuntiaretur, collegit exercitum; & obviam perrexit. Hi ultrò ad prælium venientes pugnam commiserunt. Sed Pascentius tandem victus est, & in fugam propulsus.* Efferbuit magis regii juvenis ira: &

Floril. hic.

quod aperto marte præstare non potuit; fraude, doloque malo agere constituit. Interim ad Scotos se recepit.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1248.

ANNUS CHRISTI 497.

ANASTASII II. PAPÆ 1.

AUR. AMBROSII REGIS ULTIMUS.

I. Ambrosius moritur.

ANnus Christi quadringentesimus nonagesimus septimus, Anastasio iterum Consule: Ambrosii morte funestus, luctum Insulæ fecit. genus, mortisque circumstantias fusiùs narrat Florilegus, ad hunc annum: Ego, in re lugubri, & quia ad Annalium Ecclesiæ Britannicæ finem propero, dicam compendio.

Pascentii dolo.

Pascentius resumptis viribus, ad Britannos rediens; cùm Ambrosium ægrotare, fratrémque ejus Utherum, belli ducem accepisset: conducto Saxone, qui Britannum se, medicúmque simularet; venenum Ambrosio propinavit. Decumbebat ille, in Vintoniensi urbe, cùm Eopa (hoc fictitio medico nomen) habitu verbisque pietatem mentiens, potioni venenum miscuit. quod cùm ille, spe salutis, desiderioque cum hoste concurrendi, sumpsisset, extinctus est, regni sui anno trigesimo primo. Cùm interim Utherus, Ambrosii frater, in perduelles pugnans, Pascentio occiso, Ducibusque aliis, qui cum eo venerant; insigni victoriâ potitus esset.

II. Floril. hic. Prodigium.

His ita gestis (narrat Florilegus) *apparuit stella miræ magnitudinis, & claritatis, uno tantùm radio contenta. Ad cujus radium, erat globus igneus, in similitudinem draconis extensus; & ex ore ejus duo radii procedebant: quorum unus longitudinem suam ultra Gallicana climata extendere videbatur: alter verò versus mare Hibernicum vergens, in septem radios minores terminabatur.*

Exponitur.

Hic bardorum ingenia desudarunt, ut prodigii hujus arcana penetrarent. Utherum, draco; radiorum alter, Arthurum ejus filium; alter (scilicet) filiam signabat: è filiâ, filii, nepotésque succederent, qui denique heptarchiam conderent. Ita illi & plura in eam rem, gravi sermone dixerunt. Sed mentita est iniquitas sibi.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1249.

ANNUS CHRISTI 498.

ANASTASII PAPÆ 2.

UTHERI PENDRACONIS REGIS 1.

I. Anastasius Papa moritur. Symmachus Papa.

ANno Christi quadringentesimo nonagesimo octavo, Paulino & Joanne Scytha Coss. Anastasius Papa, cùm ferè duos annos sedisset; è Romanâ Sede ad cælestem transiit: & quarto post die, in Basilicâ Constantinianâ, sanior Clerus in Symmachum consensit, eúmque in Petri cathedrâ sedere, fecit: cùm interim eodem die, in Basilicâ Marianâ, Anastasii Imp. factione, Laurentius quidam Antipapa salutatur: Quod Clerum, Senatum, populumque in varia primùm studia; mox in apertum schisma, cædésque distraxit.

II. Utherus Rex.

Eodem anno, mortuum in Britanniâ Ambrosium Regem excepit Utherus ejus frater (sic eum historicorum vulgus appellat) qui sive à superioris anni præsagio; sive à labaro vexillóve ejus, in quo aureum draconis caput; sive à serpentinâ quâ pollebat prudentiâ, Pendraco appellatus est.

Cur dictus Pandragon?

Ego puto eos sinceriùs scribere, qui à labaro cognomen derivant. nam hoc ipso tempore, consuevisse Reges, cùm in hostem pugnant, explicare vexilla, ferarum imaginibus, terrore plena, illustrissimus testis est; Francorum Rex Clodovæus, qui sequenti anno baptismi aquis expiatus, leonis figuram, Regii fastigii insignia, in tria lilia mutavit, teste Trithemio. Eo modo, à gentilitiâ feritate, ad Christianam mansuetudinem transiens; & Remigium baptizantem audiens: *Mitis depone colla Sicamber.* (Greg. Turon. de gestis Franco. l. 2. c. 31.) Veriùs ergo ab eo more, quàm è cælo, Pendraconis cognomen accessisse. placet tamen audire, quid super hac re Authores nostri tradiderunt.

III. Floril. hic. Diadema regni accipit.

Itaque anno gratiæ (loquitur Florilegus) *498. Uther, frater Aurelii Regis Britonum defuncti; audito casu fratris, cum festinatione Wintoniam venit, & convocato populo regni, & Clero, Britanniæ diadema suscepit* (*Dubritius illud Regio vertici imposuisse dicitur.*) *Reminiscens itaque de sidere supradicto, jussit fabricari duos dracones ex auro; ad similitudinem draconis, quem in radio stellæ inspexerat: & unum Ecclesiæ primæ sedis Wintoniæ obtulit: alterum verò sibi retinuit, in prælio deferendum: ab illo tempore vocatus fuit Britannicè Uter Pendragon. Unde usque hodie mos inolevit Regibus terræ hujus, quod pro vexillo draconem in bellicis expeditionibus ante se statuerint deferendum.* Quod ad morem hunc attinet, suprà dixi, Arthurum ejus filium, vexillum illud mitiùs exornasse. Ut enim Clodovæus à leone ad lilia: ita ille à dracone ad hostem draconis, Deiparam Virginem, insignia transtulit. Aliquando tamen posteriores Angliæ Reges, draconis effigie, Christiani nominis hostes terruisse, elegans argumentum est Richardi primi cognomento *cor leonis*, expeditio in Turcas, ubi multa Saracenorum millia, vir invictissimus profligavit. Edoardus etiam eo nomine primus, in Scotos, Wallosque draconem explicuit.

IV. Saxones in Utherum surgunt.

Utherus vix coronam induerat, cùm gravem sentit; cogiturque classicum canendo, illam cassidem mutare. Hengisti filii, paternam virtutem æmulati, Ambrosio quidem datam fidem servaverant; sed ejus morte, Sacramento soluti, in Britannos surrexerunt. Eska Rex & Octa ejus filius, *maximâ Saxonum multitudine stipati,* inquit Florilegus, (Floril. hic.) *aquilonares Britanniæ provincias invaserunt; & munitiones ab Albaniâ usque ad Eboracum penitùs destruxerunt. Postremò cùm urbem Alclud obsidere incepissent;* (Alclud urbs.) *supervenit Utherpendragon, cum totâ fortitudine regionis; & cum illis pugnam commisit. Resisterunt viriliter Saxones; & Britones in fugam propulerunt: insecutique sunt eos pagani, usque ad montem Danet. Dum sub Sole dies emicuit, occupaverunt montem Britones, illumque pro refugio habuerunt; quod agerent ignorantes. Tandem salubri consilio decreverunt; nocturnum in hostes impetum facere, atque ipsos soporatos, & inermes occupare.*

Saxo profligatur.

Statuti itaque per turmas, & armati, castra hostium petiunt, eosq; acriter invadunt. Qui ita ex improviso occupati, inutiliter prælium reddiderunt, cum cæteri ex præmeditatione audaciam recepissent. Tandem capti sunt Octa & Eosa (Eskam intelligit) *& Saxones penitùs dissipati sunt. Denique omnibus pacificatis Rex Londonias perrexit, Octam quoque & Eosam ibidem in carcere servari fecit. Festo etiam Paschali imminente proceribus regni ibidem convenire, ut sumpto diademate, sanctum diem honore debito celebrarent. Paruerunt illicò cuncti, & Rex festivitatem cum gaudio celebravit.*

Florilegi narratio reiicitur.

Malmesb. de Reg. l. 1.

V. Non audeo Florilegum ultra exscribere, multa loquentem de Utheri amoribus in Igernam, Gorlois, Cornubiæ Ducis uxorem: de nato inde Arthuro, aliisq; hoc, quæ nulla ætatis, aut temporis servatâ ratione, in magnum historiæ præjudicium asseruntur. Ego sequor certiora; & Guilielmum Malmesberiensem Monumethensi præfero. Ille dudum dixit Ambrosium Arthuri operâ Saxones pressisse. Arthurus ergo ante Ambrosii mortem natus, multorum annorum erat, Marti magis quàm Veneri devotus: ut egregia ejus facinora, quæ Venus nunquam operata legitur, attestantur. Taceat ergo Merlinus, vel fabulam cudat honestiùs. aut si obstinatè vult languentis Insulæ miserias jucundâ rerum narratione lenire, scribat næniam, servato rerum temporumque decore, doctiorem.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1250.

ANNUS CHRISTI 499.

SYMMACHI PAPÆ 1.

UTHERI REGIS 2.

Clodovæus Rex baptizatur.

ANNUS Christi quadringentesimus nonagesimus nonus, Joanne Gibbo Consule, Symmachi Papæ primus numeratur, qui decimo Kalendas Decembris anni superioris Petri sedem ascendit. Cæterùm hic annus Clodovæi Francorum Regis baptismo fuit Gallicanæ Ecclesiæ felicissimus. nam Regius ille baptismus, ansam dedit Clodovæi successoribus, primogeniti Ecclesiæ filii jura vendicandi: præsertim Britanno tacente, & oppresso; qui diu ante Ecclesiæ fideique genitus, per infidelem Saxonem intercedere non poterat. Verùm cur Ethelbertus Hengisti abnepos, qui Lucium secutus Insulæ monarchiam adeptus est; non potuit, à baptismo, in Lucii titulum juráque primogeniti, æquo jure succedere, alterius scrutinii est & subsellii majoris. disputatum super eo sæpiùs à Conciliis, Constantiensi & Basileensi, ego ultra nihil addam. transeo itaque ad annum sequentem, qui Annalium Britannicæ Ecclesiæ ultimus numerabitur.

ANNUS URBIS CONDITÆ 1251.

ANNUS CHRISTI 500.

SYMMACHI PAPÆ 2.

UTHERI REGIS 3.

S. Cadocus An. 490. 1.

I. AD annum Christi quingentesimum, & Patricii & Hipatii Consulatum, ponitur in fastis S. Cadocus, Brachani Regis nepos, & martyr. Quo etiam nomine, ut suprà monui, Sophias appellatus est. Sed licèt multa sint quæ facilè persuadent, unum eundémque hominem esse, si omnia simul acta componantur: quia tamen de uno scribitur, quod in Britanniâ constanter hæserit, & in monasterio suo; de altero, quòd Insulâ egressus, peregrè vixerit, & mortuus sit, probabile est duos fuisse, unum, quem à prudenti & sagaci animo exteri Sophiam; alterum, qui nunquam mutato nomine, Cadocum ubique nuncupabant: Illum suprà, istum nunc recenseo: aioque tantam antiqua componentium oscitantiam fuisse, aut par huic vitium, credulitatem; ut sine delectu plurima de Sanctorum vitis colligentes, multa miscuerint; quæ, factâ diligenti rerum collatione, distingui meliùs possent, & verò deberent. Ita Authores aliqui vitæ Sanctorum apud Capgravium, in quærendo undique & consarcinando, quàm in seligendo excernendoque diligentiores fuerunt: hinc sæpè dubia, aliquando falsa, frequenter incerta, veris miscendo, historiæ luci tenebras offuderunt. Observare hoc licet in Cadoci vitâ, ubi simplicior narratio, & viri sanctitatem, & actorum ejus certitudinem, magis illustrasset. Igitur deterso fuco, & missis aliis, quæ meliùs in Sophiam, & alterum Cadocum (de quo ad annum 490. 1.) cadunt, hujus vitæ compendium sic accipe.

A Sophia diversus.

Cadoci parentes.

II. Cadoci parens unus, Gunlæus fuit, Australium Britonum Rex; sanctitatis opinione clarus adeo, ut nomen ejus inter Sanctos legatur ad 29. Martii: Altera Gladus, vel Gundalusa, Brachani Principis, de quo suprà, filia. vix in lucem prodierat Cadocus, cùm, vocante Deo, Gunlæus mundum pertæsus, Ecclesiam construxit: *Et ibi*, inquit Capgravius, *magnâ abstinentiâ, & vita sanctimoniâ, vivere cœpit. Vtebatur autem cilicio, & pane hordeaceo, & cinere in tertiâ parte, admixto, aquamq; potare consuevit. Nocte verò mediâ surgens, in aquam frigidam se immersit, & nihil de alieno sumens, proprio labore vitam duxit.* Interim Cadocus filius ad imperium relictus, cùm adolevisset; patrem religiosè sequi, quàm temporum calamitate jactari, maluit. Unde constructo Monasterio, quod Lancarvanam dicebatur à mirabili eventu (*quod nimirum in illo opere inchoando cervos familiares obedientesq; haberet*, inquit Harpesfeldus) secretam in eo vitam, & à mundi curis vacuam, vixit. Ita pater, filiusque Deo militabat; donec Deo visum, æternam gloriæ coronam illi tribuere, qui primò terrenam posuerat. Cæterùm Gunlæi mortem Capgravius ita recenset.

Vita S. Cadoci apud Capgr.

Gunlæi sanctitas.

Cadocus Monasterium construxit.

Harpesf. c. 27. in 6. pri. secul.

VII. *Appropinquante tandem termino vitæ suæ, misit ad Dubricium Landavensem (jam sedem aliò transtulerat) Episcopum, & filium suum Cadocum; ut eum visitare dignarentur. Qui cùm eum confortassent,*

Capg. in Cadoco.

&

Gunlæus moritur.

& ejus animam sacrâ communione muniviffent, migravit ad Dominum, quarto Kalendas Aprilis: & sepulto honorificè corpore ejus, crebra visitatio Angelica, circa locum sepulturæ ejus, visa est: & ægroti ejus suffragium implorantes, ab omni languore curati, Deum in Sancto suo glorificabant. Plura habet Author de sanctitate ejus, & Ecclesiâ in honorem illius erectâ. Unde, cum eo argumento constet, eum olim à fidelibus cultum; & cum certum ejus obitus diem Authores prodiderint, miror eum aliquando, in nostro Martyrologio omissum fuisse ad diem Martii vigesimum nonum, ubi tamen modo legitur. nunc quæ ad filium spectant, prosequamur.

IV. Tathaius Cadoci magister.

Martyro. Anglica. 26. Decem.

Camden. in Monumeth.

Magistrum Cadocus habuit, Tathaium nomine; quem Fasti nostri, nescio an meliùs, Tathar nominant. vixerat ille sanctissimè, apud Silures, & montana petens, victu vestituque asperam solitudinem coluerat; donec à Caradoco, provinciæ illius regulo, ad cœnobialem vitam, & juventutem instituendam invitatus est, ad Ventam Silurum, urbem eo tempore satis celebrem, in agro Moumetensi: de quo agens Camdenus, hæc habet: *Universa regio, ab illa Venta, Guent dicta fuit: Et, ut in vita Tathai Britannici Sancti legimus, quasi Academia fuit; locus scilicet bonarum literarum studiis dicatus: cui Tathaius ille à Caradoco Rege, Inirii filio, è solitudine evocatus, magnâ cum laude præfuit, & Ecclesiam fundavit.* Hoc præceptore, viæque Duce usus Cadocus; in pietatis palæstrâ, magnos progressus fecit: factus tandem ipse spiritualis vitæ magister, & Monachorum pater. *Tunc centum quotidie Clericos* (pergit Author vitæ ejus) *totidem pauperes, & totidem viduas; præter advenas, & hospites, ad illum crebro venientes, pascebat. Licet enim Abbas, multos sub se Monachos regeret, portionem tamen regni patris sui possidens, indigentibus necessaria distribuit.*

Capgra. in Cadoco.

V. Insulæ status.

Hinc statum Insulæ, Cadoci tempore, videre est. Invaluerat infidelis Saxo, & vastaverat Ecclesias; Britanni, & Clerici imprimis, aliique ad pugnandum inepti, ad montes fugerant: unde pauperum & egenorum infinita turba. Cadocus ergo, ita patrem secutus fuerat, in asperioris vitæ instituto: ut bona sua, indigentium necessitati consecraverit: ipseque piam illam procurationem susceperit. Quamobrem illud, quod sequitur in Capgravio, de Romano & Hierosolymitano itinere, de majore Sacerdotio, & denique martyrio, in seniorem Cadocum, qui & Sophias dictus, referendum puto. Qui enim domi Monachos, & foris tot pauperes pientissimè pascebat: cur tam eximia religionis ac pietatis opera, peregrino habitu tegeret? aut cur uni sibi foris prodesse cuperet, qui plurimis domi prodesse poterat? Opinor itaque; nam in re antiqua nihil definio; Cadocum hunc, in Britanniâ; apud Ordovices, cum magnâ sanctitatis opinione mortuum, ac ibi à fidelibus cultum. Certè in Dannoniis, id testatur erectum ejus nomini templum, de quo Harpesfeldus. *Memoriam Cadoci*, inquit, *Ecclesia in ejus honorem, apud Corinuam constructa, ad hunc usque diem conservat.* Merito igitur in Martyrologio nostro legitur ejus nomen ad 24. Februarii, quo mortuus creditur, circa annum Christi 500. Licet Harpesfeldus dicat Cadocum obiisse, anno Domini 570. Sed cum Dubritius ad eum annum non pervenerit, qui tamen morienti adfuisse dicitur; rectius ponitur ad finem hujus sæculi, vel potius post decennium: nam sequentis sæculi, anno nono, cum Gilda solitudinem peteret, ut ibi: quicquid sit, Regiæ Fidei ac sanctitatis agmen claudant Sancti qui in Britanniâ vel nati olim, vel obiere sub finem hujus quinti sæculi. Eos inter Dogmael Sanctus qui in nostro Martyrologio claruisse scribitur vitæ sanctitate, & miraculis, circa annum Domini quingentesimum. Visitur in Dimetarum regione, & Pembrochiensi agro nobilis Abbatia, à S. Dogmaele nuncupata, de quâ Harpesfeldus, Spedus, in Catalogo, & Camdenus in Dimetis. Hunc Sanctum Britanni vocant S. Tegwel, & sanctis adscriptus legitur in Fastis nostris ad 14. Junii. Ibidem etiam memoria est S. Bernachi Abbatis, admirandæ sanctitatis viri, qui Romam profectus, & inde reversus, ubique virtutum, & miraculorum famam collegit. ejus vitam rerum mirabilium operatione fœcundam habet Capgravius, qui mortuum ponit septimo Idus Aprilis: & addit Martyrologium nostrum, sub annum Domini quingentesimum. Quo etiam anno S. Finguar; quem suprà cum Hiberniæ Sanctis recensui; martyrium obiisse, pro fide illâ quam in Patricio didicit, affirmatur. Fuit Clitonis in Hiberniâ Regis, filius, secretiorem vitam in Cornubiâ professus: & demum à Theodorico ibi Principe, cum pluribus aliis occisus. Ejus vitam scripsit S. Anselmus Cantuariensis Archiepiscopus, proprio opusculo, quod inter ejus opera, à Theophilo Raynaudo recensita, & Lugduni impressa, anno 1630. in fine secundæ partis, reperitur.

Harpesf. c. 27. in 6. pri. sæcul.

An. 460. n. 6.

Cadocus moritur.

VI. Num declinante Britannorum imperio, fides declinaverit.

Superest è dictis factisque Sanctorum, qui hoc quinto sæculo in Britanniâ floruerunt, Ecclesiæ statum, fidemque contemplari. Sectarii enim, qui in Lucii aurora, ac Constantini meridie, nullas invenire maculas, aut fidei nævos possunt: in hac miserâ rerum omnium facie, inter Ecclesiarum excidia, sordesque paganorum, tutiùs velitari, & Ecclesiæ suæ babelem struere consueverunt. Nunc saltem alium Paschatis ritum irrepere; nunc, Romanorum imperio occumbente, etiam Romani Pontificis imperium, & Insulæ servitutem desiisse: nunc denique Sacerdotes conjugio vacasse, quidni existiment? cum turbato Reip. statu, legum etiam dissolutio, morumque corruptio sequi non difficulter soleat. Sed esto ita fuerit; fuerit, inquam, Britannorum fides, sub occasum solis, Ecclesiæque, languidior; tepuerit, hoc rerum vespere, provinciæ fervor, Clericorum religio, devotio popolorum: nonne pudere sectarios debet ex hac morum fideique corruptione nasci, & languentis laceratæque Reip. ulcere saginari? Certè si Britannorum fide gloriari vellent (ut ubique cum insigni veritatis fuco solent) cur non ascendunt, ad Constantini, ad Lucii, ad prima sæcula? cur missis spiritûs primitiis, & calente Christi sanguine, in posterioribus versantur, ubi sordes fæcesque communiter naturæ vitio subsidunt. Hoc enimvero ingens penuriæ argumentum est. & eo majus; si omnia etiam morientis Reipublicæ excrementa moventes, nullum causæ suæ patrocinium, nullum factioni subsidium invenerint: quod futurum spondeo.

CONTEM-

CONTEMPLATIO QUINTI SÆCULI, ET REGIÆ FIDEI BRITANNORUM.

VII. SI verso retrorsum oculo, Britannorum fidei compendium repeto, & faciem Ecclesiæ, hoc quinto sæculo; eandem plane reperio, nihilo mutatam, aut degenerem, à præcedentium sæculorum sanctitate. Enimvero licèt Christianum orbem circumiens, video plures exerrasse; quà Pelagii, quà Leporii, quà Vigilantii, aliorumque factione deceptos; Licèt etiam malum aliquando domesticum fuerit, & natum fortè in Insulæ penetralibus: Dei tamen bonitate factum, ut plùs extrà, quàm intrà nocuerit. Immo è paucorum deliquio, eminuit constantia cæterorum: & in agro Dominico, electa Christi grana steterunt firmiùs, zizaniorum adminiculo. Et quemadmodum picturis ex arte factis, umbræ lucem decoremque conciliant: sic Britannorum fides orthodoxa, Pelagii aliorumque impietate illustrissima fuit: & inde non minùs, quàm è superioris sæculi meridie, discerni nubes, vitia detegi, stabiliri possunt dogmata controversa. Sit enim quæstio, de Sacrificio Missæ, de Pœnitentiæ Sacramento, de cultu Sanctorum, atque reliquiarum, de Romanæ Sedis primatu, de Britanniæ subjectione: nonne hæc omnia, è fidelium factis colligi, è sensu provinciarum, & Conciliorum, æquè deduci possunt, ac supra illa deduximus in meridie Constantini? Scio sectarios, in Britannici imperii occasu, & turbatis rebus, piscari solitos: & quia in plena luce consistere nequeunt, in umbris tenebrisque velitari. Ideo toties à M. Gregorio, & Saxonum fide, ad Britannorum Remp. veluti ad montem sacrum; confugiunt: certè non aliam ob causam; quàm quia obscuriora illa tempora putant; & quicquid dixerint, convelli non posse. Verùm si obscurioribus illis rebus lucem attuleris, si provincialium facta è ruderibus colligas, & producas in medium; non solùm habes majorum tuorum res è virtute gestas, sed poteris è rebus gestis, metiri fidem. Iterum si mores hominum degeneres fuerint, si ab avitâ pietate discesserint, si mentes (quæ rerum omnium conditio est) vetustate senuerint: erunt omni ævo; qui echlipsim notabunt & omne virtutis fideique deliquium; erunt qui mentes componere: qui malis moribus legem præscribere: denique qui noverint aspera dirigere in vias planas. & inde non minùs, quàm ex odoriferis floribus, argumentosa apis mel fidei conficiet. Sit verbo exemplum.

VIII. Vis scire, num olim Confessionis Sacramentum fideles usurparunt, & secretò peccatorum onus apud alios deposuerint: Rectè illud colliges non solùm è primorum credentium pietate, qui ad Apostolos *veniebant, confitentes & annuntiantes actus suos*, de quibus S. Lucas. Sed è sæculorum sensu: quem optimè contemplari poteris, in illo Lactantii Firmiani capite, ubi hæreses & superstitiones declinandi viam aperit, & ostendit; & inter cætera, veræ Ecclesiæ constantem characterem ponit, peccata ita salubriter confiteri; ut inde curatio illis ac medicina proveniat. Ita enim loquitur: *Sola igitur Catholica Ecclesia est, quæ verum cultum retinet. Hic est fons veritatis, hoc est domicilium Fidei: hoc templum Dei: quò si quis non intraverit, vel à quo si quis exierit, à spe vitæ ac salutis æternæ alienus est*, &c. *Sed tamen quia singuli quique cœtus hæreticorum, se potissimùm Christianos, & suam esse Catholicam Ecclesiam putant. Sciendum est, illam esse * veram, in qua est Confessio & pœnitentia; quæ peccata & vulnera, quibus subjecta est imbecillitas carnis, salubriter curat.* Sed non contentus Lactantii sæculo, descende inferiùs: & quære, qua ratione peccata confessione curentur. Invenies ibi hoc sæculo Chrysostomum ita scribentem. *Medico ostendere ulcus, quod curet, & non exprobret; atque ab illo remedia accipere, & soli illi loqui, nullo alio conscio, & omnia dicere cum diligentia, facile peccata sua emendabit. Confessio enim peccatorum abolitio etiam est delictorum.* Et noli dubitare, de Sacerdote mentionem esse. nam idem Author Sacerdotes nominat, & eos cum Principibus componit ita: *Habent quidem terrestres Principes vinculi potestatem: verùm corporum solum. Id autem quod dico, Sacerdotum vinculum, ipsam etiam animam contingit, atque ad talos usque pervadit. usque adeo ut quæcunque infernè sacerdotes confecerint; illa eadem Deus supernè rata habeat, ac servorum sententiam Deus confirmet.* L. 3. de Sacerdotio. Hoc Augustinus *Reconciliationem vocavit*, cum Ecclesiæ sui temporis morem explicans, ubi urbes obsidentur. *Cum ad istorum*, inquit, *periculorum pervenitur extrema, nec est potestas ulla fugiendi; quantus in Ecclesia fieri SOLEAT, ab utroque sexu, atque ab omni ætate concursus; aliis baptismum flagitantibus, aliis Reconciliationem, aliis etiam ipsius Pœnitentiæ actionem, omnibus consolationem, & Sacramentorum confectionem, & erogationem. Ubi si ministri desint, quantum exitium sequitur eos qui de isto sæculo, vel non regenerati exeunt, vel ligati?* En orthodoxæ Ecclesiæ consuetudinem; quam qui violarent idem Doctor superstitionis accusat: *Sunt quidam* (inquit) *qui sufficere sibi ad salutem autumant, si soli Deo sua confiteantur crimina. nolunt enim aut erubescunt, sive dedignantur ostendere se Sacerdotibus: quos tamen inter lepram & lepram discernere, per legislatorem constituit Dominus. Sed nolo ut ipsa decipiaris opinione, quatenus confundaris confiteri coram Domini Vicario, tabescens præ rubore; vel cervicosus præ indignatione. nam ipsius humiliter subeundum est judicium, quem Dominus sibi non dedignatur Vicarium. Ergo ad te venire roges Sacerdotem: & fac ipsum conscientiarum tuarum penitus participem. Non educat te somniancium illa superstitio qui in visitando confirmat, qui salvat, Sacerdote inconsulto, ad Deum peccatorum confessio.* l. 2. de Visitatio. infirm. c. 4. Quod si vitio conditionis nostræ in sanctissimum hunc morem error aut abusus irrepserit: inde multò magis confessiunis consuetudo firmatur. Sic Leo Pontifex cognomento Magnus, publicâ peccatorum recitatione sublatâ, edixit sufficere solis Sacerdotibus secretò confiteri, ut suprà.

IX. Sacrificii usus; & Missam audiendi necessitas, in dierum solennitate; quam hodieque agnoscit Romana Ecclesia; optimè probatur, non solùm Occidenti, sed omni etiam Orienti communis fuisse, ex eo, quòd idem Leo, ad Dioscorum Alexandrinæ sedis Episcopum scribens hoc sæculo jusserit; *Cum solennior festivitas conventum populi numerosioris indixerit, & ad eam tanta fidelium multitudo convenerit, quam recipere Basilica simul*

Margin notes: *Acto. 19. 18.* — *Lactant. l. 4. divin. instit. c. 30.* — * V. an. 100. 7. — *Chrysost. hom. 23. in Genesim.* — *August. Epist. 180. ad Honoratum.* — *Leo Epist. 80.* — An. 459. 3. — *Leo Epist. 81.*

and

unà non poſſit, Sacrificii oblationem indubitanter iterandam. Mos ergo hactenus (in Oriente præſertim) fuerat, ſemel tantum in die Sacerdotem offerre: quem ipſe non abrogat; ſed in caſu dicto convenienter extendit: & ut ſcirent poſteri quid demum Sacrificii nomine intelligat, priorem morem explicat, & nomen hoc tempore notiſſimum. *Neceſſe eſt*, inquit, *ut quædam pars populi ſuâ devotione privetur, ſi unum tantum Miſſæ more ſervato, Sacrificium offerre non poſſint, niſi qui primâ diei parte convenerint.* nec minus jucundum, aut dignum contemplatione eſt, quod in Leone ſequitur: *Studioſe ergo dilectionem tuam, & familiariter admonemus, ut quod NOSTRÆ CONSVETVDINI ex formâ paternæ Traditionis inſedit, tua quoque cura non negligat: ut per omnia nobis, & Fide & actibus congruamus.* quia inde manifeſtò ſequitur, unum fuiſſe Orientis & Occidentis conſenſum in fidei ſubſtantiâ; cum ita graviter adhortetur, jubeatque circumſtantiam. Quod ſi Sacrificii hujus ſubſtantiam, & quinti ſæculi ſenſum explorare cupis, nemo te doctiùs docebit quàm Magnus Auguſtinus. *Hoc eſt quod dicimus*, inquit; *hoc modis omnibus approbare contendimus; Sacrificium ſcilicet Eccleſiæ, duobus confici, duobus conſtare: viſibili elementorum ſpecie, & inviſibili Domini noſtri IESV CHRISTI carne & ſanguine: Sacramento & re Sacramenti, id eſt, corpore Chriſti; ſicut Chriſti perſona conſtat, & conficitur Deo & homine.* Nihil clarius dici potuit pro fide Britannorum; qui ideo Eccleſias, & altaria habuerunt; quæque optimo jure vocaverunt cæleſtis Sacrificii ſedes; ut Gildas commemorat in ipſo ſeneſcentis Reip. occaſu. & nihil mirum: quia Auguſtinus alibi dixit: *Hoc a Patribus traditum, univerſa obſervat Eccleſia.* Vide ſuperioris ſæculi Contemplationem. Et adde Hiberniæ morem, qui eandem, cum Britannis, Miſſam celebrabat: *Vt antiquus Sanctorum Hiberniæ Catalogus ſignificat* (apud Uſſerium) ubi ſic legitur: *Primus ordo Catholicorum Sanctorum erat in tempore Patricii: & tunc erant Epiſcopi omnes clari, & ſancti, & Spiritu ſancto pleni, CCCL. numero Eccleſiarum fundatores. unum caput Chriſtum, & unum ducem Patricium habebant: VNAM MISSAM, unam celebrationem, &c.* Quæ verba ſic commentatur Uſſerius Armachanus: *Miſſæ quidem, ſive publica liturgia, unum & eundem ritum à Patricio huc introductum, & à diſcipulis ipſius obſervatum notat. Ejus originem, à B. Marco Evangeliſta accepit libelli, de Officiorum Eccleſiaſticorum prima inſtitutione, vetus author. atque eundem ritum, à Germano & Lupo acceptum, Hibernis communicaſſe Patricium ſignificat.* Ita Uſſerius. Hic vetus author, anonymus eſt, M. S. codex in Bibliothecâ Cotonianâ: ubi dicitur, Germanum & Lupum, *ordinem curſus Gallorum*: hoc eſt Gallicanam liturgiam, in Britanniam induxiſſe. quod tamen ita intelligendum eſt, ut Apoſtolici Sacerdotes illi, reſtituerint tantùm antiquum morem ſacrorum (quem eundem in Gallia fuiſſe, dixi in Contemplatione primi ſæculi) de novo nihil condiderint. Unde paſſim Authores dicunt, Germanum *reſtauraſſe* in Britanniâ fidem, & ritus ſacros. Cæterùm quod dicitur, Patricii & Germani Miſſam, hoc eſt, Britannorum & Hibernorum liturgiam, à Marco Evangeliſta traxiſſe originem: in idem recidit, quod dixi primo ſæculo, Petr. Miſſam, in Britannia uſurpatam. cum enim, teſte S. Hieronymo, *Marcus diſcipulus & interpres Petri* fuerit: quis neſcit, ritum à Marco manantem, ad Petrum, ceu originem, principiumque, referendum. Unde illuſtrantur omnia, quæ primo ſæculo, circa Miſſæ Sacrificium contemplatus ſum. nec illæ hoc quinto ſæculo inferorum portæ apertæ leguntur, in Euchariſtiæ, aut Sacrificii ſanctitatem: ſi Neſtorium excipis, qui veram quidem Chriſti carnem in Euchariſtia agnovit, deitate excluſa. peccavit etiam in eo quod in fermento conſecraret: & utramque ſpeciem promiſcuè porrigeret.

Idem ſup. — *Auguſti. apud Proſperum l. ſentent. Auguſt. & citatur c. Hæc eſt de Conſe. ras.* — An. 300 31. — *Vſſer. c. 17. fo. 913.* — *Vſſer. c. 17. fo. 916.* — *Hiero. de Script. Eccleſ. in Marco.*

X

Illi ergo falſi ſunt, & ad Eccleſiæ meridiem, ſplendoremque cæcutire convincuntur; qui nuper zelo reformandæ fidei æſtuantes, ſpoliaverunt Eccleſias Sacrificio & altaribus; omnia Sacramenta, medullis ſuis & gratiâ; Chriſtum denique auguſtiſſimo cultu. & quoties accuſantur apoſtaſiæ, defectioniſque ab avitâ fide & pietate: toties verboſiſſimè ad Scripturas, & primorum ſæculorum proceres confugiunt; à quibus tamen cum ad tribunal ventum eſt, in omni quæſtionis apice condemnantur. Ego ſanè ſæpenumerò admiratus ſum modum illum philoſophandi, & unde proveniret tanta cerebri intemperies: & tandem admirationem diluit Spiritus ſanctus in Amos propheta, loquens ita perduellibus Eccleſiæ filiis. *Ego dedi vobis ſtuporem dentium in cunctis urbibus veſtris, & indigentiam panum in omnibus locis veſtris.* quod eleganter exponit Cyrillus Alexandrinus in hunc modum: *Incraſſatum eſt ergo cor Iſrael: neutiquam enim Chriſti myſterium intellexit. Ideo & indigentia panum ſpiritualium, & aquæ penuria laborarunt: quoniam non habuerunt verbum nutriens, quod de cælo deſcendit; & dat vitam mundo, quod GRATIA ſpiritus animas irrigat, fontem vivum, ex Deo Patre Filium.* Hæc vera cauſa cæcitatis & miſeriæ. Carent pane vivo ſectarii, inania habent Sacramenta, Sacrificium nullum; ideo eſuriunt, ideo ſitiunt, ideo gratia deſtituuntur, & fonte aquarum viventium: ſine quo ſpiritus jacet, hebeſcit ſenſus, incraſſatur cerebrum adeo, ut nec videre primitivæ Eccleſiæ faciem, nec procerum oracula audire ſuſtineant. Orthodoxi contra, ſolidiſſimo cibo veſcuntur, Chriſti vero corpore & ſanguine, illo ſaginantur, vegetantur, & ſpiritum de ſpiritu trahunt; vident perſpicuè, audiunt articulatè, intelligunt omnia, quæ à majoribus facta, ad nos promiſſa, commendantur à Patribus. Illos innuit Iſaias, cum reprobos alloquens ita dixit. *Ecce ſervi mei comedent, & vos eſurietis: Ecce ſervi mei bibent, & vos ſitietis.*

Amos 4. 6. — *Cyril. in Amos.* — *Iſai. 65. 13.*

XL

Nihil video in Sacrificio frequentius, quàm inter tremenda myſteria Sanctorum memorias recitari, & eorum poſtulari ſuffragia. Quod quia * Manichæi, (ut hodie Calviniſtæ) cum ſupercilio viderunt: Ideo ſancti Patres adſtruere pluribus conati ſunt. S. Joannes Chryſoſtomus in liturgia ſic oravit hoc ſæculo: Εἰς τιμὴν καὶ μνήμην, &c. *In honorem & memoriam ſuperbenedictæ glorioſæ Dominæ noſtræ Deiparæ & ſemper virginis MARIÆ: cujus deprecationibus ſuſcipe Domine, hoc Sacrificium in ſupercæleſte altare tuum.* & iterum. *Sanctiſſima, intemerata, ſuperbenedicta Domina noſtra, Deipara & ſemper virgine Maria, cum omnibus Sanctis, memoriam celebrando, noſmetipſos, & ad invicem, & omnem vitam noſtram Chriſto Deo commendemus.* Et quoniam Fauſtus Manichæus, hoc Chriſti meritis injuriam interpretatus, orthodoxos vexabat, & neſcio quam idololatriæ

V. an. 277. — *Chryſoſt. in Liturg. non longè ab initio.* — *Idem ib.*

ſpeciem,

speciem, Martyrum cultum, mentiebatur esse; ideo S. Augustinus pluribus refellit factiosi hominis infamiam. quod opportunè hic ingero; quia sectarii nostri eo prorsus morbo laborant. *Populus Christianus*, inquit ille, *memorias Martyrum religiosâ solemnitate concelebrat; & ad excitandam imitationem, & ut meritis eorum consocietur, atque orationibus adjuvetur. ita tamen, ut nulli Martyrum, sed ipsi Deo Martyrum, quamvis in memoriis Martyrum, constituamus Altaria. Quis enim Antistitum in locis Sanctorum corporum, assistens Altari, aliquando dixit: Offerimus tibi Petre, aut Paule, aut Cypriane: sed quod offertur, offertur Deo qui Martyres coronavit, apud memorias eorum quos coronavit.* Ita ibi; & paulò inferiùs nodum solvit quem Faustus primò, inde sectarii nexuerunt, de quibus suprà. Solvit autem Augustinus sic: *Colimus Martyres, eo cultu dilectionis & societatis, quo & in hac vita coluntur sancti homines Dei; quorum cor ad talem pro Evangelicâ veritate passionem paratum esse sentimus. Sed illos tanto devotius, quantò securiùs post incerta omnia superata. Quanto etiam fidentiore laude prædicamus, jam in vita feliciore victores, quam in ista adhuc usque pugnantes. At illo cultu, qua græcè latria dicitur, latinè uno verbo dici non potest, cum sit quædam propriè divinitati debita servitus, nec colimus, nec colendum docemus, nisi unum Deum.*

August. contra Faust. l. 20. c. 21.

Art. 280. 36.

XII. En habes, Lector, in postremâ Augustini clausulâ, & mores hominum, & doctrinam hujus sæculi: Martyres coluntur, & in Sacrificio coluntur; ita tamen coluntur, ut nec Sacrificium illis, nec latria deferatur, sed cultus longè inferior. Sic Britanni faciebant ad altaria, eo modo Albanum, & alios, in Diocletiani persecutione coronatos, venerantes, ut constat è Germani facto. quod suprà narravimus & sexcentis aliis, quæ negari non possunt. Descende hinc, si placet, in sequentes ætates; vide Saxonum, & Anglorum preces, templa, & altaria: aspice etiam, quid hoc ultimo sæculo fiat ab orthodoxis: & nihil, nihil prorsùs invenies ab Augustini sententiâ diversum. Invenies templa uni Deo, in memoriam Sanctorum consecrari: invenies altaria, in locis sanctorum corporum, ubi Deo soli, in Sanctorum memoriam, offertur sacrificium: ibi audies peti *consociari meritis, & orationibus Sanctorum adjuvari.* Denique latriam, gloriam illam & honorem supremo rerum Creatori debitum, nunquam audies Sanctis dari. ubique contemplari jucundè poteris mirabilem orthodoxorum, & sæculorum omnium consensum: & stuporem eorum, qui majorum nostrorum vocalissima facta, & constantissima fidei argumenta, nec audire nec videre possunt. In aliis pari modo stupet adversarius, crassoque sub æthere natus, divina humanaque jura confundit; nescit fidei oculo distinguere controversa, componere antiqua, metiri singula. unde multo strepitu, sed inani semper argumento, pugnat, ut patet è dicendis. In sacrificiis hujus sæculi defunctorum memoriæ ad pœnarum levamen fiebant. Unde Chrysostomus: *Non frustra*, inquit, *oblationes pro defunctis fiunt, non frustrà preces, non frustrà eleemosyna. Hæc omnia spiritus disposuit, volens ut nos mutuum juvemus. utilitatem accipiet ille per te, tu per illum conceptis opibus*, &c. hom. 21. in acta. Augustini mentem superiori sæculo excussi cùm pro Monicâ matre preces fudit. quibus adde: *Temporarias pœnas* (inquit l. 20. de Civit. Dei c. 13.) *alii in hac vita tantum, alii post mortem alii & nunc & tunc, verumtamen ante judicium illud severissimum, novissimumque, patiuntur.*

An. 429. 23.

Quoties in Romanam Ecclesiam factiosus Anglus declamitat, & defectionem ab illâ, tueri contendit; tribus id argumentis evincere nititur. Principio dicit: Cur servire debet Insula servitutem, quam primis sæculis non servivit? Cur ad petram illam alligamus anchoram, ubi eam majores nostri non fixerunt? Augustinum Monachum, à Gregorio missum, Britanniarum Episcopi audire noluerunt: cur nos missos ab ea Sede Monachos, aut Sacerdotes audiremus? Iterum, Orienti potiùs debemus omnia & Fidem primam, & obsequium nostrum. quia inde dictatum Paschatis diem à Romano more differentem: & Sacerdotum nuptias, pretiosas enimvero merces, excepimus. Hanc spartam nactus, miserum factionis asylum, ineptissimè illam ornat, ut * alibi ostendi fusiùs: hic tangam solùm quæ sunt propria hujus sæculi. Et primo disquiram breviter, num Insula, pro Fidei beneficio aut in Orientem miserit, aut ex Oriente missos religiosè exceperit, hoc quinto sæculo; quid denique de Rom. Sedis primatu senserit. nam quæ hactenus dicta sunt, benè quidem probant, moris in Britannia fuisse, imo juris Nicææ sanciti, Romam colere principem Sedem. Sed quia sequenti sæculo missus ab ea urbe Augustinus, à Britanniarum Episcopis admissus non est: nonne tibi videtur argutè philosophari, qui inde colligit Insulam Romæ servire non debere? Certè si verum supponendo hoc solum colligeret, nec erraret in quæstionis hypothesi, aliqua fortè venia dignus esset, & tantùm peccaret quod in uno enormi, damnatoque a posteris facto, fundaret omnium Fidem. Sed quia errat in fundamento, & malè inde colligit, & ubique malè Babelem ædificat, vitiando majorum Fidem, nusquam excusari, & nulla arte dealbari potest. XIII

** In Britannium illust. append.*

Si Augustinus à Gregorio semel missus, non admissus à Britanniarum Episcopis, argumentum est, Insulam Romæ, nihil debere sequenti sæculo: opinor Germanus Altisiodorensis à Rom. Sede bis missus in Britanniam, & ubique admissus, cum maximâ honoris & obsequii significatione, argumentum erit Insulam, hoc sæculo, Romæ debere omnia. ergo quod hoc spectat, habemus sine controversiâ, provinciam Romæ, non Orienti debitricem. Verùm nos solidiùs stamus, nec unâ, aut duplici Germani missione contenti, Rom. Ecclesiæ authoritatem tuemur. nam missâ legatione illa, circumspicimus terrarum orbem, & quid alibi, in remotioribus fiat, inquirimus. Nec enim Britanni; quos nunquam Romanæ aquilæ domare penitùs potuerunt; subdi volent Rom. infulis; nisi factorum alibi & fidei evidentiâ convincantur. Vident ergo non unum Germanum, Lupum, aut Severum Episcopos: sed Palladium & Patricios domesticos testes, ab eâdem Sede Legatos, peregrè profectos, cum ingenti provinciarum applausu exceptos, & ubique coli Apostolos. nec sistunt ibi. Pelagii hæresim excutiunt, quæ manu monstra illa corruerint; quis pesti medicinam, cum imperio, attulerit: quem cæteri loquentem diceritemque audiverint: & inde facili deductione Principem colligunt & subditam provinciam. Quæ omnia, cum in Britanniam clarissimè cadant, Pontificiæ potestatis argumentum faciunt; nullis verborum XIV.

argutiis aut lenociniis solvendum. Quod si ubique per orbem terrarum, eodem modo pressæ hæreses, fidei dogmata explicata, Episcoporum controversiæ, ad tribunal illud decisæ, & castigati rebelles, notatique qui judicem non ferebant: quis non videt formari fortius telum, ad tundendam factionem nuperam. quod tunc demum erit validissimum, & nulla prorsus arte infirmandum; si omnem Orientem viderit ad Ro. Pontificis pedes procumbentem; si viderit Episcopos, è Sede ejectos, ejus imperio restitutos; amotos alios factionum Antistites; ipsos etiam Imperatores & viros Augustos, verborum ejus fulmine territos, sententiam deprecari. Quis enim dubitabit omnem Occidentem paruisse, eum viderit procul, & alio orbe positos,
An. 407. 9. imperium ejus agnovisse? Suprà vidimus Arcadium Imperatorem ab Innocentio primo, sententia excommunicationis percussum; factum illi supplicem: scimus illum, ferientis dexteram formidantem de ejus imperio nunquam dubitasse; & inde colligimus, hoc ipsum in Occidente minus fuisse controversum; in Britannia præsertim; ubi omnes provinciæ vicinæque Insulæ, ab eâ Sede missos Germanos & Lupos, Palladios & Patricios pientissimè admiserunt.

XV. Dices: Ita factum sub initium sæculi, cum Insula Romanis Principibus paruit: posteà verò invalescente Saxone, & Ro. imperio deficiente, exuit Britannis jugum illud, & aliud quod sanctior Resp. olim imposuerat induit. Hinc nasci potuit emancipatio illa; quâ freti Britanniarum Episcopi, missum à Gregorio Augustinum, admittere noluerunt. Ita factiosi argumentari deberent potiùs, quàm (ut communiter solent) ex ultimâ senescentis Reip. periodo, colligere, quid primò, & deinceps factum, creditumque. Sed Respondeo primò. Cum constet hactenus, omnem Britanniæ angulum, quaquà fidelis erat, Romam audivisse; sacra inde habuisse, & juris in Ecclesias omnem dictionem: imperitè admodum philosophantur illi; qui ob dissidium aliquod, Augustini tempore, vel enatum, vel prætensum; obliterare conantur priorum Britannorum fidem, atque pietatem. Iterum & pressiùs ad historiam: Britanni nunquam, etiam Augustini sæculo, missum ad se à Romanâ Sede legatum abjecerunt; nunquam Rom. Pontificis imperium negaverunt, aut controverterunt, ut sequenti libro manifestum fiet: ubi Augustinus non ad Britannos, sed ad Anglos missus, probabitur: & auferetur apostasiæ velamen, quo hactenus sectarii texerunt factionem suam. Tertiò: quod ad quintum sæculum attinet, & finem ejus: etiam invalescente Saxone, & Ro. Impp. Insulam deserentibus; mansit nihilominus illa, Ro. Sedi tam devota, subdita, & obediens; ac unquam fuit Lucii, & sequentium Regum tempore. Quicquid enim Germanus fecerat, Apostolicâ authoritate; Sedes quas erexit, & transtulit; Episcopi quos consecravit, doctrina mandataque omnia quæ Insulæ reliquit; post ejus abitum, post adventum Saxonum, & ad finem usque hujus sæculi sacrosancta fuerunt, & juris perpetui. quod optimè testari potest S. Dubricius ejus discipulus, Landavensis primò, inde Carlegionensis Antistes, & sub finem hujus sæculi, Britanniæ primas, &
Usserius in primord. Brit. Ec. c. 5. fo. 80. Apostolicæ Sedis Legatus, ut habet è Galfrido Monumetensi Usserius Armachanus. Quod eloquens argumentum est, à Germani discessu & deinceps, mansisse Ro. Sedis prærogativam integram. His adde, quæ diximus, de Germani doctrinâ, quam Britanni post multa sæcula, virginem servaverunt; & imprimis, in illam urbem pietatem, ut suprà. Nullam ergo, toto hoc sæculo, ansam habent factiosi, subducendi se ab imperio Urbis, exemplo Britannorum. An. 440. 3. 4.

XVI. Eadem facilitate corruit aries alter, & aërem tantùm ferit, inanis illa sectariorum cavillatio, de Paschate Britannorum: quæ in omni syllabâ peccans, ita Romanam Sedem impetit. Sequenti sæculo, sub adventum Augustini, Britanni Græcorum more faciebant Pascha: ergo non Româ sed ab Oriente docti sunt, omni priore sæculo. Pudet toties adversariorum inscitiam in lucem proferre doctorum hominum: Sed quia non pudet illos majorum suorum cineres irreligiosiùs tractare, & crimina illis affingere, de quibus nunquam somniarunt; & per omnia sæcula impios facere; quia aliquando in circumstantiis uns erraverunt: Debeo & ego, qui Britannorum Regiam Fidem defendo; ita pro illis stipulari; ut errores non dissimulando, criminationes tamen & calumnias amoveam. Erraront Britanni, fateor, sequenti sæculo à Nicæno canone, & Pascha aliquando celebrarunt, non eodem cum Roma die. Quid hoc ad præsens sæculum? quid hoc ad morem Græcorum? quid hoc ad Rom. Sedis lædendam majestatem? Et tamen moderni nihil habent in ore frequentius, quàm hoc argumento tueri factionem suam. In quæstione Paschatis res ita se habere. Jusserant Nicæni Patres Dominicam resurrectionem quotannis celebrari, primâ Dominicâ post decimam quartam Lunam Æquinoctii verni. Cæterùm ut omnes per orbem Ecclesiæ, in temporis, & diei lege convenirent: jubebat simul Alexandrinus Antistes; adhibitis calculandi peritis; plenilunium illud tempestivè explorare: ut ab eo acceptum Paschatis diem, Romanus Pontifex, eundem Ecclesiis omnibus cum imperio porrigeret. Ita factum à Nicænâ Synodo, & deinceps Britannia cum Româ priùs & posteriùs fuit, ut suprà dixi, & testes sunt Constantini literæ: & quod hoc sæculum spectat, est æquè certum. nam omnes Occidentis Ecclesiæ, ex V. an. 325. n. 30. urbe petebant Paschales literas, ut Zosimi, Innocentii, & Leonis Ro. Pontificum tempore, & Ro. Pontifices semper illas porrexerunt. quod & expressit S. Leo in Epist. ad Marcianum Imp. ita scribens: *Paschale festum, quo Sacramentum salutis humanæ maximè continetur, quamvis in primo semper mense celebrandum sit; ita tamen est lunaris cursus conditione mutabile; ut plerumque sacratissimi diei ambigua currat electio: & ex hoc fiat plerumque, quod non licet; ut non simul omnis Ecclesia, quod non nisi unum esse oporteat, observet. Studuerunt sancti Patres, occasionem hujus erroris auferre, omnem hanc curam Alexandrino Episcopo delegantes: quoniam apud Ægyptios, hujus supputationis antiquitus tradita esse videbatur peritia: per quam quis annis singulis dies prædictæ solennitatis eveniret, Sedi Apostolicæ indicaretur, ut hujus scripto ad longinquiores Ecclesias, judicium generaliter perveniret.* Hæc S. Leo. Leo Epist. 64.

XVII. Britannia igitur à Leone, & ejus successoribus, dicatum diem Paschatis cum reliquo Occidente excipiebat: nec poterat perversum aliquid ab Oriente doceri hoc sæculo; quia Oriens ipse, quà Nicænæ Synodi decreto, quà Constantini

imperio, quà denique cæterarum Ecclesiarum exemplo resipuerat tandem, & quartadecimani esse desierunt. vel falsi sunt Apostolicæ Sedis Legati, qui anno Christi 519. ita scripserunt ad Hormisdam Papam. *De Paschali die vestra beatitudo cognoscat, concordare Orientalium cum Apostolicâ Sede sententiam, ut XIII. Calend. Maiarum die festivitas celebranda speretur; sicut Ioannis quoque Constantinopolitani Antistitis relatione clarebit.* Quæ si vera sunt, quo modo potuit hoc sæculo Britannia, ex Oriente, doceri heteroclitum ritum? quo modo potuit à Græcis discere, quæ semper latinè locuta est? quo modo potuit, cum quartadecimanis esse, quæ semper, etiam cum peccaret, in Dominica faciebat Pascha? ut centies Beda dicit, docet, inculcat, ut nos suo loco ostendemus. Sed quoniam sequenti sæculo (fatendum est) non eandem cum Roma, Dominicam Insula aliquando observavit: hinc nata controversia, quæ vexavit provinciam; his pro uno Dominico die, illis pro sequente pugnantibus: qui omnes tam procul erant à Græcorum more, quàm procul est solis ortus ab occasu. Nec Scoti (nam illi primùm deviarunt) à Græcis accipere morem potuerunt, quem Græci nunquam servarunt: nedum Britanni, Scotos hic, non Græcos secuti.

Apud Baron. an. 519.

V. an 630. n. 2.

XVIII. Quoniam verò curiosus Lector scire fortè gestiet: quâ demum ratione, Britannia; quæ his quinque primis sæculis, religiosissimè secuta est Rom. Ecclesiam, in sacris omnibus, & ritu Paschatis; sequenti tamen sæculo, erraverit in Dominicâ: hic breviter erroris fontem aperio; dicturus de eo latiùs altero tomo. Cum infidelis Saxo omnem penè Insulam; & maritima occupasset, Britannis ad montes & aspera coactis; carens provincia, cum urbe Roma, solito vicarioque commercio; non potuit inde, ut solebat, doceri; aut Paschales literas accipere, quarum ope hactenus, cum urbe & orbe consenserat. Quid ergo mirum, si Dominicam unam, pro altera celebrabat? Quid, inquam, mirum, si in illa regni & rerum omnium inclinatione, peccavit aliquando, quæ nec domi discere, bellorum & calamitatum Oceano oppressa; nec foris excipere definitum Paschatis diem potuit? Immo ex illo sacri ritus brevi deliquio, non leve conficitur argumentum, pro imperio, & primatu Urbis. Nam si perit, aut arescit membrum, quod priùs erat vegetum; postquam caput nequit influere: rectè colligimus membrum illud, è capite, non aliunde alimentum accepisse priùs. Pari modo dicimus: cum Insula semper Rom. more Pascha fecerit, per quinque prima sæcula: & tum facere desierit, cum Roma non potuit adesse, aut influere; signum est influxisse priùs Romam, & Britanniam vegetasse.

XIX. Hinc corrigi potest Goduinus καινοπιστός (?), *novus Episcopus*; qui cum quærendo initium variati Paschatis in Britannia, invenire illud solidè nusquam potuisset; ita arbitratur. *Quapropter satis liquere arbitramur, Paschalis festi celebritatem XIV. Luna, simul cum ipsa religione Christianâ, hic captam; atque hanc per Iosephum, & socios suos primùm inter nos disseminatam.* Corrige inquam; nam magis liquere arbitramur, primò: Lucium & Britannos ab Eleutherio doctos, Paschæ celebrationem, non XIV. luna, (quod Eleutherius vetuerat) sed cum Româ fecisse: Iterum magis liquere arbitramur, Constantinum scire potuisse, quid fecerint Britanni suo sæculo quàm modernus & heteroclitus Episcopus: cumque ipse dicat, disertis verbis, Britannos cum Roma fuisse, cur alter *arbitrium*, contra rem testatissimam interponit? cur XIV. Lunam Britannis affingit, quam illi nunquam servaverunt, nisi cum XIV. in Dominicum cadebat, sequentemque expectare debuissent? ut clarè è Beda colligitur. Denique cum primis sæculis Fugatius & Damianus, Apostolicæ Sedis legati, sanctiorem hic Remp. composuerint, cum Episcoporum sedes erexerint, Ecclesias docuerint, & sacra præscripserint: Cum nuper, hoc est, isto quinto sæculo, Germanus & Lupus, eadem authoritate, omnia hîc fecerint; quis, modo sanæ mentis compos, arbitrari poterit, hoc omni tempore, Britannos in Festo maximo, contra Rom. Ecclesiæ legem gravissimè latam claudicasse?

Godovin. in Catalo. in prin. c. 2

XX. O miseram ferè, quod admodum facit ad summam quæstionis: Scoti veteres, qui priùs in festo illo, quàm Britanni peccaverant, ut alibi ostendi; hoc omni sæculo, cum Româ, faciebant. Patricius enim, eorum Doctor, & ex urbe missus Apostolus, nullum ex Oriente ritum discere, nihil Scotis porrigere peregrinum poterat. Unde Dominicam semper ab illis observatam, non XIV. Lunam (quod Oriens aliquando fecerat) in confesso est apud omnes. Cæterùm Patricius, non è Theophili Alexandrini Cyclo Paschali, qui erat octoginta quatuor annorum, sed è Romani Pontificis literis, Dominicam metiebatur, ut Cummianus in Epistolâ ad Segenium, Hyensis Monasterii Abbatem, significat. eo ipso tempore, quo controversia agebatur, Britannos inter & Hibernos: ita enim ante annos mille scripsit: *Ad veram Pascha rationem nunquam pervenire eos, qui Cyclum LXXXIV. annorum observant; diversumq; fuit ab eo quem S. Patricius, Papa noster, tulit & fecit.* Quamobrem errasse & nuperum schisma sapere videtur is, qui Hiberniæ Sanctos in tres ordines distinxit, in quorum primo, duce Patricio, vult *unam Missam, unam celebrationem, unam tonsuram (ab aure usque ad aurem) unum Pascha XIV. Luna, post Æquinoctium vernale celebratum.* Quasi verò Patricius Romam semel iterumque profectus sit ut Asiaticos mores, & sacra disceret: & Apostolicæ Sedis legatus doceret aliud, quàm ab Apostolica Sede profectum. quasi non dixerit suprà in Synodo Romanam capitis tonsuram servandam esse? Verùm qui contentiosiùs, quàm par erat, pro heteroclito Paschate disputantes, Joannis & aliorum Apostolorum authoritate errorem tuebantur; non est mirum Patricium sanctum in eorum societatem vocatum. Sed quemadmodum constat, nec Britannos, nec Scotos, nec ullum Occidentis angulum, Pascha fecisse, alio quàm Dominica die; & à quartadecimanorum errore procul fuisse: ut Wilfridus apud Bedam sæpè testatur: ita constat falli eos qui Patricium putant Romano more non fecisse, aut Scotos aliter docuisse. Nec unus Patricius, Rom. morem invexit; nam omnes Hiberni, qui hoc sæculo sanctitate & doctrinâ floruerunt, vel Romæ docti, vel Romana sacra docuisse scribuntur, vide suprà S. Piranum 460. In vita etiam S. Declani, ita legitur. *Tunc in mente S. Declani venit Romam ire, ut ibi mores Ecclesiasticos disceret, & gradus acciperet, & licentiam prædicandi à Sede Apostolicâ haberet & ordinem, & regulas secundum Institutionem*

In Britan. illustrata in append. cont. 1. n. 21.

Cumian ep. ad Segenium, Epist. Hiber. sylloge n. 11. pag. 32 apud Usserium fo. 930.

Apud Usser. fo. 918.

An. 450. 4.

Beda l. 3. c. 25.

Romanam secum duceret, &c. *Eodem tempore S. Albeus erat Romæ in discipulatu S. Hilarii Episcopi,* &c. *Et post multos dies S. Declanus à Domino Papa, suadentibus multis ordinatus est: & postea traditis sibi libris, & regulis missus est ad patriam suam, scilicet Hiberniam.* Hæc omnia refert Usserius: & bene probant Hiberna sacra omnia, è Romano cælo fluxisse. Nihil ergo Asiatici aut exotici moris in quintum sæculum irrepsit in Britannia: quæ tam πάσχα ἀναστάσιμον, quam πάσχα σταυρόσιμον, primitùs in Insula usurpatum, ab Eleutherio & Victore stabilitum, à Nicænis Patribus & M. Constantino confirmatum, hucúsque semper servavit, ut constat per sæcula discurrenti.

XXI. Restat ultimum de nuptiis Clericorum, quæ adeo factiosis in omnibus sunt; ut vel ideò solùm operæ pretium duxêrint peregrinari in Græciam. Cum enim ibi, sub hoc sæculum nasci cœperit apostema, è cerebri primùm, indè carnis, corruptione; quod vicinam nobis Galliam, & paucos ibi corripuit; placuit sectariis omnibus, inde suæ fidei firmitatem petere. Hinc nostri, apostasiæ socios quærentes; cum reverà nullum in Britanniâ jure nancisci possent; injuria vendicant primorum sæculorum Clericos, quos aiunt procreandis filiis, propagandisque nepotibus vacasse. Quod licet superioribus sæculis, ostenderim esse figmentum: nunc tamen, sub regni occasum, & in vespere pietatis ac fidei, tepuerunt fortè mentes; & ut à meridie, sic ab avitâ virtute recedentes, cur non etiam à primâ puraque conditione abiverunt? Sed reverà maculant castissimam Insulam, quotquot ita pro nuptiis & uxoribus advocant. Enimvero quæ semper è Romano sole illustrata est Britannia, nullam etiam hoc sæculo, echlipsim passa. Sacerdotes habuit & sanctiorem Clerum, castitatis voto obnoxios: nec eos solùm, qui sponte sua ad altaris ministeria ferebantur: sed eos etiam qui virtutum prærogativâ, vel inviti ad Sacerdotium postulabantur: quorum, hoc quinto sæculo, magnus numerus: & quos Augustinus, incontinentibus proponit exemplum, ita scribens: *Quando terremus eos, ne adulterinis conjugiis hærendo, pereant in æternum; solemus eis proponere continentiam Clericorum; qui plerumque ad eandem sarcinam subeundam capiuntur inviti; eamq; susceptam, usque ad debitum finem, Domino adjuvante, perducant.*

August. de adulter. conjug. c. 20.

XXII. Hoc onus continendi, Sacerdotio annexum fuisse, expressè docet idem Augustinus; & scitè rationem ejus reddit, è D. Paulo petitam. *Si conjugium, inquit, Sacerdotibus, prohibetur; quantò magis crimen fornicationis in vobis æstimabitur. Ecce enim, fratres, laicis conjugatis, ad tempus abstinere præcipitur, ut vacent orationi: & Sacerdotes, qui corpus Domini consecrare omni die oportet, concubinas in domo tenere non erubescunt?* Habes hic, quid factum à Britannis Sacerdotibus; quos quia quotidie ut suprà, oportuit corpus Domini consecrare, & ita quotidie orationi vacare: oportuit etiam semper à mulieribus continere; ab uxoribus, inquam, aut habitis aut habendis, alioquin nobilissimum novæ legis Sacrificium, Mosaicæ legis ritibus sacrisque postponimus. Jam verò quoniam adversarii solent, è Britannorum factis sequioribus, corruptisque vetustate moribus, sua dogmata stabilire: si eo argumenti genere uti vellem; quis non videt; è Gildæ calamo, quem sequenti sæculo in Clerum strinxit; quod rarò altaribus assisterent: benè colligi, laudarique Sacerdotes hujus sæculi, quòd frequentiùs astitissent? ideoque procul esse debuisse ab uxorum amplexibus. Nec hoc unis Sacerdotibus solum inhibitum: ad idem vitæ castioris propositum tenebantur, qui propiùs ministrabant; hinc Augustinus: *Antistitem puriorem cæteris esse OPORTET, Christi enim personam habere videtur: est enim vicarius ejus; ut quod cæteris licet, illi non liceat: quia necesse habet QUOTIDIE Christi vicem agere, aut orare pro populo, aut offerre, aut tingere. Et non solum huic concubitus non licet; verùm etiam ministro ejus; quia ipse mundior esse debet, quia sancta sunt, quæ ministrat.* Britannorum ergo Diaconi ad castitatis legem, pari cum Sacerdotibus voto tenebantur. Sed & inferior Diacono, qui Subdiaconus dicitur, quia proximè etiam Sacerdoti & Sacrificio ministrabat; debuit vulgo hominum esse continentior. quod quia Romani Pontifices enixè Ecclesiis omnibus, etiam Orientis, commendarunt hoc sæculo, constat ratum sanctumque fuisse in nostro Occidente.

Idem ser 37. ad Frat. in eremo.

An. 460. 52.

August. qq vet. & no. Testa. q. 127.

XXIII. Leo Pontifex cognomento Magnus, judex hac in re, & testis esto: qui ita ad Thessalonicensem Episcopum scribit: *Cum extra Clericorum ordinem constitutis, nuptiarum societati, & procreationi filiorum studere sit liberum: ad exhibendam tamen perfectæ continentiæ puritatem; nec Subdiaconis carnale quidem connubium conceditur; ut qui habent, sint tanquam non habentes; & qui non habent, permaneant singulares. Quòd si in hoc ordine, qui quartus à Capite est, dignum est custodiri; quantò magis in primo, aut secundo, aut tertio servandum est: ne aut Levitico ministerio, aut Presbyterali honore, aut Episcopali excellentia, quisquam idoneus existimetur, qui se à voluptate uxoriâ necdum frenasse detegitur.* Si ista Pontifex in Orientem scripsit, jussitque ibi Clericos continere; quilibet æquus rerum æstimator, opinabitur ita quoque cautum Occidenti nostro: cum Oriens præ Occidente; auster præ Septentrione, in re uxoriâ semper acriùs contenderit. Scripsit etiam idem Leo Pontifex ad Episcopum Narbonensem, & castitatis legem ita explicat: *Lex continentiæ,* inquit, *eadem est ministris altaris, quæ Episcopis aut Presbyteris. Qui cum essent laici, sive Lectores, licitè, & uxores ducere, & filios procreare potuerunt: sed cum ad prædictos pervenerint gradus cœpit eis non licere, quod licuit.* Licet autem nullæ super ea re lites in Britanniâ nostrâ fuerint: quia tamen Galliam Vigilantius fortè infecerat; ideo ibi ad mali curationem, Venetica Synodus, in Britanniâ minore, ita sanciverat. *Presbyteri, Diaconi, atque Subdiaconi, vel deinceps, quibus ducendi uxores licentia non est; etiam alienarum nuptiarum evitent convivia; ne his cætibus misceantur, ubi amatoria cantantur & turpia, aut obscœni motus corporis, choris & saltibus efferuntur: ne auditus & obtutus sacris mysteriis deputati, turpium spectaculorum, atque verborum contagio polluantur.* Ecce quàm Britanniæ ad Ligerim Clerus, à nuptiis procul esse jubeatur, cui nec videre nec audire præcipitur, nuptiarum solennia. Idem in Britanniæ Insulis factitatum censebit quisquis Patricii, Britanni hominis, Synodum in Hiberniâ, & nonum ibi Canonem attentiùs legerit; ubi Monachi & Virginis pudicitiæ consulitur; & utervis jubetur, & domi & foris, à sexu altero separari. Senanus etiam à Patricio factus Episcopus, cum

Leo Epist. 92.

Circa annum Domini 453.

Synod. Venetica c. 11.

sacra virgo Kynrecha officii causâ ad eum accessisset, hanc habuit repulsam, & causam repulsæ.

Vita Senani M.S. c. 18. apud Usser. fo. 940.

Cui Præsul; quid fœminis
Commune est cum Monachis?
Nec te; nec ullam aliam
Admittemus in Insulam.
Tunc illa ad Episcopum:
Si meum credis spiritum
Posse Christum recipere
Quid me repellis corpore?
Credo, inquit, hoc optime:
Sed nulli unquam fœminæ
Huc ingressum concedimus;
Esto salvet te Dominus.
Redi iterum ad seculum
Ne sis nobis in scandalum:
Etsi es casta pectore,
Sexum habes in corpore.

XXIV. Hæc dicta factaque majorum, qui quinto sæculo floruerunt, & à Britannis docti sunt, satis testantur Insulæ sensum, circa Clericorum nuptias; & canones ubique latos, de Sacerdotum continentiâ, hic locum imprimis habuisse. nunc restat explorandum, quo demum argumento factiosi assertioni contradicant. Cum enim sæculum percurrenti, multa occurrant pro Clericorum cælibatu; nihil autem appareat secùs factum, dictúmve: jure aliquis mirari poterit; cur primæ & purissimæ ætates, ad patrocinandum Ministrorum & Episcoporum incontinentiæ, à sectariis producantur. Hic omnes, qui pro uxoribus disputant; nihil quidem hoc sæculo inveniunt, sed ad Aldelmi & Bedæ ætatem coguntur descendere. Ibi cùm legunt, Aldelmum scripsisse *librum egregium adversus errorem Britonum; quod perplura Ecclesiastica castitati & paci contraria gesserint*: canunt Io triumphe: & Britannos, vel ideo, non ex Urbe, sed Oriente doctos, veluti decretoriâ sententiâ, pronuntiant. Magdeburgici, ex hoc Bedæ loco, Aldelmo irascuntur, quòd contra Britannos scripserit, & Clericorum conjugia damnaverit: *Certamen ei fuit*, inquiunt, *cum Britannis; quos eò insectatus est, quod non Romano more, tonsuram, & cælibatum approbarint.* Huic Bedæ loco, debet Insula infinitam prolem, & nupera fides suum incrementum. Sed malè ubique sectarii ædificant, & sine solido, aut constanti fundamento. Quid enim refert ad summam quæstionis; Aldelmum ita scripsisse? Nonne potuit Britannorum Ecclesia sacris ordinibus castitatem injungere; licet aliqui contra peccaverint? Imo, si Britanni arguuntur fecisse *perplura Ecclesiastica castitati contraria*: nonne inde meliùs infertur, parere eos debuisse castitatis legibus, transgressos tamen. Unde, si de Clericorum cælibatu agitur (de quo non egit Aldelmus) sequitur Ecclesiasticos Canones illum sancivisse quos meliores Britanni servarunt. Quid ergo ex Aldelmi sententiâ, aut Bedæ verbis lucrantur sectarii, qui Britannorum sordes faciunt fundamentum factionis?

Beda l. 5. c. 19.

Cent. 7. fo. 559.

XXV. Sed quid si Britanni, non dico *perplura*, sed nihil omnino in Ecclesiasticam castitatem peccaverunt? quid si Aldelmus nunquam illos incontinentiæ accusavit, aut criminis eò tendentis: Quid si in libro egregio, contra errores Britonum, nullam, nullam omnino castitatis mentionem fecerit? nonne tibi videtur malè materiatum ædificium esse, & generatio pessima, quæ ex verborum Bedæ locique corruptione surrexit? Dico igitur: Cum Augustinus Saxonem convertisset, Britanni sedibus & provinciâ pulsi, odio in Saxonem æstuabant maximo, fidem illis & Sacramenta invidentes: nec potuit Augustinus, mentes, irarum & contentionum plenas, componere. Crevit potiùs hic nequior impetus adeò, ut Aldelmus, jussu Synodi gentis suæ, ad Geruntium, in Domnoniâ principem virum libellum supplicem dederit; in quo Christianæ charitatis elogia enumerans, Britannos hortatur, ad pacis & amicitiæ fœdera. Aperit interea Britannorum odia, & mores à charitate degeneres, atque ita alieni à Saxone animi argumenta plurima accumulat: quæ Beda compendio colligens dixit: *Aldelmus cum esset adhuc Presbyter & Abbas Monasterii quod Malduſi urbem nominant, scripsit, jubente Synodo gentis suæ librum egregium, contra errorem Britonum; quo vel Pascha non suo tempore celebrant: vel alia perplura Ecclesiastica* CARITATI *& paci contraria gerunt.* ita habet fidelissimus M.S. codex meus. Apage ergo lectionem aliam ubi aut *Maldus & Malduli urbem* pro *Maldufi* ponitur; aut ubi *Ecclesiastica castitas*, in Ecclesiasticæ caritatis locum, irrepsit: unde factum, ut manu missâ charitate, modernus Clerus hoc superinducto castitatis pallio, lasciviat.

Beda l. 5. c. 19.

Hic fortè excipiet aliquis, omnia Bedæ impressa exemplaria, unius M. S. Codicis authoritate cadere non debere. Ita est. Et ego si Britannos excuso hoc solo argumento, tenuiter admodum patrocinatus sum. Sed si addidero Gildam Britannici Cleri vitia acerrimè castigantem, & nulli crimini parcentem; nihil tamen de ejus incontinentiâ loquutum esse; facilè quivis judicabit *perplura* non fuisse Ecclesiasticæ castitati contraria, quæ ille nullo modo silentio transisset. Iterum si Augustinus in Episcoporum Synodo, pro pace Ecclesiarum & unitate agens, gravissimè dixit, (Beda teste:) *Si in tribus mihi obtemperare vultis, ut Pascha suo tempore celebretis: ut ministerium baptizandi, quo Deo renascimur, juxta morem S. R. Ecclesiæ compleatis: ut genti Anglorum una nobiscum prædicetis verbum Domini; cætera quæ agitis, quamvis moribus nostris contraria, æquanimiter cuncta tolerabimus.* Si, inquam, Augustinus in tribus tantùm, controversiæ cardinem vertit, in Paschatis Dominicâ, in baptismi ritibus, in animorum unione, & concordiâ: certum est aliud non fuisse momenti majoris; & æquè certum de Sacerdotum cælibatu nihil disputatum; & in eo Britannos cum Roma sensisse, inde manifestum est, quod Augustinus nunquam dixisset, se æquanimiter toleraturum Sacerdotum nuptias: quas M. Gregorius adeo insectabatur, ut paulo ante in Ro. Synodo anathema dixerit: *Si quis Presbyter aut Diaconus uxorem duxerit.* Quomodo ergo, aut Aldelmus ad censuram vocaret Britones ob id, quod Anglorum Apostolus dissimularat? aut quomodo dissimularet Augustinus labem illam, quam in latinâ Ecclesiâ nunquam admissam, & ubique damnatam sciebat? Sed non est opus Aldelmi mentem conjecturâ colligere: cum extet liber ille egregius, in M. Patrum Bibliothecâ, inter Bonifacii Epistolas tomo 8. Inde planè Lector perspiciet *Caritati* non *castitati* litandum, & errasse librarios, qui Bedam hactenus impresserunt. Ego illum sequenti tomo integrum dabo, anno quo scriptus est, sexcentesimo nonagesimo secundo.

XXVI.

Beda l. 2. c. 2.

XXVII. Stet ergo fixum firmumque, Britannorum Ecclesiam, ut in fide integram, ita in moribus incorruptam fuisse hoc sæculo: ubi, si uspiam, castitas in honore, continentia in Clero, virginitas in plurimis fuit. Testare id Ursula, cum sodalibus tuis, quæ uno die tot virginum millia, cælo tecum transcripsisti. Imò è suavissimo hoc virtutis lilio orthodoxæ fidei odorem colligo, cum M. Athanasio, dicente. *Nusquam alibi sanctum illud, & cæleste æternæ fidei virginitatis mandatum, feliciter adimpletur, nisi duntaxat apud nos Christianos. Atque in eo MAGNUM DOCUMENTUM EST planè apud nos esse veram religionem.* Finio itaque hoc sæculum; si Britannorum Ecclesiæ, hoc est, orthodoxæ fidei, characterem, paucis colligendo; quæ dicta sunt, exposuero. Nam quæstio de verâ Ecclesiâ & Religione, multos hodie vexat: qui fortè sanabuntur, si Ecclesiæ ideam juxta primorum sæculorum prototypon videre, & contemplari velint. Et sane sancti Patres ut occasio ferebat, notas, symbola, & Christianæ religionis argumenta proponebant; quo hæreses & paradoxa, ab orthodoxâ fide distinguerent: ut modò Athanasius, è lilio virginum, paradisum collegit: & Lactantius paulò superiùs, è confessionis & Pœnitentiæ Sacramento, veram Ecclesiam. Sed quoniam hi Patres, arbitrio factionis, vel stant, vel cadunt: malo characteristicæ notæ fundamentum altiùs petere, è Christi, ac Apostolorum oraculis: sic enim stabit firmiùs.

Athanas. Apol. 2.

Hic n. 8.

XXVIII. Loquatur ergo Paulus, & è Christi purpurâ delineet Ecclesiam, ita: *Christus dilexit Ecclesiam: & seipsum tradidit pro eâ, ut illam sanctificaret, mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ: ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta & immaculata.* His verbis si adjunxeris Christi promissum: *Super petram ædificabo Ecclesiam meam; & portæ inferi non prævalebunt adversus eam. & tibi (Petre) dabo claves regni cælorum, quodcumque ligaveris super terram erit ligatum & in cælis, & quodcumque solveris super terram erit solutum & in cælis:* habes Ecclesiæ nostræ characterem optimum: quem ita explico. Britannorum Ecclesiam à Petro, & successoribus, fundatam institutamque, Christus dilexit, & seipsum pro eâ tradidit, sub Pontio Pilato, cruentum sacrificium; deinceps verò usque ad consummationem sæculi, incruento more, hostiam vivam, Deoque placentem: sanctificavit etiam Ecclesiam istam, mundans eam lavacro aquæ, ut exhiberet illam sibi gloriosam tam Sacramentorum sanctitate, quæ verè mundant mentem, auferuntque omnem maculam & rugam, aut aliquid hujusmodi: quàm sacrificii majestate, ubi varii ministrantium ordines, altarium splendor, supellex varia aurea & argentea, sponsam illustrant, in fimbriis aureis, circumamictam varietatibus. Ibi crux Christi *signum Dei vivi*: ibi lux, quæ illuminat omnem hominem, visibili signo, cæli gloriam demonstrans: ibi Sanctorum patrocinia, reliquiarum thecæ, imaginum ornatus; quæ omnia Eucharistiæ conficiendæ, consecrandæ, adorandæ, sumendæque deserviunt. ubi non nodus aut aridus panis, plebeâ metamorphosi, & sumentis mente decoctus: sed ipsissimet Christi verbis, à sacrâ personâ prolatis, Christi corpus, Christi sanguis, reali & verissimâ præsentiâ, substantiaque proponitur. alioquin non *Magna erit gloria domus istius novissimæ plusquam primæ*, non lex sanctior, non regalius Sacerdotium, non pleniora sacrificia: si in umbris adhuc, & tentoriis habitamus. Sed reverà, per Evangelii lucem, per adventum Christi, & Sacramentum passionis ejus, *scissum est velum templi* prioris, cælestia magis patuerunt: nos Deo magis conjungimur, ex quo nobis se junxit Deus. Hinc gratiarum fluenta, per septem aquæ ductus, quibus in novam creaturam nascimur, firmamur, nutrimur, surgimus, consecramur, multiplicamur, & extremùm ungimur. Hinc Ecclesiæ pulchritudo, gloria, & majestas. & verè dicimus: *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei*, quam Christi sanguis illustrat: & Spiritus sancti unctio, ne unquam obnubiletur, docet.

Ad Ephes. 5.

Mat. 16. 18.

Apoc. 7. 2.

Agg. 2. 10.

XXIX. Hanc Ecclesiam Christi gloriosam intellexit M. Augustinus; cum explicans illud Sophoniæ prophetæ: *Adorabunt eum unusquisque de loco suo, omnes Insulæ gentium.* dicit Insulas, in Occidentis Oceano, ad Christi Ecclesiam pertinere, & Britanniam sine dubio significat. nam ita loquitur: *Omnes Insulæ, dixit: tanquam diceret, etiam omnes Insulæ. Hinc ostendens, quam nulla pars relinquatur Orbis terrarum, ubi non sit Ecclesia, quando nulla relinquitur Insularum: quarum nonnulla etiam in Oceano sunt constitutæ, & quasdam earum, Evangelium jam suscepisse didicimus. Atque ita in Insulis singulis quibusque impletur, quod dictum est. Dominabitur à mari usque ad mare (quo unaquæque Insula cingitur) sicut in universo Orbe terrarum, quæ tanquam omnium quodammodo maxima est Insula, ad cujus litora in OCCIDENTALIBUS PARTIBUS Ecclesiam pervenisse jam novimus.* Idem Augustinus Britanniam intellexit, cum dixit alibi. *Verbum Dei non in solâ continente terrâ prædicatum est: sed etiam in Insulis quæ constitutæ sunt in medio maris: & plenæ Christianis, plenæ sunt servis Dei. Non enim separat mare eum qui fecerat mare.* Sed multò clariùs Author libri de septem ordinibus Ecclesiæ (inter opera S. Hieronymi) ad Rusticum Narbonensem Episcopum scripti, tempore Leonis Papæ, Christianam Britannorum Ecclesiam, Ecclesiis aliis proposuit in exemplum, ita scribens: *Presbyteri hoc in Ecclesiis sua faciant, quod Romæ, sive quod in Oriente, quod in Italiâ, quod in Cretâ, quod in Cypro, quod in Africâ, quod in Illyrico, quod in Hispaniâ: QUOD IN BRITANNIA, quod etiam ex parte per Gallias fit.* Unde Britannicæ Ecclesiæ cum Romanâ & orthodoxis Ecclesiis, mirabilem consensum legis: & inde, nisi plane desipis, virginem ubique fidem colligis. Et probè intelligis Arnobium Juniorem (qui secundùm aliquos vivebat hoc quinto sæculo) commentantem psalmum 147. & illa verba: *Velociter currit sermo ejus. Tam velociter*, inquit, *currit sermo ejus, ut cum per tot millia annorum in solâ Judæâ notus fuerit Deus. nunc intra paucos annos, nec ipsos Indos lateat ex parte Orientis: nec ipsos Britones ex parte Occidentis.*

August. Ep. 80. ad Hesichium.

Idem in expos. Psal. 66.

Habetur inter opera S. Hiero. to. 4. edit. Basileæ Erasmi. vol 9. Marianus Victorii.

XXX. Si transeo ab antiquâ hac Britannorum Ecclesiâ, ad modernæ factionis subsellia: & sacra sacris componens; characterem quæro, protestanticæ Ecclesiæ: sunt alia omnia. Nihil augustum, gloriosum nihil, aut in unum idemque consentiens: sed vile Sacerdotium, nullum sacrificium, nudi & investes templorum parietes, nullum altare, nulla crux, nulla lux: inania Sacramenta sine medulla gratiæ: Sacerdotium sine sacrificio (quod latinus orbis admiratus) fides sine

operibus: nullus Dei cultus in splendoribus Sanctorum. non adstat Regina in vestitu deaurato circundata varietate: sed ex Hippoliti Portuensis vaticinio: *Lugent Ecclesiæ luctum magnum, non fit suffitus, nec cultus Deo gratus: sed Ecclesiarum ædes sacræ tuguriis instar sunt. Pretiosumq; corpus & sanguis Christi non extat in diebus istis, liturgia extinguitur*, & sacra omnia, quæ Christum nascentem, patientem, resurgentem, ascendentem significant, exploduntur. & *ipsa fides prædicatio ad nudum nomen* (ita prædixit Basilius) contrahitur. Ita nuda fides, nuda templa, nuda sacramenta, sacrosanctum omne dehonestant, gratiam evacuant, gloriam extinguunt; Sacerdotes trucidant, & orthodoxos persequuntur: Et quis dicet, hanc esse Ecclesiam, quam Christus in petrâ fundatam, exhibuit sibi gloriosam, non habentem maculam, aut rugam? ubi infinita peccata committuntur, nulla remittuntur: multæ voluptatum illecebræ, nulla virginitatis septa custodia; votorum religio nulla, nulla fidei constantia, denique omnia Christi & Christiani pietatis monumenta, quæ Lucius, Constantinus, & majores nostri posuerunt obliterata; erasa, pessundata, deformata: & interim Ecclesia, à novis his interpretibus reformari dicitur. O tempora! ô mores! ô degenerem Fidem & Ecclesiam! Sed surge Deus, judica causam tuam, visita vineam, quam plantavit dextera filii tui; & nunc reverà singularis ferus depastus est eam. Ecce venerunt iterum gentes in hereditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum, posuerunt Jerusalem in pomorum, & nunc Paulinum templum, toto orbe celeberrimum, in equorum custodiam. posuerunt morticina servorum tuorum (hoc anno 1642.) escas volatilibus cæli, carnes Sanctorum tuorum bestiis terræ: effuderunt sanguinem eorum tanquam aquam in circuitu Jerusalem, & non erat qui sepeliret. *Obscuratum est ergo aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt Lapides sanctuarii, in capite omnium platearum. facta est quasi vidua, Domina gentium: Princeps provinciarum facta est sub tributo. Viæ Sion lugent, eo quod non sint, qui veniant ad solennitatem: omnes portæ ejus destructæ, Sacerdotes ejus gementes, virgines ejus squallidæ, & ipsa oppressa amaritudine. Facti sunt hostes ejus in capite, inimici ejus locupletati sunt: & egressus est à filiâ Sion omnis decor ejus. Vide Domine afflictionem meam, quoniam erectus est inimicus. Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia: virgines meæ & juvenes mei abierunt in captivitatem: Sacerdotes mei, & senes mei, in urbe consumpti sunt. Vide Domine, quoniam tribulor, & considera quam vindemiaveris ita. Recordare quid acciderit nobis, intuere & respice opprobrium nostrum. hereditas nostra versa est ad alienos, domus nostra ad extraneos. Tu autem Domine in æternum permanebis, solium tuum in generationem & generationem. Converte nos Domine ad te, & convertemur. Innova dies nostros, sicut à principio*: & tunc jucundè & cum voluptate cantabimus: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto: sicut erat in principio & nunc & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.*

Hippol. de Consum. mundi.

Basil. de Spiritu sancto c. 27. &c.

Psal. 78.

FINIS TOMI PRIMI.



